




MARTYROLOGIUM
ADONIS
ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS
AB HERIBERTO ROSWEIDO
SOCIETATIS JESU THEOLOGO
JAM PRIDEM AD MSS. EXEMPLARIA RECENSITUM,
Nunc ope Codicum BIBLIOTHECÆ VATICANÆ recognitum
& Adnotationibus illuſtratum

OPERA ET STUDIO
DOMINICI GEORGII
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI XIV. P. M.
AB INTIMO SACELLO.

Acceſſere MARTYROLOGIA & KALENDARIA aliquot ex Vaticana
& aliis Bibliothecis eruta, nunc primum in lucem edita.

PARS PRIMA.





ROMÆ, MDCCXLV.
EX TYPOGRAPHIA PALLADIS
EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI.
SUPERIORUM FACULTATE.

BENEDICTO XIV.
PONT. MAX.

DOMINICUS GEORGIUS F.



FUIT *hoc sæpenumero*, BEATISSIME PATER, *& nunc etiam est in more positum institutoque eorum, qui non modo Romæ, sed alibi quoque vetera Martyrologia, & alia id genus monumenta ederent, illustrarentque, ut ea Romanis Pontificibus, auspiciorum inter cætera, & religionis gra-*

tia, nuncupanda esse ducerent. Qui ita faciunt, intelligunt illi profecto, magnum præsidium & ornamentum hoc pacto libris & lucubrationibus hujusmodi accedere, si nimirum ad Apostolicum thronum delati, comprobatique, Pontificum Maximorum nominibus inscripti prodeant, quo fit, ut libere ac tuto in piorum & eruditorum hominum manus libentissime deveniant. Vident enim quanti momenti sit patrocinium nomenque illius, cujus auctoritate in cælitum album ii, qui in terris vitæ sanctimonia floruerunt, referuntur; qui martyribus, & confessoribus cultum vindicat & asserit; qui eorum gesta, & acta, aut publice legi, aut si minime probata sint, & dubiæ fidei, inter apocrypha amandat, & in Ecclesiis recitari vetat. Neque ignorant, quanta olim cura fuerit Clementi, Antero, Fabiano, *ac tot aliis decessoribus Tuis in gestis sanctorum martyrum colligendis, creandis designandisque notariis ad ea describenda; quanta præterea diligentia caverint, ne a scelestorum manibus corrumperentur, adeo ut nihil antiquius apud eos fuisse videatur. Quid? quod fecundissima illa, quæ in veteribus tabulis collecta est martyrum seges, Romæ nata est, Romæ fruges innumerabiles peperit, in quibus prisci illi Apostolicæ Sedis Præsules, qui per annos ferme tercentos catholicæ Ecclesiæ præfuerunt, supra cæteros eminent & excellunt, quique martyrio fere omnes absumpti, Ecclesiasticis fastis immortale nomen dederunt. His potissimum de caussis factum esse putamus, ut plerique docti viri, qui Martyrologia & Acta sanctorum antehac vulgarunt, aut commentariis ornarunt, ea Romani Pontificis insignita & consecrata nomine esse voluerint. Verum cui hæc? Ei nimirum, qui a prima propemodum adolescentia ad hanc usque diem in id studium quam maxime incubuit, ut quæ ad martyrum, sanctorumque virorum cultum, ac eorum qui sanctorum numero, more majo-*

rum

rum Apostolicæ Sedis auctoritate sint accensendi, pertinent, luculentissimis & immortalitate dignis voluminibus, uberrime doctissimeque illustraret: qui de hoc ipso, quem recudimus, auctore Martyrologii Adone Archiepiscopo Viennensi plene disceptavit: qui non est nescius, hunc Adonem, quo nemo uberius ex Actis sanctorum, elogia concinnavit, novis curis alias ab Heriberto Rosweido Societatis Jesu Theologo recensitum, ab extremis usque Belgarum finibus, nuncupatoria ad PAULUM V. PONT. MAX. *præfixa Epistola, Romam convolasse. Vides igitur,* BEATISSIME PATER, *quibus exemplis commonear, & quantæ me rationes impellant, ut Adonis Martyrologium una cum* Appendice *nonnullorum veterum Hagiologorum meis curis (qualcscumque illæ sint) recognitum & illustratum, sanctissimo nomini Tuo dicatum consecratumque esse cupiam. Piaculi præterea genus mihi videretur, si id ultro præterirem, qui Romæ positus, qui ex omnium celeberrima Sanctitatis Tuæ Vaticana Bibliotheca ea omnia, quæ ad Adonem spectant, decerpsi, qui munificentia Tua sacrarum rerum studiis libere & quiete vaco, qui inter familiares tuos, licet immeritus, adnumeror. Addam & illud, Bononiensi urbi, Patriæ Tuæ nos acceptum referre debere, ut Ado primum in lucem prodierit, opera & studio Aloysii Lipomani Episcopi Veronensis, ex illustri Venetorum patriciorum ordine, accepto forte fortuna Adoniani Martyrologii apographo, quod Bononiæ asservabatur. Qua in re mihi quodammodo blandior, homini licet nullius ingenii & nominis, sed in Veneta ditione nato, cui fortunate obtigit, ut post annos prope ducentos, Adonis Martyrologium, quod ex illius exemplari apud Bononienses asservato, luce primum a Lipomano donatum est, idem nunc uberius,* BENEDICTI XIV. PONT. MAX. *natu Bononiensis ex clarissimis illius urbis optimatibus, me curante,*

rante, auspiciis & nomine munitum prodeat. Quidquid igitur in hoc Adonis Martyrologio adornando operis laborisque insumpsi, Tibi, quem supra cæteros, qui in terris sunt, colo, veneror, & admiror, lubens consecro, do, dico, & addico ea mente, ut, si a Sanctitate Tua probetur, Apostolica benedictione Tua fulciatur, qua fiat, ut legentibus utilitatis & commodi esse queat: quam quidem amplissimam benedictionem ego quoque in genua ad pedes beatissimos provolutus, ut mihi impertiaris, flagrantissime expeto, cujus virtute ad cælestem hæreditatem, miserante Domino, merear evocari.

PRÆ-

PRÆFATIO

I.

De Adonis Archiepiscopi Viennensis Martyrologio, de variis illius editionibus, deque novæ hujus editionis consilio, & ratione.



PRODIT iterum, pie & erudite Lector, ADONIS Antistitis VIENNENSIS MARTYROLOGIUM, cura & diligentia, qua potuimus, recognitum & castigatum, una cum aliquot Hagiologorum veterum, qui hactenus delituerant, accessione. Lucem primum vidit *Ado*, ut probe nosti, opera & studio ALOYSII LIPOMANI, patricii Veneti, & præclari Antistitis *Veronensis*, quem jure Heribertus Rosweidus illustre Italiæ decus vocat, in magno Opere de vitis Sanctorum, ob eodem Lipomano summo labore collectis, tom. IV. post pag. 150. editionis Venetæ an. 1554. *ad signum spei*. Ibi in Præfatione ad Lectorem narrat Lipomanus, qui factum sit, ut Adonis Martyrologium in manus suas pervenerit, nimirum *Johannis Antonii Locatelli*, & *Scipionis Fabii*, Bononiensium, & in celeberrimo Bononiensi gymnasio publice magna cum laude interpretum, liberalitate, quorum alter, nempe *Scipio*, apographum Adonianum, quod penes se habebat, *Veronam* usque Lipomano transmisit anno Christi 1553. quod quidem exemplar, ubi Lipomanus præ oculis habuit, exiliit animo, & auro contra habendum esse duxit. Jamdiu enim vel ab ipsa adolescentia celeberrimum, & magni in Ecclesia nominis virum narrantem audiverat, *Bononiæ* se vidisse Martyrologium valde celebre atque completum; legerat etiam apud recentiores quosdam, ex Adonis Martyrologio pleraque transcripta, sed nulla diligentia assequi quidquam potuerat, & jam conciderat animo. Ubi primum igitur Adonianum apographum *a Scipione Fabio* sibi commodatum habuit, statim exscripsit, & tomo IV. vitarum Sanctorum, quas, ut diximus, edendas curabat, anno Christi 1554. adjecit. Sed in eo edendo eam tenuit rationem, ut breviora elogia, utpote ex vulgato S. Hieronymi Martyrologio sumpta, omitteret, & ea tantum ederet, quæ a Hieronymiano vulgato abesse putaret. Hæc ipsemet Lipomanus, qui addit, hunc *Adonem* fuisse Archipræsulem *Trevirensem*, ac *Gregorii VII.* Romani Pontificis tempore floruisse, a quo ad componendas res de Romano Imperio inter *Henricum*, & *Rodulfum*, una cum duobus aliis Apostolicæ Sedis legatis destinatus fuerit.

2. Hæc bona fide sumpta sunt a *Lipomano* ex Platina in vita *Gregorii* VII. quia tunc uberiora non suppetebant; sed postmodum Historia Ecclesiastica ad fidem veterum monumentorum accuratius conscripta, & illustrata, detectum est, A. D. 1077., a *Gregorio* VII. in Germaniam missos fuisse *Bernardum* S. R. E. Diaconum Cardinalem, & alterum *Bernardum* Abbatem *Massiliensem*, Apostolicæ Sedis legatos, quibus inter cætera mandavit, ut iter in Germaniam tutum Pontifici curarent. Hæc patent ex litteris ejusdem Gregorii lib IV. epist. XXIV. ex Hugone Flaviniacensi in actis Gregorii *VII.* num. 78. & *seq.* a Bollandianis illustratis, Junii tom. VI. pag. 183. ex Paulo Benrediensi apud Pagium in Critica ad ann. 1077. num. VII. & ex Mabillonio Annalium Bened. lib. LXV. §. 1. ad ann. 1077. *Bernardus* Massiliensis Abbas in ea legatione captus est, ut ipsemet Gregorius Pontifex testatur lib. V. epist. VII. ad *Udonem* Archiepiscopum *Trevirensem*. Anno vero 1078. post celebratam IV. *Non. Martii* Romanam Synodum duos alios legatos Pontifex in Germaniam misit, ut de loco conventus in ipsa Germania ad pacem conciliandam convenirent, qua de re, præmisso nuncio, agunt Gregorii Epistolæ lib. V. epist. XV. & apud Ugonem Flaviniacensem num. 84. ad proceres, tum Ecclesiasticos, tum Laicos, communionem catholicam cum Romano Ponti-

fice

sice habentes, in quibus monet, se harum litterarum latorem ideo mittere: *ut una cum venerabili fratre nostro Trevirensi Archiepiscopo, qui Henrico favet, & altero, qui utilis & religiosus ad hoc opus sit, Episcopo ex parte Rudolsi, locum, & tempus prædicti conventus statuant, quatinus legati nostri, quos præfati sumus, securius & certius ad vos venire, & quæ omnipotenti placeant, ipso auxiliante, vobiscum valeant perficere*. Ejusdem argumenti litteras eidem *Udoni* Archiepiscopo *Gregorius* scripsit, quæ habentur lib. v. epist. xvi. Eum rogat, ut locum aptum ad conventum celebrandum designet, deinde Romam veniat, una cum alio sequestre, ut quæ spes pacis esse deberet, & an tuto legati mitti possent, ipse cognosceret. At paullo post quam hæc agitari cœperant, *Udo* Archiepiscopus ex hac vita migravit, ut narrat Hugo Flaviniacensis num. 89. his verbis: *Udo igitur Trevirorum Archiepiscopus non multo post beato fine quievit, & sic negotium Apostolicæ legationis intermissum est*. Intelligis ex his igitur, quam oscitanter apud Platinam, ex quo fonte hausit Lipomanus, scriptum sit, in eadem Romana Synodo, qua *Gregorius* Pontifex Gibertum Ravennatem Antistitem ab Ecclesiæ illius administratione summoverat, tres delegisse legatos, scilicet *Bernardum* Diaconum Cardinalem, *Bernardum* alterum Massiliensem Abbatem, & *Odonem* Trevirensem Archiepiscopum, *qui de latere Sedis Apostolicæ ad componendas res inter Henricum & Rodulfum proficiscerentur*. Nunquam *Udo*, seu *Odo*, Apostolicæ Sedis legatus creatus est, nec Roma discessit, quia Romæ moras non trahebat, sed in Germania tunc erat. Hæc de *Udone Trevirensi*, qui nunquam monachus, sed nobilissimæ stirpis vir, Everardo comite, & Ida parentibus ortus, Conradi Trevirensis Antistitis loco A. D. 1066. electus est, qui nunquam Martyrologium scripsit, & nunquam Apostolicæ Sedis legatus fuit. Nunc ad Adonis editiones revertamur.

3. Post Adonianam Lipomani editionem subsecuta est alia, per Jacobum Mosandrum Carthusiani ordinis apud Coloniam Agrippinam insignem alumnum, *Coloniæ Agrippinæ* primum an. 1581. deinde an. 1586. in appendice ad Surium tom. VII. excusa. In Præfatione narrat Mosander, se Adonis Martyrologium ex *quatuor* pervetustis MSS. codicibus sibi invicem consentientibus exarasse; sed quum quartus a monacho ordinis S. Benedicti conscriptus fuerit, aliquot sanctorum nomina in eo fuisse, quæ a tribus cæteris aberant, quamobrem doctorum virorum consilio usum, asterisco * sanctos illos prænotasse. De *Adone* insuper *Trevirensi* nonnulla cursim adnotat, quem *Odonem* a Platina, *Othonem* a Nauclero, & *Udonem* a Carolo Sigonio vocari monet. Et Lipomano adstipulatur, quod scilicet *Gregorii VII.* Pontificatu floruerit, legatione apud *Henricum*, & *Rodulfum* una cum aliis Apostolicæ Sedis legatis functus fuerit. Addit & illud, se putare, ideo nec Sigebertum, nec Trithemium de eo meminisse, quod Adonis Martyrologium solum apud Carthusianos, & in aliquot aliis tantummodo monasteriis semper latuerit, nec ad eorum manus devenerit. Hujus rei testem Præfationem Lipomani affert, ac quidquid a Lipomano in editione hujus Martyrologii omissum, & suppressum fuit, in lucem se emittere testatur. Huic Præfationi addit Mosander Præfationem Lipomani, prologum Adonis: *Ne putes* &c. usque *salutatus in Christo vale*. Demum monet, in apographis illis, quibus usus est, Martyrologium illud, de quo Adonis prologus, a Romano Pontifice profectum extitisse, sed quia brevissime nomina sanctorum tantum commemorabat, quæ in cæteris Martyrologiis continentur, ideo superfluum judicasse, id edere. Libellum tamen de festivitatibus SS. Apostolorum, Adoniano Martyrologio præfixit. Ibi Adonis Martyrologium initium sumit a *Kalendis Januarii*. Mosandri Præfationem, ei præmissa alia Lipomani, ad calcem nostræ hujus Præfationis damus.

4. Tertia demum, eaque cæteris antehac excusis præstantior habetur editio, quæ præmisso veteri Romano Martyrologio hactenus a Cardinali Baronio desiderato, ex *officina Plantiniana* ad calcem Romani Martyrologii, *Antuerpiæ* ann. 1613. opera, & studio Heriberti Rosvveidi Vltrajectini, Societatis Jesu Theologi prodiit. Rosvveidus primum aperte hujusmodi Martyrologium *Adoni* Archiepiscopo *Viennensi*, exploso *Adone*, seu *Udone Trevirensi*, vindicavit. Tribus codicibus in hac editione paranda, se usum esse testatur Rosvveidus in Præfatione ad lectorem. Primus fuit Ecclesiæ sancti Pantaleonis apud Coloniam, a Carthusianis Coloniensibus sibi commodatus, quo usus est etiam Mosander. Alter Abbatiæ Everbodiensis juxta Siche-

mium

nium. Tertius Petri Scriverii. Optimæ notæ singulos hosce codices fuisse narrat, ceteris tamen præstitisse exemplar Scriverianum, nisi quod mutilum erat ab initio usque ad Martium, ac partim in Junio, Julioque; alii reliqui integri, & Adonem, qualem idem Rosvveidus procudit, præferebant. In solo Everbodiensi litteræ singulis Martyrologii diebus præfixæ erant; in quo etiam hic titulus legebatur: *Ado Viennensis Archiepiscopus, quasi epilogatum compilavit, incipiens a festivitatibus Apostolorum, aut successorum eorum*. Ex his verbis censuit Rosvveidus, genuinum Martyrologii auctorem fuisse *Adonem*, Antistitem *Viennensem*, exploso *Adone* alio, seu *Udone Trevirensi*; sed hac de re mox. Idem Rosvveidus initio Præfationis tradit, a Mosandro ordinem mutatum fuisse, & quædam aliena manu inserta, Adoni ab eo adscripta, paucula dempta, nonnulla demum ab eo minime fuisse percepta; idcirco, se Adonem rursus recensere, & pristino nitori restituere, & veteri Martyrologio Romano, sicut ipse olim fecit, subnectere. Libellum *de festivitatibus Apostolorum* ipsi Adoni adjudicat, quod inter cætera libelli hujus auctoritatem tueatur ipsemet Ado ad diem II. Julii in suo Martyrologio, ubi de SS. Processo & Martiniano hæc habet: *Quorum passio in libello Apostolorum supra notata est*; quæ verba, inquit Rosvveidus, in vulgato Adone desiderantur, uti & nonnulla alia. Id factum judicat, quod hunc libellum Mosander passim locis suis inseruerit, iis summotis, quæ brevicule tantum de iisdem sanctis erant adnotata. Demum ad Præfationis calcem admonet, initium Adonianæ suæ editionis sumi non a *Kalendis Januarii*, ut hactenus editi libri præferebant, sed a *vigilia nativitatis Domini*, quod constanter tria MSS. exemplaria, quibus usus est, ita habebant. In fine vero Martyrologii, quæ Mosander, quæ ipse in Adonis Appendicem, sanctorum nomina rejecerit, trium MSS. codicum indicio, quæ ab Adone resecanda esse, brevi præmissa admonitione adnotavit. Hæc Rosvveidinæ editionis ratio, & methodus. Ea iterum excusa fuit *Parisiis* an. 1645. *in folio*, & demum in Bibliotheca Patrum Lugdunensi an. 1677. tom. XVI. pag. 823. *& seqq.*

5. His præmissis, quo consilio ad novam hanc editionem accesserim, quibus præsidiis usus fuerim, quidve præstiterim, nunc operæ pretium est, tibi lector, breviter enarrare. Quum ante annos hos fere septemdecim rebus Liturgicis vacarem, & ad eas, si quo modo possem, illustrandas, Bibliothecæ Vaticanæ codices identidem evolverem, incidi in tres optimæ notæ codices, qui olim Bibliothecæ Christinæ Suecorum Reginæ fuerunt, ab *Alexandro* VIII. post ipsius Reginæ obitum Vaticanæ Bibliothecæ una cum plurimis aliis rarioribus codicibus addictos, quorum alter nunc signatus num. 511. ex specimine characteris, sæculo Christi XI. scriptus esse mihi visus est: reliqui duo vero, signati n. 512. & 514. sæculo XII. exarati fuisse, visi sunt. Initio codicis 511. hæc præfixa erant: *Incipit præfatio sequentis operis, quo genere vel cultu martyres honorandi sunt. Ex libro beati Augustini Episcopi Doctoris Ecclesiæ mirabilis. Populus Christianus &c.* usque, *non servitute. Explicit Præfatio*. Statim sequitur: *Incipit Martyrologium per anni circulum*. VIII. *Kal. Jan. In Bethleem Judæ, nativitas Salvatoris Domini nostri Jesu Christi &c.* Codex 512. incipit a verbis memoratæ Præfationis usque ad verbum *servitute*, inde sequitur: VIII. *Kal. Jan.* &c. ut in codice 511. Codex demum 514. exorditur prout codex 511. & Martyrologii initium est ab VIII. *Kal. Januarii*. In his itaque tribus codicibus nullum auctoris nomen visitur, nullus Adonis prologus, nimirum: *Ne putes* &c; non Martyrologium Romanum vetus a Rosvveido editum, neque libellus de festivitatibus Apostolorum, sed quod seorsim in eo libello habetur, suis quidque diebus in codicibus nostris legitur: nullæ litteræ singulis mensium diebus appositæ, neque initio cujuslibet mensis, lemma illud: *Litaniæ indicendæ, & mensis habet dies .. Luna vero ..* sed mensis cujusque nomen tantum adnotatur. Ad oram codicis 514. hæc manu Pauli Petavii Senatoris Parisiensis scripta erant: *Adoni tribuunt hoc Martyrologium Trevirensi Archiepiscopo. Divi Gregorii septimi ætate faciunt. Editum est tom.* VII. *Surii pag.* 286. *Prodiit & an.* 1613. *cum Martyrologio Romano, curante Heriberto Rosvveido, qui Adoni Viennensi illud adscripsit. Joannes Molanus cum Usuardi Martyrologio hanc Præfationem edidit pag.* 4. *& in multis libris MSS. Bedæ adscribi testatur*. Hæc ibi Petavius. Jam satis constat, Petavianam Bibliothecam optimis codicibus e vastatione monasteriorum in Gallia per Calvinianos sæculo Christi XVI., ab eodem Paulo Petavio coemptis, in-

ſtructam fuiſſe; Petavianam deinde codicum ſupellectilem a Chriſtina Suecorum Regina conquiſitam, ac Romam adductam, demum in Bibliothecam Vaticanam *Alexandri* VIII. Pont. Max. munificentia fuiſſe translatam. Tum igitur mihi in mentem venit memoratos codices cum editione Roſvveidi conferre, quod ſedulo præſtiti, ac innumeris in locis variantes lectiones deprehendi, multa in editis eſſe vidi, quæ in codicibus deſiderantur, plurima vero eſſe, quæ ab Adone Roſvveidi, aut abſunt, ſeu a Moſandro, aut a Roſvveido in Appendicem detruſa ſunt. Idne jure factum ab his eſſet, inveſtigare cœpi, atque inter adverſaria, & ſchedas meas multa tum adnotavi. Vidimus inſuper codicem Vaticanum 377. in quo aliud Adoniani Martyrologii exemplar continetur, ſed quum ex ſpecimine characteris ſcriptus ſit ſæculo Chriſti XIII., eum prætereundum duximus. Initio manu recentiori hæc adſcripta codici ſunt: *Martyrologium beati Jeronimi Conventus Cartuſien. prope Bononiam*. Sequitur in textu: *In nomine Domini. Incipit Epiſtola Chromatii, & Eliodori ad Jeronimum presbyterum de natalitiis ſanctorum. Domino ſancto fratri Jeronimo presbytero Chromatius & Eliodorus Epiſcopi in Domino ſalutem. Cum religioſiſſimus &c.* uſque, *exhiberi*. Deinde ſequitur: *Reſcriptio Jeronimi. Chromatio, & Eliodoro Epiſcopis. Jeronimus presbyter. Conſtat &c.* uſque *ſufficiat libellus adſcriptas*. Deſunt autem extrema verba: *Sane in prima parte libelli, omnium beatorum Apoſtolorum feſta conſcripſimus, ut dies varii non videantur dividere, quos una dignitas Apoſtolatus in cæleſti gloria fecit eſſe ſublimes*. Poſt Hieronymi epiſtolam hæc ibi leguntur: *Item epiſtola Adonis Trevirenſis Epiſcopi. Ado peccator lectori ſalutem. Ne putes me &c.* uſque *ſalutatus in Chriſto, vale*. Statim ſequitur Martyrologium, & incipit a Kalendis Januarii, hoc pacto: *Menſis Januarius habet dies* XXXI. *Luna* XXX.

„ Kal. Januar. Octava Domini, & circumciſio ejus. Romæ, natalis ſancti Alma-
„ chii martyris, qui, jubente Alippio Urbis præfecto, cum diceret: hodie octavæ
„ Dominici diei ſunt: Ceſſate a ſuperſtitionibus idolorum, & ſacrificiis pollutis &c.

Martyrologium hujuſmodi deſinit in diem XXXI. *Decembris*; ex quibus vides inter vetuſtiores Adoniani Martyrologii codices non eſſe referendum, quum, ut ex Roſvveido etiam audivimus, vetuſtiora exemplaria anni initium a *Kalendis Januarii* non ſumant. De commenticiis *Chromatii* & *Eliodori* epiſtolis ad *Hieronymum*, & de *Hieronymi* ad eos epiſtolam item ſpuria, nihil dico, quum eas erudite exploſerit Baronius in Præfatione ad Martyrologium Romanum cap. V. & VII. ac noſtræ ætatis eruditorum ſententia, illarum patrocinium perperam ſuſceperit Franciſcus Maria Florentinius in Admonitionibus præviis ad vetuſtius Martyrologium, ut inter alios nuper in poſthuma editione Hiſtoriæ litterariæ Aquilejenſis v. c. Juſti Fontanini Archiepiſcopi Ancyrani lib. III. cap. IV. §. VII. *& ſeq.* animadvertitur. Commenticiæ autem illæ epiſtolæ præmitti ſolent apographis quibuſdam Bedæ, Uſuardi, & aliorum Hagiographorum. De brevi illa ad lectorem admonitione *Adoni Trevirenſi* in codice memorato Vat. 377. tributa, inferius redibit ſermo. Ad noſtros codices Adonianos ex pluteis Reginæ Suecorum redeamus, in quibus nullum *Adonis* nomen apparet, quemadmodum & in pluribus aliis hujus Martyrologii exemplaribus, quæ vidit Mabillonius manu exaratis non comparebat, ut idem Mabillonius teſtatur, ſæcul. IV. Bened. P. II. p. 272. n. 27. & hanc procul dubio cauſam eſſe cenſet, quod epiſtola nomen Adonis præferens, non initio ipſius Martyrologii, ſed veteris (ut Roſvveidus cenſuit) Romani, quo uſus eſt Ado in ſuo condendo, & quod in pleriſque codicibus MSS. deſideratur, præfixa ſit; ob idque ab Adoniani Martyrologii deſcriptoribus omiſſa fuerit. Verum, inquit Mabillonius, ejus auctor ſe ipſe prodit in pleriſque Martyrologii ſui locis; nimirum ubi agit de translatione S. Auguſtini V. *Kal. Septembr.* quam *nuper* factam ſcribit, tum ad XVIII. *Kal. Octobr.* ubi *translationis S. Cypriani* ex *Africa in Gallias* meminit; quod enim additur de translatione *Compendium* facta per *Carolum Calvum*, ea deeſt in codice Adoniano Sangermanenſi, prout deeſt in noſtris apographis.

6. Dum autem codicem 511. optimæ notæ evolverem, vidi eum mutilum eſſe a *Nonis Februarii* uſque ad VIII. *Kal. Maji*; ſed quum apud Jo. Mabillonium & in ſæculis, & in annalibus Benedictinis ſæpius de veterrimo Adonis apographo in Bibliotheca monachorum S. Mauri Sangermanenſi legiſſem, ac genuinum Adonis fœtum cenſeret, per amicos egi, ut variæ lectiones deſcriberentur, quod ſumma eorum monachorum humanitate factum fuit, ideo Sangermanenſem codicem, quem, & aliis anni die-

bus

bus apographo nostro num. 511. simillimum esse deprehendimus, inter varias per eos dies, qui *a Nonis Februarii* ad VIII. *Kal. Maj.* intercedunt, lectiones protulimus.

7. Subinde alia Martyrologia breviora, & Kalendaria in eadem Bibliotheca Vaticana, & alicubi etiam nactus sum, quæ una cum Adonis nova editione ad prædictorum codicum fidem recognita, vulganda e re esse judicavi. De his infra sigillatim dicemus.

8. Cur hucusque editionem distulerim, non est opus iis palam facere, qui Typographorum Italiæ indolem noscunt. Sed age porro, inquies, genuinumne Adonis Martyrologium nobis venditare putas? Nolim vero, tantæ me temeritatis accuses, perinde ac si ausim Adonem sincerum, ex autographo veluti expressum, luce donare. Cavendum est enim in hujusmodi rebus, ne quid temere dicas, quum libri Liturgici, Martyrologia, & alia id genus, quæ publice in Ecclesiis leguntur, accessionibus, & immutationibus sint passim obnoxia. Id alias sæpe a viris eruditis est admonitum, ac majorum, nostraque ætate sæpe contingere videmus; quare Adonem quidem ad fidem vetustiorum codicum emendatum & recognitum tibi exhibemus, sed illud idem, quod Ado scripsit, se in lucem emittere siquis profiteatur, in audacis potius, quam prudentis hominis opinionem veniet. Exemplo nobis est, quod de apographo Sangermanensi, vir si quis alius in veteribus codicibus agnoscendis peritissimus, censuit primum Jo. Mabillonius, qui toties apographum illud, tanquam germanum Adonis foetum laudavit, fassus est tamen in Commentario historico ad vitam Adonis sæculo IV. Bened. P. II. pag. 266. n. 29. nonnulla in eo esse, quæ a recentioribus addita sunt, ut commemoratio *sancti Majoli*, V. *Idus Maji*, & XVII. *Kal. Septembr. in Verziaco monasterio exceptio corporis sancti Ragnoberti Bajocensis Episcopi*, & alia pauca. De apographo Sangermanensi quoque Jacobus Bovvillartius monachus sancti Mauri in Observatione ad Usuardum Pratensem die XVIS. *Februarii* nos monet, se sincerum illum codicem, quem tum præ oculis habebat, minime putare, sed post decimum sæculum scriptum fuisse, indicio esse, *S. Maioli Abbatis* commemorationem, prima manu ibi signatam V. *Idus Mart.* (lege *Maji*) quum *Majolus* obierit an. 994. Quamobrem, subdit, Theodericus Ruinartius, qui in prima Actorum editione pag. 203. sincerum vocaverat illum codicem, in secunda sententiam mutavit, ubi, codicis mentione omissa, vulgatum Adonem pag. 205. laudavit. Idem ergo judicium ferendum est de apographo nostro num. 511. in quo & V. *Idus Maji* commemoratio *S. Majoli* adnotatur, quamquam desit in codicibus 512. 514., & XVII. *Kal. Septemb.* de exceptione corporis *S. Ragnoberti* in eodem codice agatur. Cæterum Mabillonius loco memorato in ea opinione est, ut in Sangermanensi codice pleraque genuina sint, quæ a Mosandro & Rosvveido in Appendicem sunt rejecta, & ea quæ de *Autisiodoro*, & *S. Germani* monasterio habentur, ab Adone ipso scripta esse existimat, quoniam in pluribus ejus Martyrologii, quæ viderat, exemplaribus, tum integris, tum contractis, eadem omnino legerentur. Idem sentiendum esse scribit de omnibus fere nominibus, quæ Mosander & Rosvveidus in Appendicem detruserunt. Quod vero, inquit, alia atque alia in variis codicibus desint, inde natum putat, quod quum Martyrologium Adonianum in variis Ecclesiis legeretur, alii illud contrahebant, alii sanctos quosdam provinciæ, aut Ecclesiæ suæ ignotos resecabant. Accedit & illud, quod Ado ipse sæpius Martyrologium suum auxit, quare factum est, ut qui primævum exemplar transcripsere, non tot nomina sanctorum præferant, quot secundis curis ornata exemplaria habent. In rei exemplum affert, desiderari nimirum in Adone Rosvveidi V. *Kal. Octobr.* SS. *Florentini & Hilarii* natalem, qui tamen a Petro de Natalibus lib. VIII. cap. CXXIV. ex Adonis Martyrologio referuntur. Hæc Mabillonius. At acerbe nimis Adonianum apographum Sangermanense passim traducere videtur Jo. Baptista Sollerius in Notationibus ad Usuardi Martyrologium, & præsertim in Præfatione ad eundem Usuardum cap. II. art. II. pag. XXXX. num. 152. *& seq.* ubi Mabillonii argumentis de codice Sangermanensi confutatis, pure Adonianum eum non esse contendit; & palmam Rosvveido tribuendam esse judicat, licet non omnino integram, & omnibus numeris absolutam ejus editionem existimet, ut ab ea aliquando ipsemet Sollerius non recedat, tum maxime, cum *Usuardus* & *Notkerus* inter se consentiant. Statuit enim pro canone, ut cum *Usuardus* & *Notkerus* aliquem sanctum commemorant eadem sententia, eademque phrasi, quæ ex Beda accepta non sit, tum haud difficulter se induci, ut Adoni tribuatur;

 nam

nam tam Usuardus, quam Notkerus, veluti Adonis filii, eum passim, aut contrahunt, aut describunt. *Interim*, subdit num. 155. *nec Mabillonii, nec cujuscumque auctoritate movebimur, ut quæ Adoniana non sunt, sub Adonis nomine venditari patiamur. Exemplo iterum* Florentinus, & Hilarius, *quos* XXVII. *Septembris Martyrologio Viennensi obtrudere conatur laudatus Mabilio ex Petro de Natalibus lib.* VIII. *cap.* CXXIV. *Non est mehercule satis idoneus Equilinus Episcopus, ut ferat testimonium pro Adonis germana simplicitate, quam nos ex tam variis exemplaribus stabiliendam suscipimus, a quibus omnibus absunt citati duo martyres, quos aliunde acceptos in suum Martyrologium retulit Usuardus, ut est in nostra Observatione, jam dicta die* XXVII. *Septembris. Jam me longa experientia docuit, non a solo Petro aliisque pluribus, sed & ab Eminentissimo Cardinali Baronio nonnumquam perperam citari Adonis Martyrologium.* Hic veluti districto gladio jugulari videmur. *Florentinus, & Hilarius*, quia a Mosandro cum asterisco designantur, & a Rosvveido in Appendicem rejiciuntur, & ab exemplaribus, quæ vidit Sollerius, absunt, licet eos commemoret Usuardus, licet codex Sangermanensis, & tres nostri codices, ac demum Petrus de Natalibus eos recenseant, Adoniani tamen non sunt. Acerba nimis, & aculeata hæc sententia nobis videtur, quam æqui rerum censores expendent. Petrus de Natalibus centum circiter & octogintaduo sanctorum elogia in suo catalogo ex Adonis Martyrologio sumpta refert, quæ partim in Adone Rosvveidi, partim in nostris apographis leguntur. Itaque Adoniana erunt, quæ in Adone Rosvveidi tantummodo habentur, & non erunt Adoniana, quæ Adonis esse Petrus Equilinus testatur, licet in codicibus ante annos septingentos scriptis habeantur? Iterum me ad Sollerii canonem recipio, atque ab eo percontor, quid futurum sit de *Simeone sene*, qui a vulgato Adone colitur die VIII. *Octobris*, ac item ea die ab Usuardo genuino, sed a codicibus nostris, & a Notkero omittitur, mirante Sollerio de Notkero; quid, quæso, ad hunc locum, si Sollerii canoni parendum tibi sit, proferes? Expungendusne est ab Adone, quia silet Notkerus? Quoties alia hujusmodi, si sedulo inquiras, offendes? Vides igitur, quam periculosum sit, si Sollerii canonibus parere velimus, Adonis Martyrologium ex fonte suo deductum in lucem proferre. Animo tamen non concidimus, quia Sollerii canones neminem anathemate percellere putamus. Cæterum ejusdem Sollerii inter Bollandianos socios, clarissimi nominis viri doctrinam, eruditionem, judicium, ac diligentiam summopere facio, meque illum mihi, veluti ductorem, & magistrum in hac editione Adonis curanda proposuisse, ultro fateor, quippe qui viderim, quam accuratissime in Usuardi editione ornanda omne studium & operam collocarit, quantoque eruditionis penu illum illustraverit, ne dicam de iis, quæ in Actis sanctorum Bollandianis elaboraverit. Si quando ab ejus opinione deflectere coactus sum, invitus id quidem feci, sed nixus sum codicibus nostris, quorum auctoritate fieri puto, ut exemplaria hujusmodi ante oculos idemmet Usuardus habuerit, quum eisdem verbis pleraque elogia ab eo afferantur, prout in eisdem apographis. Quanti vero fecerimus Rosvveidi editionem facile intelliges, quum videris ad illius fidem nos omnia expressisse, nihil e textu detraxisse, sed ad scrupulum usque retinuisse omnia, & quæ ex apographis nostris delibavimus, in varias lectiones transtulisse. Adnotationes singulis diebus subjecimus, quas jamdudum inter schedas relatas, sensim pro virili adauximus. Brevitati studuimus, ne libri moles excresceret, & molestiam potius, si longiores essemus, quam fructum gigneremus. In his libros Liturgicos sæpius in partes vocavi, quia eorum auctoritas apud me quantivis pretii est, nam martyres, sanctique viri, quum publice ac inter solemnia sacrorum coluntur, potioris juris esse mihi videntur, quam qui hujusmodi cultu carent, & in tabulis Martyrologicis memorantur tantum, iis præsertim, quæ nulla Ecclesia auctoritate probatæ sunt. De Martyrologiis vero, & Kalendariis, quæ Adonianæ nostræ editioni subjicimus, mox dicemus.

9. Hæc de nostræ hujus editionis consilio, & ratione. At rursus ad Adonem revocanda oratio est, de quo licet nunc nulla subsit dubitatio, quin Antistes *Viennensis* fuerit, idemque Martyrologii auctor, non ita tamen visum fuit, ubi primum in lucem prodiit Lipomani cura, ac jamdiu post; nam *Adoni*, seu *Udoni* alteri, Archiepiscopo *Trevirensi*, qui duobus post *Adonem* sæculis vixit, adscriptum fuit. Lipomanus, ut jam diximus, apographum Adoniani Martyrologii, in quo Præfatiuncula Adonis: *Ne putes &c.* cui præfixus erat hic titulus: *Epistola Adonis Archiepiscopi Trevirensis*,

renfis, nactus, ex *Trevirenfis* Ecclesiæ designatione, censuit Martyrologii auctorem *Ado-*
nem, vero tamen nomine *Udonem* Antistitem *Trevirensem*. Bona fide ita censuit Li-
pomanus, falsa inscriptione deceptus, qua quidem comparet apographum Vatic. 377.
ut supra monuimus. Ibi certe epistola illa *Adonis Trevirensis Episcopi* titulum præ-
fert. Non multo etiam post Lipomani ætatem Johannes Molanus in Præfatione de
Martyrologiis cap. VI. ubi de Adonis Martyrologio agit, *Trevirensem* Archiepiscopum
eum facit, quemque a Platina *Odonem*, a Nauclero *Othonem* nuncupari scribit; ac
miratur, cur a Sigeberto, & a Trithemio in catalogo virorum illustrium prætermitta-
tur, cum Germanus fuerit, & a Petro de Natalibus, & in additionibus ad Usuardum cite-
tur. Alia subdit ex Lipomano de viri hujus sanctitate & doctrina; demum memorat co-
dicem Martyrologii Adoniani Coloniensem, quem nusquam excusum fuisse tradit. Idem
Molanus initio editionis Martyrologii Usuardi, quod edidit an. 1568. 1573. & 1583.
præfixit prologum *Adonis Archiepiscopi Trevirensis*, qui incipit: *Ne putes* &c. His
succinit Mosander in sua Præfatione. Vide quantas tenebras falsi tituli inscriptio
in rebus historicis possit offundere. Quid ergo post hæc Baronius, & alii? Cespitavit
quidem aliquantisper eminentissimus vir in Præfatione ad Martyrologium Romanum
cap. IX. dum aliorum fidem secutus, claruisse *Adonem* temporibus *Gregorii* VII. scri-
psit, & ibi eum, *Trevirensem*, non *Viennensem* Episcopum vocat, quanquam in
editione Plantiniana Martyrologii Romani an. 1613. *Viennensis*, non *Trevirensis*, prout
editiones aliæ præferunt, legatur. Insuper re melius detecta, in Annalibus ad an. 878.
num. XXXV. *Adoni Viennensi* Martyrologium vindicavit, ubi hæc de eo protulit: *Ex-*
stat ex ejus lucubrationibus insigne monumentum illud, quo res gestas SS. Marty-
rologio cæteris fusius est prosequutus: inscribitur Martyrologium Adonis. Nec est
quod illum carpant, propterea quia in Notationibus ad diem XVI. *Decembris*, qua die
S. *Ado Viennensis* Antistes colitur, de Adone agi a Beda scripserit. Secutus est enim
vulgatum Bedæ tum Martyrologium, quod multa sanctorum accessione fuerat locuple-
tatum. Cæterum & Possevinus in Apparatu, verbo *Martyrologium*, ubi Martyrologra-
phos memorat, *Adonem*, *Trevirensem Episcopum* vocat, & apud Bellarminum in
libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, secundis etiam curis recognito, tanti fuit Aloysii
Lipomani auctoritas, qui primus ex MSS. codicibus Adonem edidit, ut licet Baronii
testimonium, ac editionem Rosvveidi inspexisset, a sententia tamen non discesserit, ubi
de *Adone Trevirensi* agit, cui Martyrologium adscribit, & *Adoni Viennensi* abjudicat.
Post Baronium Rosvveidus inter primos signum sustulit, & *Adonem*, *Viennensem* Ar-
chiepiscopum, non *Trevirensem*, auctorem libelli de festivitatibus Apostolorum, & Mar-
tyrologii esse statuit, ex fide codicis cœnobii Everbodiensis, ubi *Adoni Viennensi*
Archiepiscopo adscribitur. Optassent alii, ut præter hujus codicis testimonium alia
apertiora Rosvveidus tradidisset; nam hujusmodi inscriptio, neque Bellarminum a
sententia dimovere potuit, neque Christophorum Brovverum, ejusque socium in
Annalibus Trevirensibus condendis Jacobum Masenium, licet Societatis Jesu omnes
claros viros, in prima eorundem Annalium editione, etsi in postrema ancipites hæ-
serint, ut habes in memoratis Annalibus lib. XII. num. XLVII. ad an. 1076. Rosvvei-
dum pene ad verbum imitatus est Aubertus Miræus in Auctario de Scriptoribus Eccle-
siasticis cap. CCLXXII. Jejune nimis, ut fatetur etiam Sollerius in Præfatione ad Usuar-
dum pag. XXXIX. *de Martyrologio Adonis* locutus est Jo. Bollandus in Præfatione ge-
nerali præfixa tom. I. Januarii §. VIII. pag. LII. *Adoni* tamen *Viennensi* illud tri-
buit. Apertius Sammarthani fratres in prima Galliæ Christianæ editione an. 1656. in
Viennensibus num. 50. ubi inter Adonis lucubrationes Martyrologium recensent, ac
errasse ajunt Lipomanum, & cum eo plerosque alios, illius Martyrologii auctorem perpe-
ram *Adonem* Trevirensem Archiprænsulem, qui nullus fuit, statuentes. *Adoni* quo-
que *Viennensi* vindicat Martyrologium Labbeus in supplemento, & in dissertatione Hi-
storica de Scriptoribus Ecclesiasticis, quos attigit Robertus Cardinalis Bellarminus,
editis *Parisiis* an. 1660., & Daniel Papebrochius, & Godefridus Henschenius in Præ-
fatione ad Bedæ Martyrologium, præfixa tom. II. Martii pag. VII. num. 14. quibus
adde Cointium in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad an. 708. num. XXI. XXII. tom. IV.
pag. 471. 472. Sed omnium industriam ac diligentiam superavit Jo. Mabillonius, tum
sæculo IV. Benedictino P. II. in Commentario prævio pag. 266. *& seq.* tum in An-
nalibus Benedictinis. Ex eo aliqua, quæ ad rem nostram pertinent, sunt delibanda.

In

In Senonensi pago ex nobilibus parentibus natus Ado, ut primus omnium ex Lupo Ferrariensi epist. CXXII. detexit Mabillonius sæculo IV. Bened. P. II. pag. 266. num. 7. & in Annalibus lib. XXXII. §. XLIX. ad an. 841., ac puer monasterio *Ferrariensi*, vulgo *Ferrieres*, in diœcesi Senonensi oblatus, *Sigulfo* loci Abbate, ubi postquam adolevit a *Morcvvardo* Abbate ad Prumiense monasterium missus est, forte, quemadmodum conjicit Mabillonius, ut ibi litteras doceret, aut Germanicam linguam disceret. Prumiæ quum aliquandiu substitisset, invidorum petitus est insidiis, quibus vitandis Romam iter instituit ad Apostolorum Principis Basilicam orationis gratia visendam. Quinquennio Romæ commoratus, Ravennam divertit, ubi libellum quemdam nactus a religioso viro sibi commodatum, ex eo multa transcripsit ad sanctorum martyrum agones describendos. Libellus iste, ut conjicit Mabillonius, est vetus Martyrologium a Rosvveido editum, de quo ipse Ado in prologo. Itaque arbitratur Mabillonius, Ravennæ primum ab Adone Martyrologium saltem inchoatum fuisse, quod postea perfecerit & quidem c. A. D. 850. Id autem, ad tempus quod attinet, ex pervetusto S. Galli codice elicitur, ubi Martyrologium Adonis conditum *temporibus Chlodovvici Italici Imperatoris, ac Chlodovvici Germaniæ Regis insignis* dicitur. Eadem ferme de Adonis Martyrologio, & de Romano veteri animadvertit idem Mabillonius in Præfatione II. in sæculum IV. Bened. cap. VI. §. CLXXIV. In commentario autem prævio, sæculo IV. P. II. pag. 278. num. 28. illud etiam præmonet, diu in Burgundia moratum esse Adonem; quia totus esse maxime videtur in adnotandis rebus, quæ ad urbem *Antissiodorum*, & monasterium S. *Germani* pertinent; quapropter aliquando se conjecisse, fuisse eum illius monasterii alumnum.

10. Ad hæc, ut apertius, *Adonem Viennensem*, Martyrologii auctorem esse ostendat, ex Martyrologio Notkeri Balbuli ad X. *Kal. Junii* admonet, rationem ibi a Notkero reddi, cur *Desiderius* Episcopus *Viennensis* ab Adone omissus fuerit. Notkeri verba hæc sunt: *De quo* (Desiderio) *venerabilis* PATER ADO *ejusdem Ecclesiæ nostra ætate Pontifex, utpote in præsentia posito, & ob id suis in cunctis notissimo, aliquid speciale dicere, superfluum existimavit. Nos juxta scriptam, quod idem Apostolicus vir anno ab incarnatione Domini* DCCCLXX. *Indictione tertia, per virum sanctissimum Beroldum presbyterum indigenam eorundem locorum, sed nunc in castro Turcio Christi servitiis insistentem, cum reliquiis ipsius sancti martyris Desiderii, & aliorum sanctorum pignoribus, atque agonibus, nobis in cœnobio beati Galli constitutis direxit, pauca de eo summatim attingentes earundem rerum ignaris insinuare curavimus.* Est insuper alius ejusdem Notkeri locus, in quo de Adonis Martyrologio aperte mentio fit; nam ad diem VII. *Julii*, ubi de *Nicostrato*, *Claudio*, & sociis agit, hæc habet: *Quorum natalem sexta die Iduum Novembris eatenus nos celebrasse credidimus, donec venerabilis* PATER ADO *alios & alios pro eis nobis honorandos insinuaret*. Ex his Notkeri locis, manifestissimum est, *Adonem* Antistitem *Viennensem* Martyrologii auctorem esse. Adde Anonymum Mellicensem, qui sæculo XII. floruit, a Bernardo Pezio an. 1716. luce donato, qui in libello de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XL. de *Adone* hæc refert: *Ado Archiepiscopus Viennensis scribit inter alia Martyrologium de sanctis*. Tot igitur veterum, ac recentiorum testimoniis suffulti, *Adoni Viennensi* Martyrologium vindicamus, & *Udoni Trevirensi* abjudicamus. Neque vero hac in re a Mabillonio dissensit Sollerius in Præfatione ad Usuardum cap III. art. 2. pag. XXXIX. n. 146. *& seq.* ubi fuse de Adonis Martyrologio agit, & ultro fatetur, Martirologium hujusmodi exaratum esse, antequam Ado Viennensi sedi præficeretur, quod contigit c. A. D. 859. Ultro etiam fatetur Sollerius initio Præfationis capite III. num. 147. Usuardum pedissequum fidum Adonis fuisse, uberi testimonio his concepto & repetito verbis: *Usuardus*, inquit, *Adonem*, *quem Flori librum secundum appellavit*, *ita in omnibus secutus est, ut verum dici possit Adonis compendium*. Deinde n. 158. felicissime in eo versatum fuisse Usuardum, ut Adonis Martyrologium contraheret, & expoliret, licet verum auctoris nomen ignorarit. Mox num. 159. Bollando, & aliis succenset, qui Usuardum Adoni præposuerunt, ac ipsum Mabillonium subtimidum vocat, dum scripsit: *Ad Usuardi auctoritatem prope accedere Adonis Martyrologium*;
„ ubi dicendum erat, *ait Sollerius*, non plus Usuardo auctoritatis inesse, quam ex
„ Adone transumpserit: non plus rivulo, quam fonti, non plus nato, quam genitori.
Rursus num. 160. *& seq.* ostendit, ex ipsa Usuardi Præfatione, ubi ex *Flori libro secundo*

cundo se decerpsisse monet Usuardus, *Adonem* designare voluisse, adversus Casteliani opinationes: licet enim absurdum videatur, ut Usuardus Adonem *Flori* nomine indigitaret, quum adhuc superstes esset Ado, nihilominus per illa Usuardi verba: *Quos tamen* (idest Hieronymi & Bedæ Martyrologia) *sequutus, censui & Flori memorabilis, latiora jam in eo ipso negotio sequi vestigia, præsertim in secundo ejus libro. Ibi enim multa, quæ in priore omiserat, & correxit & addidit*, vere Adonis, non Flori, Martyrologium designari contendit. Qui autem ita factum sit, quum Ado in fronte prologi nomen suum prodat, verosimile esse respondet, missum fuisse Lugduno ad Usuardum Viennensis Antistitis exemplar acephalum, quod scilicet Præfatione, & veteri Romano Martyrologio careret, eoque usum esse Usuardum, & auctoris nomen ignorasse: quum vero deprehendisset Flori Martyrologium in multis cum Adone convenire, Adonis Martyrologium acephalum, *Flori librum secundum* appellavit; ita ex conjectura Sollerius, qui & addit, si hæ conjecturæ minime placeant, indubitatum sibi esse tamen, purum putum Adonis opus fuisse, quod Usuardus *secundum Flori librum*, aut proprio, aut alieno errore captus nuncupavit. Hujusmodi conjecturas laudat auctor Præfationis Martyrologii Usuardini, ad fidem Pratensis codicis, editi *Parisiis* an. 1718. pag. XIV. At de *Adone* jam satis; ad alia nunc Hagiologia, quæ in nostra hac collectione continentur, properemus.

II.

DE MARTYROLOGIO FULDENSI.

11. Primum post Adonem locum damus veteri Martyrologio, quod *Fuldense* nobis appellare placuit, de cujus pretio & auctoritate breviter nunc agemus. Illius apographum nacti sumus in Bibliotheca olim Reginæ Suecorum, & nunc Vaticanæ addicta, signaturque num. 441. Ex specimine characteris, & aliis conjecturis codex scriptus videtur sæculo Christi decimo. Nullius auctoris nomen præfert, sed ex his, quæ habet interdum, Fuldensi monasterio usui olim fuisse, prorsus intelligitur. Epitome quædam Adonis, & Usuardi appellari potest, nam passim sanctorum elogia, ab iis accepta, contracte exhibet. Vidit hunc codicem Godefridus Henschenius, eumque laudat Præfatione in Martyrologium Bedæ, Martii tom. II. pag. VII. num. 14. ac censet, Rabani Martyrologium apud Fuldenses usu receptum non fuisse, sed alio longe breviori, ex Adone potissimum contracto usos esse, cujus ecgraphum ex Reginæ Christinæ codice se accepisse monet. Age nunc, quibus argumentis probas, Martyrologium hujusmodi ad *Fuldenses* pertinere? Id in primis eruitur ex elogio *S. Bonifacii Moguntini*, *Nonis Junii*, ubi de translatione SS. *Eobani* Episcopi, & *Adalarii* presbyteri A. D. 819. in novam Fuldensem *S. Salvatoris Basilicam*, qua de re nos in Notationibus ad Adonem die v. *Junii*. *Ex octava* ejusdem S. *Bonifacii* ibidem, ad prid. *Id. Jan.* Ex elogio S. *Liobæ*, IV. *Kal. Octobris*, ubi etiam de illius translatione per *Rabanum* Abbatem, quæ facta est die XXVIII. *Octobris*, A. D. 819. de qua Brovverus antiquitatum Fuldensium lib. II. cap. IV. pag. 117 & lib. III. pag. 248. seu ab *Eigil* Abbate Fuldensi, permissu *Heistalfi* Archiepiscopi Moguntini, ut ex Roduiso Mabillonius Annal. Bened. lib. XXVIII. §. XCIV. Ex *dedicatione Ecclesiæ* in monasterio *Fuldensi*, & *S. Bonifacii translatione*, *Kalendis Novembris*, de qua pluribus Mabillonius loco memorato. Denique *ex ordinatione S. Bonifacii*, *Kal. Decembr.* Alia insuper ad oram alicubi habet, quæ monasterii Fuldensis singularia esse agnoscuntur, scilicet ad v. *Id. Junii* hæc litteris majoribus adnotantur: *Obiit Huoggi Abba*. Est autem *Huoggus*, seu *Huoggerus*, *Hukus*, seu *Hugo*, & *Herigerus* Abbas Fuldensis, qui præfuisse dicitur ab an. 891. ad 920. ut narrat Schannatus in Hierarchia Fuldensi, & nuperi Galliæ Christianæ editores tom. V. pag. 604. & *seq.* in Fuldensibus num. IX. Sed in excerptis ex Necrologio Fuldensi apud Leibnitium Scriptor. rer. Brunsuicensium tom. I. pag. 763. obitus *Huoggi Abbatis presbyteri & monachi* ad an. 915. statuitur. Ad oram quoque ad XIII. *Kal. Julii* adnotatur nigro theta *Hemmo*, de quo nihil mihi innotuit, nisi sit *Hemmo*, de quo traditiones Fuldenses apud Schannatum num. CCLXXII. CCLXXXVI. & CCCVIII. ubi legitur *Hemmo monachus* harum traditionum A. D. 815. scriptor. Ad oram demum VII. *Kal. Julii* signatur

tur obitus *Holfrab*, de quo nihil invenimus. At VI. *Kal.* easdem designatur emortualis dies *Sunzonis* Episcopi. Est autem *Sunzo*, seu *Sunderoldus*, qui & *Sinderoldus* Antistes *Moguntinus*, in prælio contra Normannos una cum *Arnolfo comite*, VI. *Kal. Julii* an. 891. occisus. Ita ad annum, ac diem mortis quod attinet, plerique Chronographi veteres, de quibus Pagius ad an. 891. num. III., Mabillonius Annal. Bened. lib. XXXIX. §. LIII., & novissima Galliæ Christianæ editio in Moguntinis tom. V. num. IX. pag. 451. Forte in Ecclesia Moguntina alia dies cultui ejus designata fuit; nam in Necrologio Ecclesiæ Moguntinæ apud Schannatum in Vindemiis litterariis legitur ad IV. *Kal. Jul. Sanctus Sunderoldus Archiepiscopus, & martyr.* Ex his necrologicis notulis percipimus, quantæ antiquitatis Martyrologium istiusmodi sit; nam si *Huoggi Abbatis* emortualis dies annum Christi 920. non excedit, & necrologicæ notæ, quæ ad oram codicum fiunt, posteaquam iidem codices jam conscripti sunt, exarari solent, non immerito conjicere videmur, si initio sæculi Christi decimi codicem nostrum scriptum fuisse existimavimus. Idcirco principem locum inter Hagiologia, quæ Adoni subjicimus, ei dedimus, atque Adoni e vestigio illud conjunximus, quum pleraque ex Adone sumere soleat, Henschenio ipso jampridem fatente.

III.

DE MARTYROLOGIO OTTOBONIANO.

12. Pone Martyrologium Fuldense perbreve aliud Martyrologium adjicimus, quod inter codices Ottobonianos, alias Altempsianos, primum Sirletanos, offendimus; ideo Ottobonianum inscripsimus. Cæterum ad Hieronymianorum classem pertinere, nobis visum est. De Hieronymianis contractis, eorumque præstantia, plura Sollerius in Præfatione ad Usuardum cap. I. art. I. §. II. num. 25. & *seq.* & in Præfatione alia Martyrologiis hujusmodi præfixa, Junii tom. VII. Eum igitur hac de re consule. Codex noster membranceus est, atque ex characterum forma sæculo Christi decimo exaratus esse videtur; verum tot mendis, barbarismis, solœcismis, aliisque orthographiæ vitiis, librarii culpa ita scatet, ut Augiæ stabulum facilius, quam apographum hujusmodi a labe perpugare mihi videatur. Ex his solœcis tamen barbaries temporum, quo codex scriptus est, agnoscitur. Sæculo Christi decimo maxime hoc vitio laboratum est, ut viri in medii ævi monumentis volutandis periti sciunt. In tanta autem nominum, & locorum perturbatione pleraque sanctorum nomina ad veram germanamque lectionem redigere, quavis adhibita diligentia, me non potuisse fateor. Quamobrem quæ librariorum mendo exarata sunt nomina, quæ sanari non potuerunt, aut si emendare conatus sum, ex conjectura feci, ac fortasse vulnus vulneri inflixi, ea sic accipias velim, ut nullum inde sibi jus quispiam arroget, neque aliter sentiat, nisi quod in rebus hujusmodi statuit sancta Romana Ecclesia. Fieri enim potest, quod sæpe alias, ut nomen urbis pro nomine alicujus sancti viri in hoc Martyrologio sumatur. Nunquam porro divinare potui, ad quam in Italia, seu extra Italiæ fines Ecclesiam Martyrologium memoratum pertinuerit. Acutiores harum rerum periti facili negotio id assequentur.

IV.

DE MARTYROLOGIO LAURESHAMENSI.

13. Inter vetera Hagiologia, quæ luce donanda censuimus, tertio loco venit Kalendarium in codice veterrimo Bibliothecæ Palatino - Vaticanæ num. 485. ubi pleraque Liturgica, a me jamdudum descripta. *Laureshamense* appello, quia nonnulla ibi sunt, quæ monasterii *Laureshamensis* propria, & peculiaria perspiciuntur. Atque ut obiter aliquid indigitem, ad III. *Non. Martii*, *Chrodegangi* Episcopi *Metensis* obitus in ipsius Kalendarii textum infert. Ad V. *Idus Julii* habet: *Adventus sancti Nazarii in Lauresham.* Et *Kalendis Septembris*, *dedicationem Ecclesiæ sancti Nazarii* recolit. De his in Adnotatiunculis nostris suo loco nonnulla diximus. Quod vero ad Kalen-

Kalendarii hujus ætatem pertinet, tum ex specimine characteris, tum ex his, quæ de obitu *Ludovici junioris*, Germaniæ regis litteris majoribus, ad XIII. *Kal. Feb.* & de bello, seu prælio inter *Carolum calvum* & *Ludovicum* regem, ad VIII. *Id. Octobr.* adnotavit, sub sæculi 12. finem, scriptum fuisse judicavi. Adnotatiunculis quibusdam memoratum Kalendarium adspersimus, ubi præsertim agit de nonnullis sanctis, qui in aliis Martyrologiis, aut vix occurrunt, aut aliis diebus coluntur. Si quæras autem quomodo factum sit, ut codex hujusmodi, qui Laureshamensis monasterii olim fuit, in Vaticanam Bibliothecam devenerit, non est opus enarrare, quum eruditis id obvium sit. De monasterii Laureshamensis excidio, quod accidit hæresi in Germania sæculo XVI. furente, vide novissimam Galliæ Christianæ editionem tom. V. pag. 708. ubi de Abbatibus Laureshamensibus. Anno siquidem 1555. ut ibi narratur, *Fridericus* comes Palatinus Rheni e Lutherano Calvinista monasterii *Laureshamensis* bona occupavit, res sanctas diripuit, & alia cimelia abstulit. Demum Bibliotheca Palatina, profligato jam comite Palatino, & *Heidelberga* capta, dono *Maximiliani* Bavariæ Ducis, Romam A. D. 1622. ad *Gregorium* XV. *Rom. Pont.* missa fuit. Inter codices Palatinos occurrit etiam aliud Kalendarium Psalterio præfixum in codice 39., quod ad nostri hujus 485. normam quodammodo accedit, sed præterquamquod mutilum est mense *Januario*, & *Februario*, longe recens est; nam codex ille scriptus mihi videtur sæculo XIII. & multa ibi sunt, quæ antiquitatem minime sapere putavimus; quare illud omisimus.

V.

DE KALENDARIO VATICANO.

14. Quod quarto post Adonem loco monumentum edimus, KALENDARIUM VATICANUM inscripsimus, propterea quia ex codice Vaticano num. 3806. sumptum est. Præfigitur autem hujusmodi Kalendarium Gregoriano Sacramentario, quod ab Angelo Roccha, Romæ inter S. Gregorii Opera, an. 1593. editum fuit. Ad usum monasterii alicujus provinciæ Moguntinæ, & ex Fuldensi monasterio prognati, fuisse videtur hujusmodi Kalendarium, quod die V. *Junii* natalem S. *Bonifacii* Episcopi, & martyris *in cœnobio Fuldensi* designet; ad diem XXVIII. *Septembris* depositionem S. *Liobæ in territorio Fuldensi*; *Kalendis Novembris* dedicationem basilicæ S. *Bonifacii in cœnobio Fuldensi*; *Kalendis Decembris* ejusdem S. *Bonifacii* consecrationem in Episcopum; denique die XVII. Decembris obitum *Sturmii* Abbatis *Fuldensis*. De his vide quæ superiori capite diximus, ubi de Kalendario Laureshamensi. De codicis hujus ætate nonnulla præmonuimus tom. II. de Liturgia Romani Pontificis Dissert. II. §. VI. ubi sæculi XI. initio scriptum fuisse pronunciavimus, ex Missa in *natali Papæ* ad calcem, ubi *Silvester* Papa nominatur, qui alius nobis visus non est, nisi *Silvester* hujus nominis II. Accedit, quod ad IV. *Kal. Octobris* in nostro Kalendario colitur S. *Wenceslaus* martyr, qui licet martyrio affectus fuisse dicatur A. D. 925., illius cultus tamen nonnisi aliquot post annis, idest c. an. 951. propagari per Germaniam, aliasque septentrionis regiones cœpit, ut adnotat Bailletus ad diem XXVIII. *Septembris*. Die quoque XXIII. *Octobris*, seu X. *Kal. Novembris* agit de S. *Venantio* Abbate, cujus cultum *Parisiis* designat. *Venantii* Abbatis *Turonensis* reliquiæ *Parisios* delatæ fuere a monachis Pratensibus, prope jam labente sæculo Christi decimo, ut narrat Mabillonius Annal. Bened. lib. XLIII. §. VIII Vide Adnotationes nostras in Adonem die XI. *Octobris*. Illud prætereundum non ducimus, in hocce Kalendario ad XVI. *Kal. Jan.* seu XVII. *Decembris*, emortualem diem *Sturmi Abbatis*, & quidem litteris majoribus adnotari. Est autem S. *Sturmius* primus *Fuldensis* Abbas, qui in cælum migravit XVI. *Kal. Januar.* A. D. 779. de cujus obitu, & Actis Mabillonius sæculo III. Bened. P. II. pag. 267. & Annal. Bened. lib. XXIV. §. XCI. & Sammarthani in nova Galliæ Christianæ editione tom. V. pag. 604. *Egil* Abbas *Fuldensis*, *Sturmii* discipulus, res illius gestas litteris mandavit, atque beneficiorum memor, ejusdem *Sturmii*, & Fuldensium fratrum defunctorum, solemnem commemorationem quotannis statuit, XVI. *Kal. Januarii*, quo *Sturmius* decessit, quam diem in actione Missarum, & Psalmorum precibus celebrem esse jussit, ut memorato loco tradit Mabillonius, qui lib. XXVII. §. LXXXIII. ad an. 811. supplicem libellum Fuldensium monachorum Carolo M. Imp. porrectum exhibet,

exhibet, de ratione Psalmodiæ persolvendæ apud Fuldenses, ac ioter cætera de annua *Sturmii* commemoratione: *Pro* STURMIO *quoque Abbate*, ait libellus, *& fundatoribus monasterii istius, in anniversaria obitus die, unam vigiliam, & unum psalterium per singulos annos*. Relatus est in Sanctorum numerum *Sturmius* A.D. 1139. in Concilio Lateranensi *ab Innocentio* II. qua de re decretales litteras eodem anno XIII. *Kal. Majas* idem Pontifex Abbati Fuldensi, & monachis dedit, quas edidit Christophorus Brovverus Antiquit. Fulden. lib. III. cap. IX. pag. 197.

15. Singulis mensibus præfigit nomina mensium apud Ebræos, Græcos, Francos, & Anglosaxones, sed corrupte oimis, fortasse ob inscitiam, aut oscitantiam; quare horum mensium nomina hic subjicienda duximus, ut quivis Kalendarii hujus descriptoris labes emendare possit. Ebræorum post captivitatem menses hi sunt: *Martius*, Nisan. *Aprilis*, Johar, *seu* Jar. *Majus*, Sivan. *Junius*, Tamuz. *Julius*, Ab. *Augustus*, Elul. *September*, Tisri. *October*, Marchesvan. *November*, Kasleu. *December*, Thebet. *Januarius*, Schebar. *Februarius*, Adar. Ægyptiorum, & Græcorum menses a Novembri incipiunt. Itaque *November* apud Ægyptios *Athyr*, apud Græcos *Dios* dicitur. *December*, apud Ægyptios *Chojac*, *& Tybt*, apud Græcos *Apellæos*. *Januarius* apud Ægyptios *Tybi*, *& Mechir*, Græcorum *Audinæos*. *Februarius* apud Ægyptios *Methir*, *& Phamenoth*, apud Græcos *Peritios*. *Martius* apud Ægyptios *Phamenoth*, *& Fhermut*, Græcorum *Dystros*. *Aprilis* apud Ægyptios *Pharmuti*, *& Phacon*, Græcorum *Xanthicos*. *Majus* apud Ægyptios *Phacon*, Græcorum *Artemisios*. *Junius* apud Ægyptios *Epiphi*, Græcorum *Dæsios*. *Julius* apud Ægyptios *Mesori*, Græcorum *Paaemos*. *Augustus* apud Ægyptios, *Thoth*, Græcorum *Loos*. *September* apud Ægyptios *Paophi*, Græcorum *Gorpiæos*. *October* apud Ægyptios, *Athur*, aliis *Paosi*, Græcorum usque ad XXIV. Octobris *Tporbtrettos*. In Kalendario Ptolemei Silvii initio *Januarii* hi menses prænotantur: *Apud Hebræos*, Seuit; *apud Æpyptios*, Tibi; *apud Athenienses* Pusidicon; *apud Græcos alios* Edinen. Sequuntur eorundem mensium nnmina initio aliorum mensium. Post *Ægyptios*, & *Græcos* menses Kalendarium nostrum addit menses veterum Francorum, & Germanorum. Nomina Latinis mensibus vernacula Francorum lingua imposuit Carolus M. qua de re Eginhardus io vita, & prout legitur in codice vetustissimo Bibliothecæ Cæsareæ tom. II. pag. 264. ita habet: *Mensibus etiam juxta propriam linguam vocabula imposuit, cum ante id tempus apud Francos, partim Latinis, partim barbaris nominibus pronuntiarentur*. Mox de horum mensium nnmioibus hæc subjicit: *Et de mensibus quidem*, Januarium, *Wintarmonoth*, Februarium, *Hornug*, Martium, *Lentzinmanoth*, Aprilem, *Ostarmanoth*, Majum, *Winemanoth*, Junium, *Brachimanoth*, Julium, *Hevvinmanoth*, Augustum, *Aranmanoth*, Septembrem, *Witumanoth*, Octobrem, *Windumemanoth*, Novembrem, *Herbistimanoth*, Decembrem, *Heilagmanoth vocavit*. Lambecius in notis ad hunc locum de vera antiqua pronuntiatione, ac genuina etymologia, & interpretatione horum nominum se acturum pollicetur in notis ad novam vitæ Caroli M. ab Eginhardo conscriptam editionem, quam ex vetustissimo codice Bibliothecæ Cæsareæ, & aliis ejusdem Bibliothecæ codicibus parabat. Agunt autem ante Lambeciuoi de horum mensium nominibus Goldastus tom. II. Scriptorum Alemannicorum P. I. pag. 65. ex Rabani Mauri glossis Latino-barbaricis, & Spelmannus in Glossario, verbo *Monath*. Vide etiam Eginhardum in vita Caroli M. ex editione Sminkenii pag. 114.

16. Accedunt in nostro Kalendario menses Anglosaxonum. Hi menses ex Beda de temporum ratione cap. XIII. Oper. tom. II. pag. 81. ita nominabantur. Januarius, *Giuli*, seu *Geola*, *Gulli*, & *Æftera* dicebatur. Februarius, *Solmonath*. Martius, *Rhedmonath*. Aprilis, *Eosturmonath*. Majus, *Trimilchi*. Junius, *Lida*. Julius, *Lida æftera*, sive *posterior*. *Lida* embolisious, unde annus intercalaris dictus *Trilidi*. Augustus, *Weidmonath*, seu *Veodmonath*. September, *Halegmonath*, sive *Haligemonath*. October, *Winterfyllith*, sive *Winterfulleth*. November, *Blothmonat*. December, *Giuli*, *Geola*, *Gulli*. Anglosaxones auoum incipiebant ab octavo Kalendarum Januariarum, hoc est a natali Domini. Menses Lunares habebant, quare Lunam, *monam*, & mensem, *manath* vocabant, ut ex Bedæ loco, qui in editis desideratur, Paulus Colomesius in Paralipomenis de Scriptoribus Ecclesiasticis animadvertit. In hæc ferme nomina conveniunt Anglosaxonum menses apud Georgium Hickesium in Grammatica Anglosaxonica & Mœso-

& Mœso-Gothica pag. 215. Confer Kalendarium, sive Menologium Anglosaxonis poetæ, quod cum Latina versione, & notis edidit idem Hickesius pag. 203. De Germanorum, & Anglosaxonum mensibus plura collegit Jo. Albertus Fabricius in Menologio, seu libello de mensibus, edito *Hamburgi* an. 1713. Vide ibi pag. 136. *& seq.*

VI.

DE KALENDARIO PALATINO - VATICANO.

17. Inter codices Palatinos num. 499. initio Gregoriani Sacramentarii, sæculi circiter XII. Kalendarium invenimus, in quo præter sanctorum nomina singulis diebus, identidem emortuales dies adnotati sunt. Luce dignum nobis visum est, quia & *Kalendarium* simul & *Necrologium* est. *Necrologia*, ut admonet Mabillonius Analect. tom. III. pag. 485., *diptychorum* exemplo, apud monachos obtinuere. Liber mortuorum a nobis vulgo dicitur, in quo ex veteri monachorum, & Ecclesiarum institutione, adscripta erant nomina fratrum, benefactorum, & eorum, qui ex condicto in societatem adscripti fuerant. Hi nominatim, quo quisque mensis die obierat, recitabantur post Martyrologii lectionem ad *Primam*. Hæc autem Necrologia, aliquando *liber vitæ* vocabantur, ita hujusmodi locutionis genus in testamento *Bertichramni* Cenomanorum Episcopi interpretatur Mabillonius Annal. Benedict. lib. VI. §. LXIX. ad ann. 577. lib. XII. §. II. lib. XVII. §. XLI. & ibid. in Appendice monumentorum num. XXX. & lib. XXXV. §. LII. ubi de societatibus monasticis, & de ritu *Necrologii*, seu *libri vitæ* inter divina officia legendi. Obvia sunt in medii ævi monumentis hujuscemodi Necrologia; & Kalendarium, in quo nomina benefactorum scripta sunt, cum iis quæ Ecclesiæ contulerant, memorat Chronicum Virdunense apud Labbeum Bibliothecæ novæ MSS. tom. I. pag. 172. Visum est autem mihi, notulas quasdam huic Kalendario subjicere ad ea nomina, de quibus aliquid mihi innotuit. Quæ vero linea subducta, & alio charectere in nominibus sanctorum signavimus, ea litteris rubeis in Kalendario exarata erant, ex quo conjecimus festos singulorum mensium dies hoc pacto designari. Notandum & illud, singulis diebus de sancto aliquo, aut celebritate aliqua agi, nullumque diem vacuum esse, quod in Kalendariis aliis etiam recentioribus raro occurrit. Et hoc Kalendarium Laureshamensium monachorum, aut Fuldensium, seu provinciæ Moguntinæ proprium fuisse videtur, ex *S. Bonifacii*, & *S. Nazarii* festis diebus; ex *adventu S. Nazarii Laureshami*, & ex *dedicatione Ecclesiæ* ejusdem *S. Nazarii*, ibi prænotatis.

VII.

DE KALENDARIO CISTERCIENSI.

18. Aliud Kalendarium ad calcem sacrorum librorum in Bibliotheca Ottoboniana invenimus, quod ex specimine characteris & aliis in ipso monumentis, sæculo Christi XIII. scriptum fuisse judicavimus. Ad Cisterciensium Ordinis ritum pertinere, ubi illud primum legimus, intelleximus; nam ad III. *Idus Januarii* adnotatur: *Commemoratio Episcoporum, & Abbatum defunctorum Ordinis nostri*, quæ ea die a Cisterciensibus agi solebat, ut ex his, quæ ibi raptim monuimus, facile perspicies. Accedunt & alia, quæ in Adnotatiunculis, quas identidem ibi fecimus, manifesto suadeant, Kalendarium hujusmodi Cisterciensium monachorum proprium esse. Majores, & minores celebritates ita distinguit, ut in majoribus & solemnioribus XII. *lectiones* statuantur, in minoribus vero *commemoratio* tantum designetur. Vetustissimus apud monachos, præsertim Casinates, mos fuit ut diebus solemnibus XII. *lectiones* ad vigilias nocturnas legerent, *octo* tantum in aliis, æstate vero in feriis *tres*, nimirum feria II. IV. & VI., aliis vero tribus diebus, *unam*. Hæc intelliges ex epistola *Theodemari* Abbatis Casinensis ad *Carolum* M. c. A. D. 787. scripta, ex Ordine divini officii, ante ann. 900. exarato, apud Mabillonium Analect. tom. IV. pag. 454. *& seq.*, quem in Annal. Bened. lib. XXII. §. XXXV. ad Casinensium ritum spectasse censet. Vide autem de lectionibus in divinis officiis apud monachos, Mar-

tenium in regulam S. Benedicti cap. VIII. pag. 258. cap. x. pag. 275. & de antiquis monachorum ritibus lib. III. cap. XVIII. ubi tradit, Cistercienses Benedictinæ regulæ adeo tenacius inhæsisse, ut æstivo tempore, nullum trium lectionum festum peragant, quam in rem Cardinalem Bonam de divina Psalmodia cap. XVIII. §. 4. adducit. Ibi vero Bona inter cætera hæc habet: *Festa quæ non sunt* XII. *lectionum sola commemoratione in primis Vesperis & Laudibus celebramus. Festa ipsa* XII. *lectionum in tres classes dividimus; Solemniora dicuntur Sermonis, quod Abbas ea die Sermonem ad monachos habeat. Alia sunt duarum Missarum, quod duæ Missæ conventuales de illis cantentur, una post Primam, altera post Tertiam. Alia unius Missæ, quod unica de illis Missa canatur*. De divinis officiis per annum apud Cistercienses plura liber usus Ordinis Cisterciensis, ac de lectionum legendarum ritu ibidem cap. LXVIII. De eisdem ritibus vetus disciplina monastica, ante paucos annos Parisiis an. 1726. a monacho S. Blasii in sylva nigra vulgata P. II. cap. I. pag. 283. *& seq.* ubi de Cluniacensium, & Cisterciensium in divinis officiis ritu. Hæc prænotare maluimus, ut videas, Kalendarium, de quo sermo est, Cisterciensium ritus designare. Passim præterea viri sancti, qui in Galliis coluntur, ibi recensentur, quod forte ab initio a Cisterciensium monasteriis in Galliis conditis, usurpatum fuit. Quod ad ætatem denique hujus Kalendarii pertinet, posteriori manu die XIII. *Junii*, S. *Antonii*, die V. *Augusti*, S. *Dominici*, & die IV. *Octobris*, S. *Francisci* celebritates additæ sunt. Deest autem S. *Robertus* ex Abbate Molismensi Cisterciensium institutor, quem *Honorius* III. litteris Apostolicis ad Molismenses monachos A. D. 1222. datis, ritu solemni ab eisdem Molismensibus coli permisit. De eo Martyrologia, & Hagiographi ad diem XXIX. *Aprilis*. Non abs re porro fuisse existimavimus, si in collectione nostra Kalendario huic etiam locus daretur.

VIII.

DE KALENDARIO MEDIOLANENSI I.

19. Licet Kalendaria duo Mediolanensia, quæ in lucem proferimus, vetustatis laude non excellant, digna tamen nobis visa sunt, quæ typis mandarentur, quod suam quoque Ambrosiani ritus studiosis opem afferre possint. Hæc autem Kalendaria ante hos annos octo, quum Tarvisium divertissem, vidi apud Antonium Scotum piæ memoriæ Canonicum Tarvisinum, quocum frequentissime versabar, cum ob singularem viri probitatem & animi candorem, tum ob summum ejus in patriis antiquitatibus colligendis & illustrandis studium laboremque assiduum. Exaratum erat ad initium Breviarii membranacei, minoris formæ, & ibi hæc prænotata erant. *Incipit Kalendarium secundum morem sancti Ambrosii Episcopi Mediol.* Post Ambrosianum Kalendarium sequebatur statim Kalendarium aliud ad usum alicujus Ecclesiæ, quæ alium ab Ambrosiano ritum servabat; de quo Kalendario nonnulla inferius. Ad calcem vero ejusdem Breviarii hæc legebantur: *Istud Breviarium est presbyteri Dionysii de Castello, in sancto Johanne ad concham, Mediolani, portæ Romanæ intus beneficiati, manu sua propria scriptum* MCCCCLXIV. *& finitum die Sabbati* XIX. *mensis Januarii* 1465. Habes hic nomen illius Scriptoris, ac tempus, quo utrumque Kalendarium exaratum fuit. Kalendaria Mediolanensis Ecclesiæ varia variis temporibus, ut fieri solet, subinde fuerunt, novisque incrementis identidem locupletata. Confer Indiculum, seu Lectionarium vetustissimum ad usum illius Ecclesiæ, sæculo Christi VIII. scriptum, & a nobis tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 227. recusum, cum aliis Kalendariis, quæ posterioribus sæculis condita sunt, & quantum inter se discrepent, facile colliges. Mabillonius, prout narrat Musei Italici tom. I. P. II. in Observationibus de ritu Ambrosiano num. XV. pag. 107. vidit in Ambrosiana Bibliotheca inter antiquiores codices *Antiphonarium de universis festivitatibus anni circuli Mediolanensis Ecclesiæ*. Ex eo delibavit celebritates per annum in Ecclesia Mediolanensi, quæ sunt S. *Martini*, Idibus Nov. S. *Antonini*, XIV. Kal. Decembr. *Romani sacerdotis & martyris*, X. Kal. easdem. *Translationis S. Cæciliæ*. Die sequenti: *Natalis S. Clementis*. Prid. Kal. Dec. *S. Andreæ*, *& baptismus S. Ambrosii*: qua die

vetu-

vetustissimum Kalendarium seu Martyrologium Gellonense habet : *Mediolano, Ambrosii Episcopi, & confessoris*. Die VII. Dec. *Ordinatio S. Ambrosii*; postea *S. Zenonis, S. Syri, S. Thomæ*. Festa *Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Johannis, SS. Innocentum*. Die XXIX. *Natale S. Jacobi Apostoli*, postea *S. Silvestri*. Mense Januario: *Vigilia, & Epiphania Domini*. Festa *SS. Sebastiani, Agnetis, Vincentii, Babilæ, & trium parvulorum*. Prid. Kal. *sancti Julii*. Mense Februario, Kalendis ejusdem, *S. Severi*, deinde *Purificatio, S. Agathæ, Cathedra sancti Petri*. Mense Martio. *S. Gregorii, S. Benedicti, S. Mariæ*. Aprili, *S. Georgii*. Majo, *Philippi & Jacobi, inventio S. Crucis, passio S. Victoris ad ulmum* die VIII., die XXV. *depositio S. Dionysii*; die XXVI. *Sisinnii, Marii, & Alexandri*. Junio die XV. *Viti mart.* die XIX. *Protasii, & Gervasii*; die XXII. *Juliani mar.* postea *S. Jo. Baptistæ, SS. Petri & Pauli*. Die III. Julii, *translatio S. Thomæ Apostoli*. Alia die, sed nulla diei designatione: *Natale S. Margaritæ*. Die XII. *Naboris, & Felicis*. Sequuntur *S. Marcellina, S. Apollinaris, S. Jacobus Apostolus, Christophorus, & Christina*, demum die XXVIII. *Nazarius, & Celsus*. Augusti, die I. natalis *Machabæorum, & Eusebii*. Aliis diebus *Sixtus, Donatus, Carpophorus, Laurentius, Hippolytus, & Cassianus*. Die XV. *translatio Sisinnii & Alexandri*; *depositio S. Simpliciani*; *festivitas beatæ Mariæ*. Subsequentibus diebus *Mammes, & Agapitus*. Die XXII. *Bartholomæus*, XXV. *Genesius*, XXVI. *Alexander*, XXVIII. *Augustinus*, & XXIX. *decollatio Johannis Baptistæ*. Septembri, die VII. *Dedicatio S. Michaelis sub Domo*, die VIII. *Nativitas S. Mariæ*, XIV. *Cornelius, & Cyprianus, & Exaltatio S. Crucis*. Aliis subinde diebus: *Nicomedes, Euphemia, Satyrus, Eustorgius, Matthæus, Mauricius, Domninus mart. & dedicatio majoris Mediolanensis Ecclesiæ*. Mense Octobris recensentur *Lucas, Cosmas, & Damianus, Simeon Judas*. Novembri, *festivitas omnium Sanctorum*. Conveniunt hæc in multis cum Kalendario nostro, sed nostrum longe auctiora habet. Multo plura sanctorum nomina, seu festivitates per annum apud Beroldum, qui ordinem & cæremonias Ecclesiæ Ambrosianæ Mediolanensis c. A. D. 1130. scripsit, quem nuper cl. Muratorius tom. IV. antiquitatum Italiæ medii ævi pag. 861. vulgavit. Vide ibi pag. 922. *& seq.* Paullo vero inferius, nimirum pag. 931. idem Muratorius sanctionem *Francisci Pizzolpassi*, seu *Picciolpassi*, patria Bononiensis, Archiepiscopi Mediolanensis, A. D. 1440. die XXX. *Januarii* de horis canonicis, seu officio, & Kalendario Ambrosiano pro civitate & diœcesi Mediolanensi editam, publici juris fecit. In eisdem litteris statuit, quod quum antea, prout idem Archiepiscopus intellexerat, in Ecclesiis civitatis, & diœcesis Mediolanensis in horis canonicis, tam publice, quam privatim recitandis mira esset varietas, propter dissimilia Kalendaria, idcirco decrevisse, ac statuisse, ut in singulis Ecclesiis civitatis, & diœcesis Mediolanensis, ab omnibus officia divina decantentur, seu privatim dicantur, prout adnotatur : *in Kalendario* (verba constitutionis) *quod de novo, & publice poni, & ordinari fecimus in Ecclesia nostra cathedrali. Cujus exemplum cæteri omnes tam de civitate, quam de diœcesi, & de provincia nostra Mediolanensi, quoad illos, ad quos spectat, recipiant & habeant saltem infra duos menses post publicationem præsentium*. Mox vero : *Nec quispiam audeat hunc nostrum ordinem, aut stilum dicti Kalendarii aliquo pacto transgredi, vel etiam immutare*. Quæ quum ita sint, errare minime putamus siquis dixerit, Kalendarium nostrum Ambrosianum, quod scriptum fuit an. XXV. post novam Kalendarii Ambrosiani emendationem, illud idem esse, quod *Francisci Picciolpassi Archiepiscopi* jussu emendatum fuit. Illud sane fateor, in Ambrosianis Kalendariis, prout & in aliis Ecclesiis, immutationes crebras identidem consecutas esse; in multis tamen a Kalendario nostro non discrepat Kalendarium Ambrosiani Missalis, *Mediolani* ann. 1515. editi. Longe dispar est Kalendarium in Missali, & Breviario Ambrosiano per *S. Carolum Borromæum* an. 1582. restitutis, ac in alio *Alphonsi Card. Littæ* Archiepiscopi Mediolanensis an. 1679. vulgato. Qui vero de celebritatibus sanctorum juxta ritum Kalendarii Ambrosiani plura cupit, præter Bollandianos, & alios hagiographos, consulat, ad Mediolanenses Antistites in cælitum numerum adscriptos quod attinet, Danielem Papebrochium in Exegesi Mediolanensium Archiepiscoporum, Maji tom. VII. præmissa. Illud obiter monemus, die VII. *Januarii* in Kalendario *S. Christophorum* recoli. Cur hæc dies, & XXV. *Julii* eidem *Christophoro* martyri, Mediolani sacra sit, te docebit Jo. Antonius Castillionæus in Mediolanensibus antiquitatibus ex

urbis

urbis parœciis collectis P. I. fasciculo IX. Alia etiam celebritas adnotatur die XXI. *Februarii*, his verbis: *S. Ambrosii de Victoria*. Missa ea die habetur etiam in Missali Ambrosiano anni 1515. pag. 206. cui hæc præfiguntur: *An.* MCCCXXXIX. die XXI. *Feb. Victoria sancti Ambrosii in Parabiago*. De cruenta ad *Parabiagum* Teutonicorum, qui pro *Leodrixio Vicecomite* stabant, commissa pugna, qua milites, & alii, qui in *Luchini Vicecomitis* fide erant, misere cædebantur, agunt Petrus Azarius in Chronico cap. VIII. inter Scriptores rerum Italicarum tom. XVI. pag. 315. Annales Mediolanenses cap. CIX. ibidem pag. 713. & Bernardinus Corius Histor. Mediolanensis P. III. Narrant autem S. Ambrosii numen per aerem tum præsens visum fuisse, scutica Teutones insequi, ac terrere, & Mediolanensibus auxilium præbere; quo factum est, ut Mediolanenses insignem victoriam consequerentur. Quamobrem *Luchinus* uni Divo Ambrosio tutelari victoriam acceptam retulit, ac ob tanti beneficii memoriam idem *Luchinus*, & Johannes Antistes Mediolanensis, Ecclesiam eo loci, ubi dimicatum est, in honorem ejusdem Ambrosii ædificari jusserunt, cui *Victoria S. Ambrosii* nomen esset; ac diem illum, qui fuit XXI. *Februarii*, celebrem, ac festum esse in posterum esse voluerunt; sacra solemnia ibi quotannis ea die fieri, duodecemviros una cum municipibus eo rite confluere, ac donaria offerre. Hanc autem victoriam memorati scriptores ad an. 1337. figunt. Missale vero Ambrosianum, ut vidimus, ad an. 1339. Utri ergo credendum? Annales Mediolanenses, ubi supra, tradunt initum fuisse prælium *die Dominico* XXI. *Februarii*. Anno 1337. littera Dominicalis fuit E. quare dies XXI. *Februarii* tum incidit in diem *Veneris*. Anno vero 1339. littera Dominicalis fuit C. & dies Dominica XXI. *Februarii*. Si ergo pugna commissa fuit *die Dominico*, ad annum 1339. est referenda. Festi dies, qui in Mediolanensi Ecclesia tum agebantur, litteris rubeis suis quisque diebus designati sunt. Nos vero eos aliu charactere, quem *Italicum* appellant, distinximus. Cæterum nihil moramur de mendis, quibus passim Kalendarium nostrum scatet, ubi *martyris* titulo eos donat, qui *confessores* tantum sunt; & *virgines* ac *martyres* nominat, quæ aut *virgines*, aut *martyres* tantum fuere. Iis purgandis aliorum curæ relinquimus.

IX.

DE KALENDARIO MEDIOLANENSI II.

20. Ambrosiano Kalendario, de quo hactenus, aliud, ut jam diximus, subjicitur, ubi singulis fere diebus sanctorum natales recensentur, sed ab Ambrosiano more, longe diversi. Raro hic sanctorum Episcoporum Mediolanensium nomina. Video autem de sanctis Ordinis Minorum agi, ut de *translatione S. Antonii*, de eodem *Antonio* die XXII. *Junii*, de S. *Bernardino Senensi* die II. *Maji*, de S. *Francisco* die IV. *Octobris*. Oscitanter & in eo sanctorum laureola adnotatur, quemadmodum & in Kalendario Missalis Ambrosiani an. 1515. Hæc de Martyrologiis, & Kalendariis, quæ præter Adonem, nunc edimus. Eorum elenchum, hic tibi subjicimus.

Vetera Martyrologia, & Kalendaria, quæ ad calcem hujus voluminis nunc primum luce donantur.

Aloysii

Aloysii Lipomani, & Jacobi Mosandri in Adonem Præfatio.

ALOYSIUS EPISCOPUS VERONENSIS.

Pio Lectori.

CUm adhuc juvenis essem, eamque ipsam ætatem in inclyta mea civitate Venetiarum agerem, audivi quemdam celeberrimum virum, & magni in Ecclesia Dei nominis referentem, *Bononiæ* vidisse se *Martyrologium* quoddam valde celebre, atque completum, in quo *multæ Sanctorum vitæ* diebus singulis occurrentes, ad integrum essent descriptæ, ex quibus legenti, & multiplex eorum cognitio, & ardens sanctos ipsos imitandi desiderium proveniret. Sed locum non recordabatur, in quo librum hujusmodi vidisset. Postea cum mihi gesta Sanctorum (sic volente Deo) compilandi in mentem venisset, recentiores patres, qui in hoc opere desudaverunt, perlegere volui, quos fere omnes in hanc sententiam convenire animadverti, ut plurima ex *Adonis Martyrologio* desumpta in suas lucubrationes, quod & ingenue (ut Christiana pietas requirit) profitebantur, in calce Historiarum, hæc aut similia verba ponentes: *Hæc Ado in suo Martyrologio*. Evolvi autem Bibliothecas omnes quotquot celebres sunt, si quo modo hunc *Adonis* librum invenire possem, nec tamen uspiam illum repperi. Quare affligebar nimis, & mecum ipse dolebam, quod celeberrimus liber ab omnibus in medium adduceretur, a nemine tamen conspiceretur. Jamque habendi libri animum abjeceram, & illum ultra non requirebam, credens a Deo fieri, ut ad manus meas pervenire non posset. Cum vero anno superiori peregrinationibus & laboribus meis, optimi Dei, & post eum summi Domini mei Julii III. Romani Pontificis, gratia finem imposuissem, datumque esset, ut ad sponsam meam *Veronensem Ecclesiam* libere reverti possem, continuo ad me visendum affuerunt duo amici mei viri celeberrimi, & doctissimi, ambo cives *Bononienses*, ambo florentes ætatibus, ambo in Artibus (ut ajunt) magistri, & in nobili illo gymnasio publice magna cum laude profitentes, *Joannes Antonius Locatellus, & Scipio e Fabiorum familia*. Hi cum studium meum in perquirendis Sanctorum vitis didicissent, multaque hac de re invicem fuissemus loquuti; tum mihi *Scipio*, Episcope, inquit, cum primum nos domum contulerimus, librum tibi missurus sum, quem domi habeo inter meos reconditum, multas Sanctorum vitas continentem, qui tibi, credo, non displicebit. Addebatque, ne inquiras modo nomen libri (illud enim ipsum statim perquirebam) quoniam impræsentiarum non recolo, non enim hoc scriptionis genus meæ est professionis. Abiit ille, paucisque diebus elapsis, ad me librum misit, manuscriptum, non typis excusum, quem cum aperio, & titulum prælego (ad illum enim ego protinus accurri) *Adonis Martyrologium* esse deprehendo. Quanta tum exultaverim lætitia, Deus scit: Omne aurum nihil esse duxi in comparatione illius. Statimque recordatus sum amplissimi illius patris, qui alias mihi de *Martyrologio*, *Bononiæ* viso narraverat, hocque illud ipsum esse certe credidi, ac ingentes Deo nostro, & filio ejus Domino Jesu Christo gratias egi, nec non amico fideli, qui tanto me munere decoraverat.

Liber autem ipse in Sanctorum vitis describendis, hoc ordine procedit, per singulos menses & dies, sanctos habet positos, quorum omnium vitæ referuntur, aliæ quidem brevius & concisius, aliæ vero profusius, sed quæ breviores describuntur, pleræque sunt quæ in D. *Hieronymi Martyrologio* habentur. In edendo ergo volumine hunc modum tenuimus, ut quæ a *Divo Hieronymo* sunt positæ, omnino prætereantur, cum in promptu sit omnibus, nisi eis additum aliquid reperiatur. Quæ autem ab illo non sunt positæ, hic omnes sunt insertæ.

Accipe igitur, benigne lector, *Martyrologium Adonis*, viri sanctissimi pariterque doctissimi *Trevirensis Archipræsulis*, qui jam annos paulo plus vel minus quingentos, a tempore Gregorii septimi florere coepit, & ob vitæ sanctitatem tantæ extitit auctoritatis, ut ab eodem *Pontifice* ad componendas res inter *Henricum, & Rodulfum*, qui de Romano imperio contendebant, una cum duobus collegis de latere Sedis Apostolicæ legatus destinatus fuerit, gratiasque & tu mecum age Domino, qui, cum non amplius perquireretur *Ado* (ne tantum lumen in tenebris lateret) reperiri eum

ad

ad piorum consolationem, & Ecclesiæ suæ ædificationem voluit. Vale, & ora pro me, ut unum Deum mente adorem, corde colam, & sinceris actibus venerer.

Deinde ibi sequitur: *Epistola Adonis Archiepiscopi Trevirensis. Ado peccator lectori salutem. Ne putes mo &c.* usque, *optavi. Salutatus in Christo, Vale.*

FRATER JACOBUS MOSANDER

Pio Lectori Salutem.

Ex tom. VII. Surii, editionis Coloniæ Agrippinæ. ann. 1581. & 1586.


MArtyrologium hoc ex quatuor pervetustis MSS. codicibus sibi mutuo correspondentibus manu propria exaravimus. Verum quartus a monacho S. Benedicti conscriptus, aliquot Sanctorum nomina continebat, quæ in cæteris tribus non habebantur: de quibus cum dubitaremus, an essent *Adonis*, vel potius per dictum monachum adjecta: doctorum virorum usi consilio, eosdem Sanctos signo stellæ, sic *, prænotavimus ad evitandum omnem errorem, & scrupulum.

Idem refertur a Nauclero, & Aloysio ex Plat.

Porro *Adonem*, quem Platina in vita Gregorii Pontificis ejus nominis septimi *Odonem*, Nauclerus *Othonem*, Carolus Sigonius *Udonem* vocat: Hic, inquiens, in concilio Laterano, in causa *Henrici & Rodolphi* legatus a latere, cum *Bernardo* diacono, & *Bernardo* abbate *Massiliensi* datus est, ut pacem inter *Henricum & Rodulphum* Imperatores conciliaret. Hic vir (ut infra ait Aloysius) sanctissimus pariterque doctissimus fuit, qui tempore *Gregorii* septimi floruit: Cujus idcirco (ut reor) nec Sigebertus de viris illustribus, nec Trithemius in catalogo meminerunt, quod ejus MS. Martyrologium solum apud nos, & in paucis admodum aliis monasteriis semper latuerit, nec ad eorum manus devenerit. Insuper, quam fuerit rarum, subsequentes Lipomani testantur litteræ, ubi ait, se omne aurum in comparatione illius, nihil ducere. Quidquid porro a dicto Aloysio in editione hujus Martyrologii omissum ac suppressum est, id nos in lucem hic emisimus. Vale.

„ Sequitur post hæc apud Mosandrum Epistola, seu Præfatio *Aloysii Lipomani*, „ quam supra dedimus; deinde prologus Adonis: *Ne putes &c.* Demum ad hæc ita „ subdit Mosander.

Hic immediate sequebatur idem Martyrologium a Pontifice Romano profectum, cujus superius mentio fit: sed quia id brevissime tantum commemorat nomina Sanctorum, quæ in cæteris Martyrologiis exprimuntur, ideo superfluum judicavimus id adjungere huic tomo nostro.



VETUS

VETUS ROMANUM MARTYROLOGIUM

Hactenus a Cardinale Baronio desideratum, & Adonis Viennen. Archiepisc. Martyrologium ad MSS. exemplaria recensitum,

Opera & ſtudio HERIBERTI ROSWEYDI Ultrajectini Societatis JESU Theologi.

Sanctiſſimo Domino Noſtro

PAULO V. PONT. MAX.

BEATITATEM PP.

Romam redit, SANCTISSIME PATER, quod Romæ olim conceptum, quod Romæ profectum, quod Romam ad originis ſuæ ſedem anhelabat. VETUS id eſt ROMANUM MARTYROLOGIUM: quod Prædeceſſores veſtri ſumma cura in Urbe collectum, ſingulari fide conſcriptum, maximo beneficio in Romani orbis diœceſes traſmiſerunt. Et vero redit ad ſolem radius, ad fontem rivulus, ad ſtipitem ramus, ad cælum ſidus. Romam redit, ubi APOSTOLICÆ SEDIS cardo & caput vertitur; ubi VERITATIS origo, FIDEI caput, CÆLESTIS MAGISTRI doctrina ſervatur; ubi PIETATIS viget ſchola, ubi APOSTOLORUM fulget metropolis; ubi clariſſimæ mundi lampades, PETRUS & PAULUS, lucent.

Anacl. I. epiſt. 3. Cypr. de Unit. Eccl. cap. 3. Sozom. l. 3. cap. 7. Chryſoſt. homil. 31. in 7. Rom.

Ad eum redit, a cujus olim Prædeceſſoribus, ipſo naſcentis Eccleſiæ exordio, originem duxit, a *Clemente* inquam I. Romano Pontifice, qui primus regionatim Notarios diſtribuit, qui geſta Martyrum ſolicite & curioſe per ſuam quiſque regionem, perquirerent. Inde *Anteros* diligenter perquiſita, in Eccleſiaſtica tabularia retulit. Poſt *Fabianus* majorem quoque curam adhibuit, ne quid ſimulata fide irreperet, perſpicaces fidoſque ſibi Diaconorum oculos Notariis adjungendo. Quo quidem munere fortia Sanctorum facta colligendi, ut nihil antiquius apud S. R. E. Præſules fuit, ita nihil præclarius ſuſcipi potuit, quam eorum memoriam poſteritati commendare, quorum animas in cælum receptas, & Dei fruitione beatas loquuntur miracula, votivæ teſtantur tabulæ, ut non tam pie id credere, quam veriſſime profiteri poſſimus. Habent enim neſcio quam vim ad excitandum vel augendum in mentibus Fidelium internæ religionis ardorem: ut præclare olim divus Leo ſcripſerit: *Ad erudiendum Dei populum, nullorum eſt utilior forma, quam Martyrum eloquentia: facilis ad exhortandum ſit ratio, efficax ad ſuadendum; validiora tamen ſunt exempla quam verba: & plenius eſt opere docere quam voce. Habent & robur vel maximum ad Majorum fidem pectoribus primitus inſerendam, vel aſſerendam tenacius. Magni*, inquit magnus Ambroſius, *periculi res eſt, ſi poſt Prophetarum oracula, poſt Apoſtolorum teſtimonia, poſt Martyrum vulnera, veterem fidem quaſi novellam diſcutere præſumas: & poſt tam manifeſtos duces, in errore permaneas; & poſt morientium ſudores, otioſa diſputatione contendas.* Quod ſi olim illuſtris fidei athleta Athanaſius, ingens ſibi lucrum & utilitatem duxit, quod unius recordaretur Antonii; quas fidei flammas, quos virtutum igniculos in hominum animis excitabunt tot Martyrum trabeatæ, tot purpuratæ, tot ruſſatæ turmæ, ſub unius fidei rutilanti flammula militantes, & diverſis victoriæ coronis inſignitæ? tot Confeſſorum, tot Virginum prætextata agmina, in diverſas cohortes tributa, diverſoſque Virtutum manipulos cum exultatione circumferentia?

Leo ſerm. de S. Laurentio.

Ambr. ſer. 93. de Nazario, & Celſo.

Inde factum, ut cum Acta Martyrum tanta cura & diligentia perquiſita, per Notarios S. R. E. conſcripta, per Diaconos cognita, ac demum per ipſos Romanos Pontifices probata, atque in Eccleſiæ archivis recondita in immenſum excreſcerent; breve ex iiſdem Martyrologium confieret, quo dies tantum & locus paſſionis, ut habet S. Gregorius, notaretur; atque ita facilius eorum memoria ſacris diptychis insereretur, & eorumdem in Miſſarum ſolemniis commemoratio fieret. Quod quidem Martyrologium Viennenſis Archiepiſcopus Ado cum Ravennæ Eccleſiaſticis, ut credo, negotiis occupatus verſaretur, a ſancto quodam Epiſcopo nactus, qui id a Romano Pontifice acceperat, ſuo Martyrologio præfigendum duxit; ejus videlicet memor, quod ab Innocentio I. olim ſcriptum: ut inde ſumerent ceteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diverſas totius mundi regiones puri capitis incorruptæ remanerent.

Innoc. I. ep. 25. ad Synodum Chalced. apud Auguſt. epiſt. 91.

Fero nunc ad SANCTITATEM VESTRAM, vetus hoc Romanum Martyrologium, quod Gregorius Pontifex Maximus ad Eulogium Alexandrinum Epiſcopum ſcribens, per Orbem univerſum diſperſum & optavit & credidit. Fero, quod Ado annis ab hinc octingentis tanti fecit, ut venerabile & perantiquum duxerit, ſibique velut prima operis ſui lineamenta adumbrata propoſuerit, quod ſuis rurſus coloribus pingeret, lucis ſplendore illuſtraret. Fero, quod ad hunc uſque diem latuit: cujus deſiderio tantopere flagrabat Cardinalis Baronius, ut animi ſui teſtes tabulas exſtare voluerit, quibus editorem excitaret, & gratiam ante beneficium reponeret. Hoc igitur Martyrologium tanto fidentius

ad SANCTITATEM VESTRAM defero, quanto plurium gravissimorum virorum patrocinio comitatum venit.

Adjunxi ipsius Adonis Viennensis Archiepiscopi Martyrologium, ea fide curaque recensitum, ut affirmare non verear, parum id a calamo menteque auctoris abesse. Intererat profecto Reipublicæ Christianæ, ne quid magni viri titulo legeretur, quod ipsius non esset; ne quid corruptum ejus nomine circumferretur, aliena adsutum manu; ne viri auctoritatem secuta posteritas, erroris funiculos necteret; ne quoque Adoni quidquam abjudicaretur, cui certissimum ab unanimi codicum suffragio testimonium esset. Id olim tanti fecit Aloysius Lipomanus Veronensis primum Episcopus, inde Bergomensis, vir gravissimus, & Concilii Tridentini cum collegis Præses, ut auro contra carum duxerit.

Episcopi Afric. ad Theodor. Pap. Hæc igitur omnia ad ROMANAM SEDEM defero, SANCTISSIME PATER, ad cujus olim insessorem Theodorum Papam Africani Patres sua detulere; magnum utique, & indeficientem omnibus Christianis fluenta redundantem apud Apostolicam Sedem consistere fontem, nihil ambigentes. De quo rivuli prodeunt, affluenter universum largissime irrigantes Orbem Christianorum. Cui etiam in honorem beatissimi PETRI Patrum decreta peculiarem omnem decrevere reverentiam, in requirendis Dei rebus. Quæ omnino & solicite debent, maxime vero justeque ab ipso Præsulum examinari VERTICE APOSTOLICO: cujus vetusta solicitudo est, tam mala DAMNARE, quam PROBARE laudanda.

Accipe igitur, SANCTISSIME PATER, has primas SANCTORUM primitias: & ut olim PAULI I. beneficio sacra sanctorum lipsana, collapsis vetustate cœmeteriis, per titulos, diaconias, & monasteria fuere distributa, ut aris honorarentur, ornarentur memoriis, ita PAULI V. beneficium loquatur posteritas, quod latentes Sanctorum vitæ in apertum producantur, & lucem adspiciant. Ita voveo.

SANCTITATI VESTRÆ

Devotus filius

Heribertus Rosweydus S. J.

LECTORI S.

Vetus hoc Romanum Martyrologium expressi ex codice MS. S. Pantaleonis, quæ Coloniæ e D. Benedicti familia celebris Abbatia est, quem mihi perbenigne Carthusia Coloniensis submisit. Præfixum hoc erat Adonis Martyrologio, cui Ado ipse olim præfixerat, uti testatur ejus Præfatio. Ex eo codice Jacobus Mosander, Carthusiæ Coloniensis religiosus, ante annos aliquot Adonis Martyrologium expressit, omisso hoc veteri Romano Martyrologio; magnum tamen ejus in doctorum virorum animis relicto desiderio.

Etsi alios duos codices MSS. Martyrologii Adonis habuerim (de quibus dicam ad ipsum Adonem) in solo tamen hoc tertio S. Pantaleonis, Vetus hoc Romanum Martyrologium comparuit. Quare sicubi error aliquis irrepserit, memineris, quam difficile sit, ex unius codicis fide, quæ subinde vacillat, fidelissime omnia exprimere. Operam certe dedi, ut quam maxima fide haberes omnia. Hinc paucula, quæ videntur ab exscriptore inserta, quod Adoni desint, qui veteris hujus Martyrologii vestigiis semper insistit, virgula notavi, & in margine monui Adoni ea deesse. Et quidem inserta illa, fere Coloniam, ubi liber hic scriptus erat, & vicina loca spectant. Eorum rationem hic in Notationibus invenies.

Enimvero, Vetus hoc Romanum Martyrologium, fontem esse omnium aliorum Martyrologiorum, qui vel leviter inspexerit, non dubitabit asserere. Ado certe ex hoc fonte suas aquas derivavit. Et ut fontis latex ab origine sua recedens, sensim augescit, & in rivum aquis undique confluentibus abit; idem factum huic Martyrologio, quod nunc a Beda, nunc ab Usuardo, nunc ab Adone, nunc ab aliis paulatim increvit. Licebit nunc ad fontem digitum semper intendere. En enim sina caput fontis, quod hactenus latebat, in apertum produxi.

TERTULLIANUS *de corona militis cap.* XIII.

CORONATUR & vulgus, nunc ex Principalium proprietatum exultatione, nunc ex Municipalium solemnitatum proprietate: & est omnis publicæ lætitiæ luxuria captatrix. Sed tu peregrinus es mundi hujus, civis su- *Philipp. 3.*
pernæ Jerusalem. Noster, inquit, municipatus in cælis. Habes tuos census, tuos FASTOS: nihil tibi cum gaudiis sæculi.

CYPRIANUS *Epistola* XXXVII.

Dies eorum, quibus excedunt, ANNOTATE, ut commemorationes eorum inter MEMORIAS MARTYRUM celebrare possimus.

AUGUSTINUS *lib.* XX. *contra Faustum cap.* XXI.

Populus Christianus MEMORIAS MARTYRUM religiosa solemnitate concelebrat, & ad excitandam IMITATIONEM, & UT MERITIS eorum consocietur, atque ORATIONIBUS adjuvetur.

ELOGIA.

GREGORIUS *Papa ad Eulogium Episcopum Alexandrinum Epist.* XXIX. *lib.* VII. *Ind.* I.

Nos pœue omnium Martyrum, distinctis per dies singulos passionibus, collecta in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione Missarum solemnia agimus: non tamen in eodem volumine, quis qualiter sit passus, indicatur; sed tantummodo locus, & dies passionis ponitur. Unde fit, ut multi ex diversis terris, atque provinciis per dies (ut prædixi) singulos cognoscantur martyrio coronati. Sed hæc habere vos beatissimos credimus.

BARONIUS *in Prolegomenis ad Martyrologium Romanum cap.* VIII.

Hoc ipsum simplex absque alio additamento Romanum Martyrologium, idemque perbreve, in quo tantum nomina Martyrum, locus, ac dies passionis positi haberentur, est illud ipsum cujus meminit Ado.

ADO *Viennensis Archiepisc. in præfatione Martyrologii sui.*

Huic operi, ut dies Martyrum verissime notarentur, qui confusi in Kalendis satis inveniri solent, adjuvit venerabile & perantiquum Martyrologium ab urbe Roma Aquilejam cuidam sancto Episcopo a Pontifice Romano directum, & mihi postmodum a quodam religioso fratre aliquot diebus præstitum: quod ego diligenti cura transcriptum, positus apud Ravennam, in capite hujus operis ponendum putavi.

BARONIUS *ubi supra.*

Porro in omnibus, quæ viderim, Martyrologiis Adonis impressis, illud ipsum Romæ acceptum desideratur. Egregiam certe, ac viris eruditis dignam optatamque navasset operam Mosander, si ejusmodi illustre vetustatis monumentum, quod in suo manuscripto Adone haberi testatur, una cum ipso Martyrologio Adonis, quod post Surium ad septimum tomum vitarum Sanctorum adjecit, edidisset.

VETUS ROMANUM MARTYROLOGIUM

ADO PECCATOR

LECTORI SALUTEM.

*Ne putes me in hoc Opere in vacuum laborasse, & rem non necessariam executum fuisse, breviter tibi causam facti aperiam. Primum fuit imperium ac jussio sanctorum virorum, ut supplerentur dies (a), qui absque nominibus martyrum in Martyrologio (quod venerabilis Flori studio in labore Domni Bedæ accreverat) tantum notati erant. Deinde * collecti undecumque passionum codices *, animum in tantum suscitaverunt, ut non solum præteritas dierum festivitates, verum & aliorum, qui per totam annum ibi notatim positi erant, latius & paulo apertius describerem, infirmioribus fratribus, & minus legere valentibus serviens (b), ad laudem omnipotentis Dei (c), ut in memoriis martyrum haberent compendiosam lectionem, atque in parvo codicillo, quod multo labore alii per plures codices exquirunt.* Collata cum cod. Vat. 377. ubi huic Præfatiunculæ hic præfigitur titulus: *Item epistola Adonis Treverensis Episcopi. Ado peccator &c.* Item collata cum vulgatis editionibus.

Huic operi, ut dies martyrum verissime notarentur, qui confusi in Kalendis (d) satis inveniri solent, adjuvit venerabile (e) perantiquum Martyrologium ab urbe (f) Roma Aquilejam cuidam sancto Episcopo a Pontifice Romano directum, & mihi postmodum a quodam religioso fratre aliquot diebus præstitum. Quod ego diligenti cura transcriptum, positus apud Ravennam, in capite hujus operis ponendum putavi.

*Passiones autem Sanctorum paulo longius, maxime circa finem, Martyrologio huic insertas, non mireris, cum tibi ratio superius reddita *, cur factum sit, sufficerit. Ora (g) tantum (impensissime obsecro), ut meritis illorum consocier, quorum triumphos, etsi minus quam debui, excolere optavi. Salutatus in Christo vale,*

(a) Deest *qui*. Apud Maurolycum: *ne superessent dies absque*.
* Apud Maurolycum: *Deinde quoniam collecti undique*.
* Apud Maurolyc. *Codices in tantum succreverant, ut*.
(b) *Ut ad*. Ita apud Maurolyc.
(c) Deest *ut*. Ita apud Maurolyc.

(d) *Kalendariis*. Ita cod. & apud Baron. in Præfat. ad Martyrolog. cap. VIII. & apud Maurolyc.
(e) *Venerabile &*. Ita cod. & apud Baronium, ut supra, & apud Maurolyc.
(f) *Ab urbe Aquilegia*. Ita cod. & apud Baronium, ut supra, & apud Maurolyc.
* Deest: *reddita*, apud Maurolyc.
(g) *Tamen*: Ita cod. & apud Maurolyc.

MENSIS JANUARIUS

habet dies xxx. (ſic) *Luna* xxx.

i. AA. *Kal. Jan.* Octava Domini, & Circumciſio.
Romæ, S. Almachii decollati ſub Alippio Urbis Præfecto.
Et ſanctæ Martinæ virginis.
Et apud Spoletum, ſancti Concordii martyris.
Et in Ruſpenſi Eccleſia, ſancti Fulgentii Epiſcopi.

ii. B. iv. *Non.* Beati Macarii.
Et Tomis, martyrum Argei, Narciſſi, & Marcellini.

iii. BC. iii. *Non.* Romæ, Anteros Papæ & martyris.

iv. D. ii. *Non.* Apud Cretam, Titi Apoſtolorum diſcipuli.
Romæ, martyrum Priſci presbyteri, & Priſcilliani, & Benedictæ.
Et Daſroſæ.

v. CE. *Nonæ.* Romæ, ſancti Theleſphori Papæ, & martyris.
Apud Antiochiam, ſancti Simeonis monachi.

vi. F. viii. *Id.* Sanctæ Macræ virginis ſub Rictiovaro Præſide.
Epiphania Domini, ideſt manifeſtatio vel upparitio Domini.

vii. DG. vii. *Id.* Relatio pueri Jeſu ex Ægypto.
Et ſancti Luciani martyris Antiocheni.
Et Cleri martyris.

i. H. vi. *Id.* Neapoli, Severini confeſſ. Victorini fratris.

ii. EI. v. *Id.* In Mauritania Cæſarienſi (*a*) Macræ virginis & martyris.
Et ſancti Juliani & Baſiliſſæ uxoris ejus, & Celſi & Martionillæ ac xx. militum.

iii. K. iv. *Id.* In Thebaida, ſancti Pauli Eremitæ.
Et in Cypro, Nicanoris de vii. diaconibus.

iv. FL. iii. *Id.* Alexandriæ, confeſſorum Petri, Severi, Lucii.
In Africa, Salvii martyris.

v. M. ii. *Id.* (*b*) Antiochia, Satyri martyris.
Arcadii martyris.

vi. GN. *Idus.* Romæ via Lavicana, militum xl. ſub Gallieno Imperatore.
Pictavis, ſancti Hilarii.

vii. O. xix. *Kal. Feb.* Nolæ, Felicis presbyteri, in Pincis ſepulti.

i. NP. xviii. *Kal.* Abacuc & Michææ prophetarum.
Et Macarii Abbatis, Antonii diſcipuli.
Et Iſidori.

ii. Q. xvii. *Kal.* Romæ, via Salaria in cœmeterio Priſcillæ, ſancti Marcelli Papæ.

iii. IR. xvi. *Kal.* Apud Thebaidem, Antonii monachi.

iv. S. xv. *Kal.* Cathedra ſancti Petri, qua primum Romæ ſedit.
Et ſanctæ Priſcæ martyris.

v. KT. xiv. *Kal.* In Smyrna, ſancti Germani martyris ad beſtias damnati.
Et Spoleti, ſancti Pontiani martyris xix. Kal. paſſi; xv. ſepulti; xiv. in ſepulchro mutati, quando celebrior dies ejus agitur.

vi. V. xiii. *Kal.* Romæ, Fabiani Papæ & martyris.
Et Marii, Marthæ, Audifax, Abacuc.
Et Sebaſtiani in veſtigiis Apoſtolorum ſepulti.

vii. LA. xii. *Kal.* Sanctæ Agnetis virginis.
Athenis, ſancti Publii Epiſcopi, qui Militenus a Paulo Epiſcopus ordinatus.

i. B. xi. *Kal.* Sancti Vincentii diaconi & mart. in Spaniis.
Ad aquas (*c*) Silvias, ſancti Anaſtaſii monachi.

ii. MC. x. *Kal.* Romæ, ſanctæ Emerentianæ virginis.
In Mauritania Neocæſareæ, Severiani, & Aquilæ.
Philippis, Parmenæ diaconi de ſeptem.

iii. D. ix. *Kal.* Epheſi, Timothei Apoſtoli.
Antiochiæ, ſancti Babylæ Epiſcopi.

iv. NE. viii. *Kal.* Converſio ſancti Pauli Apoſtoli.
Apud Damaſcum, ſancti Ananiæ, qui ipſum Paulum baptizavit.

v. F. vii. *Kal.* Sancti Polycarpi, diſcipuli ſancti Joannis Apoſtoli, apud Smyrnam paſſi.
Et Theogenis cum aliis xxxvi.

vi. OG. vi. *Kal.* Conſtantinopoli, Joannis Chryſoſtomi.
Et dormitio ſanctæ Paulæ.

vii. H. v. *Kal.* Sanctæ Agnetis ſecundo.
In civitate Apollonia, Leucii, Thyrſi, mart.

i. A. iv. *Kal.* Romæ, Papiæ & Mauri militum ſub Diocletiano Imperatore.

ii. K. iii. *Kal.* Antiochiæ, paſſio ſancti Hippolyti.
Jeroſolymis, Matthiæ Epiſcopi, qui octavus fuit poſt Jacobum.

B. Alex.

(*a*) Ado: *Martina.* (*b*) Ado: *Apud Achajam.* [*c*] Ado: *Salvias.*

B. Alexandri Deciana persecutione passi.

iII. BL. iI. *Kal.* Alexandriæ, sancti Metrani martyris.
Trientinæ, sancti Vigilii Episcopi & martyris.

MENSIS FEBRUARIUS
babet dies XXVIII. *Luna* XXIX.

iv. CM. *Kal.* Antiochiæ, Ignatii Episcopi & martyris.
Smyrnæ, Pionii martyris & aliorum XV.

v. N. iv. *Non.* HYPAPANTE DOMINI.
Cæsareæ, Cornelii Centurionis, ipsius orbis Episcopi.
Et Aproniani martyris Romæ.

vi. DO. iII. *Non.* B. Celerini Diaconi, & Celerinæ aviæ ejus, & Laurentini, & Ignatii.

vii. P. iI. *Non.* In civitate Ægypti Thmuis, beati Philææ ejusdem urbis Episcopi, & Philoromi tribuni, & innumerabilium martyrum.

i. EQ. *Nonæ.* Sanctæ Agathæ virginis apud civitatem Catanensium.

iI. R. viii. *Id.* Apud Cæsaream Cappadociæ, sanctæ Dorotheæ virginis, & Theophili scholastici.

iiI. FS. vii. *Id.* Sancti Moysetis, qui petente Mauvia Saracenorum regina, Episcopus genti illius factus est.

iv. T. vi. *Id.* Sanctorum Dionysii, Æmiliani, & Sebastiani.
Alexandriæ, sanctæ Cointæ martyris.

v. GV. v. *Id.* Alexandriæ, Apolloniæ virginis.

vi. A. iv. *Id.* Romæ, Zotici, Irenæi, Hyacinthi, & Amantii.
Et Soteria virginis.
Via Lavicana, militum x.

vii. HB. iII. *Id.* Alexandriæ, sanctæ Euphrasiæ virginis.

i. C. iI. *Id.* Barcinonæ, Eulaliæ virginis & martyris.
Alexandriæ, Modesti & Ammonii.

iI. ID. *Idus.* Agabi prophetæ in novo testamento, apud Antiochiam.
In Militana Armeniæ, sancti Polyeucti mart.

iII. E. XVI. *Kal. Mart.* Romæ, Valentini presbyteri.
Et sancti Valentini Interamnensis Episcopi.

iv. KF. XV. *Kal.* Romæ, sancti Cratonis martyris.
Apud Sebasten, passio S. (a) Blavii Episcopi.

v. G. XIV. *Kal.* Sancti Onesimi Apostoli.
Et in Cumia, sanctæ Julianæ virginis.

vi. LH. XIII. *Kal.* In Perside, B. Polychronii Episc. & mar.

vii. I. XII. *Kal.* Jerosolymis, Simeonis Episc. & mart.
Et Romæ, martyrum Claudii, Præpedignæ, Alexandri, & Cutiæ, & Maximi.

i. MK. XI. *Kal.* Romæ, Gabinii presbyteri & martyris.

iI. L. X. *Kal.* Apud Tyrum, Martyrum quorum numerum Dei scientia sola colligit, quos Veturius magister militiæ, jubente Diocletiano, diversis tormentis occidit.

iII. NM. IX. *Kal.* In Sicilia, Martyrum LXXIX. sub Diocletiano diversis tormentis passorum.

iv. N. VIII. *Kal.* Apud Antiochiam, cathedra sancti Petri.
Alexandriæ, Abilii Episcopi.

v. OO. VII. *Kal.* Apud Sirmium (b) Sinerii monachi.
Et (c) XLII. martyrum.
Romæ, Polycarpi presbyteri.

vi. P. vi. *Kal.* Sancti Matthiæ Apostoli.
Et Inventio capitis Præcursoris.
Apud Cæsaream Cappadociæ, Sergii mart.

vii. Q. v. *Kal.* Apud Ægyptum, Victorini, Victoris, Nicophori, Claudiani, Dioscori, Serapionis, & Papiæ.

i. R. iv. *Kal.* Apud Pergen Pamphiliæ, beati Nestoris Episcopi.
Alexandriæ, Alexandri gloriosi senis Episc.

iI. S. iII. *Kal.* Alexandriæ, Juliani martyris, & Euni, qui cum ipso sene in confessione perduravit.

iII. T. iI. *Kal.*

MENSIS MARTIUS
babet dies XXXI. *Luna* XXX.

iv. A. *Kal. Mart.* Sanctorum martyrum CCLX. temporibus Claudii, qui via Salaria arenam fodientes damnati fuerant.

v. B. vi. *Non.* Romæ, Jovini, & Basilei.
Et plurimorum martyrum sub Alexandro capitali sententia damnatorum.

vi. C. v. *Non.* Sanctorum Hemitherii & Chelidonii, apud Calogurrim martyrio coronatorum.
Cæsareæ, Marini militis, & Asterii Senatoris.

vii. O.

---

[a] Alias *Blasii*. (b) Ado: *Syreni*. (c) Ado: LXXII.

VII. O. IV. *Non.* Lucii Papæ & martyris.
Et martyrum nccec. qui ſunt poſiti in cœmeterio ad ſanctam Cæciliam.

I. E. III. *Non.* Antiochiæ, ſancti Phocæ martyris.
Et ſancti Euſebii Palatini, & aliorum (*a*) VIII. mart.

II. F. II. *Non.* Nicomediæ, Victoris, & Victorini, qui in carcere curſum vitæ impleverunt.

III. G. *Nonæ.* In Mauritania civitate Tuburbitanorum, ſanctarum martyrum Perpetuæ & Felicitatis.

IV. H. VIII. *Id.* Apud Carthaginem, ſancti Pontiani diaconi B. Cypriani, qui Dominum ſemper in paſſionibus ſuis glorificans, coronam vitæ promeruit.

V. I. VII. *Id.* In Nyſſena civitate, ſancti Gregorii Epiſcopi, fratris Baſilii.
Barcinonæ, Paciani Epiſcopi.

VI. K. VI. *Id.* Apamiæ, Alexandri & Caji de Eumenia.
In Perſide, martyrum numero XLII.

VII. L. V. *Id.* Apud Sebaſtem Armeniæ minoris, XL. militum, tempore Licinii regis.

I. M. IV. *Id.* Sanctorum Pontificum Gregorii, & Innocentii.
Nicomediæ, Petri martyris, Dorothei & Gorgonii martyrum ſodalis.

II. N. III. *Id.* Nicomediæ, Macedonii presbyteri, Patritiæ uxoris, & filiæ Modeſtæ.

III. O. II. *Id.* Romæ, martyrum XLVII. qui baptizati ſunt a beato Petro Apoſtolo cum teneretur in cuſtodia; qui omnes Neroniano gladio conſumpti ſunt.

IV. P. *Idus.* Theſſalonicæ, Matronæ ancillæ & martyris.

V. Q. XVII. *Kal. Apr.* Romæ, Cyriaci martyris, Largi, & Smaragdi, & Creſcentiani martyris, & aliorum XX.

VI. R. XVI. *Kal.* Sancti Patritii Epiſcopi, qui primus apud Scotos prædicavit.

VII. S. XV. *Kal.* Sancti Alexandri Epiſcopi, qui cum Narciſſo Jeroſolymitanæ Eccleſiæ gubernaculum ſuſcepit.

I. T. XIV. *Kal.* In Penarenſe civitate, B. Joannis, magnæ ſanctitatis viri.
Apud Surrentum, Quinti, Quintilli, Quartillæ, (*b*) Martiæ, cum aliis [*c*] VIII.

II. V. XIII. *Kal.* Archippi, commilitonis Pauli Apoſtoli.

III. A. XII. *Kal.* In Caſſino caſtro, Benedicti Abbatis.
Et Serapionis Anachoretæ.

IV. B. XI. *Kal.* Narbonæ, ſancti Pauli Epiſcopi, diſcipuli Apoſtolorum.

V. C. X. *Kal.* In Africa, martyrum Victoriani, Frumentii, item Frumentii, & duorum germanorum Wandalica perſecutione ſub Hunerico rege paſſorum.

VI. D. IX. *Kal.* Romæ, Pigmenii presbyteri & martyris, ſepulti in cœmeterio Pontiani.

VII. E. VIII. *Kal.* Annuntiatio Dominica, & crucifixio.
Romæ, Cyrini martyris.
Nicomediæ, Dulæ martyris.
Apud Sirmium, Irenæi Epiſcopi & martyris.

I. F. VII. *Kal.* Romæ, ſancti Caſtuli Zætarii palatii.
Apud Pentapolim Libyæ, Theodori Epiſc.

II. G. VI. *Kal.* Apud Ægyptum, Joannis Eremitæ, prophetici ſpiritus viri.

III. H. V. *Kal.* Apud Cæſaream Palæſtinæ, martyrum Priſci, Malchi, & Alexandri, qui perſecutione Valeriani beſtiis traditi ſunt.

IV. I. IV. *Kal.* Apud Africam, confeſſorum Armogaſtis, Archinimi, & Satiri, tempore Wandalicæ perſecutionis.

V. K. III. *Kal.* Romæ, Quirini tribuni & martyris, patris ſanctæ Balbinæ.

VI. L. II. *Kal.* Romæ, ſanctæ Balbinæ virginis, ſepultæ in cœmeterio Prætextati juxta patrem Quirinum.

MENSIS APRILIS

habet dies XXX. *Luna* XXIX.

VII. M. *Kal. April.* Romæ, Theodoræ ſororis martyris Hermetis, quæ ſub Aureliano martyrizavit: ſepulta via Salaria.

I. N. IV. *Non.* Apud Cæſaream Cappadociæ, S. Theodoſiæ virginis, & martyris capitis cæſæ.

II. O. III. *Non.* Theſſalonicæ, virginum Agapes, & Chioniæ.
Tomis, Evagrii, & Benigni.
Apud Tauromenium, S. Pancratii.

III. P. II. *Non.* Mediolani, B. Ambroſii Epiſcopi, & confeſſoris.

IV. Q. *Nonæ.* Theſſalonicæ, S. Irenes virginis.
Apud Ægyptum, Martianæ, Nicanoris, Apollonii.

V. R. VIII. *Id.* Xyſti Papæ & martyris, temporibus Adriani paſſi.

VI. S.

(*a*) Ado: IX. (*b*) Ado: *Marci.* (*c*) Ado: IX.

vi. S. vii. *Id.* Hegeſippi, qui vicious Apoſtolicorum temporum extitit.
vii. T. vi. *Id.* Turouis, Perpetui Epiſcopi.
i. V. v. *Id.* Aotiochiæ, Prochori diacoui, qui unus eſt de ſeptem.
Apud Sirmium, vii. virginum, quæ io unum coronatæ ſunt.
ii. A. iv. *Id.* Ezechielis Prophetæ.
Romæ, Martyrum plurimorum, qui ab Alexandro Papa baptisati ſunt.
iii. B. iii. *Id.* Gortinæ, Philippi Epiſcopi, qui claruit Antonini Veri, & Lucii temporibus.
iv. C. ii. *Id.* Via Aurelia, Julii Papæ, & confeſſoris, ſub Conſtantio Arriano.
v. D. *Idus.* Apud Pergamum Aſiæ, Carpi Epiſcopi & Papyrii, Agathonicæ, & aliarum multarum.
vi. E. xviii. *Kal. Maji.* Romæ in cœmeterio Prætextati, martyrum Tiburtii, Valeriaoi, & Maximi.
vii. F. xvii. *Kal.* Cordulæ, Olympiadis, & Maximi.
In Italia, Maroois, Eutychetis, & Victorioi.
i. G. xvi. *Kal.* Apud Corinthum, Calliſti, & Cariſii, cum aliis vii. io mare merſorum.
ii. H. xv. *Kal.* Apud Africam, S. Mappaliei.
Antiochiæ, Petri diaconi, & Hermogenis.
iii. I. xiv. *Kal.* Apud Meſanam Apuliæ, Eleutherii Epiſcopi, & Anthiæ matris ejus.
Romæ, Apollonii Senatoris.
iv. K. xiii. *Kal.* Apud Corinthum, Timonis diaconi de ſeptem.
In Militana, Hermogenis, Caii, Expediti, Ariſtonici, Ruſi, Galatæ.
v. L. xii. *Kal.* (a) Inventio ſanctarum reliquiarum multarum (b) inſtabel.
Romæ, Victoris Epiſcopi & martyris.
Sulpitii & Servillani.
vi. M. xi. *Kal.* In Perſide, S. Simeonis Epiſcopi & martyris, cum aliis centum, & Uſtazadis, & Abdellæ, & Ananiæ, & Puſicii.
vii. N. x. *Kal.* Romæ in cœmeterio Calliſti, Caii Papæ.
In Perſide, martyrum plurimorum ſub Sapore Perſarum rege.
Cordulæ, Parmenii, Helimenæ, & Chryſoteli presbyterorum, & Lucæ, & Mucii diaconorum.
i. O. ix. *Kal.* In Perſide civitate Dioſpoli, Georgii mart.

ii. P. viii. *Kal.*
iii. Q. vii. *Kal.* Alexaodriæ, Marci Evangeliſtæ.
(c) Erminonia confeſſoris.
Et Romæ, Litania major ad ſanctum Petrum.
iv. R. vi. *Kal.* Romæ, Anacleti Papæ & martyr.
Et Marcellini Papæ & martyris.
v. S. v. *Kal.* Sancti Anaſtaſii Papæ.
Nicomediæ, Anthimi Epiſcopi cum innumera multitudine martyrum.
vi. T. iv. *Kal.* Ravennæ, S. Vitalis martyris, patris SS. Gervaſii & Protaſii.
Alexandriæ, Theodoræ virgiois, & Didymi.
vii. A. iii. *Kal.* Apud Paphum, Tychici Apoſtolorum diſcipuli.
Apud Cirthenſem coloniam, Agapii & Secundini.
i. B. ii. *Kal.* Martyrum Mariani, & Jacobi, io Lambeſitana urbe cum aliis multis decollatorum.
(d) Quirini martyris.
Et vigilia Apoſtolorum.

MENSIS MAJUS
habet dies xxxi. *Luna* xxx.

ii. C. *Kal. Maj.* Jeremiæ prophetæ.
Et Apoſtolorum Philippi & Jacobi fratris Domini.
iii. D. vi. *Non.* Athanaſii Alexandrinæ urbis Epiſcopi.
Et Saturnini & Neopolis, qui in carcere requieveruot.
iv. E v. *Non.* Jeroſolymis, Ioventio S. Crucis.
Romæ, via Numentana, Alexandri Papæ, & Eventii, & Theoduli presbyterorum.
v. F. iv. *Non.* Io civitate Gaza, Silvaoi Epiſcopi cum plurimis clericorum ſuorum coronati.
vi. G. iii. *Non.* Alexaodriæ, S. Euthymii diaconi in carcere quieſcentis.
Theſſalonicæ, Irenæi & Peregrini.
vii. H. ii. *Non.* B. Evodii Epiſcopi, qui primos ab Apoſtolis Antiochiæ ordinatus eſt.
Et S. Lucii Cyrenenſis, qui Cyrenæ ab Apoſtolis Epiſcopus ordinatus eſt.
Et S. Joannis Apoſtoli, quando ante portam Latinam in ferventis olei dolio miſſus eſt.
i. I. *Nonæ.* Juvenalis martyris.
Et Flaviæ Domitillæ.
Nicomediæ, Auguſti, & Auguſtini.
ii. K. viii. *Id.* Mediolani, S. Victoris martyris.
iii. L. vii. *Id.* In Perſide, Martyrum cccx.
Apud

(a) Deeſt Adoni. (b) Forte: *in Stabeleto*. (c) Deeſt Adoni. (d) Deeſt Adoni.

Apud Nazansi nppidum, Gregnrii Episcopi Theologi.
iv. M. vi. *Id.* Job prophetæ.
Via Latina, Gordiaoi & Epimachi.
Et Calepodii senis presbyteri.
v. N. v. *Id.* Romæ via Salaria, S. Anthimi.
vi. O. iv. *Id.* In cœmeterio Prætextati, Nerei, & Achillei fratrum.
Via Aorella, S. Paneratii martyris.
Et Dionysii.
vii. P. iiI. *Id.* Servatii Episcopi.
S. Mariæ ad martyres dedicatinnis dies agitur, a Bnnifacin Papa statutus.
i. Q. iI. *Id.* In Syria, Victoris, & Corooæ martyrum.
iI. R. *Idus.* Tnrquati, Ctesiphontis, Secundi, Indalecii, Cæcilii, Esieii, Eufrasii, qui Romæ ab Apostolis nrdinati sunt.
iiI. S. xvii. *Kal.* *Junii.* In Isauria, Aquilini, & Victnriani.
iv. T. xvi. *Kal.* Io Tuscis, Torpetis martyris sub Nerone.
v. V. xv. *Kal.* Apud Ægyptum, Dinsenri lectnris.
vi. A. xiv. *Kal.* Rnmæ, Potentianæ virginis.
Et Pudentis discipuli Pauli.
Et Caloceri & Partheni Eunuchnrum.
vii. B. xiii. *Kal.* Via Salaria, S. Basillæ virginis & martyris.
i. C. xii. *Kal.* Io Mauritania Cæsariensi, Timothei, Polii.
iI. D. xi. *Kal.* In Africa, Casti & Æmilii.
iiI. E. x. *Kal.*
iv. F. ix. *Kal.* S. Vincentii martyria.
In Istria, Zoelli, Silvani.
v. G. viii. *Kal.* In cœmeterio Prætextati, S. Urbani Episcnpi & martyris.
vi. H. vii. *Kal.* Apnd Athenas, Qnadrati discipuli Apnstolnrum.
vii. I. vi. *Kal.* In Mœsia civitate Dorostoreosi, Julii martyria.
i. K. v. *Kal.* Jnhannia Papæ.
In Sardinia, Æmilii, Felicis.
iI. L. iv. *Kal.* Via Aurelia, Restituti.
Via Tiburtina, septem germanorum.
Treveris, S. Maximini Episcopi confessoris.
iiI. M. iiI. *Kal.* Via Aurelia in cœmeterio, Felicis Papæ.
Turribns Sardiniæ, Crispuli, & Gabinii.
iv. N. iI. *Kal.* Romæ, Petronillæ virginis.
Aquilejæ, Cantii, Cantiani, Cantianillæ.

MENSIS JUNIUS
habet dies xxx. *Luna* xxix.

v. O. *Kal.* *Jun.* Dedieatin S. Nicomedis martyris.
Et S. Pamphili martyris.
vi. P. iv. *Non.* Romæ, Marcellini presbyteri, & Petri exorcistæ.
vii. Q. iiI. *Non.* Apud Aretium Tusciæ, martyrum Pergentini, & Laurentini.
In Campania, Erasmi Episcopi, & martyris.
i. R. iI. *Non.* Apud Illyricum civitate Siscia, S. Quirini Episcopi, & martyris.
iI. S. *Nonæ.* Bonifacii martyris apud Tharsum, xiv. die mensia Maji passi, Romæ Nnnis Junii sepulti.
iiI. T. viii. *Id.* Philippi diaconi de vii. apod Cæsaream.
Romæ, Artemii, Caudidæ, & filiæ eorum Paulinæ.
Apud Tharsnm, xx. martyrnm.
iv. V. vii. *Id.* Apud Constantinopolim, Pauli Episcopi.
In Cappadocia, Lociani martyr.
v. A. vi. *Id.*
vi. B. v. *Id.* Rnmæ io cælio mnnte, Primi & Feliciani martyrum.
vii. C. iv. *Id.* Romæ via Aurelia, Basilidis, Tripodia, & Mandalis, & alinrum xx.
Et Getulii martyris, & Cerealis.
i. D. iiI. *Id.* Barnabæ Apostoli.
Et Sosthenis apud Corinthum, discipuli Pauli.
Aquilejæ, Felicis & Fnrtunati.
iI. E. iI. *Id.* Mediolani Nazarii, & Celsi, qnnrum inventio iI. Id. Junii, martyrium v. Kal. Augusti.
iiI. F. *Idus.* Romæ, sanctæ Feliculæ virginis martyria.
iv. G. xviii. *Kal.* *Jul.* Elisæi prnphetæ.
In Cappadocia, sancti Basilii fratris Gregorii & Petri.
v. H. xvii *Kal.* Iu Sicilia, Modesti, Viti, & Crescentiæ martyrum.
Dorostnri, Esyehii militaris.
vi. I. xvi. *Kal.* Antiochiæ, Cyrici & Julittæ matris ejus, & aliorum cccc iv.
vii. K. xv. *Kal.* Romæ martyrnm ccxii.
i. L. xiv. *Kal.* Romæ via Ardeatina, martyrum Marci & Marcelliani.
iI. M. xiii. *Kal.* Mediolani, Gervasii & Protasii.
(a) Et cnmmemoratio Nazarii & Celsi.
Ravennæ, Ursieini martyris.
iiI. N. xii. *Kal.* Rnmæ, Nnvati, fratris Timothei presbyteri, qui ab Apostnlis eruditi sunt.
iv. O. xi. *Kal.* Syreeusis, martyrum Rufini & Martiæ.
Rnmæ, Demetriæ virginis.

v. P.

(a) Deest Adooi.

v. P. x. *Kal.* Albani martyris.
Nolæ Campaniæ, Paulini Episcopi.

vi. Q. ix. *Kal.* Sancti Joannis presbyteri, via Salaria vetere sepulti.

vii. R. viii. *Kal.* Nativitas Præcursoris Domini.

i. S. vii. *Kal.* Apud Pyrriberœam, Sosipatris discipuli Pauli.
Alexandriæ, Gallicani martyris.
Romæ, Luciæ virginis cum aliis xxii.

ii. T. vi. *Kal.* Romæ, Joannis & Pauli fratrum.

iii. A. v. *Kal.* Apud Galatiam, Crescentis discipuli Pauli Apostoli.
Apud Tiburtinem Italiæ, Symphorosæ cum vii. filiis.

iv. B. iv. *Kal.* Romæ, Leonis Papæ.
Alexandriæ, Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Herois, Potamiænæ, Marcellæ, & aliorum.

v. C. iii. *Kal.* Romæ, Apostolorum Petri & Pauli.

vi. D. ii. *Kal.* Natalia Lucinæ, discipulæ Apostolorum.

MENSIS JULIUS

habet dies xxx. (sic) *Luna* xxx.

vii. E. *Kal. Julii.* In monte Hor, Aaron sacerdotis primi in lege.

i. F. vi. *Non.* In cœmaterio Damasi, Processi & Martiniani, ab Apostois Petro & Paulo baptizatorum.
Et trium militum, qui cum Paulo Apostolo passi sunt.
Et martyrium Aristonis, Crescentiani, Eutychiani, Urbani, & aliorum.

ii. G. v. *Non.* Translatio Thomæ Apostoli.
Apud Constantinopolim, Eulogii.
Laodiciæ, Anatholii Episcopi.
Et Gregorii martyria.

iii. H. iv. *Non.* Oseæ & Aggæi.
Jocundiani martyris.
Apud Sirmium, Innocentii, Sabbatiæ, cum aliis xxx.

iv. I. iii. *Non.* In Syria, sancti Domitil martyris.
Romæ, natale Zoæ, uxoris Nicostrati.

v. K. ii. *Non.* Esaiæ, & Johel prophetarum.
Et octavæ Apostolorum.
Et primus ingressus Apostoli Pauli io urbem Romam.
Et Tranquillini martyris.
Et natalis sancti Goaris confessoris.

vi. L. *Nonæ.* Alexandriæ, sancti Pantæni.
Romæ, martyris Nicostrati primiscrinii, Claudii, Castorii, Victorini, Symphoriani.

vii. M. viii. *Id.* In Asia minori, Aquilæ, & Priscillæ uxoris ejus.
In Palæstina, Procopii martyris.
(a) Maralana civitate, Brictii Episcopi.

i. N. vii. *Id.* Romæ ad Guttam jugiter manantem, Zenonis & aliorum x.cciii.
In civitate Tyriæ, Anatoliæ & Audacis.
Cyrilli Episcopi, & martyris.

ii. O. vi. *Id.* Romæ, septem fratrum.
In Africa, Januarii, Marini, Naboris, & Felicis.
Romæ, Rufinæ & Secundæ.

iii. P. v. *Id.* In Armenia minore, martyris Januarii.

iv. Q. iv. *Id.* Aquilejæ, Hermagoræ Episcopi, discipuli sancti Marci.
Apud Cyprum, Nasonis, antiqui Christi discipuli.

v. R. iii. *Id.* Esdræ & Johel prophetarum.
Et sanctorum confessorum Eugenii Episcopi, & universi cleri Ecclesiæ.

vi. S. ii. *Id.* Apud Pontum, Phocæ Episcopi civitatis Synopis.

vii. T. *Idus.* Nisibi, Jacobi Episcopi.
Romæ in Portu, Eutropii, Zosimæ & Bonosæ sororum.

i. V. xvii. *Kal. Aug.* In Ostis, sancti Hilarini martyris.
Apud Antiochiam Syriæ, Eustachii Episcopi.

ii. A. xvi. *Kal.* Carthagine, martyrum Scillitanorum, Sperati, Narthali, Cythini, Bethurii, Felicis, & aliorum vii.

iii. B. xv. *Kal.* Carthagine, S. Guddenes virginis martyris.

iv. C. xiv. *Kal.* Hispali, SS. Justæ & Rufinæ.

v. D. xiii. *Kal.* Joseph, qui cognominatus est Justus, qui a Judæis pro Christo multa perpessus, victor in Judæa quievit.

vi. E. xii. *Kal.* Danielis prophetæ.
Romæ, Praxedis virginis.
Massiliæ, Victoris martyris.

vii. F. xi. *Kal.* S. Mariæ Magdalenes.
Et Syntyches, quæ Philippis dormit.
Ancyræ, Platonis martyris.

i. G. x. *Kal.* Ravennæ, Apollinaris Episcopi & martyris.

ii. H. ix. *Kal.* Romæ via Tiburtina, Vincentii.
Apud Emeritam Hispaniæ, Victoris militaris.
Circa lacum Vulsinium in Italia, Christinæ virginis.

iii. I. viii. *Kal.* Jacobi Zebedæi Apostoli.
Civitate Samo, Christophori martyris.

iv. K. vii. *Kal.* Romæ in Portu, S. Hyacinthi martyris.

(a) Ado die sequenti.

v. L. vi. *Kal.* In Sicilia, Simeonis monachi.
Nicomediæ, Harmolai presbyteri.

vi. M. v. *Kal.* Nicomediæ, S. Pantaleonis mart.

vii. N. iv. *Kal.* Romæ, Felicis Papæ & martyris sub Constantio.
Et Simplicii, Faustini, & Beatricis.

i. O. iii. *Kal.* Romæ, Abdon & Sennis.
Tuburbo Lucernariæ, Maximæ, Donatillæ, & Secundæ virginum.

ii. P. ii. *Kal.* Cæsareæ, Fabii martyris.

MENSIS AVGVSTVS

habet dies XXXI. *Luna* XXIX.

iii. Q. *Kal. Aug.* Romæ, ad S. Petrum ad Vincula.
Antiochiæ, SS. Machabæorum.
Philadelphiæ, martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, & aliorum.
Vercellis, Eusebii Episcopi.

iv. R. iv. *Non.* Romæ, Stephani Papæ & martyr.
In Bithynia, Theodotæ cum tribus filiis.

v. S. iii. *Non.* Jerosolymis, inventio corporis B. Stephani, Gamalielis, Nicodemi, Abibon.
Constantinopoli, Hermelli mar.

vi. T. ii. *Non.* Aristarchi discipuli Apostolorum.
In crypta arenaria, Tertullini mart. Romæ.

vii. V. *Nonæ.* In civitate Augusta in Rhætia, sanctæ Afræ martyris.

i. A. viii. *Id.* Romæ via Appia, Xysti Papæ & martyris.
Felicissimi, & Agapiti diaconorum in cœmeterio Prætextati.

ii. B. vii. *Id.* Apud Aretium, Donati Episcopi & martyris.
Romæ, Petri, Julianæ, cum aliis XVIII.
Mediolani, Fausti martyris.

iii. C. vi. *Id.* Romæ via Ostiensi, Cyriaci martyris cum aliis XXI. quando VIII. die mensis Augusti reconditi sunt.

iv. D. v. *Id.* Romæ, Romani militis.
Vigilia S. Laurentii.

v. E. iv. *Id.* Romæ, Laurentii archidiaconi martyris.
Et militum CLXV.

vi. F. iii. *Id.* Romæ inter duas lauros, Tiburtii martyris.
Et Susannæ virginis martyris.

vii. G. ii. *Id.* Catanæ, Eupli diaconi & martyr.
In Syria, Macarii & Juliani.

i. H. *Idus.* Romæ, Hippolyti martyris cum familia sua, & S. Concordiæ nutricis ejus.
In Foro Syllæ, Cassiani.

ii. I. XIX. *Kal. Sept.* Romæ, Eusebii presbyteri & confessoris, sub Constantio Arriano, sepulti in cœmeterio Callisti.

iii. K. XVIII. *Kal.* S. MARIÆ dormitio.
S. Tharsitii acolythi & martyris.

iv. L. XVII. *Kal.* In Nicea Bithyniæ, Ursatii confessoris sub Licinio.
Romæ, Serenæ, uxoris Diocletiani Augusti.

v. M. XVI. *Kal.* In Africa, martyrum Liberati abbatis, Bonifacii diaconi, Servii, & Rustici, & aliorum, sub Wandalica persecutione.
Cæsareæ, Mammetis martyris.

vi. N. XV. *Kal.* In Prænestina civitate, Agapiti martyris.
Romæ, Joannis & Crispi presbyterorum.

vii. O. XIV. *Kal.* S. Magni seu Andreæ martyris, cum sociis suis duobus millibus DXCVII.
Romæ, Julii Senatoris & martyr.

i. P. XIII. *Kal.* Samuelis prophetæ.
Et Porphyrii hominis Dei.

ii. Q. XII. *Kal.* Salonæ, Anastasii martyris.

iii. R. XI. *Kal.* Romæ via Ostiensi, Timothei martyris.
Et Antonii martyris.
Et peregrinorum martyrum Martialis, Epicteti, Saturnini, cum sociis eorum.

iv. S. x. *Kal.* Romæ, Hippolyti, Quiriaci, & Archillai.
Zachæi Episcopi.
Thennæ Episcopi.

v. T. ix. *Kal.* Bartholomæi Apostoli & martyr.
Massæ candidæ, Carthagini.

vi. A. viii. *Kal.* Romæ, Genesii martyris, mimi. Thymelicæ artis magister fuit.
Et S. Genesii Arelatensis.
Romæ, quatuor martyrum Eusebii, Pontiani, Peregrini, & Vincentii.

vii. B. vii. *Kal.* Zephyrini Papæ.
Irenæi, Abundii.
Bergamis, Alexandri.
Apud Victimilium, Secundi martyris.

i. C. vi. *Kal.* Capuæ, Rufi martyris, Apollinaris discipuli.
Tomis, Marcellini & Mannex.

ii. D. v. *Kal.* Romæ, Hermetis martyris.
In Africa, Augustini Episcopi.
Constantinopoli, S. Alexandri Episcopi.

iii. E. iv. *Kal.* Romæ ad Arcum Faustini, Sabinæ martyris.
Eo die veneratur decollatio sancti Joannis Baptistæ.

iv. F. iii. *Kal.* Via Ostiensi, Felicis & (a) Audacti martyrum.

v. G. ii. *Kal.* Apud Athenas, Aristidis, qui Adriano

(a) Alias: *Adaucti*.

Adriano Principi de Religione christiana libroa obtulit.

MENSIS SEPTEMBER
babet dies xxx. *Luna* xxx.

vi. H. *Kal. Sept.* Jesu Nave & Gedeon prophetarum.
Capuæ, Prisci martyria, de illia antiquia Christi discipulis.
Apud Cæsaream Cappadociæ, Longini militia, & martyria, qui latua Domini in cruce aperuit.
vii. I. iv. *Non.* Apud Apamiam, Antonini mart.
i. K. iii. *Non.* Romæ, Seraphiæ virginia, iv. Kal. Augusti passæ, ii. Kal. sepultæ, iii. Non. Septembris memoria passionis ejua celebrior.
ii. L. ii. *Non.* Moysia Prophetæ.
Ancyræ, martyrum trium puerorum, Rufini, Silvani, Vitalicæ.
iii. M. *Nonæ.* Romæ, Victorioi martyris, fratris Severini, qui post miram pœnitudinem Amiterninæ urbia Episcopua & martyr factua est.
Romæ, Hercolani.
iv. N. viii *Id.* Zachariæ prophetæ.
Et Onesiphori Pauli discipuli.
Et confessorum Donatiani & cæterorum.
v. O. vii. *Id.* Joannia martyria, qui Nicomediæ sub Diocletiano librum iniquæ legia minutatim discerpsit.
vi. P. vi. *Id.* Nativitas Dei genitricia MARIÆ.
Et Adriani martyria cum xxiii. martyribus.
Et Nataliæ.
vii. Q. v. *Id.* Nicomediæ, Dorothai & Gorgonii martyrum, quorum unus, Gorgonius, Romam transfertur.
In Sabinia, Hyacinthi, Alexandri, Tiburtii.
i. R. iv. *Id.* In Africa, Episcoporum, Nemesiaoi, Felicia, & alior. vii.
Apud Chalcedonam, Sosthenia & Victoria.
ii. S. iii. *Id.* Romæ, Hyacinthi & Proti eunuchorum.
iii. T. ii. *Id.* Ticini, confessoria Syri, & Eventii, discipulorum Hermagoræ, Aquilejensia primi Episcopi.
iv. V. *Idus.* In Alexandria, Philippi Episcopi & martyria, qui primum Præfectus fuit.
v. A. xviii. *Kal. Octob.* Romæ, Cornelii Episcopi & martyr., & aliorum xxi. & Cerealis, & Salustiæ.
Carthagine, Cypriani Episcopi & martyris.
Exaltatio sanctæ Crucia, ab Heraclio Imperatore a Persis Jerosolymam reportatæ, quando & Romæ lignum salutiferum Crucis a Sergio Papa inventum ab omni populo veneratur.
vi. B. xvii. *Kal.* Romæ, Nicomedia martyria.
vii. C. xvi. *Kal.* Chalcedone, Euphemiæ virginia: Romæ, Luciæ & Geminiani martyrum.
i. D. xv. *Kal.* Romæ, Justini presbyteri, ad quem beatua Laurentius in vico Patricii nocte venit.
Item Narcissi, & Crescentiani.
ii. E. xiv. *Kal.* Methodii, Olympi Lyciæ, & postea Tyri Episcopi, qui sub Diocletiano martyrio coronatua est.
iii. F. xiii. *Kal.* Neapoli, Januarii, Sosii, Festi, Desiderii, Proculi, Eutychetis, Acuti.
Et Pelei, & Nili.
iv. G. xii. *Kal.* In Cyzico, Faustæ virginis & Evilasii.
v. H. xi. *Kal.* Matthæi Apostoli.
vi. I. x. *Kal.* Mauritii cum sociis, qui Thebæi fuisse referuntur, sub Maximiano passi.
vii. K. ix. *Kal.* Mesenathæ, Sosii diaconi, annorum xxx. martyria.
Et Theclæ virginia, Seleuciæ quiescentia.
i. L. viii. *Kal.* Conceptio Ioannia Baptistæ.
ii. M. vii. *Kal.* Cleophæ, cui Dominua post resurrectionem in via apparuit.
iii. N. vi. *Kal.* Romæ, Cypriaoi Episcopi, Antiochiæ passi, & cum martyre Justina Romam translati.
iv. O. v. *Kal.* In Ægea civitate, Cosmæ & Damiani, Anthimi, Leontii, & Euprepii.
v. P. iv. *Kal.* Cordubæ, Fausti, Januarii, & Martialis martyrum.
vi. Q. iii. *Kal.* In monte Gargano, venerabilis memoria Archangeli Michaelia.
Et Romæ, dedicatio Ecclesiæ ejusdem Archangeli, a beato Bonifacio Papa constructæ in Circo, qui locua INTER NUBES dicitur.
vii. R. ii. *Kal.* Bethleem, Hieronymi presbyteri.

MENSIS OCTOBER
babet dies xxxi. *Luna* xxx.

i. S. *Kal. Octob.* Tomia civitate, Prisci, Crescentii, & Evagrii.
Et Remis civitate, sancti Remigii Episcopi,

 ii. T.

II. T. VI. *Non.* Nicomediæ, Eleutherii martyris sub Diocletiano, & innumerabilium aliorum, quos iratus Diocletianus pro incenso palatio, diversis tormentis odio christiani nominis occidit.

III. V. V. *Non.* Athenis, Dionysii Areopagitæ, sub Adriano diversis tormentis passi, ut Aristides testis est in opere, quod de christiana religione composuit: hoc opus apud Athenienses inter antiquorum memorias clarissimum tenetur.

IV. A. IV. *Non.* Apud Corinthum, Crispi, & Caii.
Apud Ægyptum, Marci & Martiani fratrum, cumque eis innumeræ multitudinis.

V. B. III. *Non.* Eumeniæ, Thraseæ Episcopi, apud Smyrnam coronati, qui unus fuit ex antiquis.

VI. C. II. *Non.* Sagaris Episcopi Laodicensis, de antiquis Pauli Apostoli discipulis.

VII. D. *Nonæ.* Romæ, Marci Papæ.
Et Juliæ, Sergii, & Bacchi.
Marcelli, & Apuleii, qui primo adhæserunt Simoni mago, deinde Apostolo Petro: sub Aureliano consulari viro, martyrio coronati.

I. E. VIII. *Id.* Gortinæ, Philippi Episcopi.
Thessalonicæ, Demetrii martyr.

II. F. VII. *Id.* Abrahæ patriarchæ.
Parisiis, Dionysii Episcopi cum sociis suis a Fescennino gladio animadversi.

III. G. VI. *Id.* Loth prophetæ.
In Creta, Pyniti inter Episcopos nobilissimi.

IV. H. V. *Id.* Apud Tharsum, martyrum Tharaci, Probi, & Andronici.

V. I. IV. *Id.* Ravennæ, Hedistii.
Apud Africam, sanctorum confessorum quatuor millium DCCCCLXXVI. sub persecutione Wandalica passorum.

VI. K. III. *Id.* Troade, Carpi, Apostoli Pauli discipuli.
Antiochiæ, Theophili Episcopi, qui sextus ab Apostolis fuit.

VII. L. II. *Id.* Romæ, Callisti Papæ & martyris, & Privati militis.

I. M. *Idus.*

II. N. XVII. *Kal. Nov.* Sanctorum martyrum Martiani & Satyriani, cum duobus fratribus eorum, & aliorum CCLXX. pariter coronatorum Wandalica persecutione.

III. O. XVI. *Kal.* Marthæ sororis Lazari.
Et Aristionis, qui fuit unus de LXX. Christi discipulis.

IV. P. XV. *Kal.* Lucæ Evangelistæ.
Et Asclepiadis, Antiocheni Ep.
Romæ, Triphoniæ, uxoris quondam Decii Cæsaris.

V. Q. XIV. *Kal.* Antiochiæ, Beronici, Pelagiæ, & aliorum XLIX.
Et Ptolomæi, qui a quodam Centurione Urbicio Judici traditur; & Lucii ac Tertii simul decollatorum, qui Alexandriæ sepulti sunt.

VI. R. XIII. *Kal.* (a)

VII. S. XII. *Kal.* Nicomediæ, Dasii, Zotici, Caij, cum XII. militibus.
Et S. Hilarionis monachi.

I. T. XI. *Kal.* Jerosolymis, Marci, qui primus ex gentibus Episcopus ibi factus est.
Et Salomæ, quæ in Evangelio legitur.

II. V. X. *Kal.* Antiochiæ, Theodoreti presbyt.
In Hispaniis, Servandi & Germani.

III. A. IX. *Kal.* Venusiæ, Felicis Episcopi Tubzocensis, & Audactis, & Januarii presbyterorum, & Fortunatiani, & Septimi lectorum.

IV. B. VIII. *Kal.* Romæ via Salaria, XLVI. militum, qui baptizati a Dionysio Papa, jubente Claudio decollati sunt.

V. C. VII. *Kal.* In Africa, Rogatiani presbyteri, & Felicissimi martyris.

VI. D. VI. *Kal.* Abela civitate, Vincentii, Sabinæ, & Christetes martyrum.

VII. E. V. *Kal.* Simonis & Thadæi Apostolorum.
Romæ, Cyrillæ, filiæ Decii Cæsaris.

I. F. IV. *Kal.* Narcissi Jerosolymorum Episcopi, viri sanctitate, & patientia, ac fide laudabilis.
Sidonæ, Zenobii presbyteri & martyris.

II. G. III. *Kal.* Tingitanæ, Marcelli centurionis & martyris.
In Africa, martyrum CCXX.

III. H. II. *Kal.* Nemesii diaconi, & Lucillæ filiæ ejus, VIII. Kalend. Septembrium passi, sed pridie Kalend. Novembrium a Sixto Papa sepulti.

MENSIS NOVEMBER
habet dies XXX. *Luna* XXX.

IV. I. *Kal. Nov.* Festivitas Sanctorum, quæ celebris & generalis agitur Romæ.

(a) *In MS. hic erant Sancti sequentis diei: & 21. die* Marcus, & Salome; & 22. *vacabat.* *Sed Ado, & omnes, ut hic impressum.*

Cæsarii

Cæſarii diaconi & martyris, & Juliani presbyteri.
Et Severini monachi, de Tiburtina civitate.

v. K. iv. *Non.* Laodiceæ, Theodoti Epiſcopi, qui arte medicus fuit.

vi. L. iii. *Non.* Quarti, diſcipuli Apoſtolorum.
In Cappadocia, martyrum Germani, Theophili, Cæſarii, Vitalis, ſub Deciana perſecutione.

vii. M. ii. *Non.* Alexandriæ, Hierii presbyteri, vita puriſſimi, in Scripturis nobiliter eruditi.

i. N. *Nonæ.* Zachariæ prophetæ, patris Joannis Baptiſtæ.
Terracinæ, Felicis presbyteri, & Euſebii monachi.

ii. O. viii. *Id.* Tonizæ Africæ, ſancti Felicis martyris.
Civitate Theopoli, xl. martyrum.

iii. P. vii. *Id.* Alexandriæ, Achilleæ Epiſcopi.
Apud Peruſinam, Herculani Epiſcopi & martyris.

iv. Q. vi. *Id.* Romæ, martyrum Claudii, Nicoſtrati, Symphroniani, Canorii, Simplicii, artificum inſigniſſimorum.
Et ipſo die iv. Coronatorum Severi, Severiani, Carpophori, Victorini, quorum feſtivitatem ſtatuit Melchiades Papa ſub nominibus quinque martyrum celebrari: quia nomina eorum non reperiebantur, ſed intercurrentibus annis cuidam ſancto viro revelata ſunt.

v. R. v. *Id.* Euchaitæ, ſancti Theodori martyris.

vi. S. iv. *Id.* Cherſoni Lyciæ, Martini Papæ, qui ob catholicam fidem ibi relegatus vitam finivit.

vii. T. iii. *Id.* Turonis, Martini Epiſcopi, miraculorum patratoris:
In Scythia, Mennæ martyris, Conſtantinopolim tranſlati.

i. V. ii. *Id.* In Africa, Arcadii, Paſchaſii, Probi, & Eutychiani, Wandalorum perſecutione martyrum.

ii. A. *Idus.* Ravennæ, Valentini, Solutoris, Victoris martyrum.

iii. B. xviii. *Kal. Decemb.* Alexandriæ, Serapionis, qui ſub Decio præcipitatus, martyr efficitur.

iv. C. xvii. *Kal.* Felicis Epiſcopi, qui a quintodecimo anno miraculorum gloria inſignis fuit, & ſub Martiano cum xxx. martyrium complevit, in Nolenſi Eccleſia ſepultus.

v. D. xvi. *Kal.*

vi. E. xv. *Kal.* (*a*) Dedicatio ſancti Petri (*b*) Mal m̄ dar.
Alexandriæ, Dionyſii Epiſcopi, in multis ſæpe confeſſionibus clari, Valeriani & Gallieni temporibus.

vii. F. xiv. *Kal.* Antiochiæ, Romani monachi & martyris.
Et ſancti Eſychii Palatini & martyris.

i. G. xiii. *Kal.* Romæ, Maximi presbyteri & mart.
Et Fauſti diaconi, & Euſebii collegæ ejus, martyrum viſitatorum.

ii. H. xii. *Kal.* Romæ, Pontiani Papæ & martyris.
Meſſanæ, Ampeli & Caji.

iii. I. xi. *Kal.* Rufi, quem Apoſtolus ad Romanos ſcribens ſalutat.

iv. K. x. *Kal.* Romæ, Cæciliæ virginis & martyris.

v. L. ix. *Kal.* Sancti Clementis Epiſcopi.
Et Felicitatis, matris vii. filiorum.

vi. M. viii. *Kal.* Romæ, Chryſogoni martyris, & Zoili.

vii. N. vii. *Kal.* Sancti Petri Alexandrini Epiſcopi cum aliis dclx.

i. O. vi. *Kal.* Romæ, Lini Papæ.
Et beati Alexandri Epiſcopi & martyris, paſſi xi. Kalend. Octobr., a Papa Damaſo vi. Kalend. Decembr. tranſlati, quando feſtivitatem ei dicavit.

ii. P. v. *Kal.* Bononiæ, Vitalis & Agricolæ martyrum.

iii. Q. iv. *Kal.* Soſthenis diſcipuli Apoſtolorum.
Et ſancti Rufi martyris cum omni domo ſua per Chryſogonum lucrati.
In Africa, Papinii & Manſueti Epiſcoporum.

iv. R. iii. *Kal.* Romæ, Saturnini martyris, & Sennis, & Siſinnii diaconorum.

v. S. ii. *Kal.* Andreæ Apoſtoli.

MENSIS DECEMBER

habet dies xxxi. *Luna* xxix.

vi. T. *Kal. Dec.* Romæ Chryſanthi & Dariæ martyrum, & Diodori & Mariniani, cum infinita multitudine martyrum.

vii. V. iv. *Non.* Romæ, [*c*] Vivianæ martyris.
Fauſti martyris, & Dafroſæ filiæ.

i. A. iii. *Non.* Romæ, Claudii tribuni, & Hilariæ uxoris ejus, & Jaſonis & Mauri,

(*a*) *Deeſt Adoni.* (*b*) *Forte* Malmundarium. (*c*) Alias: *Bibianæ.*

& Mauri, & LXX. militum sub Numeriano.

II. B. II. *Non.* Romæ, Symphronii & Olympii, Exsuperiæ & Theodoli, die VII. Kalendarum Augusti passorum; a beato Xysto via Latina II. Nonas Decembris translatorum, quando eorum festus dies celebrior agitur.

III. C. *Nonæ.* Crispinæ martyris.
Et Dalmatii martyris.

IV. D. VIII. *Id.* Nicolai Episcopi Myrorum Lyciæ.
In Africa, Dionysiæ, Dativæ, Leontii, & Æmiliani medici, & aliorum.

V. E. VII. *Id.* Alexandriæ, Agathonis martyris & militis sub Decio.

VI. F. VI. *Id.* Romæ, Eutychiani Papæ & martyris, qui CCCXLII. martyres sua manu sepelivit.
Alexandriæ, Macarii martyris, genere Libyci.

VII. G. V. *Id.* Leocadiæ virginis.

I. H. IV. *Id.* Eulaliæ virginis & martyris.
Spoleti, Carpophori presbyteri, & Abundii diaconi.

II. I. III. *Id.* Danielis prophetæ.
Romæ, Damasi Papæ.
Et martyrum Pontiani, Prætextati, & Thrasonis; qui martyribus de facultatibus suis ministravit.

III. K. II. *Id.* Alexandriæ, Epimachii & Alexandri.
Et sanctarum quattuor mulierum, Ammonariæ, Mercuriæ, Dionysiæ, & Ammonariæ.

IV. L. *Idus.* Syracusis, Luciæ virginis & martyris.

V. M. XIX. *Kal. Jan.* Antiochiæ, Drusi, Zosimi, & Theodori.
Alexandriæ, Heronis, Arsenii, & Isidori, & Dioscori.
In Cypro, Spiridionis Episcopi.

VI. N. XVIII. *Kal.* In Africa, Valeriani Episcopi & confessoris, Wandalica persecutione.

VII. O. XVII. *Kal.* Martyrium sanctorum Ananiæ, Azariæ, Misaelis.
In Tuscia, Barbaræ virginis & martyris.

I. P. XVI. *Kal.* Translatio Ignatii Episcopi & martyris Antiochiæ.
Et Lazari, quem Christus resuscitavit, & Marthæ sororis ejus in Bethania.

II. Q. XV. *Kal.* Rufi & Zosimi de primis discipulis Christi, per quos Ecclesia de Judæis & Græcis primitiva fundata est.

III. R. XIV. *Kal.* Apud Ægyptum, Nemesii martyris, qui per calumniam quasi latro, Judici delatus est.

IV. S. XIII. *Kal.* Alexandriæ, Ammonis, Zenonis, Ptolomæi, Ingenui, Theophili.

V. T. XII. *Kal.* Thomæ Apostoli.
In Tuscia, Joannis, & Festi.

VI. V. XI. *Kal.* Romæ, XXX. martyrum sub Diocletiano, via Lavicana inter duas lauros sepultorum.
Alexandriæ, Ischyrionis martyris.
Et aliorum quamplurimorum, inter quos senex Chæremon.

VII. A. X. *Kal.* Romæ, Victoriæ martyris.
Nicomediæ, martyrum XX.
Romæ, Servuli ægritudine dissoluti, in Ecclesia beati Clementis sepulti; ubi Dominus per illum mira operari dignatur.

I. B. IX. *Kal.* Vigilia natalis Domini.
Apud Spoletum, Gregorii presbyteri & martyris.

II. C. VIII. *Kal.* NATIVITAS DOMINI secundum carnem.
Romæ, Anastasiæ.
Et Eugeniæ.

III. D. VII. *Kal.* Stephani protomartyris.

IV. E. VI. *Kal.* Joannis Apostoli & Evangelistæ, apud Ephesum.

V. F. V. *Kal.* Bethleem, sanctorum Innocentium.

VI. G. IV. *Kal.* David regis.
Et Trophimi Episcopi, discipuli Apostolorum.

VII. H. III. *Kal.* Apud Spoletum, Sabini Episcopi, Exuperantii, & Marcelli, & Venustiani cum uxore & filiis: qui passi VII. Idus Decembris, festivitatem sepulturæ habent III. Kal. Januarii.

I. I. II. *Kal.* Romæ, Silvestri Papæ & confessoris.
Et sanctæ Columbæ virginis.

Quo

Quo genere vel cultu Sancti Martyres venerandi ſunt.

Ex libris beati Auguſtini Epiſcopi.

Aug. l. xx. cōtra Fauſtum cap. xxi. POPULUS chriſtianus memorias martyrum religioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur: ita tamen, ut nulli martyrum, ſed ipſi Deo martyrum, quamvis in memoriis martyrum, conſtituamus altaria. Quis enim Antiſtitum in locis ſanctorum corporum, aſſiſtens altari, aliquando dixit: Offerimus tibi, Petre, aut Paule, aut Cypriane? Sed quod offertur, offertur Deo, qui martyres coronavit, apud memorias eorum quos coronavit; ut ex ipſorum locorum admonitione major affectus exurgat, ad augendam charitatem, & in illos quos imitari poſſumus, & in illum quo adjuvante poſſimus. Colimus ergo martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus: ſed illos tanto devotius, quanto ſecurius poſt incerta omnia ſuperata; quanto etiam fidentiori laudi prædicamus jam in vita feliciori victores, quam in iſta adhuc uſque pugnantes. At illo cultu, qui Græce *λατρεία* dicitur, Latine uno verbo dici non poteſt, cum ſit quædam proprie Divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum. Cum autem ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificii (unde Idololatræ dicuntur, qui hoc etiam idolis exhibent) nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam ſanctæ animæ, vel cuiquam Angelo, & quiſquis in hunc errorem delabitur, corripitur per ſanam doctrinam, ſive ut corrigatur, ſive ut caveatur. Etiam ipſi ſancti vel homines vel Angeli, exhiberi ſibi nolunt, quod uni Domino deberi norunt. Apparuit hoc in Pau-
Act. 14. lo & Barnaba, cum commoti miraculis, quæ per eos facta ſunt, Lycaonii tamquam diis immolare voluerunt: conſciſſis enim veſtimentis ſuis, confitentes & perſuadentes ſe deos non eſſe, iſta ſibi fieri vetuerunt. Apparuit &
Apoc. 19. 22. in Angelis, ſicut in Apocalypſi legimus, Angelum ſe adorari prohibentem, ac dicentem adoratori ſuo: Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum, Dominum adora. Iſta ſibi plane ſuperbi ſpiritus exigunt, diabolus & angeli ejus, ſicut per omnia templa & ſacra gentilium. Quorum ſimilitudo in quibuſdam etiam ſuperbis hominibus expreſſa eſt: ſicut de Babyloniæ quibuſdam regibus memoriæ commen-
Dan. 6. datum tenemus. Unde ſanctus Daniel accuſatores ac perſecutores pertulit, quod Regis edicto propoſito, ut nihil a quoquam Deo peteretur niſi a Rege ſolo, Deum ſuum, hoc eſt unum & verum Deum adorare deprecarique deprehenſus eſt: qui autem ſe in memoriis martyrum inebriant, quomodo a nobis approbari poſſunt, cum eos, etiamſi in domibus ſuis id faciant, ſana doctrina condemnet? Sed aliud eſt quod docemus, aliud quod ſuſtinemus: aliud quod præcipere jubemur, aliud quod emendare præcipimur, & donec emendemus, tolerare compellimur; alia eſt diſciplina Chriſtianorum, alia luxuria vinolentorum, vel error infirmorum; verumtamen & in hoc ipſo diſtant plurimum culpæ vinolentorum & ſacrilegorum. Longe quippe minoris peccati eſt, ebrium redire a martyribus, quam vel jejunum ſacrificare martyribus. Sacrificare martyribus dixi, non dixi ſacrificare Deo in memoriis martyrum: quod frequentiſſime facimus, illo duntaxat ritu, quo ſibi ſacrificari novi teſtamenti manifeſtatione præcepit: quod pertinet ad illum cultum, qui *λατρεία* dicitur, & uni Deo debetur. [Proinde verum ſacrificium, quod uni vero debetur Deo, quo ejus altare ſolus Chriſtus implevit, in victimis pecorum imitata dæmonia ſibi arrogan-
ter expoſcunt; unde Apoſtolus dicit: *quæ* 1. Cor. 10.
immolant Gentes, dæmoniis immolant, & non Deo; non quod offerebatur culpans, ſed quia illis offerebatur. Hebræi autem in victimis pecorum quas offerebant Deo multis & variis modis, ſicut re tanta dignum erat; prophetiam celebrabant futuræ victimæ, quam Chriſtus obtulit. Unde jam Chriſtiani peracti ejuſdem ſacrificii memoriam celebrant ſacroſancta oblatione & participatione corporis & ſanguinis Chriſti.] Hujus ſacrificii caro & ſanguis ante adventum Chriſti per victimas ſimilitudinum promittebatur; in paſſione Chriſti per ipſam veritatem reddebatur; poſt aſcenſum Chriſti per ſacramentum memoriæ celebratur.

Virgulæ incluſa deſunt Auguſtino impreſſo, citato loco.

VARIA LECTIO. Ed: *Quo genere, vel cultu &c.* Cod. 511. 512. 514. in principio hæc habent litteris majuſculis: *Incipit Præfatio ſequentis Operis, quo genere vel cultu* (cod. 512. 514. *vel quo cultu*) *martyres honorandi ſunt* (cod. 512. 514. *martyres ſancti honorandi ſint.*) *Ex libro* (cod. 511. 514. *Ex libris*) *beati Auguſtini Epiſcopi, Doctoris Eccleſiæ mirabilis.* Ed: *conſtituamus altaria.* Cod. 511. *conſtituantur altaria.* Ed: *cor ad talem.* Cod. 511. *corda ad talem.* Ed: *paratum.* Cod. 511. *parata.* Ed: *At illo cultu.* Cod. 511. *At vero illo cultu.* Ed: *ſive caveatur.* Deſunt hæc in cod. 511. Ed: *Dominum adora.* Cod. 511. 512. 514. *Deum adora.* Deinde ſequitur in eiſdem codicibus: *Honorandi ſunt ergo martyres propter imitationem, non adorandi propter religionem. Honorandi ſunt caritate, non ſervitute.* Verba: *Iſta ſibi &c.* uſque *celebratur*, deſiderantur in

his

his codicibus, sed post verbum *non servitute* habent: *Incipit Martyrologium per anni circuitum*, VIII. *Kal. Jan. In Bethleem Juda &c.* Hic autem Augustini locus ex libro XX. contra Faustum cap. XXI. sumptus; habetur etiam in prologo Usuardi ex codice Pratensi, & in aliis Usuardi codicibus, ac desinit in ea verba, *non servitute*, prout in apographis nostris Adonianis.

MARTYROLOGIUM ADONIS

Archiepiscopi Viennensis.

BENEVOLE LECTOR.

Adonis editores primi.

ALOYSIUS *Lipomanus, Episcopus Veronensis, illustre Italiæ decus, tomo suo quarto de Vitis SS. anno* M. D. LIV. *Venetiis edito non pauca ex Adonis Martyrologio MS. delibavit: quod ille tanti fecit, ut ipse scribat:* Omne aurum nihil duxi in comparatione illius. *Deinde Jacobus Mosander, Carthusiæ Coloniensis insignis alumnus, anno* M. D. LXXXI. *tomo septimo de vitis Sanctorum, quem succedaneum Surio dedit, hoc Martyrologium Adonis integrius edidit.*

Qui hac editio emendata.

Sed cum hic & ordinem mutaverit, & quædam ab aliena manu inseruerit, paucula dempserit, nonnulla quoque assecutus non fuerit; placuit rursus Adonem recensere, eumque pristino nitori restituere, & veteri Martyrologio Romano, sicut ipse olim fecit, subnectere. Quod ut ex fide præstarem tres mihi veteres codices fuere subsidio, perbenigne a diversis antiquitatis Ecclesiasticæ fautoribus communicati. Primus fuit sancti Pantaleonis Coloniæ, quem suppeditavit Carthusia Coloniensis, ex qua Ado curante Mosandro prodierat. Secundum nactus sum ab Everbodiensi Abbatia juxta Sichemium: tertium a Petro Scriverio. Qui etsi singuli se vetustate sua probarent, tertius tamen eminebat; nisi quod huic prima omnia deerant, usque ad Martium, & pars in Junio Julioque. Reliqui integrum Adonem repræsentabant, eo ordine modoque, quo nunc exhibeo. Litteræ singulis Martyrologii diebus præfixæ, in solo erant codice Everbodiensi.

Ado libellum Apost. a Martyrologio sejunxit.

Quare ne mireris, Lector, hic in fronte Martyrologii Adonis comparere Libellum de Festivitatibus sanctorum Apostolorum, & reliquorum, qui discipuli, aut vicini, successoresque ipsorum Apostolorum fuerunt. *Nihil enim sine auctoribus libris, iisque vetustissimis dedi: nihil in vulgato Adone, nisi iisdem suffragantibus mutavi. Et vero libelli hujus auctoritatem tuetur ipse Ado in suo Martyrologio* II. *Julii, ubi postquam breviter SS. Processi & Martiniani martyrum meminit, addit:* Quorum passio in libello Apostolorum supra notata est, *quæ verba in vulgato Adone desiderantur, uti & nonnulla alia. Quod inde accidit, quod Mosander libellum hunc Apostolorum, passim Martyrologio Adonis, locis suis inseruerit, iis submotis, quæ breviculo tantum de iisdem sanctis notata erant. Sed aliud Ado ipse consilium inierat. Voluit Apostolos, eorumque successores viros Apostolicos, velut duces in fronte generosi exercitus apparere, & gloriosos milites velut in aciem educere: voluit eosdem rursus in principiis & post principia [ut strenui duces solent] intercurrere: quod cur mutemus?*

Ado Viennensis, non Trevirensis, hujus Martyrologii auctor.

Adonem vero Viennensem Archiepiscopum, non Trevirensem [quod existimarunt Aloysius, & Mosander] uti Martyrologii, ita & hujus libelli auctorem esse, fidem facit codex Everbodiensis, qui hunc titulum præfert: Ado Viennensis Archiepiscopus quasi epilogatum compilavit, incipiens a festivitatibus Apostolorum, aut discipulorum, aut successorum eorum. *Nam quem ante titulum dedi, est e codice S. Pantaleonis, in quo Ado ante vetus Martyrologium Romanum, ut supra habes, præfatur nulla distinctione Episcopatus adjecta. Viennensis hic Ado multo Trevirensi est antiquior: nam ille vixit tempore Joannis VIII. circa annum* D. CCC. LXXIX. *ad eum enim annum Chronicon suum perduxit: alter vero sive Ado sive Udo tempore Gregorii VII. circa annum* M. LXXVI. *Adonis Viennensis natalis inter sanctos recensitus habetur* XVI. *Decembr.* Viennæ, beati Adonis Episcopi & Confessoris.

Cur initium Martyrologii a vigilia Nativitatis.

Quod hic in Martyrologio Adonis initium sumitur, non a Kalendis Januarii, ut hactenus editum, sed a Vigilia Nativitatis Domini, scias hoc ex Romanæ Ecclesiæ ritu factum, quæ anni epocham olim habuit Nativitatem CHRISTI, *& a Vesperis Vigiliæ ipsius Nativitatis annum auspicabatur. Constanter ita exhibebant tria MS. exemplaria, quibus usus sum. Vide & Cl. V. Pauli Petavii Syntagma de Epocha annorum.*

ADO-

ADONIS ARCHIEP. VIENNEN.

Libellus de Festivitatibus SS. Apostolorum & reliquorum, qui discipuli aut vicini successoresque ipsorum Apostolorum fuerunt.

29. Junii. Petri, & Pauli.

E. III. *Kalendas Julii.*

Hieron. de script. Ecclef. cap. 1. ROMA, natalis beatorum Apostolorum Petri & Pauli, qui passi sunt sub Nerone, Basso & Tusco Consulibus. Petrus secundo Claudii anno, post Episcopatum Antiochensis ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum, qui de circumcisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, ad expugnandum Simonem magum Romam missus est: ibique viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, usque ad ultimum annum Neronis, a quo & affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus elevatis, asserens se indignum, qui crucifigeretur, ut Dominus suus. Sepultus in eadem urbe, in Vaticano, juxta viam triumphalem, totius orbis veneratione celebratur. Scripsit duas epistolas, quæ Catholicæ nominantur; quarum secunda a plerisque ejus negatur, propter styli cum priore dissonantiam: sed & Evangelium juxta Marcum, qui auditor ejus, & interpres fuit, hujus dicitur. Libri autem, e quibus unus Actorum ejus scribitur, alius Evangelii, tertius Prædicationis, quartus Ἀποκαλύψεως, quintus judicii, inter apocryphas scripturas repudiantur.

Hieron. de script. Ecclef. cap. 5. Paulus quoque post passionem Domini xxv. anno, id est, secundo Neronis, postquam ab Jerusalem usque Illyricum replevit Evangelium Christi, Romam vinctus missus est; & sicut ipse in secunda epistola ad Timotheum scribit, liberatus de ore leonis, videlicet ferocissimi persecutoris Neronis, Evangelium Christi in Occidentis quoque partibus prædicavit. Et hic ergo quarto decimo Neronis anno, eodem die quo Petrus, Romæ pro Christo capite truncatur. Sepultusque est in via Ostiensi, anno post passionem Domini trigesimo septimo. Scribit autem novem, ad septem Ecclesias, epistolas: ad Romanos unam; ad Corinthios duas; ad Galatas unam; ad Ephesios unam; ad Philippenses unam; ad Colossenses unam; ad Thessalonicenses duas. Præterea ad discipulos suos; Timotheo duas; Tito unam; Philemoni unam. Epistola autem, quæ fertur ad Hebræos, non ejus creditur, propter styli sermonisque dissonantiam: sed vel Barnabæ juxta Tertullianum; vel Lucæ Evangelistæ, juxta quosdam; vel Clementis, Romanæ post Ecclesiæ Episcopi; quem dicunt, sententias Pauli proprio ordinasse, & ornasse sermone; vel certe [quia Paulus scribebat ad Hebræos, & propter invidiam sui apud eos nominis, titulum in principio salutationis amputaverat; scripserat autem, ut Hebræus Hebraice, idest suo eloquio dissertissime] ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentius vertisse in Græcum, & hanc esse caussam, quod a ceteris Pauli epistolis discrepare videatur. Ejus itaque esse, non alterius, tota Ecclesia jam firmissime tenet. Legunt quidam & ad Laodicenses; sed ab omnibus exploditur. Hic de tribu Beniamin, & oppido Judææ *Gigascalis fuit; quo a Romanis capto, cum parentibus suis Tharsum Ciliciæ commigravit: a quibus ob studium legis missus Jerosolymam, a Gamaliele doctissimo viro eruditus est. Cum autem interfuisset neci martyris Stephani, & acceptis epistolis a Pontifice templi, ad persequendos eos, qui Christo crediderant, Damascum pergeret, revelatione compulsus ad fidem in vas electionis de persecutore translatus est. Cumque primum ad prædicationem ejus Sergius Paulus proconsul Cypri credidisset, ab eo, quod eum Christi fide subegerat, sortitus est nomen.

** al. Gischalis.*

Act. 7. & 9.

30. Nov. Andreæ Apost.

F. II. *Kalendas Decembris.*

In civitate Patras provinciæ Achajæ, natalis beati Andreæ Apostoli, qui etiam apud Scythiam prædicavit. Hic beatissimus Apostolus ab Ægea proconsule Achajæ comprehensus, cum perseveranter in fide Christi, & Evangelii ministerio duraret, insuperabilisque maneret, carcere primum clausus, inde coram Proconsule gravissime cæsus, ad ultimum cruce ligatis manibus & pedibus, funibusque toto corpore tensus, ut longius cruciaretur, biduo inibi supervixit, non cessans ea, quæ Christi sunt, populum docere. Cumque hi, qui per eum Christo Domino crediderant, satis agerent, ut deponeretur; Ægeamque, ut hoc perficeret, nolentem impellerent; Apostolus Domini, circumstante populo, & Ægea proconsule, ut solvaretur, agente, post verba orationis fulgore cælesti fere una desuper circumfulsus hora, cum ipso lumine abscedente emittens spiritum, perrexit fine beato ad Dominum. Cujus sanctissimum corpus Maximilla potentissima matronarum reverenter depositum sepelivit: sed emergentibus annis, sacratissima ejus ossa, vicesimo Constantii Imperatoris anno, ab Achaja Constantinopolim translata sunt.

Euseb. in Chron.

25. Julii. Jacobi Apost.

C. VIII. *Kalendas Augusti.*

Natalis Jacobi Apostoli, fratris Joannis Evangelistæ, qui decollatus est ab Herode rege Jerosolymis, ut liber Actuum Apostolorum docet. Hujus beatissimi Apostoli sacra ossa ad Hispanias translata, & in ultimis earum finibus, videlicet contra mare Britannicum condita, celeberrima illarum gentium veneratione excoluntur.

Act. 12.

27. *Dec.* *Jo: Apost.*

D. VI. *Kalendas Januarii.*

Natalis beati Johannis Apostoli & Evangelistæ, quem Jesus amavit plurimum: qui secundam post Neronem persecutionem movente Domitiano, postquam in oleo ignito demersus nihil passus est, in Pathmum insulam relegatus vidit Apocalypsim. Interfecto autem Domitiano, & actis ejus ob nimiam crudelitatem a Senatu rescissis, sub Pertinace rediit Ephesum. Et quia concussam se absente per hæreticos vidit Ecclesiæ fidem, confestim hanc descriptam in Evangelio suo, verbi Domini æternitate stabilivit. Rogatus siquidem ab Asiæ Episcopis adversus Cerinthum, aliosque hæreticos, & maxime contra Ebionitarum dogma tunc consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse, compulsus est scribendi Evangelii sanctum opus suscipere. Ferunt, & aliam caussam hujus scripturæ; quod cum legisset Matthæi, Marci, & Lucæ volumina, probaverit quidem textum historiæ, & vera eos dixisse firmaverit, sed unius tantum anni, in quo & passus est Christus, & post carcerem Joannis, historiam texuisse. Prætermisso itaque anno, cujus acta a tribus exposita fuerant, superioris temporis, antequam Joannes clauderetur in carcerem, gesta narravit. Sicut manifestum esse poterit his, qui diligenter quatuor Evangeliorum volumina legerint; quæ res & διαφωνίαν, id est dissonantiam, quæ videbatur Joannis esse cum ceteris, tollit. Ipse autem usque ad Trajani principia tempora perseverans, totas Asiæ fundavit rexitque ecclesias; & confectus senio, sexagesimo octavo post Passionem Domini anno mortuus, juxta eamdem urbem sepultus est. Scripsit autem & unam epistolam, cujus exordium est: *Quod fuit ab initio*, quæ ab universis ecclesiasticis, & eruditis viris probatur. Reliquæ autem duæ, quarum principium est: *Senior electæ dominæ, & natis ejus*; & sequentis, *Senior Gajo charissimo*; Joannis presbyteri esse ab aliquibus putantur: sed nunc jam generalis Ecclesiæ consensus habet, quod has quoque epistolas Joannes Apostolus scripserit.

Hieron. de Eccl. script. cap. 9.

1. *Maji.* *Philippi & Jacobi Apost.*

B. Kalendis Maji.

Natalis beatorum Apostolorum Philippi & Jacobi: ex quibus Philippus cum pæne Scythiam ad fidem Christi convertisset, diaconibus, presbyteris, & Episcopis ibi constitutis, reversus est ad Asiam, ubi continua prædicatione per aliquot annos insistens, multitudinem populorum Christo laboribus piis semper inserviens lucratus est. Quique apud Hierapolim Asiæ civitatem dormivit, cum patribus suis beato fine sepultus.

Hieron. de Eccl. script. cap. 2.

Jacobus vero, qui & frater Domini legitur, cognomento Justus, post passionem Domini statim ab Apostolis Jerosolymorum Episcopus ordinatus est. Hic de utero matris sanctus fuit, vinum & siceram non bibit, carnem nullam comedit, numquam adtonsus est, nec unctus unguento, nec usus balneo. Huic soli licitum erat ingredi Sancta sanctorum. Siquidem vestibus laneis non utebatur, sed lineis. Solusque ingrediebatur templum, & fixis genibus pro populo deprecabatur, intantum ut camelorum duritiem traxisse ejus genua crederentur. Hic itaque cum publice in Concilio compelleretur a Judæis, ut Christum Dei filium denegaret, & ille voce maxima protestaretur ad populum, dicens: quid me interrogatis de filio hominis? Ecce ipse sedet a dextris virtutis Dei, & venturus est cum nubibus cœli; præcipitatus de pinna templi, confractis cruribus, adhuc semianimis tollens ad cælum manus, diceret; Domine ignosce eis, quod enim faciunt, nesciunt; fullonis fuste in cerebro percussus occubuit. Hic est, de quo Apostolus Paulus scribit ad Galatas: Gal. 1.
Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini. Et Apostolorum super hoc crebrius Acta testantur. Evangelium quoque, quod appellatur secundum Hebræos, & a beato Hieronymo in Græcum sermonem Latinumque translatum est, post resurrectionem Salvatoris de eo refert: *Dominus autem cum dedisset sindonem servo sacerdotis, venit ad Jacobum Justum, & apparuit ei. Juraverat autem Jacobus se non comesturum panem ab illa hora, qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem a dormientibus.* Rursusque post paulum: *Afferte, ait Dominus, mensam & panem.* Statimque additur: *Tulit panem & benedixit, & fregit, & dedit Jacobo Justo, dixitque ei: Frater mi, comede panem tuum, quia Filius hominis surrexit a dormientibus.* Triginta itaque annis Jerosolymæ rexit ecclesiam, id est, usque ad septimum Neronis annum; & juxta templum, ubi præcipitatus fuerat, sepultus est. Quidam in monte Oliveti eum conditum putant: sed falsa eorum opinio est. Scripsit autem unam tantum epistolam, quæ de septem canonicis est.

E. IX. *Kalendas Septembris.* 24. *Aug.*

Natalis beati Bartholomæi Apostoli: qui *Bartholo-*
apud Indiam Christi Evangelium prædicavit, *mæi Apost.*
decollatione martyrium complevit. Hujus Apostoli sacratissimum corpus primum ad insulam Liparis, quæ Siciliæ vicina est, deinde Beneventum translatum pia fidelium veneratione celebratur.

F. XII. *Kalendas Januarii.* 21. *Dec.*

Natalis beati Thomæ Apostoli, qui Par- *Thomæ A-*
this & Medis Evangelium prædicans passus est *post.*
in India. Corpus ejus in civitatem, quam Syri Edessam vocant, translatum, ibique digno honore conditum est.

E. XI. *Kalendas Octobris.* 21. *Sept.*

Natalis beati Matthæi Apostoli & Evange- *Matthæi*
listæ; qui primus in Judæa Evangelium Chri- *Apost.*
sti Hebræo sermone conscripsit, post vero *Hieron. de*
apud Æthiopiam prædicans, martyrium pas- *script. Ec-*
sus est. Evangelium, ejus stylo scriptum, *cl. cap. 3.*
ipso

Matth. 2. Luc. 5. ipso revelante, tempore Zenonis Imperatoris inventum est. Idem autem Matthæus in Evangelio Levi appellatur.

28. *Octob.* *Simonis, & Thadæi.* Luc. 6. Act. 1.

G. v. Kalendar Novembris.

Natalis beatorum Apostolorum Simonis Cananæi, qui & Zelotes scribitur, & Thadæi, qui etiam Judas Jacobi legitur; & alibi appellatur Lebæus, quod interpretatur corculus. E quibus Thadæus apud Mesopotamiam, Simon vero apud Ægyptum traditur prædicasse: inde simul Persidam ingressi, cum fidei Christi innumeram gentis ipsius multitudinem subdidissent, & Ecclesiam Domini late jam fundatam viderent, martyrium ibi, cursum temporis explentes, beato certamine consummaverunt; honorifice sepolti a populis Christianis, quos Domino ipsi genuerant. *Isid. de vit. & ob. SS. cap. 81.* Quod quidam putant Simonem Apostolum unum de duodecim ipsum esse, qoi sub Trajano crucem passus sit, omnino falsum est. Nam & Beda sanctus presbyter, qui hoc super Acta Apostolorum sentit, Isidorum secutus, in libro Retractationum se hoc non bene sensisse reprehendit. *Eusch. l. 3. cap. 16.* Sed & historia Ecclesiastica, non de Apostolo, sed de alio Simone gesta narrat.

2. *Maji.* *Simeonis.*

C. vi. Nonas Maji.

Natalis beati Simeonis Episcopi & martyris, *In Martyrol. Adonis est 18. Feb.* qui propinquus Salvatoris secundum carnem, Jerosolymorum Episcopus post Jacobum fratrem Domini est ordinatus; & persecutione Trajani multo tempore suppliciis affectus, *Eusch. l. 3. cap. 26.* martyrio consummatus est: omnibus, qui aderant, & ipso Judice mirantibus, ut centum viginti annorum senex crucis supplicium pertulisset.

24. *Feb.* *Matthiæ Apost.* Act. 1.

F. vi. Kalendas Martii.

Natalis sancti Matthiæ Apostoli, qui post ascensionem Domini a beatis Apostolis sorte electus, atque in locum Judæ proditoris Domini subrogatus apud Judæam Christi Evangelium prædicavit.

11. *Junii* *Barnabæ Apost.*

A. III. Idus Junii.

Natalis sancti Barnabæ Apostoli, qui cum esset Cyprius, cum Paulo gentium Apostolus ordinatus est. *Hieron. de script. Eccl. cap. 6.* Act. 11. Hic postea propter Joannem discipulum, qui & Marcus vocabatur, separatus a Paolo, nihilominus Evangelicæ prædicationis injunctum sibi opos exercuit. Cujus corpus tempore Zenonis Imperatoris, ipso revelante repertum est. Hic unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem epistolam composuit, quæ tamen inter apocryphas legitur.

18. *Oct.* *Lucæ Evang.*

D. xv. Kalendas Novemb.

Natalis sancti Lucæ Evangelistæ, qui fuit natione Syrus Antiochensis, arte medicus, *Hieron. de script. Eccl. cap. 7.* discipulus Apostolorum; Paulum secutus usque ad confessionem ejus, serviens Domino sine crimine: neque uxorem umquam habens neque filios. Septuaginta & trium annorum *Eusch. in Chron.* obiit in Bithynia plenus Spiritu sancto. Sepultus autem nunc Constantinopoli, ad quam urbem, vicesimo Constantii anno, ossa ejus, cum reliquiis Andreæ Apostoli, translata sunt. Scripsit Evangelium, quod non solum ab Apostolo Paulo didicit, qui cum Domino in carne non fuerat, sed & a ceteris Apostolis. Quod & ipse quoque in principio voluminis sui declarat, dicens: *Sicut tradiderunt nobis, qui a principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Lucæ 1. Aliud quoque volumen edidit egregium, quod titulo Apostolicarum ΠΡΑΞΕΩΝ prænotatur. Cujus historia usque ad biennium Romæ commorantis Pauli pervenit, id est, usque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem urbe librum esse compositum.

25. *Apr.* *Marci Evang.*

C. vii. Kalendas Maji.

Natalis sancti Marci Evangelistæ. Hic discipulus & interpres Apostoli Petri, rogatus Romæ a fratribus scripsit Evangelium, quod *Hieron. de script. Eccl. cap. 8.* quanto tardius ceteris inchoavit, tantum in longiora scribendo tempora porrexit. Ab initio namque Evangelicæ prædicationis, quod per Joannem factum cœpit, ad illud usque tempus narrando pervenit, quod Apostoli idem Evangelii verbum totum prædicando disseminavere per orbem. Quod cum Petrus audisset, probavit, & Ecclesiis legendum sua auctoritate edidit; quo assumpto, idem Marcus perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuntians, constituit Ecclesiam tanta doctrina & vitæ continentia, ot omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Meminit hujus Marci & Petrus in prima Epistola, sub oomine Babylonis figoraliter Romam significans: *Salutat vos quæ est Babylone collecta, & Marcus filius meus.* 1. Petr. 5. Quique constitutis & confirmatis Ecclesiis per Libyam, Marmaricam, Hammoniacam, Pentapolim, Alexandriam, atque Ægyptum universam; ad ultimum tentus est a paganis, qui remanserunt Alexandriæ. Qui videntes eum die sancto Paschæ Missas facientem, miserunt funem in collo ejus, & trahebant eum ad loca Bucoliæ, quæ erant juxta mare sub rupibus, ubi erat Ecclesia constructa, & defluebant carnes ejus in terram, ac saxa inficiebantur sanguine. Vespere autem facto miserunt eum in carcerem, obi circa mediam noctem primo angelica visitatione confortatus est: deinde ipso Domino ei apparente, ad cælestia regna vocatus est. At mane dum traheretur ad loca Bucoliæ, gratias agens, & dicens, Domine in manus tuas commendo spiritum meum, defunctus est, & a viris religiosis sepultus in loco lapidis excisi cum gloria. Ordinaverat autem pro se Alexandriæ Episcopum Anianum. Mortuus est autem octavo Neronis anno.

26. *Dec.* *Stephani protomar.*

C. vii. Kalendas Januarii.

Natalis beatissimi Stephani Protomartyris: qui non multo post ascensionem Christi ab Apostolis, cum esset plenus fide & Spiritu sancto, diaconus ordinatur. Hic faciens signa & prodigia magna in populo, plenus gratia & virtute, in oomine Domini nostri Jesu Christi Act. 6. 7. 8.

a quibusdam, qui erant de Synagoga, quæ dicitur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & qui a Cicilia & Asia, cum eo disputantibus, & conquirentibus, atque altercantibus, nec resistere valentibus sapientiæ & Spiritui sancto, quo loquebatur; concitato populo ac senioribus; scribisque udversus eum commotis; raptus & adductus in concilium est: cumque iosimularetur udversus locum sanctum & legem docuisse, plenus Spiritu sancto ostendit, quomodo Jesus Christus ex lege monstraretur & prophetis. At illi stridentes dentibus in eum, & frementes in cordibus suis, atque aures suas comprimentes, impetu facto ejecerunt eum extra civitatem: & lapidatus martyr obdormivit. Cujus beatissimum corpus viri timorati comportaverunt, & fecerunt planctum magnum super eum. Scribit beatus Lucas Evangelista beatissimam ejus passiouem in Actibus Apostolorum.

6. Jun. Philippi diac.

C. VIII. *Idus Junii.*

Natalis Philippi, qui fuit uuus de septem diaconibus, qui cum beato Stephano statim post ascensiooem Christi ab Apostolis sunt ordinati; de quo beatus Lucas in Actibus Apostolorum refert, quod signa & prodigia faciendo, prædicatione sua Samaritas ad fidem
Act. 8. & Christi convertit: & Candacis Reginæ Ætio-
21. pum studiosum in Scripturis eunuchum, io
Eusch. lib. fonte, qui est in vico Bethsoro in tribu Juda,
2. *cap.* 1. euntibus ab Ælia ad Hebron, in vicesimo la-
& lib. 3. pide, baptizavit: qui postea apud Cæsaream
c. 25. requievit. Juxta quem tres virgines filiæ ipsius prophetissæ tumulatæ jaceot: nam quarta filia illius plena Spiritu sancto in Epheso occubuit. Quidam tamen putant, apud Hierapolim eas tumulatas, ubi Apostolus Philippus unus de duodecim quiescit. Cujus fuisse filiæ ub aliquibus scriptoribus putatæ sunt.

9. Apr. Prochori.

A. V. *Idus Aprilis.*

Beati Prochori diaconi, præclarissimi fide & miraculis viri, apud Antiochiam martyrio cousummati, ibique quiescentis.

10. Jan. Nicanoris.

C. IV. *Idus Januarii.*

Beati Nicanoris diaconi, gratia fidei & virtute admirandi, apud Cyprum gloriosissime coronati: ibique venerabiliter sepulti.

19. Apr. Timonis.

D. XIII. *Kalendas Maji.*

Sancti Timonis diaconi upud Beroeam, qui primo doctor resedit, deinde verbum Domini disseminans venit Corinthum, ibique a zelantibus Judæis & oomen Christi persequentibus Græcis traditus, ut ferunt, primo flammis injectus, sed oihil læsus; deinde cruci adfixus, martyrium suum implevit. Sepultus apud Corinthum gloriose.

23. Jan. Parmenæ.

B. X. *Kalendas Februarii.*

Sancti Parmenæ diaconi: qui traditus gratiæ Dei, a fratribus injunctum officium prædicationis plena fide consummavit; martyrii gloriam adeptus Philippis quievit.

C. IX. *Kalendas Februarii.* *24. Jan. Timothei.*

Natalis sancti Timothei discipuli beati Pauli Apostoli, qui apud Ephesum a beato Apostolo Episcopus ordinatus, post multos pro Christo agones dormivit. Cujus corpus cum reliquiis beati Andreæ & Lucæ vicesimo Constantii aono Coostantinopolim translatum est.

D. II. *Nonas Januarii.* *4. Jan. Titi.*

Natalis beati Titi Apostolorum discipuli: qui ordiuatus ab Apostolo Paulo Cretensium Episcopus, cui etiam epistolam omni Ecclesiæ Dei celeberrimam idem Apostolus misit, post prædicationis officium fidelissime coosummatum, beatum finem adeptus, sepultus est in Ecclesia, ubi a beato Apostolo fuerat dignus minister constitutus.

C. VII. *Idus Maji.* *9. Maji. Hermæ.*

Natalis sancti Hermæ, cujus Apostolus
Paulus ad Romanos scribens meminit. *Salu-* Rom. 16.
tate Phlegontham, Hermen, Patrobam, Herman, & qui sunt cum eis fratres. Hunc adferunt auctorem esse libri, qui appellatur Pastor: & apud quasdam Græciæ Ecclesias etiam publice legitur. Revera utilis liber, multique de eo Scriptorum veterum usurpavere testimooia; sed apud Latinos pæne ignotus est. Qui digne Deo semetipsum sacrificans, acceptabilisque Deo hostia factus, virtutibus clarissime fundatus, cœli regna petivit. Sepultus apud urbem Romam. Titulus nomine ipsius, juxta quod baptisterium ex facultatibus sanctæ Praxedis est extructum, & a beato Pio discipulo Apostolorum operante studio consecratum, venerabiliter ei statutus est.

E. XIV. *Kalendas Martii.* *16. Febr. Onesimi.*

Natalis sancti Onesimi, de quo beatus Apostolus Philemoni familiares litteras mittit.
Obsecro te de meo filio, quem genui in vincu- Philem. 1.
lis Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi utilis, quem remisi: tu autem illum, id est, viscera mea suscipe: quem beatus idem Apostolus Episcopum ordinans, prædicationisque verbum ei committens, apud Ephesiorum civitatem reliquit:
cui Episcopus post beatum Timotheum & ipse *Ignat. Ep.*
resedit. De quo & beatus Ignatius Ephesiis 14. *ad E-*
mittens Epistolam, ita dicit: *Quoniam ergo* *phes.*
suscepi multitudinem vestram in nomine Domini in Onesimo, dilecto præceptore nostro, vestro autem Episcopo; obsecro enim secundum Jesum Christum diligere vos, & vos omnes in concordia ejus in ipso esse: benedictus enim Dominus, qui vobis talibus talem Episcopum donavit habere in Christo. Hic Romam perductus, atque ibi pro fide Christi lapidatus, sepultus est Christi martyr primum ibi; inde ad loca, ubi fuerat ordinatus Episcopus, corpus ejus est delatum.

E. IX. *Kalendas Decembris.* *23. Nov.*

Natalis sancti Clementis, de quo Apo- *Clementis.*
stolus Paulus ait: *Cum Clemente & ceteris coope-* *Philip.* 4.
ratoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.

Hieron. de vitæ. Script. Ec. cl. cap. 15. Hic quartus post Petrum Romæ Episcopus, (siquidem secundus Linus fuit, tertius Anacletus) sub persecutione Trajani, trans Pontum mare in eremo, quod adjacet civitati Chersonæ, relegatur exilio. Ubi cum per doctrinam ejus plures converterentur ad Dominum, paganis insistentibus, invidiosa relatio eucurrit ad Imperatorem Trajanum, quæ diceret ibi per Clementem christianorum populum adercvisse. Qui misit ducem Aufidianum: qui cum videret (multos christianos occidens) fixum in omnibus beatum Clementem, & penitus mutari non posse, jussit præcipitari eum in mari medio, ligata ei ad collum anchora, talique martyrio discipulus Petri coronatur: & nominis ejus memoriam usque hodie Romæ extructa Ecclesia custodit.

1. Febr. Ignatii.

D. Kalendis Februarii.

Hieron. de Script. Ec. cl. cap. 16. Natalis sancti Ignatii Episcopi & martyris, qui tertius post Petrum Apostolum Antiochenam rexit Ecclesiam: qui persecutione Trajani damnatus ad bestias Romam vinctus mittitur, ubi præsente Trajano, circumsedente Senatu, pilis plumbeis scapolæ ejus primum contusæ, deinde ungulis latera ejus dilaniata, & lapidibus asperis confricata. Post expansæ manus ejus & igni repletæ, papyro oleo infuso & incenso latera ejus adusta. Post super carbones pavimento aspersos, ubi sanctæ plantæ illius steterunt. Post lectum flammantem, post dorsum ejus ungulis discissum & dilaceratum, post aceto & sale plagas ejus perfusas, post vinculis ferreis beata membra illius astricta, & pedes ejus in ima carceris ligno conclusos, ubi tribus diebus ac noctibus panem non comedens, & aquam non bibens mansit; sedente Trajano pro tribunali in amphitheatro, concurrente omni turba Romanorum, ligatus duobus objicitur leonibus. Cumque jam projectus bestias rugientes audiret, ardore patiendi ait: *Viri Romani, qui hoc certamen spectatis, non sine causa laboravi, non propter pravitatem hæc patior, sed propter pietatem: frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, ut panis mundus inveniar.* Hæc illo dicente adcurrerunt ad eum leones, & ex utraque parte super eum incidentes præfocaverunt eum tantummodo. & non tetigerunt carnes ejus, ut reliquiæ ejus tuitio essent Romanorum & magnæ Urbis, in qua Petrus crucifixus est, Paulus decollatus, Onesimus lapidatus. Passus est undecimo Trajani anno, consulatu Attici & Marcelli, Kalend. Febr. Reliquiæ corporis ejus a fratribus, qui eum usque ad martyrium deduxerant, Antiochiam relatæ, jacent extra portam Daphniticam in cœmeterio ecclesiæ, XVI. Kalendas Januarii delatæ.

6. Maji. Evodii.

G. Pridie Nonas Maji.

Natalis sancti Evodii, qui ab Apostolis Antiochiæ Episcopus ordinatus est, de quo beatus Ignatius ad Antiochenam Ecclesiam: *Pauli & Petri facti estis discipuli, nolite perdere depositum, quod vobis commendaverunt. Mementote dignæ beatissimi Evodii, pastoris vestri, qui primus vobis ab Apostolis Antistes ordinatus est. Non confundamus patrem, sed efficiamur certi filii & non adulterini.* Hic martyr apud Antiochiam urbem, cui præfuit, sepultus est. *Ignat. Ep. 12. ad Antioch.*

A. X. Kalendas Augusti. *23. Julii.*

Apollinaris. Vide in Martyrol. Adonis de hoc fusius. Natalis sancti Apollinaris Episcopi: qui Romæ ordinatus ab Apostolo Petro Ravennam missus est, qui etiam in Æmilia prædicavit, & in partibus Corinthiorum, & in Mœsia, & in ripa Danubii, & in partibus Thraciæ, in quibus locis exilio relegatus est, & ubicumque pervenit, innumeras virtutes fecit, & passiones sustinuit: nam nimia cæde pæne mactatus, & diutius fustibus cæsus, ac nudis pedibus super prunas impositus, rursum cæsus & equuleo appensus, tortus est, & saxo os ejus contusum est, & cum gravissimo ferri pondere inclusus in carcere horrifico, atque in ligno extentus est, ubi ab hominibus quidem neglectus, sed ab Angelo publicè pastus est: deinde catenatus & in exilium directus est, in quo rursum diutius fustibus cæsus, & rursum in Ravenna ligatus, a paganis cæsus & vulneratus, & rursum in carcerem missus & cæsus, sic martyrium consummavit sub Vespasiano Cæsare, Demosthene patricio. Rexit Ecclesiam annos XXVIII. dies IV. mensem I.

E. VII. Kalendas Februarii. *26. Jan.*

Polycarpi. Vide in Martyrol. Adonis de hoc fusius. Natalis S. Polycarpi, qui beati Joannis discipulus, & ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit. Postea vero, regnante Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ sedente Proconsule, & universo populo in amphitheatro adversum eum personante, igni traditus est. Cum quo etiam alii duodecim, ex Philadelphia venientes, apud præfatam urbem martyrio consummati sunt.

Germanici. Tunc etiam Germanicus, athleta Christi insignis, glorioso martyrii agone translatus est. Nam cum a Judice damnatus fuisset ad bestias, ultro sibi præparatam bestiam provocavit, despiciens videlicet temporalem mortem, & coronam vitæ æternæ veloci fine adipisci desiderans. Scripsit idem beatus Polycarpus ad Philippenses valde utilem epistolam, quæ usque hodie in Asiæ conventu legitur.

E. III. Idus Julii. *13. Julii.*

*Sileæ. * al. Silæ. Act. 15. 16. 17. 18.* Natalis * sancti Sileæ Apostoli, qui cum esset unus de primis fratribus, & ab Apostolis ad Ecclesias gentium destinatus, cum Barnaba & Juda, postea ab Apostolo Paulo assumptus, prædicationis officium, gratia Domini plenus, instanter consummavit, atque apud Macedoniam in passionibus suis Christum clarificans, postmodum requievit.

D. XIV.

19. *Julii.* *D. XIV. Kalendas Augusti.*
Epaphræ. Natalis beati Epaphræ, qui a beato Paulo
Colofs. 1. Colossia ordinatus Episcopus, clarus virtuti-
& 4. & ad bus, martyrii palmam pro ovibus sibi com-
Philem. mendatis virili agone percepit. Sepultus apud
eamdem urbem.

26. *Julii.* *D. VII. Kalendas Augusti.*
Erasti. Natalis Erasti, qui Philippis a beato Pau-
Act. 19. lo Episcopus relictus, ibi martyrio coronatus
Rom. 16. quievit.
2. Tim. 4. *B. XV. Kalendas Januarii.*
18. *Dec.* Natalis beatorum Rufi & Zosimi, de quo-
Rufi & rum agone felici sanctus Polycarpus in epi-
Zosimi. stola ad Philippenses scribit, dicens: *Depre-*
Polyc. ep. *cor autem vos omnes obedientiæ operam dare,*
unic. ad *ac meditari patientiam, quam vidistis in Igna-*
Philipp. *tio & Rufo & Zosimo beatissimis viris: scien-*
tes, quod hi non in vacuum, sed per fidem &
justitiam cucurrerunt, donec venirent ad lo-
cum sibi a Domino præparatum: quoniam qui-
dem passionum ejus participes extiterunt, nec
dilexerunt præsens sæculum, sed eum qui pro
ipsis & pro omnibus mortuus est & resurrexit.

4. *Aug.* *F. II. Nonas Augusti.*
Aristar- Natalis beati Aristarchi, de quo Apostolus
chi. Paulus Colossensibus scribit: *Salutat vos Ari-*
Colofs. 4. *starchus concaptivus meus;* qui comes indivi-
Act. 19. duus Apostolo permansit usque ad ejus con-
20. 27. fessionem, qui constitutus Thessalonicensium
Episcopus, post longos & beatissimos agones
a Christo coronatus quievit.

6. *Sept.* *D. VIII. Idus Septembris.*
Onesipho- Natalis sancti Onesiphori, de quo ad Ti-
ri. motheum scribit Apostolus: *Det misericor-*
diam Dominus Onesiphori domui, quia sæpe
2. Tim. 1. *me refrigeravit, & catenam meam non eru-*
buit: sed cum Romam venisset, sollicite me
quæsivit, & invenit. Det illi Dominus in-
venire misericordiam a Domino in illa die. Et
quanta Ephesi ministravit, melius tu nosti.

25. *Sept.* *B. VII. Kalendas Octobris.*
Cleophæ. Natalis Cleophæ, qui unus fuit de LXX.
Christi discipulis. Cui post resurrectionem
eunti cum alio condiscipulo in castellum no-
mine Emmaus, quod Nicopolis nunc dicitur,
Lucæ 4. Dominus apparuit. Quem tradunt in eadem
urbe in eademque domo, in qua mensam,
quasi peregrino, Domino paraverat, pro
confessione illius, quem ibi ipse recognove-
rat, a Judæis occisum, & gloriosa memoria
etiam sepultum.

4. *Oct.* *D. IV. Nonas Octobris.*
Crispi & Natalis SS. Crispi & Caii, quos apud Co-
Caii. rinthios beatus Apostolus se dicit baptizasse.
1. Cor. 1. Cujus Caii meminit idem Apostolus ad Roma-
Rom. 16. nos: *Salutat vos Cajus hospes meus, & uni-*
Jo: ep. 3. *versa ecclesia.* Cujus & beatus Joannes, scri-
bens ei epistolam, meminit: *Senior Cajo*
charissimo, quem ego diligo in veritate.

29. *Dec.* *F. IV. Kalendas Januarii.*
Trophimi. Natalis sancti Trophimi, de quo scribit
2. Tim. 4. Apostolus ad Timotheum: *Trophimum autem*
reliqui infirmum Mileti. Hic ab Apostolis
Romæ ordinatus Episcopus, primus ad Are-
latem urbem Galliæ ob Christi Evangelium
prædicandum directus est. Ex cujus fonte,
ut beatus Papa Zosimus scribit, totæ Galliæ
fidei rivos acceperunt: qui apud eamdem ur-
bem in pace quievit.

D. XI. Kalendas Aprilis. 22. *Mar.*
Natalis sancti Pauli, quem beati Apostoli *Pauli.*
ordinatum urbi Narbonæ Episcopum miserunt.
Quem tradunt eumdem ipsum fuisse Sergium
Paulum Proconsulem, virum prudentem:
a quo ipse Paulus sortitus est nomen, quia
eum fidei Christi subegerat; quique ab eodem
sancto Apostolo cum ad Hispanias prædicandi
gratia pergeret, apud præfatam urbem Nar-
bonam relictus, prædicationis officio non se-
gniter impleto, clarus miraculis coronatus
sepelitur.

D. XII. Kalendas Februarii. 21. *Jan.*
Natalis sancti Publii Athenarum Episcopi, *Publii.*
qui Princeps insulæ Melitæ, vel Melitenæ,
cum navigantem beatum Apostolum Paulum
Romam, sub custodia detentum per triduum
hospitio receptum, humane tractasset, ut
beatus Lucas refert, patrem ipsius Publii Act. 28.
contigit febribus, & dysenteria jacere. Ad
quem cum intrasset beatus Apostolus, & im-
posuisset illi manus, & orasset, sanavit eum.
Quem Publium adhærentem sibi beatus Apo-
stolus postea ordinatum Episcopum, ad præ-
dicandum direxit: qui postmodum Athenien-
sium ecclesiam nobiliter rexit, & præclarus
virtutibus & doctrina præfulgens, ob Christi *Euseb. l. 4.*
martyrium gloriose coronatur: nam primus *cap. 22.*
Dionysius, inde Publius iste Athenis præfuit.

F. VII. Kalendas Junii. 26. *Maji.*
Natalis sancti Quadrati Apostolorum disci- *Quadrati.*
puli, qui in locum beati Publii Athenarum
Episcopi substituitur, & Ecclesiam grandi ter- *Hieron. de*
rore dispersam fide, & industria sua congre- *script. Ec-*
gat: cumque Adrianus Athenis exisset hiem e *cl. cap. 19.*
invisens Eleusinam, & omnibus pæne Græciæ
sacris initiatus, dedisset occasionem his qui
Christianos oderant absque præcepto Impera-
toris vexare credentes, porrexit ei librum
pro nostra religione compositum valde utilem,
plenumque rationis & fidei, Apostolica do-
ctrina dignum, in quo & antiquitatem suæ
ætatis ostendens, ait plurimos a se visos, qui
variis in Judæa oppressi calamitatibus, a Do- Act. 21.
mino sanati fuerant, & qui a mortuis resur-
rexerant *: quia una cum filiabus Philippi, & * *Deest hoc*
in prophetica gratia celeberrimus fuit. *Hieron.*

G. V. Non. Octobris. 3. *Oct.*
Natalis S. Dionysii Areopagitæ, qui, ut *Dionysii.*
liber Actuum Apostolorum indicat, ad præ-
dicationem beati Pauli Apostoli apud Athenas Act. 17.
ad fidem Christi conversus, primus ejusdem
civitatis Episcopus ab eodem est constitutus.

G. XI. Kalendas Augusti. 22. *Jul.*
Natalis sanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua, *Mariæ*
ut Evangelium refert, septem dæmonia ejecit *Magda-*
Dominus. Quæ etiam inter alia dona insignia *lenæ.*
Chri-

Christum a mortuis resurgentem prima videre meruit.

23. *Sept.* *Theclæ.*

G. IX. Kalendar Octobris.

Natalis sanctæ Theclæ virginia de Iconio civitate Orlentis, quæ a Paulo Apostolo instructa, in confessione Christi ignes ac bestias devicit, & post multa certamina ad doctrinam multorum veniens Seleuciam requievit in pace.

3. *Sept.* *Phœbes.*

A. III. Nonas Septembris.

Natalis sanctæ Phœbes, de qua beatus Apostolus Romanis scribit: *Commendo autem vobis Phœben sororem nostram, quæ est in ministerio Cenchris, ut eam suscipiatis in Domino digne sanctis, & adsistatis ei in quibuscumque desideraverit: vestris etenim ipsa quoque adsistit multis, etiam & mihi ipsi.* (Rom. 16.)

2. *Julii.* *Processi & Martiniani.*

A. VI. Nonas Julii.

Natalis sanctorum Processi & Martiniani, qui cum essent Magistriani Melloprincipi, & viderent mirabilia, quæ faciebat per beatos Apostolos suos Petrum & Paulum Dominus Jesus Christus, mirari cœperunt. Erant tunc temporia beatissimi Apostoli traditi Paulino sub custodia Mamurtini in monte Tarpejo, ubi de monte suis orationibus aquam manare fecerunt. Tunc sunt baptizati Processus & Martinianus a beato Petro Apostolo, & alii promiscui sexus numero XLVII. Quod cum nuntiatum esset Paulino, scilicet quod Processus & Martinianus Magistriani Mellichristiani effecti essent, misit milites & tenuit eos, jussitque in custodiam retrudi. Sequenti die educti cum constantissime Christum faterentur, jussit Paulinus, ut lapidibus os eorum contunderetur, sed illi gloriam in excelsis Deo dicebant. Allata est & tripoda, & supra eam Jovis aureus. Illi cum viderent, risum facientes exspuerunt in Jovem, & in tripodam. Tunc jussi sunt in equuleo suspendi, & adtrahi nervis, & cædi fustibus. Jussumque est, ut flammæ ponerentur circa latera eorum. Erat autem ibi matrona nobilissima nomine Lucina, quæ confortabat eos, dicens: Milites Christi constanter estote, & nolite metuere pœnas, quæ ad tempus sunt. Iterum appensi in equuleo, a militibus cæsi sunt scorpionibus, iterum retrusi in custodiam, ubi venerabilis femina Lucina ministrabat ais. Post triduum Paulinus arreptus a dæmonio exspiravit. Cæsareus præfectus hoc Neroni intimavit. Cui Nero præcepit, dicens: Non tardentur, sed celerius extinguantur. Tunc educti foras muros urbis Romæ in via, quæ Aurelia nuncupatur, gladio cæsi sunt. Corpora eorum beatissima Lucina collegit, & cum aromatibus pretiosis sepelivit in prædio suo in Arenario, juxta locum, ubi decollati sunt, sub die VI. Non. Julii.

30. *Junii.* *Lucinæ.* *Vide gesta SS. Processi & Martiniani 2. Jul.*

F. II. Kalendas Julii.

Natalis beatissimæ Lucinæ, quæ a beatis Apostolis baptizata & instructa est, quæ de facultatibus suis Sanctorum necessitatibus communicans, vincula & carceres eorum semper sublevare studuit, atque eorum sepulturis venerabiliter inservire. Quorum meritis & ipsa sociata, pretiosissimam mortem confessione Christi adepta, atria Jerusalem intrare, vota sua Domino persolvendo meruit: ac Romæ in crypta laudabili, quam ipsa ad condendum martyrum corpora construxerat, honorabiliter sepulta.

21. *Jan.* *Agnetis.*

G. XII. Kalendas Februarii.

Natalia beatissimæ Agnetis virginis & martyris, quæ tertiodecimo ætatis suæ anno in urbe Roma passa est. Hæc, dum ab scholis revertitur, a Præfecti filio adamatur: cujus parentes dum requisisset, cœpit offerre plurima, & plura promittere; denique detulerat secum pretiosissima ornamenta, quæ a beata Agnete veluti quædam stercora sunt recusata. Unde factum est, ut juvenis majori perurgeretur stimulo, & putans eam meliora velle accipere ornamenta, omnem lapidem pretiosum secum defert & gloriam; & per se ipsum, & per notos & affines cœpit aures appellare virginis; divitias, domos, possessiones, familias, atque omnes mundi divitias repromisit, si consensum suum ejus conjunctioni non negaret. Sed cum beatissimam virginem inclinare nullis donis, aut promissionibus posset, insanus juvenis amore corrumpitur cæco, & inter angustias animi & corporis anhelo cruciabatur spiritu. Inter hæc lecto prosternitur, & per alta suspiria amor a medicis aperitur. Fiunt nota patri, quæ fuerant inventa a medicis, & eadem paterna voce, quæ fuerant jam dicta a filio, ad petitionem virginis revolvuntur. Abnegat Agnes beatissima, & se nullo pacto asserit prioris sponsi fœdera violare. Tunc Præfectus cœpit vehementer inquirere, quis esset, de cujus se Agnes potestate jactaret. Extitit quidam, qui diceret hanc Christianam fuisse ab infantia, & magicis artibus ita occupatam, ut diceret Christum sponsum suum. Audiens hæc Præfectus Symphronius, lætus efficitur, & missa apparitione cum ingenti strepitu, suis eam tribunalibus præcepit assisti. Quam cum nec blandimentis, nec terroribus posset ab statu sui propositi movere, jussit eam expoliari, & nudam ad lupanar duci sub voce præconis dicentis: Agnem sacrilegam virginem, Diis blasphemiam inferentem, scortum traditam lupanaribus. Statim autem ut spoliata est, crine resoluto tantam densitatem capillis ejus gratia divina concessit, ut melius eorum fimbriis videretur, quam vestibus tecta. Ingressa autem turpitudinis locum, Angelum illic Domini præparatum ita invenit, ut circumdaret eam immenso lumine. Cumque se in oratione Domino substravisset, apparuit ante oculos ejus stola candidissima, & apprehendens eam induit se, erat autem ad mensuram corpusculi ejus indumentum nimio candore conspicuum. Interea Præfecti filius venit ad

locum,

locum, credens se ludibrium exercere: & audacter ingressus, vidit tantum lumen circa eam; sed quia non dedit honorem Domino, cecidit in faciem suam, & præfocatus a diabolo exspiravit. Hunc tamen virgo post paululum orando resuscitavit, qui egressus foras, cœpit clamare: Unus Deus in cælo, & in terra, & in mari, qui est Deus Christianorum: nam omnia templa vana sunt, dii, qui coluntur, vani sunt, & penitus nec sibi possunt aliquid nec aliis præstare. Præfectus autem videns tanta mirabilia, obstupuit; sed veritus proscriptionem, si contra Pontifices templorum ageret, qui seditionem populorum concitaverant, & Agnem contra sententias suas defensaret, vicarium ad seditionem populi Judicem derelinquit. Ipse autem tristis abscessit, quod eam non potuit post resurrectionem filii sui liberare. Vicarius vero Aspasius nomine jussit in conspectu omnium ignem copiosum incendi, & in medio eam præcepit flammarum jactari. Quod dum fuisset impletum, statim in duas partes divisæ flammæ hinc atque illinc seditiosum populum exurebant. Beata autem Agnes expandens manus suas, in medio ignis orationem fudit ad Dominum. Completa oratione ita omnis ignis extinctus est, ut nec tepor quidem incendii remansisset. Tunc Aspasius seditionem populi, qui hoc non virtutibus divinis, sed maleficiis reputabant, minime ferens, in gutture ejus gladium mergi præcepit: atque hoc exitu sanguinis sui rubore perfusam, Christus sibi sponsam, & martyrem consecravit: parentes vero ejus cum gaudio abstulerunt corpus ejus, & posuerunt illud in prædio suo, non longe ab Urbe, via Numentana XI. Kalendas Febr. ubi basilicam post aliquot annos petente Constantia filia, Constantinus Augustus construxit. Fuerat enim ab obsessis vulneribus eadem Regina & virgo, ad sepulchrum Agnetis sanata, ibique Mausoleum sibi ipsa constituit. Passa est autem beata Agnes sub præfecto Urbis Symphronio, vicario ejusdem Urbis Aspasio.

A. Nonis Februarii.

5. Febr. Agathæ. Sanctæ Agathæ virginis & martyris, in Sicilia civitate Catanæ sub Quinctiano proconsule, Imperatore Decio: qui consularis vir Quinctianus cupiens multifaria intentione ad eam pertingere, quod esset nobilissimis orta natalibus, fecit eam artari, & cuidam matronæ tradi nomine Aphrodisiæ, quæ habebat novem filias turpissimas, ut mutaret animum ejus. Quæ videns mentem ejus immmobilem, post XXX. dies abiit ad Quinctianum, & dixit ei: Facilius possunt saxa molliri, & ferrum in plumbi molliciem verti, quam ab intentione Christianà mens istius puellæ revocetur. Jussit igitur eam Quinctianus ad Secretarium suum adduci, & sedens pro tribunali, beatissimam Agathen interrogat: Cujus conditionis es? Agatha respondit: Non solum ingenua, sed & spectabilis genere, ut omnis parentela mea testatur. Cui dixit Quinctianus: Etsi ingenua probaris & nobilis, cur moribus servilem personam te habere ostendis? Cui beata Agatha inquit: Ancilla Christi sum, ideo me servilem habere ostendo personam. Cumque in confessione Christi fortissime, quæ fidei sunt, prosequeretur, jussit eam Quinctianus alapis cædi; deinde constantius Christum prædicantem jussit ad carcerem trahi. Agatha autem lætissima & gloriauter carcerem introivit, & quasi ad epulas invitata, ita gaudens agonem suum Domino precibus commendabat. Sequenti die iterum aspectibus judicis præsentatur, quam jussit in equuleo ingenti suspendi, & torqueri. Tunc post alia Agatha Judici respondit: Sicut qui videt, quem diu desiderabat; aut sicut qui invenit thesauros multos, ita & ego delector in his pœnis corporalibus posita. Non enim potest triticum in horreo reponi, nisi theca ejus fortiter fuerit conculcata, & redacta in paleas. Ita & anima mea non potest in paradisum Dei cum palma intrare martyrii, nisi diligenter feceris corpus meum a carnificibus adtrectari. Jussa est deinde in mamilla torqueri, quam diu tortam fecit impius Judex abscindi. Recipitur beata virgo iterum in carcerem, ubi neque panis neque aqua ministraretur ei: & ecce circa noctem mediam venit quidam senex, qui se medicum esse commemorabat, ferens diversa medicamenta, quem antecedebat puer luminis portitor: qui inter alia virgini dixit: Consideravi, inquit, & vidi, quia potest salutem tua mamilla suscipere. Cumque illa verbis senis non præberet assensum, putans quod vellet carnalem adhibere sibi medicinam: dixissetque seni inter alia; Habeo Salvatorem Dominum Christum Jesum, qui verbo curat omnia, & sermo ejus solus restaurat universa, subridens senior; Et me, inquit, ipse misit ad te: nam & ego Apostolus ejus sum, & in nomine ejus scias te esse salvatam: & sic ab oculis ejus sublatus est. Post quatuor dies reducta iterum ad Quinctianum est, qui testas acutas & carbones jussit spargi, & nudo corpore eam supra volutari: & ecce subito totus ille locus commotus est, & pars parietis cecidit & oppressit duos; consiliarium Judicis, & amicum ejus. Quinctianus igitur fugiens, quia ex uno latere terræ motum, ex alio latere seditionem populi formidabat, iterum jussit eam in carcerem recipi; quæ ingressa expandit manus suas ad Dominum, & dixit: Domine, qui me creasti, & custodisti ab infantia mea, & fecisti me in juventute viriliter agere, qui tulisti a me amorem sæculi, qui corpus meum a pollutione separasti, qui fecisti me vincere tormenta carnificis, ferrum, ignem, & vincula; qui mihi inter tormenta virtutem patientiæ contulisti: deprecor ut accipias spiritum meum modo, quia tempus est, ut me jubeas istud sæculum derelinquere, &

ad tuam

ad tuam misericordiam pervenire. Hæc dicens, beatum cœlo misit spiritum, cujus sacrum corpus auferentes Christiani populi, posuerunt conditum aromatibus in sepulchro novo. Cum autem collocaretur, venit quidam juvenis sericis vestibus indutus, quem sequebantur amplius quam centum pueri albati & pulchri, & introivit ad locum ubi condebatur corpus sanctæ virginis, & posuit tabulam brevem marmoream ubi scriptum est: *Mentem sanctam & spontaneam, honorem Dei, & Patriæ liberationem*: & tamdiu ibi stetit idem juvenis, donec sepulchrum cum diligentia clauderetur, & abscedens non est ulterius visus in tota provincia Siculorum. Unde non dubitandum, quod Angelus fuerit. Passa est autem beata Agatha Non. Febr. Quinctianus post hæc iter arripuit, ut facultates beatæ Agathæ investigaret, & ut teneret omnes de parentela ejus, qui Dei judicio in medio fluminę interiit.

24. *Junii.* *G. VIII. Kalendas Julii.*

Nat. Jo. Bapt. Nativitas beati Joannis Baptistæ Præcursoris Domini, Zachariæ & Elisabeth filii, qui Spiritu sancto repletus adhuc in utero matris suæ, & antequam exiret inde, sanctificatus, usque ad diem ostensionis suæ ad Israel, con-
Marci 1. fortatus Spiritu agebat in desertis, vestitus pilis camelorum, habens zonam pelliceam circa lumbos suos, esca autem ejus erat locusta & mel silvestre. Tricesimo ætatis anno, quinto decimo anno imperii Tiberii, cum Procurator esset in Judæa Pilatus, jamque regnum Judæorum in quatuor principatus esset divisum, venit in omnem regionem Jordanis prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.

29. *Aug.* *C. IV. Kalendas Septemb.*

Decollat. Passio & decollatio, vel potius Inventio capi-
Ju: Bapt. tis ejusdem beatissimi Joannis Baptistæ, quem
Mar. 6. Herodes Tetrarcha, ut Evangelistæ referunt,
Luc. 3. tenens ligavit in carcere, propter Herodiadem
Matth. 14. uxorem fratris sui Philippi, quia duxerat eam; dicebat enim illi Joannes: *Non licet tibi habere uxorem fratris tui*. Hac de caussa insidiabatur illi Herodias, & quærebat occidere eum, & non poterat. Herodes autem metuebat Joannem, sciens eum virum justum & sanctum esse, sed cum Herodes ipse diem natalis sui ageret, filia Herodiadis saltante in medio, sæviente matre, inter delicias & lasciviam convivantium, temere ab Herode juratur, & impie quod juratur, in nece Prophetæ impletur. Non enim poterat severitas æquo animo tolerare, quod homo Dei monebat, quia vicerat Regem libido. Vinctus autem erat sanctus Baptista in Arabia, castello Macheronta. Misso itaque spiculatore, decollatus est in carcere, & allatum est caput ejus in disco, puellæque datum. Quod audientes discipuli ejus, venerunt & tulerunt corpus ejus, & posuerunt illud in monumento apud Sebasten urbem Palæstinæ, quæ quondam Samaria dicta est: ubi per aliquot annos jacuit usque ad tempora Juliani impiissimi Cæsaris. Qui cum Christianis esset infestissimus, pagani apud Sebasten sepulchrum ejusdem Joannis Baptistæ invadunt, ossa dispergunt; eadem rursum collecta & cremata, latius dispergunt: sed Dei providentia adfuere quidam ex Jerosolymis monachi, qui mixti colligentibus, quæque ipsi poterant, ablata ad patrem suum Philippum pertulere. Ille confestim hæc (supra se enim ducebat tantum thesaurum propriis servare vigiliis) ad Pontificem maximum tunc Athanasium per Julianum diaconum suum mittit: quæ ille suscepta, paucis arbitris sub cavato sacrarii pariete inclusa, prophetico spiritu profutura generationi posteræ conservavit. Cujus præsagium sub Theodosio principe, per Theophilum ejusdem urbis Episcopum completur. Qui destructo Serapis sepulchro, sancti Joannis ibidem consecravit ecclesiam. Porro caput suum duobus monachis Orientalibus, qui caussa orationis venerant Jerosolymam, idem beatus Joannes juxta Herodis quondam Regis habitaculum revelavit: quod deinceps Emesam Phœniciæ urbem perlatum, & digno honore cultum est.

A. VIII. Idus Octobris. 8. *Octob.*

Natalis beatissimi senis Simeonis, de quo *Simeonis.*
beatus Lucas Evangelista refert: *Et ecce ho-* Luc. 2.
mo erat in Jerusalem, cui nomen Simeon, & homo iste justus & timoratus, expectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo. Responsum autem acceperat ab Spiritu sancto non visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Et cum inducerent puerum Jesum parentes ejus, ut facerent secundum consuetudinem legis pro eo, & ipse accepit eum in manibus, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace.

F. Kalendis Septembris. 1. *Sept.*

Natalis beatissimæ Annæ prophetissæ, filiæ *Anna pro-*
Phanuel, de tribu Aser, cujus sanctitatem *phetissa.*
Evangelicus sermo prodit: *Hæc processerat in* Lucæ 2.
diebus multis, & vixerat cum viro suo annis septem a virginitate sua: & hæc vidua usque ad annos octoginta quatuor; quæ non discedebat de templo jejuniis, & orationibus serviens nocte ac die.

F. VI. Idus Septembris. 8. *Sept.*

Natalis beatissimæ Dei Genitricis MARIÆ, *Nativit.*
perpetuæ virginis, quam Spiritus sanctus eu- *B. Mariæ.*
stodivit, & electam sanctificavit, ut ex illius utero nasceretur homo Deus altissimus. Ad quam missus est angelus Gabriel a Domino in civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth, cum esset desponsata viro Joseph de Domo David. Et ingressus Angelus evangelizavit eam, &
dixit: *Ave gratia plena, Dominus tecum,* Luc. 1.
benedicta tu inter mulieres. Ipsa autem ut vidit eum, mota est introitu ejus, & erat cogi-

tans, qood sic benedixisset eam. Et ait ei Angelus: *Ne timeas*, MARIA, *invenisti enim gratiam apud Deum: & ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus* JESUM. Quæ tanto nuntio clarificata, Spiritu sancto fecundata, ab illo, qui de illa sumere carnem dignatus est pro hominibus, sublimata manet in æternum, venerabiliter benedicta. Cujus dormitionem XVIII. Kalend. Septembr. omnis celebrat Ecclesia, cujus & sacrum corpus non invenitur supra terram: sic nec beati Muysi sepulchrum, quem sacra Scriptura dicit a Domino sepultum. Tamen pia mater
Deut. 34.

Ecclesia, quæ suis observationibus integerrima fide fundata consistit, ejus venerabilem memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Ubi autem venerabile Spiritus sancti templum illud, id est, caro ipsius beatissimæ Virginis MARIÆ divino nutu & consilio occultatum sit, magis elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quam aliquid frivolum & apocryphum inde tenendo docere. Sufficiunt enim ai ad sanctitatem & vitam Virginis & Matris Domini commendandam Evangelistarum testimonia, nec de ea quærere ultra necessarium putat.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Rmo Patri Magistro Sac. Palatii Apost.

F. M. de Rubeis Archiepis. Tarsen. Vicesger.

ADPROBATIO CENSORIS.

AMplissimum Commentarium, quo Vir Cl. *Dominicus Georgius*, SS. BENEDICTO PAPÆ XIV. ab intimo Sacello, MARTYROLOGIUM ADONIS, ad fidem Vaticanorum Codicum a se emendatum, continenter illustrat, quum jussu Rmi P. F. Nicolai Ridolfi S. P. A. Magistri legerim; in eoque, perinde atque in ceteris a se vulgatis Operibus, doctissimus Author non modo absque reprehensione ulla rectissimeque versetur, sed & ingentem prorsus exquisitæ eruditionis vim, ad sacra id genus juvanda studia, suppeditet, publica luce dignissimum censeo.

Romæ VI. Calend. Aprilis cIɔ. Iɔ. cc. xxxxv.

F. Pius Thomas Schiara Ord. Præd. Casanatensi Bibliothecæ Præfectus.

IMPRIMATUR,

F. Nicolaus Ridolfi Sacri Palatii Apostolici Magister Ordinis Prædicatorum.

MARTY-



MARTYROLOGIUM ADONIS

ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS.

MENSIS DECEMBER.

A. IX. KALENDAS JANUARII. 24. *Dec.*



IGILIA nativitatis DOMINI. Eodem die apud Antiochiam Syriæ, natalis sanctarum Virginum quadraginta, quæ persecutione Deciana per diversa tormenta martyrium consummaverunt. *Vig. nat. Domini.* *Virg.n.xl.*

Eodem die apud Spoletum civitatem Tusciæ, natale sancti Gregorii martyris & presbyteri, temporibus Diocletiani, & Maximiani Imperatorum, sub Judice Flacco: quem ad se adductum, ita Flaccus aggreditur: Tu rebellis es Deorum, & Principum contemptor? Cui beatus Gregorius respondit: si vere vis scire, ab infantia mea nunquam a Deo meo recessi, qui me ex limo terræ formavit. Cumque perseverantissimus in fide confessionis maneret, fustibus nodosis dorsum ejus verberatum rumpitur: regyratus, venter ejus dissipatur. Inde ligatus manus, & pedes, in craticula imponitur, lignis suppositis. Et continuo terræmotu cecidit una regio in civitate Spoletana, & oppressit plusquam trecentos homines idolis servientes. Post ferro constrictus, sub custodiam militum in carcere retruditur, ubi Angelica visitatione consolatur. Eductus e carcere, cardis ferreis in genibus percutitur. Sed & ardentibus lampadibus latera ejus sunt incensa, dicente beato martyre impio Judici: Si totum corpus meum perdas, præsto est mihi medicus Dominus Jesus Christus, qui me sanat, & *Gregorii.*

A corro-

corroborat. Tunc Flaccus jussit Tyrcano cuidam, ut beatum Gregorium tractum in amphitheatro decollaret. Quo facto, jussit Tyrcanus feras terribiles dimitti, ut corpus sancti martyris absorberent: sed nulla earum corpus sanctum attigit. Quædam autem mulier Abundantia nomine petivit corpus martyris: sed quia non potuit obtinere aliter, datis trigintaquinque aureis Tyrcano, corpus recepit, & ut decuit martyrem, sepelivit juxta pontem lapideum, & rivum, qui sanguinarius appellatur, ad muros civitatis, nono die Kalendarum Januar.

VARIA LECTIO. Codices Reginæ Suecorum 511. 512. 514. incipiunt ab VIII. Kal. Januarii, hoc est a die natalis Domini, & desinunt in vigilia Domini, ubi ea habent, quæ hic in editis apud Rosweidum leguntur. Codex 512. hac die ad oram litteras Martyrologii hoc pacto describit.

B. VIII. *Kal. Jan. C.* VII. *Kal. Jan. D.* VI. *Kal. Jan. E.* V. *Kal. Jan. F.* IV. *Kal. Jan. G.* III. *Kal. Jan. A.* II. *Kal. Jan. A. Kal. Jan. B.* IV. *Non. Jan. C.* III. *Non. Jan. D.* II. *Non. Jan. E. Non. Jan. F.* VIII. *Id. Jan. G.* VII. *Id. Jan. A.* VI. *Id. Jan. & sic ceteros dies*. Hæc absunt a codicibus 511. 514.

An rectius incipiat ab hac die apographum Rosweidi, an vero codices nostri, multis disputandum non esse puto. Nonnulla Sacramentaria vetustiora a vigilia natalis Domini exordiuntur: contra vero Capitularia Evangeliorum venerandæ vetustatis, ut Frontonianum, & Vaticanum, quod nuper edidimus tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 235., & alia item Capitularia incipiunt a prima Missa diei natalis Domini. Martyrologium Hieronymianum Lucense, & Corbejense exordiuntur ab VIII. *Kalend. Januarii*, hoc est a die natalis Domini. De initio anni christiani apud varias Ecclesias multa habet Franciscus Maria Florentinius in Adnotatione ad Martyrologium Hieronymianum die XXV. Decembris, & Exercitatione I. ibidem pag. 180. Vide etiam, quæ de prætermissa vigilia natalis Domini tradit idem Florentinius ad diem XXV. Decembris.

Vigil. nat. Domini. ADNOTATIO. Præter ea quæ de vigilia Natalis Domini habet ad hunc diem scitissime Eminentissimus Baronius, vide Florentinium Exercitatione II. de natalis Domini celebritate, ejusque pervigilio *pag.* 195., *& seq.* Jo: Baptista Sollerius in Usuardum hac die, monet, in antiquioribus Martyrologiis raro vigilias commemorari, nullam in Hieronymianis occurrere, paucas apud Bedam, quodque mirandum est, Rabanum, qui Bedam solet exscribere, duas tantum vigilias recensere, nimirum *vigiliam Epiphaniæ*, & *vigiliam S. Jo. Baptistæ*; & *vigiliam natalis Domini* præterire, quam tamen habet Beda, & Romanum parvum. Egregius est de hac vigilia locus in epistola Lupi Tricassini, & Euphrasii Augustodunensis, Episcoporum ad Talasium Andegavensem Episcopum scripta A. D. 461. quæ habetur Conciliorum tom. IV. pag. 1408. *Vigilia natalis Domini*, ibi est, *longe alio more, quam Paschæ vigilia, celebranda: quia hic nativitatis lectiones legendæ sunt, illic autem passionis. Epiphaniæ quoque solemnitas habet suum specialem cultum. Quæ vigiliæ vel maxime, aut perpete nocte, aut certe in matutinum vergente, curandæ sunt*. De pervigiliis demum, eorumque antiquitate consule iterum Baronium an. 51. num. LXXI., & Ferdinandum Mendozam lib. III. cap. IV. de confirmando Concilio Illiberitano. Cæterum in Martyrologiis non contemnendæ antiquitatis, ut in Fuldensi, infra edendo, vigilia natalis Domini memoratur his verbis: *Vigilia nativitatis Domini*. In Ottoboniano, inferius quoque vulgando: *Vigilia nativitatis Domini nostri Jesu Christi*. Usuardum hac in re ab Adone non discrepare, monet Sollerius; habet enim: *Vigilia natalis Domini*; Ado vero: *Vigilia nativitatis Domini*.

De *quadraginta virginibus* agunt Hieronymiana, scilicet Epternacense, & Lucense. Corbejense hac die mutilum est. Epternacense: *Antiochiæ Syriæ, sanctarum virginum, numero* XL., tantum. Lucense: *In Antiochia* *Virgin. XL.*

tiochia Syriæ natalis Sanctarum virginum XL. *canonicarum*. Eadem omnino leguntur apud Rabanum, & in Martyrologio Ottoboniano, inferius luce donando. Meminit etiam de his virginibus Wandelbertus in Martyrologio metrico. Martyrologium Richenoviense apud Bollandianos socios, Junii tom. VII: *Antiochia, Virginum quadraginta*. Labbeanum ita. Corbejense brevius: *Et in Antiochia Syriæ, Natalis sanctarum Virginum canonicarum quadraginta, & aliorum duorum, simul Drusi*. Singula, quæ de his virginibus habet Ado, sumpta esse ab Usuardo, fatetur Sollerius, qui *canonicarum* vocem additam fuisse censet apographo Lucensi. Florentinius in notis hac die, has virgines, *canonicas* fuisse, hoc est sub regula viventes, præterquam apud Rabanum, & in suo Martyrologio Lucensi, se expresse non legisse fatetur, bene quidem in Menologio Græcorum apud Canisium, Kalendis Septembris, & in Menologio Basilii. Existimat igitur ex testimonio Eusebii lib. II. Histor. cap. XVII. etiam ante Decianam persecutionem, sacras virgines, voto obstrictas, in asceteriis, & gynecæis vitam duxisse, quod tamen de his XL. virginibus negat Sollerius, qui putat, *canonicarum* nomine, *virgines* simpliciter intelligi, quæ castimoniæ nitore fulgerent, neque ullo modo persuadere Florentinium ex Eusebii loco, ubi *Therapeutas, & Therapeutrias* Philonis describit. Idem Sollerius eadem de voce *canonicarum* senserat ad diem IX. Aprilis, ubi de *septem virginibus* in Sirmio passis: quæ in Epternacensi, & Corbejensi apographis ita exhibentur. In Epternacensi: *Et* VII. *virginum canonicarum*. In Corbejensi: *Et natalis septem virginum canonicarum*; ad quæ notat Florentinius, virginum asceteria persecutione Diocletianea in usu fuisse. De sacris virginibus Deo dicatis, & in collegium quoddam adscitis Christi sæculo secundo, & ante, plura Baronius an. 57. num. LVI. & XCII. Adde Petavium in notis ad Epiphanium pag. 343. ubi de virginitatis sponsione, quæ antiquitus a virginibus fieri solebat; quæ tamen sponsio tum nuptias irritas non faciebat. Additamentum ergo est vox illa *canonicarum*; nam canonicæ feminæ in Galliis audiri primum cœperunt sæculo Christi nono, ut docet Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. VIII. §. XXVII. ad an. 590. lib. XIII. §. XLV. ad an. 647. lib. XVII. §. XXXVII. ad an 684. & lib. XXVII. §. X. ad an. 802. ubi *canonicarum puellarum* prima mentio. Earum regula primum condita est in Synodo Aquisgranensi an. 817., a Romanis Pontificibus tum minime probata, imo improbata in Romano Concilio anni 1059. ubi hujusmodi sanctimonialium institutionem *tota Asia, Africa simul, & Europa, excepto uno minimo angulo Germaniæ*, receptam non fuisse perhibet. Adi iterum Mabillonium in iisdem Annalibus lib. XVII. §. XXXVII. ad an. 684. lib. XXVIII. §. LIII. ad an. 817. Præfat. in sæculum secundum Benedictinum §. III. n. XXXIII. XXXIV. Ad Antiochenas virgines redeo, de quibus animadvertit Sollerius, nulla temporis nota in Hieronymianis signari, hinc suspicatur, non satis certo ab Adone tradi sub *Deciana persecutione martyrium consummasse*.

Non omnia Martyrologia, & Kalendaria de S. *Gregorio* martyre Spoletano hac die agunt. *Gregorii*. Rabanus eum cum elogio ex Actis petito recolit die præcedenti, idest X. *Kal. Januarij*; item Kalendarium Vaticanum n. 3806., his tantum verbis: *Et Sancti Gregorii presbyteri*. Ea quoque die Corbejense brevius: *Et passio Sancti Gregorii*. Auctaria demum Usuardi apud Sollerium de eo agunt die XXII. & XXIII. Decembris. At Romanum parvum, Ado, & Usuardus *Gregorium* celebrant hac die XXIV. Decembris. Et in singulis *apud Spoletum* ejus passio statuitur; ut puta in Romano parvo: *Apud Spoletum, Gregorii presbyteri & martyris*. De illius Actis adeundus Tillemontius tom. V. pag. 147. Ea leges apud Surium, & Mombritium. Nonnulla cursim adnotat Sollerius ad Usuardum hac die de insigni hoc martyre. Passus fuisse *Gregorius* Baronio videtur Diocletianea persecutione effervescente, A. D. 303. ut obiter monet ad an. 303. n. CXXI.

25. *Dec.*

B. VIII. KALENDAS JANUARII.

Nat. D. N. J. C. JEsus Christus filius Dei in Bethleem Juda nascitur, anno Cæsaris Augusti quadragesimo secundo, Olympiadis centesimæ nonagesimæ tertiæ, ab Urbe condita anno septingentesimo quinquagesimo secundo: compressis per orbem terræ gentium motibus, & firmissima verissimaque pace, ordinatione Dei a Cæsare Augusto composita: quando Quirinus ex consilio Senatus Judæam missus, census hominum possessionumque describebat: sextamque mundi ætatem suo piissimo consecravit adventu idem Dominus noster Jesus Christus.

Anastasia. Eodem die, natalis sanctæ Anastasiæ, quæ tempore Diocletiani, primo diram & immitem custodiam a viro suo Publio perpessa est: in qua tamen a Chrysogono confessore Christi multum consolata, & confortata est. Deinde a Præfecto Illyrici in gravissima atque diutina custodia macerata est: in qua duobus mensibus refecta est cælestibus escis, per sanctam Theodoten, quæ martyrium prius passa est. Deinde navi imposita cum ducentis viris, & quingentis feminis, ut demergeretur in mare, perlata est ad insulas Palmarias: ubi per manus & pedes extensa, & ligata ad palos fixos, circa media ejus ignis accensus est, in quo martyrium consummavit. Et omnes, qui cum illa venerant, variis interfectionibus martyrium celebrarunt. Inter quos omnes, unus erat Eutychianus nomine, innocentissimæ naturæ: qui sublatis sibi (cum dives esset) omnibus facultatibus, tacuit: nihil cogitans, nihilque metuens, nisi hoc, ne facultates ac divitias fidei perderet. Quotiescunque denique fuisset auditus, quotiescunque interrogatus, nihil aliud dicebat: Christum mihi non tollet, etiam qui caput abstulerit. Tunc Apollonia christiana matrona, tollens corpus beatæ Anastasiæ, exosculabatur, & aromatibus condiens, dignisque linteaminibus obvolvens, intra viridarium domus suæ fabricata basilica, ut decuit martyrem, sepelivit.

Ipso die Romæ in cœmeterio Aproniani, passio sanctæ
Eugenia. Eugeniæ virginis, quæ tempore Gallieni Imperatoris, post multa virtutum insignia, & sacros virginum choros, quas Christo Domino aggregaverat, sub Nicetio Urbis Præfecto alligata saxo, & præcipitata in Tiberim, mergi non potuit. Inde thermis ignitis inclusa, illæsa reperta est. Novissime in custodia gladio jugulatur: & sublatum est corpus ab affinibus ejus christianis, & positum non longe ab Urbe, via Latina in prædio ejus proprio, ubi multorum ipsa sepelierat membra.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. & 514. ita exordiuntur: INCIPIT MARTYROLOGIUM PER ANNI CIRCULUM.
„ VIII. Kal. Jan. in Bethleem Judæ nativitas Salvatoris Domini nostri Jesu Chri-
„ sti secundum carnem, anno Cæsaris Augusti XLII., Olympiadis centesimæ nonagesimæ
„ tertiæ, ab Urbe condita DCCLII. Sextam enim mundi ætatem, suo piissimo conse-
„ cravit adventu. Eodem die natale sanctæ Anastasiæ, quæ &c. Verba: *in gravissima atque* desunt in his codicibus. Ed. *quingentis*. In codicibus: *septingentis*. Ed. *demergeretur*; in nostris codicibus legitur: *demergerentur*. Ed. *circa media ejus*. In codicibus: *& circa medium ejus*. Ed. *Inter quos omnes &c.* In codicibus: *Inter quos erat unus innocentissimæ naturæ, nomine Eutichianus*. Ed. *quotiescunque denique*. In codicibus: *nam quotiescunque*. Ed. *Tunc Apollonia christiana matrona &c.* usque *sepelivit*. In nostris codicibus desunt hæc verba, sed post: *abstulerit*,

ſtulerit, ſequitur: *Romæ in cimiterio Aproniani paſſio ſanctæ Eugeniæ virginis &c.* Ed. *quas Chriſto*. In codicibus: *quos Chriſto*. Ed. *corpus ab affinibus ejus*. In codicibus: *corpus ejus ab affinibus ejus*. Ed. *Et poſitum non longe*. Codices: *& poſitum eſt non longe*. Ed. *ubi multorum ipſa ſepelierat membra*. Codices: *ubi ipſa multa ſanctorum corpora ſepelierunt*.

Nat.D.N. J.C. ADNOTATIO. Qua die primis Eccleſiæ ſæculis Chriſti Domini natalia celebraretur, fuſe apud Baronium, Florentinium, alioſque eruditiſſimos viros, & apud Eminentiſſimum Cardinalem Proſperum Lambertinum, Archiepiſcopum Bononienſem, quem nunc magno Reip. chriſtianæ bono Romanum Pontificem veneramur, in libris de feſtis Domini noſtri Jeſu Chriſti, & Deiparæ Virginis P. I. §. DCLXXI. *& ſeq.* Quandonam Chriſti natalis diei XXV. Decembris fuerit alligatus, breviter Sollerius ad Uſuardum hac die. Certe quidem Latinorum omnium vetuſtiſsima monumenta, ſcilicet Martyrologia, Kalendaria, & Sacramentaria, hac die de Chriſti Domini natali agunt. Euſebius quoque in Chronico huic diei primum annum æræ chriſtianæ affigit: *Jeſus Chriſtus*, inquit, *Filius Dei in Bethleem Judeæ naſcitur, qua anno cœpit chriſtianorum ſalus, qui & primus annus chriſtianæ ſalutis numeratur*. Hinc Florentinius in notis ad Hieronymianum Martyrologium pag. 187. *& ſeq.* exiſtimat, vetuſtiorem in Eccleſia Epocham, cum in oriente, tum in occidente eam eſſe, quæ anni principium figit ad VIII. *Kalendas Januarii*, hoc eſt ad diem XXV. *Decembris*, non modo in temporibus ad poſterorum memoriam ſignandis, quam in ſacris cæremoniis longo uſu confirmatam. Quare in Exercitatione de natalis Domini celebritate, ejuſque origine, ac pervigilio pag. 196. 197. monet, ſacrorum rituum libros anni initium ab hac die auſpicari. Non ita ſane, ſi verum amamus, omnes incipiunt. Nam Sacramentarium Gelaſianum, & Gregorianum Reginæ Suecorum in Codice Vaticano n. 337. *a vigilia natalis Domini in nocte* exordiuntur. Item liber Comitis ab Albino, Caroli Imperatoris juſſu emendatus, apud Card. Thomaſium de antiquis libris Miſſarum P. II. pag. 1. Liber vero Gradalis Eccleſiæ S. Jo. Modoetienſis in Inſubribus, apud eundem Thomaſium, ibidem P. I. pag. 258. Incipit *a vigilia natalis Domini ad Nonam*, hoc eſt a veſpere ante natalem Domini. Ita forte Antiphonarius Carnotenſis, apud memoratum Thomaſium pag. 268. Capitulare ſæculi noni in codice Reginæ Suecorum n. 4. initium ſumit *a vigilia natalis Domini horæ nonæ*. Alia Capitularia, ut die ſuperiori monuimus, a die nativitatis Domini incipiunt. Quod autem Romæ ſæculo Chriſti quarto, *die XXV. Decembris*, Liberio etiam Romano Pontifice, Chriſti Domini natalis in Baſilica B. Petri ſolemni more celebraretur, conjicit Thomaſius in notis ad Capitularia Evangeliorum pag. 142. ex libro III. S. Ambroſii de Virginibus ad Marcellinam ſororem. De ſolemni quoque ſæculo V. Miſſarum celebratione hac die in Baſilica Principis Apoſtolorum teſtatur S. Leo Sermone II. de nativitate Domini cap. V. ubi eos increpat, qui dum in eadem Baſilica conſiſterent, *ſuperatis gradibus*, ad orientem ſolem ſe convertebant: *partim*, inquit, *ignorantiæ vitio, partim paganitatis ſpiritu, converſa corpore ad naſcentem ſolem ſe reflectebant, & curvatis cervicibus in honorem ſe ſplendidi orbis inclinabant*. De ſuperſtitioſo more vertendi & flectendi caput hac die ad exorientem ſolem, nonnulla habet Florentinius pag. 192. Quibus autem verbis Martyrologia veterrima hujus diei celebritatem recolant, nunc habe. Kalendarium Bucherianum ita incipit: VIII. *Kal. Jan. natus Chriſtus in Bethleem Judæ*. Hieronymiana. *In Bethleem nativitas Salvatoris Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem*. Beda: *Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti*, tantum. Romanum parvum: *Nativitas Domini ſecundum carnem*. Gellonenſe, & Rabanus eadem fere, ut in Hieronymianis. Martyrologium Fuldenſe, & Ottobonianum: *Nativitas Domini noſtri Jeſu Chriſti ſecundum carnem*. Uſuardus a Sollerio editus, Adonem imitatus, ita præfert: *Jeſus Chriſtus Filius Dei in Bethleem Judæ naſcitur anno Cæſaris Auguſti quadrageſimo ſecundo, Olympiadis centeſimæ nonageſimæ tertiæ*. At Uſuardi autographum Pratenſe poſt *annum quadrageſimum ſecundum* habet: *Ebdomada juxta Danielis prophetiam ſexageſima ſexta*. Cur hæc expunxerit Sollerius, licet facile & ultro gravioribus momentis ceſſurus, diſquirit Jacobus Bovillartius in notis hac die ad Uſuardum Pratenſis monaſterii. In Martyrologio Romano adduntur anni mundi ex epocha ſeptuaginta interpretum, quam a codicibus omnibus vetuſtis abeſſe teſtatur Sollerius; ac primum hi anni adnotati videntur in editione Martyrologii per Belinum.

Uberiora ſunt, quæ ex Actis de S. Anaſtaſia profert Ado. Paucis ea contraxit Uſuardus, his verbis: *Eodem die, natalis ſanctæ Anaſtaſiæ ſub Diocletiano Imperatore, quæ pro confeſſione Domini diutina cuſtodia macerata, dein cum ducentis viris, & ſeptingentis feminis ad inſulas Palmarias deluta, ipſa quidem igni, ceteri vero variis interfectionibus martyrium celebrarunt*. Prolixior eſt Rabanus. Neque Ado, neque Uſuardus aliquid habent de loco natalis ejus; de quo non conſentiunt alia Martyrologia. Hieronymianum Lucenſe poſtquam *Anaſtaſiæ.*
egit

egit de S. Eugenia, continuo addit: *Syrmiæ, & Anastasiæ*. Mendum hic subesse monet Florentinius pag. 207. legendumque vult: *Sirmii Anastasiæ*, ut habet apographum Epternacense. At Romanum parvum *Romæ* præfert: *Romæ, Anastasiæ, & Eugeniæ*. Gellonense loco *Sirmii, & Romæ*, incerti loci situm designat, dum voce *alibi* utitur: *Et alibi*, inquit, *Anastasiæ virginis*. Martyrologium Fuldense, ex Adone & Usuardo conflatum, Adonem transcribit. Ottobonianum primo loco *Eugeniam* Romæ, deinde *Anastasiam* martyrem commemorat. Kalendarium Vaticanum 3806. infra edendum, hæc tantum refert: *Et passio sanctarum virginum Anastasiæ, & Eugeniæ*; Rhinoviense apud Bollandianos socios, Junii tom. VII. *Sirmio Anastasiæ*. Richenoviense: *Et Firmio* (pro *Sirmia*) *Anastasiæ virginis, Felicitatis, Saturnini*. Labbeanum: *Et alibi, Anastasiæ virginis, Felicitatis, Saturnini*. Ex corruptia Vetis tanta est orta perturbatio, ut non una, sed duæ, vel tres Anastasiæ distingui videantur, ut obiter hac die innuit Sollerius. Ad Acta quod attinet, consulendi Ruinartius in Actis martyrum sinceris pag. 410. & Tillemontius tom. v. pag. 713. *& seq.* Nihil vero est magis exploratum, quam veterrimus cultus S. Anastasiæ in Ecclesia occidentali & orientali. De ea enim hac die Liturgiæ omnes Latinæ antiquissimæ. *Anastasiæ* nomen in Canonem Missæ relatum. Vide de Anastasiæ cultu Henschenium ad diem tertiam Aprilis, ubi de sanctis virginibus *Agape, Chionia, & Irene*. De vetustissimo Romæ S. Anastasiæ titulo plures agunt, quos supernacaneum est enumerare.

Eugeniæ. Sanctæ *Eugeniæ* virginis & martyris celebritas non minus, quam sanctæ *Anastasiæ*, Romæ olim celebris fuit. De qua tabulæ omnes Ecclesiasticæ vetustissimæ, atque in primis Alcimus Avitus Viennensis Episcopus in Encomio virginitatis, lib. IV. cap. XX. ex editione Wolfgangi Lazii, sed emendatius, apud Sirmondum in editione operum S. Aviti lib. VI. vers. 503. Locum Aviti, ubi de S. Eugenia, profert etiam ex vulgatis editionibus Christophorus Castellettus in Annotationibus ad libellum de translatione Sanctorum Proti & Hyacinthi ab Ecclesia S. Salvatoris ad Ecclesiam S. Johannis, nationis Florentinorum in Urbe, quæ A. D. 1592. contigit. Ecclesia quoque olim in honorem S. Eugeniæ constructa fuit extra mœnia Urbis via Latina, ubi sepulta est. De hac sanctæ *Eugeniæ* basilica, ubi requiescebat, non semel a Romanis Pontificibus instaurata, meminit vulgatus Anastasius in Johanne VII. Hadriano I. & Leone III. Monasterium puellarum ad eam Ecclesiam institutum fuisse ab Hadriano I., idem auctor tradit. Vide Paulum Aringhium Romæ subterraneæ lib. IV. cap. II. Anonymi descriptio vetustissima regionum Urbis edita a Mabillonio Analect. tom. IV. pag. 513. ubi memorat nonnullas Ecclesias extra mœnia, via Appia; ita habet: *Item in eadem via extra civitatem, ad sanctum Januarium, ubi Sixtus martyrizatus est, ponitur* SANCTA EUGENIA. Alia vero notitia Ecclesiarum extra urbem Romam positarum, sæculo IX. scripta, & a Jo. Georgio Eccardo edita Histor. Franciæ Orientalis tom. I. pag. 831., non longe a via Latina prope B. *Tertullini* sepulchrum, Ecclesiam S. Eugeniæ collocat. *Ecclesia quoque*, inquit, SANCTÆ EUGENIÆ *juxta eandem viam* (Latinam) *est, ubi ipsa cum matre sua in una tumula jacet, ibi S. Stephanus Papa cum tota clero suo numero* XXVIII. *martyres*. Similia ferme alia Urbis notitia apud Willelmum Malmesburiensem lib. IV. de gestis Anglorum pag. 135. ubi de porta, & via Latina: *Et non longe* (a Tertullino) *Ecclesia beatæ* EUGENIÆ, *in qua jacet & Claudia mater ejus, & Stephanus Papa cum clero sua numero* XIX. Hæc de vetustissima S. Eugeniæ Ecclesia, in qua olim corpus ejus quiescebat. De ea porro S. Adelhmus, a Baronio, & aliis laudatus. Ejus nomen legitur in precatione Canonis Missæ ad: *Nobis quoque peccatoribus*, in Sacramentario Gallicano edito a Mabillonio Musei Italici tom. I. P. II. pag. 281. extremo loco. Ubi etiam pag. 289. in Missa *in vigilia Domini* legitur oratio *ad pacem*, ubi egregium de *Eugenia* virgine & martyre præconium. Sacramentarium ex vetustissimo codice Veronensi editum a V. C. Josepho Blanchino in nova Anastasii Romana editione, an. 1735. tom. IV. pag. LVIII. *& seq.* in titulo diei XXV. Decembris sic se habet: *Natale Domini, & martyrum Postoris, Basilei, & Joviani, & Victorini, &* EUGENIÆ, *& Felicitatis, & Anastasiæ*. Ad hæc, Martyrologia subdo. Hieronymianum Lucense, & Corbejense: *Et in cimiterio Aproniani, via Latina, Romæ passio sanctæ Eugeniæ virginis*. Epternacense vero: *Romæ, sanctæ Eugeniæ virginis*. Beda: *Et sanctæ Eugeniæ virginis*, omisso, *Romæ*: Romanum parvum: *Romæ Anastasiæ, & Eugeniæ*. Gellonense: *Romæ, Jovini, & passio Eugeniæ virginis*. Obitce de Eugenia Notkerus tertio Idus Septembris. Plura, & uberius ex Actis Rabanus hac die. Martyrologium Fuldense, antequam de S. Anastasia agat: *Romæ, sanctæ Eugeniæ virginis*. Item Martyrologium Ottobonianum: *Romæ, natale sanctæ Eugeniæ virginis, & sanctæ Anastasiæ martyris*. Kalendarium Palatinum Vaticanum infra edendum *Eugeniam* virginem & martyrem die XXIII. Decembris celebrat. Richenoviense: *Romæ, Jovini. Passio Eugeniæ virginis*. Ita Labbeanum. Corbejense brevius: VIII. Kal Januar: *Romæ, passio sanctæ Eugeniæ virginis*. Item die IX. Kalen. Jan. *Et passio S. Eugeniæ*. Acta antiquitus corrupta fuisse, jampridem viri docti agnoverunt, de quibus Sollerius in Usuardum ad diem XI. Septembris. In Actis, quæ Ado vidit, damnata dicitur Eugenia a *Nicetia* Urbis

bis Præfecto. In libello Anonymi de Præfectis Urbis apud Bucherium, deest an. 262. inter Præfectos *Nicetius*, sed an. 261. 262. 263. habetur Urbis Præfectus *Nummius Albinus*, qui Urbis Præfecturam gessit ab an. 263. ad 265. perperam a Contelorio *Mummius* dictus. Obvia sunt S. *Eugeniæ* Acta; nos ea vidimus in codice Vaticano, olim Reginæ Suecorum, signato num. 523. qui scriptus videtur Christi sæculo XII. Horum exordium est: *Septimo consulatus sui anno Commodus Imperator*. Ab antiquis hæc Acta cognita fuisse, scribit Baronius an. 188. num. II., in Adnotationibus tamen ad Romanum Martyrologium hac die, habere aliqua quæ censura indigeant, fatetur. Passam fuisse putat Baronius c. A. D. 262. ut habet in Annalibus ad an. 262. num. XV. Si *septimo Commodi Imperatoris anno*, hoc est A. D. 192. *Eugenia* jam desponsata erat *Acilio Glabrioni* consuli, ut Baronio videtur, ferme octogenaria martyrio affecta esset. Sed hæc aliis erunt discutienda.

26. Dec. *C. VII. KALENDAS JANUARII.*

Vide libellum de festiv. Apostol. NAtale sancti Stephani protomartyris, non longe post ascensionem Domini passi, eodem scilicet anno passionis Christi. *Stephani.*

Pontificale cap. XLII. Eodem die Zosimi Papæ, qui sedit Romæ anno uno. Hic constituit, ut Diaconi lævam tegerent palliis: & præcepit, ut nullus clericus poculum in publico propinaret, nisi tantum in cellis fidelium & clericorum. *Zosimi.*

Stephani. VARIA LECTIO. Codices nostri 511. 512. 514. ita habent: „ Apud Hierosolymam, passio sancti Stephani protomartyris, qui non multo post ascensionem „ Domini ab Apostolis, cum esset plenus fide, & Spiritu Sancto, diaconus est ordi-„ natus, atque eodem anno, quo & Christus passus, a Judæis lapidatus. Eodem die,
Marini. „ natale sancti Marini, clarissimi viri, qui martyrii præmium sub Imperatore Mar-„ ciano Romæ adeptus est.

Deest in nostris codicibus natalis S. *Zosimi Papæ*.

Stephani. ADNOTATIO. Codices nostri, ut vides, ab editis apud Rosweidum longe distant. Nos lectoris judicio relinquimus, utra lectio purior sit, vulgatane hactenus, an nostrorum codicum. Usuardo certe propiores sunt. Usuardus enim ita hac die effert: *Apud Hierosolymam, natalis sancti Stephani protomartyris, qui a Judæis non longe post passionem Christi lapidatus est, eodem scilicet anno Ascensionis ipsius. Hujus venerabile corpus tempore Honorii principis divina revelatione repertum est*. Hæc Usuardi verba, si extremam periodum demas, ut notat Sollerius hac die, ex Adonis martyrologio sumpta sunt, & propius accedunt codicibus nostris, quam vulgatis Rosweidi, & aliorum editionibus. Paullo aliter efferunt hac die alia Martyrologia, & Kalendaria. Hieronymiana siquidem apud Florentinum ita præferunt: *In oppido Hierosolymitano, villa Caphargamala, passio sancti Stephani primi martyris, diaconi, & Apostoli, qui lapidatus est a Judæis*. Vide Florentinum in notis. Alia Martyrologia Hieronymiana contracta, ut Corbejense brevius: *In urbe Hierosolymitana, villa Kafargamala, passio sancti Stephani protomartyris, & Apostoli, qui lapidatus est a Judæis*. Alia, ut Rhinoviense, Richenoviense, & Labbeanum habent tantum: *Passio sancti Stephani, primi martyris, & diaconi*. Ottobonianum: *Sancti Stephani protomartyris*, solummodo, ut etiam perhibet Romanum parvum his verbis: *Natale sancti Stephani protomartyris*. Iisdem verbis utitur Martyrologium Fuldense; nec discrepat Gellonense: *Passio sancti Stephani martyris*. Rabanus vero Hieronymiana imitatur: *In oppido Hierosolymitano, Caphargamala, passio sancti Stephani primi martyris, & diaconi*. Kalendarium quoque Vaticanum num. 3836. *In oppido Hierosolymitano, passio sancti Stephani protomartyris*. De oppido, seu villa Caphargamala, quod a Hierosolymis XX. stadiis distabat, vide Calmetum in Dictionario Biblico. In Luciani epistola apud Baronium an. 415. num. VII. *Caphargamala*, villa Gamalielis dicitur, a Hierosolymis viginti mille

mille passibus distans. An natalis S. *Stephani* hac die celebretur, an ejus inventio, an illius translatio Constantinopolim, quæ A.D.439. hac die facta fuisse dicitur, consulendus Baronius in Martyrolog. Roman. die tertia Augusti, & an. 439. num. 1. *& seq.* ac item Sollerius ad Usuardum die tertia Augusti. Cæterum de S. Stephano hac die libri Liturgici omnes vetustissimi.

Marini. In vulgatis deest *S. Marinus*, habetur tamen hac die apud genuinum Usuardum, totidem ferme verbis ac perhibent nostri codices. Ita enim ibi: *Eodem die, sancti Marini clarissimi viri, qui martyrii triumphum sub Imperatore Martiano Romæ adeptus est.* Sollerius in observatione ad hanc diem, quum in vulgatis editionibus Adonis, nullam de Marino mentionem reperisset, miratur unde Usuardus sumpserit, atque *Marinum* Romanum martyrem, solius Usuardi esse; & antiquioribus Martyrographis ignotum ideo putat. Ex nostris codicibus patet, Adonis esse, quem Usuardus solet exscribere. Neque Martyrologiis vetustioribus ignotus est; nam Gellonense hac die habet: *Et passio sancti Marini.* Eadem quoque Labbeanum, ab ipso Sollerio editum. Tillemontius tom. IV. pag. 568. Acta martyrii, de quibus Vincentius Bellovacensis, & apud Mombritium, omnino inter fabulas esse rejicienda censet, quod sub *Marliano* Imperatore passus fuisse dicatur. Baronius in Martyrologio Romano, emendans errorem, Marinum sub *Carino* Imperatore, & *Marciano* Præfecto, martyrium Romæ fecisse tradit. In variis Martyrologii Romani editionibus, ut adnotavit Castellanus, subinde variatum est. Editiones anni 1597. 1603. 1641. 1655. & 1661. habent: *sub Carino.* Editiones vero an. 1643. 1645. 1683. & 1685. sub *Numeriano*, & *Carino*. Idem Baronius in Annalibus ad an. 284. n. VIII. Marinum, non sub *Carino*, & sub *Marciano* Præfecto Urbis, sed potius sub *Numeriano* passum putat, quod *Carinus* christianis savisse dicatur. Quidquid de hoc sit, illud constat, *Marini* Senatoris nomen a vetustioribus Martyrologiis non abesse. Contelorius in serie Præfectorum Urbis, sola fide Baronii ductus, *Marcianum* Urbi præfuisse an. 284. scribit. At in libello Præfectorum hoc anno Præfectus habetur *Cejonius Varus*. In Ligorianis lapidibus legitur: JULIUS AGRIUS TARRUTENIUS MARCIANUS V. C. ET INL. TERT. PREF. VRB.

Zosimi. S. *Zosimus* abest a nostris codicibus, & a genuino Usuardo, Adonis pedissequo. Sollerius in Auctariis hac die scribit se nescire, cur *Zosimi* annuntiatio ab Usuardo prætermissa sit, quum apud Adonem habeatur. Id fortasse non scripsisset, si nostros codices inspexisset. De *Zosimo* nihil agimus, quod a nostris codicibus prætereatur.

---

27. Dec. *D. VI. KALENDAS JANUARII.*

Jo: Apost. Vide libellum de festiv. Apost. NAtalis sancti Joannis Apostoli & Evangelistæ, dilecti Domini, qui obiit anno LXVIII. post ascensionem Domini, ætatis autem suæ nonagesimo nono, Ephesi.

Dionysii. Romæ, sancti Dionysii Papæ, qui sedit in Episcopatu annos sex, sepultus via Appia in cœmeterio Calixti. Hic Ecclesias presbyteris dedit, & parochias diœcesis dedit atque constituit. *Pontificale cap. XXVI.*

Jo: Evang. VARIA LECTIO. Codices 511. 512. 514. hac die ita incipiunt: „ Natale „ sancti Johannis Apostoli & Evangelistæ, dilecti Domini. Hic post exilii re„ ligationem, post Apocalypsis divinam revelationem, post Evangelii descriptionem, „ confectus senio, mortuus est, post passionem Domini anno LXVIII. ætatis autem suæ „ nonagesimo & nono, Effesi.

Zoili. „ In partibus Aquilejæ sancti Zoili presbyteri & confessoris, qui in passione bea„ ti Gregorii (forte *Chrysogoni*) legitur.

In nostris codicibus deest natalis *S. Dionysii Papæ*.

Jo: Evang. ADNOTATIO. Nihil adtinet commonere de variis diebus, quibus in vetustis Martyrologiis *S. Jo:* Evangelista colitur, quia plura ea de re apud Florentinium ad XXV. Maii, & in Exercitatione pag. 123. *& seq.*, ut animadvertit Sollerius in Usuardum hac die XXVII. Decem-

cembris. Nihil etiam de ejus veterrimo hac die cultu, de quo Baronius hac item die. Quum autem variis verborum circumlocutionibus vetera Martyrologia hac die utantur, eorum verba afferimus. Hieronymianum: *Assumptio sancti Johannis Evangelistæ apud Ephesum*. Ita Rabanus, & Gellonense, in quo, *apud Ephesum*, prætermittitur. Romanum parvum, omissis: *Assumptio*, *& natalis*; hæc habet: *Johannis Apostoli, & Evangelistæ, apud Ephesum*. Rhinoviense, & Richenoviense: *In basilica montis oliveti, natale sancti Johannis Evangelistæ*. Labbeanum: *Et adsumptio sancti Johannis Evangelistæ*. Corbejense brevius: *Assumptio sancti Johannis Evangelistæ apud Ephesum*. Martyrologium Fuldense: *Assumptio sancti Johannis Evangelistæ*. Kalendarium Vaticanum 3806. *In Epheso assumptio sancti Johannis Apostoli & Evangelistæ*. Martyrologium Ottobonianum: *Natalis sancti Johannis Apostoli & Evangelistæ, dilecti Domini*. Sacramentaria, & Capitularia vetustissima, pene omnia: *In natali*, seu *natale S. Johannis Apostoli & Evangelistæ*. Usuardus ex more Adonis textum, quem in variis Lectionibus supra dedimus, imitatus est. Usuardi genuini verba hæc sunt: *Apud Ephesum, natalis beati Johannis Apostoli & Evangelistæ, qui post exilii relegationem, post Apocalypsis divinam revelationem, post Evangelii descriptionem, usque ad Trajani principis tempora perseverans, totius Asiæ fundavit rexitque Ecclesias: & confectus senio, sexagesimo octavo post passionem Domini anno mortuus est, ac juxta eandem urbem sepultus*. Aliquid addit Usuardus Adoni, quæ partim ex ipsius Adonis de festivitatibus Apostolorum, partim ex textu hujus diei accepit, ut censet Sollerius.

Dionysii. *S. Dionysius* deest in nostris codicibus, habetur vero apud Usuardum die XXVI. Decembris; alia tamen verborum ratione, quam quæ in vulgatis Adonis editionibus legitur; quare Sollerius ad diem XXVI. Decembris miratur, cur Usuardus ab Adone recesserit, interim supersedens inquirere, unde sua habuerit Usuardus.

Zoili. Additus in nostris codicibus *S. Zoilus* Aquilejensis presbyter, de quo antiqua monumenta Ecclesiæ Aquilejensis, ubi colitur die XXIV. Januarii. Prætermittitur quidem hac die a genuino Usuardo, sed habetur hac item die in plerisque ejus auctariis. Conjungitur in Romano parvo die XXIV. Novembris una cum S. Chrysogono, his verbis: *Romæ, Chrysogoni martyris, & Zoili*. In Romano Martyrologio *Zoilus* omittitur; quod forte mireris, quum in variis Usuardi interpolati editionibus occurrat.

E. V. KALENDAS JANUARII. 28. Dec.

Innocentum. Bethleem, natale sanctorum Innocentum; quos Herodes, cum Christi nativitatem magorum indicio cognovisset, XXXV. anno regni sui interfici jussit: qui anno XXXVI. morbo intercutis aquæ, & scatentibus toto corpore vermibus, miserabiliter, & digne moritur.

VARIA LECTIO. Ubi in ed. legitur: *intercutis aquæ*, in cod. 511. habetur: *intercutaneo*. In codicibus 512. 514. *intercutis aquæ*, prout in editis.

Innocent. ADNOTATIO. Discrepat aliquantisper Usuardus ab Adonis textu: hinc Sollerius scribit, Usuardum, vel ex Viennensi Martyrologio, vel ex Hieronymianis sua hac die selegisse. Quæ in variis Martyrologiis hac die leguntur, huc afferimus. Hieronymianum Epternacense: *Bethleem Juda, natalis infantium*. Lucense, & Corbejense, paullo uberius: *Bethleem, natale sanctorum infantium, & lactantium, qui sub Herode pro Christo passi sunt*. In his legendum esse *lactentium*, pro *lactantium*, monet Sollerius. Kalendarium Carthaginense: *Sanctorum infantium, quos Herodes occidit*. Beda: *Natalis sanctorum martyrum innocentium*. Romanum parvum: *Bethleem sanctorum innocentium*. Gellonense: *In Bethleem natalis martyrum infantium, & lactantium*. Rabanus: *In Bethleem natale sanctorum infantium lactantium, qui sub Herode passi sunt pro Christo*. Rhinoviense: *Bethleem Judæ, natale sanctorum martyrum infantium, & lactantium*. Richenoviense: *Bethleem, natale sanctorum martyrum infantium, & lactentium*. Ita Labbeanum, omisso verbo *sanctorum*. Corbejense brevius: *Bethleem, natalis sanctorum infantium, & lactentium, qui sub Herode pro Christo passi sunt*. Martyrologium Fuldense: *Bethleem sanctorum martyrum innocentum*.

tum. Ottobonianum: *Natalis sanctorum innocentum*. Kalendarium Vaticanum 3806. *In Bethleem sanctorum innocentum*. De eorum cultu Sacramentaria, & liturgici libri omnes vetustissimi, (quorum aliquot indicavimus in Appendice tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 136.) præmisso titulo: *In natali innocentium*, vel *in natali infantium*; aliquando: *in natali innocentorum*. Cæterum prætarimus, quia de his plenius Baronius, Tillemontius, & alii recentiores Historiæ Ecclesiasticæ scriptores.

29. Dec. *F. IV. KALENDAS JANUARII.*

David. DAvid regis.

Trophimi. Item apud Arelatem, natalis sancti Trophimi, Episcopi, & confessoris, discipuli Apostolorum Petri & Pauli. *Vide libellum de festivit. Apostol.*

Crescentis. Eodem die, sancti Crescentis, Apostoli Pauli discipuli, Viennensis Ecclesiæ primi Doctoris.

VARIA LECTIO. Cod. 511. *Hierosolimis, depositio David regis* Codices 512. 514. habent *Hierosolymis*. Sequitur in codicibus:

Trophimi. „ Apud Arelatem, natale sancti Trophimi Episcopi, de quo scribit Apostolus „ ad Timotheum: *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*. Hic ab Apostolis Ro- 2. Tim. 4. „ mæ ordinatus Episcopus, primus ad Arelatem urbem Galliæ ob Christi Evangelium „ prædicandum directus est, ex cujus fonte, ut beatus Papa Zosimus scribit, totæ

Ebrulfi. „ Galliæ fidei rivulos acceperunt. In pago Oesimense, natalis sancti Ebrulfi confesso- „ ris, cujus gesta habentur.

In codice 511. sequitur aliena manu, & quidem minus antiqua: *Eodem die, passio sancti Thomæ Cantuariensis Archiepiscopi*. Ed. habent: *Eodem die sancti Crescentis &c.* Desunt in codicibus verba: *Eodem die &c.* & elogium S. Crescentis.

David. ADNOTATIO. Abesse *David* regem a Hieronymianis omnibus, a Beda, Floro, & Rabano monet hac die Sollerius in Usuardum, sed primum ab auctore Romani parvi commemorari, nomine tantum, nimirum his verbis: *David regis*, quæ transcripsit Ado; Usuardus vero positione loci auxit. Id quidem verum est, si vulgatas Adonis editiones inspicimus, at in codicibus nostris loci positio legitur, nimirum *Hierosolymis*, & additur *depositio*; quare ex purioribus Adonis fontibus Usuardus hac etiam die sumpsit. Martyrologium Fuldense, ex Adone, & Usuardo conflatum, ita habet: *Depositio David regis, & prophetæ*, omisso loco, forte quia satis noto. Cætera de David vide apud Baronium.

Trophimi. Qui primum in Martyrologia *Trophimum* intulerit, Auctor Romani parvi esse Sollerio videtur; desideratur enim apud Bedam, Rabanum, & alios vetustiores. Romanum parvum ita præfert: *Et Trophimi Episcopi, discipuli Apostolorum*. Episcopatus *Arelatensis* ei primum tributus est ab Adone in elogio, & post Adonem ab Usuardo, & aliis, ut animadvertit Sollerius. Martyrologium Fuldense, ex Adone & Usuardo contractum, postquam de Sostene, S. Pauli discipulo egit hac die, cætera de S. Trophimo refert, quæ apud Adonem & Usuardum leguntur, & addit, in eadem Arelatensi urbe in Domino quievisse. De Trophimo, Gatiano, Dionysio Areopagita, aliisque Galliarum Apostolis, Christi fidem in Gallia prædicantibus, deque eruditorum Gallorum ob hæc concertationibus, nonnulla cursim Sollerius ad diem XVIII. Decembris. Eruditorum Gallorum ea de re elenchum habes apud Jacobum le Long in Bibliotheca Historica Gallicana lib. II. cap. I. pag. 34. & seq. Inter hos de *Trophimo* consule Jo. Gerardum Dubois in Historia Ecclesiæ Parisiensis, utrumque Pagium, scilicet Antonium seniorem in Critica Baroniana ad A.D. 255. num. V. & seq. & ad A. D. 401. num. XLVI. Franciscum vero juniorem in Dissertatione Historico-Critica de S. Dionysio Episcopo Parisiensi §. XXXIV.

Crescentis. S. *Crescentis* elogium abest a codicibus nostris, quem in vulgatum Adonem hac die irrepsisse tradit Sollerius, & recte ab Usuardo prætermissum, qui ei *propria e penu Ebrulfum* Ebrulfi. Abbatem Uticensem substituit, *Adoni Pratensi, toties supra refutato, a Mabillonio perperam adscriptum*. At non unus Ado Pratensis, sed

sed nostri quoque codices hac die Ebrulfum recolunt iisdem, quibus Usuardus utitur verbis; quare si Adonianos fontes secutus est Usuardus, rectius Adoni puro adscribendus erit *Ebrulfus*, quam rejiciendus, licet in apographis Rosvveidi desideretur. Vitam S. *Ebrulfi*, præmisso memorato Adonis elogio, edidit Mabillonius sæculo I. Bened. pag. 354. Ex hac vita migravit A. D. 596. IV. *Kal. Januarii*. Translatum fuit ejus corpus c. A. D. 950. in monasterium Resbacense, cujus translationis Acta edidit idem Mabillonius sæculo V. Bened. p. 226. Vide eundem in Annalibus Benedictinis lib. IX. §. X. A. D. 596. & lib. XLV. §. XXXII. A. D. 950. Quod autem egitur *in pago Oximensi*, vulgo est *Hiesmes*, vel *Exmes*, locus Saiensi Episcopo subjectus. Meminit de *Oximensi pago* Fortunatus cap. LIV. in vita S. Germani, deinde alii apud Hadrianum Valesium in Notitia Galliarum pag. 395. *Uticum*, vel *Uticus*, vulgo *Ouche*, seu *la foreste d'Ouche*, locus est, docente Valesio ibidem pag. 625. in diœcesi Lexoviensi in saltu ejusdem nominis, ubi S. *Ebrulfus* monasterium extruxit: quia vero hoc monasterium situm erat *in pago Oximensi*, non longe a castello *Oximis* (Hiesmes), ideo olim *Oximense* dictum est, necnon a saltu *Utico*, *Uticense*. Vide ea de re Cointium in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad A. D. 572. §. IX. & Mabillonii Annales Benedictinos lib. XLV. §. XXXIII.

C. III. KALENDAS JANUARII.

30. *Dec.*

APud Spoletum, passio sancti Sabini Episcopi, Exuperantii, & Marcelli diaconorum, & Venustiani cum uxore & filiis, sub Maximiano Augusto. Qui beatus Sabinus cum esset clarus in omnibus divinis instructionibus, & sermone eloquentissimus, tentus est a Præside Tusciæ Venustiano, cum duobus diaconibus Exuperandio & Marcello, & multis clericis. Cui Venustianus Deum suum Jovem, quem habebat in cubiculo, ex lapide coralite mire formatum in vestimentis aureis, ad adorandum obtulit. Quem beatus Sabinus in manibus acceptum, facta oratione, continuo illisit in pavimentum, & confregit. Quod factum videns Venustianus, cum furore jussit, ut præciderentur ei manus, & in conspectu ejus Marcellum & Exuperantium equuleo suspendi, ac fustibus macerari, unguibusque radi latera eorum, & ignem supponi. Hoc facto, in confessione Domini spiritum emiserunt. Quorum corpora præcepit jactari in fluvium, Sabinum vero Episcopum in carcerem retrudi. Audiens hoc quidam piscator, & presbyter, collegit corpora Sanctorum, & sepelivit juxta viam pridie Kalendar. Januar. Serena vero Christianissima vidua curam habens sancti Sabini Episcopi, adduxit ad eum in carcerem nepotem suum Priscianum, qui erat cæcus. Tunc sanctus Sabinus truncos suos super oculos ipsius posuit, & in fide Christi oratione facta, eum illuminavit. Videntes autem illi, qui in custodia erant, miserunt se ad pedes ejus, & baptizati sunt eo die numero XI. Quod cum nuntiatum esset Venustiano Præsidi (indoluerant enim ei oculi, & præ dolore neque cibum neque somnum capere poterat) misit uxorem suam, & duos filios suos, ut adducerent beatum Sabinum ad domum ejus de carcere. Adducto itaque, prostravit se

Sabini, Exuperantii, Marcelli, Venustiani.

ſe ad pedes ejus Venuſtianus cum fletu, uxorque ejus & filii, agentes pœnitentiam, & rogantes ſe baptizari. Mox baptizatus, ut de pelve levatus eſt, nullum dolorem oculorum ſenſit. Hoc nuntiatum eſt Maximiano, qui iratus præcepit, Sabinum damnari, & ipſum Venuſtianum capite truncari. Veniens autem Lucius Tribunus, ſine auditione beatum Venuſtianum cum uxore & filiis necavit in civitate Aſſiſinate: ſanctum vero Sabinum adduxit in civitatem Spoletum, & tamdiu præcepit cædi, quouſque deficeret. Cujus corpus collegit venerabilis Serena, quæ jam manus ejus in dolio vitreo cum aromatibus condiderat, & infra domum ſuam poſuerat, & ſepelivit eum a civitate Spoleti miliario plus minus uno, ſub die ſeptimo Idus Decembris. Feſtivitas tamen ejus & ſupra nominatorum martyrum tertio Kalendas Januarii agitur.

VARIA LECTIO. Ubi in ed. legitur: *Marcelli, Diaconorum*, codex 512. habet *Marcellini*; codex 514. *Marcelli*, ac paullo poſt *Marcellini*; cod. 511. *Marcelli*. Ed. *Auguſto*. Codices: *Imperatore*. Ed. *Coralite*. Deeſt hoc verbum in noſtris codicibus. Ed. *In veſtimentis aureis*. Codices: *in veſtimentis aureis ornatum*. Ed. *ungulbuſque radi latera eorum &c.* Codices: *cumque unguibus radi latera eorum, & ignem etiam ſubponi præcepiſſet, in confeſſione Domini ſpiritum emiſerunt*. Ed. *Audient hoc &c.* uſque *Januar.* Codices: *Audientes hoc quidam piſcator, & presbyter collegerunt corpora ſanctorum, & ſepelierunt juxta viam ſub die pridie Kalendar. Januar.* Ed. *Serena*. Cod. 511. *Severa*. Ed. *poſuit*. Codices: *impoſuit*. Ed. *Videntes autem*. Deeſt *autem* in cod. 511. Ed. *ut adducerent*. Cod. 511. *adducentes*. Cod. 512. & 514. *Adductus*. Ed. *& filii*. Cod. 511. *& alii*. Cod. 512. & 514. *& filii*. Ed. *Hoc nuntiatum eſt &c.* Codices: *Nuntiata ſunt hæc Maximiano Auguſto*. Ed. *Venuſtianum capite*. Codices: *Venuſtianum quoque capite*. Ed. *præcepit cædi*. Codices: *præcepit eum cædi*. Ed. *eum a civitate Spoleti &c.* Codices: *eum juxta civitatem Spolitanam* VII. *Idus Decembris*.

Perpetui. Inde ſequitur in codicibus. *Turonis, natale ſancti Perpetui epiſcopi & confeſſoris.*

Sabini, & ſociorum. ADNOTATIO. Sabinum & ſocios auctor Romani parvi primùm in Martyrologium intulit, cujus hæc ſunt verba: *Apud Spoletum, Sabini epiſcopi, Exſuperantii & Marcelli, & Venuſtiani cum uxore & filiis, qui paſſi* VII. *Idus Decembris, feſtivitatem ſepulturæ habent* III. *Kalend. Januarii*. Fuſius Ado ex Actis elogium contexuit, quod Uſuardus contraxit. Acta pleniora, & caſtigatiora edidit Stephanus Baluzius Miſcellan. tom. 2. pag. 47. quæ obiter expendit Sollerius hac die, & mordiens Tillemontius tom. 5. pag. 603. 604. impetit.

Perpetui. Abeſt *Perpetuus* hac die ab editione Roſvveidi, quod die VIII. Aprilis colatur, hinc a Roſvveido in Appendicem conjectus eſt. Verum de *Perpetuo* hac die agit Rabanus his verbis: *Turonis, depoſitio beati Perpetui, qui ſancti Martini Eccleſiam ædificavit*. Agunt & Hieronymiana: *Turonis, Perpetui epiſcopi & confeſſoris*. Item Corbejenſe brevius hac die: *Turonis civitate, Perpetui epiſcopi & confeſſoris*. Gellonenſe, & Labbeanum hac etiam die, licet corrupte, *Perpetuæ*, pro *Perpetui* habeant. Meminit inſuper hac die Florus. Hac demum die Kalendarium Vaticanum 3806. *Turonis, Perpetui epiſcopi & confeſſoris*. Romanum vero parvum *Perpetuum* memorat die VIII. Aprilis, ut & Uſuardus, & Notkerus. Idcirco Moſander, & Roſvveidus, quum inter Adonis exemplaria *Perpetuum* hac die, & item die VIII. Aprilis reperiſſent, inter additamenta rejecerunt Perpetui memoriam, quæ hac die III. *Kal. Januar.* celebratur. Qui feſtus dies *Perpetui* tamen ſit præferendus, non eſſe facile ſtatuendum, ſcribit Sollerius ad VIII. diem Aprilis. Godefridus Henſchenius ad Acta ſanctorum Aprilis tom. I. pag. 750. n. 9. & 10. qui codicem Adonis Bibliothecæ Reginæ Suecorum videat, inquirit, an recte, Perpetuum Moſander & Roſvveidus in Appendicem ablegarint, hujuſ-

hujusque rei judicium aliis relinquit. Sed monet utroque die memorari in MSS. Adoniania Trevirensi S. Martini, Leodiensi S. Lamberti, Centulensi S. Richarii, & aliis, item in Martyrologiis Belini, Grevenii, Galesinii, Canisii, & aliis; adde & in omnibus fere Usuardi auctariis. Hinc ita ibi subdit Henschenius: *Quia ad dictum diem* XXX. *Decembris refertur natalis ejus, & depositio, forsan eo die vita functus est, aut certe sepultus; ac tunc arbitraremur, eum decessisse* anno 490. Mox: *Sin tamen alii opinentur, S. Perpetuum hac die* VIII. *Aprilis ex hac vita ad cælestem migrasse, annum illis etiam concedemus* 491. Cointius Annal. Franc. tom. I. A. D. 498. n. VI. existimat, Perpetuum obiisse A. D. 491. VI. *Idus Aprilis*, anno suæ sedis trigesimo, cui *Volusianus* eodem anno mense Novembri successit. Saussayus in Martyrologio Gallicano de Perpetuo agit tantum die VIII. Aprilis.

A. PRIDIE KALENDAS JANUARII. 31. Dec.

ROmæ, natale sancti Silvestri episcopi & confessoris, qui post beatum Petrum tricesimus quintus, sedit annos viginti tres, menses decem, dies undecim. Cujus industria Synodus præclarissima toto orbe terrarum, trecentorum, decem, & octo Patrum, apud Nicænam urbem Bithyniæ celebratur, sub consulatu Constantini Augusti & Licinii, XIII. Kalendas Julii: attamen Julii Papæ tempore consummatur. Fecit autem ordinationes sex mense Decembris, presbyteros quadraginta duos, diaconos viginti quinque, episcopos per diversa loca sexaginta quinque. Sedit autem ex die Kalendarum Februariarum usque in diem Kalendarium Januariarum. Sepultus est in cœmeterio Priscillæ via Salaria, miliario tertio ab urbe Roma, pridie Kalendas Januarii: & cessavit episcopatus ejus dies quindecim. Hic constituit chisma ab episcopo confici, & ut baptizatum liniat presbyter: & ut nullus laicus crimen audeat clerico inferre: & dalmaticis in Ecclesia uti, & ut pallio linostimo læva eorum tegeretur, scilicet diaconorum.

Silvestri. *Pontificale cap.* XXXIV.

Apud Senonas, sanctæ Columbæ virginis, quæ superato igni, gladio cæsa est. *Columbæ.*

Item apud Senonas, natale beatorum Sabiniani & Potentiani, qui a beatis Apostolis ad prædicandum directi, præfatam urbem martyrii sui confessione illustrem fecerunt. *Sabiniani, & Potentiani.*

VARIA LECTIO. Ed. *Silvestri episcopi &c.* Codices laudati: *Silvestri episcopi & confessoris, cujus actus clari habentur. Hic fuit post beatum Petrum Apostolum* XXXV. *sedit autem &c.* Ed. XIII. *Kal. Julii: attamen Julii &c.* Codices: XIII. *Kal. Jul., Julii Papæ tamen tempore consummatur.* Inde sequitur in codicibus: *Hic plenus virtutibus obiit in pace, & sepultus est in cimiterio Priscillæ via Salaria* II. *Kal. Jan. Apud Senones beatorum Sabiniani episcopi, & Potenciani, qui ab Apostolis ad prædicandam directi, præfatam urbem martyrii sui confessione illustrem fecerant. Item in eadem urbe passio beatæ Columbæ virginis, quæ superato igne, gladio cæsa est.*

Silvestri. ADNOTATIO. Selecta quædam de Silvestro, nimirum de ejus cultu, & Actis habet hac die Sollerius ad Usuardum, quem vide. Meminit in primis Kalendarium Bucherianum his verbis: *Pridie Kal. Jan. Sylvestri in Priscilla*; deinde Hieronymiana, Romanum

manum parvum, Beda, Rabanus, Gellonense, & cæteri. Adde Martyrologium Fuldense, in quo: *Romæ, depositio sancti Silvestri Papæ*. Ita quoque Ottobonianum. Kalendarium Vaticanum 3806. *Romæ, sancti Silvestri Papæ* XXXIII. deinde ejus decreta quædam, quæ in vulgatis Pontificum decretis circumferuntur, subdit. Cur in *Priscillæ cœmeterio* dicat Kalendarium Bucherium, id non modo ex vulgatis Actis apud Adonem, sed ex aliis etiam monumentis patet. In Notitia sæculi IX. apud Eccardum Histor. Franciæ Orientalis tom. I. pag. 831. ubi de sanctis martyribus, qui juxta viam Salariam quiescebant, ad quam viam non longe Priscillæ cœmeterium est, ita habet: *Juxta eandem viam Salariam S. Silvester requiescit*. Verba illa in codicibus nostris: *cujus actus clari habentur*, ab Usuardo etiam repetuntur, quæ quum in vulgatis editionibus Adonis non occurrant, censet Sollerius, Usuardum ex Adone nihil accepisse; num hoc verum sit, alii viderint. De S. Silvestri cultu hac die fere omnes Liturgici S. R. E. libri. Desideratur quidem in Sacramentario Gelasiano, sed habetur in Sacramentariis omnibus Gregorianis, & Capitularibus Evangeliorum antiquissimis. De aliis in Urbe S. Silvestri basilicis nonnulla Jo. Fronto adnotavit in suo Kalendario, hac die.

Sabiniani, & Potentiani. Absunt *Sabinianus*, & *Potentianus*, ut monet Sollerius, a Hieronymianis, Beda, & Romano parvo. Cautius egisse Usuardum, dum non ab *Apostolis*, sed a *Pontifice Romano* ad prædicandum missos scribit, censet Sollerius. De his Tillemontius tom. 4. pag. 727. Eorum elogium uno versiculo complectitur Wandelbertus. Cætera suo tempore Bollandiani socii dabunt. Meminit Martyrologium Fuldense his verbis: *Natalis sancti Saviniani, Episcopi primi Senonicæ urbis*.

S. *Columbam* virginem & martyrem Senonensem celebrant Martyrologia omnia, nimirum Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Rabanus, Gellonense, Ado noster, & Usuardus. Adde Martyrologium Fuldense, in quo hæc tantum produntur: *Senones, passio sanctæ Columbæ virginis, quæ superato igni, gladio cæsa est*. Quæ quidem verba eadem sunt, ac ea, quæ Ado & Usuardus. Martyrologium Ottobonianum: *In Galliis civitate Senonas, passio sanctæ Columbæ virginis*. Kalendarium Vaticanum 3806. *Sennis* (pro *Senonis*) *sanctæ Columbæ*. Celeberrimum jampridem in Galliis fuit Senonense S. *Columbæ* monachorum cœnobium, de quo & S. Columbæ basilica, in qua c. A. D. 623. sepultus fuit Lupus Episcopus Senonensis, Mabillon. Annal. Bened. lib. XI. §. XL. & deinceps in eisdem Annalibus passim. Multa sæpe de S. Columba, ejusque basilica occurrunt in brevibus Annalibus Senonensibus, quos ad calcem tomi XIV. Annalium Ecclesiasticorum Cæsaris Card. Baronii, Lucæ excusorum edidi. *Columba.*



LITANIÆ

LITANIÆ INDICENDÆ.

MENSIS JANUARIUS

Habet dies XXXI. Luna vero XXX.

A. KALENDIS JANUARII. 1. *Jan.*



OCTAVÆ Domini. *Oct. Domini.*

Romæ, natalis sancti Almachii martyris: *Almachii.* qui jubente Alipio Urbis præfecto, cum diceret; Hodie octavæ Dominici diei sunt, cessate a superstitionibus idolorum, & sacrificiis pollutis; a gladiatoribus hac de causa occisus est.

Item Romæ, natale sanctæ Martinæ virginis & mar- *Martina.* tyris: quæ cum esset sublimis genere, & patre consule nata, dives nimis rerum, quas misericorditer indigentibus erogabat; tenta ab Alexandro Imperatore, jussa est sacrificare Apollini. Sed mox ut orationem fudit beata virgo, terræmotus factus est magnus, ut civitas concuteretur. Ac sic pars templi ipsius Apollinis destructa est, simulacrum comminutum, & multitudo magna cum Sacerdotibus fani oppressa. Iratus valde Alexander Imperator, jussit alapis faciem ejus cædi, & uncinis palpebras ejus disrumpi. Carnifices autem, qui ad cædendum eam deputati fuerant, deficientes clamare cœperunt, videre se quatuor viros splendidos, qui eam confortarent, sibique potius pœnam inferrent. Inde testarum fragmentis cæsa, cum invictissima durasset, illi, quibus hoc impium officium delegatum fuerat, tandem pietate divina circumdati lumine (erant enim octo) crudele illico ministerium exsecrantes, crediderunt, ac Dominum verum Christum Jesum confessi sunt. In quos accensus valde Imperator, suspensis fecit carnes eorum spathis lacerari. Deinde capitibus amputatis, sæculi hujus vitam finiere XVII. die mense Novembrio: Sicque felicia regna, martyres Christi facti, petierunt. Iterum sancta Martina pœnis pulsatur: nam exspoliata vestibus, incisa est toto corpore, ac deinde quatuor palis extensa, a duobus Centurionibus fustibus cæsa. Cumque in confessione perseveraret, mutati sunt qui per vices eam cæderent septem Centuriones. Sed illa sibi supplicia illata forti animo risit. Inde recepta in carcerem. Inde adipibus, & pinguedine superuncta, & ad Imperatorem iterum adducta, & jubente eo in fanum deorum intro-

tromissa. Sed mox oratione facta ab illa, ignis de coelo cecidit; & idolum in favillam redegit; Sacerdotes templi excussit, & multitudinem populi occidit. Tunc perculsus terrore Imperator, tradidit eam cuidam Justino præfecto, ut impelleret eam ad sacrificandum. Qui mox extendi eam jussit in conto, & spathis membra ejus incidi, & circa mamillas ungulis attrectari, usque dum CXVIII. incisiones ab uncinis fierent. Sed cum adhuc ut ille speraverat, non expirasset, deposita de conto, recipitur in carcerem. Quæ & iterum in Amphitheatrum a Justino præfecto præsentata Imperatori, feris est injecta. Sed leo immanissimus de cavea laxatus, rugiendo usque ad pedes sanctæ martyris pervenit, ubi statim ferocitatem deposuit, eamque nullo pacto attigit. Sed cum reduceretur in caveam, Eumenium Imperatoris cognatum interfecit, & iterum recepta est, jubente Imperatore, in carcerem. Exinde post duos dies cum iret ad sacrificandum Imperator, exhibita martyr, cum fixa in Domino maneret, suspensa iterum, ungulis rasa: rasisque capillis, in quibus credebant, quod magica ars consisteret, videntes eam insuperabilem, in templo Dianæ tribus diebus & tribus noctibus eam includunt. Cumque precibus suis in pulverem redegisset simulacrum, educta de fano, ad ultimum gladio ferienda ab Imperatore destinatur. Hujusmodi fine martyr venerabilis coeli regnum meruit.

Eodem die apud Spoletum civitatem Tusciæ, natalis sancti Concordii martyris temporibus Antonini Imperatoris. Hic ortus est Romæ, cujus pater Gordianus dicebatur, sanctissima conversatione presbyter, de titulo Pastoris, ordinatus Subdiaconus a sancto Pio Urbis Romæ Episcopo. Qui nihil aliud cum patre suo, nisi jejuniis, & orationibus die, noctuque vacabat; eleemosynis pauperum semper inserviens. Factum est, ut cum consilio patris sui apud beatum Eutychen, qui tunc morabatur in prædiolo suo, via salaria juxta civitatem habitaret. Audiens famam eorum Torquatus Comes Tusciæ, qui versabatur in civitate Spoleti, mittens, accersivit sanctum Concordium, & dixit ei: Quo nomine vocaris? Respondit sanctus Concordius: Christianus sum. Dixit ei Comes: De nomine requiro, non de Christo tuo. Sanctus Concordius respondit: Christianus sum, & Christum confiteor. Cumque impelleretur ad sacrificandum, & ille in fide Christi fortiter perduraret, jussus est fustibus cædi. Sequenti nocte venit ad eum beatus Eutyches cum Anthimo Episcopo, & rogaverunt Comitem, ut aliquot diebus cum eis permitteretur morari: Erat namque Anthimus Episcopus ami-

cus

cus Comitis, quique beatum virum Concordium fecit illis diebus presbyterum. Peractis aliquibus diebus, revocatus est beatus Concordius, & venit ad Comitem. Cui & dixit Comes: Quid tractasti circa salutem tuam? Sanctus vir respondit: Salus mea Christus est, cui quotidie sacrifico sacrificium laudis. Iratus Comes, jussit eum suspendi in equuleo: Cruciatus diu, revocatur arctatus ferro in carcerem: ubi meruit consolationem Angelicam. Post tres noctes missi sunt ad eum, qui eum aut sacrificantem laxarent, aut nolentem punirent. Venientes autem missi dixerunt ei: Aut sacrifica Jovi, aut capitalem sententiam accipies. Ferebant autem statunculam Jovis. Beatus Concordius dixit: Gratias tibi Domine Jesu Christe. Et exspuit in faciem Jovis. Tunc unus de satellitibus evaginato gladio amputavit caput ejus: atque ita in confessione Domini emisit spiritum. Venientes autem duo clerici cum religiosis viris, tulerunt corpus ejus, & sepelierunt non longe a Spoleto, in loco ubi aquæ multæ emanant.

Item Romæ via Appia, coronæ militum triginta: has sub Diocletiano pro confessione veræ fidei percipere meruerunt. *Coronæ milit. xxx.*

Apud Africam, natalis S. Fulgentii, Ecclesiæ Ruspensis *Fulgentii.* Episcopi & Confessoris, qui tempore Wandalicæ persecutionis, ob catholicam fidem & eximiam doctrinam, ab Arrianis multa perpessus, & diu apud Sardiniam exilio relegatus, tandem ad Ecclesiam suam redire permissus, & vita & triumpho clarus, sancto fine quievit, annum sui Episcopatus agens vigesimum quintum, vitæ autem totius sexagesimum quintum.

Apud Alexandriam, Sanctæ Euphrosynæ virginis, quæ *Euphrosynæ.* orationibus patris sui Paphnutii de sterili matre progenita, in puerili ætate constituta, clam se tonderi fecit, & monasticam vitam expetiit, Smaragdi sibi nomen imponens. Post etiam in reclusione viginti & octo annis in omni sanctitate perdurans, tacta ægrotationis incommodo, & mortem sibi adesse cognoscens, manifestavit se religioso, & lacrymis multoties quærenti eam patri.

In territorio Lugdunensi, Monasterio Jurensium, S. Eu- *Eugendi.* gendi Abbatis, cujus vita virtutibus, & miraculis plena refulsit.

VARIA LECTIO. Ed. *Octavæ Domini*. Codices 511. 512. 514. *Circumcisio Domini nostri Jesu Christi secundum carnem*. Ed. *natale sanctæ Martinæ*. Codices: *Passio sanctæ Martinæ*. Ed. *simulacrum comminutum*. Codices: *simulacrumque comminutum*. Ed. *Iratus valde Alexander Imperator*. Codices:

Tunc iratus Alexander Imperator. Ed. *Carnifices autem*. Codices. *Illi autem carnifices*.

Ed. *& venit ad Comitem*. In codice 511. deest *& venit*, & sequitur: *cui ille*. Ed. *qui eum aut sacrificantem laxarent*. Codices: *qui sacrificantem illum laxarent*. Ed. *& sepelierunt*. Codex 511. *& sepelierunt illud*. Codices 512. 514. *sepelierunt eum*. Inde sequitur in codicibus: *Apud Cæsaream Cappadociæ, natalis sancti Basilii Episcopi, admirandæ fidei, vitæ, & doctrinæ viri*. *Basilii.*

Ed. *Apud Africam*. Codex 511. *In Africa*. Codex 512. *In Africana*. Ed. *Episcopi & confessoris*. Codex 511. *Episcopi*, tantum. Ed. *multa perpessus, & diu*. Cod. 511. *multa perpessus, cæsus, ac decalvatus, & diu*. Ed. *& triumpho clarus*. Cod. 511. *& verbo clarus*.

Ed. *& lacrymis multoties*. Cod. 511. *& cum lacrymis multoties*. Ed. *Eum patri*. Sequitur in codicibus: *cumque quievisset, sepulta est a fratribus in Ecclesia*.

Ed. *S. Eugendi*. In codicibus: *natalis sancti Eugendi*. Deinde post *refulsit*. *Severi.* sequitur in codicibus: *Ravenna, sancti Severi Episcopi, & martyris*.

Kalend. Januar. ADNOTATIO. De *die Kalendarum Januariarum* apud Romanos olim celeberrimo plurima pereruditе Baronius ad Martyrologium Romanum hac die. Ibi inter cætera agit de interdictis strenis, ac de strenarum usu. Varia strenarum genera describit Martinus Lipenius in Historia strenarum, edita Lipsiæ an. 1670. ubi cap. II. nonnulla de strenis novi anni profert, quæ ab eo appellantur *herbaceæ, dulces, mellitæ, æreæ, argenteæ, & aureæ*. Ad ea quæ Baronius ex Patribus de damnatis ab Ecclesia diabolicis strenis profert, pertinet Tertulliani locus de Idololatria cap. XXIV.: *Nobis*, inquit, *quibus sabbata extranea sunt, & neomenia, & feriæ Deo aliquando dilectæ, Saturnalia, & JANUARIÆ, & Brumæ, & Matronales frequentantur, munera commeant*, STRENÆ *consonant, lusus, convivia constrepunt*. Vide etiam Cod. Theod. lib. VII. tit. XXIX. de oblatione votorum, & ibi Jacobi Gothofredi Commentaria, ac item Julium Cæsarem Bulingerum de Imperio Romano lib. II. cap. XXVII. Quod attinet ad christianos, qui hac die muliebri amictu personati incedebant, exstat S. Asterii Amaseæ Episcopi sermo de calendis Januarii: *Miles*, inquit, *mulieris formam assumit, animo leoninus, & cum armis aspectu admirabilis, & tunicam ad talos dimittit, pectus zona circumcingit, indumenta muliebri utitur, & crobylum capiti imponit*.

Promiscue in Martyrologiis veteribus: *Circumcisio Domini, & Octavæ Domini* occurrit; *Octav. & Circumcis. Domini.* interdum utrumque conjungitur. Frequentius in libris Liturgicis: *Octavæ Domini*. Martyrologia Hieronymiana habent: *Circumcisio Domini nostri Jesu Christi secundum carnem*. Ita quoque in Martyrologio Morbacensi, & in fragmento Kalendarii Corbejensis apud Martenium in novo thesauro Anecdotorum tom. tertio pag. 1591. Ita Martyrologium Gellonense; ac ita codices nostri Adoniani, ut in variis lectionibus hujus diei ostendimus. Beda, & Romanum parvum *octavam & circumcisionem* conjungunt. Beda: *Octava Domini, & circumcisio secundum carnem*. Romanum parvum ita præfert: *Octava Domini, & circumcisio*. Apud Usuardum autem: *Circumcisio Domini nostri Jesu Christi*, tantum. Eadem habet Martyrologium Fuldense, & Kalendarium Palat. Vat 485. Non est autem cur sollicitus sit Sollerius in Observatione hujus diei ad Usuardum, si Usuardus ab Adone declinare ei videatur, quod in vulgato Adone: *Octavæ Domini*, tantum legantur. In emendatioribus codicibus desideratur hæc formula, & ejus loco habetur: *Circumcisio Domini nostri Jesu Christi &c.* Usuardus ergo puriores codices Adonis præ oculis habuit, quos imitatus: *Circumcisionem* adnotavit, *Octava Domini* prætermissa. Apud Rabanum vero & Notkerum enunciatur: *Octava Dominicæ nativitatis, qua die idem Dominus circumcisus est in carne*. Cætera Martyrologia & Kalendaria, paucis exceptis, *Circumcisionem Domini nostri Jesu Christi secundum carnem* designant, ut Rhinoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, & Reginæ Suecorum, a Bollandianis sociis edita Junii tom. VII. Kalendarium Vaticanum n. 3806. utrumque conjungit, his verbis: *Circumcisio, & Octava Domini*. In libris vero Liturgicis vetustissimis frequentissime: *In octabas* (pro *octava*, *seu octavis*) *Domini*, occurrit. Ita præfert Sacramentarium Gelasianum, & Gregorianum Reginæ Suecorum n. 337. Ita quoque Capitularia Evangeliorum veterrima, ut Frontonis, & Capitulare Vaticanum a nobis editum tom. tertio de Liturgia Romani Pontificis, & alia ibi Capitularia, quorum aliqua, prout & nonnulla Sacramentaria addunt Romanam stationem *ad S. Mariam ad martyres*. Nonnulli tamen Liturgici libri vel vetustissimi, ut Missale Gothicum, Sacramentarium Gallicanum, & Lectionarium Lexoviense præferunt: *In circumcisione*

ne Domini. Utrumque festum conjunctim hac die ab Ecclesia recoli consuevisse, tradunt rerum Ecclesiasticarum Scriptores. Ævo S. Leonis magni Circumcisionis diem festivum celebratum fuisse, ex ejusdem Pontificis Epist. IV. cap. II. conjicit Ludovicus Thomassinus de diebus festis lib. I. cap. IV. §. XI. Cætera de hujus diei celebritate, vide apud Eminentissimum Lambertinum, nunc Benedictum XIV. Romanum Pontificem in Opere de festis Domini nostri Jesu Christi, & beatæ Mariæ Virginis P. I. §. I. *& seq.*

Almachii. *Almachius* martyr, licet a Hieronymianis absit, memoratur tamen a Beda, Adone, Usuardo, & Notkero. Romanum parvum habet: *Romæ S. Almachii, decollati sub Alipio Urbis Præfecto*. Martyrologium Fuldense: *Romæ, sancti Almachii martyris*. Martyrologium Reginæ Suecorum n. 435. sæculo IX. scriptum, & a Bollandianis sociis Junii tom. VII. editum, præmittit coronas militum triginta, deinde Almachium designat: *Romæ, via Appia, coronæ militum triginta, & passio Almachii martyris*. Baronius in Adnotationibus ad hunc diem, & in Annalibus ad an. 395. n. XVIII. *& seq.* totis viribus contendit, hunc *Almachium*, eundem esse ac *Telemachum*, de quo Theodoretus lib. V. Histor. Eccles. cap. XXVI. passumque fuisse Theodosio magno Augusto Imperatore, quo imperante, A. D. 391. *Alypius* Præfectus Urbi fuit. At Theodoretus scribit, *Telemachum*, Honorio Aug. imperante, martyrio functum esse, idque accidisse A. D. 403. monet Tillemontius in Histor. Imperatorum tom. V. pag. 805., qui *Telemachum* ab *Almachio* distinguendum opinatur, ut & Pagius senior in Critica Baroniana ad an. 404. n. VI. Neque audiendus Franciscus Maria de Aste Archiepiscopus Hydruntinus, qui in Animadversionibus ad Romanum Martyrologium, Beneventi excusum an. 1716. lectorem amandat ad Suidæ Lexicon, verbo *Amachior*, forte putans unum eundemque esse *Amachium*, & *Almachium* martyrem. Ex eo Suidæ loco patet, Amachium de quo idem Suidas, sub Juliano Imperatore vixisse, parvæ urbis in Phrygia indigenam, & superstitionis ethnicæ sectatorem acerrimum fuisse. Neque ad *Almachium* nostrum pertinent, quæ ex Græcorum Menologiis profert.

Martina. Fusius ex Actis multa hac die Ado de sancta Martina virgine & martyre narrat. Ea expendit Baronius hac die, & die XII. Januar. deinde Jo: Bollandus ad Acta Sanctorum die prima Januarii pag. 11. quæ ex omni parte minime esse probata censet. Vide præterea Bollandianos socios ad diem XVIII. Aprilis pag. 532. & Tillemont. tom. III. pag. 680. Meminere insuper de *Martina* hac die Usuardus genuinus, Romanum parvum, & alii; de quo mox. Abest a genuino Beda, ab eisdem Bollandianis in fronte tom. II. mensis Martii edito, sed habetur in nonnullis ejusdem apographis, & quidem vetustis, ut in codice Casinate n. 437. al. 179. litteris Langobardicis exarato, & sæculo circiter XI. scripto, ubi hac die: *Natalis Almachii martyris: & sanctæ Martinæ martyris*. In alio Bedæ apographo Bibliothecæ Ottobonianæ, sexcentorum circiter annorum, litteris Langobardicis exarato: *Romæ, sancti Almachii presbyteri & martyris: & sanctæ Martinæ virginis & martyris*. In aliquibus item Bedæ auctariis apud Bollandianos: *Et Romæ, passio sanctæ Martinæ virginis*. Rabanum, & Notkerum prætereo. Martyrologium Fuldense Usuardum fere ad verbum exscribit; habet enim: *Et sanctæ Martinæ virginis, quæ tempore Alexandri Imperatoris, multis, & diversis suppliciis afflicta, ad ultimum decollata est*. Adde Kalendarium Vaticanum n. 3806. ubi: *Romæ sancti Concordii, & sanctæ Martinæ uxoris Adriani*. Kalendaria, seu Martyrologia brevia, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum hac die: *Romæ, Martinæ martyris*. Certe quidem in Romana urbe S. Martinæ cultus vetustissimus est, ut liquet ex auctore libri Pontificalis, qui in *Hadriano* I. & in Paschali I. *basilicæ sanctæ Martinæ martyris, sitæ in tribus fatis* (forte pro *foris*) meminit. De situ hujus basilicæ adeundus Alexander Donatus de urbe Roma lib. II. cap. XVIII. & XXII. lib. IV. cap. III. & Famianus Nardinus lib. V. cap. VIII. & IX. ubi plura de Secretario Senatus, super quo ea Ecclesia condita fuisse dicitur. De Secretario vide etiam Jacobum Gothofredum in Commentariis ad leg. I. cod. Theodos. de officio Rectoris Provinciæ. Quum vero eleganti architecturæ opere hæc S. Martinæ in Urbe Ecclesia per Petrum Berettinum Cortonensem restitueretur, detectum est an. 1634. die XXV. Octobris S. Martinæ corpus, una cum sanctorum Epiphanii, & Concordii corporibus. Hujus inventionis historiam habes apud Paulum Aringhum Rom. Subterran. lib. III. cap. VIII. n. 2. 3. & apud Marsilium Honoratum, Viterbiensem, Congregationis Oratorii presbyterum, qui libellum tunc de ea inventione, Italice scripsit. Num inferiori ævo hac die prima Januarii S. Martinæ celebritas recoli consueverit, non satis est exploratum. In Kalendario XIII. sæculi edito a viro, doctrina & pietate venerando Josepho Maria Cardinali Thomasio, initio Antiphonarii S. R. E. *Kalendis Januarii* legitur: *Et Martinæ virginis*. Hac die quoque in Kalendario XIV. sæculi *S. Martina virgo & martyr* memoratur idest in Kalend. Setino, a nobis edito in Exercitatione de Cathedra Episcopali Setina pag. 185. Intermissa tamen aliquando videtur mense Januario S. Martinæ celebritas; nam desideratur in Missali Romano, edito Venetiis an. 1515. per Gregorium de Gregoriis; habetur vero in Breviario Cardinalis Quignonii die XV. Januarii. At abest a Missalibus Pii V, & Clementis VIII. Demum Urbanus VIII. officium & Missam iterum instituit an. 1635. & XXX.

diem Januarii ad hujusmodi celebritatem recolendam statuit.

Concordii. Acta martyrii S. *Concordii*, ex quibus Ado hujus martyris elogium hac die sumpsit, post Mombritium, & Surium edidit Bollandus to. I. Januar. pag. 9. Brevia sunt, ac ob styli simplicitatem magnam antiquitatem redolere videntur. In his tamen aliqua esse, quæ castigatione indigeant, monet Baronius in hujus diei Adnotationibus. Elegantiæ laude commendantur a Tillemontio tom. I. pag. 286. Expenduntur vero ab eodem tom. II. pag. 317. 626. 627. ubi officii genus, quo *Torquatus* provinciæ præses ornatur, dum *Comes Tusciæ* dicitur, insolens tum fuit. Comites enim provinciarum longe post *M. Aurelium* provincias rexerunt. Silent de *Concordio*, qui passus fuisse dicitur A. D. 175. Beda, & Hieronymiana, & aliqua vetustiora Martyrologia. Meminere vero Romanum parvum, Ado, Rabanus, Usuardus, Notkerus. Hi fere omnes: *Apud Spoletum civitatem Tusciæ*, ejus natalem commemorant. Excipe Rabanum, & Kalendarium Vatic. n. 3806. qui *Romæ* habent.

Milit. xxx Milites *triginta martyres* recolunt hac die Martyrographi fere omnes, nimirum Hieronymiana, Ado, Usuardus, & Notkerus, & Martyrologium Reginæ Suecorum. Apud genuinum Bedam desiderantur. In Hieronymiano Lucensi legit Florentinius: *Via Appia, Coronæ, milites triginta*; perinde ac si *Corona*, viri nomen proprium sit, a triginta militibus disjunctum. Baronio assentiri libet, qui *coronas*, pro corona victoriæ, ac certaminis accipit. Ex ipso Adonis textu hac die liquet, coronas hic pro palma victoriæ accipi, dum has (coronas) sub Diocletiano percipere meruisse hos martyres tradit. In Hieronymianis item, Adone, ac Usuardo *Idibus Januarii*: *Via Lavicana* (*Latina* in Lucensi) *corona militum quadraginta* memorantur: qui *quadraginta militum* nomine tantum in Romano parvo recensentur. Solus Notkerus distinguere videtur, ut adnotat Sollerius ad Usuardum die XIII. Januarii.

Fulgentii. De S. *Fulgentio* hac die Romanum parvum, his verbis: *Et in Ruspensi Ecclesia, S. Fulgentii Episcopi*. Ado, & Usuardus: *Apud Africam*, seu in *Africa* ejus natalem recolunt. Martyrologium vero Fuldense, *Carthagine*. Obiit S. Fulgentius in Insula *Circina* A. D. 533. ut ostendit Henricus Cardinalis Norisius Histor. Pelagianæ lib. II. cap. ultimo, & ex eo Theodoricus Ruinartius in Histor. Persecutionis Vandalicæ P. II. cap. XII. n. 2. Pagius in Critica Baroniana ad an. 529. n. XII. XIII. cui anno Baronius mortis Fulgentii annum alligat, contra Norisium contendit, Fulgentium A. D. 530. obiisse; sed nullis certis fundamentis Pagii sententia innititur.

Euphrosynæ. Inter Latinos forte primus Ado de *Euphrosyna* meminit; & ex eo Usuardus, ac deinde alii. Bollandiani socii, ut Carmelitis gratiam facerent, in diem XI. *Februarii S. Euphrosynæ* natalem, & Acta transtulerunt. Ibi Henschenius in Commentario prævio animadvertit, variis diebus de S. *Euphrosyna* in fastis Ecclesiasticis agi, nimirum *Kalendis Januarii*, & die XI. *Februarii*. Græci autem eam colunt die XXV. *Septembris*; & *Euphrosynam*, *Euphrasiam*, & *Euphrosiam* vocant. In nonnullis Usuardi editionibus die XI. *Februarii*, *Euphrosynæ* mentio fit; sed optima exemplaria, habent *Euphrasiæ*, ut & Romanum parvum, & Ado ea die. Itaque *Euphrasiam* legendum contendit Sollerius in Usuardum die XI. Februarii. Vitam a Metaphraste conscriptam, fuco commentisque adornatam fatentur rerum Ecclesiasticarum perquisitores, inter quos Tillemontius tom. X. pag. 50. 724. 725.

Eugendi. *Eugendum*, qui & *Augendus*, nam utroque modo effertur apud Mabillonium, in primis commemorat Ado hac die, quem Usuardus, & Martyrologium Fuldense exscribit. Agit de eo Notkerus die sequenti. In Jurensi eremo ac saltu, inter Sequanos & Helvetios, vulgo *le Joux*, & *le Mont Saint Claude*, ut habet Valesius in Notitia Galliarum pag. 257. tria olim, ut docet Mabillonius Annal. Bened. lib. I. §. LXIII. *& seq.* ad an. 510. claruerunt monasteria, scilicet *Jurense*, seu *Condatescense*, *Lauconnense* virorum, & *Balmense* puellarum. *Augendum*, seu *Eugendum*, sibi adjutorem adscivit c. A. D. 482. Minausius Abbas Lauconnensis. *Eugendi* vitam & res gestas post Bollandum die prima Januarii pag. 49. ex auctore monacho Condatescensi, ipsius Eugendi discipulo edidit Mabillonius sæculo I. Benedictino pag. 570. editionis primæ, qui de anno mortis non constare scribit pag. 576. Conjicit autem, eum obiisse c. A. D. 510. Illustriora monumenta, quæ Mabillonio innotuerunt, tempus, quo vixit Eugendus, detexerunt; ex quibus fit, ejus ætatem ad Chilperici Francorum regis ævum, ut putavit Baronius, non esse protrahendam; cum Chilpericus regnare cœperit A. D. 561. & obierit an. 584. Baronium decepit *Lupicini* nomen, propterea quia putavit, Lupicinum de quo meminit Gregorius Turonensis de Vitis Patrum lib. I. cap. I. non alium fuisse a *Lupicino* Abbate Condatescensi; & Chilpericum Burgundiæ regem, Genevæ imperantem, quem *Lupicinus* adiit, cum Chilperico Francorum rege confundit. E sancti *Eugendi* nomine, scribit Cointius ad an. 534. §. XXIV. cœnobium Condatescense, dictum fuisse monasterium S. *Eugendi*, donec a S. *Claudio*, Bisuntino Antistite, S. *Claudii* nomen accepit. Sammarthani fratres tom. IV. Galliæ Christianæ, primæ editionis, catalogum Jurensium Abbatum, ex prægrandi opere, quod Petrus Franciscus Chiffletius moliebatur, ediderunt. *Lupicinum* mortuum scribunt c. A. D. 477. *Eugendum* vero an. 521. a quibus dissentire videtur Cointius ad an. 534. n. XXIV.

De

Basilii. De *Basilia*, de quo codices nostri hac die, agemus die XIV. Junii.

Severi. De S. *Severo* Ravennate, de quo silet vulgatus Ado, & recenletur in codicibus nostris, meminere hac die nonnulla Martyrologia vetustissima, quorum aliqua *confessoris*, aliqua *martyris* titulum ei tribuunt. Hieronymianum Lucense: *In Ravenna, depositio S. Severi Episcopi*, Hieronymianum Corbejense: *Ravennæ depositio S. Severi confessoris*. Hieronymianum aliud apud Bollandum hac die pag. 20. *Ravennæ, depositis sancti Severi cum fratribus suis.* Alia vero Martyrologia MSS. a Bollando hac die laudata, puta duo Bedæ nomine insignita, præferunt *Severum Episcopum & martyrem*. Martyrologium sanctæ Columbæ, sæculi IX. in Bibliotheca Reginæ Suecorum n. 435. a Bollandianis tom. VII. mensis Junii editum, habet hac die: *Ravenna, depositio sancti Severi confessoris*. Martyrologium Richenoviense hac die: *Ravenna, Severi confessoris*; & Kalendis Februarii: *Ravenna, natale Severi Episcopi*. Gellonense, Augustanum, & Labbeanum Kalendis Januarii aliquot martyres in unum commiscent, inter quos *Severi* nomen legitur, hoc pacto: *Stephani, Eofrosini, Hermetis, Gigi, Victoris*, SEVERI. Gellonense autem & Labbeanum Kalendis Februarii, *Severi confessoris* meminere. Martyrologium Usuardi in codice Reginæ Suecorum n. 249. Sæculo XIV. scriptum, Kalendis Januarii, ad oram habet: *Ravenna, Severi Episcopi & martyris*. Aliqua Usuardi Auctaria apud Sollerium hac die, preferunt: *Severi Episcopi & martyris*; aliqua: *Severi Episcopi*, tantum; aliqua: *Episcopi & confessoris*. In iisdem vero Auctariis die prima Februarii *Episcopus & confessor* appellatur.

Alias Baronium inter, ac Hieronymum Rubeum de Sanctis *Severis* Ravennatibus Episcopis lis exorta est. Rubeus Histor. Ravennat. lib. II. pag. 43. edit. an. 1590. *Severum*, Ravennatem Episcopum ac martyrem sub *Maximiano* Augusto constituerat, *Kalendis Januarii* A. D. 304., cujus corpus coli apud Urbemveterem, scripsit. Sed Baronium oppugnatorem habuit in Adnotationibus Martyrologii Romani ad diem Kalendarum Februarii, & rursus in Annalibus Ecclesiasticis ad A D. 337. n. LXIX. *& seq.* Bollandus, cum in Martyrologiis plerisque, puta in Hieronymianis, *Kalendis Februarii*, *Ravennæ*, *Severum Episcopum* recoli animadverteret; ac pleraque alia Martyrologia de *Severo Ravennate Episcopo, confessore*, Kalendis tantum Februarii agere, anceps hærere videtur, num unus & idem sit *Severus*, Ravennas Antistes, qui *Kalendis Januarii*, & qui *Kalendis Februarii* colitur. Itaque in Commentario prævio die prima Februarii pag. 81. n. 13. mallet, *duos Severos*, Ravennates Antistites esse distinguendos, alterum antiquiorem S. *Marcellini*, ac *martyrem*; alterum posteriorem, & *confessorem* tantum, ex cujus celebri cultu antiquioris fama obscurata fuerit. Cæterum monet, seculo IX. vulgatiorem de *Severo Episcopo Ravennate*, *& martyre* opinionem fuisse; nam *Luidolfus* presbyter, qui sæculo IX. florebat, in Vita de *S. Severo Ravennate Episcopo & confessore*, quam scripsit, ob translatas c. A. D. 836. *Severi* reliquias Francofurtum ab *Otgario* Moguntino Archiepiscopo, hæc habet ex responso monachi Ravennatis eidem Luidolfo: *Severus, cujus tu vitam scire desideras*, NON FUIT MARTYR, SED CONFESSOR. Ex quibus verbis conjicit Bollandus pag. 79., Luidolfum de *Severo* Episcopo ita percontatum fuisse, ut *martyrem* illum existimaret. Igitur mirum videri non debet, si codices nostri, & alii, *Severum Ravennatem* hac die, *Episcopi & martyris* titulo exornant. Agnellus Abbas S. Mariæ ad Blachernas in libro Pontificali, seu in Vitis Pontificum Ravennatum, unum tantum *Severum*, Ravennatem Antistitem, S. *Marcellini* successorem recenset; qui *Severus* Sardicensi concilio interfuit, & funus S. Geminiani Episcopi Mutinensis curavit. Benedictus Bacchinius, qui Agnelli Pontificale edidit & illustravit, in Dissertatione prima de ætate priorum XII. Episcoporum Ravennatum multa disquirit, sed nodum non solvit, ac *unum* tantum *Severum Episcopum*, *& confessorem* agnoscit. Num autem *Severus* genuino Adoni accensendus sit, alii judicent.

B. IV. NONAS JANUARII. *2. Jan.*

Macarii. NAtalis beati Macarii Abbatis.

Argæi, Narcissi, & Marcellini. Et in Ponto Civitate Tomis, trium fratrum, Argæi, Narcissi, & Marcellini pueri, qui sub Licinio inter tyrones comprehensus, cum nollet militare, cæsus ad mortem, & diu in carcere maceratus, in mare mersus, martyrium consummavit. Corpus ejus ad littus delatum, & a religiosis viris depositum, magnis coruscat virtutibus.

VARIA

VARIA LECTIO. Ed. *Natalis beati Macarii Abbatis*. Cod. 511. *In Tebalda depositio beati Macharii Abbatis, magnarum virtutum viri.*

Ed. *Argæi, Narcissi, & Marcellini pueri*. Codices 511. 512. & 514. *Narcissi, Arget, & Marcellini pueri*. Cod. 512. post verbum *virtutibus* habet. „ Eo-
Sylani. „ dem die in Petrogorico civitate, natalis sancti Sylani martyris, qui ad prædica-
„ tionem beati Frontoni baptizatus, postea ab Esquirio rege accepit capitalem sen-
Ysidori. „ tentiam. Apud Antiochiam, passio beati Ysidori Episcopi. Ipso die, sancti Indo-
Indonis. „ nis Episcopi.

ADNOTATIO. Qui primo loco hac die ab Adone, tam in editis, quam in co-
Macarii. dicibus *Macarius* Abbas statuitur, extremo loco ab Usuardo collocatur, qui cum *in Thebaide* addat, rem implicuisse videtur Sollerio, ac supra ductores suos sapere, nec rem definire Rabanum, neque Notkerum, dum legunt: *Antiochiæ, Macarii Abbatis*. At codex 511. probæ vetustatis habet: *In Thebaide*; & principe loco ponitur in Romano parvo. Martyrologium Fuldense, infra edendum, ex Adone, & Usuardo descriptum: *In Ægypto, depositio sancti Macharii Abbatis*; quare Usuardus, Adonē genuino usus, rem non implicuit, cum *in Thebaide* enunciavit. Cæterum cum varii Macarii sæculo Christi IV. sanctitate celebres floruerint, horum Acta confusa fuerunt, quæ unicuique eorum restituere conatur Bollandus hac die pag. 84. & 1085. Vitam & dicta Macarii Græce habes apud Jo: Baptistam Cotelerium inter Ecclesiæ Græcæ monumenta tom I. a pag. 525. & apud Bollandum die XV. Januarii. Nomen *Macarii* ab ipsis monasticæ vitæ exordiis totum ferme orientem personuit. Princeps horum videtur *Macarius*, sancti Antonii discipulus, qui ab an. 340. ad 356. ejusdem Antonii aurea verba excepit, eumque sepulturæ tradidit, ut habet Palladius ad Lausum cap. XXV. Hic *Macarius Pispirensis*, a nonnullis, ut animadvertit Tillemontius tom. VIII. pag. 808., cum *Macario Alexandrino* conjungitur. Alios *Macarios* producit idem Tillemontius tom. VIII. pag. 574. 575. nimirum alterum in *Tabenna*, S. Theodori fratrem, & alterum in monasterio Pachuensi. Alium *Macarium* Palladius memorat cap. XVII. qui an. 391. in desertis *Scetes* habitabat. Vide Bolland. die XIV. Maii pag. 45. 67. Idem Palladius alterum *Macarium*, *presbyterum Alexandrinum* nominat, qui idem putatur ac is, de quo Gennadius collat. XIV. cap. IV. pag. 591. Plura de *Macariis*, ac item de *Macario* monacho, Rufini familiari Baronius hac die; de quo Macario consule Fontaninum in Historia litteraria Aquilejensi lib. V. cap. I. *Macarius Abbas* hac die in omnibus ferme Martyrologiis celebratur; præter ea enim quæ citavimus, occurrit in apographis Bedæ, sexcentorum circiter annorum, ut in Casinensi, & Ottoboniano, in Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, & in Senonensi S. Columbæ, olim Reginæ Suecorum; & in apographis Hieronymianis, in quibus legitur: *Macarii Abbatis*, tantum; in quibusdam vero ex allatis Martyrologiis: *Macarii*, tantummodo.

Vide, quæ de *Argæo*, *Narcisso*, & *Mar-* *Argæi,*
cellino tradit Bollandus, & quæ habet Flo- *Narcissi,*
rentinius ad diem tertiam Januarii pag. 221. *& Mar-*
& 222. qua die in apographis Hieronymianis *cellini.* coluntur. Vide etiam quæ obiter admonuit Sollerius ad Usuardum die secunda Januarii. Horum Martyrum Acta castigatione indigere, jam videre emunctæ naris viri.

Codex Adonis 512. ut supra, addit hac die *Sylanum*, *Isidorum*, & *Indonem*, de quibus nihil in Adone vulgato. De his tamen nonnul-
la sunt adnotanda. De *Sylano*, seu *Silano* Pe- *Sylani.*
tragoricensi martyre silent Martyrologia vetustiora, habentur tamen illius Acta quæ hac die edidit Bollandus pag. 79. a Rosvveido descripta ex MS. codice Ecclesiæ S. Martini Ultrajecti. Alia porro eorum apographa, alicubi *fideliora*, & *fusiora* reperiri posse conjicit idem Bollandus. In his Actis memorantur *sancti Frontasius*, *Severinus*, *Severianus*, *atque* SILANUS, *a beato Frontone primo Petragorensi Episcopo ad prædicandum missi*, & a *Squiridione Præside*, dum verbum Dei seminarent, comprehensi. Alia de *Silano*, & sociis in eisdem Actis subjiciuntur, quæ fidem superare videntur. Passi dicuntur IV. *Nonas Januarii*, Claudio imperante, & a sancto Frontone sepulti. Num S. *Fronto*, Apostolus dici possit, disceptatum est in Concilio Lemovicensi, & Bituricensi A. D. 1031. ubi apud Labbeum Bibliothecæ novæ MSS. tom. II. pag. 770. hujusmodi concertatio legitur, & Apostolatus rejicitur. S. *Frontonis* Acta respuit etiam Tillemontius tom. IV. pag. 502. Habetur tamen *Petrocarii*, Ecclesia S. *Silani*; & de Silano agunt hac die nonnulla Usuardi Auctaria his verbis: *Civitate Petragorica, sancti Silani martyris*. In editione item Coloniensi Usuardi an. 1521. hac die: *Frontonis martyris, & sociorum ejus*.

Idem codex post *Silanum* agit de S. *Isidoro* *Isidori.*
martyre *Antiocheno*. De *Isidoro* hac die, forte librariorum inscitia, qui hoc nomen immaniter corruperunt, magna est orta confusio, ut mirum in modum eruditorum ingenia contorqueantur. Omnium loca Martyrologiorum huc afferam, ut quid sit judicandum, æqui lectores videant. Apographa Hieronymiana

miana apud Florentinium hac die pag. 219.: *In Antiochia, Syridoni, Episcopi ejusdem loci.* Duo Bedæ apographa sexcentorum circiter annorum, nimirum Casinense, & Ottobonianum, post S. *Macarium*, habent: *Et sancti Ysidori Episcopi & martyris.* Gellonense: *Antiochiæ, Ysidori.* Rhinoviense: *Antiochiæ, Isidori Episcopi.* Ita Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum. Corbejense vero brevius: *Antiochia, Siridoni Episcopi.* Usuardus genuinus, principe loco, hac die: *Apud Antiochiam, passio beati Ysidori Episcopi.* Martyrologium Reginæ Suecorum n. 435. jam a Bollandianis editum, hæc habet hac die primo loco: *Antiochia Syriæ Doni Episcopi ejusdem loci.* Accipe quid inde ortum sit. In Martyrologio Romano distinguitur hac die *Ysidorus* martyr & Episcopus Antiochenus, & *Isidorus* Episcopus Nitriæ in Ægypto, & *Siridon* Episcopus. Hinc Baronius in Adnotationibus, non esse verisimile scribit, ut primo loco Isidorus recensitus, fuerit Episcopus Antiochenus. De alio Isidoro in Ægypto, cujus sedis Episcopus fuerit, ignorat, ut & de *Siridone*. Bollandi conjecturam, & Rosvveidi opinationem habes in Actis Bollandianis hac die pag. 83. n. 2. Rosvveido ea demum sententia fuit, ut pro *Isidoro*, designetur *Donus*, seu *Domnus* Antiochenus Episcopus. Ita quoque Florentinius pag. 220. ex Epistola Lucæ Holstenii, quam procudit in Admonitionibus pag. 4. eamque sententiam idem Holstenius tuetur in Animadversionibus ad Martyrolog. Roman. editis Romæ an. 1663. pag. 33. qui expungendum esse *Siridonem* a Martyrologio Romano censet, ejusque loco *Domnum* substituendum, atque duos hypobolimæos delendos. In hanc sententiam abit Sollerius in observatione ad Usuardum hac die; qui tamen fidenter nimis affirmat, Usuardum non ex solito fonte, nimirum ex Adone, accepisse annuntiationem de *Isidoro*, sed ex Hieronymianis; nonne vides, lector, iisdem omnino verbis, ac apud Usuardum, in Adoniano codice nostro legi? Errata autem, quæ apud Galesinium in notis ad Martyrologium Romanum pag. 5. de *Isidoro*, & quæ apud Salazarum in Martyrologio Hispanico de *Isidoro Cæsaraugustano* habentur, tu ipse corripies; & passim refellit Bollandus hac die pag. 1085. Quæ vero in nostro Adoniano codice post *Isidorum* de *Isdone* Episcopo superadduntur, obscura omnino sunt, cum de eo sileant vetera monumenta: nisi forte librarii vitio, pro *Isdone*, scribendum fuerit *Isidon*; ut *Siridoni*, aut *Isiridoni*, in apographis Martyrologiorum mire corruptis, addatur.

---

3. Jan. C. III. NONAS JANUARII.

Anteros. ROmæ, natalis sancti Anteros Papæ & martyris, qui vicesimus post beatum Petrum, cum duodecim annis, mense uno, diebus duodecim rexisset Ecclesiam, passus est sub Maximino: & in cœmeterio Calixti sepultus via Appia. Hic gesta Martyrum a notariis diligenter exquisivit, & in Ecclesia recondidit. *Pontificale cap. xx.*

Genovefa. Apud Parisios, sanctæ Genofevæ virginis, quæ a beato Germano Autissiodorensi Episcopo Christo dicata, admirandis virtutibus, & miraculis late claruit, & usque octoginta annos in Christi servitute consenuit. *Ado in Chron. anno 241.*

Florentii. Eodem die sancti Florentii Viennensis Episcopi, & martyris, octavi ejusdem urbis.

VARIA LECTIO. Ed. *cum duodecim annis &c.* Codices 511. 512. & 514. *qui vicesimus post beatum Petrum, x. annis mense uno, diebus duodecim rexit Ecclesiam. Passus est autem sub Maximiano.* Verba: *Hic gesta &c.* usque *recondidit*, quæ in editis habentur, in codicibus desunt, in quibus post *sepultus via Appia*, sequitur: *In civitate Aulana, passio sancti Petri, qui crucis supplicio est interemptus. Apud Parisium natalis sanctæ Genovefæ &c.* Ed. *Germano Autissiodorensi*: Codices: *Germano Autissiodorensium.* (Petri.)

Deest

Deest in codicibus memoratis, & in Vat. 377. natalis *S. Florentii* Episcopi Viennensis. In codice 511. post. verbum : *consenuit*, sequitur : *Eodem die Petrecorius* *Eumasii.* (sic) *civitate, natalis sancti Eumasii confessoris, cujus vita virtutibus & miraculis plena refulsit. In Ellesponto, sanctorum martyrum Cyrini, Primi, & Theogenis.* *Cyrini, & sociorum.*

Anteri. ADNOTATIO. Martyrographi omnes vetustiores hac die de S. *Antero* meminere, nimirum Beda, Romanum parvum, Ado, Usuardus, Rabanus, & Notkerus, & alii. Catalogus Bucherianus omnium vetustissimus habet pag. 271. *Anteros, mense uno, diebus decem. Dormit* III. *Nonas Januarii, Maximo (pro Maximino) & Africano Coss.* hoc est an. Christi 236. In apographis Hieronymianis apud Florentinium pag. 995. & 997. colitur die XXIV. Novembris, ubi *Antersditus* dicitur, ut ab Eusebio lib. VI. cap. XXIX. *Anterotes* appellatur. Ex his animadvertit Tillemontius tom. III. pag. 694. diem XXIV. Novembris in Hieronymianis adnotatum, diem ordinationis ejus significare, tertiam vero Januarii ejus obitum. Anteri martyrium *dormitionis* vocabulo designatur, quod & de aliis martyribus factum est, ut de S. *Alexandro* martyre habetur apud Eusebium lib. VI. cap. XXXIX. & XLVI. Beda, Ado, Usuardus, Rabanus, & Notkerus immani temporum labe, Antero *duodecim* Pontificatus annos tribuunt. Primus hos *annos duodecim* a Martyrologiis expunxit Baronius. Sumptus fuit error ex commenticiis numeris in libro Pontificali, & ex vulgatis catalogis Pontificum Romanorum, in aliquibus tamen ex his catalogis, *mensem unum*, & *dies decem* sedisse Anterus legitur. Errarunt & plerique eorum, dum passum fuisse scribunt sub *Maximiano*, pro *Maximino*; nam quum *Anteros* decesserit *Maximino*, & *Africano* Coss. ut est etiam in veteri Pontificum catalogo apud Bollandum, April. tom. I. pag. XXVI. qui est A. D. 236., *Maximinus* Augustus tum imperabat. A Notkero *Anterus*, vicesimus a B. Petro Pontifex dicitur, in Kalendario vero Vaticano 3806. *decimus octavus*; & quidem minus recte; nam a Beato Petro ad *Anterum* viginti Pontifices enumerantur.

Genovefa. Celebre jam diu est in Galliis sanctæ *Genovefæ* nomen, ac de ea a Gallicanis scriptoribus multa in medium prolata sunt, quæ ad illius cultum & ætatem pertinent. Vitam hujus virginis ex anonymo fere coævo edidit Bollandus hac die pag. 138. Non ita certa est ejus nativitas, ac dies obitus. Tillemontius tom. XVI. pag. 803. natam putat A. D. 422. & vita functam an. 512. *die tertia Januarii*, Clodoveo Francorum rege pridem e vivis erepto. Secus tamen de mortis ejus anno censet Cointius in Annalibus Ecclesiasticis ad A. D. 503. n. V. qui Clodoveo superstite, *Genovefam* obiisse scribit. Clodoveus autem decessit die XXVIII. Novembris an. 511. Bollandus hac die pag. 137. *Genovefæ* obitum in annum 509. confert. Si verbis scriptoris de vita hujus virginis, qui ætatis annos enumerat, nitamur, Tillemontii opinio præferenda videtur. Illud autem exploratum est, *Genovefæ* memoriam in Liturgiis Gallicanis vetustissimis celebrari, ut est apud Mabillonium Liturgiæ Gallicanæ lib. II. pag. 114. Martyrologia omnia de *Genovefa* hac die agunt, nimirum Hieronymiana auctaria, Beda genuinus, & ejus auctaria vetustiora, Ado, Usuardus, Rabanus, Notkerus, Gellonense, Martyrologium S. Columbæ, olim Reginæ Suecorum, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Fuldense, Kalendarium Vaticanum n. 3806. & Palat. Vat. 485. ut alia omittam. In his corrupte aliquando ejus nomen scriptum est, ut *Genofevæ*, *Gienufevæ*, & *Genovevæ*, sæpe tamen *Genovefæ*.

Florentii. *Florentius*, qui in vulgato Adone Rosweidi legitur, a codicibus nostris abest, ut & apud Usuardum genuinum; quamobrem miratur Sollerius in Observatione ad hunc diem, cur ab Usuardo prætereatur, cum apud Adonem occurrat; verum in his codicibus, & in iis, quos Usuardus inspexerat, *Florentius* desideratur, idcirco eum præteriit. Memoratur tamen in vetustis Martyrologiis, ut in Hieronymianis auctariis apud Florentinium pag. 221. in Hieronymiano Dacherii, ubi : *Depositio Florentii Episcopi & confessoris* legitur, ut & apud Notkerum; in Martyrologio Reginæ Suecorum, ubi : *Vienna, sancti Florentii*. Augustanum habet : *Viennæ, Florentini*. Labbeanum : *Viennæ, Florenti*. Corbejense brevius : *Viennæ, depositio S. Florenti Episcopi & confessoris*. Hæc vox *depositio*, & *confessor* Tillemontium impulit tom. III. pag. 623. ut crederet, *Florentium* inter martyres non esse accensendum. Ex hac tamen *depositionis* voce id non consequitur; nam in indiculo Bucheriano pag. 267. *depositionis* nomine multi Romani Pontifices recensentur, qui martyres fuere.

Petri. Prætermittitur in vulgato Adone *Petrus* martyr, hac die in nostris codicibus memoratus; & cum eisdem pene verbis æque ac in codicibus nostris in genuino Usuardo hac die legatur, Sollerius tradit, sibi incompertum esse, unde Usuardus hunc *Petrum* acceperit; quare putat ex Actis ab Anastasio Bibliothecario Latinitate donatis, Petri elogium ab Usuardo sumptum fuisse. Quidni vero ex Adone, cum in ejus apographis habeatur? Et sæculo quidem IX. *Petri* hujus meminit Martyrologium Reginæ Suecorum n. 435. hac die, his verbis : *In civitate*

inte Anlonn, *passio sancti Petri, qui crucifixus est.* De eo agit Rabanus die insequenti, quem *Petrum* cognomento *Balsamum* appellat, & sub *Maximino* Imp. passum tradit, ac in *Anlona* civitate sepultum. Eadem, die IV. Januarii habet Notkerus. Acta ex Græco ab Anastasio Bibliothecario conversa, & a Surio jampridem edita, rursus cum Mss. codicibus collata, ediderunt die tertia Januarii pag. 128. 129. Bollandiani socii, qui animadvertunt, *Petrum* in Martyrologiis vocari *Anseiamum*, *Auselamum*, *Abseiamum*, *Apselamum*, *Balsamum*, *Abesalamiten*, & *Abessalamiten*. An *Petrus Balsamus* sit idem ac *Petrus Abseiamus*, de quo meminit Eusebius in libro de Martyribus Palæstinæ, a nonnullis dubitatum est, qui mallent distinguendos. Theodoricus Ruinartius ad Acta martyrum sincera pag. 556. unum & eundem esse censet, quod idem nomen, cognominis similitudo, patria communis, idem utriusque passionis dies persuadere videantur. In hanc sententiam præivit Bollandus, liberum tamen cuiqua sinit, aliter sentire. Verum utrumque *Petrum*, scilicet *Apselamum*, & *Balsamum* in duos esse distinguendum contendit Tillemontius tom. V. pag. 417. 748. & 749. Illum movent, quod *Balsamus* crucis supplicio damnatus fuerit sub Præside *Severo* in civitate *Aulana*; & *Apseiamus* martyrio affectus sit die XI. *Januarii* Cæsareæ in Palæstina jussu *Firmiliani*, ut Eusebius in libro de Martyribus Palæstinæ cap. X. tradit. Idem Eusebius Histor. lib. VIII. cap. XX. XXI. de *Petro Apselamo, tertio Idus Januarii*, anno sexto Diocletianeæ persecutionis, in pago *Anea in finibus Eleutheropolis*, prognato, Cæsareæ igne combusto meminit. Acta hujus martyris a Baronio, Bollando, & Ruinartio authentica, & pura esse creduntur. Ab his non dissentit Tillemontius tom. V. pag. 413. Ruinartius, hunc martyrem in *Aulana* civitate Samariæ, decessisse putat. Sepulturæ locus ex emendatioribus libris est *Aulana*, non *Anionn*, civitas maritima in sinu Adriatico, ut scripsit Ferrarius. *Aulana* est urbs Samariæ, quæ Palæstinæ contribuebatur. *Eleutheropolis* autem in Judæa sita fuit, ac fere media inter *Joppen*, & *Ascalonem*. Illius, stante templo primo & secundo, nulla fit mentio. A gente Chorræorum exstructa fertur, & fuit urba Episcopalis Palæstinæ primæ.

Eumasii. De sancto *Eumasio*, de quo cod. 512., silent vetustiora monumenta, & de eo nihil in Actis hac die Bollandiani socii. Silet & ipse Saussayus in Martyrologio Gallicano. Castellanus in Martyrologio universali hac die eum commemorat, & *Eumachium*, presbyterum & confessorem vocat: cujus corpus apud *Barbezilum* in Santonibus asservari tradit, ac vixisse sæculo Christi quinto. Inter Usuardi Auctaria, nimirum in apographo Altempsiano habetur, hac die: *Civitate Petragorica, sancti Eumasii confessoris.*

Cyrici & soc. Cum ab Adone vulgato *Cirinus*, seu *Cyricus* cum sociis absit, & apud Usuardum genuinum occurrant, putavit Sollerius in observationibus Usuardinis, non ex consueto Adonis fonte, sed a Hieronymianis, aut aliis Usuardum sumpsisse. Vides in codice Adoniano 512. iisdem verbis ac apud Usuardum hos martyres recenseri. Agunt quidem de his Hieronymiana. Epternacense: *In Hellesponto, civitate Parethin, Cirici, Primi, Theoginis.* Lucense: *In Hellesponto, civitate Paretia, Cirici, Primi, Eugeni &c.* Theogenem præterit. Unius *Theogenis* martyris meminit Gellonense, ut & Martyrologium Reginæ Suecorum, in quo habetur: *Eo die passio sancti Theogenis.* *Parethin*, seu *Paretia* urbs, *Parium* creditur Florentinio. De *Theogene* tantum, sub Licinio martyre agunt Rabanus & Notkerus *Pridie nonas Januarii*. Uterque silet de *Cirino*, & *Primo*. Rhinoviense ad III. Non. Januar: *In Ellesponto, Cirici, Primi.* Ita Richenoviense. Augustanum primo loco: *Cirini*, extremo *Theogenis*, tantum. Ita Labbeanum. Corbejense brevius: *In Helesponte, civitate Parethia, Cyrici.* De aliis silet.

D. II. NONAS JANUARII. 4. *Jan.*

Titi. NATALIS Sancti Titi Apostolorum discipuli. Apud Africam, natalis sanctorum Aquilini, Gemini, Eugenii, Mar- *Vide Libellum de festiv. Apostolorum.*
Aquilini, & sociorum. tiani, Quinti, Theodoti, Tryphonis, præclarissimorum martyrum, quorum gesta habentur.

Eodem die apud urbem Romam, sanctorum martyrum
Prisci, & sociorum. Prisci presbyteri, & Priscilliani clerici, atque Benedictæ religiosissimæ feminæ, sub tempore Juliani impiissimi Augusti, qui gladio martyrium compleverunt.

Dafrosæ. Item apud Urbem Romam, beatæ Dafrosæ uxoris Fa-

biani martyris, quæ post damnationem beati viri sui primum relegata exilio, deinde ab impio Juliano capite jussa est puniri.

VARIA LECTIO. Ed. *Natalis sancti Titi Apostolorum discipuli*. Codices 511. 512. & 514.: *Natalis beati Titi, qui a beato Paulo Apostolo Cretensium est ordinatus Episcopus, cuique etiam idem Apostolus epistolam omni Ecclesiæ Dei celeberrimam misit. Hic denique post prædicationis officium fidelissime consummatum, beatum finem adeptus, sepultus est in Ecclesia, ubi ab Apostolo fuerat dignus minister constitutus*. Ita fere apud vulgatum Adonem in libello de festivitatibus Apostolorum. Sequitur in codicibus: *Apud Africam &c.* Ed. *Eodem die apud urbem Romam, sanctorum martyrum &c.* Codices: *Romæ, passio sanctorum martyrum &c.*

Ed. *Item apud urbem Romam*. Codices: *Item Romæ*. Ed. *post damnationem beati viri*. Codices: *post damnationem viri*.

Ferreoli. In codice 512. post verbum *puniri*, habetur. „ In territorio Uzeciæ civita-
Hermetis, „ tis, sancti Ferreoli confessoris atque Pontificis. Civitate Bononia, Hermetis, Agæi,
& socio- „ & Gai.
rum.

Titi. ADNOTATIO. Præter ea quæ de *Tito* habet Baronius hac die, vide quæ collegit Bollandus, ac Tillemontius tom. II. pag. 139. Non abest a vetustioribus Bedæ apographis, ut in Ottoboniano, extremo loco, nomine tenus: *Et sancti Titi Episcopi*. Desideratur vero in Hieronymianis. Meminit Romanum parvum his verbis: *Apud Cretam, Titi Apostolorum discipuli*, quibus ferme verbis cum Ado vulgatus utatur, inquit Sollerius, & inde Notkerus, ex elogio Adonis in libello de festivitatibus Apostolorum Usuardus hac die accepit. Integrum *Titi* elogium, ex Adone sumptum, habes hac die in Martyrologio Fuldensi.

Aquilini & soc. *Aquilini* & sociorum nomina in omnibus ferme vetustis Martyrolographis comparent. In Hieronymianis apud Florentinium pag. 223. septem enumerantur, hoc pacto: *Aquilini, Gemini, Eugenti, Martiani, Quinti, Teudiri* (Antuerpien. *Theodori*, Corbejen: *Theodoti*) & *Trifonir*. Vetustiora Bedæ Auctaria, (nam genuinus Beda hac die vacat) unius *Aquilini* meminere, ut Ottobonianum, quod habet: *In Corsica* (pro *Africa*) *sancti Aquilini*. Apographum aliud Casinense: *In Africa Aquilini*. Rhinoviense: *In Africa, Aquilini, Gemini, Martiani, Eugenti, Quinti, Theodati*. Præteritur *Trifo*, qui additur in Richenoviensi, quamvis *Trifina* nomine veniat, & loco *Eugenti*, *Eugenii* scribatur. Corrupte habentur, ac nonnullis omissis, in Augustano, hoc pacto: *In Africa, Aquilini, Aggei, Agenti, Quinti, Triphenæ*. Item in Labbeano, ubi legitur: *In Africa, Aquilini, Angenti, Quinti, Trifiniæ*. In Corbejensi breviore: *In Africa, Aquilini, Gemini, Eugenti*, tantummodo.

Apertis & castigatis verbis horum nomina ab Adone & Usuardo recensentur. Ex Hieronymianis sumpsisse Adonem hæc nomina, nos monet Sollerius, & ex Adone Usuardum; sed cum uterque, eorum gesta haberi scribat, ea neque Adonem vidisse, neque quemquam alium in lucem hactenus protulisse, censet idem Sollerius. Deceptus est autem Baronius in Adnotationibus huius diei a Petro de Natalibus, dum ejus auctoritate ex lib. II. cap. XLIV. petita usus, hos Africanos martyres ad Wandalicam persecutionem retulit. Refellitur Petrus de Natalibus a Ruinartio in Histor. Persecutionis Vandalicæ P. II. cap. X. pag. 556. dum ex Adone refert, hos martyres in persecutione Vandalica fuisse passos.

Prisci & sociorum. *Prisci* & sociorum primum meminisse hac die Romanum parvum, ex quo sumpsit Ado, & ex Adone Usuardus, tradit Sollerius. Absunt a plerisque Martyrolographis. Recte quidem monet Baronius ad hanc diem, horum martyrum Acta censura indigere. Idcirco a Bollandianis sociis rejecta sunt.

Daphrosæ. Acta item *Daphrosæ* corrupta sunt, de quibus Sollerius in Usuardum die secunda Decembris, cui adde Tillemontium Commentar. Histor. Eccl. tom. V. pag. 120. Primum *Daphrosæ* nomen in Romano parvo hac die occurrit. *Daphrosæ* maritus non *Fabianus*, sed *Flavianus*. In elogio Adonis, & Usuardi pro *Juliano*, *Diocletianus* legendum monent Tillemontius, & Castellanus. At si *Flavianus* sub *Juliano* passus est, cur *Daphrosa* eius conjux sub Diocletiano passa fuit?

Ferreoli. Alterum ex nostris Adonianis apographis, nimirum codex 512. præter ea, quæ in vulgatis leguntur, agit primum de *S. Ferreolo*, deinde de martyribus Bononiensibus. Atque ad *Ferreolum* quod attinet, de eo silent vetustiores fere omnes, scilicet Rabanus, Notkerus,

rus, & Usuardus genuinus. In uno tantum Usuardi Auctario apud Sollerium hac die, nimirum in Altempsiano legitur: *in Territorio Uzechiæ civitatis, sancti Ferreoli Episcopi*. Fuit *Ferreolus*, Episcopus Ucetiensis, *Ansberti* Senatoris, & Ducis in Austrasia filius, ex *Blitildi*, filia *Clotarii* I. regis. Eligitur Ucetiensis Episcopus post S. *Firminum*. De eo Gregorius Turonensis lib. VI. cap. VII. Monasterium monachorum A.D. 558. instituit, quod *Ferreolacense*, ex ejus nomine appellari voluit, ac pro suis monachis regulam conscripsit, qua de re Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. V. §. LIII. *Ucetia*, antiquitus appellata *Viadomagum*, creditur Valesio in Notitia Galliarum pag. 611. a situ, quasi *mansio ad Viadonem*, seu *Vardonem* fluvium. Fuit urbs mediterranea Volcarum Arecomicorum. Quædam chartæ habent, *Uzecia*, pro *Ucetia*. Obiit S. *Ferreolus* A.D. 581., & de aliqua illius translatione meminere Bollandiani socii in prætermissis ad diem primam Aprilis pag. 2. & de illius Actis in supplemento diei quartæ Januarii vulgandis, mentionem faciunt.

Hermetis, & soc. *Ferreoli* codex 512. addit tres martyres, scilicet *Hermetem*, *Aggæum*, & *Cajum*, *Bononiæ* passos. De his vetustissimi Martyrolographi, ac in primis Hieronymiana apographa hac die: *In oriente, Bononia civitate, Ermetis, Aggei, & Gai*. Epternacense pro *Bononia*, habet: *Bonnnia*, & post *Gajum* addit: *Ædui Episcopi*. Corbejense: *In oriente, Bononia civitate, Hermetis, Agei, Gai, Petri, Marci, Sereni, Senni, Anastasiæ*. Gellonense: *Bononia, Hermetis, Aggei, Gagi*. Martyrologium Reginæ Suecorum n. 435. *In oriente, civitate Bononia Ermetis cum aliis duobus*. Apographum Bedæ Ottobonianum: *In Bononia civitate, sancti Hermetis, Aggei, Cagi*. Apographum Casinense post S. *Aquilinæ* nomen addit: *In Bononia*; cætera injuria temporum hac die evanuerunt. Unum ex Auctariis Bedæ apud Bollandianos habet: *In oriente Bononia civitate, Hermetis, Aggæi, Gagii*; alterum: *In Bononia civitate, Hermetis, Aggæi*; alio omisso, quod in membrana evanuisset. Silent de his Rabanus, & Notkerus. Richenoviense: *In oriente, Bononia civitate, Hermetis*, & *Gagi*. Augustanum: *Bononia, Hermetis, Gagi*. Labbeanum: *Bononiæ, Hermetis, Aggei, Gai*. Usuardus genuinus iisdem verbis utitur, quæ in codice nostro leguntur. Sollerius tamen contendit, a Hieronymianis Usuardum mutuatum esse, atque verbum *in oriente*, oscitanter omisisse. At si ex aliquo Adonis apographo, ut in nostro legitur, accepit, quæ culpa Usuardo erit?

Bononia, clara Italiæ civitas hos martyres sibi vendicat, & huic urbi eos adscripsere rerum Bononiensium Scriptores omnes, nimirum Sigonius, Leander Albertus, Ghirardaccius, Masinius, Nicolaus Burtius, aliique: accedunt Baronius in notationibus ad diem IV. Januarii, & in Annal. an. 303. n. CXXII., Galesinius, Ferrarius, & Bollandus, quos omnes laudat Eminentissimus Lambertinus in Adnotationibus ad dies, quibus in civitate, & diœcesi Bononiensi de quibusdam sanctis officium, & Missa celebratur, P. II. §. I. *& seq.* Alii tamen, ut ibidem, quo candore animi & ingenii est, monet idem vir Eminentissimus, contendunt, hos martyres alii urbi esse adscribendos, a Bononia Italiæ longe remotæ, quod in plerisque Martyrologiis *Bononiæ*, civitati *orientis* adscribantur. Itaque Sollerius ad Usuardum hac die, quodammodo subirasci videtur eidem Usuardo, quod vocabulum *in oriente* omiserit, & laciniam ex epistola quadam Heriberti Rosvveidi affert an. 1628. scripta, qua adversus Baronium ostendere conatur, ex Hieronymianis disci, hoc loco non *de Bononia Italiæ*, sed *de Bononia orientis*, seu *Illyrici* in Hieronymianis agi. Castellanus, *Bononiam* in Mœsia a Martyrologiis designari putat, eamque vulgo *Bodan* appellari. Variæ quidem *Bononiæ* nomine urbes, præter *Bononiam Morinorum*, & *Bononiam Italiæ* a Martinerio in Dictionario Geographico recensentur, alia nimirum in Pannonia inferiori, de qua Ammianus Lindebrogii lib. XXI. inter *Cusum & Cuccium*; alia in Pannonia superiori, vulgo *Bonmoster*, de qua Ptolemæus lib. II. cap. XV., alia in Dacia superiori, de qua in Notitia utriusque imperii; alia denique in Mœsia, superiori, de qua Antonini Itinerarium. Verum unam tantum *Bononiam* in Pannonia inter *Cusum*, & *Cuccium* agnoscit Christophorus Cellarius in notitia Orbis antiqui lib. II. cap. VIII. pag. 560. Ammiani locus in editione Valesii lib. XX. cap. I. & IX. *de Bononia Morinorum* loquitur. *Bononia* apud Ptolemæum lib. II. cap. XV. Pannoniæ superiori accensetur. *Bononia* apud Antonini Itinerarium pag. 49. editionis Suritæ memoratur, ubi iter per Daciam Ripensem a Viminacio Nicomediam, ac iter per Ripam Pannoniæ a Taurino in Gallias pag. 53. describit. Fuerit ergo hæc *Bononia* in Dacia, seu in Pannonia, ad imperium occidentale pertinet. Quod si conjecturas accipimus; cur *orientis* vox Bononiæ Italiæ, ex more sæculi etiam octavi accommodari non potest? Tritum est, olim apud Francos, & Germanicos Scriptores, Italicas, Francicas, ac Germanicas regiones, quæ ad ortum illis obversæ erant; *orientalis Franciæ, orientis, Austriæ, Hesperiæ*, & *Austrasiæ* nomine venisse. *Civitas Fori-Julii* in Italia, *civitas Austria*, idest *orientalis*, ingruente barbarie appellata fuit, ut monet V. C. Justus Fontaninus in vita Philippi a Turre Episcopi Adriensis §. II. Ipsa *Bajoaria & Noricum*, inter orientales plagas enumerantur. Dolendum est, Acta vetera horum martyrum desiderari, ut scribit Ferrarius in catalogo Sanctorum Italiæ hac die, qui hos

martyres initio Diocletianeæ persecutionis passos esse putat. Acta quædam, nullo tamen veterum testimonio suffulta, vulgata fuisse an. 1674. ab Alexandro Fachineo Ordinis Prædicatorum, nos docet Eminentissimus Lambertinus P. III. §. III., qui addit §. IV. horum martyrum reliquias, ex ædicula ubi martyrium fecerunt, in Metropolitanam Bononiensem Ecclesiam an. 1593. solemni ritu a Gabriele Cardinali Palæoto, tum Bononiensi Archiepiscopo, translatas fuisse.

---

5. *Jan.* *E. NONIS JANUARII.*

Telesphori. ROmæ, natalis sancti Telesphori, qui septimus post Petrum Apostolum Pontifex ordinatus, sedit annos undecim, menses tres, dies viginti unum, illustreque martyrium duxit. Hic *Pontifical. cap. 9.* constituit, ut sex hebdomadibus ante Pascha jejunium celebraretur, & Natali Domini Jesu Christi nocte Missæ celebrarentur, & hymnus Angelicus, id est, *Gloria in excelsis Deo*, hora sacrificii Missæ diceretur.

Simeonis. Item apud Antiochiam, depositio sancti Simeonis monachi, admirandæ virtutis viri, qui decimo tertio ætatis anno huic sæculo abrenuntians, monasterii claustra expetiit, ubi mira abstinentia vix septimo die cibum sibi indulgens, Psalterium inter quatuor menses didicit. Deinde nimia domandi corporis intentione fune palmiceo renes sibi constringens, duriter laniatus est. Inde in quodam puteo se recludens, & ex eo a fratribus violenter ad monasterium reductus, clam fugiens, eremum petiit. Ubi multo commoratus tempore, in columna editiori sanctitate fervens, se reclusit. Ubi non modo nulli extraneæ mulieri, sed nec propriæ matri se videre permisit. Et usque hodie basilicam columnæ illius feminarum nulla ingreditur. Nam quædam mulier veste induta virili ingredi voluit, & mox, ut limen attigit, retrorsum mortua cecidit.

VARIA LECTIO. Ed. *Hic constituit &c.* usque, *diceretur*. Desunt hæc verba in nostris codicibus.

Ed. *Item apud Antiochiam, depositio sancti Simeonis monachi, admirandæ virtutis viri, qui*. Codices: *Apud Antiochiam, depositio sancti Simeonis monachi, qui*. Verba: *Nam quædam &c.* usque, *cecidit*, desiderantur in codice 511, at habentur in codicibus 512. 514.

ADNOTATIO. Non una eademque die apud veteres Martyrolographos *Telesphorus*, seu ut scribunt nonnulli *Thelesphorus* colitur. *Telesphori.* Agunt de eo Florus, Rabanus, Notkerus, & Kalendar. Vatic. n. 3806. die II. *Jan.* Romanum vero parvum *Nonis Januarii*, his verbis: *Romæ S. Telesphori Papæ & martyris.* Romani parvi auctoritate ab Adone *Nonis Januarii* assignari, Telesphorum putat Sollerius ad Usuardum hac die v. Januarii. Memoratur autem hac item die v. Januarii in apographo Hieronymiano Epternacensi, apud Florentinium pag. 240. quamvis in apographo Lucensi prætereatur. Colitur etiam die v. Januarii in Augustano, & Labbeano. De varietate dierum, quibus Telesphorus colitur, adeundi Bollandiani socii tom. I. Aprilis pag. 22. *Septimus* post beatum Petrum Pontifex ab Ado-

Adone, & Usuardo, & in Kalendario Vaticano n. 3806. *octavae*. Caeterum a B. Petro ad Telesphorum, si utrumque enumeres, idest Petrum & Telesphorum, *novem* sunt Romani Pontifices, & *octo* post Petrum. Forte Ado, & Usuardus *Anacletum* praetereunt. Passus est *Telesphorus*, ut censet Tillemontius tom. II. pag. 252. & 600. A. D. 139. & quidem anno primo imperii Antonini Pii, cui accedit Petrus Coustantius in Epistol. Romanorum Pontificum pag. 58. Pontificale Bucherianum sedis tempus figere videtur ab A. D. 127. ad 137. Pagius in Critica ad an. 137. num. XI. & ad an. 152. n. II. A. D. 137. martyrio affectum *Telesphorum* censet, vulgati Chronici Damasi auctoritate fretus, sed refellitur a Constantio.

Simeonis stylitae. *Simeon* stylita hic ab Adone commemoratur. Tres a Bollandianis sociis ad hanc diem pag. 271. *stylitae* nomine *Simeones* distinguuntur. Senior qui & hujus instituti parens, a Latinis die *quinta Januarii* colitur, a Graecis vero die *prima Septembris*, non *vigesima quarta Maji*, ut scribit Baronius. Secundus *stylita* in *monte mirabili*, in Martyrologio Romano celebratur die *tertia Septembris*, a Graecis die *vigesima quarta Maji*. Tertius a Graecis colitur die *vigesima quarta Julii*, & appellatur *presbyter* & *archimandrita*, & is creditur, de quo Jo: Moschus in Prato spirituali cap. LVII. De *stylitis*, & de more in columnis consistendi apud Graecos, vide plura apud Leonem Allatium in Diatriba de Simeonum scriptis pag. 7. *& seq.* Confer etiam Bibliothecam Graecam Johannis Alberti Fabricii tom. IX. pag. 277. *& seq.* Quamvis unius *Simeonis* hac die mentio fiat apud Adonem, & Usuardum, & Romanum parvum, duo tamen in plerisque Martyrologiis hac die Simeones coluntur, scilicet *Simeon Propheta*, *& Simeon stylita*. Romanum parvum unius stylitae meminit, his verbis: *Apud Antiochiam, Simeonis monachi*. Apographa vero Hieronymiana: *In Jerosolyma Simeonis prophetae, cum obtulit ei Dominum nostrum Jesum Christum Maria & Joseph: & depositio ipsius prophetae*. Sequitur in apographo Florentinii pag. 227. *Et in Antiochia, depositio Sancti Simeonis confessoris, qui in columna stetit*. Haec tamen verba additamentum esse putat Florentinius, quod quidem miratur Sollerius; nam de utrisque Simeonibus agunt hac die Rabanus, & Notkerus, Gellonense, & Martyrologium Reginae Suecorum, ac item alia Martyrologia & Kalendaria. Gellonense hac die: *Hierosolyma, Simeonis prophetae. Item Simeonis confessoris*. Martyrologium Reginae Suecorum: *Hierosolymis, depositio beati Simeonis prophetae:* deinde extremo loco: *In Antiochia, natalis sancti Simeonis confessoris, qui in columna stetit*. Rabanus plura de Simeone stylita refert, quem post obitum *Antiochiam* delatum scribit; agit etiam de *Simeone propheta*, ut & Notkerus. De utroque agunt Richenoviense, & Augustanum. De utroque Labbeanum, sed librarii vitio legitur: *Hierusalem Symeonis presbyteri; Item Simeonis Episcopi*. Unius *Simeonis prophetae* meminit Corbejense brevius, & unius *Simeonis confessoris* Martyrologium Fuldense, ex Adone & Usuardo contractum, infra edendum. Utriusque vero, sed die *quarta Januarii* meminit Kalendarium Vaticanum n. 3806. his verbis: *In Antiochia sancti Symeonis monachi, & Hierusalem, sancti Symeonis prophetae*. Acta *Simeonis* stylitae, auctore Antonio ejus discipulo, habes apud Bollandum hac die pag. 264. item alia ex MSS. Latinis p. 296. Acta, auctore Antonio, habentur in codice Reginae Suecorum Saeculi forte XII. num. 523. pag. 72. ac ad eorum calcem legitur: *Celebratur autem dies depositionis sancti ac beatissimi Symeonis, pridie Nonas Januar.* Qua quidem die uterque Simeon colitur in Kalendario Vaticano, de quo supra.

F. VIII. IDUS JANUARII. 6. Jan.

Epiphan. Dom. EPiphania Domini.

Eodem die passio sanctae Macrae virginis, quam cum Rictiovarus praeses torqueri, & in ignem praecipitari jussisset, illaesa permansit. Deinde mamillis abscissis, squaloreque carceris afflicta, super testas acutissimas & prunas volutata, orans migravit ad Dominum. *Macrae.*

VARIA LECTIO. In ed. *Epiphania Domini*, tantum. Codices nostri: *Epiphania Domini nostri Jesu Christi*. Deinde sequitur in eisdem codicibus: *Juliani & Basilissae.* „ In civitate Antiochiae, natalis Juliani martyris, & Basilissae (sic) & Celsi pueri, „ & Marcianillae martyris (ita codices 511. at codex 512. 514. habent *matris*) ejusdem, „ & An-

„ & Antonii presbyteri, & Anastasii sub Marciano præside, tempore Diocliciani, &
„ Maximiani, quorum primus cum multitudine sacerdotum & ministrorum Ecclesiæ
„ Christi, qui ad eum propter immanitatem persecutionis confugerant, comprehen-
„ sus, ceteri servi Dei jussu crudelis judicis ingenti igne accensi consumpti sunt, ipso
„ audientia (sic) præsidis reservato, qui auditus, mox rigidissimis est fustibus cæsus,
„ atque post multos agones cum ceteris supranominatis carcere traditur, quos ipse sua
„ prædicatione ad Christum converterat. Dehinc jussit Marcianus, sanctum Julianum at-
„ que Celsum puerum, sanctumque Antonium presbyterum sibi præsentari, nec non
„ & Anastasium, quem beatus Julianus morte suscitatum, participem gratiæ Christi
„ fecerat, in cupas pice & adipe ferventes mittere. Sed sancti nihil læsi ab igne, in
„ confessione invicti persistunt. Ducti iterum sunt in custodiam, sed cum invicti per-
„ durarent, Juliano & Celso cutem capitis auferri jubet: Antonio & Anastasio lumina
„ effodere (sic): Marcianillæ equuleum parari jubet. Hæc cum illi fortissime pervi-
„ cissent, jussit militibus, ut eos ferirent. Atque tali certamine palmam adepti, re-
„ gna mansura perceperunt.

De his Ado vulgatus inferius ad v. Idus Januar. sed aliter. Sequitur deinde in codicibus.

Macræ. „ In territorio Remensi, passio sanctæ Macræ virginis, quæ cum in ignem esset
„ præcipitata, & permansisset inlæsa, dein mamillis abscissis, & squallore carceris af-
„ flicta, super testas acutissimas, jubente Riciovaro præside, & prunas volutata, orans
„ migravit ad Dominum.

Post hæc codices ita habent.

Translat. S. Germani. „ Eodem die translatio corporis sancti Germani Autisiodorensis Episcopi, admi-
„ randæ fidei, doctrinæ, & virtutum viri. Qui dudum quidem die v. Kalendarum
„ Septembrium sub Heribaldo pontifice, declaratis egregiæ sanctitatis perspicue meri-
„ tis, translatus fuisse cognoscitur. Cum a tempore obitus sui per annos circiter cccc.
„ in eadem Ecclesia quievit (Codices 512. 514. quievisset). Denique preciosissimi
„ sepulcri loculo patefacto, ita demum venerabile corpus cum universo vestium ap-
„ paratu, quibus illud prædicabilis Augusta Placidia obvolverat, intemeratum incor-
„ ruptumque apparuit, ac si idem sacratissimum corpus recens inibi collocatum, no-
„ visque fuisset indumentis, fratrum compositionibus adopertum; neve tanti con-
„ fessoris translatio minus clara putaretur habenda, adfuerunt protinus divinæ virtu-
„ tis semper prædicanda miracula tria pariter in unn eodemque homine declarata;
„ nempe quidam, quem & linguæ tarditas mutum, & obclusæ aures surdum reddi-
„ derant, quemque præstigiis ariolandi deditum, in promtu erat animadvertere a dæ-
„ mone possideri, recuperata sanitate per merita, virtutemque prædicti patris, &
„ peste dæmoniaca caruit, & oris auriumque rediviva ministeria in pristinos usus re-
„ cepit, atque in argumentum miraculi postea diebus plurimis mundatori ac sanatori
„ suo inibi devoto servivit obsequio. Processu vero temporis invalescentibus Ecclesia-
„ sticæ religionis amatoribus christiani regni Principibus, fabrica etiam præfatæ Eccle-
„ siæ ab orientali sui parti (sic) est amplificatis ædificiis, cryptarumque pulchritudine
„ decorata. Anno igitur Dominicæ Incarnationis DCCCLVIII. regnante piissimo Karolo
„ Huludovvico (sic) Augusti filio, annuente divina providentia, sæpedicti confesso-
„ ris mausoleum a loco, in quo priore translatione positum fuerat, denuo est sub-
„ motum, ad præparatum sibi condignum habitaculum transferendum.

„ Interea Huludovico rege Bajoariorum, præfati regis Karoli fratre, Francorum
„ regnum temere invadente, cum jam dictus Karolus multis a fratre calamitatibus
„ vexatus, etiamque paterni regni imperio pene privatus, humani auxilii apparatu
„ obvianti exercitu (sic) sese haud posse resistere prævidisset, salubriore, & quod
„ tantum decebat regem, prudentiori animatus consilio, spe temporalis adjutorii
„ posthabita, ad divinum confugit præsidium, atque inter spem metumque positus,
„ in ipsa expeditione prænominati patris Ecclesiam, Deo tactus, adiit: utque devo-
„ tionis suæ officio suum declararet affectum, ipsa die, quæ Epiphaniorum celebratur
„ festivitas, una cum nobilissima sobole Huludovici ad gloriosi corporis reverenter
„ accessit memoriam, ac circumstantibus pontificum & sacerdotum agminibus, sacrum
„ monumentum revolvit, membraque pretiosissima, ita ut pridem integra, supplici-
„ bus

„ bus oculis suspicatus, congruo honore veneratus est. Tandem devotionis suæ magnitudinem humillimis obsequiis declarans, adorandum corpus, solis pontificum passus (sic) manibus adtrectari, preciosis denuo superinduit vestium ornamentis: gratumque suæ fidei odorem suavissima balsami ac timiamatis effusione per beatum Germanum omnipotenti porrigens conditori, sacratissimum corpus eo loci, ubi nunc adoratur & colitur, ditatum plurimis muneribus collocavit. Mox igitur expletis suæ salutis officiis, fortissimo Deo, qui dat salutem regibus per interventum beatissimi Germani, voto supplici se committens, fidens animi, & tanquam de victoria jam impetrata securus, sine retardatione statim obviam properat, non tam armis, quam fide rem bellicam peracturus: sicque duce Christo usus, insequentem exercitum sine sanguine pepulit, duplici donatus beneficio, quo & hostem triumphans devicit, & homicidii, vel potius fratricidii nefas, Deo se protegente, declinavit: in reliquum, largitore Deo, ac protectore beato Germano, feliciter regnaturus. Per idem vero tempus, non multo dierum intercedente curriculo, terribili paganorum infestatione metum incutiente, sæpedicti sancti confessoris sepulcrum, altius humana profunditate defossa, tenacissimi cæmenti glutine teriæ venis est firmissimis insitum, ac supra illud alius est locatus sarcofagus, quo fragmenta cupressini loculi, in quo corpus illius a Ravenna olim devectum est, continentur, quod ad ambiguitatem futuris sæculis tollendam subjungere placuit.

Codex 512. postquam de *S. Macra* egit, ut codex 511. ac translationem *S. Germani* retulit, habet.

Macræ. „ In territorio Remensi, passio sanctæ Machræ virginis, quæ cum jubente Rictovaro (sic) præside, in ignem esset præcipitata, & permansisset inlæsa: dein mamillis exscisis, & squalore carceris afflicta, super testas etiam acutissimas & prunas volutata, orans migravit ad Dominum. *Melanii.* Redonis, sancti Melanii Episcopi & confessoris, qui post signa virtutum, jugiter intentus cælo, migravit a sæculo.

Epiphaniæ. ADNOTATIO: De celeberrimo in tota Ecclesia catholica *Epiphaniæ* die, tabulæ omnes Ecclesiasticæ, ac libri Liturgici omnes. Plurima collegerunt Baronius, Florentinius, Thomassinus, & alii, ac nuperrime Prosper Cardinalis Lambertinus, Archiepiscopus Bononiensis, nunc BENEDICTUS XIV. Pont. Max. in Annotationibus de festis Domini P. I. §. XXVI. & *seq.* De *Epiphaniæ* voce, num a paganis traductum, sit disquirit Jacobus Gothofredus in Commentariis ad codicem Theodosianum lib. XV. tit. V. de spectaculis, tom. V. pag. 354. 355. primæ editionis. Hæc dies antiquitus *natalis Domini* est appellata, de qua idem Gothofredus ibidem. In libris Liturgicis veterrimis interdum *Epiphania*, plerumque *Theophania* dicitur: vide monumenta Liturgica tom. II. de Liturgia Romani Pontificis pag. 227. & 237. Cætera prætermittimus, a viris præclarissimis jam discussa. Vide, si lubet Tillemontium Histor. Eccl. tom. I. pag. 426. Mabillonium de Liturgia Gallicana lib. II. n. XIX. pag. 117. & Florentinii Exercitationem pag. 229.

Juliani, & Basilissæ. Post Epiphaniam codices nostri hac die recolunt *Julianum & Basilissam* martyres, de quibus cum vulgatus Ado agat ad V. Idus Januarii, de iis nos ea die agemus.

Macræ. De *Macra* silent, ut animadvertit Sollerius, Hieronymiana, Beda, Florus, & Rabanus. Ex primis meminit hac die, ut censet idem Sollerius, Romanum parvum, his verbis, & quidem antequam de Epiphania agat: *Sanctæ Macræ virginis, sub Rictiovaro præside.* Sequuntur Ado, & Usuardus. Adde Martyrologium Fuldense, infra edendum. In Martyrologio Romano, Usuardi verba de hac virgine & martyre retenta sunt, quibus additum est: *in persecutione Diocletiani*, quod in Actis martyrum *Rictiovarus*, Præfectus Galliarum perhibeatur, Diocletiano imperante. *Rictiovari* quoque nomen corruptum putat Baronius, ac in duas dictiones esse distinguendum, nimirum in *Rictium Varum*; ita etiam distinguit hac die in Martyrologio Saussayus. Martyrii locum, licet generatim, codices nostri tamen designant, dum ajunt: *In territorio Remensi.* Acta apud Bollandianos socios hac die pag. 328. illum apertius commonstrant, cum habent, *Rictiovarum* in Galliarum provinciam *civitatis Augustanæ*, quæ est *Augusta Suessionum*, venisse. Addunt, Macram, cum Diis immolare renueret, comprehensam, & in insulam, quæ vocatur *Litia, ubi Arida fluviolus in fluvium influit Vidulam*, perductam fuisse. *Arida* fluviolus, vulgo *Nore* dicitur Valesio in Notitia Galliarum pag. 42. & *Vidula*, seu *Vitula* fluvius, vulgo le *Vele*, apud eundem Valesium, ibid. pag. 603. est in diœcesi Remensi; ac *Remos* alluit, tum *Fimar*, ac *Brannacum*; dein *Axonæ* miscetur e regione *Condei vici*. *Fimes*, quæ & *Fimmæ* super *Vidulam*, ita dictæ sunt, quod in finibus Suessionum, & Remorum positæ essent. Loco nomen *Sanctæ Macræ* inditum

inditum fuit, ubi duo concilia habita sunt, alterum A.D.881. alterum A.D.935. Vide Sirmondi notas ad primum ex his conciliis. Locus nunc etiam in diœcesi Remensi continetur. Tillemontius t.v. p.4. ex Actia martyrii, *Macram* passam fuisse die *secunda Martii* A.D.287. patet. Acta ipsa nec omnino respuit, nec amplectitur idem Tillemontius tom.iv. pag. 497. & 734. Bis ejus reliquias translataa fuisse, eadem Acta perhibent, primum in basilicam *S. Martini ad Fines*, deinde in aliam magnificentiorem.

Translat. S. Germani. Hac die codices nostri translationem, seu elevationem corporis S. Germani Episcopi Autisiodorensia longa narratione referunt. Hæc certe aliena esse ab Adonis Martyrologio videbuntur, & aliunde in codices nostros irrepsisse. Verum eadem de hujusmodi translatione S. Germani A. D. 859. facta, & hac ipsa Epiphaniorum die, iisdem propemodum verbia, habet Hericus monachus in libris de miraculis S. Germani lib. *II*. cap. VII. VIII. & IX. qui quidem Hericus floruit sub *Carolo Calvo*. De dissidiis inter *Carolum Calvum*, & *Ludovicum* ejus fratrem, Germaniæ regem, an. 858. exortis, agit Annalista Fuldensis, ex quo Pagius ad an. 858. n. *VII*., ac item de *Caroli* victoria Annalista Bertinianus ad an. 859. De translatione S. Germani A. D. 859., quæ secunda dicitur post *annos sexdecim* a priori, Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. XXXV. §. XLVIII. & XLIX. ex eodem Herico monacho. De hac translatione, hac die agit Martyrologium Fuldense, infra vulgandum; ac item vatustiora Usuardi Auctaria apud Sollerium.

Melanii. *Melanius* Redonensis Episcopus in vulgatis Adonis exemplaribus deest, at habetur in genuino Usuardo. Hinc Sollerius, qui deesse Melanium hac die in Adone Rosvveidi, imo in Appendicem rejectum ad diem VIII. *Id. Novembr.* viderat, Usuardum Melanii elogium ex Hieronymianis accepisse scribit. Agunt quidem de eo hac die Hieronymiana, ut Epternacense, Lucense, inter auctaria, & Dacherianum. In Epternacensi *natalis Melanii* memoratur. In Lucensi: *Nativitas, & ordinatio Episcopatus*. In Dacheriano: *Nativitas, & ordinatio Episcopatus, & transitus*. Gellonense: *Natalis, & translatio, & ordinatio Episcopi Melanii confessoris*. Martyrologium Reginæ Suecorum n.435.: *In civitate Redonis, depositio sancti Melani Episcopi*. Notkerus: *Medonis* (pro *Redonis*) *nativitas, & ordinatio Episcopatus, ac transitus sancti Melani Episcopi & confessoris*. Agunt præterea de eo hac die Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum. Vulgatus Ado, & etiam codices nostri ejus depositionem recolunt *Pridie Idus Novembris*. In Gellonensi VIII. Idus Novembris legitur: *Redonis, translatio sancti Melanii confessoris*. Cum Usuardus iisdem verbis utatur hac die, quibus codex noster 512. utitur, nullus forte dubitabit, quin ab Adonis accurato exemplari Melanii celebritatem sumpserit. Ejus vitam exhibent Bollandiani hac die pag.328. Obiisse existimant c. A. D. 549. In vita memoratur conventus Episcoporum apud *Andecavos*; quo in conventu *Melanius* Albino aliisque Episcopis eulogias in fine Synodi dedisse dicitur. Hanc Synodum in A. D. 537. confert Mabillonius Annalium Bened. lib. III. §. I. Mortuus est autem *Melanius* ex opinione Mabillonii, ibidem lib. XIII, §. XXX. regnante *Childerberto* seniore. Cœnobium S. *Melanii* Redonensis extructum fuit in suburbano loco, ubi & ejus corpus fuerat humatum. Ibi miræ celsitudinis basilicam christiani ædificarunt, ut Gregorius Turonensis de gloria confessor. cap. LV. testatur. Ruinartius ad hunc Gregorii locum censet, Melanium obiisse A. D. 530. die VI. *Novembris*, qua die apud Redones colitur; aut an. 531. si verus obitus dies, inquit, in Martyrologio Romano VIII. *Idus Januarii* assignatur. Vide Cointium ad an. 530. num. VII. Ejus corpus in monasterio ejus nomini dicato asservatur. *Redonum* caput olim *Condate*, mox *Redonæ*, a scriptoribus mediæ ætatis *Redonis*, & *Redonas*, voce indeclinabili, vulgo *Rennes*, truncato vocabulo. Est inter civitates Galliæ, quæ Oceanum attingunt, quæque Gallorum consuetudine *Armorica* appellantur.

---

7. Jan.

G. VII. IDUS JANUARII.

Relat. Jesu. RELATIO pueri JESU ex Ægypto.

Luciani. Item Natalis sancti Luciani Antiochenæ Ecclesiæ presbyteri & martyris, viri doctissimi atque eloquentissimi, qui passus est Nicomediæ ob confessionem Christi sub persecutione Maximini: sepultusque Helenopoli Bithyniæ, quam urbem (cum prius Drepana vocaretur) in honorem ejusdem gloriosi martyris,

ris, Constantinus Imperator instaurans, ex nomine matris suæ Helenopolim nuncupavit.

Cleri. Item apud Antiochiam, beati Cleri diaconi, qui ob confessionem Christi septies tortus, & in carcere diu maceratus, ad ultimum decollatus, martyrium consummavit.

VARIA LECTIO. In ed. *qui passus est Nicomediæ* &c. Codices nostri: *qui apud Nicomediam ob confessionem Christi sub persecutione Maximiani* (Cod. 512. 514. Maximini) *in quatuor partes discerpitur*, IIII. *lapidibus alligatis, in mare mersus est, sed alia duo Ilinopolim* (sic) *corpus ejus integrum cum ipsis lapidibus inventum est: ibi denique sepultum, quam urbem cum prius Drepana vocaretur, in honorem ejusdem gloriosi martyris Constantinus Imperator instaurans, ex nomine matris suæ Hilinopolim nuncupavit.*

Ed. *Cleri diaconi*. Codices nostri: *Licerii diaconi*.

Felicis & Januarii. In codice 512. post verbum *consummavit*, sequitur: *Civitate Eraclea, Felicis & Januarii.*

Relat. pueri Jesu. ADNOTATIO. In quibusdam Martyrologiis, & Kalendariis legitur: *Eductio Domini de Ægypto*, & aliis quidem diebus. Romanum parvum hac die habet: *Relatio pueri Jesu ex Ægypto*; ac ita Ado, & Usuardus. Gellonense vero: *Eductio Jesu de Ægypto*. Rabanus ad tertium Idus Januarii: *Eductio Domini de Ægypto*. Ita quoque ad *tertium Idus* Notkerus, qui addit: *Quæ secundum alios* VII. *Idus Januarii, secundum quosdam Nonis Januarii, propter multorum dierum profectionem celebratur*. In Kalendario Vaticano n. 3806. figitur ad IV. *Idus Januarii*, diciturque: *Eductio Domini de Ægypto*.

Luciani. De *Luciano* martyre *Antiocheno* veterum luculenta supersunt testimonia, quæ citat Baronius in Adnotationibus hac die. Præter Eusebium lib. VIII. cap. XIII. Hieronymum epist. LXXXIV. & de viris illustribus cap. LXXVII. utque Chrysostomum, cujus orationem, ut ineditam laudat Baronius, & habetur Oper. tom. I. orat. XLVI., celebratur *Lucianus* a Rufino Histor. Eccl. lib. IX. cap. V. tanquam *moribus, continentia, & eruditione* præcipuus. Celebratur etiam a Palladio in vita S. Jo: Chrysostomi, & a Sozomeno lib. III. cap. V. Attamen apud veteres & recentiores opinio est, Lucianum Arianis aliquando favisse. S. Epiphanius hæresi XLIII., Lucianistarum hæresim a *Luciano* ortum duxisse scribit, & hæresi LXIX. tradit, Eusebium Nicomediensem una cum *Luciano* vixisse. Theodoretus lib. I. cap. IV. recitat Epistolam Alexandri Episcopi Alexandrini, in qua habetur, *Lucianum* multorum annorum spatio ab Ecclesia expulsum fuisse. Philostorgius lib. II. cap. XV. XVI. *martyrem* licet *Lucianum* appellet, multos tamen ejus discipulos commemorat, Arianæ hæresis labe infectus. Hinc Gothofredus in notis pag. 82. 83. animadvertit, haud temere Arianos prætulisse, tamquam suæ sectæ faventem *Lucianum*. Henricus item Valesius in notis ad Theodoreti lib. I. cap. IV. pag. 6. Alexandri Episcopi Alexandrini testimonio nixus, omnino contendit adversus Baronium, *Lucianum* ab hæresis suspicione vindicari non posse, quod etiam sentit Pagius in Critica ad an. 311. n. XI. Verum *Lucianum* ab omni Arianismi labe purgat inter heterodoxos Georgius Bullus in Defensione Fidei Nicænæ Sect. II. §. VIII. pag. 162. 163. edit. an. 1703. ejusque symbolum nihil Arianis favisse, sed plane catholicum esse, testimonio S. Hilarii de Synodis adversus Arianos pag. 228. prorsus contendit: Alexandrum Alexandrinum de alio *Luciano* locutum, cum Eusebius lib. VIII. cap. XIX. *Lucianum* Antiochenum per omnem vitam laudet, neque fieri potuisse, ut ejus lapsum silentio prætererit; deinde rem concludens, affirmat, huic commento reclamare Historiam omnem Ecclesiasticam, & fidei confessionem, quam ipsi Ariani *Luciano* adscripserunt. Tillemontius tom. V. pag. 770. ad excusandum *Lucianum* propendet; qui si quando erravit, martyrio labem omnem abstersit. Martyrium fecit sub *Maximino*, quod verbis disertis testatur Eusebius lib. IX. cap. VI. Annus martyrii Baronio est A. D. 311. sed recentiores, ut Valesius ad Eusebium lib. VIII. cap. XI. Pagius in Critica an. 311. n. XI. & Tillemontius tom. V. pag. 108. 479. annum 312. esse volunt. Colitur hac die in veterrimis Ecclesiasticis tabulis. Hieronymiana habent: *In Nicomedia, Luciani presbyteri, qui quatuor partibus factus est*. Sequuntur Romanum parvum, Ado, Usuardus, Vandelbertus, Florus, & Notkerus. Adde Martyrologium Reginæ Suecorum n. 435. ubi est: *In Nicomedia, Luciani presbyteri, qui quatuor in partibus di-*

visus est, & in mare præcipitatus. Similis habet hac die Martyrologium Fuldense, infra edendum. Agunt etiam de eo hac die Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense brevius. Græci agunt de Luciano die xv. *Octobris*. De *Drepano*, quæ inde *Helenopolis*, vide Dictionarium Geographicum Martinerii, verbo *Helenopolis*.

Cleri. De *Clero* diacono vide Sollerium ad Usuardum. In codicibus nostris dicitur *Licerius*, quibus accedit Epternacense, ubi legitur: *Lucerii*; ut & in Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, & Labbeano: *Licerii*.

Felicis & Januarii. In codice nostro 512. adduntur hac die *Felix*, & *Januarius*, qui cum a vulgato Adone absint, & apud genuinum Usuardum occurrant, putavit Sollerius ex Hieronymianis hos martyres descriptos fuisse. Silent de his hac die Gellonense, Rabanus, & Notkerus; at meminit Martyrologium Reginæ Suecorum, his verbis: *In Eraclea, Felicis, & Januarii.* Agunt etiam hac die Rhinoviense, & Richenoviense. Augustanum & Labbeanum unius *Felicis* mentionem faciunt. Locum martyrii prætereunt. In Hieronymianis iterum de his die xiv. *Februarii*, iisdem ut hac die verbis, nimirum: *In Eraclea, sanctorum Felicis, & Januarii.* Iterum quoque die xiv. *Februarii* Martyrologium Reginæ Suecorum. Cur id in Hieronymianis acciderit, ignorare se fatetur Florentinius in notis pag. 319. Quæ *Heraclea* urbs, ex variis hujus nominis civitatibus designetur, adhuc incertum est.

---

8. *Jan.* *A. VI. IDUS JANUARII.*

Severini. APUD Neapolim Campaniæ, sancti Severini confessoris, fratris beatissimi Victorini clarissimi viri in miraculis. Qui & ipse fratris imitator, post multarum virtutum perpetrationem, sanctitate plenus quievit. Sepultus in loco, ubi primùm abstinentissimus, quam ad Episcopatum vocaretur, conversatus fuerat. *Vide plura de eo. 5. Sep.*

Luciani, & Messiani. Beluaci, sanctorum Luciani, & Messiani.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Neapolim*. Cod. 512. & 514. incipiunt: *Neapolim*.

Ed. *Beluaci*. Cod. 511. *Beloacus*. Cod. 512 514. *Belloacus*. Ed. *Luciani & Messiani*. Codices nostri: Luciani presbyteri, Maxiani (cod. 514. *Maximiani*) & „ Juliani martyrum, quorum Maxianus & Julianus primo a persecutoribus gladio sunt „ puniti; dehinc beatus Lucianus post nimiam cædem cum Christi nomen viva vo- „ ce confiteri non metuisset, priorum sententiam & ipse excepit.

Sequitur in codice 512.

Eugeniani. Timothei. Egemoni. „ Eodem die, sancti Eugeniani martyris. In Græcia, Timothei. Augustiduno „ (sic) Egemoni Episcopi.

Severini. ADNOTATIO. Ex corrupto fonte Adonem accepisse Acta S. Severini, monuerunt hac die Bollandiani, deinde Castellanus, & Sollerius; nam *Severinus* non est cum *Victorino* commiscendus. Plura ex Actis protulit Baronius hac die, & ad an. 496. n. XLIX. ubi de ejus translatione Neapolim. Acta Severini, auctore Eugippio, eaque ad fidem codicum recognita, habes apud Marcum Velserum inter ejusdem Velseri Opera pag. 630. & *seq.* & apud Bollandisnos hac die. Obiit Severinus Abbas, & Noricorum Apostolus *sexto Idus Januarii* an. 481. vel 482. ut videtur Baronio, in monasterio prope Favianensium muros. Bello inde exorto, in Italiam primo ad montem *Feletum* c. A.D. 488. translatus est, deinde in *Lucullanum* prope Neapolim, Gelasio Romano Pontifice, delatus c. an. 496. Alia translatio subsecuta est, cujus historiam scripsit Jo. Diaconus, quam habes apud Bollandianos, Januarii tom. 1. pag. 1098. De *Severino* hac die Romanum parvum, his verbis: *Neapoli, Severini confessoris, Victorini fratris*. Nomen *Episcopi* Severino ab Usuardo adscriptum, apud Adonem non legitur.

Luciani & sociorum. *Luciani* & sociorum martyrum Bellovacensium natalis hac die celebratur in Corbejensi & breviore Hieronymiano: *In Gallia civitate* Bel-

Bellovacus, *passio sanctorum Luciani*, *Mariani*, *& Juliani martyrum*. Rabanus unius *Luciani* martyris meminit die IV. *Januarii*. Unius item *Luciani* martyris hac die VIII. Januarii Kalendarium Palat. Vat. 485. Kalendarium Vaticanum 1806. hac die octava Januarii, habet: *In Galliis civitate Bellovacus*, *natalis sanctorum martyrum Luciani*, *Maximiani*, *Juliani*. Ita Martyrologium Fuldense, & Francogallicum. Notkerus: *Melloacia* (pro *Bellovaci*) *sancti Luciani*, *socii beati Dionysii*. *Item Messiani*. Meminit Florus, de quo vide Sollerium ad Usuardum hac die. Si conferatur ergo elogium, quod nostri codices de *Luciano* & sociis habent, non a Floro Lugdunensi, ut putavit Castellanus, sed ab Adone mutuatum esse Usuardum videbis. De corrupto saepe urbis *Bellovacensis* a scriptoribus nomine consule Valesium in Notitia Galliarum pag. 79. 113. 114.

Iisdem verbis utitur Usuardus hac die, dum *Eugenianum* martyrem enunciat, aeque ac nostri codices. Sollerius, quod *Eugenianum* in vulgato Adone non repererit, eum, praeeunte Bollando, cum *Egmonio* Augustodunensi Episcopo, de quo hac die Hieronymiana, & alia Martyrologia, commiscet. At *Eugenianus* martyr est, *Egmonius* vero Episcopus, & confessor. *Eugenianus* a Wandelberto memoratur. Deinde in nostris codicibus distinguitur *Egmonius* Augustodunensis Episcopus, de quo hac die, ut de *Timotheo* agunt Hieronymiana, Gellonense, Rabanus, Notkerus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum. *Eugeniani* *Egmonii*, *Timothei*.

B. V. IDUS JANUARII. 9. *Jan.*

IN Mauritania Cæsariensi, natalis sanctæ Martianæ virginis & martyris. *Martianæ*

Eodem die apud Antiochiam, natale sancti Juliani martyris & Basilissæ conjugis ejus. Hi itaque sanctissimo voto casti conjuges, aliquot annos pariter vixerunt, carnem suam Christo virginem servantes, monasteria de rebus suis, quia erant parentibus, & genere clarissimi, instituerunt, ut ad decem millia monachorum pater beatus Julianus fieret, Basilissa vero multarum mater virginum. Quarum multitudinem cum jam victricem præmisisset ad Dominum, ipsa conversatione vitæ, & doctrinæ studiis probatissima, inter verba orationis dulcissimis suspiriis plena reddens Domino spiritum, Angelorum consortio, in cælo coniunxit. Julianus vero postmodum a Martiano præside requiritur, quo tempore rabies crudelitatis ad persequendum sanctos Dei sub Diocletiano & Maximiano exarserat, ad quem multitudo sacerdotum, & Ecclesiæ Christi ministrorum confugerat propter immanitatem persecutionis. Comprehensus itaque cum hac ingenti multitudine ipse Præsidis audientiæ reservatur: cæteri servi Dei, jussu crudelis Judicis, ingenti accenso igne, eisque apposito, in quo consistebant loco consumpti sunt. Ubi ad commendandam pretiosam mortem sanctorum, tertiam, sextam, nonam psallentium chori feruntur audiri. Sed & vespertinos, & matutinos hymnos Deo cecinere. Beatus vero Julianus primum auditus, rigidissimis fustibus cæsus est. Cumque cæderetur, unus ministrorum Præsidis necessarius oculum amisit. Quem Beato Juliano orante illico recepit, & Christo credens, statim ab insano judice decollatur. Inde beatus Julianus ductus ad fa- *Juliani*, *& Basilissæ*

 num

num dæmonum, simulacra crystallina, & electrina, atque diversi generis metallo acquisita, ita comminuta, atque in pulverem redacta sunt, ut quid fuerint omnino non parêret. Deinde sanctus martyr vinculis ferreis arctatus, per civitatem sub voce præconis circumducitur. Cumque pervenisset ad locum, ubi filius Præsidis in scholis erudiebatur, puer idem Celsus nomine, vidit multitudinem albatorum circa sanctum martyrem, & coronam pretiosissimis lapidibus renitentem super caput ejus. Quæ visa cum suis condiscipulis narraret, subito divinitus inspiratus projecit volumina magistrorum, & vestimenta, quibus erat indutus, & celeri cursu pervenit ad pedes vincti martyris. Ad quod factum stupens tota pene civitas accurrit: cum reliquis Præses & mater pueri ejulantes adveniunt. Sed cum puerum a societate beata separare non possent, cum beato Juliano imo carceris mancipatur. Ubi divino lumine consolati, & odore mirifico sunt respersi, ita ut milites, qui eos servabant, circiter viginti, commoti, & stupore perculsi, Christo Domino crederent. Ad hos itaque visitandos in carcerem fratres septem una cum Antonino presbytero venerunt: officioque sancti Antonini presbyteri, tam puer, quam viginti milites baptizati sunt. Quod audiens Præses, septem fratres diu custodia maceratos, ad ultimum tradi igni præcepit: porro milites gladio trucidari. Sicque martyrium victores consummaverunt. Sanctum vero Julianum, atque Celsum puerum, sanctumque Antoninum presbyterum sibi præsentatos, necnon & Anastasium, quem beatus Julianus a morte suscitatum participem gratiæ Christi fecerat, in cuppas pice & adipe ferventes injecit, sub quibus lignorum, & sarmentorum copiam aggregari jussit. Sed beati nihil læsi sub igne, in confessione invicti persistunt. Ducti ergo iterum sunt in custodiam. Cum puero autem mater ipsius Martionilla, ut eum mutare posset, volens inclusa est. Sed dum cupit filium prædam fieri diabolo, ipsa prædata Christo, ejusque ancilla fidelis facta, baptismi gratiam recepit. Quo audito, impius conjunx piam Christi famulam in ima carceris trusam, martyribus sociavit. Quos iterum suis conspectibus præsentari fecit, & ad fanum dæmonum, sacerdotibus fani intro expectantibus, ut sacrificaturi, mittuntur. Sed mox sanctis orantibus, templo ad solum dejecto, sacerdotum ad mille, cum paganorum multitudine occisi sunt. Sed iterum ab irato impio Præside sancti retruduntur. Qui divina consolatione nocte sunt mirabiliter confortati. Sequenti vero luce producti sunt de custodia: oleoque infuso, liciniis manus & pedes eorum ligantur, ignisque ita sup-

fupponitur. Sed cum invicti perdurarent, Juliano & Celfo cutem capitis auferri jubet, Antonino, & Anaftafio lumina effodi, Martionillæ equuleum parari. Hæc cum illi fortifsime pervicissent, feris intromiffis in Amphitheatrum, ad devorandum eos objecerunt. Sed feræ pedes fanctorum lingebant. Cumque omnia perviciffent, militibus eos ferire jufsit. Atque tali certamine palmam adepti, regna manfura perceperunt.

VARIA LECTIO. Ed. In *Mauritanio &c.* Codices noftri hac die ita incipiunt:

Vitalis, & fociorum. „ Apud Smirnam, natalis fanctorum Vitalis, Revocati, & Fortunati. Et in Mau„ ritania Cæfarienfi, natalis fanctæ Martianæ virginis & martyris. Cætera quæ hac die editis de fanctis *Juliano* & *Bafiliffa* fequuntur, a noftris codicibus abfunt, quia de iis egerunt ad VIII. Id Januar. At Cod. 512. poft verba *Martianæ virginis*, omittit *martyris*, deinde addit:

Juliani & Bafiliffæ. „ Apud Antiochiam, fub Dioclitiano & Maximiano, natale fanctorum martyrum „ Juliani & Bafiliffæ virginis, quorum miræ paffiones leguntur. Ex quorum etiam „ collegio venerabilis multitudo facerdotum & miniftrorum Ecclefiæ, Chrifti igne cre„ mata eft, quæ ad eos confugerat propter immanitatem perfecutionis. Poft quos An„ tonius presbyter, Anaftafius, & Celfus puer una cum matre, atque alii plures paffi „ funt.

Martiana. ADNOTATIO. Silent de *Martiana* Hieronymiana apographa, Beda, Florus, & Ufuardus. Agunt Romanum parvum, Notkerus, & Martyrologium Fuldenfe. Paffa eft in urbe Cæfarienfi, quæ caput erat Mauritaniæ Cæfarienfis. De ejus Actis vide Bollandum hac die pag.568. & Tillemontium tom. V. pag. 163. In quibufdam Martyrologiis memoratur *Martiana*, V. *Idus Julii*, quæ a Martiana martyre Cæfarienfi in Africa diftinguenda non effe viris agiographis videtur.

Vitalis, & fociorum. Smyrnanfes martyres tres, videlicet *Vitalis*, *Revocatus*, & *Fortunatus*, quos Ufuardus, e codicibus Adonianis, non ex Hieronymianis, accepit, ut fenfit Sollerius, celebrantur ab eifdem Hieronymianis, a Rhinovienfi, Auguftano, Labbeano, & Corbejenfi, fed corruptis mirum in modum nominibus, interdum omiffis, atque cum aliis Africanis martyribus confufis. Bollandus hac die pag. 567. Smyrnenfes martyres putat: *Vitalem*, *Revocatum*, *Fortunatum*, *Firmum*, five *Firminum*, *Poffefforem*, *Januarium*, *Saturninum*. *Epictetum*, & alios inter Africanos martyres enumerat. Pro indubiis inter Smyrnenfes, ex MSS. fide habet *Vitalem*, *Revocatum*, & *Fortunatum*. Ei adftipulantur codices noftri, Ufuardus, & Wandelbertus. Non eft ergo, cur Sollerius fcribat, hos martyres Smyrnenfes, ex Hieronymianis acceptos, & male ab Ufuardo compofitos. De his martyribus vide etiam Florentinium hac die, & Caftellani notas pag.146.

Juliani & Bafiliffæ. *Julianus* & *Bafiliffa* hac die in uno tantum ex noftris codicibus, nimirum in cod. 512. recenfentur; nam codex 511. 514. de his egerunt VIII Id. Januarii, hoc eft die VI. Januarii, qua die coluntur in Hieronymianis, his verbis: *Antiochia, paffio fancti Juliani, & Bafiliffæ. In India, Celfi, Juliani.* Ita quoque die VI. Januarii Martyrologium Reginæ Suecorum. Sollerius ad diem IX. Januarii, quibi martyres ab Ufuardo, iifdem verbis, quibus codex nofter 512., coluntur, de variis diebus, quibus in veteribus Martyrologiis horum natalis affigitur, nonnulla habet; nam Hieronymiana, Florus, Gellonenfe, & Martyrologium Fuldenfe hos celebrant die VI. *Januarii*, Rabanus die XIII. ut & Wandelbertus, & Kalendarium Vaticanum n.3806. Notkerus die IX. item die IX. Romanum parvum, his verbis: *Et S. Juliani, & Bafiliffæ uxoris ejus, & Celfi, & Martianillæ, ac XX. militum.* Richenovienfe die VI., item Labbeanum. Ex Epiphania caufam variæ hujus tranfpofitionis ortam effe exiftimat Caftellanus pag. 106. De horum martyrum Actis præter Bollandum, vide Papebrochium tom.III. Maji pag. 895. & in Refponfionibus tom.I. ad art.XV. §.XXVIII. n.316. & *feq.*

10. Jan. *C. IV. IDUS JANUARII.*

Pauli. Apud Thebaidem, natalis sancti Pauli primi Eremitæ, qui a sextodecimo ætatis suæ anno usque ad centesimum & tertiumdecimum solus in eremo permansit. Cujus animam inter Apostolorum, & Prophetarum choros ad cælum ferri ab Angelis, sanctus Antonius vidit.

Hygini. Sancti Hyginii Papæ, qui sedit Romæ annos quatuor. Hic constituit Clerum, & distribuit gradus. Sepultus in Vaticano IV. Idus Januarii. *Pontificale cap. 10.*

Nicanoris Apud Cyprum, Beati Nicanoris, qui unus fuit de septem primis diaconibus. *Vide libellum de Festiv. Apost.*

Hermetis. Et adventio sancti martyris Hermetis.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Cyprum beati Nicanoris &c.* Codices nostri hac die ita incipiunt, & hæc tantum præferunt. „ Natale beati Nicanoris, qui unus *Nicanoris* „ fuit de VII. diaconibus primis. Hic gratia fidei, & virtute admirandus, apud Cy„ prum gloriosissime est coronatus, ibique venerabiliter est sepultus. In Tebaida na*Pauli.* „ talis beati Pauli primi Eremitæ, qui a XVII. ætatis suæ anno usque CXIII. solus in he„ remo permansit, cujus animam inter Apostolorum & prophetarum choros ad cælum „ ferri ab angelis beatus Antonius vidit. Ita desinunt Codices nostri hac die, præter*Melchiadis.* quam codex 512. qui addit: *Romæ Melchiadis Papæ*. Cætera, quæ in editis leguntur, in nostris codicibus desiderantur.

Pauli: ADNOTATIO. Paulus primus eremita, olim in veteribus Martyrologiis IV. *Idus Januarii* hoc est die 10. Januarii colebatur. De eo enim hac die agit Romanum parvum, Rabanus, Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium Reginæ Suecorum, Martyrologium Fuldense, Kalendarium Palat. Vaticanum num. 485. & Vaticanum 3806. qui mos etiam sæculo XIV. obtinebat, ut liquet ex Kalendario Setino, a nobis edito de cathedra Episcopali Setina pag. 185. Hac item die colitur ex veteri more in Martyrologio Romano. In diem XV. illius officium translatum fuisse scribit Sollerius, quod alii anteriores dies alio ecclesiastico officio impedirentur. Pauli Acta, ac vitam geminam illustravit Bollandus.

Nicanoris Nihil addendum putamus iis, quæ de *Nicanore* expendit Sollerius ad Usuardum hac die. Illud monebo, in codicibus nostris non *Paulum* primo loco poni, sed *Nicanorem* iisdem verbis, quibus Ado vulgatus in libello de festivitatibus Apostolorum.

Hygini: *Hyginus* Pontifex, qui in vulgatis Adonis editionibus legitur, prætermittitur in codicibus nostris. Sollerius, qui in vulgatis *Hyginum* viderat, & ab Usuardo genuino præteritum; unde, inquit, *Hyginus* substituitur, vetustioribus omnibus incognitus? & quid causæ esse dicemus, cur *Melchiadem* Papam omiserit Ado, a Hieronymianis, Beda, aliisque notatum? In codicibus nostris Adonianis de *Hygino* siletur, & *Melchiades* memoratur. *Melchiadis.* In Kalendario Bucheriano colitur hac die *Miltiades*, qui & *Melchiades*, in cœmeterio *Callisti*. Item in Martyrologio Reginæ Suecorum, in Richenoviensi, Augustano, & Labbeano. *Hyginus* memoratur in Kalendario Vaticano 3806. Agit de eo Martyrologium Rom. die XI. *Jan.* In codicibus nostris etiam præteritur *adventio S. Hermetis*, de qua silet Usuardus *Hermetis.* genuinus. De *Hermete* vide Rosvveidi annotationes ad Adonis Martyrologium, & Indiculum prætermissorum apud Bollandianos hac die.

D. III. IDUS JANUARII. 11. Jan.

Petri, & socior. APud Alexandriam, natalis Sanctorum Confessorum Petri, Severi, Lucii, quorum gesta habentur.

Salvii. In Africa, natalis sancti Salvii. In hujus natali sanctus Augustinus verbum fecit ad populum Carthagini. *Possid. in Indic. c. 3. & 9.*

VARIA LECTIO. Ed. *Petri, Severi, Lucii*. Codices 511. 512. & 514. habent: *Petri, Severini, & Leucii*. Ed. *sancti Salvii*, tantum: Codices nostri: *sancti Salvii martyris*.

Petri, & soc. ADNOTATIO. Ex codicum in plerisque Martyrologiis depravatione, ut ad Usuardum hac die animadvertit Sollerius, mira confusio orta est, tum in nominibus, tum in titulis *Petri, Severi, & Lucii*. In Hieronymianis legitur: *In Alexandria, Petri, Severi, S. Leuci confessoris, & Absolami*. Lucense apographum addit: *quorum gesta habentur*. Romanum parvum: *Alexandriæ, confessorum Petri, Severi, Lucii*. Martyrologium Reginæ Suecorum, postquam egit de S. Salvio, habet: *In Alexandria, natalis sancti Leuci confessoris*. De aliis silet. Augustanum: *In Alexandria, Petri, Seleuci* (pro *Leuci*), ut habet Labbeanum. Corbejense brevius: *In Alexandria, Petri, S. Luci confessoris*. An Romanum parvum ex Hieronymianis perperam descripserit, vide Sollerium hac die; ac ea, quæ ibi inquirit de *Petro, Severo, & Leucio*.

Salvii. *Salvium* martyrem Africanum vetustissima monumenta nobis exhibent; in primis Kalendarium Carthaginense a Mabillonio editum, deinde Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Ado, Usuardus, Rabanus, qui Salvio *confessoris* titulum, forte memoriæ lapsu tribuit, Notkerus, Vandelbertus, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Martyrologium Fuldense, in quibus: *natalis sancti Salvii martyris in Africa* statuitur.

E. PRIDIE IDUS JANUARII. 12. Jan.

Satyri. APud Achajam, natalis sancti Satyri martyris, civis Arabiæ, qui transiens ante quoddam Idolum, cum exsufflasset illud, signans sibi frontem, statim corruit: ob quam caussam decollatus est. *Zeno Veron. Serm. propr.*

Arcadii. Eodem die natalis sancti Arcadii martyris, genere & miraculis clari.

Arthemii. VARIA LECTIO. Codex 512. hac die ad oram aliena manu, sed satis antiqua habet: *Eodem die, sancti Arthemii confessoris*.

Satyri. ADNOTATIO. Codices nostri hac die cum editis conveniunt. Sollerius putat, Romanum parvum simpliciter scripsisse: *Antiochiæ, Satyri martyris*, atque Hieronymiana minime secutum; nam in Epternacensi legitur: *In Achaja, Cyriaci, Moscenti, Satiri*, sine alio elogio. quod in alia apographa Hieronymiana ex Beda irrepsisse censet Sollerius, & ea de re conqueritur Florentinius. In Beda censent legendum Henschenius & Papebrochius: *In Achaja, Cyriaci, Mosanti, Saturi civis Arabiæ &c.* Sollerius iterum conjicit, Adonem Bedæ ecgraphum nactum, in quo solum legebatur: *Apud Achajam, B. Saturi &c.* exclusis duobus prioribus, unum *Satyrum* adnotasse: Usuardum vero singula ex Adone descripsisse, ac verba *civis Arabiæ*, utpote redundantia, expunxisse. Cæterum Adonis

nis verba transcripta sunt ab euctore Martyrologii Fuldensis, quod ex codice sæculi x. nos edituri sumue; quare nullo modo est dubitandum, quin Adonis textus sit genuinus. Wandelbertus Achajæ tribuit tantum *Cyriacum*, ite quoque Martyrologium Reginæ Suecorum, in quo hebes: *In Achaja, passio sancti Cyriaci*. Ita quoque Rhinnaviense, & Richenoviense; Augustanum vero habet: *In Achaja, Ciriaci, Saturi*; ut & Labbeanum, præterquem, pro *Ciriaci*, legit *Syriaci*. Corbejense brevius: *In Achaja, Cyriaci, Moscenti, Saturi*.

Arcadii. *Arcadius* mertyr, Sollerii sententia primum occurrit in Romano pervo, ex quo Ado, Usuardus, & Notkerue; neque de loco martyrii in his ulla mentio. Pratensis codex Usuerdi præfert: *in Cæsarea Mauritaniæ*, contra quam lectionem disputat Sollerius hac die in variis lectionibus ed Usuardum. Acta perhibent, *Arcadium* in Achaja passum fuisse.

Arthemii. Additur in nostro Adoniano codice hac die sanctus *Arthemius confessor*. De eo silent veteres Martyrolographi; nisi forte sit *Arthemius* Episcopus *Arvernensis*, qui colitur die xxiv. *Januarii*, eut *Arthemius* Episcopus *Senonensis*, de quo natelis egitur die xxviii. *Aprilis*.

13. Jan. *F. IDIBUS JANUARII.*

Coron. milit. xl. ROmæ via Lavicana, coronæ militum quadraginta, sub Gallieno Imperatore.

Hilarii. Pictavis, sancti Hilarii Episcopi & confessoris, qui ob catholicam fidem quadriennio apud Phrygiam relegatus. Inter alias virtutes fertur, quod mortuum suscitaverit.

Veri. Apud Viennam Sancti Veri Episcopi, qui præsedit Ecclesiæ post sanctum Evantium.

VARIA LECTIO. Ed. *apud Phrygiam relegatus. Inter alias virtutes &c.* Codices nostri: *apud Phrygiam relegatus exilio: inter ceteras virtutes &c.* In nostris codicibus nihil de *Vero* Episcopo Viennensi, sed ejus loco hæc sequuntur: *Remis natalis sancti Remigii Episcopi, cujus sanctitatis præconium merito credulitatis suæ gens Francorum veneranter recolit.* Deest *Verus* etiam in Vat. 377. *Remigii.*

Martyr. xl. ADNOTATIO. *Martyres quadraginta*, Romæ vie Lavicana martyrio coronati, celebrantur hac die a Hieronymienis apud Florentinium, in cujus tamen apographo, pro: *via Lavicana*, legitur: *via Latina*. Silent Beda, Plorus, & Rabanus. Notkerus *coronam*, eb his quadraginta distinguit, sed palmeri errore, ut animadvertit Sollerius. Aperte Romanum parvum his verbis: *Romæ via Lavicana, militum* xl. *sub Gallieno Imperatore*; quæ quidem verba tentum eb Adone usurpantur, & ab Usuerdo, qui nonnihil eddidit, dum ait: *Romæ via Lavicana, coronæ militum quadraginta, quas sub Gallieno Imperatore, pro confessione veræ fidei percipere meruerunt*. Mertyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ via Lavicana, militum quadraginta*. Silet de his Martyrologium Fuldense.

Hilarii. *Hilarium Pictaviensem* Antistitem recolunt hac die Hieronymiane, Bede, Florus, Rabanus, Notkerus, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Fuldense, Kalenderium Palat. Veticanum 485. & Vaticanum 3896. Cætera, quæ ad Hilarii cultum, & gesta pertinent, habee epud Tillemontium tom. vii. pag. 43e., & seq. & apud Benedictinos monachos in nova operum Hilarii editione, ut Acta a Bollando hac die illustrata omittam.

Remigii. Miratur Sollerius, cur hac die ab Usuardo genuino depositio *Sancti Remigii* adnotetur, quum de eo nihil hodie antiquiores, si Flori auctaria excipias, memorent. At in Martyrologio sæculi ix. Reginæ Suecorum, memoratur hac die, his verbis post S. Hilarium: *Et Remis, transiti* (sic) *beati Remigii confessoris præcipui*. Martyrologium Fuldense hac die item *Remigium* celebrat. In Hieronymianis vero die xv. *Januarii* colitur. In upographo Lucensi: *Remedii pro Remigii* legitur, quam lectionem corruptam librariorum, ut putat, vitio, emendet Florentinius pag. 255. At *Remedium* pro *Remigium* eliquando scribi consuevisse demonstrant Martyrologie Rabani, & Notkeri, *Kalendis Octobris*. Agit etiam de *Remigio* die xv. *Januarii* Gellonense, at Kalendarium Vaticanum n. 3806. *Idibus Januarii*

nuarii A. D. 530. obiisse Remigium, scribit Guillelmus Marlotus in Metropoli Remensi lib. II. cap. XI. pag. 178. Cointius vero, & Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. III. §. XVII. Remigii obitum in annum 533. conferunt. Mabillonius addit, aliquot annis post obitum, in cryptam pone altare novæ basilicæ Remigium conditum fuisse *Kalendis Octobris*, quo etiam die nova translatio ab Hincmaro Remensi facta fuit. Petrus Franciscus Chiffletius in notis ad vitam S. Genovefæ natum scribit Remigium A. D. 440., Episcopum designatum an. 471., obiisse vero anno 542. ætatis suæ nonagesimo sexto. Henschenius ad diem VI. *Februarii* obitum Remigii in annum 539. conjicit, cui subscribit Pagius in Critica Baroniana ad an. 541. n. X.

Veri. *Verus* Episcopus Viennensis præteritur a codicibus nostris, & a genuino Usuardo, sed cum in vulgato Adone hac die legatur, rationem divinare, cur ab Usuardo prætermissus sit, superfluum visum est Sollerio. Tres hujus nominis Viennenses Episcopi perhibentur, quorum primus martyrio sub Antonino Pio affectus est, alter Concilio Arelatensi interfuit A. D. 314., tertius, qui & *Virus* dictus est, vivebat A. D. 583. Vide de his tribus *Veris* Justum Fontaninum in Historia litteraria Aquilejensi lib. II. cap. IV. pag. 94. & *seq.*

In nonnullis Martyrologiis, ut apud Rabanum, Notkerum, Martyrologium Fuldense, Kalendarium Vaticanum num. 3806. & apud Amalarium lib. IV. cap. IV. *Octabæ*, idest *Octavæ Epiphaniæ*, seu *Epiphaniæ* hac die memorantur. Octavæ Epiph.

G. XIX. KALENDAS JANUARII. 14. *Jan.*

Felicis. Apud Nolam Campaniæ, natale beati Felicis presbyteri. Hic a Maximo Nolanæ urbis Episcopo presbyterii honore præditus est. Cum autem Imperatorum decreta Chistianos insequi præcepissent, Maximus Pontifex jam senio prægravatus, putans se non posse ferre supplicia, silvarum saltus adiit. Quos dum turbidus de persequutione pererrasset, affectus fame, gelu attritus, solo corruit semivivus. At beatus Felix presbyter captus, & vinculis adstrictus, ante præsidem Draecum adductus, cum multa de portentis Deorum, quod nihil essent disputaret, eumque Præfectus immolare impelleret; respondit: Inimici estis Deorum vestrorum. Ad quæcumque enim me Deorum vestrorum templa duxeritis, hoc eis eveniet, quod evenit illis, ad quæ meum fratrem Felicem vos duxisse pœnituit. Sed si vultis probare virtutem Domini mei Jesu Christi, me ad Capitolium ire jubete, ut ipsum Jovem, principalem dæmoniorum vestrorum ruere faciam. Mox impius Judex compressis auribus suis, jussit eum fustibus cædi, deinde equulei tormentis applicari; inde carceri includitur, in quo non mediocribus vinculis adstrictus, cocleis, ac testulis suppositis extenditur. Et ecce nocte media Angelus Domini, confractis catenis, scissaque trabe, qua pedes ejus conclusi tenebantur, ait illi: Surge & egredere, ac require sacerdotem tuum, inventumque reduc ad urbem, & absconde, ne inedia, ac fame depereat, donec desinat persecutio. Dumque beatus Felix egressus, sacerdotem & Episcopum suum requireret, invenit illum solo prostratum, clausis

F oculis,

oculis, ſtrictiſque dentibus vix ſpirantem. Et cum anxie requireret, quid alimenti defecto ſeni porrigeret, ecce ſubito de ſentibus uvam pendere miratur: de qua aliquibus granis in os confeſſoris Chriſti expreſſis, paulul͏um ſenior refocillatus ſurrexit. Quem humeris impoſitum Felix ad civitatem detulit, & ſub tugurio cujuſdam viduæ commendatum, alimentis pavit. Deinde captus, in exilium deportatur beatus martyr, in monte, qui vocatur Circeis, ubi lapides excidebantur, ut ipſe cum damnatis pari modo lapidum cæſor eſſet. Ubi Probi cujuſdam Tribuni filiam a dæmonio liberavit, uxoremque ejus ab hydropiſi morbo curavit, ipſumque Probum cum uxore, & filia, & pluribus aliis, in Chriſto baptizavit. Poſt deinde cum regreſſus eſſet, creſcente perſecutione, iterum mittitur perſecutor ex numero apparitorum, qui beatum Felicem teneret. Quem cum ſolicite requireret, & eumdem Felicem interrogaret, ſi noſſet, ubi Felix presbyter lateret: Hac, inquit, Felix parte abiit. Perſecutore diſcedente, Felix latebram petiit. Sed nec mora, perſecutor ipſe ſubſequitur. At martyr inter parietes dirutos occulebatur, ubi in ipſo primo domus introitu araneorum telæ dependentes, intus neminem tunc intraſſe fidem fecerunt. Qua viſione deluſus inimicus abſceſſit. Sic martyr ad alium locum demigrans, a muliere quadam per tres menſes paſtus eſt: cujus tamen faciem, dum iiſdem latibulis celaretur, nullo modo vidit. Poſtmodum vero apud Nolam Pontificem dæmoniorum ad Chriſtum convertens, templum Apollinis, prius dæmone, qui reſponſa dabat, expulſo, divina virtute dejecit. Virtutibus itaque adeo illuſtris, cum vellet univerſus populus Nolanus ut levaretur Epiſcopus, non conſenſit, ſed alterum in ſede Pontificali eligens, ipſe poſt duodecim annos, quos apud Nolam, ceſſante perſecutione, fecerat, Dominica die myſteriis confectis, data pace omnibus, ſe in pavimentum oraturus projecit: moxque beati viri anima de carnis ergaſtulo egreſſa, poſt gravia tormenta, quæ patienter tulerat pro Chriſto, felicia regna, ipſe vere Felix conſcendit. Sepultuſque juxta urbem in loco, qui dicitur Pincis, ubi claris ſemper fulget virtutibus, ab Helpidio, venerabili & ſancto presbytero. Hic etiam beatiſſimus martyr & confeſſor hæreticis invictiſſime reſtitit.

Caeldi. Apud Viennam ſancti Caaldi Epiſcopi. *Ado in Chron. anno 686.*

VARIA

VARIA LECTIO. Ed. *natale beati Felicis*. Codices nostri: *sancti Felicis presbyteri*, tantum. Ed. *Hic a Maximo &c.* Codices: *Hic a quodam Nolonæ urbis Episcopo*. Ed. *& vinculis adstrictus, cum multa &c.* Codices: *& vinculis astritus, cum ante præsidem Draccum adductus fuisset, multaque aute ipsum de portenta* (sic pro *porteutis*) *Deorum, quod nihil essent, disputasset*. Ed. *Dumque beatus Felix*: Codices: *inde beatus confessor*. Subinde in codice 511. ad oram habetur: *Lect.* II. Ed. *in os confessoris Christi expressit*. Codices: *in os confessoris expressis*. Ed. *Deinde captus, in exilium deportatur*. Codices: *deinde captus, & in exilium deportatus*. Ed. *qui vocatur Circeis*. Codices: *qui vocatur Cirecia, ut ipse condemuatus pari modo*. Ed. *Ubi Probi*. Codices: *Ibi Probi*. Ed. *ab hydropisi morbo*. Codices: ab *hydropis morbo*. Ed. *Post deinde cum &c.* Codices: *Deinde regressus, crescente &c.* Ed. *occulebatur*. Codices: *occultabotur*. Ed. *fidem fecerunt*. Codices: *fidem fecerant*. Ed. *pastus est*. Codices: *depastus est*. Ed. *sepultusque juxta urbem &c.* Codices: *sepultusque est juxta urbem ab Elpidio venerabili presbytero in loco, qui dicitur Plucis, ubi claris semper fulget virtutibus*. Deinde statim in codicibus sequitur:

» Eodem die natalis sancti Cleri diaconi de antiquis, qui post multa tormenta *Cleri.*
» in mare præcipitatus est. Apud Spoletum, passio sancti Ponciani martyris tempo- *Ponciani.*
» ribus Antonini Imperatoris, sub judice Fabiano, ante quem adductus, & interro-
» gatus, quo nomine vocaretur, respondit: a parentibus nomen mihi impositum est,
» Poncianus, majus autem nomen mihi Christianus. Tunc responso finito, iratus Fa-
» bianus, expoliari eum, & virgis cædi jussit, donec videretur sanguis ipsius in ter-
» ram fluere. Iterum jussit, super carbones nudis eum ambulare pedibus: cui beatus
» Poncianus: Ego in nomine Domini mei Jesu Christi ambulo super carbones arden-
» tes, tu si potes, mitte in nomine Jovis tui manum in calida. Iratus Fabianus,
» jussit æculeum (sic) parari, & uncinos ferreos fieri, & ibi eum suspendi. Sed
» deficientibus ministris, truditur martyr Dei ima carceris, ibi a religiosis viris con-
» fortatus est ad agonem martyrii. Educitur iterum ad certamen circumspectante
» populo in amphiteatro, & dimittuntur ei duo leones, qui mansueti facti, beatum
» Poncianum minime tetigerunt, quod videntes populi, exclamaverunt: Vere ma-
» gnus est Deus christianorum. Iterum beatus martyr mittitur in carcerem per XII.
» dies, ut fame deficeret: ubi ab angelo confortatus, & cælesti cibo pastus est. Post
» XII. dies jam putantes eum defecisse ministri venerunt, ut corpus ejus tollerent,
» inveneruntque eum psallentem, & laudes Deo dicentem. Eductus vero de carcere,
» extentus est super lectum ferreum, ac plumbo fervefacto, dorsum illius superfu-
» sum. Sed cum martyr talia parvipendens invictus maneret, confusus Fabianus di-
» ctavit sententiam, ut capite minueretur. Sicque a spiculatore percussus, consum-
» mavit martyrium suum XIX. Kal. Feb. & sublatum corpus ejus a christianis, sepul-
» tum est XV. Kal. Celebris vero dies ipsius agitur XIII. Kal. (Codex 512. 514.
» XIIII. Kal.) Feb. quando sacrum mutatum est. (Codex 512. 514. quando sacrum
» corpus ejus mutatum est)

Hucusque codices, qui silent de *Caeldo* Episcopo. De *Ponciano* vulgatus Ado infra ad diem XIX. Januarii.

Felicis. ADNOTATIO. Celeberrimus est hac die apud Latinos fere omnes Martyrolographos *S. Felicis* presbyteri Nolani natalis. Illustris in primis est Felix, qui obiit A.D. 265. Paulini Nolani Antistitis præconiis, ut jampridem a Baronio est adnotatum. Deest quidem in Kalendario Bucheriano, sed habetur in Kalendario Carthaginensi. Cui adde Hieronymianà, Bedam, Romanum parvum, Gellonense, Adonem, Wandalbertum, Usuardum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Rabanum, Notkerum, Martyrologium Fuldense, & Kalendarium Vaticanum n. 3806. Libri quoque Liturgici veterrimi, ut Sacramentarium Gelasianum, Gregoriana, Capitularia Evangeliorum, Felicem hac die colunt. Hæc autem perspicua sunt omnibus. Cur vero *Felix*, in *Pincis*, & cur *confessor* in veteribus monumentis dicatur; & an unus, vel duo *Felices* hac die distinguantur, non levis est inter eruditos disputatio. Negat in primis Jo. Fronto in notis ad Kalendarium Romanum hac die, *Felicem in Pincis* dici, a suburbano Nolanæ urbis loco, ubi sepultus est, qui in Pincis dicebatur, ut habent Beda, Romanum parvum, Ado, & Notkerus, quos errasse contendit; & in *Pincis*

cis dictum putat a loco urbis Romæ, quis *Pincianum palatium*, idest *Pincii Senatoris*, memorator in vita Silverii Papæ, & collis in Urbe est, qui *Pincius* dicitur, ad quem olim erat Ecclesia S. Felicis in *Pincis*, ut liquet ex libro Pontificali in Hadriano I. & in Benedicto III. Addit, S. Paulinum in Natalibus S. Felicis, nusquam Pinciani loci meminisse. Hæc siquis tanti faciat, ut Beda, Ado, Romanum parvum, & Notkerus erroris sint arguendi, non refragabor. Illud certum est, Romæ vetustissimis temporibus Ecclesiam S. Felicis Nolani fuisse, de qua Gregorius Turonensis de gloria Martyrum cap. CIV. ita habet. *Erat Romæ celebris solemnitas S. Felicis confessoris, in cujus die natali in ejus basilica S. Gregorius Papa habuit homiliam* XIII. *in Evangelium*. Plures olim in Urbe *Felicis* nomine fuerunt insignitæ Ecclesiæ, nimirum in *Pincis, via Ostiensi*, & *via Portuensi*, in quibus statio fiebat; hinc Eminentissimus Joseph Maria Cardinalis Thomasius in notis ad Capitulare Evangeliorum pag. 144. censet, easdem Ecclesias, ut certius ab omnibus agnoscerentur, variis nominibus distinctas fuisse, ut in *Pincis, via Ostiensi, via Lavicana, via Portuensi &c.* Non longe autem a Pincio colle fuit Ecclesia *S. Felicis in Pincis* dicta, ut colligitur ex vetersima descriptione regionum Urbis apud Mabillonium, Analectorum tom. IV. pag. 506. ubi post Ecclesiam *sancti Silvestri, & balneum* ibi, sequitur Ecclesia *sancti Felicis in Pincis*, forte librarii mendo, pro *Pinciis*. Exstabat adhuc sæculo Christi XII. exeunte *S. Felicis in Pinciis* Ecclesia, nam de ea meminit Cencius Camerarius in Ordine Romano XII. pag. 194. Non levioris momenti est alia eruditorum pervestigatio, num *Felix, confessor, an martyr* dicendus sit. *Sine sanguine martyr* vocatur a S. Paulino in Natali Felicis tertio:

Venit festa dies cælo, celeberrima terris;
Natalem FELICIS *agens, qua corpore terris*
Occidit, & Christi superis est natus in astris.
Cælestem nactus SINE SANGUINE MARTYR *honorem.*

Confessor vero appellatur a S. Gregorio Turonensi, loco, de quo supra. Sacramentarium Gelasianum pag. 142. habet: *in Natali S. Felicis confessoris*. Orationes ad Missam *confessoris* titulo eum exornant. Sacramentarium Reginæ Suecorum n. 337. in titulo hujus diei, ut & Sacramentarium Pamelii, Menardi, & Palatino Vaticanum n. 495. sæculi XI. habent: *Natale sancti Felicis in Pincis*. In orationibus ad Missam, ibi quoque *confessoris* titulo recolitur, *martyris* vocabulo prætermisso. In Capitularibus Evangeliorum, a nobis citatis tom. II. de Liturgia Romani Pontificis pag. 238. legitur: *natale sancti Felicis confessoris*. Item Martyrologium Rhinoviense, & Richenoviense: *In Campania, Nolæ, sancti Felicis confessoris*. Contra vero in veterrimis quibusdam monumentis *passio sancti Felicis* memoratur, ut in apographo Hieronymiano Lucensi, in Martyrologio Reginæ Suecorum n. 435. & in Kalendario Vaticano n. 3806. Corbejense brevius: *Nola Campaniæ, passio sancti Felicis*. Kalendarium Palat. Vat. 485. *natalis sancti Felicis mart.* Qua significatione sint apud veteres accipiendæ voces *confessoris, & martyris*, jampridem a viris eruditis disceptatum est; atque in primis de germana *confessoris* significatione vide Baronium ad diem *secundam Januarii*, Menardum in notis ad Sacramentarium Gregorianum, hac die pag. 37. Florentinium Admonitione IX pag. 42. & novissime de titulo *martyris* late disserentem Eminentissimum Lambertinum, nunc Benedictum XIV. Pontificem Maximum de beatificatione Serv. Dei, & Beatorum Canonizatione lib. III. cap. XI. *& seq.* ut & de S. Felice Nolano, ibid. lib. III. cap. XII. n. 6. *Martyres* proprie ii dicebantur, qui inter cruciatus vitam pro Christo amittebant: qui vero post tormentorum vim, morti subeundæ parati erant, *martyres designati* vocantur a Tertulliano in libro ad *martyras*, & a S. Cypriano epist. IX. *confessores*, ad quem locum vide Pamelium. Lata vero significatione *martyres* dicti sunt, qui ob Christi nomen in carcere moriebantur, aut in solitudine a latronibus, aut a bestiis occidebantur, vel ob sublatas res ad vivendum necessarias, interibant, de quibus intelligendus Cyprianus lib. III. epist. XVII. & lib. IV. epist. LVI. item qui propter veram pietatem, aut Christi nomen ea subierunt tormenta, per quæ mori necesse erat, nisi divinitus servati essent. Ita Athanasius tres pueros Babylonios, Sidrach, Misach, & Abdenago, *martyres* vocat orat. tertia contra Arianos: hi *vivi martyres, & voluntate martyres* vocantur, ut liquet ex Gregorio Nazianzeno orat. XX. ex Chrysostomo in Psalm. XCVI. & Homil. VI. contra Judæos. Huc faciunt Tertullianus de fuga in persecutione cap. V. & Athanasius in epistola ad solitariam vitam agentes. Latissima significatione pro martyribus accipiuntur, qui fratres ægrotos pestis tempore visitabant. De his Dionysius Alexandrinus apud Eusebium lib. VII. cap. XXII.: qui martyres in carcere visitabant. Constitut. Apostol. lib. V. cap. I: qui veram fidem confitentur, & apud quos eminet vitæ sanctitas, vera pœnitentia, patientia christiana, & constans puritas. Clemens Alexandrin. Stromat. lib. IV. Chrysostomus Homil. XI. in epist. ad Ebræos. Denique de martyris titulo honorandis iis, qui vitam gladio non amiserant, sed exilio, aut in persecutionibus aliquid ob Christi fidem perpessi erant, vide Augustinum de bono conjugali cap. XXI. Concilium Sardicense apud Athanasium Apologia II. & Palladium in vita Chrysostomi. Itaque, quum videas, *Felicem* in nonnullis monumentis, *confessorem* tantum appellari, id accipiendum esse intelligas de germana apud veteres hujus nominis significatione, qua martyres tantum dicti sunt, qui sanguinem pro Christo

sto fuderant; cum vero *martyrem* alii Felicem appellant, lata significatione hoc nomen accipi non ignoras. Exstat decretum Synodi Atrebatensis apud Mabillonium Sæculo v. Benedictino pag. LXV. quo hæc statuuntur: *Confessores etiamsi non senserint gladium, tamen per vitæ meritum Deo digno martyrio non privantur, quia martyrium non solum effusione sanguinis, sed abstinentia peccatorum perficitur, & ipsi gloria martyrum non carent, quia & voto & virtute, & potuerunt esse martyres, & voluerunt.* Hæc fusius attigimus hoc loco, ne de iis iterum dicamus, cum de *SS. Marcello*, & *Urbano* Romanis Pontificibus, & de *SS. Eusebio* Vercellensi, & *Donato* Aretino, Episcopis erit agendum. Ad *Felicem* quod attinet, nimirum ad illius Acta & gesta, adeundus est Bollandus hac die, Ruinartius in Acta martyrum pag. 256. Tillemontius tom. IV. a pag. 226. Altera demum quæstio est de duobus hac die *Felicibus*. In apographo Usuardi Pratensi *Felix, Episcopus & confessor* primo loco ponitur; deinde alius *Felix, presbyter & confessor*. Quid de hac re in apographo Usuardi Pratensi statuendum sit, vide Bouvillartium ad hunc locum, & Sollerium in varia lectione apud Usuardum, hac item die. Sollerius enim *Episcopi* nomen a genuino Usuardi textu expunxit, & unum Felicem agnoscit; Rabanus vero duos Felices hac die distinguit, ut apographum Pratense, prout distinguere videtur Florentinius pag. 253. *Felix Nolanus* in Campania Antistes colitur in Martyrologio Rhinoviensi, Richenoviensi, & aliis die XXVII. Julii.

Clerum Diaconum hac die commemorant pleraque Auctaria Usuardi apud Sollerium, iisdem ferme verbis in Antuerpiensi majori atque in codicibus nostris. Rhinoviense hac die habet: *Gliceri diaconi*, Augustanum & Labbeanum: *Antiochia, Gliceri martyris*. Corbejense brevius: *In Antiochia, Cleri diaconi*. An forte idem sit ac *Clerus*, qui die VII. Januarii colitur, vide Sollerium ad Usuardum die VII. Januarii. Cleri.

De *Pontiano* agunt hac die aliqua Usuardi Auctaria, ac item Kalendarium Vaticanum n. 3806. & alii, sed nos de eo cum vulgato Adone die XIX. Januarii nonnulla attingemus. Pontiani.

Caeldus a codicibus nostris præteritur, propterea & nos silemus. Ideo autem silere de *Caelda* Usuardum censet Sollerius, quia ei mos est de Viennensibus tacere, sed silent identidem de iis etiam nostri codices. Caeldi.

A. XVIII. KAL. FEBRUARII. 15. Jan.

ABACUC & Michææ Prophetarum, quorum corpora sub Arcadio Imperatore divina revelatione reperta sunt. Abacuc & Michaea.

Item beati Macarii Abbatis, discipuli beati Antonii, vita & miraculis celeberrimi. Macarii.

Item beati Isidori sanctitate vitæ, fide, ac miraculis præclari. Isidori.

Apud Bituricas civitatem, translatio Sulpitii Episcopi & confessoris, qui a pueritia sacris litteris eruditus, & sanctæ conversationis luce conspicuus, etiam laicus virtutibus claruit. Post etiam coma deposita, monachorum pater extitit: atque inde ad Episcopalem provectus cathedram, vita clarus, miraculis gloriosus quievit. Sulpitii translat.

VARIA LECTIO. Edit. *Item beati Macarii &c.* Codices nostri: *In Ægipto beati Macarii &c.*

Ed: *Apud Bituricas &c.* Abest a codicibus nostris translatio sancti *Sulpitii*, sed ejus loco hæc sequuntur.

„ Arvernis, natale sancti Boniti Episcopi & confessoris, cujus vita & virtutum „ meritis, ac miraculorum gloria inlustris fuit. In territorio Andegavorum depositio „ beati (codex 512. *sancti*) Mauri monachi. Boniti. Mauri.

De *S. Sulpitio* vide infra ad diem XVII. Januar.

ADNO-

Abacuc, & Mirbaa. ADNOTATIO. De lnveutione corporum, seu reliquiarum *Abacur & Mirbaa* prophetarum, ex Soaomeno lib. VII. cap. ult., qui ea divinitus revelata fuisse *Sebeno* Episcopo Eleutheropolis uarrat, Theodosio imperante, Baronius in Notationibus hac die, & in Annalibus obiter an. 406. n. LVI. Agunt autem hac die pleraque omnia Martyrologia. Hieronymiana apographa unum tantum *Abacuc* memorant, his verbis: *Depositia Abarur praphetæ*. Unius *Abarur* item Martyrologium Reginæ Suecorum n. 435. Gelloneuse, Kalendarium Vaticanum n. 3806. Richeuoviense, Augustanum, & Labbeanum. Utriusque, Wandelbertus, Rabanus, Usuardus, Notkerus, Romanum parvum, & liber Comitis a Florentinio editus pag. 1049. *Depositis Abarac* in plerisque ex memoratis monumentis prænotatur. Quod autem sub *Arradia & Hanorio* Augustis eorum reliquiæ detectæ esse dicantur, quum *Theodosio* seniore imperanta luventæ fuerint, plura habes ea de re apud Bollandum hac die, & apud Florentinium.

Macarii. Sequitur *Macarius* Abbas, Antonii discipulus. De Macariis nos egimus die *secunda Januarii*; quare eo lectorem amandamus, ut & *Isidori.* de *Isidoro*, deque variis *Isidoris*, de quibus ea die egimus. Uterque hac die, scilicet *Macarius*, & *Isidorus* ab Usuardo Adonis transcriptore memoratur, & ab auctore Martyrologii Fuldensis. Vide, si lubet, de *Macariis* adnotationem Rosvveidi in vetus Romanum Martyrologium die *secunda Januarii*.

Salpitii. De *Salpitio* quoque agemus infra ad diem XVII. Januarii.

Boniti. Superest igitur, ut de *Bonito*, ac de *Mauro*, quos codices nostri hac die recolunt, aliqua prænotemus. Abest Bonitus a vulgato Adone Rosvveidi, habetur vero apud genuinum Usuardum bac die bis verbis: *Civitate Arvernis, sancti Boniti Episcopi & confessoris, cujus vita virtatibus refulsit*. Paullo aliter legitur in nostris codicibus. Sollerius censuit, Bonitum ab Usuardo primum in Martyrologia illatum fuisse, quod vidisset a vulgato Adone abesse. Deest quidem in Gellonensi, Rabano, & Notkaro, sed habetur hac die in Hagiologio Francogallico, iisdem verbis, quibus usus est Usuardus. Martyrologium Reginæ Suecorum n. 435. de Bonito agit die XII. Januarii, ita: *Et depositia sancti Boniti confessoris*. Martyrologium vero Fuldense ad XVII. *Kal. Feb.* scilicet die XVI. Januarii: *Arvernas* (sic), *natalis sancti Baniti Episcopi*. Hæc ad Martyrologia quod attinet. *Bonitus*, ut est apud Mabillonium Annalium Benedictinorum lib. XVIII. §. LXVII. Arvernensi Episcopatu abdicavit A. D. 699. & in *Magnilocense* monasterium secessit, ibidemque sub sancto habitu & cultu aliquantum versatus est, postea Romam perrexit; inde redux, Lugduni, in parthenone B. Petri moritur c. A. D. 709. Mox, ut idem Mabillonius ibidem lib. XIX. §. XLIII. tradit, ejus reliquiæ ad Arvernorum urbem Augustonemetum delatæ sunt, ubi magna religione coluntur.

Eadem, quæ de *Bonito*, a vulgato Adone prætermisso, censuit etiam de *Mauro* Sollerius, nimirum ab Usuardo primum recensitum fuisse, his verbis: *In territoria Andegavensi, sancti Mauri Abbatis*. Litem quoque movet *Mauri.* adversus Usuardi autographum Pratense, quod Mauri elogio non addiderit hæc verba: *discipuli beati Benedicti Abbatis*, quæ in codice Usuardi Heriniensi leguntur, & in aliis codicibus, uti testatur Bollandus hac die XV. Januarii pag. 1038. Vide quæ de his habet ad hanc diem Jacobus Bovvillartius, Usuardi Pratensis editor. Hagiologion Francogallicum hac die eadem omnino habet, quæ Usuardus. Sacramentarium Gemmenticense sæculi XI. adductum in Addendis ad observationes Hugonis Menardi in Sacramentarium Gregorianum pag. 304. hunc titulum hac die præfert: *Natalis S. Mauri Abbatis*. Præter ea, quæ de *Mauri* vita, miraculis, ac translatione protulit Bollandus hac die, vide Acta Sanctorum ordinis S. Benedicti sæculo I. pag. 274. *& seq.*, ac de illius missione in Gallias Apologeticam Dissertationem, auctore Theodorico Roinarto, ad calcem tomi primi Annalium Benedictinorum. *Maurus* Glannafoliense monasterium, vulgo *Glanfeuil*, prope Andegavos construxit A. D. 543. Obiit A. D. 584. die XV. Januarii prope oratorium beati Martini, quadragesimo primo adventus sui in eum locum, anno.

---

16. Jan. *B. XVII. KAL. FEBRUARII.*

Marcelli Papæ. ROMÆ via Salaria in cœmeterio Priscillæ, natalis sancti Marcelli Papæ, qui jubente Maximino Imperatore, primo fustibus cæsus, & a facie ejus, quem corripiebat, expulsus est. Deinde audiens, quod domum sanctæ Lucinæ, quam ipse proscriptione damnaverat, eo quod de facultatibus suis christianis donaverit, ecclesiam faceret, & in ea Missas celebraret, in

in media civitate jussit in eadem ecclesia plancas sterni ad animalia catabuli publici: & ejusdem stabuli Episcopum ad servitium animalium deputavit cum custodia publica. Ubi etiam post multos annos serviendo, indutus amictu cilicino, defunctus est: & conditus aromatibus a Joanne presbytero, ac a B. Lucina sepultus in cœmeterio Priscillæ.

Honorati. Apud Arelatem, sancti Honorati Episcopi, cujus vita doctrina, ac miraculis illustris refulsit.

VARIA LECTIO. Ed. *Via Salaria in cœmeterio Priscillæ*. Desunt hæc verba in nostris codicibus. Ed. *Maximino*. Codices: *Maximiano*. Ed. *catabuli*. Codices: *Cantabuli*. Ed. *sepultus est in cœmeterio Priscillæ*. Codices: *sepultus est*, tantum. Deinde, omisso *S. Honorato*, sequitur in codicibus:

Furfei. „ Parrona monasterio, sancti Furfei confessoris. Hic satis clarus, & verbo extitit, „ & exemplo, multisque viam salutis ostendens, confectus senectute bona, feliciter „ migravit ad Christum, sepultus primo in Latiniaco monasterio, deinde translatus „ Parronam, ubi multis miraculis clarus quiescit.

Marcelli. ADNOTATIO. De S. *Marcello* Romano Pontifice Martyrologia omnia hac die. Hieronymiana: *Romæ via Salaria in cœmeterio Priscillæ, depositio Marcelli Episcopi & confessoris*. Ita Corbejense brevius. Beda genuinus agit item fuse. Accedunt Romanum parvum, Rabanus, Usuardus, Wandelbertus, & Notkerus. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, natalis sancti Marcelli Papæ & martyris*. Martyrologium Fuldense: *Romæ, passio sancti Marcelli Papæ*. Kalendarium Vaticanum 3806. *Romæ, sancti Marcelli Papæ* xxx. Kalendarium Bucherianum forte errore librarii die superiori *Marcellum* recenset, ubi etiam librarii mendo habet *Marcellini*. Legitur enim ibi: xviii. *Kal. Feb. Marcellini, in Priscilla*. Rhinoviense, & Richenoviense: *Romæ, Marcelli Papæ*. Augustanum, & Labbeanum: *Romæ, Marcelli Papæ martyris*. Gellonense: *Marcelli Papæ & martyris*. Adde libros Liturgicos omnes vetustissimos, nimirum Sacramentaria, & Capitularia. Gelasianum in titulo hujus diei præfert: *In natali sancti Marcelli confessoris*; & ibi in orationibus Missæ confessor & Pontifex dicitur. Titulus in Sacramentario Gregoriano Reginæ Suecorum 337. & in Palatino 495. est hujusmodi: *natale sancti Marcelli Papæ*; at prima oratio Missæ hæc ibi est: *Preces populi tui, quæsumus Domine, clementer exaudi, ut beati Marcelli martyris tui atque Pontificis adjuvemur, cujus passione lætamur*. Sacramentarium Palatinum 496. in titulo præfert: *Sancti Marcelli martyris*. Capitularia Evangeliorum vetustissima a nobis allata to. iii. de Liturgia Romani Pontificis pag. 237. *natale sancti Marcelli martyris atque Pontificis*. Vide quæ de titulo *martyris*, & *confessoris* diximus die xiv. *Januarii*. In Actis, ex quibus Ado, & Rabanus sumpsere, cæsum fuisse Marcellum jubente *Maximiano*, ut Rabanus, seu *Maximino*, ut Ado, & Usuardus, legitur. Vide quæ sit Tillemontii opinio tom. v. pag. 95. & 626. apud Sollerium ad Usuardum in varia lectione, hac die, ut de uno *Marcello*, & *Marcellino*, qui in duos tamen distinguendi sunt, prout fatetur idem Sollerius in observatione ad eundem Usuardum, hac item die.

Mirum sane est, cur a codicibus nostris *Honoratus* Arelatensis prætereatur, quum agant de eo Additamenta Hieronymiana, Gellonense, Martyrologium Reginæ Suecorum, Rabanus, Usuardus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Kalendarium Palatinum 485. & Kalendarium Vaticanum 3806. in quo, mendo librarii legitur: *Honorati martyris*, pro *confessoris*. Recte fieri censemus, si *Honoratus* genuino Adoni adscribatur. De *Honorati* Vita, ejusque auctore vide Bollandum hac die, & Henschenium die *prima Junii*. Vide etiam Pagium seniorem in Critica ad an. 426. n. xiv. ad an. 429. n. xxviii. & ad an. 445. n. xx. Mabillon. in Annal. Bened. Lib. I. §. xxix. & *seq*. *Honorati.*

Furfeus, in vulgato Adone deest; sed apud genuinum Usuardum habetur hac die, his tantum verbis: *Parrona monasterio, sancti Furfei confessoris*, ideo in Martyrologium suum ab Usuardo ante omnes relatus esse Sollerio videtur. At in codicibus nostris habetur, ut & in veterrimo Adonis codice Pratensi, iisdem verbis, quibus utuntur codices nostri, ut videre potes apud Mabillonium sæculo ii. Benedictino pag. 300. Inter Martyrographos ante *Furfei.*

anta Usuardum *Furfei* hac die meminit Rabanus. Agunt præterea Notkerus, Kalendarium Palat. 485. & Kalendarium Vatic. 3806. In quo legitur: *Petrona sancti Furfei Abbatis. Parrona*, pro *Patrona*, seu *Petrona* in codicibus retinendum esse censet Sollerius. Recta scribendi ratio est *Perrona*, qua de re Valesius in Notitia Galliarum pag. 442. *Perrona*, Viromandorum vicus seu villa fuit, & Perronense cœnobium, *Scotorum monasterium* vulgo, quod Scotum, idest Hibernicum Abbatem, & aliquot ejus nationis viros, ut *Furseum*, & *Ultanum* conditores habuit. *Petrona* nunc Andegavensibus Episcopis subest. *Latiniacum* monasterium, vulgo *Lagny*, in pago Briegio est ad ripam fluminis Matronæ. Hoc monasterium ædificari cœpit a Furseo c. A. D. 644. Furseus trajecturus e Latiniacensi monasterio in Britanniam insulam, æger decubuit in agro Pontivo in vico Maceria ad Altejam fluvium, & ibi migravit in cælum anno Christi 650. XVII. *Kal. Februarii*. Prodigio ejus corpus, dum alius, & alius illud sibi vendicare conatur, Perronam advehitur, ibique sepultum fuit. Vide Mabillonium ubi supra, & Annalium Bened. lib. XIV. §. I. & II. Aliqui putant, Furseum fuisse Episcopum; qua de re Mabillonios ibidem.

---

17. *Jan.* *C. XVI. KAL. FEBRUARII.*

Antonii. IN Ægypto apud Thebaidem, beati Antonii monachi, qui sine ulla scientia litterarum scripturas divinas, & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse prædicatur. Multorum monachorum pater, vita, & miraculis præclarissimus vixit. Cujus corpus sub Justiniano Imperatore divina revelatione repertum, Alexandriam delatum est, & in ecclesia beati Joannis Baptistæ humatum.

Speusippi, & soc. Apud Linguonas, natale sanctorum geminorum Speusippi, Eleusippi, & Meleusippi, qui cum essent vigintiquinque annorum, cum avia sua Leonilla, & Neone, martyrio coronati sunt tempore Aureliani Imperatoris. Gemini quidem in una arbore suspensi ligatis manibus sursum, & pedibus * jusum: ita extenti, ut pene putarentur ab ipsa membrorum compage separari: & post hæc in ignem præcipitati, nec tamen læsi, inter verba orationum simul migrarunt ad Dominum. Jonilla hoc videns, confessa est se etiam esse christianam; & post comprehensa a turbis ac capillis suspensa, multisque afflicta suppliciis, cum Christum negare noluisset, cum Leonilla est simul gladio perempta. Neon exceptor gestorum, & ipse Christi nomen confessus, martyrio coronatus est. Docuit autem & baptizavit geminos hos Benignus presbyter, quem misit ab oriente Beatus Polycarpus Joannis Apostoli auditor in Galliam, cum Andochio presbytero, & Thyrso Diacono. Sepulti sunt autem iidem gemini in secundo miliario ab urbe Linguonum. Turbon autem, scribens victorias confitentium Dominum, non post multum temporis martyrium perpessus est.

* Idest deorsum.

Sulpitii. Apud Bituricas, Sulpitii Episcopi.

VARIA

VARIA LECTIO. Codices nostri ita incipiunt: „ Natalis beati Antonii mona- *Antonii.* „ chi, qui multorum monachorum pater, vita & miraculis præclarissimus vixit, „ cujus corpus sub Justiniano Imperatore divina revelatione repertum, Alexandriæ (sic) „ delatum est, & in Ecclesia sancti Johannis Baptistæ humatum. Ed. *Apud Linguonas, natale sanctorum &c.* Codices: *Apud Lingonas passio sanctorum geminorum Speosippi, Eleosippi, & Meleosippi, qui &c.* Ed. *tempore Aureliani Imperatoris*. Codices: *sub Aureliano Imperatore*. Ed. *& pedibus jussum: ita extenti*. Codices: *pedibus vero ita extenti*. Ed. *Jonilla hoc videns &c.* Codices: *Jonilla hæc audiens, confessa est se christianam esse, quæ comprehensa a turbis*. Post verba *ab urbe Lingonum* in codicibus omittuntur verba: *Turbon autem*, usque *perpessus est*.

Ed. *Apud Bituricas, Sulpitii Episcopi*. Codices nostri ita habent:

„ Bituricas, depositio beati Sulpicii Episcopi & confessoris, qui a pueritia literis *Sulpitii.* „ eruditus, & sanctæ conversationis luce conspicuus, etiam laicus virtutibus claruit. „ Post etiam coma deposita, monachorum pater extitit, atque inde ad Episcopalem „ provectus cathedram, in pace quievit.

Antonii Ab. ADNOTATIO. Nihil propemodum addendum putamus iis, quæ de *Antonio* hac die habent Bollandiani, & Sollerius ad Usuardum. Monent hi in Martyrologiis omnibus de Antonio agi, agunt nimirum Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Rabanus, Notkerus, & Wandelbertus. Nos tantum Martyrographos aliquot adjiciemus. Martyrologium Gellonense: *In Ægypto, Thebaide Antonii monachi*. Martyrologium Reginæ Suecorum, & Fuldense: *In Ægypto depositio sancti Antonii monachi*. Kalendarium Fuldense: *Natalis sancti Antonii monachi*. Kalendarium Vaticanum 3806. *Et in Thebaide, sancti Antonii monachi*. De Antonii vita, & scriptis, præter Bollandianos, vide Tillemontium tom. VIII. pag. 101. *& seq.* De inventione corporis, ejusque translatione Alexandriam, quæ facta fuisse dicitur A. D. 531. Vide Baronium in Annalibus ad an. 531. n. XXVII. & in Notationibus hac die.

Speusippi, & soc. *Speusippo*, & sociis martyribus apud Lingones nihil quoque addendum est, quum abunde de iis, cujates fuerint, Galli, an Cappadoces; ubi, & quando passi fuerint, Bollandus, Florentinius, Tillemontius tom. III. pag. 603. *& seq.* & alii doceant. Nos tantum nonnulla ex Martyrologiis aliis, præter Hieronymiana, & alios Martyrologos adnotabimus: In Rhinoviensi habetur: *Lingonis, passio sanctorum martyrum Geminorum*. In Richenoviensi: *Lingonis, passio sanctorum martyrum Speosippi, Helasippi, Melasippi, Leonillæ, Junillæ, Neonis*. Augustanum: *Pseusippi, Leonillæ martyris cum sociis*. Labbeanum: *Lingonis, Speusippi, Leonillæ martyris cum sociis earum*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Et apud Lingones passio sanctorum geminorum, Speusippi, Eleusippi, & Meleusippi: qui martyrio sunt coronati tempore Aureliani Imperatoris*. Martyrologium Fuldense: *Eodem die apud Lingones, passio sanctorum geminorum, Speusippi, Eleusippi, & Meleusippi*. Adde Martyrologium Francogallicum.

Bis in vulgato Adone *Sulpitius* commemoratur, nimirum *die XV. Januarii*, & hac die. *Sulpitii.* Nostri vero codices agunt tantum hac die, & elogium proferunt, quod in vulgato Adone die XV. Januarii habetur. A plerisque Martyrographis die XVII. Januarii memoratur *depositio*, non *translatio*, ut in vulgato Adone, *Sulpicii*, Bituricensis; nam auctaria Hieronymiana hac die habent: *In Gallia, civitate Betaricas, depositio sancti Sulpitii Episcopi & confessoris*. Gellonense: *Bituricis, Sulpicii Episcopi*. Rabanus: *Bituricas, depositio sancti Sulpicii Episcopi & confessoris*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Galliis, civitate Bituricas, depositio sancti Sulpicii Episcopi, & confessoris*. Martyrologium Fuldense: *Bituricas civitate, depositio sancti Sulpicii Episcopi & confessoris*. Kalendarium Vaticanum 3806. *Bituricas, sancti Sulpicii Episcopi*. Agunt præterea hac die Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense breviua. Silet de Sulpicio hac die Notkerus, sed meminit VII. Kal. Feb. his verbis: *Item apud Biturigas, beati Sulpicii Episcopi & confessoris*. Rabanus vero meminit die VI. Kal. Feb. *Et nativitas sancti Sulpicii Episcopi & confessoris*. Sæpe demum Martyrologium Francogallicum, ut die XV. Januarii, his verbis: *Bituricas civitate, natalis S. Sulpicii Episcopi & confessoris, cujus vita & mors gloriosis miraculis commendatur*. Item IV. Kal. Feb. *Bituricas civitate, depositio sancti Sulpitii Episcopi & confessoris, viri sapientissimi ex primis Senatoribus*. Ibidem VI. Kal. Septembris sancti *Sulpitii* translatio memoratur his verbis: *Bituricas civitate, translatio corporis sancti Sulpicii Episcopi & confessoris, magnæ sanctitatis viri*. Denique ad XII. Kal. Novembris: *Bituricas, translatio sancti Sulpicii Episcopi & confessoris*. Ado, inquit Mabillonius sæculo II. Benedictino pag. 179., in fineG ro

ro Martyrologio nullam *Sulpicii translationem* memorat. Obiit *Sulpicius*, ut ex fide veterum Martyrologiorum constat, die XVII. *Januarii* A. D. 644. Duo *Sulpicii*, Episcopi *Bituricenses* statuuntur; alter cognomento *Severus*, a Severo Sulpicio, discipulo S. Martini diversus; alter cognomento *Pius*, de quo agimus hac die. Fuit primum Abbas *castrensis*, & præfectus monachis, qui in castris regiis officia divina diu noctuque persolvebant. Antequam extremos dies clauderet, regimine Episcopali abdicato, in monasterium *Navense*, a se conditam secessit. Vid. Mabillon. Annal. Bened. lib. XIII. §. XXIV. Duplex *Sulpitii translatio* celebris antiquitus fuit, ut monet Mabillonius sæculo II. Benedictino pag. 179., agebaturque in *Navensi* monasterio, vulgo *S. Sulpice de Bourges*. Has translationes ob Normannorum metum factas fuisse censet Mabillonius. In vita S. Desiderii Episcopi Cadurcensis cap. VIII. habetur epistola Dagoberti Francorum regis, in qua Sulpicius, *archimetropolitanus* appellatur; & ab ipso Desiderio in epistola XII. apud Franciscum Duchesnium Histor. Francorum tom. I. *sanctus Patriarcha*, Sulpicius dicitur.

---

18. *Jan.* *D. XV. KALENDAS FEBRUARII.*

Cath. sancti Petri. CATHEDRA sancti Petri Apostoli, qua primum sedit Romæ.

Priscæ. Eodem die, natalis sanctæ Priscæ virginis & martyris.

Mosæi, & Ammonii. Et in Ponto, natalis sanctorum martyrum Mosæi, & Ammonii: qui cum essent milites, primo ad metalla deputati, novissime igni traditi sunt.

VARIA LECTIO. Ed. *eodem die, natalis S. Priscæ &c.* Cod. 511. *Et passio sanctæ Priscæ virginis*. Post *Mosæum*, & socios martyres, sequitur in codice 511.

Maximi. „ Alexandriæ, sancti Maximi Episcopi, qui satis clarus, & insignis titulo confessio-
Tyrsi, & sociorum. „ nis effectus est. Eodem die, passio sanctorum martyrum Tyrsi, Leucii, & Galenici „ in civitate Apollonia tempore Decii Imperatoris sub Præsidibus cum Brucio, Silvano, „ & Baudo, qui diversis tormentorum generibus excruciati, primus & ultimus „ abscissione capitis, medius cælesti voce evocatus, spiritum reddens, martyrium con„ summaverunt. Cod. 512. post verba: *Priscæ Virginis* habet: *Apud Pontum*. Codex 514. *Et in Ponto &c.* ut in editis, deinde sequitur: *Alexandriæ &c.* ut in codice 511. In vulgato Adone de *Tyrso*, *Leucio*, & *Gullenico* agitur die XXVIII Januarii.

Cath. sancti Petri. ADNOTATIO. Pluribus hac die agit Baronius de Cathedra Romana beati Petri, quam aliquamdiu intermissam, a Paulo IV. Romano Pontifice A. D. 1557. restitutam fuisse scribit. Agit etiam in Annalibus ad an. 45. num. I. ubi orationem ea die olim in Missa, & Officio recitari solitam, ex pervetusto Breviario Cardinalis Sirleti profert, de qua mox. Certe quidem in Martyrologiis fere omnibus vetustissimis Cathedra S. Petri, qua Romæ sedit, hoc die commemoratur. Eorum verba accipe. Hieronymianum Epternacense: *Depositio sanctæ Mariæ, & Cathedræ Petri in Roma*. Lucense: *Et dedicatio sancti Petri Apostoli, qua primo Romæ Petrus Apostolus sedit.* Corbejense: *Dedicatio Cathedræ sancti Petri Apostoli, qua* (Corbejense brevius *quam*) *primo Romæ sedit*. Romanum parvum, & Gellonense: *Cathedra sancti Petri, qua primum Romæ sedit*. Gellonense aliud apud Mabillonium de Liturgia Gallicana lib. II. pag. 121. hac die XV. Kal. Feb: *Secundum Gallos Cathedra sancti Petri Apostoli*. Usuardus genuinus Pratensis: *Cathedra* (Usuardus Sollerii *Cathedræ*) *sancti Petri, qua Romæ primum sedit*. Agunt Rabanus, & Notkerus. Martyrologium Fuldense hac die: *Cathedra sancti Petri Apostoli apud Romam*. Kalendarium Vaticanum. 3806. in quo ita habetur: *Romæ, sanctæ Priscæ virginis, & Cathedra sancti Petri*. Rhinoviense, & Richenoviense: *Romæ, Cathedra sancti Petri Apostoli*. Augustanum, & Labbeanum: *Cathedra sancti Petri Apostoli* (*quo*, ita Labbeanum, *qui*, ut Augustanum) *primum Romæ sedit*. Hucusque de Martyrologiis, in quibus *Cathedræ* festum die XVIII. Januarii memoratur. Silent Kalendarium Bucherianum, Beda, Florus, & Wandelbertus, & Mar-

& Martyrologium Reginæ Suecorum. Superest, ut de libris Liturgicis inquiramus. Desideratur autem in Sacramentario Gelasiano, Gregoriano Reginæ Suecorum, Ottoboniano, Palat. Vaticano 495. Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, & aliis. Deest quoque in Capitulari Evangeliorum Frontonis, & in aliis Capitularibus veterrimis, de quibus tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 240. ubi de sola *Prisca* agitur. Deest demum in libro Gradali Sancti Gregorii, Modoetiensi vetustissimo, in Antiphonario Carnutensi, & in libro Comitis apud Thomasium de antiquis libris Missarum. At habetur, post *Epiphaniæ* festum, in Sacramentario Gallicano, a Mabillonio edito, Musei Italici tom. I. P. II. pag. 297. *Missa in Cathedra sancti Petri*. Item in Lectionario Lexoviensi pag. 119. de Liturgia Gallicana lib. II. *Legenda in cathedra sancti Petri*. Hinc in notis ad hunc locum Mabillonius censet, olim in Galliis festum Cathedræ sancti Petri *die* XVIII. *Jannarii* celebratum fuisse; ac nomine Cathedræ *Petri* confessionem, & *Primatum* potius, quam sedem *Antiochenam*, *Romanamve* honorari. Castellanus quoque in ea opinione est, ut apud Gallos ante Caroli Magni tempora festum Cathedræ Romanæ peculiare fuerit; apud Romanos vero, ac in Italia tota prorsus ignotum, quod miratur Sollerius ad Usuardum hac die, qui censet apud Romanos ortum fuisse hoc festum, & ad alios manasse, licet antiquitus, peculiari Missa celebratum non fuerit; quam in rem affert Romani parvi auctoritatem. Disquirit etiam, num hac die *dedicatio basilicæ sancti Petri*, ejusque Romana Cathedra recolatur, de quo agit Florentinius, sed Bollandianos *facios* de his acturos in supplementis pollicetur. Quod autem attinet ad orationem, quam Baronius de Cathedra S. Petri Romana recitat ex veteri Breviario, ea habetur, sed paucis immutatis, in Sacramentario Gregoriano membranaceo Vaticano, num. 3548., quod olim fuit Antonii Cardinalis Carafæ, S. R. E. Bibliothecarii, ex vetustiori quidem descripto, sed in quo nonnullæ Missæ habentur, quæ in veterrimis Sacramentariis desiderantur. Itaque ibi primum ponuntur orationes ad Missam in natali S. Priscæ, deinde sequitur: *Romæ, cathedra S. Petri*. Prima oratio Missæ hæc est: *Omnipotens, sempiterne Deus, qui ineffabili sacramento Apostoli tui Petri Principatum in Romani nominis arce posuisti, præsta, ut quod orbe* (sic) *terrarum ejus prædicatione inchoavit, christianæ devotionis sequatur universitas. Per*. Paullo aliter est apud Baronium. Sequitur Præfatio propria: *Et te laudare mirabilem*, quam indicat, ut puto Baronius, dum habet, ex Sacramentario Gregoriano, privatam sacram Præfationem ad hujus diei solemnitatem recitatam fuisse. Vide quæ dicturi sumus ad diem XXII. *Februarii*, ubi de festo Cathedræ S. Petri Antiochenæ agemus.

Priscæ.

De S. *Prisca* virgine, & martyre agunt hac die Martyrologia omnia, nimirum Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Usuardus, Rabanus, & Notkerus, Gellonense, Martyrologium Reginæ Suecorum, Martyrologium Fuldense, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum, & Kalendarium Vaticanum 3806., & Kalendar. Palat. Vat. 485. In his varie enunciatur. In quibusdam enim *Priscæ* tantum, in aliis *Priscæ virginis*, in aliis *Priscæ martyris*, in aliis demum *Priscæ virginis, & martyris* legitur. Silet Kalendarium Bucherianum. Colitur etiam *Prisca* hac die in omnibus ferme libris Liturgicis S. R. E. Deest quidem in Sacramentario Gelasiano, sed habetur in Sacramentariis omnibus Gregorianis, præmisso titulo: *in natali sanctæ Priscæ*. In Palat. 495. legitur: *in natali sanctæ Priscæ martyris*, & in Palat. 496. legitur: *virginis, & martyris*. Habetur quoque in Capitularibus veterrimis Evangeliorum, de quibus tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 240. Vide quæ de ejus Actis habet Baronius in Notationibus; ac item quæ prænotarunt Bollandiani socii.

Mosei & Ammonii.

Mosæum & Ammonium celebrant hac die Hieronymiana, Usuardus, Notkerus, & Martyrologium Fuldense. Agunt etiam Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum. Quo loci martyrium subierint, disquirit Florentinius. Richenoviense legit: *Et in Ponto civitate Asiæ, Mosei, & Ammonii*.

Maximi.

Alter ex nostris codicibus præfert hac die S. *Maximum* Alexandrinum Antistitem. De eo Usuardus genuinus iisdem verbis, quibus codex noster, agit die XXVII. Decembris; quæ quidem verba in Romano quoque Martyrologio retenta sunt. Nonnulla Usuardi Auctaria apud Sollerium hac die XVIII. Januarii de *Maximo* agunt. De *Maximo* vide Baronium in Notationibus die XXVII. *Decembris*, & an. 266. n. XII. Vide etiam ea die Sollerium ad Usuardum. Quando sedere cœperit, & quando obierit, consule Pagium seniorem in Critica ad an. 265. num. IV. & ad an. 285. num. VII. ubi die IX. Aprilis an. 282. *Maximum* ex hac vita migrasse scribit. Adi demum Renaudotium in Historia Patriarcharum Alexandrinorum; & & Michaelem le Quien in Oriente christiano tom. II. pag. 395. ubi, Maximum die *Dominica*, Phormuti mensis die XIV. hoc est IX. *Aprilis* A. D. 282. extremo Probi Imperatoris anno decessisse narrat.

Tyrsi & soc.

Maximo succedunt, ex codice nostro 5II. *Tyrsus*, *Leucius*, & *Galenicus*, seu *Gallinicus*. Immerito mea quidem sententia in Appendicem Adonianam hac die detrusi sunt a Rosvveido, propterea quia de his vulgatus Ado agit die XXVIII. Jan.. At agit die XVIII. codex noster, & die XXVIII. silet. Præterea in vetustis Martyrologiis hi martyres die XVIII. Januarii coluntur; nam apographa Hieronymiana de iis agunt die XVIII. Januarii. Item eadem die, licet unius

Tyrsi meminerit, Richenoviense. Augustanum die eadem: *Tirsi*, *Lucii*, *Luciani*. Labbeanum: *Thyrsiconis*, *Luci*, *Lurici*. Martyrologium Fuldense: *Eodem die passio, sanctorum Tyrsi, Leuci, & Gallenici*. Kalendarium Palat. Vat. 485. *Passio sanctorum Tyrsi, & Gallenici*. Romanum parvum agit die XXVIII. Januarii tantum, & *Leuci & Thyrsi* solummodo meminit. At Usuardi Auctaria memiocre de his die XVIII. & XXVIII. *Januarii*. Cur ergo in Adonianam Appendicem conjiciendi sunt hi martyres, si varia probæ notæ Martyrologia de iis agunt die XVIII. Januarii?

---

19. Jan. *E. XIV. KALENDAS FEBRUARII.*

Germanici. IN Smirna, natalis S. Germanici martyris, qui cum primævæ ætatis venustate floreret, per gratiam virtutis Dei, metum corporeæ fragilitatis excludens, sponte præparatam sibi bestiam, damnatus a Judice jam, provocavit: cujus dentibus comminutus, vero pani, idest Domino Jesu Christo, pro ipso moriens, meruit incorporari. *Euseb. l. 4. cap. 14. Vid. libell. de festiv. Apost. in Polycarpo.*

Pontiani. Eodem die natale S. Pontiani martyris, apud Spoletum, temporibus Antonini Imperatoris, sub judice Fabiano. Ante quem adductus, & interrogatus, quo nomine vocaretur, respondit: A parentibus nomen mihi impositum est Pontianus: majus autem nomen, Christianus. Tunc iratus Fabianus, expoliari eum, & virgis cædi jussit, donec videretur sanguis ipsius in terram fluere. Iterum jussit super carbones nudis pedibus ambulare. Cui beatus Pontianus: Ego in nomine Domini Jesu Christi ambulo super carbones ardentes: Tu si potes, mitte in nomine Jovis manum in aquam calidam. Iratus Fabianus jussit equuleum parari, & uncinos ferreos fieri, & ibi eum suspendi. Sed deficientibus ministris impiis, traditur martyr Dei in ima carceris, ubi a religiosis viris confortatur ad agonem martyrii. Educitur iterum ad certamen, circumspectante populo in Amphitheatro, & dimittuntur ei duo leones. Qui mansuefacti, beatum Pontianum minime tetigerunt. Quod videntes populi, exclamaverunt: Vere magnus est Deus Christianorum: ita ut seditio fieret. Iterum beatus martyr retruditur in carcerem per duodecim dies, ut fame deficeret, ubi ab Angelo confortatus, & cælesti cibo pastus est. Post duodecim vero dies putantes eum defecisse, ministri venerunt ut corpus ejus tollerent, & invenerunt eum psallentem, & laudes Deo dicentem. Eductus iterum de carcere est, & extensus super lectum ferreum, jubente impio Judice, ac plumbo fervefacto, dorsum illius perfusum. Sed cum martyr talia parvipendens invictus maneret, confusus Fabianus dictavit sententiam, ut capite minueretur. Sicque ab spiculatore percussus, quievit in pace. Consummavit autem martyrium suum XIX. Kalendas Februarii.

Februarii. Et ſublatum corpus ejus a Chriſtianis ſepultum eſt xv. Kalendas. Celebris vero dies ipſius agitur xiv. Kalendas Februarii, quando iterum ſacrum corpus ejus mutatum eſt.

Mariæ & Marthæ. VARIA LECTIO. Codex 511. hac die ita incipit: „ Hieroſolymam (ſupple „ *apud*) Mariæ & Marthæ ſororum Lazari. Cod. 512 514. Hieroſolyma, „ Marthæ &c. ſequitur in cod. 511. Et in Smirna, natalis S. Germanici &c. Ed. *præparatam ſibi beſtiam, damnatus a judice jam, provocavit: cujus &c.* Cod. 511. *præparatum beſtiam provocavit: cujus &c.* Deinde poſt *S. Germanicum* ſequitur in codicibus 511. 512. 514. „ In pago Dorcaſſino Corbionis monaſterio, natalis ſancti *Launomari.* „ Launomari, cujus præclara geſta habentur.

Cætera, quæ in editis hac die de ſancto *Pontiano* leguntur, abſunt hac die a codicibus noſtris, ſed habentur ſupra die xiv. Januarii. Vide locum.

Germanici. ADNOTATIO. Quæ ad *Germanicum* pertinent, nimirum ad ejus certamen, ac ad diem martyrii, & ad Martyrologia, quæ de eo meminere, accurate complexus eſt Sollerius ad Uſuardum hac die. Inter Martyrolographos primum locum dat Romano parvo, in quo hac die: *In Smyrna, S. Germanici martyris ad beſtias damnati.* Accedunt Ado, Uſuardus, & Notkerus: quibus addo Martyrologium Fuldenſe, in quo ita hac die habes: *Et in Smirna, natalis ſancti Germanici martyris, qui dentibus cujuſdam beſtiæ pro fide Chriſti comminutus, cæleſtia regna conſcendit.* Apud Uſuardum, certaminis tempus indicatur, dum ſub *Marco Antonino, & Lucio Aurelio* id contigiſſe enunciatur. Fuſe de illius, deque Polycarpi martyrio Euſebius lib. iv. cap. xiv. ex quo Baronius an. 169. *num.* ii. *& ſeq.* ſed conſule Pagium in Critica ad annum 167. num. iv. *& ſeq.* Ruinartium in Acta martyrum ſincera pag. 26, & Tillemontium tom. ii.

Pontiani. Codices noſtri hac die *Pontianum* prætereunt, quia de eo egerunt *die* xiv. *Januarii.* Eadem die xiv. colitur apud Rabanum, & Notkerum; & in Martyrologio Fuldenſi, in Kalendario Vaticano 3806., & in Auctariis Uſuardi. Romanum parvum die tantum xix. Januarii meminit his verbis: *Et Spoleti, ſancti Pontiani martyris,* xix. *Kal. paſſi,* xv. *ſepulti,* xiv. *in ſepulchro marmi, quando celebrior dies ejus agitur.* De Actis illius conſulendus Bollandus die xiv. Januarii. *Pontiani* martyrium Baronius in Annalibus commemorat, ac refert an. 173. n. vii.

Mariæ & Marthæ. Coluntur hac die in codicibus noſtris *Maria & Martha*, ſorores Lazari; & a vulgato Adone abſunt, imo in Appendicem a Roſvveido pag. 203. ablegatæ ſunt. At in primis occurrunt in Martyrologio Fuldenſi, ex Adone, & Uſuardo, judice Henſchenio, decerpto: *Hieroſolimis*, ibi eſt, *Marthæ, & Mariæ ſororum Lazari.* Jampridem de iis meminere hac die Hieronymiana, Gellonenſe, Rabanus, & Notkerus, Martyrologium Reginæ Suecorum, Richenovienſe, Auguſtanum, Labbeanum, & Corbejenſe brevius. Ut quid ergo genuino Adoni abjudicantur?

Launomari. Accedit in codicibus noſtris *Launomarus*, qui cum a genuino Uſuardo recenſeatur, ab eo primum additum ſuo Martyrologio fuiſſe cenſet Sollerius, quod a vulgato Adone abeſſet. At in apographis Adonianis occurrit, quocirca Launomarum non Uſuardus primum Martyrologiis adſcripſit. S. *Launomarus* Abbas *Corbionenſis*, vulgo *S. Lomer moutier*, obiit c. A. D. 590. ſenex ac plenus dierum xiv. *Kal. Feb.* ſepultuſque eſt cum beato *Leobino* Epiſcopo in ſuburbana baſilica S. Martini: ita Mabillon. Annal. Bened. lib. viii. §. xxv. *Corbionenſis* pagus apud Valeſium in Notitia Galliarum pag. 160. vulgo *Courbon* dicitur. In litteris *Chlotarii* regis, datis *anno primo* ejuſdem legitur: *Villa Condatum nomine ſuper Odonam fluvium in territorio Corbonenſi, terræ S. Launomari propinqua. Dorcaſſinus* pagus, apud Valeſium, ibid. pag. 180. rectius *Durocaſſinus*, vulgo *le Drougeſin*. Hinc *Durocaſſæ*, aut *Durocaſæ* urbs, vernacule *Dreux*. Launomarus apud Carnutes natus erat, & *Corbionenſe* monaſterium in pago Dorcaſſino ædificare cœpit c. A. D. 562. Mabillon. Annal. Bened. lib. vi. §. x. De pago *Dorcaſſino*, & *Corbionenſi* monaſterio, Actiſque S. *Launomari* Bollandus hac die pag. 229. Acta martyrum in codice Reginæ Suecorum 528. forte ſæculi x., initio in indiculo codici præfixo, hæc habent xviii. *Kal. Januar. Vita ſancti Maximini Abbatis, liber miraculorum ejus, in quo continentur nomina diſcipulorum ejus, id eſt ſanctus Leobinus Epiſcopus Carnotenſium, ſanctus Avitus Abbas, ſanctus Carileffus Abbas, ſanctus* LAUNOMARUS ABBAS, *ſanctus Theodamarus Abbas, nepos ejus, ſanctus Maximinus Abbas, ſanctus Liſardus Abbas, ſanctus Viator, ſanctus Lætus, ſanctus Duldoardus, ſanctus Leonardus, ſanctus*

sanctas Agilas, sanctas Constantias. Vitam S. *Maximini* Abbatis *Miciacensis*, qui obiit c. A.D. 520. edidit Mabillonius sæculo I. Benedictino pag. 580.

---

20. *Jan.*

F. XIII. KALENDAS FEBRUARII.

Fabiani Papæ. ROMÆ, Fabiani Episcopi: qui cum quatuordecim annos, menses undecim, ac duodecim dies Ecclesiæ præesset, passus est martyrium tempore Decii, & in cœmeterio Calixti sepultus. *Pontificale cap. 21.*

Sebastiani Eodem die, natale S. Sebastiani martyris, qui in tantum charus erat Imperatoribus Diocletiano & Maximiano, ut principatum ei primæ cohortis traderent. Quem Diocletianus ubi Christianum cognovit, nec a fide posse revocari, jussit ligari in medio campo, quasi signum ad sagittam, & sagittari a militibus. Qui cum sagittis plenus staret, quasi hericius, putantes eum mortuum abierunt. Nocte autem veniens quædam mulier nomine Hirene, tollere corpus, invenit eum viventem, & adduxit in domum suam, & curam ejus egit: qui ubi convaluit, multos in fide confortavit. Nec mora, ipsis Imperatoribus apparens, hos, prout digni erant, corripuit. Tunc jussit eum Diocletianus in hippodromum palatii duci, & fustigari donec deficeret: quem mortuum in maximam eloacam miserunt. Sed ille apparuit in somnis sanctæ matronæ Lucinæ, dicens: Juxta circum invenies corpus meum, pendens in unco: hoc sordes non tetigerunt: dum levaveris, perduc ad catacumbas, & sepelies me in crypta juxta vestigia Apostolorum. Quæ ipsa nocte cum servis veniens, totum ita complevit.

Marii & Marthæ cum soc. Eodem die, Romæ natalis sanctorum martyrum Marii, & Marthæ cum filiis suis, Audifax, & Abacuc, nobilium de Persida, qui ad orationem venerant Romam tempore Claudii Principis: e quibus post toleratas fustes, equuleum, ignes, ungues, manuum præcisionem, Martha in Nympha necata, ceteri decollati, & cetera corpora eorum sunt omnia incensa & dissipata.

VARIA LECTIO. Ed. *in maximam cloacam*. Cod. 511. *in cocleam maximam*. Cod. 514. *coaclam*, forte librariorum inscitia.

Ed. *ceteri decollati & cetera corpora eorum sunt omnia incensa & dissipata.* Codices nostri: *ceteri sunt decollati, & corpora eorum incensa*, tantum.

Codex 514. post verbum *complevit*, ita prosequitur: „ Postea vero anno Incar-„ nationis Dominicæ DCCCXXVI. pretiosissimum pignus sancti Sebastiani Suessionis (sic) „ deductum est, susceptumque est a civibus v. Idus Decembris. Eodem die, Romæ &c.

Fabiani, & Sebast. ADNOTATIO. In tabulis omnibus Ecclesiasticis celebrantur hac die S. *Fabianus*, & *S. Sebastianus*. Aguot etiam de his conjunctim Kalendarium Bucherianum, Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Gellonense, Rabanus, Notkerus, & cæteri omnes

nes Latinorum. Vario quidem modo a plerisque eorum referuntur; nam in Bucheriano legitur: *Fabiani in Callisti, & Sebastiani in catacumbis*. Hieronymiana: *Romæ in cœmeteria, Fabiani Episcopi, & Sebastiani*. Romanum parvum: *Romæ, Fabiani Papæ, & martyris. Et Sebastiani in vestigiis Apostolorum sepulti*. Beda aliquanto fusior est, & annos sedis, ac martyrium Fabiani, sub Decio refert. Bedam exscribunt Rabanus, Ado, Usuardus, & Notkerus. In his omnibus lapsus quidam est de annis Pontificatus *Fabiani*. Fere omnes tamen in cœmeterio Callisti eum sepultum fuisse scribunt. In Kalendario Vaticano 3806. habetur: *Romæ Fabiani Papæ* xx. *Sebastiani*. Fabianus est ordine xxi. inter Romanos Pontifices. Martyrologium Gellonense: *Romæ, Fabiani, Sebastiani mart.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, passio sancti Fabiani Episcopi, qui tempore Decii Imperatoris martyrio coronatus est. Eodem die sancti Sebastiani, qui sagittis diu fatigatus, occubuit tempore Diocletiani Imperatoris*. Martyrologium Fuldense: *Romæ, natalis sanctorum Fabiani Episcopi, & Sebastiani martyris*. Hucusque Martyrologia. Sedit autem *Fabianus* a die xi. *Januarii* an. 236. ad diem xx. *Januarii* an. 250., ut censet Pagius in Critica ad an. 250. num. vii. Cætera vero, quæ ad illius Acta & gesta pertinent, vide apud Bollandum hac die, & apud Tillemontium tom. iii. a pag. 362. In sacris Liturgiis omnibus Latinis juxta S. R. E. ritum, tam *Fabianus*, quam *Sebastianus*, hac die recensentur; duæ tamen Missæ seorsim ea die ponuntur; nam Sacramentarium Gelasianum pag. 144. duas Missas designat, alteram *in natali sanctorum martyrum Sebastiani, Mariæ, Martæ, Audifax, & Abacuc*; alteram *in natali sancti Fabiani*. Sacramentarium Reginæ Suecorum n. 337. Missam hac die habet *in natali sancti Fabiani*, & eadem die alteram *in natali sancti Sebastiani*. Sacramentarium Palat. Vat. 495. primam Missam *in natali sancti Fabiani* martyris, & eodem die aliam *in natali sancti Sebastiani* statuit. Duas item Missas distinguit Sacramentarium Pamelii, Angeli Roccæ, & Menardi. In codice autem Ratoldi unica Missa legitur, ut notat Menardus, de sanctis *Fabiano, & Sebastiano*, cum diversis tamen orationibus, præcedente ubique sancti *Sebastiani* oratione, cujus est sola *Præfatio*, prout in Sacramentario Angeli Roccæ, licet in eo duæ Missæ seorsim sint. Capitularia quoque Evangeliorum duo Evangelia hac die distinguunt, alterum *in natali sancti Sebastiani*, alterum eodem die: *in natali sancti Fabiani martyris, & Pontificis*. Vide Kalendarium Frontonis, & Capitulare Vaticanum, tom. iii. de Liturgia Romani Pontificis pag. 240. 241. Unum vero Evangelium hac die designatur in Capitulari Evangeliorum Martenii.

Sebastiani, Plura jam dedimus de *S. Sebastiano*, ubi de *S. Fabiano* diximus. His tantum pauca addimus. Hieronymianum Lucense pridie hujus diei de Sebastiano meminit his verbis: *Romæ, passio Sebastiani martyris*, deinde hac die xx. ut vidimus, conjunctim cum Fabiano. Ita quoque Richenoviense. Agunt præterea Beda, Rabanus, Ado, Usuardus, Wandelbertus, & Notkerus. Acta Sebastiani jampridem vulgata, ac etiam apud Baronium an. 286. §. xxiv. *& seq.* partim excusa, expendit hac die Bollandus, Ruinartius pag. 295. & Tillemontius tom. iv. pag. 515. *& seq.* Vidimus ea in codice Reginæ Suecorum 528. forte sæculi x. pag. 54. ac incipiunt: *Sebastianus vir christianissimus*.

Unus ex nostris codicibus vulgato Adoni adjicit tempus, quo S. Sebastiani reliquiæ ex urbe Roma ad Suessionense S. Medardi monasterium translatæ sunt. De hujusmodi translatione meminere veteres rerum Francicarum Scriptores, ut Eginardus de gestis Ludovici Pii apud Duchesnium tom. ii. pag. 270. & Anonymus in vita ejusdem Ludovici, ibidem pag. 304. De ea translatione libellum scripsit Odilo monachus S. Medardi, quam habes apud Bollandum hac die pag. 278. *& seq.* & apud Mabillonium Sæculo iv. Benedictino P. I. pag. 385. *& seq.* Cave autem putes, corpus integrum S. Sebastiani in Suessionense monasterium fuisse translatum; sed illius tantum reliquiæ *Rodoino* Præposito S. Medardi ab *Eugenio* II. Romano Pontifice donatæ fuerunt, ut censet Baronius in Notationibus hac die, & an. 826. ac item Bollandus, & Mabillonius. Quod vero codex noster habet, sacrum pignus vi. *Idus Decembris*, idest die ix. *Decembris* susceptum fuisse, id etiam habet Wandelbertus. Vide Cointium ad an. 826. n. xxvii. Quod autem an. 826. hæc translatio contigerit, nulli recentiorum dubitant; quare errant Ado in Chronico, qui ad an. 815. Sigebertus, qui ad an. 825. & Marianus Scotus, qui ad an. 828. eam refert. Vide, si lubet, Mabillonium Annal. Bened. lib. xxix. §. lxxxv. *& seq.* & lib. xxx. §. xv. xvi.

Apud veteres quoque Martyrologrophos hac die coluntur *SS. Marius, & Martha* cum filiis. In eorum nominibus aliquid vitii, scriptorum forte labe subest; nam in Gelasiano, ut diximus, habetur: *Maria, Marta, Audifax, & Abacuc*. In Hieronymiano Lucensi: *In cœmeteria Marii, Marthæ, Audifax, & Abacuc*. In Epternacensi legitur: *Via Cornelia, miliarium* (sic) *ab Urbe* xii. *Marii, & Ambacii*. *Marii* habent Beda, Romanum parvum, Usuardus, Rabanus, & Notkerus; item Martyrologium Fuldense, & Kalendarium Vaticanum n. 3806. Augustanum vero: *Mariæ, Audiflex, Abacuc*. Labbeanum. *Mariæ* ...... *Audifax*. De eorum Actis vide Baronium in Notationibus, & ad an. 270. n. vii. *& seq.* & Bollandum hac die; vide etiam Tillemontium tom. iv. pag. 673. *& seq.* *Via Cornelia* sepulta *Marii, & Marthæ*:

eorum

eorum corpora fuisse, in veteribus tabulis traditur. Commenticia autem multa inesse mihi videntur in Epistola Odilonis monachi, quam edidit Mabillonios Sæculo IV. Benedictino P. I. pag. 411. da susceptione corporom io monasterio S. Medardi quorumdam martyrum, inter quos sunt *Marius*, & *Martha*, *Audifax*, & *Abacuc*. In Notitia Ecclesiarum extra Urbem, ab Eccardo edita, ita habetur: *Juxta eandem quoque viam* (Corneliam) *sancta Rufina*, *sancta Secunda*, SANCTA MARIA, SANCTUS MARIUS, SANCTUS AMBACUC, SANCTUS AUDIFAX, & *alii quamplurimi sancti jacent*. Romam deinde in Diaconiam S. Adriani, *Marii* & *Marthæ* corpora fuisse translata, & ibi a Gregorio IX. an. 1228. inventa, ex tabula marmorea io eadem Diaconia constat; qua de re Baronius ad an. 270. n. IX.

21. Jan. *G. XII. KALENDAS FEBRUARII.*

ROMÆ, natalis S. Agnetis virginis & martyris, quæ sub Præfecto Urbis Symphronio, ignibus injecta; sed his per orationem ipsius exstinctis, gladio percussa est. *Agnetis.*

Item apud Athenas, B. Publii Episcopi, ob Christi martyrium coronati. *Publii.*

In Hispaniis civitate Tarracona, natalis sanctorum martyrum Fructuosi Episcopi, Augurii & Eulogii diaconorum: qui tempore Gallieni, sub Æmiliano præside, primo in carcerem trusi, deinde flammis injecti, exustis vinculis, manibus in modum crucis expansis, orantes, ut urerentur, obtinuerunt. Et mox unus e fratribus, & filia Præsidis quæ adstabat, viderunt animas sanctorum, cælum conscendere coronatas. *Fructuosi, & sociorum.*

Apud Trecas, passio sancti Patrocli martyris. *Patrocli.*

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ, natalis sanctæ Agnetis &c. quæ*. Codices nostri: *Romæ, natalis sanctæ Agnæ, quæ*.

Ed. *Item apud Athenas &c.* Codices nostri habent: „ Apud Athenas, natalis „ sancti Publii Episcopi, qui Princeps insulæ, quæ dicitur Milleta (ita codex 511., „ codex vero 512. & 514. Meleta, vel Militena) vel Meletena, cum navigan„ tem beatum Paulum Apostolum Romam, sub custodia ductum (sic) per triduum „ hospitio susceptum, humane tractasset, ut beatus Lucas refert, patrem ipsius Publii „ contigit febribus & dissenteria jacere. Ad quem cum intrasset beatus Apostolus, „ & imposuisset illi manus, sanavit eum. Quem Publium adhærentem sibi beatus „ Apostolus postea ordinatum Episcopum, ad prædicandum direxit. Qui postmodum „ Atheniensium Ecclesiam mirabiliter rexit, & præclarus virtutibus, & doctrina præ„ fulgens, glorioso pro Christo martyrio coronatur. Nam primus Dionysius, inde „ Publius iste Athenis præfuit.

Ita fere vulgatus Ado in libello de fest. Apostolorum. Sequitur post hæc in codicibus: *In Hispaniis, civitate Terrogona*, ut cod. 511. & *Terragona*, ut in codicibus 512. 514. librariorum vitio.

De *Patroclo* ita hac die codices nostri: „ Trecas, passio sancti Patrocli martyris, „ tempore Aureliani Imperatoris, qui post diversos, quos pro Christo sustinuit ago„ nes, capitis detruncatione martyrium consummavit, sepultus non longe ab eadem „ urbe.

Agnetis. ADNOTATIO. A nullo Latinorum prætermittitur hac die *Agnes*; de qua pluribus Baronius in Adnotationibus hac die, & an. 304. n. XXX. & *seq.* Bollandiani, Florentinius, & Sollerius ad Usuardum hac die. Martyrographis adde Martyrologium Regi-

næ Suecorum, & Fuldense, Kalendarium Palatinum Vaticanum 485. & Vaticanum 3806. Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense breviua. In Sacramentariis quoque veterrimis colitur hac die *Agnes*, atque in primis in codice Sacramentorum Gelasiano, præfixo titulo: *In natali sanctæ Agnetis de passione sua*. Item in Sacramentariis omnibus Gregorianis, in quibus habetur: *Natalis sanctæ Agnæ, vel Agnes*. Capitularia vero Evangeliorum præferunt: *Natale sanctæ Agnæ de passione*. Ex quibus fit, ut hac die *Agnetis natalis*, quo martyrium subiit, coleretur. Nomen *Agnetis* in Missæ canone legitur. A mediæ ætatis scriptoribus *Agna*, & *Agnes* fere semper dicitur. Acta illius jampridem vulgata, leguntur etiam in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 84. præfixo titulo: *Incipit passio sanctarum virginum Agnetis & Emerentianæ, quæ passæ sunt* XII. *Kal. Februarii. Ambrosius servus Christi virginibus sacris. Diem festum sacratissimæ virginis celebremus &c.* Habentur apud Bollandianos hac die pag. 351. Vide quæ de Actis hujusmodi habet Baronius an. 304. n. XXXII. Confer etiam Ruinartium ad Acta martyrum pag. 503. & Tillemontium tom. V. pag. 344. *& seq.*

Publii. De *Publio* præter Baronium hac die, & ao. 58. n. CLXXIII. Bollandianos, & Florentinium, vide Sollerium ad Usuardum, qui disquirit, cur *Agneti* ab Usuardo præmittatur, quum Ado, & plerique alii *Agnetem* præferant.

Fructuosus & socii a plerisque Martyrolographis hac die celebrantur, de quibus Sollerius ad Usuardum. Nos aliqua tantum Martyrologia addimus. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Spaniis* (sic) *civitate Tarraconæ, passio sanctorum Fructuosi Episcopi, Angulii, & Eulogii diaconorum*. Martyrologium vero Fuldense: *Et in Hispaniis, Tarrachona civitate, passio sanctorum martyrum Fructuosi Episcopi, Augurii presbyteri, & Eulogii diaconi, qui per ignem martyrium compleverunt*. Rhinoviense: *Et in Spaniis, Fructuosi Episcopi, & Logii* (pro *Eulogii*). Ita Richenoviense. Augustanum, & Labbeanum: *Fructuosi martyris, Eulogii martyris, Patrueli martyris*. Forte *Patrocli*. De Actis eorum vide Ruinartium pag. 219. & Tillemontium tom. IV. pag. 198. *Fructuosi, & soc.*

Ex Hieronymianis sumptum fuisse *Patrocli* elogium ab Usuardo, censet Sollerius. In Hieronymianis legitur: *Trecas, passio sancti Patrocli martyris*. Eadem habent Martyrologium Fuldense, & Reginæ Suecorum. Acta expendunt Bollandus hac die, ac Tillemontius tom. IV. pag. 203. & in notis pag. 646. Num *Aurelianus*, sub quo passus est *Patroclus*, fuerit Imperator, subdubitat Bollandus pag. 343. & Tillemontius, ut supra, pag. 646. *Patrocli.*

A XI. KALENDAS FEBRUARII. 22. *Jan.*

Vincentii, & Valerii. IN Hispaniis, natale sancti Vincentii diaconi & martyris, qui cum sancto Valerio Episcopo suo a Cæsaraugusta civitate Valentiam usque gravibus nexus catenis, jubente Daciano, perductus est: ibique fame & squallore carceris diu maceratus, tormentis equulei, & ungularum horrenda laceratione vexatus, a grabato etiam ferreo diutissime ustulatus, arvinæ guttis, & crepitanti sale respersus est; Post hoc in teterrimo carcere missus est, divaricatisque in nervo cruribus, super acutissima testarum fragmenta projectus est. Ubi nocte lux ingens apparuit, & virtute Dei solutus martyr, inter Angelos, a quibus visitari meruit, hymnum canebat, ita ut ipse custos carceris crederet Christo. Mane autem facto, cum jussisset eum Dacianus in lecto mollissimo reclinari, ut aliquantulum recreatus, acrius denuo torqueretur, infatigabilem spiritum Christo reddidit. Tunc Dacianus corpus ejus in campum projici, & feris, atque avibus jussit exponi. Sed mox corvus divinitus ad custodiam ejus datus, non solum alias aves arcebat, sed mox & immanem lupum a sancto corpore repulit. Quod cum Daciano nuntiatum

esset, jussit eum insutum culeo, in profundum maris cum gravissimo saxi pondere immergi. Sed prius virtute Dei super undas innatans, ad littus delatus, & arenis conditus est, quam remiges portum tangere potuissent. Inde autem cum se sanctus martyr cuidam fideli anui revelasset, cessante persecutionis rabie a christianis reverenter sublatus, & in basilica conditus est.

Anastasii. Ad aquas Salvias, natale sancti Anastasii martyris & monachi de Perside, qui post plurima tormenta carceris, verberum, & vinculorum, quæ in Cæsarea Palæstinæ perpessus fuerat, a Persis postremo in Perside multa pœna affectus, atque ad ultimum decollatus est a Rege eorum Chosroe cum aliis LXX. Reliquiæ corporis ejus primo Jerosolymis ad monasterium suum, deinde Romam delatæ, venerantur in monasterio beati Pauli Apostoli, quod dicitur: Ad aquas Salvias.

VARIA LECTIO. Ed. *In Hispaniis, natale &c.* Codices nostri ita incipiunt: *In Hispaniis, civitate Valentia, passio sancti Vincentii Levitæ, qui cum sancto Valerio &c.* Ed. *a grabato etiam ferreo diutissime ustulatus*. Cod. 511. *vestitus*. Cod. 512. & 514. *vexatus est etiam grabato ferreo. Post hæc in teterrimum carcerem trusus, divaricatis in nervo cruribus*. Ed. *fragmenta*. Codices: *fragmina*. Ed. *eum insutum culeo*. Desunt verba *insutum culeo* in codicibus. Ed. *immergi*. Codices: *mergi*. Ed. *tangere*. Codices: *pertingere*. Ed. *fideli anui*. Codices: *fideli matronæ*.

Ed. *Ad aquas Salvias*. Codices nostri: *Romæ, ad aquas Salvias*. Ed. *martyris*. Deest hæc vox in nostris codicibus; in quibus post *S. Anastasium*. „ Eodem die „ in Galliis, civitate Ebreduno, sanctorum martyrum Vincentii, Oroncii, & Vitalis. Ita de his martyribus in Cod. Vat. 377. *Vincentii, Orontii, & Vitalis.*

Vincentii, & Valerii. ADNOTATIO. Pleraque omnia Hagiologia de *Vincentio* Diacono & martyre, deque *Valerio* Episcopo Cæsaraugustano hac die agunt, nimirum Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Gellonense, Rabanus, & Notkerus. At de *Vincentio* tantum est elogium Bedæ, Romani parvi, Martyrologii Gellonensis, & Usuardi. Martyrologium vero Fuldense habet: *In Hispaniis, civitate Valentia, passio sancti Valerii Episcopi, & Vincentii Diaconi cum sociis suis*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Spaniis, civitate Valentia, passio sanctorum Valerii, Proti, & Vincentii diaconorum, cum sociis suis*. Rhinoviense: *In Spaniis, Vincentii diaconi*: Richenoviense: *In Hispaniis, civitate Valentia, passio sancti Valerii Episcopi, & Vincentii diaconi*. Ita fere Augustanum, & Labbeanum. Corbejense brevius: *In Hispaniis civitate Valentia, passio sancti Valerii Episcopi*, tantum, Kalendarium Vaticanum 3805. *In Spanis* (sic) *passio sancti Vincentii diaconi & martyris*. Kalendarium Palat. Vat. 485. *Passio sancti Vincentii mart.* In Sacramentariis Gregorianis, in Lectionariis, & in Capitularibus Evangeliorum vetustioribus, Missa hac die *in natali sancti Vincentii* designatur, ut in Sacramentario Reginæ Suecorum 337. Palat. 495. & aliis. Capitularia vero tom. I. el. de Liturgia Romani Pontificis pag. 242. *Nat. S. Vincenti. Statio in Basilica Eusebii juxta Merulana*. Agit item Lectionarius Ambrosianus, ibidem pag. 227. Ad Acta quod attinet, vide Bollandianos hac die pag. 394. quæ eadem sunt ac ea, quæ vidimus in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 91. Vide insuper Ruinartium pag. 387. & Tillemontium tom. V. pag. 215. & *seq.* De ejus reliquiis ex Hispania in Gallias an. 542. translatis, Bollandus hac die pag. 399. & Cointius an. 542. n. XXX.

Anastasii. *Anastasius* hac die *Vincentio* additur in Martyrologiis fere omnibus, quæ proferunt Bollandiani socii. Adde Martyrologium Fuldense, & Reginæ Suecorum. Augustanum, & Labbea-

beanum: *Romæ, Vincentii & Anastasii*. Corbejense brevius. *Et passio sancti Anastasii martyris*. Kalendarium Vaticanum 3806. *Et Anastasii martyris de Persida*. Capitularia quædam Evangeliorum tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 242. Evangelium hac die: *In natali sancti Anastasii monachi*, designant. Plura de *Anastasio* Persa vide apud Baronium in Annalibus an. 626. 627. Confer etiam Pagium in Critica ad anno 621. num. VII. & *seq.*

Vincentii, & soc. *Vincentius*, & socii martyres, in civitate Ebredunensi culti, memorantur ab Usuardo gentino his verbis: *Ipso die civitate Ebredano, sanctorum martyrum Vincentii, Orontii, & Victoris*. Ab Usuardo primum in Martyrologium relati putantur a Sollerio, quod vidisset a vulgato Adone eos abesse. At in codicibus Adonis habentur, in quibus *Vitalis* est loco *Victoris*, qui legitur etiam in Notkero, & in Hagiologio Francogallico hac die. Passi sunt autem in Hispania, & eorum reliquiæ *Ebrodunum* translatæ fuere. Acta eorum vide apud Bollandum die XXII. *Jan.* pag. 389. & *seq.* eaque respuit Tillemontius tom. V. pag. 62. & 611.

B. X. KALENDAS FEBRUARII. 23. *Jan.*

Emerentianæ. ROMÆ, natalis S. Emerentianæ, virginis Christi, & martyris, quæ erat collactanea sanctæ Agnetis: & dum oraret ad sepulchrum ejus, ac simul orantes a gentilium læsione defenderet, lapidata est ab eis.

Severini, & Aquilæ. In Mauritania, civitate Neocæsarea, natalis sancti Severini & Aquilæ uxoris ejus, ignibus combustorum.

Parmeni. Apud Philippos, B. Parmenæ diaconi, qui unus fuit de VII. diaconibus. *Act. 6. Vide libel. de festiv. Apost.*

VARIA LECTIO. Ed. *collactanea*. Codices nostri: *conlactanea*.
Ed. *in Mauritania &c.* Codices nostri:

„ Et in Mauritania, civitate Neocæsariensi, natalis sancti Severiani, & Aquilæ
Parmena. „ uxoris ejus, ignibus combustorum. Eodem die, natale sancti Parmeni diaconi, qui
„ unus fuit de VII. diaconibus, qui traditus gratia Dei a fratribus injunctum officium
„ prædicationis plena fide consummavit, atque martyrii gloriam adeptus, Philippis
Asclæ. „ quievit. Apud urbem Antinoum, passio sancti Asclæ, qui primo atrocissime suspen-
„ dio tortus, deinde flammis lateribus admotis exustus, ad ultimum preciosam Deo
Hildefonsi. „ animam, in flumen præcipitatus, reddit. Toleto civitate, natalis sancti Hildefonsi
„ Episcopi & confessoris, fide & doctrina clarissimi.

Emerentianæ. ADNOTATIO. Apographum Hieronymianum Epternacense, & Corbejense meminere hac die de S. *Emerentiana*, desideratur autem in apographo Lucensi. At uno eodemque elogio hac die eam celebrant Beda, Rabanus, Ado, Usuardus, & Notkerus, ac Martyrologium Fuldense. Meminere etiam Romanum parvum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Ottobonianum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Kalendarium Vaticanum 3806. Agitur autem de ea in Actis S. Agnetis; ac prope ejusdem basilicam via Nomentana sepulta fuit. De basilica & sepulchro *S. Emerentianæ* meminit vetusta notitia sæculi IX. edita ab Eccardo: *Juxta eandem viam* (Nomentanam) *basilica sancta Agnes miræ pulchritudinis, ubi ipsa corpore jacet: propeque ibi soror ejus* EMERENTIANA, *in alia tamen basilica dormit*.

Severiani, & Aquilæ. In editis Adonis exemplaribus, ut & in apographis Hieronymianis habetur *Severini*. At codices nostri, Romanum parvum, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Fuldense, Ottobonianum, & Gellonense legunt *Severiani*. De varia hac lectione Florentinius hac die, & Sollarius in Usuardum. Ex memoratis Martyrologiis patet, hos martyres in tabulis Ecclesiasticis celebres fuisse.

Parmenæ. Agunt hac die de *Parmena* Romanum parvum, Usuardus, & Notkerus: plerique alii silent. Pauca ideo de eodem apud Bollandianos hac die, & apud Tillemontium tom. II. pag. 69.

Asclæ. *Asclam* martyrem Adoni quoque ignotum fuisse, & soli Usuardo cognitum, censet Sollerius. Quum tamen in codicibus nostris habeatur iisdem fere verbis, quibus utitur Usuardus, cur genuino Adoni est abjudicandus? De illius Actis vide Bollandianos socios hac die pag. 445., & die VIII. *Martii* pag. 571. ac Tillemontium tom. V. pag. 353. *& seq.* De urbe *Antinoo*, deque martyribus ibi passis, Bollandus ad diem IX. Januarii pag. 572. n. 10. & Baronius an. 132. num. XV. *Bessa* antea dicebatur, uti censet Casaubonus ad Spartiani Hadrianum cap. XIV. *Hadrianopolim* etiam dictum putat Salmasius, ibidem pag. 184.

Hildefonsi. *Hildefonsus*, seu *Idelfonsus* abest ab Usuardo Pratensi, sed habetur in codice Usuardi Heriniensi, ac in aliis Usuardi Auctariis, apud Sollerium hac die. Claruit *Idelfonsus* apud Hispanos pietate ac doctrina; quare de eo Bellarminus, Possevinus, Labbeus, & alii, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis egere; ac Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispana veteri. Obiit A. D. 667. die XXIII. *Januarii*. Ejus Acta præter Bollandum exhibuit Mabillonius sæculo II. Benedictino pag. 510. *& seq.* Vide eundem Mabillonium in Annalib. Benedictinis lib. XIII. §. XXXVII. lib. XV. §. LII.

24. Jan. *C. IX. KAL. FEBRUARII.*

Timothei. APUD Ephesum, natalis sancti Timothei Apostoli. *Vid. libell. de festivit. Apost.*

Babylæ. Apud Antiochiam, S. Babylæ Episcopi, qui persecutione Decii, posteaquam frequenter passionibus suis & cruciatibus glorificaverat Dominum, gloriosæ vitæ finem sortitus est in vinculis. De quo in decimo Ecclesiasticæ historiæ libro grande narratur miraculum. *Euseb. l. 10. cap. 35. ex versione Ruff.* Nam cum Julianus Imperator, ad idolorum cultum conversus, quodam tempore, Daphnis in suburbio Antiochiæ, juxta fontem Castalium litaret Apollini, & nulla ex his, quæ requirebat, responsa susciperet, causasque silentii percontaretur a sacerdotibus; responderunt dæmones, Babylæ martyris sepulcrum prope assistere, & ideo responsa non reddi Tunc ille venire Galilæos (hoc enim nomine nostros appellare solitus erat) & auferre Martyris sepulcrum jubet. Mox igitur Christiani convenientes, magnâ exultatione succincti, sustulerunt arcam martyris, psallentes in auribus prophani principis, per sex millia passuum summis vocibus & cum exultatione dicentes: *Confundantur omnes, qui adorant sculptilia, & gloriantur in simulacris suis.* *Psal. 96.*

Item in Neocæsarea civitate, natalis sanctorum martyrum *Mardonii, & soc.* Mardonii, Musonii, Eugenii, & Metelli, qui omnes igni traditi sunt, & reliquiæ eorum in Axum fluvium dispersæ.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Ephesum &c.* Codices nostri ita incipiunt: „ Timothei discipuli beati Pauli Apostoli, qui apud Ephesum a beato Apostolo Episcopus ordinatus, post multos, quos sustinuit pro Christo agones, martyrii palmam gloriose adeptus est. Cujus corpus XX. Constantini (codex 512. & 514. *Constantii*) Imperatoris anno Constantinopolim translatum est. Apud Antiochiam, sancti Babillæ &c." Post verba: *in simulacris suis*, sequitur in codicibus: „ Referuntur etiam passi cum eo tres parvuli, idest Urbanus, Prilidanus, & Epolenus. *Trium parvulorum.*

Inde sequitur:

„ Et

Mardonii & soc. „ Et Neocæsarea civitate, natalis Mardoni, Musonis, Eugenii, Metelli, qui „ omnes igni traditi sunt, & reliquiæ eorum in Axum fluvium disperse. Trecas, passio *Saviniani.* „ sancti Saviniani martyris. A codice 514. absunt verba: *Et Neocæsarea civitate*. Abest & *S. Savinianus* a codicibus 512. & 514. sed habetur tantum in codice 511.

Timothei. ADNOTATIO. Non uno eodemque die in Martyrologiis colitur Timotheus; qua de re Sollerius in Usuardum die XXII. *Januarii*, quo die ab Usuardo recensetur. His, quæ præmonuit Sollerius, addo Martyrologium Ottobonianum, in quo *Timotheus* memoratur *die* XXII. & XXIV. *Januarii*. Martyrologium Fuldense meminit tantum die XXIV. *Januarii*. Acta a Bollando illustrantur, ac etiam a Tillemontio tom. II. pag. 142. & *seq.* Plura ante hos præmiserat Baronius Annalium tom. I. De *Timothei* translatione agemus ad diem IX. *Maji*.

Babylæ. *Babylas* Antiochenus Episcopus celebratur a Baronio in Notationibus hac die, qui passum esse scribit Deciana persecutione, ac unum tantum *Babylam* Antiochenum Episcopum statuit; ibi quoque de illius translatione in Daphnem ad Antiochena suburbia. De ejus autem creatione in Antiochenum Episcopum in Annalibus ad an. 241. num. I. De martyrio, an. 253. num. CXXVI. CXXVII. De ejus translatione, an. 253. num. CXXVIII., & an. 362. n. XCII. & *seq.* Pagius in Critica ad an. 362. n. IX. & X. translationem *S. Babylæ* factam existimat anno 363. Vide ea de re Bollandum hac die pagin. 569. Unus tantum Babylas agnoscitur a Petro Boschio in Distriba de Patriarchis Antiochenis, apud Bollandianos Julii tom. IV. Ibi *Babylas* creatus Antiochenus Episcopus an. 237.; martyrio coronatus c. an. 250. esse dicitur. Michael vero le Quien in Oriente christiano tom. II. pag. 704. opinatur, *Babylam* nonnisi secundo extremoque Decii Imperatoris anno, Christi nimirum 251. martyrium fecisse, seu in vinculis, aut carcere diem obiisse, ex Eusebio lib. VI. cap. XXIX. & XII. Hinc nonnullos Græcos scriptores ineptiæ arguit, ut Chronicon Alexandrinum, & Jo. Malalam, qui *Babylam* sub *Numeriano* Imp. passum scribunt, seu, ut alii habent, sub *Maximino*. His accenset Philostorgium lib. VII. cap. VIII. qui anceps esse videtur, num *Babylas* sub *Decio*, an sub *Numeriano* vixerit. In hujusmodi labem incidunt quædam Martyrologia, ut mox patebit. His præmissis, ad Martyrologia accedimus. A Latinis hac die fere omnibus commemoratur, nimirum a Hieronymianis, Beda, Romano parvo, Rabano, Gellonensi, Adone, Usuardo, Wandelberto, & Notkero. Varia in his est verborum circumlocutio; nam in Hieronymianis legitur: *In Antiochia, passio sancti Basilli* (Epternacense *Babilæ*) *Episcopi, cum tribus parvulis*. Beda: *Et in Antiochia sancti Babylæ. & trium parvulorum, Urbani, Prilidiani, & Epolonii*. Romanum parvum: *Antiochiæ, sancti Babylæ Episcopi*. Rabanus fusior est aliquantisper, & sub *Numeriano* Imperatore passum esse scribit. Gellonense: *Antiochia Babylæ martyris*. Notkerus Rabanum ex more imitatur, & aliqua etiam addit. His accedit Martyrologium Reginæ Suecorum, in quo habetur: *In Antiochia passio sancti Basilæ Episcopi cum tribus parvulis sub Numeriano Principe*. Martyrologium vero Fuldense: *Et in Antiochia, passio sancti Babillæ Episcopi cum tribus pueris: qui sub Decio Imperatore martyrio coronati sunt*. Ottobonianum: *In Antiochia, sancti Babillæ Episcopi*. Kalendarium Palat. Vat. 485. *Natalis sancti Babili Episcopi mar. & trium puerorum*. Kalendarium Vaticanum 3806.: *In Antiochiæ* (sic) *Babillæ Episcopi cum tribus parvulis*. Rhinoviense, Richenoviense, & Corbejense brevius: *Antiochia, passio sancti Babilli Episcopi cum tribus parvulis*. Augustanum, & Labbeanum: *Antiochiæ, Babillæ martyris*. Vitio librariorum vides scriptum esse in codicibus contra rectam scribendi rationem, *Basila*, *Babillus*, *Babilla*. A temporibus usque vetustissimis colebatur *Babylas* in Ecclesia Mediolanensi, ut patet ex Lectionario, seu Capitulari Epistolarum juxta Ambrosianum ritum, tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 227. Latini igitur die XXIV. *Januarii* de *S. Babyla* agunt, Græci die IV. *Septembris*. Num vero a Græcis *Babylæ translatio*, an *natalis* ea die colatur, disquirit Bollandus, pagina nuper citata. Tillemontius tom. III. pag. 404. opinatur, *S. Babylæ* natalem sub ævum S. Jo. Chrysostomi celebratum fuisse circiter diem XXIV. *Januarii*.

Mardonii, & soc. *Mardonius* & socii memorantur a Hieronymianis; prætereuntur vero a Beda, Romano parvo, Rabano, & Martyrologio Reginæ Suecorum. Agit Martyrologium Fuldense his verbis: *Et in Neocesaria* (sic) *natalis sanctorum mar. Mardonii, Musoni, Eugenii, Metelli: qui omnes igni sunt traditi, & reliquiæ eorum in Axum fluvium dispersa*. Eadem omnino fere sunt Adonis, & Usuardi verba. Augustanum: *Alibi, Mardonii martyris, Epicliti, Galai, Felicissimæ, Vincenti, Eustasii conf.* Labbeanum: *Alibi, Doni martyris, Epicleti*, & cætera. Corrupte in his quædam scripta esse intelligis. Incertum esse martyrii locum, ac tempus scribit Sollerius ad Usuardum hac die.

Saviniani. Codex noster 511. hac die memorat *Savinianum* martyrem apud Trecas. De eo silent hac die plerique, sed agunt solummodo Usuardi Auctaria apud Sollerium; Usuardus vero genui-

genuinus agit IV. *Kal. Februarii*, itemque Hagiologium Francogallicum. Idcirco Bollandiani socii de *Sabiniano* agunt die XXIX. *Januarii* pag. 937. Martyrologium vero Reginæ Suecorum die XXV. Januarii *Savinianum* cum Præjecto sociat, his verbis: *Natalis sanctorum Saviniani, & sancti Præjecti*. Martyrologium Gellonense, & Augustanum die quoque XXV. Januarii *Savinum* commemorant: nescio an idem sit, ac *Savinianus*. Cætera vide apud Bollandianos die XXIX. *Januarii*; & apud Sollerium in Usuardum eadem die.

---

25. *Jan.*

D. VIII. KAL. FEBRUARII.

CONversio sancti Pauli. *Conver. S. Pauli*

Act. 9. 12. Eodem die, natalis sancti Ananiæ apud Damascum, qui beatum Paulum baptizavit. *Anania.*

Apud Gabalensem civitatem, sancti Severiani Episcopi, mirandæ sanctitatis & doctrinæ viri. *Severiani.*

Item natalis sancti Præjecti Arvernensis Episcopi. *Præjecti.*

Convers. S. Pauli. V*ARIA LECTIO*. Ed. *Conversio sancti Pauli Apostoli*, tantum. Codices nostri: „ Conversio sancti Pauli Apostoli apud Damascum, quando circumfulsit „ eum lux de cælo, & audivit vocem dicentem sibi: *Saule, Saule, quid me persequeris?* Cujus & sacri corporis translatio eodem die Romæ celebratur. Eodem *Gregorii Nazianzeni.* „ die natalis beati Gregorii Episcopi Nazanzeni (sic), qui Theologus appellatur, „ qui post multa documenta in loco suo, ut Hieronymus, ab eodem in divinis li„ bris instructus, perhibet, Episcopum ordinans, ruri vitam monachi exercuit. Ci*Præjecti, & Amarini.* „ vitate Arvernis, sancti Præjecti martyris, & Episcopi. Et Amarini viri Dei, qui „ passi sunt a proceribus præfatæ urbis. Apud Gabalensem civitatem, sancti Severia„ ni Episcopi, mirandæ sanctitatis & doctrinæ viri. *Severiani.*

Convers. S. Pauli. A*DNOTATIO*. Non uno eodemque pacto vetera Martyrologia de *S. Paulo* hac die loquuntur. Eorum verba sic accipe. Hieronymiana apographa: *Romæ, translatio Pauli Apostoli*. Beda hac die vacat. Romanum parvum: *Conversio S. Pauli Apostoli*. Gellonense: *Beati Pauli Apostoli conversio in Damasco*. Rabanus & Notkerus: *Romæ translatio S. Pauli Apostoli, & conversio in Damasco*. Usuardus Pratensis: *Conversio beati Pauli, quæ evenit secundo Ascensionis Domini anno*. De anno hujus conversionis Baronius in Notationibus, & Tillemontius tom. I. pag. 544. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Et conversio sancti Pauli*. Martyrologium Fuldense & Ottobonianum primo loco hac die: *Conversio sancti Pauli Apostoli*. Kalendarium Vaticanum 3806. *Damasco, conversio sancti Pauli*. Rhinoviense: *Romæ, translatio corporis Pauli Apostoli*. Augustanum: *Pauli Apostoli conversio in Damasco*. Labbeanum: *Beati Pauli Apostoli conversio in Damasco*. Corbejense brevius: *Romæ translatio* (ad oram adnotatur, al. *conversio*) *S. Pauli Apostoli*. Utrum de aliqua S. Pauli Apostoli translatione hac die agatur, vide Papebrochium ad diem XXIX. Junii pag. 471. §. XIX. & quæ ante præmonuerat Florentinius in Notis hac die XXV. *Januarii*. Licet autem Missa *in conversione S. Pauli* hac die desideretur in Sacramentario Gregoriano Reginæ Suecorum 337. ea tamen designatur in Sacramentario Menardi, & Angeli Rocchæ in Missali Gothico; in Palatino Vat. 495. 496. in Vat. 1272. Sæculi XI. & in Capitulari Evangeliorum Reginæ Suecorum sæculi IX. o. 4. Hujus autem festi celebritatem aliquandiu intermissam, restituendam curavit Innocentius III. ut censet Baronius in Notationibus hac die. Verum ex Epistola XLIV. Innocentii lib. I. ad Wormatiensem Episcopum datam, apparet, in diœcesi Wormatiensi festum diem conversionis S. Pauli coli non consuevisse, quare festum ejusdem conversionis, prout alibi colebatur, in eadem quoque Wormatiensi diœcesi in posterum observandum præcipit, quod ex antiqua Ecclesiæ Institutione a Christifidelibus idem festum recoleretur.

Vetusta aliquot Martyrologia hac die *Ananiam* unum ex septuaginta duobus discipulis celebrant. *Anania.* In primis Romanum parvum, Ado, Usuardus, & Notkerus. Adde Ottobonianum, ubi

ubi eadem ferme verba, quæ apud Adonem hac die. De *Anania* ejusque gestis nonnulla prænotavit Baronius an. 33. n. XII. an. 35. n. V. & an. 36. n. I. ac item in Notationibus hac die.

Severiani. Memoratur *Severianus* Gabalitanus in Galliis Episcopus hac die a nostro Adone, ab Usuardo, & Notkero, quibus adde Hagiologium Francogallicum, ubi: *Item civitate Gavalis, sancti Severini Episcopi. Severinus* iste est Episcopus *Gabalitanus*, non *Severianus* Episcopus *Gabalorum* in Syria, de quo Socrates lib. VI. cap. XI. ut jampridem animadvertit Bollandus die XXV. Januarii pag. 615. *Gabali*, seu *Gabales* inter pagos Arvernos accensiti, *Arvernis* contributi sunt. In veteribus notitiis Galliarum civitas *Gabalum* (seu *Gabalorum*) occurrit in provincia Aquitania prima. Vulgo a Gallis hujus tractus populi *les Gevaudans* dicuntur. Gabalorum urbs Ptolemæo est *Anderitum*, quo nomine deposito, a populorum nomine *civitas Gabalum*, *& Gabali* appellata est. De aliquot hujus urbis Episcopis, qui Galliæ Synodis vetustioribus interfuerunt, deque ejus situ, & de loco, in quem Episcopatus *Anderitani*, seu *Gabalitani* facta est translatio, Valesius in Notitia Galliarum pag. 214. Illud etiam Bollandus hac die XXV. Januarii pag. 615. præmonet, nonnullos putantes, *Severianum Gabalensem* in Galliis Episcopum, eundem esse ac *Severianum* Gabalensem in Syria, illo prætermisso, de hoc egisse. Hinc factum, ut Severiani nomen a Martyrologio Romano expunctum sit, quia Baronius in Annalibus ad an. 400. n. LXXXIV. an. 403. num. II. XVII. XXVI. an. 407. n. VII. & XVIII. eum, tanquam acerrimum Jo: Chrysostomi hostem traducit. Rosvveidus quoque in Epistola quapiam apud Sollerium in Usuardum hac die eadem de causa Baronium coarguit. At id neque Baronio, neque Romani Martyrologii, tum jussu Gregorii XIII. emendatoribus in culpam vertendum est. In celeberrima enim Urbis Casanatensi Bibliotheca asservatur Martyrologii Romani editio anno 1583. Romæ excusa, & qua usus est Baronius in conventibus illis, in quibus de nova Martyrologii emendatione agebatur. Identidem in eo exemplari ad oram, ipsius Baronii syngrapha nonnulla adnotantur, ac in textu multa oblitterantur; ibi autem ad diem XXV. Januarii *Severianus* in textu deest, & Baronius ad oram hæc adnotavit: *Scytopoli S. Severiani Episcopi, & martyris*. Si quid Baronius labitur, illud est quod putavit substituendum S. Severianum Scythopolitanum, qui forte censorum judicio in diem XXI. Februarii illatus est, non quod *Severianum* expunxerit; nam ab editione an. 1583. abest.

Gregorii Nazianz. Codices nostri agunt hac die de *S. Gregorio Nazianzeno*, quibus accedunt Beda genuinus, Menologium Basilii P. II. pag. 136. Rabanus, & Notkerus, Martyrologium Ottobonianum, & Fuldense. Silet hac die genuinus Usuardus, ideo tamen codices nostri non sunt posthabendi. De Gregorii Nazianzeni obitu, qui fuit c. A. D. 390. vide Tillemontium tom. IX. pag. 555. Martyrologium Gellonense agit die IX. *Januarii*. Vide plura de præfato Antistite apud Bollandianos die IX. *Maji*, qua die codices nostri de eo silent.

Præjecti. *Præjectum*, seu *Projectum* ad hunc locum accensemus, ut codicum nostrorum ordinem sequamur; cui *Amarinum* ex eorum fide adnectimus. *Projecti* meminere hac die Beda genuinus, Rabanus, Usuardus, Wandelbertus, & Notkerus. Adde Martyrologium Gellonense, Fuldense, & Reginæ Suecorum, Augustanum, & Labbeanum, Kalendarium Vat. 3806. & Hagiologium Francogallicum, in quo legitur: *Civitate Arvenis, sancti Præjecti Episcopi, & Marini viri Dei, qui passi sunt a proceribus urbis præfatæ*: quæ quidem verba in genuino etiam Usuardo habentur. In memoratis Martyrologiis interdum *Præjectus*, interdum *Projectus* legitur. Sacramentarium Palatin. Vat. 496. hac die Missam designat in *natali sancti Projecti martyris*, ut & Sacramentarium Menardi, & Angeli Roccha. *Præjectus* Arvernorum Antistes occisus est cum *Amarino* Abbate in Vosago A. D. 674. Vide Mabillonium in Annalibus Benedictinis lib. XVI. §. XXXIV., & in sæculo II. Benedictino pag. 640. ubi ejus Acta post Bollandum addidit.

E. VII. KAL. FEBRUARII. 26. *Jan.*

Vid. libell. de festivit. Apost. *Polycarpi.* APUD Smyrnam, natalis sancti Polycarpi Episcopi, qui beati Joannis Apostoli discipulus, & ab eo Smyrnæ Episcopus ordinatus, totius Asiæ princeps fuit. Postea vero regnante Marco Antonino, & Lucio Aurelio Commodo, quarta post Neronem persecutione, Smyrnæ sedente Proconsule, & universo populo in se acclamationibus incitato, primum compellentibus & deprecantibus eum suis, ad vicinum locum semel & iterum

iterum ſuccedit. Deinde comprehenſus ab inquiſitoribus, apponi eis menſam jubet, atque eis epulas largius miniſtrari. Horæ unius ſpatio ab eis orationis gratia impetrato, inſtante hora progreditur. Cumque interrogaretur a Proconſule, ſi ipſe eſſet Polycarpus: ſe eſſe confitetur. Ergo, inquit, habeto ætatis tuæ reverentiam, & parcens ultimæ ſenectuti tuæ, iura fortunam Cæſaris, gerens de prioribus pœnitudinem, & conclama ſacrilegos. Tunc Polycarpus, torvo vultu ad populum, qui in ſtadio reſidebat, adſpiciens, elevata ad cælum dextera, cum gemitu proclamavit, & dixit: Tolle ſacrilegos. Sed inſiſtente Proconſule, & dicente: Jura fortunam Cæſaris, & dic in Chriſtum convicia, & ego dimitto te. Polycarpus ad hæc dixit: Octoginta & ſex annis ſervio ei, & nihil me læſit umquam, quomodo poſſum blaſphemare regem meum, qui ſalutem mihi dedit? Cumque rurſus vehementius urgeretur, ut fortunam Cæſaris juraret, ait: Si hanc jactantiam quæritis, ut ego fortunam Cæſaris jurem, & quis ſim ignorare te ſimulas, cum omni libertate audi a me, quia Chriſtianus ſum. Replebatur igitur confidentia ſimul & lætitia, ita ut alacritatem vultus ejus, reſponſionumque conſtantiam, Proconſul maximo ſtupore miraretur. Miſſo igitur curione ad populum, jubet voce magna proteſtari, Polycarpum tertio confeſſum, Chriſtianum ſe eſſe. Quo audito, univerſa multitudo, tam Gentilium quam Judæorum Smyrnenſis civitatis, cum ingenti furore acclamabat: Hic eſt totius Aſiæ doctor, & pater Chriſtianorum: noſtrorum autem ſubverſor deorum. Ipſe eſt qui multos docet, ne immolent, neve adorent deos. Omneſque pariter conclamabant, ut Polycarpus vivus arderet. Oportebat enim viſionem ejus impleri. Viderat ſiquidem in viſione, quod cervical capitis ſui flammis conſumeretur. Quæ cum dicto citius gererentur, ipſis populis ligna, vel de balneis, vel de publicis quibuſque locis, & ſarmenta congregantibus, præcipue Judæis ardentius ad hæc ex more ferventibus, cum omni velocitate extructus eſt rogus. Tunc depoſitis ſenior indumentis, ac zona reſoluta, calceamenta quoque de pedibus tentabat educere, quæ numquam niſi a religioſis quibuſque, fide & devotione ſemetipſos invicem prævenientibus, reſolvi conſueverant. Ita namque in omni reliqua vita ſua venerabiliter etiam ab omnibus colebatur. Ut ergo expedita ſunt quæ ad ignem pertinebant: cum eum vellent rogo impoſitum, etiam clavis affigere, ait: Sinite me: qui enim dedit mihi ignis ferre ſupplicium, dabit, ut & ſine clavorum afflixione, flammas immobiliter perferam. Tunc illi omiſſis clavis, ſolis uſi ſunt vinculis: quibus poſt tergum manibus

nibus revinctis, velut electus aries, & ex magno grege assumptus, acceptabile holocaustum omnipotenti oblatus est Deo. Orationemque ut complevit, subjiciunt ignem homines ignis æterni. Cumque flamma ingens reluxisset, viderunt miracula omnes, quibus ea Deus videre concessit. Flamma etenim in modum cameræ, curvata specie, quasi velum navis vento sinuatum, supra corpus Martyris stetit. Quod corpus in medio positum non erat ut caro ardens, sed tamquam si aurum, aut argentum in fornace candesceret. Tunc præterea odorem naribus circumstantes hauserunt, tamquam incensi, vel pretiosissimi unguenti. Ad ultimum videntes scelerum ministri, corpus igni non posse consumi, jusserunt propius accedere confectores, & corpus, cui ignis cesserat, mucrone transfodere. Quo facto, tam largus profusus est sanguis, ut restingueret rogum. Populus autem cum miraculi stupore discessit. Sed æmulus totius boni, satis agere cœpit, ut reliquias ejus nemo ad sepulturam deferret: Judæis in hoc maxime instantibus. Ubi autem vidit Centurio obstinatam Judæorum contentionem, positum in medio ipsum corpus exussit: & ita postmodum abusta ossa, pretiosissimis gemmis cariora, & omni auro probabiliora per ignem facta, a fratribus colliguntur, ac sicut conveniebat, ex more conduntur. Quo in loco, præstante Domino, solennes aguntur, celebresque conventus. Cum eo etiam alii duodecim ex Philadelphia viventes, apud præfatam urbem martyrio consummati sunt.

Eodem die, sanctorum martyrum Theogenis cum aliis triginta sex, qui contemnentes temporalem mortem, coronam vitæ æternæ adepti sunt. *Theogenis & soc.*

VARIA LECTIO. Desunt initio hujus diei in codicibus nostris verba: *Apud Smyrnam*. Ed. *compellentibus*. Codices: *compellantibus*. Ed. *& dixit: Tolle &c.* Codices: *& dixit: & conclama etiam tu: Tolle sacrilegos*. Ed. *& quis sim &c.* Codices: *ait; quis sim, ignorare te simulas, cum omni libertate audi me, qui christianus sum. Replebatur &c.* Ed. *vivus arderet*. Codices: *vivus arderetur*. Ed. *Viderat siquidem in visione &c.* Codices: *Viderat siquidem visionem, quod cervical capitis sui flammis esset consumptam. Quæ &c.* Ed. *prævenientibus*. Codices: *prævenientes*. Ed. *solis usi sunt vinculis*. Codices: *usi sunt solis vinculis*. Ed. *navis vento sinuatum*. Codices: *ventosinantæ*. Ed. *tanquam incensi, vel pretiosissimi unguenti*. Codices: *tanquam turis* (sic) *incensæ, vel pretiosissimi fragrantis unguenti. Ad &c.* Ed. *positum in medio ipsum &c.* Codices: *positum in medio ipsorum corpus exussit*. Ed. *abusta ossa*. Codices: *obusta ossa*. Ed. *ac sicut conveniebat, ex more conduntur*. Desunt hæc verba in codice 511. at habentur in codice 512. & 514.

Post verba: *adepti sunt*, sequitur in codicibus: „ Hujus Theogenis martyris „ beatus Augustinus memorat (pro meminit) in Omeliis de pœnitentia. In Bethleem, „ dormitio sanctæ Paulæ. Hujus vitam virtutibus admirandam sanctus Hieronymus „ scribens, *Paulæ.*

„ scribens, testatus est a longo coronatam esse martyrio. In territorio Parisiorum,
Baltildis. „ monasterio Cale, depositio donne (codex 512. domne) Baltildis reginæ.

Polycarpi. ADNOTATIO. Variis diebus in vetustis Martyrologiis *S. Polycarpus Smyrnensis* Episcopus colitur. Apographum Hieronymianum Florentinii die prima Feb. habet: *In Græcia, sanctorum Polycarpi Episcopi, Pœnis* (pro *Pionii*) *&c.* Epternacense eadem die 1. Feb.: *In Zmyrna civitate, natalis Polycarpi Episcopi*. Corbejense die 1. Februarii: *In Græcia, sanctorum Polycarpi &c.* At Hieronimianum Florentinii hac die XXVI. *Januarii* de Polycarpo Smyrnensi habet: *In Nicea Smirnæ, passio sancti Polycarpi Episcopi*. Ita quoque hac die apographum Corbejense, & Corbejense brevius. Quid sibi velit hæc *Nicea*, ignorare se fatetur Florentinius in notis p.284. Rabanus de Polycarpo agit hac die XXVI. Januar., sed *Kalendis Februarii* habet: *In Græcia, Polycarpi Episcopi*. Rabanum in omnibus sequitur Notkerus. Wandelbertus aperte Polycarpi martyrium die XXVI. *Januar.* celebrat. Rursus in Hieronymianis *Polycarpus* occurrit VII. *Kal. Martii*; & *Idibus Aprilis*. In his legitur: *In Asia, natalis Polycarpi Episcopi, cum aliis* XII. Et: *Pergami Asiæ Polycarpi Episcopi*. Florentinius in notis hac die XXVI. Januarii monet, diem martyrii S. Polycarpi in Chronico Alexandrino assignari ad VII. *Kal. Aprilis*, & in Actis martyrii ad VII. *Kal. Maji*; a Græcis vero de Polycarpo agi die XIII. *Aprilis*, & amandat ad Samuelem Petitum variar. lect. lib. IV. cap. VII. Conjicit etiam, *Polycarpum*, de quo in Hieronymianis VII. *Kal. Mart.* esse presbyterum & confessorem sub S. Sebastiano, Romæ, ut ea die perhibet Usuardus, & Rabanus ea die habet: *In Asia, Polycarpi*. Rabanus: *Romæ*. Florentinius denique Exercitationem de die natali S. Polycarpi concinnavit, atque passum esse VII. *Kal. Martii* censet; Usserii ac Valesii sententias expendit. Vide Pagium in Critica ad an. 167. n. IV. *& seq.* Interim alia addamus Martyrologia. Rhinoviense hac die XXVI. Januar: *In Oriente, Policarpi Episcopi*. Ita & Richenoviense, in quo additur: *& martyris*. Augustanum & Labbeanum: *Policarpi Episcopi*. Martyrologium Reginæ Suecorum ad diem XXVI. Januarii: *Smirnæ, passio sancti Policarpi Episcopi, qui sub Marco Antonino, & Lucio Aurelio igni traditus occubuit*. Kalendis vero Februarii: *In Græcia, sancti Policarpi Episcopi*. Et VII. Kal. Martii: *In Asia Polycarpi Episcopi cum aliis* XIII. Idibus Aprilis: *Pergamo Asiæ, Policarpi Episcopi*. Martyrologium Fuldense agit tantum die XXVI. Januarii his verbis: *Apud Smirnam, natalis sancti Policarpi Episcopi & martyris, discipuli sancti Johannis Evangelistæ, qui sub Marco Antonino igni traditus est*. Ottobonianum: *Apud Smirnam, natalis sancti Policarpi Episcopi & martyris, discipuli sancti Johannis Apostoli & Evangelistæ*. Pridie vero Idus Aprilis: *In Asia Pergamo, natalis sancti Carpi Episcopi*. Kalendarium Palat. Vat. 485. agit tantum *die prima Februarii*, atque his verbis: *Natalis sancti Policarpi Episcopi & martyris*. Kalendarium quoque Vat. 3806. die prima Februarii: *Smirna, sancti Policarpi Episcopi*.

Codices nostri aperte habent, *Theogenem*, *Theogenis, & soc.* quem hac die recolunt, illum esse, de quo S. Augustinus meminit. Augustini locus est in Sermone CCLXXIII. cap. VII. novæ editionis, alias de diversis Serm. CI. *Habent*, inquit, *honorabilem locum martyres sancti. Advertite: in recitatione ad altare Christi loco meliore recitantur; non tamen pro Christo adorantur. Quando audistis apud memoriam* SANCTI THEOGENIS, *a me, vel ab aliquo fratre collega meo, vel ab aliquo presbytero: Offero tibi,* SANCTE THEOGENIS? *aut offero tibi, Petre? aut offero tibi, Paule? Nunquam audistis: Non fit, non licet*. Hæc Augustinus. De *Theogene* Hipponensi Episcopo idem Augustinus lib. VI. de baptismo contra Donatistas. At Sollerius in Usuardum hac die pag. 61. ex auctoritate cujusdam epistolæ Rosvveidi, elogium *Theogenis* in Martyrologio Romano in multis traducit, quod in veteribus Martyrologiis nullum de loco martyrii indicium sit, quod Augustinus nusquam eum, *Episcopum* appellet, quod *Laodiceæ* potius *Theogenes* passus videatur, ut Maurolycus, & Galesinius conjiciunt. Attamen Romani Martyrologii auctoritatem, & Baronium tuetur Ruinartius ad Acta martyrum pag. 224. Memoratur *Theogenes* in Hieronymianis confuse cum aliis martyribus. Apographum Lucense habet: *In Ravenna, Putioli, Antibimosias, Sabinus, Leodorius, Theugeni*. Ita apographum Epternacense, in quo additur: *Et in Carthagine Agilei*. Memoratur hac die in Kalendario Carthaginensi vetustissimo *Agileus* martyr in Africa. Paullo aliter de his martyribus hac die apographum Corbejense. In serie martyrum hujus diei in Gellonensi habetur *Leodatius*, & *Theogenes*. In Richenoviensi post aliquot martyres mentio fit, *Theogenis, Sindonis*, XXX. *quinque martyrum*. In Augustano: *Leudici, Theogenis*. In Labbeano: *Leudarius, Theogenis*; ex quibus patet *Leodicii*, aut *Leuducii* vocabulum, non esse traducendum ad *Laodiceam* urbem, ut putant Rosvveidus, & Sollerius, sed nomen martyris esse. Romanum parvum de *Theogene* hac die ita præfert: *Et Theogenis cum aliis* XXXVI. Notkerus: *Eodem die sanctorum martyrum, Theogenis cum aliis triginta sex*. De vera lectione Usuardini textus

lis

lis fuit inter Sollerium, & Bovvilartium. In Pratensi codice ita habetur: *Eodem die sanctorum martyrum Theagenis cum aliis triginta sex, qui contemnentes temporalem mortem sub Lizinio Imperatore coronam vitæ æternæ adepti sunt*. Verba: *sub Lizinio Imperatore* expunxit Sollerius, quia intellexerat oblitterata in codice Pratensi fuisse. Bovvillartius contra contendit, ea verba minime oblitterata fuisse, ac *Lizinii* nomen *Valeriano* Imperatori addi posse, quod in nummis *Publius Licinius Valerianus* dicatur; ut re vera est.

Paula: *Paula*, de qua Hieronymus epist. XXIX. ad Eustochium, colitur hac die in codicibus nostris, ut & in Martyrologio Fuldensi, Reginæ Suecorum, & Augustano, Labbeano, & Ottoboniano. De ea vero vulgatus Ado, & Usuardus genuinus die insequenti. Vide quæ de *Paula* habet Baronius in Notationibus hac die XXVII. Januarii, & Bollandus.

Balthildis. Agunt item hac die codices nostri de *S. Balthilde regina*, cujus elogium in Pratensi codice Usuardi erasum fuit, & in diem XXX. Januarii translatum; retinendam tamen die XXVI. *Jan.* maluit Sollerius. Migravit ad Dominum, uti habent ejus Acta, III. *Kalendas Februarii* A. D. 680. Hinc Mabillonius Sæculo II. Bened. pagina 784. animadvertit, in sincero Usuardi Martyrologio Pratensi Balthildem coli III. Kalend. Februarii, ac item in veterrimo Corbejensi, seu Corbejensi breviore; & emendanda esse cætera, quæ die XXVI. *Januarii* de ea agunt. At codices nostri hac die agunt, ut & Hagiologium Francogallicum. Tria quoque Martyrologia MSS. apud Bollandum hac die pag. 732. *Balthildem* celebrant. Verum Martyrologium Fuldense agit tantum die III. *Kal. Februarii*. *Balthildis* ex gente Saxonica fuit, illustri genere orta, & a *Clodoveo* Dagoberti regis filio in uxorem ducta. Monasterium *Calense*, seu *Kalense* condidit, vel potius restituit. *Kala*, seu *Cala* erat villa regia agri Parisiensis ad Matronam fluvium, vulgo *Chelle*. Cœnobium sacrarum virginum in honorem *S. Georgii*, in primis *Cale* condidit *Chrothildis* regina c. A. D. 542. Illud amplificavit *Balthildis* c. A. D. 657. *Balthildis* purgatur a suspicione necis illatæ *Dalfino* Antistiti Lugdunensi, apud Mabillonium Sæcul. II. Bened. pag. 777. & apud Bollandum hac die pag. 737. Vide etiam Mabillonium Annal. Bened. lib. XVII. §. V. & ibid. tom. I. pag. 697. ubi ex veteri Sacramentario Missam in natali *S. Balthildis*, III. *Kal. Februarii* exhibet. Duæ ejusdem *translationes* celebrantur; altera XVI. *Kal. Aprilis*, altera *pridie Kalendas Januarii*. Hæc in monasterio *Kalensi*; illa in Corbejensi æque ac Kalensi ob ejus elevationem, quæ fuit A. D. 833. *Balthildis* nomen varie inflexerunt Scriptores; nam *Balthildem*, ac *Balatidem*, *Baltechildem*, seu *Baldechildem* dixere; usitatius apud recentiores *Balthildes* scribitur. De voce *Domna*, & *Domnus*, pro *Sancta*, & *Sanctus*, præter Lexica medii ævi, consule Fontaninum in Disco christiano, commentario illustrato cap. XIV. p. 36., *& seq.*

F. VI. KALENDAS FEBRUARII. 27. *Jan.*

Jo: Chrysost. NATALIS sancti Joannis Episcopi Constantinopolitani, qui Chrysostomus appellatur.

Marii. Item beati Marii Abbatis monasterii Badonensis: cujus vitam plenam virtutibus vir illustris ac Patricius Dynamius scribit.

Paulæ. Et apud Bethleem Judæ, dormitio S. Paulæ, matris Eustochii virginis Christi. Quæ cum esset ex nobilissimo Senatorum genere, abrenuntians sæculo, & opibus suis in pauperes erogatis, Christi consecuta est paupertatem, & apud præfatum oppidulum Dominica nativitate gloriosum, monasterii virginalis extitit mater. Hujus vitam virtutibus admirandam S. Hieronymus scribens, testatur eam longo coronatam esse martyrio. *Hier. ad Eustoch. ep. 27.*

VARIA LECTIO. Ed. *natalis S. Jo: &c.* Codices nostri ita incipiunt:

Jo: Chrysost. „ Constantinopolim, natalis sancti Johannis Episcopi, qui Chrysostomus appellatur. Hic faccione (sic) exilio deputatus heremitica (pro *heretica*, ut habent

 cod.

cod. 512. & 514.) „ Christo post reditum concedente , verbo atque exemplo plurimum religioni profuit christianæ. Eodem die natalis sancti Mauri (cod. 512. *Macharii*: cod. 514. *Marii Abbatis monasterii Bobacensis*) Abbatis Bobacensis , cujus vitam virtutibus plenam vir illustris ac patricius Dinamius scribit . Cenomannis , Juliani Episcopi & confessoris .

Juliani. Deest in nostris codicibus hae die dormitio sanctæ *Paulæ* , quia de ea die superiori . Codex 514. aliena manu , sed antiqua habet: *Cinomanis , sancti Juliani Episcopi & confessoris* .

Jo: Chrysostomi. ADNOTATIO. Es tantum Martyrologia, quæ de *Jo: Chrysostomo* hae die agunt , recensebimus . Agunt antem Romanum parvum , Ado , Usuardus , Notkerus , Martyrologium Fuldense , & Ottobonianum . De variis apud Græcos *Chrysostomi* festivitatibus Bollandus in Elencho prætermissorum , hac die . Deeessit die XIV. *Septembris* , qua die Bollandiani , ut est apud Sollerium in Usuardum , illustraturi sunt eruditorum de Chrysostomi gestis lucubrationes , & Hermantii , & Tillemontii tom. XI. de Chrysostomi Vita commentarios .

Paulæ. De *Paula* nos hodie nihil , quia de ea die superiori egimus .

Marii Ab. Corruptum sæpe fuisse *Marii* Abbatis nomen , ex nostris codicibus apparet . Sed *Marii* legendum , non *Mauri* , ostendont Bollandiani socii hac die pag. 773. qui monent in quibusdam codicibus legi *Maurum* , & *Macerium* . Pleraque Martyrologia , ac ipse Usuardus habent *Bobacensis* . Valesius in Notitia Galliarum pag. 90. scribit , hunc locum , *Bobacum* appellari ; ab aliis *Bobiacum* , *Bodanum* , *Bodaunum* , *Babacum* , aut *Babocum* . Fuit autem hoc monasterium *Bodanense* , vulgo *Beron* , prope Sistaricensem pagum in Gallia Narbonensi . Præerat huic monasterio *Marius* Abbas , qui obiisse fertur c. A. D. 550. Ejus vitam a Dynamio , ut putant , scriptam ex MS. Breviario edidit Bollandus hac die pag. 774. & Mabillonius Sæculo I. Benedictino pag. 105. *Dynamii* patricii , ac rectoris provinciæ Massiliensis in Galliis meminit Gregorius Turonensis lib. VI. cap. VII. & XI. , & Fortunatus Carmine XI. & XII. Adde S. Gregorium M. lib. III. epist. XXXIII. *Marii* meminit hac die Notkerus . Vide quæ de *Mario* obiter habet Mabillonius Annal. Bened. lib. V. §. XXXIV. ad an. 551. & vide infra adnotationem nostram ad VI. *Non. Maji* .

Juliani. A genuino Usuardo expungendum esse hac die *Julianum* , censuit Sollerius , ac etiam die insequenti , ubi in codice Pratensi legitur . Ideo Sollerius *Julianum* ab Usuardi textu expunxit , quod in plerisque codicibus non reperitur , quodque Castellanus monuerit , in codice Pratensi , Julianum *atramento recentiore* additum fuisse . Id pernegat Bovillartius Pratensis codicis vindex , affirmatque , coloris quidem diversi esse atramentum , sed æque vetustum , ac cæteræ litteræ ipsius textus . Recens certe non est atramentum codicis nostri . Silent de *Juliano* pleraque Martyrologia , meminit autem Hagiologium Francogallicum hac die . *Julianus* fuisse fertur primus Cenomanensis Episcopus . Ejus gesta ex libro Pontificali Episcoporum Cenomanensium edidit Mabillonius Analectorum tom. III. pag. 50. *& seq.* In his Actis de illius obitu hæc habentur : *Sedit igitur in prædicta sede , Cenomanica in urbe annos* XLVII. *menses* III. *dies* X. *Qui & obiit in pace* V. *Kal. Februarii , & sepultus est ultra fluvium Sartæ in Ecclesia , quam sui discipuli ad sepeliendum eum præparaverunt* . Quo anno obierit , incertum est ; ipsaque Acta Cenomanensium Episcoporum , uti adnotat Mabillonius ibidem pag. 393. labuntur non semel in notis Chronologicis . Missum in Gallias a *S. Clemente* Romano Pontifice Acta perhibent , ejusque successorem statuunt *Turibium* , quem obiisse volunt post Consulatum *Viatoris* II. hoc est A. D. 497. Quis hæc inter se componat ? Alia Acta , auctore Lethaldo monacho c. A. D. 997. , edidit Bollandus hac die pag. 762. *S. Domnolus* Cenomanensis Episcopus A. D. 572. antiquum *S. Victurii* monasterium prope flumen Sartæ , in quo *S. Juliani* corpus requiescebat , & censu , & monachorum numero auxit ; ita Mabillonius Annal. Bened. lib. VI. §. XLVII. *Juliani* corpus , Normannis per Gallias grassantibus : *a propria sede ad Biturigas usque delatum , & in Ecclesiam sancti Austresigilli de castro illatum* , habent gesta Archiepiscoporum Bituricensium , apud Labbeum Bibliothecæ MSS. tom. II. pag. 71. *Aulerci Cenomani* , vulgo *les Manceaux* , populi Galliarum , urbem habuerunt , quæ in Notitiis provinciarum & civitatum Galliæ , interdum *civitas Cenomannorum* ; *& civitas Cenomanorum* ; ac item *Cenomanni* , dicta est , vernacule *le Mans* . *Cenomannis civitatem* , pro *Cenomannorum* scripsit Gregorius Turonensis lib. II. cap. XLII. Ager *Cenomanicus* , vulgo *le Maine* , barbaris temporibus *Cenomania* , & *Cenomannicum* aliquando vocatur . Vide Valesium in Notitia Galliarum pag. 64.

G.V.KA-

G. V. KALENDAS FEBRUARII. • 28. *Jan.*

Agnetis. NATALIS sanctæ Agnetis secundo.

Leucii, & sociorum. Et in civitate Apollonia, Leucii, Thyrsi, & Calenici martyrum: qui tempore Decii Imperatoris, sub præsidibus Combricio, Sylvano, & Baudo, diversis tormentorum generibus excruciati; primus & ultimus abscissione capitis, medius cælesti voce evocatus, spiritum reddens, martyrium consummaverunt in Græcia.

Cyrilli. Eodem die apud Alexandriam, beati Cyrilli Episcopi, qui catholicæ fidei præclarissimus extitit propugnator.

Joannis. Item in monasterio Reomanensi, sancti Joannis presbyteri viri Dei.

VARIA LECTIO. Ed. *Natalis sanctæ Agnetis secundo*. Codices nostri ita habent:

Agnetis. „ Romæ, natalis sanctæ Agnæ secundo. Apud Alexandriam, depositio beati
Cyrilli. „ Cirini (codex 512. & 514. *Cirilli*) Episcopi, qui catholicæ fidei extitit propu-
„ gnator. In territorio Lingonicæ civitatis, castro Ternodero, monasterio Reomen-
Jo. Ab. „ si, natalis sancti Johannis presbyteri & Abbatis, qui primus habitator ipsius loci,
„ ac diversorum pater monachorum extitit, ac longo confectus senio, clarus virtuti-
„ bus requievit. Hic inter cetera virtutum suarum insignia serpentem basiliscum
„ oratione extinxit, ac puteum in quo ipse, habitabat, monachorum usibus necessa-
„ rium dereliquid (sic). Sepultus est non longe a monasterio.

De *Leucio*, & sociis codices nostri hac die silent, quia de iis egerunt supra ad xv. Kal. Feb.

Agnetis. ADNOTATIO. Iterum hac die in tabulis Ecclesiasticis vetustissimis de *S. Agnete* agitur; quamvis non eisdem apud omnes verbis. Si Martyrologia inspicimus, Hieronymianum Lucense, ita præfert: *Romæ, nativitas sanctæ Agnetis virginis*. Epternacense: *Et Romæ, Agnæ ingenuinum*. Corbejense: *Romæ, sanctæ Agnetis*, tantum. Beda: *Natale sanctæ Agnetis de nativitate*. Romanum parvum: *Sanctæ Agnetis secundo*. Gellonense: *Romæ, Agnetis virginis de nativitate*. Rabanus: *Romæ, sanctæ Agnetis virginis genuinum, hoc est de nativitate*. Codices nostri: *Romæ, natalis sanctæ Agnæ secunda*. Ita Usuardus. Notkerus: *Octava sanctæ Agnæ, vel juxta quosdam natalis genuinus*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, nativitas sanctæ Agnetis virginis*. Fuldense: *Romæ, sanctæ Agnetis de nativitate, & octavas* (sic) *passionis ejus*. Ottobonianum: *Romæ, sanctæ Agnetis*, tantum. Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum: *Romæ, Agnetis virginis de nativitate*. Kalendarium Palat. Vatic. 485. *Nativitas sanctæ Agnetis virginis, martyris*. Kalendarium Vaticanum 3806. *Romæ, sanctæ Agnæ virginis*. His libros Liturgicos addamus. Gelasianum Sacramentarium pag. 145. in titulo hujus diei habet: *Item in natale ejusdem* (Agnetis) *de nativitate*. Sacramentarium Reginæ Suecorum 337. *Natale sanctæ Agnæ* (sic) *secundo*. Sacramentarium Pamelii: *Natale sanctæ Agnetis virginis secundo*. Variæ lectiones ibi: *Nativitas sanctæ Agnæ virginis*, seu: *Natale sanctæ Agnetis in carne*, seu: *octava sanctæ Agnetis*. Sacramentarium Menardi: *Natale sanctæ Agnetis de nativitate*. Sacramentarium Angeli Rocchæ: *De nat. sanctæ Agnæ*. Præfatio in utrisque Sacramentariis habet hæc verba: *Beata Agnetis natalitia geminantes &c.* Sacramentarium Palat. Vat. 495. *Octava sanctæ Agnæ martyris*. Palat. 496. *Octava Agnetis virginis & martyris*. Capitulare Evangeliorum Frontonis, & alia Capitularia tom. II. de Liturgia Romani Pontificis pag. 242. *Natale sanctæ Agnæ de nativitate*. Vide Antiphonarium Carnutensem, & alios apud

apud Thomasium. Quid autem est hoc loco *nativitas sanctæ Agnetis, & ingenuinum*? Celebrari hac die olim consuevisse puto diem natalem, idest, quo nata est *Agnes*. Hic dies, *natalis genuinus, seu natale genuinum* in monumentis Ecclesiasticis fuit appellatus. *Natalis genuinus* apud veteres illa dies est, qua quis in lucem editur; nam *genuinus natalis* dicitur in leg. II. Cod. Theod. de feriis, & leg. II. de spectaculis, leg. XI. & XVII. ejusdem Codicis de proximis, & apud Mamertinum in Genethliaco Maximiani, & in laterculo Polemeii Silvii. Vide Cangium in Dissertatione de inferioris ævi numismatibus cap. XII. Hæc vox translata est in Ecclesiasticis monumenta; nam Acta martyrum SS. Pionii & sociorum apud Ruinartium pag. 123. habent: *Natale Polycarpi martyris celebrantes genuinum*. In Sacramentario Gelasiano pag. 223. habentur orationes ad Missam *in natale genuino*, in quibus legitur: *& annos famuli tui ill. quem de maternis visceribus in hac vita prodere* (sic) *jussisti, prosperos plurimosque largire*. Item: *Ob diem natalis sui genuinum, quo die eum de maternis visceribus in hunc mundum nasci jussisti*. Et ad infra actionem ibi: *Ob diem natalis sui celebrans genuinum, quo die eum de maternis visceribus in hunc mundum nasci jussisti*. Quid autem significaret *ingenuinum* in apographo Epternacensi, ignorare se fassus est Florentinius in notis hac die. Denique hic dies in octavam S. Agnetis ex Ecclesiastico usu transiit.

Leucii & c. De *Leucio* & sociis jam diximus die XVIII. Januarii; ubi de iis codices nostri agunt. Adde vero, quod in Martyrologio Reginæ Suecorum hac die XXVIII. Januar. habetur: *Nicomedia Leucii. In Apollonia Calenicii*. Ita hac die Richenoviense, in quo tamen *Callenidi*, pro *Calenicii* legitur, & *Lucii* additur. In eodem Reginæ Suecorum apographo, & in Richenoviensi die XXXI. Januarii: *Et passio sanctorum Tyrsi, Gallinici, & aliorum XV. Sacerdotum. Tyrsi, & Calinici martyrum* meminit die XXXI. *Januar.* Augustanum, & Labbeanum.

Cyrilli. *Cyrillum* Alexandrinum in Martyrologia Latina primùm adscitum fuisse ab Adone, deinde ab Usuardo, Notkero, & aliis, scribit Sollerius in Usuardum hac die, qui plura de eo profert in Tractatu Chronologico de Patriarchis Alexandrinis. Obiisse censet die XXVII. Januarii A. D. 444. Græci eum colunt die IX. *Junii*. Sed vide Bollandum hac die, Tillemontium tom. XIV. pag. 267. *& seq.* & Pagium in Critica ad an. 444. n. VI. Adi etiam Lequienum in Oriente christiano tom. II. Meminere *Cyrilli* hac die Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum.

Jo. Abbatis. Ex Martyrographis forte primus Ado meminit hac die *Johannis* Abbatis Reomensis, & ex eo Usuardus, Notkerus, & alii. Mendose scriptum apud Notkerum: *In monasterio Reomanensi* (ad oram *Rhemensi*) *Hicanis* pro *Johannis presbyteri, viri Dei*. Martyrologium Fuldense habet: *Et in Tornodorensi pago, sancti Johannis Abbatis*. Corrupti Codices in caussa fuerunt, ut in Martyrologio Romano scriptum fuerit *Rhemensi*, pro *Reomensi*; & Baronius in Notationibus quis iste Johannes presbyter fuerit, ignorasse videtur. *Johannes* iste, de quo plura Mabillonius Annal. Benedictinorum lib. II. §. XXII. ad A. D. 525. natus est apud Lingonas c. A. D. 420. & vixit annos CXX. Quum annum vigesimum ageret, in cellam se abdidit, duobus sociis adhibitis, non ita procul a paterna villa: postmodum in desertum locum pagi Lingonensis secessit, ibique monasterium construxit triginta passuum millibus a castro, seu opido. *Tornodoro*, vulgo *Tonnerre* ad amnem *Reomaum*, qui monasterio postea nomen dedit *Tornodorum*, & *pagus Tornodorensis* varie inflectitur a barbaris Scriptoribus; modo enim *Tornedrensem pagum*, modo *Tornodorensem*, se *Ternodorinsem*, & *Tornetrensem* scribunt; qua de re Valesius in Notitia Galliarum pag. 550. Ejus situm describit Adrevaldus Floriacensis c. XXXII. Monasterium *Reomaus*, a primo sui conditore *S. Johanne* dictum est monasterium *S. Johannis*, vulgo *Monstier S. Jean*. *Reomaus* est in diœcesi Lingonensi, & in pago Ternodorensi; a rivo præterfluente, vulgo *la Reome*, ita dictus. *Johannis* obitum Mabillonius Annalium Bened. lib. IV. §. IV. confert in A. D. 539. cum ætatis annum CXX. attigisset. Obiit autem die *V. Kal. Februarii*, anno 512. cycli Victoriani, qui incipit ab an. 28. æræ christianæ. Sepultus est haud procul a *basilica*, idest *cœnobio* (ita enim *basilica* interdum vocatur in vita hujus S. Johannis) & sepultus intra *terminos monasterii*, donec ejus corpus intra basilicam illatum est a *Leopardino*, qui quartus post eum Abbas fuit. Demum ob Normannorum infestationes in opidum *Sinemurum*, vernacule *Semur* delatum est. Varii illius monasterii monachi ejus gesta scripserunt, ac vitam, quam habes apud Bollandum hac die pag. 854. *& seq.* & apud Mabillonium Sæculo I. Benedictin. pag. 633.

A. IV. KAL. FEBRUARII. 29. *Jan.*

Papiæ & Mauri. ROMÆ, natalis Papiæ & Mauri militum, tempore Diocletiani; qui videntes constantiam Saturnini & Sisinnii martyrum, conversi sunt ad fidem, statimque jussum est a Laodicio præfecto Urbis, ut eorum ora quibus Christum confitebantur, lapidibus contunderentur, & retruderentur in carcerem, ubi baptizati erant a beato Marcello Papa. Quos post duodecim dies eductos, jussit sterni in terram, & fustibus cædi: dein levatos de terra, plumbatis percuti donec expirarent. Quorum corpora colligens noctu Joannes presbyter, sepelivit via Numentana ad Nymphas beati Petri, ubi ipse baptizabat. Scriptum est in gestis beati Marcelli Papæ.

Valerii. Eodem die Treveris, depositio beati Valerii Episcopi, discipuli sancti Petri Apostoli.

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ, natalis &c.* Codices nostri: *Romæ, passio sanctorum Papiæ & Mauri militum &c.*

Savinæ; Valerii. Post verba: *Marcelli Papæ*, codex 511. habet: „ Trecas, sanctæ Savinæ virgi-„ nis. Eodem die Treviris, depositio beati Valerii Episcopi, discipuli sancti Petri Apostoli. Ita quoque codices 512. 514. a quibus tamen abest natalis sanctæ *Savinæ*. *Cæsarii.* Codex 512. ad oram aliena manu, licet antiqua, post verba: *Marcelli Papæ*, hæc addenda monet: *Eodem die sancti Cæsarii confessoris, Eugolisme.*

Papiæ & Mauri. ADNOTATIO. Agunt de SS. *Papia*, & *Mauro* hac die Martyrologia fere omnia. Silent quidem apographa Hieronymiana, at meminere Beda, Rabanus, Romanum parvum, Usuardus, Wandelbertus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, & Kalendarium Vaticanum 3806. Vide quæ Baronius in Notationibus hac die de horum martyrum corporibus ex Ecclesia S. Martini tituli Equitii in Vallicellanam translati habet; & an. 270. n. x. & *seq.*

Valerii. *Valerium* Episcopum Trevirensem celebrant hac die Martyrologia pene omnia, nimirum Hieronymiana, in quibus legitur: *Treveris, depositio Valerii Episcopi*. Et: *Treveris, depositio beati Valerii Episcopi & confessoris*. Agunt præterea Gellonense, Rabanus, Usuardus, Notkerus, Martyrologium Fuldense & Ottobonianum, Richenoviense, Augustanum, Corbejense brevius, & Kalendarium Vaticanum 3806. Martyrologium Reginæ Suecorum, librarii mendo, *Severi*, pro *Valerii* habet. Successit Valerius sancto *Eucherio*, qui obiit A. D. 73. *Valerius* vero migravit ad Deum an. 88. Vide Brovverum Annalium Trevirensium lib. II. §. LXXXVI.

Savinæ. Codices nostri addunt hac die *Savinam* virginem. Nonnulli ex Martyrographis *Sabinam* virginem eadem die, qua *S. Sebastianus* colitur, nimirum IX. *Kal. Februarii*, commemorant, ut ad eam diem indicavimus. Alii cum *Sabina* virgine & martyre Romana, & eum virgine Trecensi confundunt, qua de re hac die Sollerius in Usuardum. Alia præterea Martyrologia apud Bollandum pag. 937. conjunctim recolunt *Sabinianum*, & *Sabinam* virginem ejus sororem. Nonnullæ tamen Ecclesiasticæ tabulæ, & quidem recte de *Sabina virgine* Trecensi hac die agunt, ut Martyrologium monasterii Cellensis juxta Trecas, apud Bollandum, & Martyrologium Reginæ Suecorum, in quo habetur: *Trecas, natalis sanctæ Sabinæ virginis*. Idem Martyrologium IX. Kal. Februarii meminit *Sabinæ virginis & martyris*. Augustanum *Sabinam* recenset IX. & VII. *Kal. Februarii*. Ita Labbeanum, nisi quod VII. Kal. pro *Sabinæ*, legit *Sabiani*. Deceptum esse Usuardum censet Sollerius hac die, & ad diem XXIX. Augusti, dum *Sabinam* virginem *Trecensem* in eam diem transtulit. Ea quoque die in Martyrologio Romano retenta est. Inter Acta martyrum in codice Reginæ Suecorum 482. pag. 27. forte sæculi X. habentur Acta *Savini viri virginis, cujus nativi-*

tas

tas & nobilitas fuit in Samon civitate. Incipiunt: *Savinus autem nobilis & dives in opido Samon &c.* usque: *Sed beata ancilla Dei vixit annis quinquaginta octo. Obiit in pace* VIII. *Kal. Feb. &c. Explicit vita sanctæ Savinæ virginis*. En *Savina*, seu *Sabina*, virgo alia a Trecensi, quæ decessit VIII. *Kal. Feb.* At Acta hæc, ut & Sabinæ Trecensis, censura digna esse, viri docti adnotarunt.

Cæsarii. Codex 515. ad oram, aliena quidem manu, sed satis antiqua agit de *S. Cæsario* Engolismensi. Nihil de eo apud vetustiores, & apud recentiores Hagiographos. De eo mentio in veteri stipulatione apud Mabillonium Annal. Bened. lib. LV. ad A. D. 1024. ubi Willelmus Comes Engolismensis *mansum suum dominicatum* donat basilicæ sanctorum *Ausonii*, *Attonii*, & CÆSARII, prope Engolismam civitatem, ubi etiam eorum corpora requiescere dicuntur. Acta est hæc stipulatio XI. *Kal. Octobris*, regnante Roberto rege, & quidem ante A. D. 1028. quo Willelmus Comes Engolismensis, Hierosolymis redux obiit.

30. *Jan.* *B. III. KAL. FEBRUARII.*

Hippolyti. APUD Antiochiam, passio S. Hippoliti martyris, qui Novati schismate aliquantulum deceptus, operante gratia Christi correctus, ad charitatem Ecclesiæ rediit: pro qua, & in qua, illustre martyrium postea consummavit.

Matthiæ. Jerosolymis, beatissimi Matthiæ Episcopi, de quo mira & plena fide gesta narrantur: qui multa pro Christo perpessus, ultimo in pace vitam finivit. Hic octavus post Jacobum rexit Ecclesiam.

Alexandri Item beati Alexandri. Hic Deciana persecutione, pro confessione fidei, judiciis sistitur, & vinculis carceris traditur. *Euseb. lib. 4. cap. 5.* Quique cum longævæ ætatis veneranda canitie præfulgeret, postquam frequenter passionibus suis, & cruciatibus glorificaverat Dominum, de vinculis ad tribunalia, & a tribunalibus revocaretur ad vincula, inter ipsa vicissim sibi succedentia tormenta, bono fine quievit.

VARIA LECTIO. *Apud Antiochiam &c.* Codices nostri habent: *Antiochiæ, passio.*

Ed. *Hic octavus post Jacobum rexit Ecclesiam*. Codices: *Hic octavus post Jacobum Hierosolymorum rexit Ecclesiam. Eodem die passio beati Alexandri mart. Hic &c.* Ed. *judiciis sistitur*. Codices: *Judici sistitur*. Post verba: *bono fine quievit*, sequitur in codicibus. „ Malbodio monasterio, natalis sanctæ Aldegundis virginis. *Aldegundis.*

In codice 511. post hæc sequitur, sed alia manu: *In territorio Parisiorum, monasterio Cale, depositio Baltildis reginæ*. Hæc verba absunt a codicibus 512. 514. hac die. Vide, quæ ad diem XXVI. Januarii diximus.

Hippolyti. ADNOTATIO. Apographa Hieronymiana die præcedenti meminere *Hippolyti Episcopi, de antiquis*. Hac die vero: *In Antiochia, passio sancti Epoliti*. De his apographia adeundus Florentinius in notis, & Sollerius in Usuardum hac die, nec prætereundus Baronius in Notationibus. Adoni succinunt Usuardus, & Notkerus. Sollerius rem ita componere nititur, ut ipse *Hippolytus* presbyter Romanus sit, qui cum Pontiano Papa in exilium missus, post Cornelii electionem Novatiano schismati faverit, & non *Antiochiæ*, sed ad ostia Tiberina martyrio fuerit affectus. Interim accipe quid vetusta Martyrologia præferant. Romanum parvum: *Antiochiæ, passio sancti Hippoliti*. Ita Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum, in quo additur, *martyris*. Richenoviense: *Et in Antiochia, Yppo-*

Typaliti, *& aliorum* xxIII. Augustanum, & Labbeanum: *Antiochia*, *Typaliti*. Corrupta igitur Martyrologia omnia esse oportet, in quibus *Antiochia* legitur, si ad *ostia Tiberina* legendum sit.

Matthiæ. *Matthiam* Hierosolymitanum Episcopum hac die ex Adone recolit Usuardus, & Notkerus. Meminere prætarea Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, & Romanum parvum. De eo Bollandiani hac die, & in Chronologia Patriarcharum Hirosolymitanorum ante tomum III. Maji pag. 6.

Alexandri *Alexander*, qui ab Adone hac die memoratur, deinde a Notkero, præteritur ab Usuardo. Causam inquirit Sollerius, & male hic ab Adone positam censet. Verba Adonis omnia ex Rufino lib. VI. cap. XXIX. accepta esse monet, quibus Alexandri Hierosymitani certamina describuntur; qui *Alexander* a Romano parvo ponitur die XVIII. *Martii*, quocirca Adonianus *Alexander* extra locum collocatus esse videtur Sollerio, nisi forte a Romano parvo *Alexander* alius indigitetur, qui *Deciana persecutione* passus fuerit.

Addunt codices nostri *Aldegundem* virginem, de qua Usuardus, Rabanus, Florus, & Notkerus. Accedunt Martyrologium Fuldense, Hagiologium Franeogallicum, & Kalendarium Vaticanum 3806. Meminit & Wandelbertus VI. Kalend. *Feb.* Immerito ergo in Adonianam Appendicem a Rosvveido retrusa est. Obiit *Aldegundis*, virgo & Abbatissa *Melbodiensis*, die *Sabbati*, ut animadvertit Mabillonius sæculo II. Bened. pag. 815. III. *Kal. Februarii* A. D. 684. littera Dominicali C. ante bissextum; *& sepulta est in villa suæ quondam ditionis*, vocabulo *Curtisolva*, quæ vulgo dicitur *Curtsore*, inter *Malbodium*, & *Laubacum* cœnobium. *Melbodium*, seu *Malbodium* fuit ad ripam fluminis *Salis* in diœcesi Cameracensi, vernacula nunc *Maubeuge*. De illius obitu idem Mabillonius Annal. Bened. lib. XVII. §. XXXVII. De variis ejus translationibus idem Sæculo II. Bened. pag. 815. *Aldegundis.*

C. PRIDIE KAL. FEBRUARII. 31. *Jan.*

Metrani. APUD Alexandriam, natalis sancti Metrani martyris, quem pagani correptum, jubent impia verba proferre: quod illo recusante, omne corpus ejus fustibus colliserunt, vultumque & oculos acutis calamis terebrantes, extra urbem cum cruciatibus expulerunt, ibique quod in eo supererat spiritus, lapidibus ejecerunt.

Saturnini & sociorum. Item sanctorum Saturnini, Thyrsi, & Victoris.

Eodem die apud Trientinam urbem, beati Vigilii Episcopi & martyris. *Vigilii.*

VARIA LECTIO. Ed. *Item sanctorum Saturnini &c.* Codices: *Item Alexandriæ, sanctorum martyrum Tirsi, Saturnini, & Victoris, quorum gesta habentur.*

Metranii. ADNOTATIO. Qui a Martyrologiis hac die *Metranius* dicitur, *Metra* est martyr Alexandrinus, ex Sollerio in Usuardum hac die, & in Tractatu Chronologico n. 164. Ex epistola Dionysii Alexandrini ad Fabium Antiochenum sumptus est Metranius. Vide eandem epistolam apud Ruinartium inter Acta Martyrum selecta pag. 103. Meminere præterea Romanum parvum, Usuardus, & Notkerus, Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum; item Kalendarium Palat. Vat. 499.

Saturnini & soc. *Saturninus* & socii, nulla loci designatione in vulgato Adone ponuntur; quod quidem negotium facessit Sollerio in Usuardum; at codices nostri aperte, *Alexandriam* statunnt, quod subaudiendum ex superioribus apud Adonem vulgatum, colligitur. Usuardus vero germanus habet *Alexandriæ*. Confusa certe sunt apographa Martyrologiorum hac die, & præsertim Hieronymiana, ut animadvertit Bollandus pag. 1050. deinde Sollerius. In Martyrologio Reginæ Suecorum legitur: *In Alexandria, Gemini, Ursini. Et passio sanctorum Tyrsi, Gallinici, & aliorum XV. sacerdotum.* In Richenoviensi: *In Alexandria, Tarsucii, Zotici, & Ammonii, Gemini, Gelasii. Et passio sanctorum Tyrsi, Calinici, & aliorum XV. sacerdotum.* In Augustano: *Alexandri, Tharsici,*

sci, *Gelasii*, *Ippoti*, *Tyrsi martyrum*, *Calinicis*, *Victoris*. Paullo emendatius in Labbeano: *Alexandriæ*, *Tarsici*, *Hippolyti*, *Tyrsi martyris*, *Calinici*, *Victoris*. Corbejense breviua: *In Alexandria*, *Tarsici*, *Zotici*, *Ammonii*.

Vigilii. Eu Adona S. *Vigilii* commemoratio hac die ab Usuardo sumpta est. Verum cum aliud uberius elogium ab eodem Usuardo dia XXVI. *Junii* positum sit, non levis est inde lis intar Sollerium, & Bovvillartium axorta. Sollerius enim Herinienfia, Tornacensis, & Dervensis codicum fide innixus, *Vigilium* hac die XXXI. *Januarii* affixit, & a die XXVI. *Junii* expunxit. Bovvillertius vero, collocatum quidem *Vigilium* fuisse ab Usuardo die XXXI. *Januarii* fatatur, quia Bedam, Florum, & alios secutus fuerat, sed postquam ex Actis Vigilii didicesset, natalem Vigilii esse die XXVI. *Junii*, errorem correxit. Ea die igitur Usuardus Pratansis, ita habet: *Apud Trientinam urbem*, *sancti Vigilii Episcopi*, *qui sub Stilicone consule pro Christi nomine magno lapidum imbre percussus*, *martyrium complevit*. Multa affert Bovvillartius ad hanc Usuardi lectionem tuendam. Contra vero Sollerius Romani parvi anctoritate nititur, in quo die XXXI. *Januarii* legitur: *Trientina*, *sancti Vigilii Episcopi & martyris*. Acta illustrant Bollandiani socii die XXVI. *Junii*, qua die hactenus in Martyrologio Romano colitur; ubi plura de eodem *Vigilio* Baronius in Notationibus, & an. 400. num. XIV. & *seq.* At vide Pagium in Critica an. 400. num. IV. & *seq.* ubi Baronii sphalmata emendat.



LITANIÆ

LITANIÆ INDICENDÆ.

MENSIS FEBRUARIUS.

Habet dies XXVIII. in Bissextili vero XXIX. Luna XXIX.

D. KALENDIS FEBRUARII. *1. Febr.*



APUD Smyrnam, natalis sancti Pionii martyris, qui persecutione Antonini Veri, post insuperabilem responsionum constantiam, & squalorem carceris, ubi multos fratrum ad martyrii tolerantiam suis exhortationibus roboravit, ad ultimum cruciatibus multis vexatus, clavis confixus, & ardenti rogo superpositus, beatum pro Christo finem vitæ sortitus est. Passi sunt cum eo & alii quindecim. *Pionii.*

Eodem die B. Ephræm Edessenæ ecclesiæ diaconi. *Ephræm.*

Vid. libell. de festivit. Apost. Eodem die apud Antiochiam, beati Ignatii Episcopi & martyris. *Ignatii.*

Item apud Scotiam, S. Brigidæ virginis, cujus vita miraculis claruit. Quæ cum lignum altaris in testimonium virginitatis suæ tetigisset, viride factum est. *Brigidæ.*

Eodem die sancti Pauli Episcopi civitatis Trecassinæ, cujus & vita virtutibus claruit, & mors pretiosa miraculis commendatur. *Pauli.*

VARIA LECTIO. In nostris codicibus ponitur hac die primo loco natalis beati *Ignatii* Episcopi & martyris, prout legitur apud vulgatum Adonem in libello de festivitatibus Apostolorum. *Ignatii.*

Ed. *Civitatis Trecassinæ*. Codices: *civitatis Tricassinæ*.

Post verba: *commendatur*, sequitur in codice 511. *Eodem die, natalis sanctæ Gallæ virginis, cujus gesta habentur*. De *Galla* silent Codices 512. 514. Cod. 512. hac die in fine habet: *Eodem die, Petragoris, natalis sancti Surii confessoris.* *Gallæ.* *Surii.*

ADNOTATIO. In vulgatis Adonis exemplaribus primo loco *Pionius* hac die ponitur, in nostris vero codicibus *Ignatius*. Sequamur igitur vulgatum Adonem: ad *Pionium* quod attinet, multa de eo protulit Baronius an. 169. num. XXII. an. 254. num. I. IV. & XXI. ac in Notationibus hac die, ubi sententiam se mutasse narrat, cum scripsit Pionium una cum Polycarpo passum, sed sub Decio Imp. martyrium subiisse postea existimavit, ejusque Acta sincera esse judicat. Hæc expenduntur a Bollando hac die, deinde a Ruinartio pag. 120. & *seq.* a Tillemontio tom. III. pag. 267. & *seq.* demum a Pagio in Critica ad an. 251. n. XI. Explodunt autem quod in Actis apud Adonem legitur, *Pionium* persecutione *Antonini Veri* passum esse, qua in re præivit Baronius. Occurrit *Pionius* hac die in Hieronymianis, in Romano parvo, & apud Usuardum; in plerisque aliis Martyrologiis desideratur. In Actis dies ejus martyrii XII. *Martii* notatur. Nonnulla Martyrologia hac die 1. Febr. *Polycarpum* recolunt, eique *Pionium* conjungunt. Vide quæ die XXVI. *Januarii* prænotavimus.

Agunt de *Ephræm* hac die pauca Martyrologia. *Ephræm.*

logia. Primus Ado fuisse videtur Sollerio, qui *Ephræmum* ad hunc diem retulerit, cum cæteri de eo agant die IX. Julii. Adonem secutus est Usuardus. Martyrologium vero Ottobonianum hac die I. Februarii habet extremo loco: *Et Sancti Efrem monachi*. Die vero IX. Julii: *Et depositio patris nostri Ephrem*. A Græcis in Menologio colitur die XXVIII. Januarii. Quæ ad *Ephræmum* attinent, habes apud Baronium in Notationibus hac die, & ad an. 378. n. XII. *& seq.* Cætera vide apud Bollandum hac die pag. 49. *& seq.* & Tillemontium tom. VIII. pag. 259. *& seq.* Num idem *Ephræm* sit, qui die I. *Feb.* & qui IX. *Jul.* colitur, subdubitant Bollandiani initio prætermissorum die IX. *Julii* pag. 667. Lis adhuc inter eruditos est, quo anno *Ephræm* obierit. Baronius statuit annum Christi 378. die I. Feb. Pagius in Critica ad an. 378. n. III. contendit, *Ephræmi* obitum contigisse post S. Basilii dormitionem. Basilius autem Pagii sententia obiit an. 380. Franciscus Baertius in commentario prævio, die XIV. Junii pag. 812. Pagium refellit, & Basilii mortem anno Christi 379. alligat, in quam sententiam propendet Tillemontius tom. IX. pag. 98. & 657. *Diaconus* passim Ecclesiæ Edessenæ dicitur *Ephræm*, aliquibus etiam *presbyter* vocatur. Sermo de *S. Ephræm* habetur inter Acta martyrum, & Sanctorum in codice Reginæ Svecorum 523. pag. 226. ante Acta S. Stephani Papæ & martyris.

Ignatii. Qui principe loco in nostris codicibus est *S. Ignatius* martyr & Episcopus Antiochenus, nunc succedat. Hujus martyris adnuntiatio primum posita hac die a Romano parvo videtur Sollerio. Romani parvi verba hæc sunt: *Antiochiæ, Ignatii Episcopi & martyris*. Fuse ejus elogium prosequitur Ado, quem secutus est Usuardus. Silent quidem Hieronymiana, ac item alii Hagiologi hac die, qui meminere XVI. *Kal. Januarii*, ut ibi dicemus. Agit vero hac die Martyrologium Fuldense his verbis: *Eodem die, passio Sancti Ignatii Episcopi Antiocheni & martyris, apud Romam a bestiis suffocati*. Ottobonianum: *Eodem die Romæ, passio Sancti Ignatii Episcopi Antiocheni*. Deinde hæc ambo Martyrologia de Ignatio agunt ad XVI. *Kal. Januarii*. Quid hoc sit, tradit Henschenius in Commentario prævio die prima Februarii, ubi disquirit, quandonam *Ignatii* natalis, *Kalendis Februarii* alligari cœperit. Acta genuina post Usserium edidit Ruinartius pag. 9. & eadem Græce scripta, ibidem pag. 695. Vide Tillemontium tom. II. pag. 190. *& seq.* Quo anno passus sit *Ignatius*, inter eruditos pugnatur. Acta genuina passum habent *Senecio*, seu *Senecione* IV. & *Sura* coss. hoc est an. Christi 107. qui Baronio est an. 109. quo anno, an. V. passus ei videtur Ignatius *Kalendis Februarii*. Pagius in Critica ad an. 107. nn. III. Ignatii martyrium ad an. 116. refert. Pagium refellit Tillemontius tom. II. not. XVII. pag. 506. *& seq.* Norisius in epistola consulari pag. 73. primæ editionis, *Ignatii* martyrium ad an. 112. refert. Martyrio functum esse die XX. *Decembris* Acta ferunt; translatio autem prima illius corporis Roma in suburbia Antiochiæ extra portam Daphniticam contigisse dicitur die XVII. *Decembris*. Tres circumferuntur Ignatii translationes; prima c. A.D. 108. Roma Antiochiam ad portam Daphniticam; de qua Hieronymus de viris illustribus cap. XVI. & Evagrius lib. I. cap. XVI. secunda vero ex suburbio Antiocheno intra ipsam Antiochenam urbem sub Theodosio juniore, c. A. D. 438. de qua idem Evagrius ibid. Vid. Valesium in notis ad eundem Evagrium pag. 61. & Bolland. die prima Feb. pag. 34. tertia Antiochia Romam c. A.D. 637. quando ejus reliquiæ in Ecclesia S. Clementis fuerunt collocatæ, quæ tamen nullo certo veterum testimonio fulciri potest. De hac Baronius in Notationibus ad diem XVII. Decembris, & an. 637. n. I. ubi tamen, constanti fama, veterique traditione potius id significari, quam scriptis fatetur.

De *S. Brigida*, seu *Birgitta* virgine agunt hac die Martyrologia omnia vetustissima Latina, nimirum Hieronymianum Epternacense, & Corbejense, Beda, Gellonense, Usuardus, Rabanus, Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Reginæ Suecorum, Ottobonianum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense breviús, Kalendarium Vaticanum 3806. & Palat. Vat. 485. In his interdum enunciatur *in Hibernia*, frequentius tamen *in Scotia*. Birgitta Scotta a S. Patricio baptizata fuit, ut ex ipsius Patricii formula confessionis in præfatione Monastici Anglicani apud Mabillonium Annalium Benedictinorum lib. VIII. §. III. Baronius in Notationibus, & ann. 521. n. XII. *Brigidæ* obitum in an. 521. confert, ex Mariano Scoto. Bollandiani aliorum sententias referunt, qui an. 518. & 523. habent. Vide Acta illius apud eosdem Bollandianos hac die, ex quibus nonnulla delibat Pagius in Critica ad an. 521. n. XIX. Sacramentarium Palatin. Vat. 495. hac die orationes ad Missam *in natali S. Brigidæ* habet.

Paulus Tricastrinus Episcopus, rectius *Tri-* Pauli. *castinus*, vernacule *S. Pauli Troischateaux* sub Arelatensi Metropoli, ab Adone primum, deinde ab Usuardo & Notkero memoratur, cæteri alii fere omnes silent. Ejus Acta vide apud Bollandianos hac die pag. 93. obiisse dicitur c. A. D. 370.

Additur in uno ex Codicibus nostris S. *Gal-* Gallæ. *la* virgo. Bollandus in addendis ad primam Februarii diem pag. 939. præmonet, ex vetusto optimæ notæ codice Reginæ Suecorum se deprompsisse Acta S. *Gallæ* virginis in Gallia, quæ etiam edidit. Ibi animadvertit, hujus *Gallæ* virginis nomen in nullis adhuc fastis Ecclesiasticis se reperisse. Frequens esse quidem apud Gallos hujusmodi nomen, & genus illustre.

ftre. *Gallas* feminas duas inter fanctas in Galliis adnumerari, alteram nempe Arvernis, in bafilica S. Venerandi fepultam, de qua Gregorius Turonenfis de gloria confefs. c. XXXVI. alteram effe S. *Confortiæ* virginis matrem, de qua Ado die XVI. *Novembris*. *Galla* igitur, quæ in Actis primum a Bollando editis, colitur *Kalendis Februarii*, vixit in diœcefi *Valentina*, & fepulta fuit in *Bageno vico*. Incertum quo tempore vixerit. Bollandus, fæculo Chrifti fexto, aut forfan quinto vixiffe putat. Fuit virgo *Deo devota*, & eum virginitatem Deo voviffet, Valentiæ a feptem Epifcopis velata eft. In Actis vocatur: *Famula Dei*, *ancilla Dei*, *virgo beata*. Locus, in quo ad Dominum migravit, divinitus eft commonftratus. Ejus fubinde corpus in *Bagenum vicum* delatum eft, & in bafilica S. Stephani protomartyris depofitum: *Celebratur autem*, habent Acta in fine, *dies depofitionis ejus Kalendas* (pro *Kalendis*) *Februarii*.

Suri. *Surus* abeft a Martyrologiis veteribus; ac memoratur in codice noftro Adoniano 512. & in Auctario Ufuardi Altempfiano, his verbis: *Petragoricas*, *fancti Suri Confefforis*. Hujus Acta proferunt Bollandiani focii hac die pag. 199. ubi vocatur *Sorus*. Eruitur ex Actis, eum vixiffe ævo SS. *Guntramni*, & *Aredii*, quorum alter fcilicet Guntramnus obiit an. 593. & Aredius an. 591. Mentio *Sori* fit in vita S. *Amandi* eremitæ die XXV. *Junii*. Monafteria apud Petrocorios, quæ A. D. 581. florebant, apud Mabillonium Annalium Bened. lib. VII. §. XIII. hæc funt, *Genoliacenfe*, ubi *Amandus* Lemovix in difciplina monaftica inftitutus; *Calabrenfe*, *Temolacenfe*, & *Bonalenfe*. Condiderat & *Aredius* fæculo fexto, Mabillonio tefte, ibidem lib. LXX. §. XVIII. apud Lemovices monafterium *Terrafonenfe*, quod *Aftidio* Vofienfi Abbati nepoti fuo tradiderat. Locus nunc vulgo dicitur *Terraffon*, & eft diœcefis Sarlatenfis, appellatufque eft etiam *Abbatia Sancti Sori Terracinenfis*. Vide Martinerium, verbo, *Terraffon*.

E. IIII. NONAS FEBRUARII. 2. *Febr.*

Purific. HYpapante Domini.

Cornelii Apud Cæfaream, beatiffimi Cornelii centurionis, quem beatus Petrus baptizavit; quique apud præfatam urbem, Epifcopi honore fublimatus, quievit. *Act.* 10.

Aproniani. Eodem die Romæ, fancti Aproniani martyris. Qui fub perfecutione Maximiani Imperatoris cum præfentaffet adfpectibus Laodicii præfecti beatum Sifinnium diaconum eductum de carcere, (erat enim Commentarienfis) & fubito factam lucem de cælo vidiffet, vocemque pariter hauffet, tremefactus cecidit ad pedes Sifinnii, dicens: Adjuro te per Chriftum, quem confiteris, ne tardes me baptizare, faciafque me pertingere tecum ad coronam. Quem beatus Sifinnius baptizatum ad confignandum facro chrifmate Marcello Papæ obtulit. Quo Præfes comperto, juffit eum capitalem fubire fententiam. Perductus itaque via Salaria, miliario fecundo, capite truncatus, martyr victorque deceffit. *De eo in vita Sancti Marcelli* 16. *Jan.*

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. & 514. *Ypapanti Domini*. *Et apud Cæfaream &c.* ut in editis.

Purificationis. ADNOTATIO. De fefto Purificationis B. Mariæ, deque ritibus ex prifco more in Ecclefia fervari folitis plura Baronius in Notationibus, tum ex Martyrologiis, tum ex aliis monumentis Græcorum & Latinorum. Adde Bollandum, Florentinium, Thomaffinum, Martenium, & alios, ac noviffime Eminentiffimum Lambertinum de Feftis B. Virginis P. II. §. XIV.

§. XIV. & seq. Nos hic ea tantum subjiciemus, quæ ex variis Martyrographis, & Liturgicis codicibus decerpsimus. In Hieronymiana apud Florentinium legitur: *Purificatio S. Mariæ, matris Domini nostri Jesu Christi*. Beda: *Hypopante Domini*. Ita Romanum parvum, & alia pleraque Martyrologia. Gellonense: *Solemnitas S. Mariæ, quando Dominum in templo præsentavit*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Purificatio B. Mariæ semper virginis*; reliqua ut in Gellonensi. Martyrologium Fuldense: *Purificatio Sanctæ Dei genitricis, & oblatio Christi in templo*. Ita Ottobonianum. Kalendarium Vaticanum 3806. *Purificatio Sanctæ Dei genitricis*. Kalendarium Palat. Vat. 485. *Beata Maria Dominum nostram Jesum Christum offerebat in templum* (sic). Richenoviense, Augostanum, & Labbeanum, ut in Gellonensi. Corbejense brevius: *Purificatio beatæ Mariæ, quando repræsentatus est Jesus in templo*. In libris Liturgicis vetustissimis hæc habentur. Sacramentarium Gelasianum pag. 145. præfert: *In Purificatione sanctæ Mariæ*. Sacramentarium Gregorianum Reginæ Succorum 337. Palat. Vat. 495. & Pamelii: *Ypapante, Ypapanti, & Ypaati* (pro *Hypante*) *ad Sanctam Mariam*. Sacramentarium Menardi: *In Purificatione Sanctæ Mariæ virginis*. Palat. 496. *In Purificatione*. Sacramentarium Angeli Rocchæ: *In Purificatione B. Mariæ semper virginis*. In Sacramentario Reginæ Suecorum 337. habetur oratio *ad collectam, ad S. Adrianum*. Exaudi &c. Sequitur: *Missa ad Sanctam Mariam majorem*. Abest ab hoc Sacramentario *benedictio candelarum*, habetur tamen in Palat. 496. præposito lemmate: *Oratio super candelas in Purificatione Sanctæ Mariæ*. Vide ea de re Menardi notas, & Henschenii commentarium prævium hac die. Antiphonarius Carnotensis: *Natal. S. Simeonis. Collect. ad S. Mariam*. Liber Comitis ab Alcuino emendatus: *In die, qua beata virgo offerebat Christum in templo*. In Antiphonario Pamelii, Angeli Rocchæ, & in nova editione Operum S. Gregorii habetur hac die Antiphona, seu cantilena, Angelicæ salutationi similis, Græce & Latine. Eam confer cum Antiphonario Thomasii pag. 172. Vide etiam vulgatum Ordinem Romanum, & vulgatum Alcuinum de divinis officiis, Amalarium lib. III. cap. XLIII. & Micrologum cap. XLVIII. Sergio Papæ adscribendæ videntur hæ ad processionem Antiphonæ. In plerisque codicibus præfigitur ante has Antiphonas: *Purificatio Mariæ; collecta ad S. Adrianum*; seu, *natalis S. Simeonis; collecta ad S. Adrianum; statio ad S. Mariam*: aut, *Ypapanti, statio ad Sanctam Mariam, collecta ad Sanctum Adrianum*. Capitularia Evangeliorum veterrima, tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 443. *Ypapanti. Ad Sanctam Mariam*. Adi de origine hujus festi Baronium an. 544. n. X. & Pagium in Critica ad annum eundem 544. n. VII. & Pagium juniorem in Vita Sergii Papæ §. XXV. XXVI.

Cornelii Centurionis gesta, deque ejus Episcopatu, post Baronii Notationes, plura proferunt Bollandiani hac die, ac summatim Tillemontius tom. I. pag. 154. A Romano parvo primum memoratus creditur Sollerio, ex cujus fonte Ado, deinde Usuardus. Meminit Martyrologium Ottobonianum, his verbis: *Apud Cæsaream, Cornelii Centurionis, quem beatus Petrus baptizavit*. *Cornelii.*

Aproniani martyris meminit hac die Beda, Romanum parvum; ex Adone Usuardus, Rabanus, & Notkerus, & Martyrologium Fuldense. Præter Bedam, alia Hagiographa habent, eum Romæ passum. Vide de eo Bollandianos hac die pag. 287. *Aproniani.*

3. Feb.

F. III. NONAS FEBRUARII.

Celerini, & sociorum.

IN Africa, beati Celerini diaconi & confessoris. Et sanctorum martyrum Celerinæ aviæ ejus, & Laurentini, & Ignatii. Quorum prior patruus, sequens avunculus ipsius fuit. De quorum omnium gloriosis laudibus extat beati Cypriani epistola, quæ de his inter cetera ita loquitur: *Avia*, inquit, *ejus Celerina martyrio coronata est. Item patruus ejus, & avunculus Laurentinus & Ignatius, in castris & ipsi quondam sæcularibus militantes, sed veri & spirituales Dei milites, dum diabolum Christi confessione prosternunt, palmas Domini & coronas illustri passione meruerunt. Sacrificia pro eis semper (ut meministis) offerimus, quoties Martyrum passiones & dies anniversaria celebratione commemoramus*, &c. *Non invenio quem beatiorem* Cyp. ep. 34.

tiorem magis dicam, utrumne illos de posteritate tam clara, an hunc de origine gloriosa.

VARIA LECTIO. Ed. *prior patruus*. Codex 512. & 514. *prior patricius*. Codex 512. hac die in fine. *Ipso die, sancti Blasii martyris*. De *S. Blasio* silet Codex 514., meminit die sequenti, ad oram aliena manu. *Blasii*.

Celerini, & soc. ADNOTATIO. Africani martyres *Celerini* cum sociis memorantur hac die in Hieronymianis, sed confusis, & corruptis nominibus, ut animadvertit Florentinius. Prætereuntur a Beda, Floro, & Rabano; coluntur a Notkero, & Wandelberto. In Romano parvo legitur: *Beati Celerini Diaconi, & Celerinæ aviæ ejus, & Laurentini, & Ignatii.* Martyrologium Fuldense habet: *Et Sanctorum Celerini Diaconi, & Celerinæ aviæ ejus, & Laurentini, & Ignatii: in quorum laudibus extat beati Cypriani Epistola.* Ottobonianum: *In Africa beati Celerini diaconi, & confessoris: & sanctorum martyrum Celerinæ aviæ ejus, & Laurentini, & Ignatii.* Richenoviense: *In Africa, Felicis, Laurentii, Ypoliti, & Celerinæ.* Augustanum: *In Africa, Felicis, Laurenti, Celerini, Ypoliti, Felicitatis.* Ita Labbeanum, præterquam pro *Celerini*, habet *Celerinæ*. Corbejense brevius: *In Africa, Felicis, Celerinæ, Felicitatis.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Africa, Felicis, & Felicitatis.* Usuardus Adonem in summam contraxit, qua de re Sollerius hac die. Cætera de his martyribus habes apud Bollandum hac die, ac Tillemontium tom. III. pag. 395. & *seq.*

De *S. Blasio* agemus cum vulgato Adone die XV. *Februarii*.

G. PRIDIE NONAS FEBRUARII. *4. Febr.*

IN civitate Ægypti, quæ appellatur Thmuis, passio beati Phileæ, ejusdem urbis Episcopi, & Philoromi Tribuni militum *Phileæ, & Philoromi.* Romanorum: cum quibus etiam innumera fidelium multitudo ex eadem urbe, pastoris sui vestigia sequens, persecutione Diocletiani, martyrio coronata est. Sedente namque pro tribunalibus sævissimo Præside, offeruntur innumeri fidelium populi. *Euseb. l. 8. cap. 9, 10. ex versione Ruffini. qui plurima inseruit.* Quos ille singulos per ordinem confessos se Christianos, capite plecti jubet: cumque certatim se & sponte confessione præmissa, gladio subjicerent, ille inhumanus & crudus, nec multitudinis contemplatione, nec virtutis eorum magnanimitate permotus, duci nihilominus omnes, & cædi capite jubet. Verum hi constanter & fortiter cum lætitia & exultatione mortem præsentem velut æternæ vitæ principia rapiebant. Denique cum priores quique jugularentur, reliqui non desidiæ, aut torpori animos indulgebant, sed psallentes & hymnos Deo canentes, locum quisque sui martyrii expectabat, ut hæc agentes, etiam extremos spiritus in Dei laudibus exhalarent. O vere mirabilis & omni veneratione dignus grex ille beatorum, turma virorum fortium, corona splendoris gloriæ Christi! Hanc sane coronam, pretiosior omnium lapis, & gemma nobilior adornabat; hanc turmam præibat ductor illustrior, hunc gregem pastor nobilior decora-

decorabat : Phileas huic nomen est , qui erat Episcopus urbis ipsius . Hic nobilitatem primi generis , secundum animi virtutem de cælestibus trahebat : de terrenis vero , quantum ad sæculum pertinet , primis in Romana Republica honoribus functus . Eruditione quoque liberalium litterarum , & omnibus quæ ad animi virtutem pertinent exercitiis , apprime eruditus . Hic cum plurimos propinquos & consanguineos nobiles viros in eadem urbe haberet , frequenter ad Præsidem ducebatur : ejusque monitis acquiescere , tot & tantis propinquis exorantibus , respectum habere uxoris , & contemplationem suadebatur suscipere liberorum , neque in cœpta præsumptione persistere . Ast ille velut si saxum immobile unda allideretur , garrientium dicta respuere , animos ad cælum tendere , Deum in oculis habere , parentes & propinquos sanctos Martyres , & Apostolos ducere . Aderat tunc quidam vir agens turmam militum Romanorum , Philoromus nomine , qui cum videret Phileam circumdatum lacrymis propinquorum , & Præsidis calliditate fatigari , nec tamen flecti aut infringi ullatenus posse , exclamat : Quid inaniter & superflue constantiam viri tentatis ? Quid eum , qui fidem Deo servat , infidelem vultis efficere ? Quid eum cogitis negare Deum , ut hominibus acquiescat ? Non videtis , quod aures ejus vestra verba non audiunt , quod oculi ejus vestras lacrymas non vident ? Quomodo potest terrenis lacrymis flecti , cujus oculi cælestem gloriam contuentur ? Post hæc dicta , cunctorum ira in Philoromum versa ; unam eamdemque sententiam , eum cum Philea subire poscunt . Quibus libenter annuens Judex , utrumque plecti capite jubet . Passi sunt hi beati Martyres sub persecutione * Diocletiani .

* *Male in MS. erat* Deciana .

VARIA LECTIO . Ed. *quæ appellatur Thmuis* . Martyrologium Adonis in codice vetustissimo monasterii Sangermanensis , signatum n. 761. habet : *Quæ appellatur Thunus* . Codices nostri 511. 512. 514 *quæ appellatur Tinnis* . Ed. *Philoromi* . Codex Sangermanensis . *Filoromi* . Ed. *sedente* . Cod. Sangermanensis : *Sedenti* . Ed. *jubet* . Cod. Sangerman. *jubebat* . Ed. *Torpori animos indulgebat* . Cod. Sangerman. *corpori animas indulgebant* . Ed. *ductor* . Cod. Sangerman. *doctor* . Ed. *apprime* . Cod. Sangerman. *adprime* . Codex 511. post verba : *monitis acquiescere* , exinde mutibus est usque ad VIII. Kal. Maji . Ed. *neque in cœpta præsumptione persistere . Ast ille velut si saxum immobile unda allideretur* . Cod. Sangerman. & Reginæ Suecorum 514. *neque incœpta præsumptione persistere velut si saxo immobili unda allideretur* . Codex Reg. Suec. 512. *neque incœpta præsumptione persistere veluti si saxo mola undarum allideretur* . Ed. *Sanctos martyres & Apostolos ducere* . Cod. Sangerman: *sanctos martyres & Apostolos dicere* . Ed. *Aderat tunc* . Cod. Sangerman. *At erat tunc* . Ed. *superflue* . Cod. Sangerman. *superfluo* . Ed. *Deo* . Cod. Sangerman. *Domino* . Ed. *Deum* . Cod. Sangerman. *Dominum* . Ed. *acquiescat* . Cod. Sangerman. *adquiescat* . Ed. *ira in Philoromum versa* . Cod. Sangerman: *ita in Phyloromum versa* . Ed. *eamdemque sententiam , eum cum Philea subire poscunt* . Cod. Sangerman. *eandemque eum cum Phylen senten-*

E Cod. 511. membrana quadã avulsæ ex hac die ad VIII. Kal. Maji.

sententiam poscunt. Ed. *persecutione Diocletiani*. Cod. Sangerman. Reg. Suec. 512. & 514. *Deciona persecutione*. Sequitur in codicibus 512. 514. *Trecas, natalis S. Aventini Episcopi & confessoris, cujus gesta habentur*.

In codice 511. initio hujus diei, ad orám aliena manu hæc leguntur:

Blavii. „ Apud Sebasteam civitatem depositio sancti Blavil (sic) Episcopi, qui multorum „ pa. (forte *pater*) patratorum miraculorum, sub Præside Agricolano post diu„ tinam cesionem (sic), post carcerem, atque idem (pro *item*) suspensionem in li„ gno, ubi pectinis ferreis carnes ejus disruptæ sunt, post iterum teterrimum carcerem, „ post dimersionem laci, unde supervadens salvus exivit, iniquissimo judice, capite ad „ extremum cum duobus. Cætera desunt. Vid. infra ad xv. Kal. Mart.

Philea, & Philoromi. ADNOTATIO. Agunt de his Hieronymiana, at nimis corrupte, adeo ut Florentinius nomina eorum medica manu sanare vix potuerit. Richenoviense quoque mendose: *Timna Episcopi cum filia sua*. Clarius Romanum parvum, exinde Ado, & ex eo summatim Usuardus. Egregie illustrat Acta Henschenius hac die, deinde Ruinartius pag. 547. demum Tillemontius tom. v. pag. 484. *& seq.* Præter Martyrolographos a viris doctis recensitos, agunt de his hac die Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum.

Aventini. Colitur *Aventinus* hac die apud Usuardum. Hinc quum a vulgato Adone abesset, putavit Sollerius antiquioribus Martyrolographis ignotum fuisse, & locum ei dedisse in Martyrologiis Usuardum, & quidem *Trecis*, licet ibi depositus non fuerit. At *Aventini* meminit hac die, præter nostros Adonianos codices, Martyrologium Gellonense. Memoratur apud Mabillonium Annal. Benedictinorum lib. II. §. xxxiv. A.D. 535. *Aventinus* Abbas *Trecensis*, & illius monasterium ad *Insulam*, opidum, duabus ab urbe Tricassina leucis, ad *Ozam* fluviolum. De S. Aventino Gregorius Turonensis cap. LXVIII. de gloria confess. ad quem locum Ruinartius monet, obiisse eum A.D. 537. in solitudine prope *Verrerias*. Vide Cointium ad A.D. 486. & 537. Plura vide apud Bollandianos hac die pag. 484. *& seq.* apud quos *Episcopum* non fuisse *Aventinum* pro certo habetur.

A. NONIS FEBRUARII. *5. Febr.*

Agathæ. IN Sicilia civitate Catanensium, passio sanctæ Agathæ virginis, sub Imperatore Decio, Proconsule Quinctiano, quæ post alapas & carcerem, post eculeum & tortiones, post mamillarum abscissionem, sed a Domino sanationem, post volutationem in testulis & carbonibus, tandem in carcere consummata est. *Vide libel. de festivit. Apostol.*

Aviti. Viennæ, Beati Aviti Episcopi, cujus fide & industria, atque admirabili doctrina, tempore Gundobaldi Regis ab infestatione Arianæ hæreseos Galliæ defensæ sunt.

VARIA LECTIO. Ed. *In Sicilia civitate Catanensium*. Cod. Reg. Suecorum 512. 514. & Sangerman. *Apud Siciliam civitate Catenensium*. Ed. *Sub Imperatore Decio*. Codices memorati: *sub Decio Imperatore*. Ed. *mamillarum abscissionem*. Cod. Sangerman. *mamillarum absciomem*. Cod. 512. 514. *mamillarum abscisionem*.

Agathæ. ADNOTATIO. In tabulis omnibus Ecclesiasticis, Martyrologiis, ac Liturgiis vetustissimis colitur hac die *S. Agatha* virgo & martyr. In Hieronymianis habetur: *In Sicilia, Catania passio sanctæ Agathæ virginis*. Agunt præterea Beda, Romanum parvum, Gellonense, Usuardus, Rabanus, & Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium

Reginæ Suecorum; Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, & Kalendarium Palat. Vatic. 485. & Kalendarium Vaticanum 3806. Mendose legitur apud Rabanum, *Agatham passam fuisse sub Quintiano consule, tempore Diocletiani*: recte apud Adonem, & Notkerum, *Quintiano quidem proconsule*. Sicilia, imperante *Decio*, a *Proconsulibus* regebatur, ut nos ostendimus in Opere de antiquis Italiæ metropolibus cap. x. *Quintianus* igitur, seu *Quinctianus* fuit Siciliæ *Proconsul*. De *Agatha* demum agunt hac die libri Liturgici vetustissimi, ut Sacramentarium Gelasianum, & Gregoriana omnia, item Capitularis Evangeliorum veterrima, quæ consule tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 243. Acta illustravit Bollandus hac die, pag. 615. ac Tillemontius tom. III. pag. 409. *& seq.* Ea habentur etiam in codice Reginæ Suecorum 482. pag. 1. sæculi forte decimi. Incipiunt ita: *Passio sanctæ ac beatissimæ Agathæ virginis atque martyris. Beatissima martyris Agatha, quæ passa est in provincia Siciliæ in urbe Catenensium* (sic) *sub Decio Imperatore ter consule, die Nonarum Februariarum recitamus historiam. Quintianus consularis Siciliæ &c.* usque, *sanctæ martyris liberasset*. Post hæc sequitur in codice: *Incipiunt Antiphonæ cum Responsoriis de sancta Agatha. Ingenua sum*, cum cæteris quæ hactenus in Romano Breviario leguntur. *Tertius* Decii Augusti *consulatus* incidit in annum Christi 251. qui Baronio est annus 254., ad quem annum num. XXVIII. de S. *Agathæ* martyrio meminit.

Alcimus Avitus, Viennensis Episcopus, clarus inter Ecclesiasticos poetas, in apographis Hieronymianis, licet aliena manu, primum occurrit, deinde agunt de eo hac die Usuardus, Rabanus, Notkerus, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, & Fraocogallicum. Obiit hac die v. *Februarii* A. D. 523. Illius gesta illustrantur a Bollandianis hac die; opera vero a Bellarmino, Labbeo, & aliis, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis egere, enumerantur. *Aviti*,

---

6. Febr. *B. VIII. IDUS FEBRUARII.*

Dorothea. APUD Cæsaream Cappadociæ, natalis sanctæ Dorotheæ virginis, quæ sub * Apricio, provinciæ ipsius Præside, primum eculei extensione vexata, dein palmis diutissime cæsa, ad ultimum capitali sententia punita est. Cumque egrediens de prætorio duceretur ad mortem, Theophilus quidam scholasticus ait ad eam: Eja tu sponsa Christi, mitte mihi mala de paradiso sponsi tui. Quæ statim promisit se esse missuram. Ubi ergo ventum est ad locum, in quo jugulanda erat, paulisper oratione facta, protulit orarium suum; & vocato ad se quodam puerulo annorum sex, misit Theophilo, dicens: Dic ei, Dorothea ancilla Dei mittit tibi mala de paradiso sponsi sui Christi. Accipiens ille, & gratias agens quod petitionem ejus implesset, cœpit sibi faciem tergere, tantaque repente suavitate perfusus est, ita ut tota mente mutatus, cum grandi exultatione, & clara voce sæpius replicaret: Benedictum nomen Domini mei Jesu Christi. Ob quam confessionem mox & ipse tentus, ac suspensus in eculeo, tanta crudelitate tortus est, ut omnes circumstantes horrescerent: novissime cæso capite martyrium consummavit.

* al. Sapricio.

Antholiani. Eodem die, natalis S. Antholiani, qui apud urbem Arvernam martyrio coronatus est.

VARIA

VARIA LECTIO. Ed. *Eodem die, natalis S. Antholiani &c.* Cod. 512. 514. habent: *Arvernis, natalis sancti Antholiani, qui apud urbem Arvernam martyrio coronatus est.* Deinde sequitur in eisdem codicibus, ut & in Sangermanensi: *Eodem die, sanctorum Episcoporum Vedasti, & Amandi, quorum & vita & mors plurimis (extitit, ita cod. Sangermanen.) existit miraculis gloriosa; e quibus prior Atrabatensium: sequens vero Trejectensium rexit Ecclesiam.* Sequitur in Sangermanensi: *Eodem die veris initium, habet dies* XCI. *Vedasti, & Amandi.*

Dorothea. ADNOTATIO. *Dorothea* hac die celebratur in Hieronymianis, a Rabano, Usuardo, Notkero, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, & Kalendario Vaticano 3806. Præter Baronium in Notationibus, & an. 304. n. LXX. *& seq.* vide quæ de illius Actis habent Bollandiani hac die, & Tillemontius tom. V. pag. 497. *& seq.*

Antholiani. *Antholianus* memoratur in Hieronymianis; at dubitat Florentinius, an idem sit ac *Antholianus*, seu *Antolianus* Arvernensis Episcopus; scrupulum eximunt Ado vulgatus, atque Codices nostri. Adeundus de eo Bollandus in commentario historico. *Antoliani* meminit hac die Richenoviense.

Vedasti, & Amandi. *Vedastus*, & *Amandus* a Mosandro & Rosvveido hac die in Appendicem Adonianam, tanquam a genuino Adone alieni, rejecti sunt. At de his agunt hac die Rabanus, & Notkerus. Rabanus habet: *In Ellone* (pro *Elnone*) *monasterio, depositio S. Amandi Episcopi.* Usuardus hac die eadem verba usurpat, quæ in codicibus nostris leguntur. Agunt præterea hac die Florus, Wandelbertus, Gellonense, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, in quo tamen de uno *Vedasto*: utrusque Augustanum, & Labbeanum; unius *Vedasti* Corbejense brevius; *Amandi* Martyrologium Reginæ Suecorum; *Amandi & Vedasti* Kalendarium Vaticanum 3806., demum *Vedasti* tantummodo Kalendarium Palat. Vat. 485. In nostris codicibus ad diem XXVI. *Octobris* desideratur commemoratio Sanctorum *Amandi & Vedasti*, quæ ibi in vulgato Adone legitur. Nulla ergo causa subest, cur in Appendicem Adonianam detrudantur. Obiit *S. Amandus* Episcopus *Trajectensis* in Elnonensi monasterio ad Scarpum, quod postremis vitæ suæ annis moderatus est, hac die VIII. *Idus Februarii* A.D. 679. qua de re præter Bollandianos, Mabillonius Annalium Bened. lib. XVI. §. LXXXIII. & ibi de illius vitæ Scriptoribus. *Elnonense* monasterium *SS. Petri & Andreæ* in Belgio, deinde *S. Amandi* appellatum, conditum ab ipso S. *Amando* fuit A.D. 639. ut habet Mabillonius, ibidem lib. XII. §. LIX. & LX. In codice insignis Ecclesiæ Canonicorum Forojuliensium in ditione Venetorum prope Julias alpes vidimus nos aliquando vitam S. Amandi, cujus initium est: *Amandus ergo sanctissimus vir ex Aquitaniæ partibus ortus, a Christianis est parentibus editus. Cum vero in robur pervenit virile, in Christi flagravit amore &c.* In fine legitur: *Sepultusque est honorifice in monasterio, quod dicitur Helnone, in quo loco multa per orationes ejus credentibus a Domino præstantur beneficia &c.* *Vedastus* Atrebatensis Episc. obiit c. A. D. 538. & anno 666. facta primum est illius corporis translatio ad eum locum, ubi celebre nunc etiam est *Sancti Vedasti* monasterium, vulgo *S. Vaast d'Arras*. Ita Mabillonius ibidem. Aliæ hujus Antistitis translationes factæ fuerunt, de quibus Bollandiani hac die, & nos infra die *prima Octobris*.

C. VII. IDUS FEBRUARII. *7. Febr.*

Auguli. IN Britanniis civitate Augusta, natalis sancti Auguli Episcopi & martyris.

Moysetis. Item S. Moysetis venerabilis Episcopi, qui primo quidem in eremo vitam solitariam ducens, meritis ac virtutibus & signis, quæ faciebat per illum Deus magnifice innotuerat. Qui postremo dum petente Mauvia Saracenorum Regina, episcopus gentis illius factus, fidei catholicæ custodivit intemerata consortia, & gentem, cui datus fuerat Episcopus, ex grandi parte ad fidem Christi convertit. Sicque perfectus in virtutibus, in pace quievit. *Ruff. lib. 2. cap. 6.*

VARIA LECTIO. Ed. *Item S. Moysetis*. Cod. 512. 514. & Sangermanen: *Eodem die, sancti Moysetis*. In eisdem codicibus post verbum *quievit*, hæc sequuntur: *Apud Asiam provinciam, sancti Apollinaris Hieropolitane* (sic) *antistitis, viri eruditissimi*.

Apollinaris.

Anguli. ADNOTATIO. *Angulus* Episcopus & martyr in civitate Britanniæ *Augusta*, in Martyrologiis fere omnibus hac die celebratur, videlicet in Hieronymianis, Beda, Usuardo, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Reginæ Suecorum, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, & Corbejensi breviore. Librarii menda apud Bedam genuinum, a Bollandianis editum, legitur, *natale Augusti*, pro *Anguli*. Sane codices duo Palatino Vaticani nn. 833. 834. fatis vetusti, habent: *Anguli*. Quæ sit *Augusta* civitas in *Britannia*, erudite disquirit Henschenius hac die. *Londino* hoc nomen inditum creditur, quæ apud Tacitum lib. XIV. cap. XXXIII. *Coloniæ* cognomento, & apud Ammianum lib. XXVII. cap. XVIII. *Augusta* nominatur. Licet *Eboraco* potius id tribuat Castellanus. Londinum quoque olim *Augusta Trinobantum* dicta putatur. Quo tempore passus sit *Angulus*, non constat.

Moysetis. *Moysis*, pro *Moysetis* in Martyrologio Romano retinetur; in vetustis vero Martyrologiis *Moysetis*. De eo Baronius in Notationibus hac die, & an. 372. n. CIII. *& seq.* item Pagius in Critica an. 372. n. XXII. Ex Romano parvo ab Adone acceptam fuisse *Moysetis* commemorationem putat Sollerius, quia Romanum parvum habet: *Sancti Moysetis, qui petente Mauvia Sarracenorum regina, Episcopus gentis illius factus est*. Agunt præterea Usuardus, Notkerus, & Martyrologium Fuldense. Sæpe cum alio synonymo, *Æthiope* confunditur, qua de re Bollandiani hac die. Vide Tillemontium tom. VII. pag. 593. *& seq.*

Apollinaris. Sequitur in codicibus nostris hac die *Apollinaris* Episcopus Hierapolitanus. Silent quidem de eo pleraque Martyrologia. Desideratur quoque hac die in genuino Usuardo. Habetur tamen in ejus vetustis Auctariis, ut in Centulensi, & Bruxellensi, hac die apud Sollerium. *Claudius Apollinaris* appellatur ab Eusebio. Bollandiani socii hac die, Februarii tom. II. pag. 4. monent, *Apollinarem* haberi in MS. Adone S. Laurentii Leodii, licet subiode interpolato; item haberi in MS. Centulensi, qui Bedæ nomen præfert, & in codicibus Usuardi. In Martyrologio Romano *Apollinaris* colitur die VIII. *Januarii*. De eo & ejus scriptis contra Cataphrygas, & Apologia pro Christianis Eusebius l. V. c. XVIII. & XIX. & lib. IV. cap. XXVI. & alibi sæpius, Theodoretus lib. III. cap. II. Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XXVI. Vide Tillemontium tom. II. pag. 452. 675. 676. Obiit ante A. D. 180.

8. Febr. *D. VI. IDUS FEBRUARII.*

Dionysii, Æmiliani, & Sebastiani. APUD Armeniam minorem, natalis SS. Dionysii, Æmiliani & Sebastiani.

Cointhæ. Eodem die, apud Alexandriam, natalis sanctæ Cointhæ martyris. Hanc pagani correptam ad idola perducentes, adorare cogebant. Quæ cum illa execrans recusaret, vincula pedibus ejus innectentes, & per plateas totius civitatis eam trahentes, horrendo supplicio discerpserunt. *Euseb. l. 6. cap. 34. vel 31. ex versione Ruffini.*

VARIA LECTIO. Ed. *Quæ cum illa execrans*. Cod. 512. 514. & Sangermanen: *Quod cum illa execrans*.

Dionysii, & soc. ADNOTATIO. De tribus his Armenis martyribus agunt Hieronymiani his verbis: *In Armenia minore, natalis Dionysii, Æmiliani, Sebastiani*. Romanum parvum: *Sanctorum Dionysii, Æmiliani, Sebastiani*, tantum, loci designatione prætermissa. Adonem exscribunt Usuardus, & Notkerus. Agit & Wandelbertus. Acta expendunt Bollandiani hac die, & Florentinius. Addamus alia Martyrologia, eorumque verba. Ottobonianum.

num. *In Armenia minore, natalis Sanctorum Dionisii, & Æmeliani*. Richenoviense: *In Armenia minore, Dionysii, Emiliani, & Sebastiani*. Augustanum: *Armeli* (pro *Armenia*) *& Dionysii, Emiliani, Sebastiani*. Labbeanum: *Armenia, Dionysii, Æmiliani, Sebastiani*. Corbejense brevius: *In Armenia minori, natalis Dionysii*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Armenia minori, natalis sancti Dionysii, cum aliis duobus*.

Cointha, seu *Chinta*, quæ *Quinta* vero nomine creditur, laudatur ab Eusebio Rufini lib. VI. cap. XXXI. alias XXXIV. ubi Sancti Dionysii Epistola de martyribus, qui apud Alexandriam sub Decio passi sunt. Locum Eusebii illustrant Bollandiani hac die, & Ruinartius in Actis selectis. Præter Adonem, & Usuardum, qui de ea hac die meminere, silent pleraque alia Latinorum Martyrologia. *Cointhæ.*

E. V. IDUS FEBRUARII. *9. Febr.*

Euseb. l. 6. cap. 34. vel 31. ex versione Ruffini.

ALEXANDRIÆ, sanctæ Apolloniæ virginis: cui persecutores, omnes primum dentes excusserunt: deinde cum minarentur, constructo ac succenso rogo, eam se vivam incensuros, nisi cum eis impia verba proferret; illa paululum, quid ageret, intra semetipsam deliberans, repente de manibus impiorum prorupit, & in ignem, quem minabantur, sponte prosilivit. *Apolloniæ.*

VARIA LECTIO. Ed. *Alexandriæ*. Cod. 512. 514. & Sangermanen: *Alexandria*. Ed. *deinde cum minarentur, constructo, ac succenso rogo*. Codices memorati: *deinde constructo ac succenso rogo, cum minarentur vivam se eam incensuros*. Ed. *illa paululum quid ageret, intra semetipsam deliberans, repente de manibus impiorum prorupit*. Cod. 512. 514: *illa paululum quid intro semetipsam &c.* Codex Sangermanen: *tandem vero illa paululum. Qui intra semetipsam deliberans, repente se de manibus impiorum prorupit*.

Post verbum: *prosilivit*. Sequitur in codicibus præfatis: *Apud Ponti* (sic) *provinciam, sancti Athenodori Episcopi, fratris beati Gregorii, qui & Theodorus cognominatus est*. In codice 514. ad oram hac die aliena manu legitur: *Fontenelle, sancti Ausberti*. *Athenodori.* *Ansberti.*

Apollonia. ADNOTATIO. Desideratur *Apollonia* in Hieronymianis, Beda, Floro, Rabano, & Wandelberto, sed colitur in aliis, nimirum in Romano parvo, Adone, Usuardo, Notkero, & Martyrologio Fuldensi. De ejus martyrio & actis consule Bollandianos hac die, Tillemontium tom. III. pag. 293. & seq. & Sollerium in Usuardum hac die.

Athenodori. In codicibus nostris memoratur *Athenodorus*, qui deest quidem in genuino Usuardo, sed habetur in ejus Auctariis, ubi frater *Gregorii*, qui *Theologus* nuncupabatur, dicitur. Agunt de eo Bollandiani socii hac die pag. 288. & seq. Meminit hujus *Gregorii* Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. LXV. ubi eum *Theodorum* appellat, ac postea *Gregorium* vocatum scribit. Item Eusebius lib. VII. cap. XVII. *Per idem tempus*, inquit, *cum Romano adhuc Sacerdotio Xystus præesset, & apud Antiochiam Demetrianus, Firmilianusque adhuc Cæsareæ Cappadociæ superesset, Ponti Ecclesias Gregorius, qui prius Theodorus dictus est ex Origenis discipulis cum* FRATRE ATHENODORO *suscepit gubernandas*. De *Athenodoro* agit Martyrologium Romanum die XVIII. *Octobris*. Ibi plura de eo Baronius in Notationibus, & an. 275. n. IX. *Martyrio* coronatum fuisse scribit Baronius, sed in quibusdam Martyrologiis *confessor* tantum appellatur. Vide Bollandianos, ut supra pag. 292. n. 19. & Tillemontium pag. 318.

Cursim de S. *Ansberto*, qui ad oram unius ex codicibus nostris exaratus est, & aliena manu apud ipsum Usuardum, quamvis in ejus Auctariis obvius sit, hac item monemus, memorari scilicet eum in Martyrologio Fuldensi. Fuit *Ansbertus* primum Abbas Fontanellæ, deinde Archiepiscopus *Rotomagensis*, obiitque A. D. 695. ut habet Mabillonius Annal. Bened. lib. XVIII. §. XXXII. Vide Bollandianos hac die pag. 342. & seq. *Ansberti.*

10. *Febr.* F. *IV. IDUS. FEBRUARII.*

Zotici, & sociorum. ROMÆ, natalis SS. martyrum Zotici, Irenæi, Hyacinthi, & Amantii.

Soteris. Eodem die in Oriente, sanctæ Soteris virginis, quæ graviter & diutissime alapis cæsa, cum cetera quoque pœnarum genera vicisset, gladio martyrium cousummavit.

Milit. x. Item Romæ via Lavicana, decem Militum.

VARIA LECTIO. Ed: *Hyacinthi & Amantii*. Codex Sangermanensis: *Hyacinthi & Amanti*: Codices 512. 514. *Tacinti & Amanti*.

Scholasti-ca. *Trojani.* Post verbum: *decem militum* sequitur in Sangermanen: & cod. 512. 514. *Apud castrum Cassinum* (cod. 514. *Casinum*) *sanctæ Scholasticæ* (codex 512. 514. *Scolasticæ*) *virginis*. *Sanctonas* (codex Sangerman. *Romani*) codex 512, 514. *Trojani*) *Episcopi & confessoris*.

Zotici, & sociorum. ADNOTATIO. *Zoticum* & socios eolunt hae die Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Rabanus, & Notkerus. Conjunguntur fere semper in his mixtim cum *Sotere*. *Soteris.* At interdum memorata Martyrologia agunt tantum de *Sotere*, *Zotico*, & sociis hac die x. *Februarii*, interdum de *Sotere* VIII. *Idus Februarii*, idest die VI. *Februarii*, ac iterum die x. In Hieronymiano Lucensi & Epternacensi agitur die VII. *Februarii* his verbis: *Romæ via Appia in ejusdem cœmeteria*, *passio sancti* (pro *sanctæ*) *Sotheris virginis*. Iterum apographum Lucense die x. Febr: *In Roma*, *Soteris*, *Zotici*, *Herenæ*. Epternacense vero: *Romæ, natalis Soteris, & via Lavicana*, *Zotici*, *& Amantii*. Apographum Corbejense: *Romæ*, *Soteris*, *Zotici*, *Jacinthi*, *Hirnei*, *Dionysii*. Gellonense meminit *Soteris virginis* die VI. Februarii. Et die x. habet: *Romæ*, *Soteris*, *Zotici*, *Irnei*, *Jacinthi*, *Amati mart.* Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum de *Sothere* die VI. & x. Februarii agunt. Rabanus vero die VI. *Februarii*. Notkerus die x. Martyrologium Reginæ Suecorum die VI. tantummodo, his verbis: *Romæ*, *via Appia*, *in cymiteria juxta catacumbas*, *passio Soteris virginis*; ita fere die VI. Corbejense brevius. Martyrologium Fuldense agit die x. *Februarii* his verbis: *Romæ passio sanctorum Sotheris*, *Zotici*, *Hyenei*, *Hiacinthi*, *& Amantii*. Kalendarium Palatinum Vatic. 485. hac die x. Febr. *Natalis sancti* (pro *sanctæ*) *Soteris mart. & Sanctorum Erenei*, *Zotici*, *& Jacincti mar. Sotherem* hac die x. recolit Kalendarium Vaticanum 3806. Martyrologium Ottobonianum die item x. Febr. *Romæ*, *natalis sanctorum Zotici*, *Herenei*, *& Jacinti*, *& Amantii*. De *Sothere* utrobique silet. Usuardus Adonem exscribit. Quid autem sibi velit vox illa in *Oriente* apud Adonem, & Usuardum, ubi de S. *Sothere* agunt, disquirit Sollerius in Usuardum hac die, ac erratum Adonis, & illius transcriptoris Usuardi esse putat. Olim certe in Ecclesia Romana natalis *sanctæ Soteris martyris* IV. *Idus Februarii*, hoc est die x. Februarii rite celebratur, ut apparet ex Missa in natali ejus in codice Sacramentorum Gelasiano. Notitia quoque Ecclesiarum extra urbem apud Eccardum de Ecclesia S. *Soteris*, ita habet: *Juxto viam Appiam in orientali parte civitatis Ecclesio est sanctæ Soteris martyris*, *ubi ipsa cum multis martyribus jacet*. Vide, ne diutius in his immoremur, Bollandum die x. Februarii, ubi de ejus sepultura, & cœmeterio, pag. 389. n. 15. 16. Ruinartii Acta martyrum selecta pag. 405. Castellanum pag. 600. 601. ac Tillemontium pag. 239. *& seq.*

Milites decem martyres, *via Lavicana* memorantur hac die in Romano parvo, Usuardo, & Notkero, sed nemo eorum nomina, nec quando passi sint, pandit. *Milit. x.*

Codices nostri S. *Scholasticam* hac die recolunt. Ea vero a genuino Adone ablegenda esse non videtur. Agit de ea hac die Usuardus genuinus; & quum in Appendicem Adonianam conjecta esset, adjectam primum Martyrologiis ab Usuardo existimat Sollerius. At Rabanus, & Notkerus, Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum, Augustanum, & Kalendarium Vatic. 3806. de ea agunt hac die, quæ si eodicibus nostris addas, non esse a genuino Adone eliminandam *Scholaticam* elicies. Obiit *Scholastica* A. D. 543. & in Casinensi monasterio sepulta fuit. Vid. Mabillon. sæculo I. Bened. pag. 35. & Annalium Bened. lib. V. §. IV. In Missali plenario Vatic. n. 4770. sæculi XI. ad oram hac die designatur Missa in nat. S. *Scholasticæ*. *Scholastica.*

Additur

Trojani. Additur hac die in codicibus nostris *Trojanus* Episcopus *Santonensis*. De eo item agunt una cum vulgato Adone die xxx. *Novembris*. Rabanus vero, Notkerus, Martyrologium Reginæ Suecorum, Ottobonianum, Richenoviense, & Labbeanum agunt hac die x. *Februarii*. Trojanus obiit A. D. 538. De eo obiter Bollandiani hac die pag. 379. in indiculo prætermissorum, plenius de illo acturi die xxx. *Novembris*; qua die Usuardus. In Martyrologio Romano editionis Romanæ anni 1583. agebatur die x. *Februarii* de *S. Trojano*, ita ibi, Episcopo Santonensi. sed expunctum est elogium in exemplari, quo usus est Baronius in emendatione ejusdem Martyrologii, & ad oram Baronii manu adnotatur: *de hoc infra xxx. Novembris*.

G. III. IDUS FEBRUARII. 11. *Febr.*

APUD Viennam, sancti Simplidis episcopi, & confessoris. *Simplidis.*
Item apud Alexandriam, depositio sanctæ Euphrasiæ virginis, quæ in monasterio mira virtute abstinentiæ, & miraculis claruit. *Euphrasiæ.*

VARIA LECTIO. Post S. *Simplidem* Cod. 512. 514. habent: *Apud Lugdunum, natalis beati Desiderii Episcopi, & confessoris*. Ita Cod. Sangermanen. omissis: *Apud Lugdunum*. Sequitur in iisdem codicibus: *Castronatonense*, *Sancti Severini abbatis monasterii* (Cod. 512. *Acaunensis*) (Cod. Sangermanen. *Aulanensis*) *cujus precibus rex* (Cod. 511. *Clodoveus*) (Cod. Sangerman. & 514. *Flodovebus*) *ab infirmitate sua liberatus est*. *Desiderii.* *Severini.*

Simplidis. ADNOTATIO. A solo Adone, quod quidem meminerim, *Simplides* Viennensis in Gallia Episcopus commemoratur, & a vulgato Beda; a cæteris aliis præteritur, vide quæ de eo habent Bollandiani hac die pag. 511. *Undecimus* est ordine in serie Episcoporum Viennensium. Vixisse dicitur sub sæculi tertii finem.

Euphrasiæ. *Euphrasia*, seu *Eufrasia* recensetur hac die iisdem, quibus Ado verbis, ab Usuardo, & a Martyrologio Fuldensi. In Ottoboniano *Eufraxi* legitur. Ita in Richenoviensi. Augustanum habet: *Eufraxiæ*. Labbeanum: *Eufraxi*. Corbejense brevius: *Eufraxi*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Appamia, Eufraxi*. Nonnulla ex his præmittunt: *in Appamia*, nonnulla: *in Campania*. Adeo corrupti sunt hac in re codices. Romanum parvum hac die: *Alexandriæ, S. Euphrasiæ virginis*. De ea nihil hac die in Martyrologio Romano. Forte de ea agit die XIII. *Martii*. Aliqua Usuardi Auctaria die XXVIII. & XXIX. Aprilis habent: *Alexandriæ*, seu *apud Alexandriam S. Euphrosynæ virginis*. Sollerius in Usuardum hac die existimat, *Euphrosynam*, & *Euphrasiam*, eandem esse, quia idem ferme de utraque in Martyrologiis elogium. A Bollando *Euphrosyna*, quæ die *prima Januarii* in Hagiologiis habetur, in diem x. *Februarii* rejecta est, a Castellano in xxv. *Septembris*, quod ea die *Eufrasia* colatur, & miris laudibus extollatur. Id ne verum sit, disquirit inter alios Tillemontius tom. x. pag. 50.

Desiderii. In codicibus nostris vulgato Adoni additur: *Apud Lugdunum, natalis beati Desiderii Episcopi, & confessoris*. Iisdem ferme verbis utitur Usuardus genuinus; hinc Sollerius cum Castellano mirati sunt, cur Ado illustrem Ecclesiæ suæ decessorem prætermiserit. Mirari desiissent, si tres nostros Adonianos codices inspexissent. Displicuit etiam iis, quod ab Usuardo *confessor*, non *martyr* dicatur, quum a Notkero, tum hac die, tum die XXIII. Maii *martyr* appelletur. Notkerus die XI. *Februarii*, ita præfert: *Apud Lugdunum, Desiderii Episcopi & martyris, qui beatus vir passus quidem est in Prisciniaco villa, territorio Lugdunensi x. Kal. Jun. Translatus est autem Viennam in civitatem sui Episcopatus*. Die vero XXIII. *Maji* agit de *Desiderio* Episcopo *Lingonensi & martyre*. Quare, aut Notkerus utrumque *Desiderium* in unum commiscet, aut de Desiderio Viennensi agit hac die. Cæterum vetustiora alia agunt de *Desiderio* Viennensi hac die XI. Februarii, nimirum Beda, Gellonense, Martyrologium Fuldense, Hagiologium Francogallicum, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Augustanum. In his omnibus: *Lugduno, Desiderii Episcopi*, tantummodo legitur. Excipe Labbeanum, ubi habetur: *Lingonis, Desiderii Episcopi*. Si Notkero credimus, passus est Desiderius x. *Kal. Junii*,

Junii, hoc est die xxIII. *Maji*. At io duobua codicibua tabularii Canonieorum civitatis ForIulji in finibus Venetorum, in quibua Acta martyrum coatioentur, nos legimus passum fuisse Desiderium die xIx. *Octabris*. Ita enim io fine Actorum S. *Desiderii* Episcopi & martyris ibi hsbetur: *Passus est autem beatus Desiderius* xIIII. *Kal. Novembr. agente nequissima Brunnelda* (peo *Brunechilda*) *regina prædicta*. Si varie de die martyrii scribitur, varie quoque de doemitionia ejus anno; nam Baennio in Notationibus hac die, & in Annalibua an. 612. nu. xIv. est annua Christi 612., Cointio veeo annus 607. ot habet in Annalibua Ecciesiasticis Francorum ad an. 607. nu. III. *& seq.* Pagio item seoiori in Critica Baeoniana ad an. 607. n. xII. est annua 607. Bollandiaoi socii hac die xI. Februarii pag. 507. Desideium in indiculo peætermissorum eollocant, & plenius de eo agunt die xxIII. *Maji*. Rosvveidus ia Appendicem Adonianam *Desiderium* amandat, quod in codicibua, qnoa viderat, ea offenderit, quæ genuiao Adone minus digna censuerit. *Confessoris* vox io nosteia Codicibus, de propria significatione bujua vocabuli intelligi potest.

Severini. *Severinus* Abbaa *Agannensis*, iisdem verbia describitur ab Usuardo, qoæ in codicibus nostria leguntur. Ejua Acta, Fausto suctore, a Bollandianis edita hae die fuere, & a Mabilloaio sæculo I. Bened. pag. 568. eastigatione tamen indigere, iisque salsa quædam inserta esse, satentur viri docti. *Agannense* monasterium extructum fuit A. D. 515. una cum Ecclesia ad recondendas Agauaensium martyrum reliquias, a Sigismuado, Burgundionum rege, ut habet Maeius Aventicensia. Vide Mabillonium Annal. Bened. lib. I. §. LXIX. & LXX. ad an. 515. ubi disquirit, num *Chlodoveus* Severiai precibua eonvaluerit. Ibidem etiam §. LXXIII. censet *Agannense* monasterium, aliud esse a *Taruntensi*; quum Simlero, & aliia visum fueeit, unum idemque esse. *Tarnatense* fuit in pago Lugdunensi, dictumque vulgo *Ternay*. Cætera de eo vide apud Bollandianoa hae die pag. 544. Præter codices nostros, & Usuardum, de eo silent alia vetusta Martyrologia, quæ hactenus viderim. In ejus vita n. 4. jussisse dicitur, ut in monte cujua vocabulum est *Castranantanense* sepeliretur, *Castrum Nantonis* apud Valesium in Notitia Galliarum pag. 135., vernacule *Chasteau-Landon*, agri Wastinensia est, in diœcesi Senonensi opidum.

---

12. Febr. *A. PRIDIE IDUS FEBRUARII.*

IN Hispaniis, civitate Barcinona, natalis sanctæ Eulaliæ virginis & martyris, quæ passa est tempore Diocletiani Imperatoris, sub præfecto Hispaniarum Daciano, quando sub eodem, apud Barcinonam, sanctum Cucuphatum, & apud Gerundam sanctum Felicem, gloriosas constat martyrii accepisse coronas. Scriptum in passione S. Leocadiæ. *Eulaliæ.*

Damiani. In Africa, passio sancti Damiani militis.

Et in Alexandria, Modesti, & Ammonii infantum. *Modesti, & Ammonii.*

VARIA LECTIO. Post *Leocadiæ*, sequitur in Cod. 512. 514. & Sangermanen: *In Africa, sanctorum martyrum Saturnini presbyteri, Dativi, Felicis, Apelli, & sociorum ejus, qui passi sunt pro Christo sub Anolino Proconsule*. Post hæc sequitur in cod. 512. 514. *Apud Alexandriam, Modesti, & Ammonii Infantum. In Affrica, passio sancti Damiani militis.* *Saturnini & sociar.*

Eulaliæ. ADNOTATIO. Præter sileutiom genuini Bedæ de *S. Eulalia* virgine & maetyre Barcinonensi, agunt de ea cæteri pervolgati Martyrolographi, Romauum parvum, Ado, Usnardua, Rabanua, Florua, Notkerua, & Wandelbertus. Silet Martyeologium Fuldense, Reginæ Suecorum, Richenoviense, & Ottoboniaaum, & Coebejense brevius. Meminere Augustanum, & Labbeanum. Bollandiania socii, qui quomodo ab *Eulalia* Emeritensi distinguenda sit, ae de illius Actis hae die disceptant, nonnulla prætulit Baronioa in Notationibns, & an. 303. n. cxLI. In libria veterrimia Mozarabum colitur *Eulalia* Barcinonensia, qua de re Baronius, & Bollandiaai.

Damiani militis aomen ita hae die Martyrolographi

rolographi cum nominibus aliorum martyrum commiscent, atque conturbant, ut locus certaminis, ac vera nomina eorum non agnoscantur. *Damianus* deest in Romano parvo, & Usuardo. Martyrologium Ottobonianum habet: *In Africa sancti Damiani. Carthagine. Modesti. Alexandria. Natalis sancti Juliani, Victoris, & Felicis.* Richenoviense: *In Alexandria: Damiani martyris, Modestæ, & Ammonis. Cartagine, Posimnæ. Alexandriæ, Juliani, Victoris, Secundi, Germani.* Augustanum: *Damiani martyris, Juliani, Donati, Eradi, Susannæ, Eulaliæ, Urbani, Simplicii confessoris. Parthemi martyris.* Ita ferme Labbeanum. Corbejense brevius: *In Africa, passio sancti Damiani, Victoriæ. In Italia, Donati. Et depositio S. Simplicii Episcopi.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *Passio sancti Damiani militis. Cartagine, Modesti. Alexandria, Juliani. In Italia, Donati, cum aliis v. Et alibi, depositio Simplicii Episcopi.* En quanta perturbatio, librariorum vitio. Romanum parvum habet: *Alexandriæ, Modesti, & Ammonii.* Usuardus eadem habet de *Modesto* & *Ammonio*, quæ Ado; silet de *Damiano* milite, ut & Romanum parvum. Hieronymiana apographa non satis distinguunt. Vide quæ habent Bollandiani hac die pag. 510.

Damiani. Modesti, & Ammonii.

Accedunt in codicibus nostris hac die, imo ante *Damianum* militem *Saturninus*, & socii Africani martyres, qui iisdem verbis recensentur ab Usuardo. Quum autem a vulgato Adone abessent, Sollerius tradit, ab Usuardo primum de his agi. Prætereuntur a Hieronymianis, Beda, & cæteris Adone & Usuardo antiquioribus. Agit de his Martyrologium Romanum die superiori, & item recentes Usuardi codices; qui tamen dies quæstionis eorum est, non consummati martyrii. Plura ibi Baronius in Notationibus die xi. Feb. ubi de horum martyrum Actis, a Donatistis prolatis in Collatione Carthaginensi an. 411., & ex breviculo Collationis diei tertiæ cap. xvii. apud Augustinum. Ea de re adeundus Henschenius hac die pag. 513. & *seq.* Ruinartius in Acta martyrum selecta pag. 408. Baluzius Miscellan. tom. II. pag. 56. ac Tillemontius t. v. pag. 231. Passi sunt die xii. *Februarii* A.D. 304. Horum quatuor martyrum socii in Kalendario Carthaginensi, non hoc die & mense, sed aliis diebus & mensibus memorantur.

Saturnini & soc.

B. IDIBUS FEBRUARII.

13. *Febr.*

NATALIS S. Agabi prophetæ in novo Testamento, apud Antiochiam: de quo beatus Lucas in Apostolicis Actibus ita dicit: *Conversantibus nobis Antiochiæ, surgens unus ex Prophetis nomine Agabus, significabat per spiritum, famem magnam futuram in universo orbe terrarum, quæ facta est sub Claudio Cæsare.* Et iterum, cum B. Paulus Jerosolymam Pentecosten facturus pergeret, jamque Cæsaream venisset: *Commorantibus*, inquit, *nobis in Cæsarea per dies aliquot, supervenit quidam vir a Judæa Propheta, nomine Agabus, & venit ad nos, & tollens zonam Pauli, ligans sibi manus & pedes, dixit: Hæc dicit Spiritus sanctus: Virum hunc, cujus est hæc zona, sic alligabunt eum in Jerusalem Judæi, & tradent in manus nationum.*

Agabi. Act. 11. Act. 21.

Item in Melitena civitate Armeniæ, natalis sancti Polyeucti martyris, qui Latine interpretatur: Multum orans.

Polyeucti.

VARIA LECTIO. Ed. *de quo beatus Lucas.* Cod. 512. 514. & Sangerman: *de quo Agabo beatus Lucas.* Ed: *conversantibus nobis Antiochiæ*: Codices memorati: *conversantibus autem nobis haud dubium, quin Antiochiæ.* Ed: *significabat.* Codices: *significavit.* Ed: *quæ facta est.* Codices: *quæ & facta est.* Ed: *in Melitena.* Cod: Sangerman: *in Militana.* Cod. 512. *Militania.* Cod. 514. *Militana.* Ed: *sancti Polyeucti.* Cod. Sangerman: *sancti Polyocti.* Cod. 512. 514. *Poliocti.*

M Post

Licinii. Post verbum: *orans*, sequitur in memoratis codicibus: *Andegavis*, *sancti Licinii Episcopi & confessoris*, *cujus corpus sacrum crebris honoratur miraculis*.

Agabi. ADNOTATIO. Sollerii sententia est, a Romano parvo ante omnes de *Agabo* novi testamenti propheta, mentionem fieri. Ibi enim est: *Agabi prophetæ in novo testamento*, *apud Antiochiam*. Agit Usuardus ex Adone, sed summatim. Agit & Notkerus. Meminit etiam Martyrologium Fuldense. De *Agabi* vaticiniis Henschenius hac die, & Baronius an. 44. n. LXII. & an. 58. n. CXVI.

Polyeucti. *Polyeuctus* a Romano parvo memoratur his verbis: *In Militana Armeniæ*, *sancti Polyeucti martyris*. Habetur in Hieronymianis, ubi de eo nonnulla illustrat Florentinius in notis hac die. Cætera exornat, & Acta profert Henschenius hac eadem die, ex quo Tillemontius tom. III. pag. 424. Adi etiam Baronium an. 311. n. XXI. *Melitene* fuit primum urbs Cappadociæ, deinde Armeniæ minoris. Vide Martinerium in Dictionario Geographico, verbo: *Melitene*.

Licinii. *Licinius* Episcopus *Andegavensis* memoratur hac die in codicibus nostris, a vulgato Adone præteritus. Exstat autem apud genuinum Usuardum aliis verbis, sed fere similibus. Ibi *Lizinius* scribitur, & vernacule *Lezin* dicitur. Sollerius autem, quòd in vulgato Adone *Licinium* non vidisset, solum Usuardum inter antiquos martyrologos de eo meminisse scribit. De eo agit hac die Hagiologium Francogallicum his verbis: *Civitate Andegavis*, *sancti Lizinnii Episcopi*, *venerabilis sanctitatis viri*. Iisdem verbis utitur Usuardus genuinus. Obiisse fertur c. A. D. 616. die *prima Novembris*. Ita Bollandus hac die pag. 677. cujus commentarium confer, ubi emendat Baronii lapsum, putantis, hunc *Licinium*, patria quidem *Andegavensem*, sed *Turonensem* Episcopum fuisse. *Lizinii* vitam sæculo XI. scripsit Marbodus Episcopus Redonensis. De eo Cointius in Annalibus Francorum ad an. 598. tom. II. pag. 456. & Mabillon. Annal. Bened. lib. IX. §. XXI. & lib. X. §. II. Cointius in Annalibus ad an. 605. n. II. hoc anno 605. *Kalendis Novembris* Licinii obitum statuit. Cur vero die XIII. *Februarii* natalis ejus celebretur, censet Bollandus, idcirco factum esse, quia ob *Kal. Novembris* omnium Sanctorum solemnitate, Romæ primum, deinde alibi celebres, in alium diem *S. Lizinii* natalem transferri oportuit. Quod in Martyrologiis *Andegavis* plurium numero, urbs Andegavensis dicitur, ex more medii ævi id est. Cæterum qui Cæsari sunt *Andes*, vel *Andi*, Plinio *Andegavi*, in Gallia Lugdunensi, vel Celtice populi sunt. Urbs Andegavorum princeps, olim *Juliomagus*, quasi *Julii urbs*; inde civitas Andegavorum. Ita Valesius in Notitia pag. 18.

---

14. Feb. C. *XVI. KALENDAS MARTII.*

Valentini presb. ROMÆ, natalis sancti Valentini presbyteri, qui post multa sanitatum & doctrinæ insignia, fustibus cæsus, & sic decollatus est, sub Claudio Cæsare.

Valentini Episc. Eodem die, natalis sancti Valentini Interamnensis Episcopi, qui tentus a paganis, ac virgis cæsus, & post diuturnam cædem, custodiæ mancipatus, cum superari non posset, mediæ noctis silentio ejectus de carcere, decollatus est jussu furiosi Placidi, Urbis præfecti. Tunc Proculus, Ephybus, & Apollonius discipuli ejus, transferentes corpus ejus ad suam Ecclesiam Interamnæ urbis, noctu sepelierunt. Ubi cum quotidianis vigiliis incubarent, tenti a gentilibus custodiæ sunt traditi, consulare Leontio: quos ille jussit noctis medio suis tribunalibus præsentari: & cum a fide revocari nec blandimentis nec minis possent, jussit capite cædi. Qui non longe sunt a a corpore S. Valentini sepulti.

Item

Item apud Alexandriam, natalis sanctorum martyrum Bassi, Antonii, Protolici, qui in mare mersi sunt. *Bassi, & sociorum.*

Item Cyrionis presbyteri, Moyseos, Bassiani lectoris, & Agathonis exorcistæ, qui omnes igni combusti sunt. *Cyrionis, & socior.*

Item Dionysii & Ammonii, decollatorum. *Dionysii, & Ammonii.*

Vitalis, Feliculæ, & Zenonis. Eodem die Romæ, sanctorum martyrum Vitalis, Feliculæ, & Zenonis.

VARIA LECTIO. Ed. *Interamnensis*. Codex Sangermanensis: *Inramnensis*, errore librarii. Codices 512. 514. ut in editis. Ed. *Protolici*. Cod. 512. 514. & Sangermanen. *Protoloci*.

Codex Sangermanen. hac die in fine habet; *Eodem die solemnitas in piscet*. Hæc absunt a codicibus 512. 514.

Valentini presb. Valentini Episc. **A**DNOTATIO. In omnibus veterrimis Martyrologiis, & Kalendariis colitur hac die *Romæ S. Valentinus* presbyter, & martyr, cui conjungitur in omnibus ferme *Valentinus* alius, Episcopus *Interamnensis*. Vitio tamen librariorum apographa misere fœdata sunt. Audi Hieronimiana. Apographum Lucense: *In Tuscia, Spoleti civitate, natale sanctorum Vitalis, Cyriani, & Marsiani. Valentini. Interamne via Flaminia, ab urbe Roma miliario* LXIII. *natalis sancti Vincenti*. Corbejense vero, secundo loco: *Interamne, via Flaminia, ab urbe Roma miliario* LXIIII., *natalis S. Vincentii*. At apographum Epternacense habet: *Interamne in Flaminia natalis Valentini*. Frustra igitur inquirit Florentinius in notis hac die, num *Vincentius* sit S. *Vincentius* Episcopus Mevanæ. Frustra item miratur, cur *in Tuscia Spoletum, & Tudertum* urbes a Hieronymianis statuantur, quod sæpe etiam apud Adonem occurrit; nam hæ urbes post Hadriani Imp. divisionem provinciarum, *Tusciæ & Umbriæ* accensebantur. Geminos autem *Valentinos* hac die martyres, alterum Romæ, alterum Interamnæ nobis exhibent Beda genuinus, Romanum parvum, Usuardus & Ado, Rabanus & Notkerus, Martyrologium Fuldense, Reginæ Suecorum, Ottobonianum, & Kalendarium Vaticanum 3806. Ad hæc *Valentini martyris*, Romæ hac die meminere Martyrologium Gellonense, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum, & Kalendarium Palat. Vatic. 485. Explodenda porro Castellani opinio est, qui unum tantum ex duobus *Valentinis* hac die conflavit, ut recte Sollerius in Usuardum monet. Celebris antiquitus Romæ fuit S. *Valentini* martyris cultus, de cujus Ecclesia extra mœnia via Flaminia haud procul a Milvio ponte, in qua sepultus erat, sæpe mentio in libro Pontificali. Accipe verba veterrimæ notitiæ Ecclesiarum extra Urbem apud Eccardum: *Inde prope juxta viam Flaminiam apparet Ecclesia mirifice ornata S.* VALENTINI *martyris, ubi ipse corpore jacet, & multi sancti ibidem sunt sepulti*. Ad ejus cultum antiquitus in Ecclesia Romana quod attinet, accedit Sacramentarium Gelasianum pag. 147. ubi habentur orationes Missæ *in natali Valentini, Vitalis, & Feliculæ*. Sacramentaria Gregoriana, & Capitularia Evangeliorum hac die natalem *S. Valentini* martyris celebrant; nimirum Sacramentarium Reginæ Suecorum 337. Palat. Vat. 495. Pamelii, Menardi, & Angeli Roccha, Capitulare Evangeliorum, Frontonis, & alia Capitularia tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 244. Pro uno *Valentino* aliqua objicit Tillemontius tom. IV. pag. 678. quæ diluit Sollerius in Usuardum hac die.

De *Basso*, & sociis ejus martyribus Alexandrinis, & aliis item martyribus, qui inde sequuntur, eadem habet Usuardus ex Adone. Memorantur etiam in Martyrologio Fuldensi. *Bassi, & sociorum. Item aliorum.* De his autem plura inquirunt Bollandiani socii hac die pag. 750. quos vide, adi etiam Castellanum.

Notiores sunt in Martyrologiis, ac Ecclesiasticis Fastis *Vitalis, Felicula, & Zeno* martyres; nam, corrupte licet aliquis eorum in Hieronymianis recenseatur, de *Zenone, Vitale, & Felicula martyribus, Romæ*, agit hac die Gellonense; item Augustanum, & Labbeanum. Richenoviense: *Et in via Ardeatina, Feliculæ*. Parumper declinat Martyrologium Reginæ Suecorum, ubi legitur: *In Tuscia, natalis sanctorum Vitalis, & Martiani*. Kalendarium Vat. 3806. habet: *Romæ, Valentini presbyteri, Vitalis, Feliculæ, & Zenonis*. Pal. Vat. 485. *Natale sancti Valentini, Feliculæ, & Zenonis*. Ad eorum celebrem cultum spectant orationes Missæ in codice Gelasiano, in quo tamen *Zenonis* nomen deest; habetur autem in Sacramentario Remensi apud Menardum in notis ad Sacramentarium hac die. *Vitalis, & soc.*

15. *Febr.* D. XV. KALENDAS MARTII.

Cratonis. *De eo in gestis Valentini Interam. 14. Februar.*

ROMÆ, sancti Cratonis martyris, qui cum haberet filium Chæremon nomine, scholasticum, qui inciderat in ægritudinem gravissimam, eumque beato Valentino Episcopo ad sanandum obtulisset, sub tali conditione, ut si puer sanaretur, ipse cum omni domo sua fieret Christianus: sanato puero, quod promiserat implevit, atque cum uxore & universa domo baptizatus, non multis post diebus, martyrio est consummatus.

Blasii. Et apud Sebasten civitatem, passio S. Blasii *. Episcopi: * *MS. Blavii.* qui multorum patrator miraculorum, sub præside Agricolao, post diutinam cæsionem, post carcerem, atque inde suspensionem in ligno, ubi * pectinibus ferreis carnes ejus disruptæ sunt, (* *MS. pectinis.*) post iterum teterrimum carcerem, post demersionem laci, unde supervadens salvus exivit, jubente iniquissimo Judice, capite ad extremum cum duobus pueris truncatus, felicia regna ita cum ipsis ingressus. Ipso autem adhuc agonizante, septem mulieres beatissimæ, quæ guttas sanguinis ejus præterfluentes de beatissimis plagis corporis ipsius colligebant, deprehensæ quod essent Christianæ, post caminum ignis, ubi plumbo superfusæ sunt, post pectines ferreos, quibus carnes earum diruptæ, post æreas tunicas excandentes, novissime sententia data, percussæ gladio, datoque pretio sanguinis, vitam mercantur æternam.

(* al. *Vaugionensi.*) In Galliis, civitate * Vasionensi, depositio sancti Quinidii Episcopi, cujus mortem in conspectu Domini pretiosam miracula crebra testantur. *Quinidii.*

VARIA LECTIO. Ed. *Chæremon*. Codex Sangermanen. & 514. *Cærimon*. Codex 512. *Cerimon*. Ed. *Blasii*. Cod. 512. 514. *Blavii*. Ed. *post demersionem*. Cod. Sangerman. *post dimersionem*. Ed. *superfusæ sunt*. Cod. Sangerman. *superinfusæ sunt*.

Codices memorati hac die post verbum: *testantur*, habent: *Ipso die, natalis sancti Silvini Tarvanensis Episcopi* (Cod. 512. 514. *Episcopi, & confessoris*) *Silvini*. *cujus gesta habentur*.

Cratonis. ADNOTATIO. *Crato* martyr, de quo hic Ado, ex eo acceptus, ab Usuardo hac die memoratur, a Romano parvo, & a Martyrologio Fuldensi. Alia Martyrologia, quæ viderim, de eo silent. Vide quæ habent Bollandiani hac die pag. 800. Passus esse dicitur c. A. D. 273.

Blasii. Celebratur hac die a vulgato Adone, & a codicibus nostris *S. Blasius* Episcopus & martyr. Ex Adone huic diei alligatur a genuino Usuardo. Interdum in codicibus *Blavius* legitur, ut & apud Usuardum genuinum, quam lectionem retinendam esse censuit Sollerius. *Blasii* tamen nomen sæpe in Martyrologiis veteribus occurrit. Pleraque etiam ex his de *Blasio* agunt die *tertia Februarii*. Hieronymiana, & Gellonense agunt die xvi. *Februarii*, corrupto nomine ipsius martyris. Habent enim

enim *Plesi*, & *Blesi*. De *Blasio* Episcopo & martyre in *Sebaste* civitate Cappadociæ agunt die III. *Februarii* Rabanus, & Notkerus. Die quoque III. *Februarii* de *Blasio* Episcopo & martyre meminere Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Vatic. 3806. Richenoviense, & Augustanum, licet aliena manu. Romanum vero parvum agit die xv. *Februarii* his verbis: *Apud Sebasten passio S. Blasii Episcopi*. Vide quæ habent Bollandiani in commentario die III. *Februarii*. Acta respuenda esse censet Tillemontius tom. v. pag. 170., & 649. Acta Latina ex vetustis codicibus citat Baronius in Notationibus ad diem *tertiam Februarii*. Nos eorum exemplar olim vidimus in codice Canonicorum Forojuliensium in finibus Venetorum. Incipiunt: *Passio sancti Blasii Episcopi & martyris. Etenim in Sebastia Capadociæ tradidit quidem ad correptionem sui, qui secundum ejus filii gratiam heredes existebant: Et Sebastia quidem martyres sibi elegit &c.* In fine: *Passus est enim beatissimus Christi martyr Blasius in Sebastia civitate III. die mensis Feb. imperante Agricola, regnante Domino nostro J-su Christo in nobis. Cui &c.* Habentur apud Bollandianos die III. Februarii pag. 336. *& seq.* Baronius in Notationibus monuerat, ex Actis Latinis pervetustis haberi, *Blasium* passum fuisse sub *Diocletiano*; at in Annalibus ad an. 316. n. XLV. tradit, non sub *Diocletiano*, sed sub *Licinio* passum esse, & quidem an. 316. die *tertia Februarii*. Pagius vero in Critica ad an. 316. n. XII. martyrium *S. Blasii* sub *Licinio* contigisse annuit, sed an initio, an in fine persecutionis, incompertum esse. *Sebaste*, & *Sebastopolis*, urbes re & nominibus distinctæ, in *Cappadocia Pontica* a Plinio lib. VI. cap. III. statuuntur; deinde *Sebaste* Armeniæ adtributa. Quamobrem Socrates lib. II. cap. XLIII. *Eustathium*, *Sebasteæ* in *Armenia* Episcopum vocat. *Sebaste* autem a Pompejo, *Diospolis* dicta fuit, de qua Strabo lib. XII. *Petri*, qui *Blasio* successit, *Sebastæ* in Armenia Episcopi meminit Sanctus Gregorius Nyssenus in Epistola ad Flavianum.

Quinidii. *Quinidius Vasionensis* Episcopus; & ipso Vasionensis natu, ex Archidiacono illius Ecclesiæ Vasionensis Episcopus factus est. Interfuit Synodo quartæ Parisiensi an. 573. Migravit in cælum an. 578. vel insequenti. Ejus corpus religiose asservatur, & colitur apud Benedictinos monachos S. Petri de Mauriaco, cujus opidi jam pridem patronus habetur. Ita in Gallia Christiana novæ editionis tom. I. pag. 923. in Vasionensibus nu. x. Eadem, ac alia de illius cultu apud Bollandianos hac die pag. 828.

Silvini. Post *Quinidium* succedit in codicibus nostris hac die *Silvinus* Episcopus: de quo agit Usuardus Sollerii die XVII. *Februarii* his verbis: *Ipsa die, sancti Silvini Tarnanensis Episcopi*. Usuardus vero Pratensis habet: *In pago Tarvennensi sancti Silvini Tolosani civitatis Episcopi*. Ex varia hac lectione natæ variæ animadversiones in utraque Usuardi editione, nimirum in Solleriana, & in Parisiensi Jacobi Bovvillartii. Quisque suam, ut genuinam, lectionem tuetur. Sollerius ex fide Castellani, in codice Pratensi erasam fuisse enunciationem, quam ipse in sua Usuardi editione præfert, testatur, & ejus loco aliam substitutam. Bovvillartius vero fuse describit codicis Usuardini Pratensis iconem in membrana hujus diei, quam invictis oculis, ut sæpe alias, a Castellano inspectam esse, contendit. Fatetur, crasa e membrana fuisse verba, quæ habet Usuardus Sollerii, sed ab ipso Usuardo superinducta, quæ supra ex Pratensi codice dedimus. Quapropter, nimis audacter Sollerium pronunciasse lectionem illam Pratensis codicis a vero alienam esse. Sollerius item dormitasse putat Mabillonium, dum in Adnotationibus ad Sancti Silvini vitam Sæculo III. Benedictino P. I. pag. 294. scripsit, Acta Silvini visa fuisse ab Adone, *in cujus sincero Martyrologio hæc verba sunt XV. Kal. Martii: S. Silvini Teruanensis Episcopi, & confessoris, cujus gesta habentur*. Innuit Mabillonius codicem Pratensem Adonis, quem sincerum putavit; quem tamen Bovvillartius in observatione supra laudata, sincerum omnino non esse fatetur, sed scriptum fuisse post decimum sæculum. *Silvinus* memoratur in apographo Hieronymiano Corbejense die XV. *Februarii*, his verbis: *Et depositio sancti Silvinii*. Item die XV. Februarii in Martyrologio Fuldensi: *Natalis S. Silvini Episcopi & confessoris, cujus gesta habentur*. Demum die XV. in Kalendario Vaticano 3806. *Depositio sancti Silvini Episcopi*. Acta Silvini edidere die XVII. *Februarii* Bollandiani socii pag. 24. & Mabillonius sæculo III. Bened. P. I. pag. 294. *Silvinus* neque *Tolosanus*, neque *Teruanensis* Episcopus fuit, sed nulli sedi addictus Episcopus tantum fuisse videtur Mabillonio in Annalibus Ord. Sancti Benedicti lib. XIX. §. VI. ubi ejus obitum, & sepulturam in *Alciacensi*, seu *Alchiacensi* monasterio apud Atrebates c. A. D. 701. memorat. Natus erat in pago Tolosano, spretisque nuptiis ad Morinos accessit. Inter *Tolosates* Episcopos non enumeratur; neque inter Teruanenses est cooptandus, quia, ut ibi inquit Mabillonius, per ea tempora, quibus *Silvinus* demoratus in Morinis est, sedem Teruanensem tenuerunt unus post alium: *Drauso*, *Bainus*, *Ravengarius*, & *Erkembodus*, qui anno 737. adhuc vivebat. Obitus Silvini in XIII. *Kal. Aprilis* incidisse dicitur.

16. Febr. *E. XIIII. KAL. MARTII.*

Onesimi. NATALE sancti Onesimi Apostoli.

Julianæ. Et in Cumis, natalis S. Julianæ virginis, quæ tempore *Vide libel. de festivit. Apost.* Maximiani Imperatoris, primo a suo patre Africano cæsa, & * *Eleusio.* graviter cruciata, deinde & a præfecto * Eolasio, quem sponsum habuerat, nuda virgis cæsa, & a capillis suspensa, & plumbo soluto, a capite perfusa, ac rursum in carcerem recepta, ubi palam cum diabolo conflixit: & rursus evocata, rotarum tormenta, flammas ignium, ollam ferventem superavit, ac decollatione capitis martyrium consummavit. Quæ passa est quidem in Nicomedia, sed post paucum tempus Deo disponente in Campaniam translata.

Juliani, & soc. Eodem die apud Ægyptum, Juliani, cum aliis, numero quinque millibus.

VARIA LECTIO. Ed. *Apostoli*. Sequitur in codicibus 512. 514. & Sangermanen. „ de quo beatus Apostolus Philemoni familiares litteras mittit: *Ob-*
Philem. 10. „ *secro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Honesimo, qui tibi aliquando*
„ *inutilis fuit; nunc autem & mihi & tibi utilis, quem remisi. Tu autem il-*
„ *lum, idest viscera mea suscipe*. Quem beatus idem Apostolus Episcopum ordi-
„ nans, prædicationisque verbum committens, apud Ephesiorum civitatem reliquit.
„ Qui Episcopus post beatum Timotheum & ipse resedit. De quo & beatus Ignatius
Ignat. „ Ephesi mittens epistolam, ita dicit: *Quoniam ergo suscepi multitudinem vestram*
epist. 14. „ *in nomine Domini in Honesimo dilecto præceptore nostro, vestro autem Episco-*
ad Ephes. „ *po; obsecro eum secundum Christum Jesum diligere vos, & vos omnes in con-*
„ *cordia ejus in ipso esse. Benedictus enim Dominus, qui vobis talibus talem*
„ *Episcopum donavit habere in Christo*. Hic Romam perductus, atque ibi pro fide
„ Christi lapidatus, sepultus est Christi martyr primum ibi; inde ad loca ubi fue-
„ rat ordinatus Episcopus, corpus ejus delatum.

Vide vulgatum Adonem in libello de festivitatibus Apostolorum hac die.

ADNOTATIO. In Martyrologiis fere omnibus, præterquam in Hieronymianis, Gelionensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, & Corbejense breviori, occurrit hac die *Onesimus*, qui & *Apostolus* dicitur. *Onesimi.* Agunt enim Beda, Romanum parvum, Usuardus, Rabanus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Reginæ Succorum, & Kalendarium Vat. 3806. ubi: *Et sancti Onesimi conf.* Ex Actis apud Adonem, & alios habetur, fuisse Pauli Apostoli discipulum, Ephesiorum Episcopum, Romam perductum, ibique lapidibus obrutum, inde Ephesum translatum. Hæc mire illustrantur ab Henschenio hac die pag. 855. & *seq.*, cui adstipulator Papebrochius in Ephemerides Græco-Moscas pag. xvii. Martii tom. I. præfixas. *Ephesina* sedes ei vindicatur; quod jampridem statuerat Baronius in Notationibus hac die, & ad an. 110. n. x. at obluctatur Tillemontius tom. I. in vita Sancti Pauli pag. 289. & 576. Sollerius in Usuardum hac die Tillemontii momentis minime permotus, in Henschenii, & Papebrochii sententia perstandum esse urget, & viventis tum Papebrochii voce se accepisse scribit, falsum omnino esse, ut idem Papebrochius in Ephemeridibus Græco-Moscis sententiam mutaverit. Quando ejus translatio Roma Ephesum contigerit, incertum est. Græci hujus translationis festum hac die xv. *Februarii* celebrant.

Julianæ. *Juliana* virgo & martyr celeberrima est in tabulis Ecclesiasticis veterrimis. Agit enim de ea hac die, & nonnulla ex Actis ejusdem martyris profert Beda genuinus, ex quo sumpsere Ado, Usuardus, Rabanus, & Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottohonianum,

nianum, & Reginæ Suecorum. Agunt Hieronymiana apographa apud Florentinium. Agit & Romanum parvum his verbis: *Et in Cumis S. Julianæ virginis*. Agunt Augustanum & Labbeanum, sed eam commiscent cum martyribus quinque millibus Ægyptiis. Corbejense brevius habet: *In Nicomedia, passio S. Julianæ virginis & martyris*. Cætera porro Martyrologia præferunt: *In Cumis*. Kalendarium Vat. 3806. vitio librarii: *Incombas* (pro *in Cumis*) *passio sanctæ Julianæ virginis*. Item in apographo Hieronymiano Epternacensi legitur: *In Campania Cumbas* (pro *Cumas*, seu *in Cumis*) *natalis Julianæ*. Kalendarium Palat. Vat. 485. hac die: *Nat. sanctæ Julianæ virg. mart.* De ejus veterrimo cultu in sacris Liturgiis Romanæ Ecclesiæ codex Sacramentorum Gelasianus pag. 147. ubi XIII. *Kal. Martii*, hoc est die XVII. *Februarii* orationes Missæ *in natali sanctæ Julianæ* ponuntur. Hic tantum die XVII. *Februarii* colitur. Eædem orationes habentur in Sacramentario Gregoriano Palat. Vat. 495. sed. XIIII. *Kal. Martii*, hoc est hac die XVI. *Februarii*. In aliis Gregorianis Sacramentariis *Juliana* desideratur. De ea S. Gregorius lib. VII. epist. 84. 85. al. 85. 86. ubi de oratorio a Januaria religiosa femina in massa Furiana extructo, quod in honorem sanctorum *Severini confessoris*, & *Julianæ martyris* consecrari petierat. Annuit votis Gregorius, & ea de re ad *Benenatum* Episcopum *Tandaritanum*, forte *Fundanum*, ac ad *Fortunatum* Episcopum *Neapolitanum* litteras dedit. Vide Henschenium hac die pag. 855. Acta quæ vidimus in codice insignis Collegii Canonicorum Forojuliensium ita exordiuntur: *Quam magna est dignitas Salvatoris martyrum perseverantia comprobatur! Eo usque concessit, ut & fidei amicos coronaret, & inimicos eorum claustris erudiret, denique temporibus Maximiani Imperatoris &c.* In fine: *Passa est autem sancta Juliana sub die* XIIII. *Kalendarum Martiarum: regnante Domino nostro Jesu Christo &c.* Eadem ferme Acta edita fuere a Bollandianis sociis ad diem XVI. Feb. pag. 873. *& seq.* Baronio passa fuisse creditur *Juliana* an. 290.

Julianus cum aliis martyribus num. quinque millibus Ægyptiis memoratur primum in apographis Hieronymianis, ex quibus ad Adonem, & alios pertransiere, sed fœde corruptis librariorum vitio codicibus. Nam Augustanum, & Labbeanum legunt: *Julianæ martyris cum V. millibus*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Et alibi, Valentis diaconi, cum Ægyptiis numera quinque millibus*. Ottobonianum: *Et Juliani cum Ægiptias numeros* (pro *Ægyptiis numera*) *quinque milia, quorum numerum Deus scit*. Vide quid de his censeat Florentinius in notis, & Sollerius in Usuardum hac die. *Juliani, & soc.*

F. XIII. KAL. MARTII. 17. Febr.

IN Perside, natalis beati Polychronii, Babyloniæ & Ctesiphontis Episcopi, qui præsente Decio persecutore, os lapidibus cæsus, manibus extensis, oculos ad cælum clevans, emisit spiritum. Scriptum in passione sancti Laurentii. *Polychronii & soc.* 10. *August.*

VARIA LECTIO. Codices 512. 514. & Sangerman. post verbum: *Laurentii* addunt: *Apud urbem Concordiam, passio sanctorum Donati, Secundiani, Romuli, cum aliis octoginta sex. In Sotia* (sic, pro *Scotia*) *sancti Fintani presbyteri & confessoris, magnæ virtutis viri*. *Donati, & sociorum.* *Fintani.*

Polychronii & soc. ADNOTATIO. De *Polychronio* semel ac iterum agit apographum Hieronymianum Epternacense. Primum hac die: *In Babilonia Policroni*. Item die XXX. Aprilis: *Depositio Policroni Episcopi*. Agunt vero hac die XVII. Februarii Beda genuinus, Romanum parvum, Usuardus, qui tamen *Ctesiphontis* nomen præterit, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, & Ottobonianum, iisdem ferme verbis ac apud Usuardum. Acta, ex quibus Polychronii elogium sumptum est, censoria virga notantur a Castellano pag. 676. & a Tillemontio tom. V. pag. 561. Vid. Bollandianos hac die pag. 5. & Baronium an. 254. nu. XXVII.

Mirum sane est quam perturbata sint *Donati* & sociorum nomina hac die in apographis Hieronymianis, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, & aliis. Codices nostri cum genuino Usuardo conveniunt, in quo legitur: *Apud urbem Concordiam, passio sanctorum Donati, Secundiani, Romuli, cum aliis octoginta sex*. *Donati, & socior.*

Ab his

Ab his abit aliquantulum Martyrologium Ottohonianum, ubi post *Polychronium* seqoitur: *In Aquileja Crisantiani, Entici. Concordie* (pro *Concordiæ*) *Silvani, & aliorum* LXXXIIII. *martyrum*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Africa, civitate Concordum, passio sanctorum Donati, Secundiani. In Aquileja Crisantiani. Et alibi, Romuli, Salviani, cum aliis* LXXXIV. *Concordia* urbs Italiæ fuit, oon Africæ, in provincia Aquilejensi olim sita, nunc solo æquata. *Donatum* hac die memorat Wandelbertus. De confusis horum martyrum nominibus consuleudi hac die Florentinius in notis, & Bollandiani hac item die pag. 10.

Fintani. *Fintanus* solius Usuardi esse dicitur Sollerio; at solius Usuardi non est, sed Adonis primom, nisi nos Codices Adoniani fallunt. *Fintanus*, ortu *Hibernus*, qui idem est iis temporibus, ac *Scotus*, Columbæ Abbatis disciplina institutus, multorum & ipse monachorum pater exstitit, & magister. Ex ejus disciplina prodiit *Comgellus* Abbas, qui Bancorense cœnobium in Ultonia Hiberniæ provincia condidit c. A. D. 590. ut habet Mabillonius Annal. Bened. lib. VIII. §. V. & *seq*. Cæterum de *Fintano* præter Adonem, & Usuardum, nihil in aliis, quod sciam, Martyrologiis, præterquam in Romano, hac die. Vide Bollandianos hac die pag. 16.

---

18. *Febr.*

G. XII. KALENDAS MARTII.

Simeonis. JErosolymis, beati Simeonis Episcopi & martyris, qui traditur propinquus Salvatoris secundum carnem fuisse. *Vid. libell. de festivit. Apostolor. in quo 1. Maji.*

Claudii & Præpedignæ. Eodem die sanctorum martyrum Claudii & uxoris ejus Præpedignæ, ac filiorum Alexandri & Cutiæ, & fratris Claudii beati Maximi: qui cum essent præclarissimi generis, agente fratre eorum Gabinio presbytero baptizati sunt a beato Cajo Pontifice Romano, & postmodum tenti sunt, jubente Diocletiano, a judice impio Julio. Et Claudius quidem, cum uxore sua & filiis, deportatus est in exilium: deinde incendio concremati, odoriferum sacrificium martyrii Deo reddiderunt, ac sic postmodum apud Ostiam in rheuma jactati: quorum reliquias Christiani perquisitas, juxta civitatem sepelierunt. *De his in gestis Susannæ 11. August.*

VARIA LECTIO. Ed. *Secundum carnem fuisse*. In codicibus 512. 514. & Sangermanen. sequitur: „ Constat namque, quia Cleopas, cujus filius fuit, „ frater fuit Joseph. Hic Hierosolymorum Episcopus per Jacobum fratrem Domini „ est ordinatus, & persecutione Trajani multo tempore suppliciis affectus, martyrio „ consummatus est. Omnibus (sic) qui aderant, in ipso Judice mirabantur, ut CXX. an„ norum senex supplicium crucis pertulisset.

Hæc eadem fere habet vulgatus Ado in libello de festivitatibus Apostolorum, VI. Non. Maji. Sequitur in codicibus in fine post verbum: *sepelierunt*:

Dionysii. „ Apud Alexandriam beati Dionysii Episcopi, qui in multis sæpe confessionibus „ satis clarus, & pro passionum tormentorumque diversitate, magnificus effectus est: „ quievit autem in pace duodecimo anno imperii Galieni.

Simeonis. ADNOTATIO. *Simeon* qui post Jacobum Hierosolymorum Episcopus fuit ab anno Christi 46. ad 107. colitor hac die in Romano parvo, Adone nostro, Usuardo, Notkero, Martyrologio Fuldensi. De ejus martyrio ex Eusebio Baronius ao. 76. n. I. II. & Papebrochius in serie Chronologica Episcoporum Hierosolymitanorum, Maji tom. III. Paginis in Critica ad an. 107. n. VI. ac Tillemontius tom. II. pag. 186. & *seq*. Vide etiam quæ de *Simeone* indigitat Sollerius in Usuardum hac die, & Florentinii exercitationem IV. pag. 161.

Claudii & soc. *Claudius*, & socii martyres, qui ex Actis apud

apud Adonem, io Ostiensi urbe passi dienotur, his verbia, in summam contractis apud Usuardum celebrantur: *Civitate Ostia, sanctorum martyrum Maximi, Claudii & uxoris ejus Prepedignæ cum duobus filiis, qui cum essent præclarissimi generis, jubente Diocletiano sunt tenti, atque in exilium deportati; deinde incendio concremati, odoriferum sacrificium martyrii Deo reddiderunt*. Romanum vero parvum eos *Romæ* recolit. Habet enim: *Et Romæ, martyrum Claudii, Præpedignæ, Alexandri, & Cutiæ, & Maximi*. Narratio gestorum apud Adonem ex vulgatis Actis sanctæ Susannæ die XI. Augusti sumpta est. Alia Martyrologis de his martyribus hac die silent.

Dionysii. Accedit in codicibus nostris hac die *Dionysius* Alexandrinus Episcopus, de quo Usuardus genuinus, ac item vulgatus Ado una cum nostris quoque codicibus agunt die XVII. Novembris. Hac die vero XVIII. *Februarii* agunt solummodo nonnulla Usuardi Auctaria. Qua de caussa hac die agant de *Dionysio* codices nostri, ac iterum die XVII. Novembris, mihi incompertum est. De eo igitur ea die nonnulla adnotabimus.

F. XI. KAL. MARTII. 19. Febr.

Gabinii. ROMÆ, S. Gabinii presbyteri, patris beatissimæ Susannæ, qui a Diocletiano diu in custodia vinculis afflictus, pretiosa morte cœli gaudia comparavit. *De hoc in vita Susannæ XI. August.*

Gabinii. ADNOTATIO. *Gabinius* presbyter in vulgatis Actis S. Susannæ die XI. *Augusti* celebratur, ex quibus Ado sumpsit, & ex eo Usuardus hac die, qui *Gabinio* titulum martyris addit. Romanum item parvum, ubi: *Romæ, Gabinii presbyteri, & martyris*. Martyrologium vero Fuldense habet tantum: *Romæ, sancti Gabini presbyteri, tempore Diocletiani*. Alii Martyrographi de eo hac die silent. Vide quæ habent Bollandiani socii hac die pag. 128. ac Tillemontius tom. IV. pag. 572. Vide etiam Baronium ad. 294. num. IV. V. & an. 296. n. I.

B. X. KALENDAS MARTII. 20. Febr.

Tyren. martyr. APUD Tyrum, quæ est urbs maxima Phœnicis, beatorum martyrum, quorum numerum solius Dei scientia colligit: quos, jubente Diocletiano, Veturius magister militiæ, diversis tormentorum generibus sibi invicem succedentibus occidit. Primo flagris per omne corpus martyres Dei carpebantur, post hæc tradebantur ad bestias: adhibebantur leones, ursi, pardi, atque omne ferarum genus: apri quoque, sed & tauri, quibus ferro & igni feritas addebatur. Statuuntur denique Dei cultores, nudatis membris, in medio arenæ loco, & bestiæ intra caveas incitatæ, sævioresque in semetipsis effectæ, proruunt claustris, replent subito stadium, circumdant ecclesiam martyrum in medio sitam: circumeunt sæpius, & obluctrant; ac divinæ virtutis adesse eis custodiam sentientes, procul ab eorum corporibus abscedunt. Sed illico furor, qui reprimebatur in belluis, transit in homines: gladiis ergo peragunt quod bestiis nequiverunt, & ut in omnibus *Euseb. l. 8. c. 7. ex versione Ruff.*

bus ostenderent se belluis esse nequiores, prohibebant etiam cadavera mandari terræ, sed jubebant fluctibus dari. Horum gloriosissimam multitudinem, cælique exercitum, ducebant & incitabant ad victoriam, beatissimi Tyrannio Episcopus, & Sylvanus Episcopus, qui parvo tempore interposito, bestiarum morsibus martyrium complevit: & Peleus atque Nilus Episcopi, qui igne cum plurimis clericis consumpti sunt: Zenobius quoque venerabilis presbyter capite cæsus. *Euseb. l. 8. cap. 22. & 25.*

Galli. Item in Alemannia beati Galli Abbatis, miræ sanctitatis viri, discipuli sancti Columbani Abbatis.

VARIA LECTIO. Codices 512. & 514. hac die initio, & codex Sangermanen. prope finem ita habent. „ Apud Alexandriam, natalis sanctorum martyrum „ Juliani, Euni (cod. Sangermanen. *Cuni*) Macharii, Epimachi, Alexandri, Metra- „ ni, Appolloniæ, Aqonariæ, Corinthæ, cum aliis decem, qui temporibus Decii „ variis pro Christo passionibus gloriosissime coronati sunt, sicut beatus scribit Diony- „ sius in libro de martyribus. Ed. *atque Nilus*. Codices memorati: *atque Linus*. Ed. *Zenobius*. Codices: *Tenobius*. Cod. 512. & 514. hac die in fine: *In Alemannia, natalis sancti Galli confessoris*, tantum. Codex Sangermanen. post verbum Abbatis, addit: *& aliorum sanctorum plurimorum martyrum, confessorum, atque virginum.* *Juliani, & soc.*

Tyren. mart. ADNOTATIO. Tyrii martyres ex Eusebio Rufini accepti, deinde ex Adone ab Usuardo derivati, illustrantur hac die a Bollandianis in commentario Historico, & a Tillemontio tom. v. pag. 440. Memorantur a Romano parvo his verbis: *Apud Tyrum, Martyrum, quorum numerum Dei scientia sola colligit, quos Veturius Magister militiæ, jubente Diocletiano, diversis tormentis occidit.* Agit & Notkerus; alia vetera Martyrologia silent. Consule quæ de his adnotat Sollerius in Usuardum hac die.

Galli. *Gallus* Abbas hac die ab Adone memoratur, ac item ab Usuardo, iisdem pene verbis, quibus codices nostri. Habet enim: *Alemannia, sancti Galli presbyteri, & confessoris.* Cor hac die Ado, & Usuardus de S. Gallo agant, se non perspicere fatetur Sollerius, nisi de aliqua translatione, aut elevatione agatur. Ita quidem de aliqua S. Galli elevatione hac die peracta, Adonem, & Usuardum interpretatur Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. XIII. §. XXXII. Idem Mabillonius sæculo II. Benedictino pag. 228. Vitam *S. Galli* Abbatis, auctore Walafrido Strabone, edidit & illustravit. Obiit S. Gallus c. A. D. 646., & exploratior dies obitus est XVII. *Kal. Novembris*, idest die XVI. *Octobris*; qua die depositionem ejus commemorant Rabanus, Notkerus, Richenoviense, Augustanum, Kalendar. Palat. Vaticanum 485., & Vat. 3806., & alii recentiores.

Codices nostri hac die celebrant *Julianum* martyrem cum sociis, de quibus Dionysius in epistola ad Fabium Antiochenum apud Eusebium Rufini lib. VI. cap. XXXI. eosque in unum hac eadem die commiscet. De *Juliano*, & *Euno* iterum agunt die XXVII. *Februarii*, qua die de his agunt etiam Usuardus, & Romanum parvum. Apographum Usuardi Centulense apud Sollerium, de his Martyribus agit hac die XX. *Februarii*, & his quidem verbis: *Alexandriæ, sanctorum martyrum, Juliani, Euni, Macharii, Epimachi, Alexandri, Metrani, Apolloniæ, Ammonariæ, Chorintæ, & cum aliis decem.* Ad quem locum monet Sollerius, ita haberi in editione Usuardi Lubeco-Coloniensi; ac de proprio horum martyrum die natali consulendum catalogum prætermissorum hac die apud Bollandianos. *Juliani, & soc.*

C. IX. KALENDAS MARTII. 21. *Febr.*

APUD Siciliam, sanctorum Martyrum septuaginta novem, qui sub Diocletiano per diversa tormenta, confessionis suæ coronam, a Christo sibi paratam, percipere meruerunt. *Martyr.* LXXIX.

VARIA LECTIO. Codices 512. 514. & Sangermanen. post verbum *meruerunt*, addunt: *In Affrica, civitate Adrameto, natalis sanctorum Veroli, Secundini, Secundi, & aliorum* XX. Sequitur in Sangermanensi: *& aliorum plurimorum martyrum, confessorum, atque virginum.* *Veroli, & soc.*

Martyr. LXXIX. ADNOTATIO. *Martyres Siculi* LXXIX. apertis verbis designati, ante omnes Martyrologos memorari arbitratur Sollerius hac die a Romano parvo, deinde ab Adone, ex quo Usuardus, & cæteri. Romani parvi hæc sunt verba: *In Sicilia, Martyrum* LXXIX., *sub Diocletiano diversis tormentis passorum.* Agunt præterea Notkerus, & Martyrologium Fuldense. Galesinii, & Ferrarii sphalmata, quum alter eorum *Cæsaraugustæ* hos martyres tribuat, alter *crucis supplicio* affectos tradat, Sollerius emendat in Usuardum hoc die, & Henschenius enumerat Martyrologos, qui de his martyribus meminere.

Veroli, & soc. De Adrumetinis martyribus accurate item Henschenius hac die, ac de iis multa disquirit. Agunt quidem Hieronymiana, & alia pleraque, sed corruptis mirandum in modum nominibus. Accipe in primis Martyrologii Ottoboniani verba: *In Affrica, civitate Adromito, natalis sanctorum Nerali, Secundini, Servuli, & aliorum* XVII. Richenoviense: *In Africa, Assumito* (pro *Adromito*) *civitate, Verili, Jocundi, Servuli, Sirici, Felicis, Saturnini, Fortunati. Item Justi, Amatoris, Secunda, Sirisi.* Augustanum: *In Africa, Veroli, Sirici, Jocundini, Victorini, Petri, Justi, Secundini.* Labbeanum: *In Africa, Viroli, Sirici, Jocundi, Victurini, Petri, Justi, Secundi.* Corbejense brevius: *In Africa, natalis sanctorum Viruli, Justi.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Africa, civitate Adromit. natalis sanctorum Veruli, Secundini, Servuli, Sirici, & aliorum* XXI. *Et alibi, Victurini, Crispini, Rustici, cum aliis* XVI. Usuardus vero habet: *In Africa, civitate Adrumeto, sanctorum Veroli, Secundini, Servuli, & aliorum viginti.* Quæ verba omnino conveniunt cum nostris codicibus. Agunt etiam Rabanus, & Notkerus; deinde recentiores, quorum erratum de his Martyribus *Wandalica persecutione* passis, quod etiam in Romano Martyrologio legitur, castigat Sollerius in Usuardum hac die, qui contra Usuardinorum codicum, & ipsius Belini silentium id factum putat.

D. VIII. KALENDAS MARTII. 22. *Febr.*

Cathedr. S. Petri Antioch. APUD Antiochiam, Cathedra sancti Petri.

Eodem die apud Alexandriam, S. Abilii Episcopi, qui post beatum Marcum secundus Episcopus, tredecim annos sacerdotium ministravit. *Abilii.*

Apud Hierapolim, sancti Papiæ Episcopi, auditoris sancti Joannis Apostoli. *Papiæ.*

Item beati Aristionis, qui fuit unus de septuaginta duobus Christi discipulis. *Aristionis.*

Viennæ, sancti Paschasii confessoris atque pontificis, admirandæ sanctitatis. *Paschasii.*

VARIA LECTIO. Ed: *auditoris sancti Joannis Apostoli*. Codices 512. 514. & Sangermanen. *adjutoris sancti Johannis Apostoli & Evangelistæ*. In codice Sangermanensi post verbum *sanctitatis* in editis hac die, in fine, sequitur: *& aliarum sanctorum plurimorum martyrum, confessorum, atque virginum*.

Cathedr. S. Petri. ADNOTATIO. Io Martyrologiis, & Kalendariis omnibus vetustissimis celebratur hac die *cathedra S. Petri*, quorum censum, & verba afferimus. In primis Kalendarium Bucherianum haa dia: *Natale Petri de cathedra*. Apographum Hieronymianum Lucense: *Natalis sancti Petri Apostoli cathedræ, quam resedit apud Antiochiam*. Eadem fere Corbejense. Epternacense: *Cathedra Petri in Antiochia*. Beda, Romanum parvum, Ado, & Usuardus: *Apud Antiochiam, cathedra* [Usuardus Sullerii habet *cathedræ*) *sancti Petri*. Gallonense: *Cathedra sancti Petri Apostoli, qua sedit apud Antiochiam*. Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, & Reginæ Suecorum: *Apud Antiochiam, cathedra sancti Petri Apostoli*, Richenoviense: *Et natale cathedræ Apostoli Petri, quam sedit Antiochiæ*. Eadem propemudum Augustanum, Labbeanum, & Corbejense brevias. Kalendarium Palatino Vatic. 485. hac die: *Nat. sancti Siricii Papæ. Cathedra sancti Petri Apostoli*. Kalendarium Vatic. 3086. *In Antiochia Cathedra sancti Petri*. Habetur item in Orationali Gothico-Hispanico, ex codice vetustissimu Veronensi, edito a v.c. Josepho Blanchino inter opera Card. Thomasii, nuvæ Romanæ editionis, tom. 1. pag. 6a. Agunt præterea Rabanus, Wandelbertus, & Notkerus. Ad libros Liturgicos quod attinet, deest quidem hac die in cudice Gelasiano Missa in cathedra S. Petri, & in Sacramentario Gregoriano Reginæ Suecorum 337. sed *Missa in cathedra S. Petri Apostoli* post Missam in conversione S. Pauli habetur in Missali Gothico apud Thomasium p. 308. habetur item in Sacramentario Menardi, in Palat. Vat. 495. & 496. in Sacramentario Angeli Rocchæ, ubi hic ibi præfigitur titulus: *Cathedra sancti Petri in Roma*; in aliis vero Sacramentariis, quæ citavimus, titolus est: *Cathedra sancti Petri Apostoli*. Oratiu prima in Palat. 496. hæc est: *Deus, qui beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus regni cælestis, ligendi atque solvendo* (sic, pro *solvendi*) *pontificium tradidisti*. In alia Sacramentariis, quæ modo indigitavimus, legitur: *animas ligandi atque solvendi pontificium tradidisti &c.* Novum vero videri non debet istiusmodi locotionis genus: *ligandi atque solvendi*, omissa voce, *animas*, quod nonnulli novatores impie Apostulicæ Sedis fraudibus adscripserunt: nam codex memoratus axaratus ast anta hos annoa quingentus. Præterea in Sacrameotario Reginæ Suecorum 337. sæculi VIII. oratio eadem in Vesperis S. Petri die XXIX. Junii, his est concepta verbis: *Deus, qui Apostolo Petro conlatis clavibus regni cælestis, ligandi atque solvendi pontificium tradidisti*. Codex vero Gelasianus Liturgicorum librorum veterrimus in orationibus item ad Vesperum in festis Apostolorum Petri & Pauli habet: *Deus, qui ligandi solvendique licentiam tuis Apostolis contulisti &c.* At de his satis. Capitularia Evangeliorum vaterrima apud Frontonem nullum Evangelium hac die in cathedra S. Petri designant; nullum quidem Capitulare Palat. Vat. 50 Vat. 43. Vat. 5465. Reginæ Suec. 4. & Vaticanum 7016. Sæculi VIII. quod edidimus tom. III. de Liturgia Romani Pontificis. Ad illius oram tamen, licet litteris minutioribus, ac minus antiquis, at vetustis, designatur post Evangelium in natali *sancti Valentini*, Evangelium *in cathedra S. Petri*. Cur in Sacramentariis nonnullis, & in Capitularibus vetustioribus desideretur, tum die XVIII. *Januarii*, tum die XXII. *Februarii*, obiter disquirit Fronto in notis in Kalendarium ab se editum, ad extremum Februarii mensis. Existimat autem, ideo utramque cathedram Romæ antiquitus omissam, quod solerent Romani Pontifices diem eorum natalem, idest quo Pontifices creati erant, quotannis cum Missa celebrare; postea consentaneum rationi non esse duxerunt, idcirco diem, quo Petrus primum Antiochiæ, deinde Romæ sedit, non recolere. Videant alii, num recte Fronto conjiciat. Qui plura de hujus celebritatis cultu, & vetustate, ritibusque cupit, adeat Baronium in Notationibus hac die, item Sollerium in Usuardum hac dia, & Bollandianos die XXIX. Junii pag. 407. & 456. inter Analecta.

De *Abilio*, aliis *Avilio*, *Melio*, *Molio*, vel *Meliano*, ut est a Sollerio adnotatum, agit in primis Romanum parvum hac die his verbis: *Alexandriæ, Abilii Episcopi*; deiade Ado, Usuardus, & Notkerus. Silent alia multa Martyrologia Latinorum. Tertius fuit Alexandrinus Episcopus, & secundus post Marcum, obiitque anno Christi 99. circiter diem XXIX. *Augusti*, ut Sollerius in Tractatu Chronologico de Patriarchis Alexandrinis contra Tillemontium statuit. *Abilii.*

Papias Hierapolitanus in Phrygia Episcopus, Sollerii judicio, ab Adone primum Martyrologiis adnumeratus est, ex quo Usuardus, & Notkerus. Codices nostri loco *auditoris* habent *adjutoris*. Martyr obiit Papias, Pergami, eodem fere tempore, quo Polycarpus Smyrnæ passus est; ut ex Chronico Alexandrino pag. 258. habet Henschenius hac die. De eo *Papiæ:*

Hie-

Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XVIII. & epist. XXVIII. ad Lucinium, Eusebius lib. III. cap. XXXIX. & inter recentiores Halloixius in Papiæ vita tom. I. Scriptor. Oriental. Cotelerius tom. I. monument. Eccl. Græcæ pag. 765. Tillemontius tom. II. pag. 296. & seq. ac Nonrrius in Apparatu ad Bibliothecam Patrum lib. II. Differt. I. ut alii recentiorum prætermittantur. Quæ emendanda censeantur in Martyrologio Romano, vide apud Henschenium hac die, Castellanum pag. 708., & Tillemontium, ubi supra.

Aristionis. *Aristion*, ut videtur Sollerio, primum ab e Romano parvo enunciatur die XVII. *Octobris*, his verbis: *Et Aristionis, qui fuit unus de LXX. Christi discipulis*. Ado vero agit hac die XXII. *Februarii*, ac iterum die XVII. *Octobris*, forte, ut inquit Sollerius, immemor eorum, quæ die XXII. *Februarii* scripserat. Die tamen XVII. Octobris, loco *de septuaginta duobus*, habet *de septuaginta Christi discipulis*. Usuardus, & Notkerus de *Aristione* agunt tantum die XXII. Februarii, qua die Bollandus ex Eusebio, & aliis ejus elogium exaravit.

Paschasii. *Paschasius* Viennensis Episcopus extremo loco ab Adone hac die pronunciatur, e genuino Usuardo præteritus, ac in ejus Auctaria apud Sollerium hac die relatus. *Paschasius* apud Baronium in Notationibus hac die, ex Adone in Chronico vixit, Melchiadis Romani Pontificis, & Constantini Augusti temporibus. Apud Bollandianos quoque, hac die pag. 290. eadem statuuntur, & vita functus A.D. 313. Paschasius traditur; at *Paschasius* alter Viennensis Episcopus insecutis inde temporibus memoratur, qui interfuit neci *Maximi* Abbatis Limoniei an. 643. ut habet auctor Anonymus in vita ejusdem Maximi apud Bollandum die II. Februarii. At hunc Paschasium pernegat Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum, quod *Paschasius* Viennensis Episcopus multo ante floruerit. Mabillonius vero lib. XIII. §. XXII. Annalium Bened. Paschasium alterum sub *Chlotario* III. rege, vixisse, vero similius putat. Interim incertum mihi est, de quo *Paschasio* Ado hac die agat.

F. VI. KALENDAS MARTII. 23. Febr.

Syreni. APUD Sirmium, beati * Syreni monachi, qui cum tempore Maximiani Imperatoris, unius ex domesticis ejus uxorem, hora incongrua in horto, quem ipse sibi excolebat, deambulantem, acrius increpando repulisset; jubente Maximiano tentus, & Christianum se esse confessus, capite cæsus est. * Al. Syneri.

Martyr. LXII. Item aliorum sexaginta duorum, qui ibidem passi sunt.

Polycarpi. Ipso die, sancti Polycarpi presbyteri & confessoris, qui cum beato Sebastiano plurimos ad fidem Christi convertit, atque ad martyrii gloriam exhortando perduxit. *De hoc in gestis sancti Sebastiani, 20. Jan.*

VARIA LECTIO. Cod. Sangermanen. post extremum verbum *perduxit*, addit: *& aliorum sanctorum plurimorum martyrum, confessorum, atque virginum*.

Syreni. ADNOTATIO. Mire corruptum est in codicibus hac die *Syreni*, vel *Syneri* nomen. Ea de re accurate ex Hieronymianis, & aliis Sollerius in Usuardum hac die, quem vide. *Synerus* habet Usuardus. Gellonense *Seneri*, & *Seneroti*. Agunt igitur Hieronymiana, die superiori, & hac die Romanum parvum, Ado, Usuardus, Rabanus, & Notkerus. Nos addimus Martyrologium Fuldense, ubi legitur *Severi*, ni forte librarius *Seneri* scribere voluerit. Martyrologium Ottobonianum: *In Pannonia, natalis sancti Serenoti, & Antigoti*. Richenoviense: *In Sirmio, Senerotis*. Augustanum: *Senerati*. Labbeanum: *Seneroti*, sine ulla in utrisque loci designatione. Corbejense brevius: *In Pannoniis, Seneroti, Antagoni, Rutuli, Libii, Rogatiani*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Pannoniis, natalis sanctorum Seneroti, Antigoni, Rutuli, Libii*. Acta sincera *Seneri* habes apud Bollandianos hac die, & apud Ruinartium, ac Tillemont. tom. V. pag. 254. De erratis eorum, qui

Si-

Sinerum in civitatem Firmi in Piceno, & qui in Bæticem transferunt, Bollandus in Commentario hac die.

Martyr. LXII. Mirum est, etiam quem varie, & oscitanter vetera quædam Martyrologie, in cæteris quæ hec die apud Adonem sequuntur, fint exarata, ut in mertyribus *sexaginta duobus*, & in *Polycarpo*. Hieronymiana, & elia modo habent LXII. modo LXXII. Martyrologium Ottobonianum die præcedenti: *Syrmio Castello, natalis sancti Sereni, & alii* (pro *aliorum*) LXXII. Richenaviense ea die: *Sirmio, sancti Severi, & aliorum* LXXI. Eadem die Augustenum: *Severi, & aliorum* LXI.

Polycarpi. De *Polycarpo* quoque immanem in modum corrupte agunt; fere omnia *Polycarpum* Smyrnensem Episcopum exhibent, ut ad diem XXVI. *Januarii* diximus. Recte se habent de *Polycarpo* presbytero & confessore Ado, Romanum parvum, Usuardus, & Wandelbertus, ut a Sollerio in Usuardum hac die est ednotetum. Florentinius Exercitatione VI., hac die XXIII. *Februarii* Polycarpi Smyrnensis martyrium contigisse contendit.

---

24. Febr.

F. VI. KALENDAS MARTII.

Matthiæ Apost. NATALIS sancti Matthiæ Apostoli. *Vide libel. de festivit. Apostol.*

Inven. cap. Præcurs. Et inventio capitis Præcursoris, tempore Martiani Principis, quando isdem (pro idem) Præcursor duobus monachis, ubi idem caput ejus celatum jaceret, revelavit. Constat autem quia imminente festivitate Paschali fuerit, sicut in Evangelio apparet, decollatus: & anno post hunc sequente cum denuo tempus Paschale rediisset, mysterium Dominicæ passionis esse completum. Et propterea quod in libro Sacramentorum natale iiij. Kalendarum Septembrium die notatum est, & in Martyrologio, quod Eusebii & Hieronymi vocabulis insignitum est, legitur: *Quarto Kalendas Septembris in Emesa civitate Phœniciæ provinciæ, natale sancti Joannis Baptistæ, quo die decollatus*: non specialiter ipsum diem decollationis ejus, sed diem potius, quo caput ejus in eadem Emesa civitate repertum, atque in ecclesia conditum, designat. Siquidem duo monachi Orientales venerant adorare Jerosolymis, & loca sancta videre. Quibus per revelationem assistens idem Præcursor Domini, præcepit, ut ad Herodis quondam Regis habitaculum accedentes, caput suum ibi requirerent, & inventum digno honore reconderent. Quod ab eis inventum & assumptum, sed non multo post culpa incuriæ perditum, perlatum est Emesam ab illis, & in quodam specu, in urna sub terra non parvo tempore ignobiliter reconditum: donec denuo sese suumque caput ostendit Marcello cuidam religioso presbytero, dum in eodem specu habitaret. Ex quo tempore cœpit in eadem civitate beati Præcursoris decollatio, ipso die, quo caput ejus inventum sive elevatum est, celebrari. *Vide infra 29. Aug.* *Libell. de fest. Apost. 29. Aug.*

Sergii. Item apud Cæsaream Cappadociæ, natalis beati Sergii martyris, cujus gesta præclarissima habentur.

VARIA

VARIA LECTIO. Ed. *Matthiæ Apostoli*. Post hæc verba sequitur in codicibus 512. 514. & in Sangermanensi: *Qui post ascensionem Domini a beatis Apostolis sorte electus, atque in locum Judæ proditoris subrogatus Apostolus, Christi Evangelium prædicavit*. Ita apud vulgatum Adonem in libello de festivitatibus Apostolorum hac die. Ed. *Et inventio*. Codices 512. 514. *Eodem die, inventio*. Ed. *in Emesa civitate Phœniciæ*. Codices præfati: *In Emessa civitate Fenicæ*, mendo librarii. Ed. *ab illis*. Cod. Sangerman. *ab aliis*. Ed. *Item apud Cæsaream*. Codices 512. 514. *Et apud Cæsaream*.

Matthiæ. ADNOTATIO. Num in Hieronymianis sanctus *Matthias Apostolus* die XXI. *Maji*, an *S. Matthæus Apostolus* colatur, disquirit Sollerius in Usuardum hac die XXIV. *Februarii*. Agit quidem Beda genuinus die XXIV. *Februarii*, quanquam a codicibus Palatino-Vaticanis 833. 834. satis vetustis absit. Agunt præterea Ado, Usuardus, Romanum parvum, Rabanus, & Notkerus, Florus, & Wandelbertus. His subjicio Martyrologium Ottobonianum, in quo hac die extremo loco legitur: *Eodem die, natalis sancti Matthei Apostoli*. Puto leviori mendo a librariis *Matthæum* interdum pro *Matthia* scriptum, ut censuit etiam Florentinius pag. 543. Agit Martyrologium Fuldense, Augustanum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. In libris Liturgicis vetustioribus, ut in codice Gelasiano, Sacramentario Gregoriano Reginæ Suecorum 337., & in Capitularibus Evangeliorum veterrimis *natalis S. Matthiæ* Apostoli deest, habetur tamen in Sacramentario Menardi, ubi vide ejusdem Menardi notas, Palat. Vat. 496. Angeli Rocchæ, & Vat. 1272. Cætera, quæ ad cultum *S. Matthiæ* pertinent, ejusque translationes, illustrantur ab Henschenio hac die, & summatim apud Tillemontium tom. I. pag. 406. *& seq.*

Invent. cap. Præcurs. De *inventione capitis S. Jo. Baptistæ* agunt hac die fere omnes Latinorum. Beda: *Inventio capitis Joannis præcursoris*. Romanum parvum: *Et inventio capitis præcursoris*. Usuardus, Adonem in pauca contrahens: *Item inventio capitis præcursoris Domini, tempore Marciani Principis, quando idem præcursor duobus monachis primum, ubi idem ejus caput celatum jaceret, revelavit*. Fusius Notkerus ex Adone. Meminit etiam Wandelbertus. Martyrologium Fuldense, & Reginæ Suecorum: *Et inventio capitis præcursoris*. Martyrologium vero Romanum ita habet hac die; *Jerosolymis prima inventio capitis præcursoris Domini*. Baronius ad an. 391. num. XII. fatetur, nullam fere esse historiam, quæ tot obvolvatur ambagibus, quam illa de inventione capitis Jo. Baptistæ. Tres autem circumferuntur in oriente capitis præcursoris inventiones, ac translationes; prima ex Cilicia in Bythiniam, ac inde Constantinopolim sub Valente, & Theodosio, A. D. 391. de qua Baronius an. 391. num. VII., *& seq.* ex Sozomeno lib. VII. cap. XXI. quam tamen partim commentitiam esse, utpote a Macedoniano homine acceptam, ibidem Baronius, & in Notationibus die XXIX. Augusti contendit; factamque primum translationem capitis Constantinopolim ex vico Coslai a pientissimo Theodosio seniore Augusto putat. Secunda inventio ea dicitur, quando *Emesa* caput Joannis an 453. inventum est. Tertia demum inventio apud Comanam fuit, ex qua Constantinopolim translatum caput Joannis fuisse fertur. Primam inventionem, ac translationem in *Hebdomon*, septimo a Byzantio lapide, Theodosio seniore imperante, & quidem an. 391. fuisse tradunt. Id autem confirmare videtur auctor Chronici Alexandrini pag. 305. qui *Tatiano & Symmacho Coss.* hoc est A. D. 391. ad XII *Kal. Martias* hujusmodi translationem refert. Eadem translatio ad hoc fere tempus, in nonnullis Prosperiani Chronici editionibus, ut apud Scaligerum in Euseb. Chronic. pag. 189. refertur; in Labbeana, & Chesniana editione tamen non reperitur; apud Pontacum vero alio charactere designatur. Græci autem hujusmodi inventionem vix agnoverunt, ut adnotat Cangius ad Chronicon Paschale pag. 570. De inventione vero, quæ Emesæ, Marciano imperante facta est A. D. 453. agunt auctor Chronici Alexandrini pag. 320. Marcellinus in Chronico, *Vincomalo, & Opilione Coss.* die XXIV. *Februarii, media jejuniorum Paschalium septimana*. Chronicon vero Alexandrinum habet *mense Peritio* XII. *Kal. Martii*, hoc est die XVIII. Februarii; accedunt Marcellus Archimandrita, & Acta de inventione capitis Jo. Baptistæ, de qua in censura Gelasii. At secundam hanc inventionem refellit ut fabulosam Baronius, locis supra memoratis. Verum eam non esse omnino rejiciendam docent Cangius in Dissertatione de capite S. Jo. Baptistæ, Gallice scripta pag. 215. *& seq.*, & in notis ad Chronicon Alexandrinum, pag. 577. Tillemontius tom. I. pag. 103. 495., & 500. & notis ad Theodosii vitam tom. V. pag. 759. Daniel Papebrochius in Actis Bollandianis die XXIV. Junii, tom. IV. pag. 713. *& seq.* item pag. 728. §. VI. ubi hujusmodi inventionem contigisse an. 452. die XXIV. Februarii censet. Quæ de his inventionibus habet Metaphrastes, inter commenta rejicit Allatius de Simeonum scriptis pag. 128. Aliæ insuper *Joannis* translationes memorantur, ut apud

apud Theophanem in Chronico ad an. 760. pag. 362. alia an. 858. curante S. Ignatio Patriarcha Constantinopolitano, de qua Menæa Græcorum die xxv. *Maji*. At de his vide Papebrochium, ubi supra.

Sergii. *Sergius* martyr Cæsariensis, ex Hieronymianis acceptus primum, videtur Sollerio in Usuardum hac die, deinde a Romano parvo, Adone, Notkero, & aliis. Acta illius hactenus desiderantur. Vide quæ de eo hac die in commentario habet Henschenius ubi aliorum errata detegit. Martyrologium Ottobonianum hac die habet: *In Cæsarea Cappadocia* (sic) *Luci, Siaii, Sergi*. Eadem ferme Corbejense brevius.

---

25. Febr.

G. V. KALENDAS MARTII.

Victorini, & soc. APUD Ægyptum, natale sanctorum Victorini, Victoris, Nicophori, Claudiani, Dioscori, Serapionis, & Papiæ, sub Numeriano Imperatore, agente Sabino duce. Quorum primus in pilam ex robore cavam, & undique circumforatam missus, ac per singula foramina diutissime transpunctus est: cumque nimius sanguis efflueret, eductus e pila, capite cæsus est. Secundus manibus ac pedibus amputatis, in eamdem pilam missus, prioris tormenta sustinuit, & novissime gladio cæsus est. Tertius cum ultro in pilam fuisset ingressus, indignatus Judex jussit eum inde produci, & super craticulam prunis substratam aliquantisper assari & inverti: cumque in confessione persisteret, sublatus inde, minutatim gladio concisus, spiritum reddidit. Reliquorum quatuor, Claudianus & Dioscorus flammis incensi, Serapion & Papias gladio consummati sunt.

VARIA LECTIO. Codices 512. 514. & Sangermanen. post verbum *consummati sunt*, extremo loco positum, addunt: *omnes itaque celebre martyrium dedicarunt*.

Victorini, & soc. ADNOTATIO. Hieronymiana pridie hujus diei de his martyribus septem Ægyptiis ita agunt: *In Ægypto, passio sanctorum Victorini, Victoris, Nevictæ* (*Nivictæ, Nivititæ, Niventiæ*) *Nicofori, Serapionis, Dioscori*. De his iterum eadem apographa Hieronymiana die xxviii. Februarii paullo aliter. Agit vero hac die xxv. *Februarii* Martyrologium Fuldense, ubi Adonianum elogium fere ad verbum describit. Verba *sub Numeriano Imperatore*, omittit, quorum loco substituit *sub Sabino duce*. Martyrologium Ottobonianum agit die xxiv. Februarii: *In Ægypto, passio Victorini, Victoris*. Richenoviense ea die: *In Ægypto, passio SS. Victorini, Victoris, Niaentiæ*. Augustanum & Labbeanum ea quoque die *Victorini*, & *Serapionis* tantum nomina produnt. Eadem demum die Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Ægypto passio sanctorum Victurini, Victoris*. Romanum parvum die xxv. Februarii: *Apud Ægyptum, Victorini, Victoris, Nicophori, Claudiani, Dioscori, Serapionis, & Papiæ*. Ex Adone totum suum elogium, in pauca contractum, contexuit hac die Usuardus. Adonem fere ad verbum exscripsit Notkerus. Expungenda videntur Sollerio verba *sub Numeriano*, ac legendum potius *sub Sabino judice*, cujus jussu, imperante Decio martyres plures in Ægypto interfecti sunt, ut habet Dionysii Alexandrini Epistola apud Eusebium lib.vi. cap.xl. al.xxxi. Vide quæ de his martyribus habet hac die Henschenius, quæ tamen in aliquibus minus probari videntur Sollerio; qui de martyrii loco etiam disquirit.

A. IV.

A. IV. KALENDAS MARTII. *26. Febr.*

Nestoris. IN Civitate Perge Pamphiliæ, natale beati Nestoris Episcopi: qui persecutione Decii, cum diu noctuque orationi insisteret, postulans ut grex Christi custodiretur; comprehensus a quodam Irenareho, qui erat princeps curiæ civitatis, velut aries sine malitia oblatus est Præsidi Pollioni. Et cum nomen Christi mira libertate & alacritate confiteretur, deos autem gentium dæmonia pessima esse memoraret, jussus ab eodem Præside suspendi in eculeo, & crudelissime torqueri, lætus psallebat, dicens: *Benedicam Dominum in omni tempore, semper laus ejus in ore meo.* *Psal. 13.* Præses vero stupens super tanta tolerantia, & volens eum blandis verbis a fide revocare, dixit ei: Vis esse nobiscum, aut cum Christo tuo? Cui sanctus Nestor cum magno gaudio respondit, dicens: Cum Christo meo & eram, & sum, & ero. Tunc indignatus Præses dedit adversus eum sententiam, ut quia Jesum crucifixum sub Pontio Pilato fateretur, tamquam devotus Deo suo, illius subiret sententiam, & ligno crucifixus resolveretur a vita. Ille gratias agens Deo, cum jam affixus esset patibulo, docebat assistentem populum Christianum, ut persisterent in fide & charitate Christi, & libentissime compaterentur, ut & simul glorificarentur. Post hæc petens omnem adstantem turbam fidelium, ut genua flectentes orarent cum ipso: cum complesset orationem, & dixissent omnes, Amen, reddidit spiritum. Consummavit autem martyrium quinta sabbati, hora tertia.

Eufeb.l.10. cap. 1. & Rufin.l.1. cap.1. *Alexandri.* Eodem die, beati Alexandri, Alexandrinæ civitatis Episcopi, gloriosi senis, qui post beatum Petrum, Arium presbyterum suum, hæretica impietate depravatum, & divina veritate reconvictum, de Ecclesia ejecit: & postea inter trecentos decem & octo Patres, eumdem in Nicæno Concilio damnavit.

Nestoris. ADNOTATIO. Meminere *Nestoris* hac die, additis tamen sociis, apographa Hieronymiana. Unius *Nestoris* Romanum parvum. Unius item Ado, & ex eo Usuardus, & Notkerus. *Theonem* ei conjungit Wandelbertus. Richenoviense pridie hujus diei: *Pamphilia, natale Nestoris*; hac vero die mixtim cum aliis martyribus *Nestorem* commemorat. Ita quoque Augustanum, & Labbeanum. Eadem fere Corbejense brevius. Martyrologium Reginæ Suecorum pridie hujus diei: *Pamfilia, Nestoris & Casti*. Ottobonianum eadem die: *Pamphilia, natalis sanctorum Nestoris, & Castæ*. Martyrologium Fuldense hac die xxvi. Februarii: *In civitate Persida, natalis sancti Nestoris, qui crucis patibulo martyrium consummavit*. Ipsius Acta apud Surium commendat Baronius, deinde Henschenius hac die, sed non in omnibus probantur Tillemontio tom. III. pag. 351.

Alexandri. De *Alexandro* Episcopo Alexandrino meminere hac die Hieronymiana, Romanum parvum, Ado, ex eo Usuardus, & Notkerus; deinde Richenoviense, & Ottobonianum conjunctim cum aliis, omissa *Episcopi* designatione, nempe Ottobonianum: *In Alexandria, nata-*

natalis sanctorum Alexandri, Theonis, Donati, Ampliati, Ingenii, & aliorum xxvi. Paullo aliter Richenoviense & Augustanum. Decessit *Alexander* A. D. 326. die xxvi. *Februarii*, ut visum est Sollerio in Tractatu Chronologico de Patriarchis Alexandrinis, & ad Usuardum hac die, contra ac sentiunt Pagius in Critica ad an. 326. n. iii. & Montfauconius in Monito prævio ad S. Athanasii vitam pag. 46. In Martyrologio Fuldensi, a quo Ado, & Usuardus pede tenus exscribi solent, loco *Alexandri*, habetur hac die: *Alexandriæ, sancti Fortunati*. Richenoviense: *Antiochiæ, Fortunati*. Augustanum *Fortunati* meminit, sed glomeratim una cum aliis martyribus. Ita Labbeanum; & præ cæteris Hieronymiana, & Gellonense, sed hæc pertinent ad *Fortunatum* martyrem Antiochenum. Kalendarium vero Vat. 3806. hac die: *In Alexandria, sancti Fortunati confessoris*. Auctaria Usuardi hac die apud Sollerium, modo præferunt: *Fortunati Episcopi*, modo cum caterva martyrum consociant. Mira sane perturbatio. Vide quæ habet Henschenius hac die in indiculo prætermissorum pag. 625. ubi de *Fortunato*, qui Hierosolymitanus Patriarcha, Caroli M. ævo, fuisse dicitur, antea monachus Mediani monasterii extiterat. De hoc *Fortunato*, pridem monacho, aliter censet Mabillonius Annal. Bened. lib. xxiv. §. lxxxiii. A. D. 799. & potius Gradensem Patriarcham, quam Hierosolymitanum esse putat.

Fortunati.

---

27. Febr.

B. III. KALENDAS MARTII.

Leandri. APUD Hispaniam, civitate Hispali, sancti Leandri Episcopi & confessoris: ad quem beatus Gregorius libros Moralium scribit: cujus prædicatione & industria, tota Gothorum gens per Riccaredum Regem ab Ariana impietate conversa est. Qui etiam fratrem ejus Erminigildum Regem, vivente adhuc patre hæretico, ab eadem Ariana hæresi ad Catholicam fidem correxit: atque usque ad gloriosam martyrii passionem suis exhortationibus perduxit. *De eo Gregor. in Præfat. Moralium.*

Juliani. Item eodem die in Alexandria, natalis sancti Juliani martyris, qui cum ita podagra constrictus esset, ut neque incedere neque stare posset, cum his, qui eum in sellula portabant, Judici offertur: quorum unus quidem statim negavit, alter nomine Eunus, cum Juliano sene in Domini confessione perdurat: quique jubentur camelis impositi, per totam circumduci urbem, & flagris, hinc inde, inspectante populo, laniari, usquequo finem ipsis verberibus sortirentur. *Euseb. l. 6. cap. 34.*

Baldemeris. Item apud Lugdunum, sancti Baldemeris, viri Dei, cujus sepulchrum crebris miraculis illustratur.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Hispaniam*. Cod. 512. 514. *Hispania*. Natalis sancti *Baldemeris* deest in codicibus 512. 514.

Leandri. ADNOTATIO. Primus Ado fuisse videtur Sollerio, qui *Leandrum* Hispalensem Martyrologiis adscripserit. Aliter est apud Baronium in Notationibus hac die, qui vulgatum Bedam secutus, de Leandro, ante cæteros, Bedam meminisse putavit. Plura ibi Baronius de *Leandro* congerit, & in Annalibus ad an. 583. 584. 589. 595. 599. Post Adonem de *Leandro* agunt hac die Usuardus, & Notkerus, ipsius Adonis verba, seu sententiam secuti. Martyrologium Fuldense hac die ita habet: *Apud Hispaniam, civitate Hispali, natalis sancti Leandri, ad quem beatus Gregorius libros Moralium scripsit*. Agit & hac die Martyrologium metricum Wandelberti. *Leandri*, nomine tenus meminere hac item die,

Mar-

Martyrologium Ottobonianum, Reginæ Suecorum, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum. Obiit Leander III. *Kal. Martias*, æra DCXLI. ut ex veteri pictura apud Mabillonium Annal. Bened. lib. X. §. XXII. quod est A. D. 603. Ex monacho factus est Hispalensis Episcopus. Ibid. lib. VI. §. XXIV. *& seq.* Bollandiani socii Leandrum, ut inquit Sollerius, in diem XIII. *Martii* rejecerunt, quia ea die per totam ferme Hispaniam colitur. Vide igitur, quæ ibi pag. 275. de eo habent.

Juliani, & Euni. De *Juliano*, & *Euno* egerunt supra codices nostri die XX. *Februarii*, Vide quæ ibi diximus. *Julianum* senem & podagricum, præter Usuardum, & Adonem recolit hac die Martyrologium Fuldense his verbis: *Et in Alexandria Juliani senis, & podagrici martyris.*

Baldemeris. Præteritur a nostris codicibus *Baldemeres*; obiter tamen de eo aliqua prænotabimus. Ex vulgato Adone, qui primum in Fastos eum retulisse creditur Sollerio, sumpsere ad verbum Usuardus, & Notkerus. *Baldomeres*, qui & *Waldomerus* a *Viventio* Abbate monasterii S. Justi in monachorum cœtum admissus est, Gauderico Lugdunensi Antistite, qui invitum & renitentem Baldemerum, Subdiaconatui initiavit. Reclusus deinde in cellula, orationibus, atque aliis vitæ asperitatibus, quoad vixit, vacavit; insignemque vitam pretiosa morte, ac post mortem prodigiis, & signis conclusit. Vivebat c. A. D. 642. Hæc raptim Mabillonius Annal. Bened. lib. XIII. §. XIII. Acta illustrantur ab Henschenio hac die.

C. PRIDIE KALENDAS MARTII. *28. Febr.*

Romani. IN territorio Lugdunensi locis Jurensibus, beati Romani Abbatis, qui primus illic vitam eremiticam duxit, & multis virtutibus ac miraculis clarus, plurimorum postea pater extitit monachorum. Venerabile corpus ejus situm est in finibus Vesuntionum.

Romani. ADNOTATIO. De *Romano* Abbate prius Condatescensi, & conditore monasterii vocabulo *Romani*, vulgo *Roman-Monstier*, in Valdensi pago, diœcesi Aventicensi, seu Lausanensi constructi, testis est Gregorius Turonensis de vit. Patrum cap. I. Ea de re, deque *Jurensi* monasterio Mabillonius Annal. Bened. lib. I. §. LVI. *& seq.* & §. LIX. *& seq.* ad an. 510. ubi gesta *Romani* persequitur. Item l. I. §. LXIV. *& seq.* & in Appendice monumentorum ad calcem tom. I. num. III. At præstat nonnulla delibare ex commentario Historico Henschenii hac die pag. 738. *& seq.* *Romanus* Abbas *Jurensis* non est confundendus cum *Romano* altero, S. Benedicti discipulo. *Romanus*, & *Lupicinus* nati videntur circiter finem sæculi quarti. Romanus ætatis anno XXXV. cœpit in silva Jurensi vitam solitariam agere, a S. Hilario Arelatensi Episcopo postmodum est presbyter ordinatus. Acta, auctore monacho Condatescensi coævo, eruit Petrus Franciscus Chiffletius Societatis Jesu, quæ edidit etiam Henschenius hac die pag. 740. *& seq.* sed neque ex his, neque ex Gregorio Turonensi erui potest annus, & dies emortualis SS. *Romani*, & *Lupicini*. Cointius in Annalibus Ecclesiasticis Francorum ad an. 534. num. XXIV. commendat Acta, seu vitas Jurensium Abbatum, quas scripsit monachus Condatescensis, Eugendi discipulus, eaque præfert Gregorio Turonensi. Nec ex anonymo Condatescensi, nec ex Gregorio Turonensi, inquit ibi Cointius, liquet quo anno *Romanus* obierit. In serie Abbatum Jurensium apud Sammarthanos Galliæ christianæ tom. IV. pag. 547. primus Abbas est *Romanus*, qui obiisse dicitur haud procul ab an. Christi 457. succedit *Lupicinus*, qui obiit an. 477. tertius est *Minausius*, an. 507. vita functus, quartus est *Eugendus*, an. 521. sepultus. Huic calculo, inquit Cointius, refragatur monachus Condatescensis, qui in *Eugendi* vita ita scribit: *Sanctus famulus Christi Eugendus, sicut beatorum Patrum Romani & Lupicini in religione discipulus, ita etiam natalibus ac provincia extitit indigena atque concivis* &c. *Sancto Romano oblatus est Patri* &c. *A septimo usque ad sexagesimum vitæ, quo transiit, annum nusquam post ingressum extulit pedem*. Ad hæc, argumentatur ita Cointius, si *Eugendus*, vivente adhuc *Romano*, Condatescense monasterium adiit ætatis *anno septimo*, & vixit *annos* duntaxat *sexaginta*, certe post *S. Romanum*, *annis tribus ac sexaginta* superstes esse non potuit. Vide quæ die I. Jan., ubi de *S. Eugendo*, adnotavimus. Ado, si Sollerium sequimur, primus fuit, qui inter Fastos, seu Martyrologia Romanum retulit; Adonemque secuti sunt Usuardus, & Notkerus. Agit autem Martyrologium Fuldense hac die his verbis: *Natalis sancti Romani Jurensis Abbatis, qui primus illic eremiticam vitam duxit*. Martyrologium Ottobonianum: *Lugduno, beati Romani Abbatis*. Meminit & Hagiologium Francogallicum. Quæ ad ejus vitam, & cultum pertinent, recitat Henschenius hac die pag. 737.

LITANIÆ INDICENDÆ.

MENSIS MARTIUS

Habet dies xxxi. Luna xxx.

1. *Mart.* *D. KALENDIS MARTII.*

Martyr. CCLX.



OMÆ sanctorum Martyrum ducentorum sexaginta, temporibus Claudii, qui via Salaria arenam fodientes, damnati fuerant pro Christi nomine; quos jussit Claudius ut in figlina foris muros portæ Salariæ mitterentur, & eo loco inclusi, in civitatis amphitheatro militum sagittis interficerentur. *De his in vita S. Valent. presb. 14. Feb.*

VARIA LECTIO. Ed. *figlina*. Codices 512. 514. & Sangermanen. *fligina*, librarii *vitio*: Post extremum verbum: *interficerentur*, sequitur in eisdem codicibus: „ Andegavis, depositio sancti Albini Episcopi & confessoris, cujus vita „ virtutibus & miraculis plena refulsit. Eadem die passio sancti Donati martyris, qui „ sub duce Ursatio & Marcellino tribuno, Cartagini passus est. Apud urbem Antinoum passio beati Leonidis, qui ab eodem Judice, quo & sanctus Aclas (Cod. 514. „ *Asclas*) variis suppliciis est interemptus. *Albini.* *Donati.* *Leonidis.* *Asclæ.*

Cod. 512. addit: *In pago Engolisinense, sancti Amancii confessoris.* *Amancii.*

Martyr. CCLX. ADNOTATIO. *Martyrum ducentorum sexaginta* palæstra, Claudii Imperatoris jussu interfectorum, si Sollerio credimus, primum iu Martyrologiis descripta est hec die e Romano parvo hie verbis: *Sanctorum martyrum* CCLX. *temporibus Claudii, qui via Salaria arenam fodientes damnati fuerunt*. Ex Actis, nt censet idem Sollerius, Ado alogium auxit, a Notkero descriptum, & nb Usuardo axpolitum. Henschenius hac die animadvertit, in peraotiquis Martyrologiis horum martyrum memoriam servatam fuisse, & in Actis *SS. Marii, & Marthæ conjugum* &c. Mirum temen videtur, cur de bis sileant hac die Mertyrologium Fuldense, Ottoboniaoum, Reginæ Suecorum, Richenoviensa, Augustanum, & Labbeenum.

In codicibue nostris elia sanctorum caterva sequitur, quæ vulgato Adooi deest; & inprimis *Albinus* Episcopus *Andegavensis*, de quo genuinus Usuardus Pratensis, quanquam Sollerine, *Albanus* in suo Usuerdo meluerit. Auctaria Hieronymiana, ut videtor Florentinio peg. 355., de eo hac die eguot. Item Gellonense, Rabaous, & Notkerus, Martyrologium Fuldense, Ottoboniaoum, Reginæ Suecorum, Francogallicum, Richenoviense, Augustanum, Labbeaoum, & Kelendarium Vetic. 3806. Corbejense vero brevius pridie hujus diei. Vides, Letinorum fere omnia Mertyrologia de *Albino* agere, quocirca nulle causa subest, cur genuino Adoui *Albinus* sit abjudicandus. *Albinus*, ut ex ejus vita per Fortunatum, tum presbyterum, deinde Episcopum Pictaviensem scripta, in pago Venetensi apud Aremoricos, parentibue genere claris ortus, monasterio *Tincillacensi* nomen dedit per idem fere tempus, quo *S. Benedictus* monasticæ vitæ sese dedidit. Eligitur Andegavensie Episcopus c. A. D. 530. obiitque A. D. 550. *Kalendis Martiis*, postquam Andegavensem Ecclesiam annis viginti, & mensibus sex rexisset. Hæc ex Mabillonio Annal. Bened. lib. III. §. XLVIII. & *seq.* & lib. V. §. XXXIII. delibavimus. Ibi de *Andegavensi S. Albini* monasterio, & ejusdem tranelatione in basilicam S. Germani Autisiodorensis. *Albini.*

Donati, & Leonis martyr. nominatim meminere hec die epogrephum Hieronymianum Luceose, & Corbejense. Epternacense vero: *In Africa, natalis sanctorum Leonis, Donati* &c. Gellonense: *Passio Leonis mart. Donati* &c. Mertyrologium Fuldense: *In Africa Donati mart. & sancti Leonis*. Ottobonianum: *Passio san-* *Donati.*

sanctorum Leonis, Donati, Karissi, & aliorum VIIII. Richenoviense: *In Africa, Leonis, Donatiæ* &c. Augustanum: *Passio Leonis mart. Donati* &c. Labbeanum: *Passio Leonis martyris, Habundanti* &c. Corbejense brevius: *Natalis sanctorum Leonis, Donati, Habundantii*. Ita Martyrologium Regiæ Suecorum. Kalendarium Vaticanum 3806. *In Africa Donati mart. & Leonis*. Kalendarium Palatin. Vat. 485. *Natalis sancti Donati mart.* Incertum esse scribit Sollerius, unde Usuardus suum de Donato elogium hauserit. Si codices nostros inspexisset, ex aliquo Adonis exemplari hausit; nam ipsissima verba sunt in nostris codicibus, quæ hac die Usuardus de Donato usurpavit.

Leonidis. Forte vetera Martyrologia in unum commiscuerunt nomen *Leonis cum Donato* martyre Africano; a lo codicibus nostris secernitur: *Leonidis* nomen obtinet, & apud Antiochum ejus palæstra ponitur; & cum *Ascla* martyre, de quo die XXIII. *Januarii*, conjungitur. De *Leonide* martyre Auctarium Usuardi Antuerpiense apud Sollerium hac die iisdem verbis, æque atque codices nostri. Ad quem locum Sollerius: *An hic Leonides*, inquit, *de quo in Actis* XXVIII. *Januarii, vide prætermissos*. Leonides in Thebaide martyr, sub Diocletiano cum sociis habetur in Martyrologio Romano die XXVIII. *Januarii*, de quo, agit Baronius in Notationibus ea die, ac de eisdem, a Græcis agi die XXVIII. Januarii, & de *Ascla* seorsim a Latinis die XXIII. ejusdem Januarii mensis.

Amantii. *Amantius*, de quo codex 512., desideratur hac die in veteribus Martyrologiis. De Sancto *Amando* eremita una cum S. *Domnoleno* nonnulla monent Bollandiani socii in Addendis ad diem *primam Februarii* pag. 942. ubi de eo agi die XXV. *Junii* in veteribus tabulis, ii scribunt. Ejus vitam, sed mutilam vide apud Labbeum in vitis Sanctorum ad Aquitaniam spectantium pag. 481. De S. *Amando* item mentio in vita S. Juniani die XVI. *Octobris*.

E. VI. NONAS MARTII. *2. Mart.*

Jovini, & Basilei. ROMÆ via Latina, sanctorum martyrum Jovini, & Basilei, qui passi sunt sub Gallieno & Valentiniano Imperatoribus.

Martyr. plurim. Eodem die, Martyrum plurimorum, sub Alexandro Imperatore passorum, quos diu cruciatos, impius Alexander capitali sententia in extremo damnavit.

Jovini, & Basilei. ADNOTATIO. *Jovinus, & Basileus*, de quibus in Actis Stephani Papæ, a Romano parvo in primis memorantur, his verbis: *Romæ Jovini, & Basilei*, nudis tantummodo nominibus. Ado locum ubi jacent, & quibus imperantibus passi sint, addidit. Ex eo ad verbum Usuardus, & Notkerus. Martyrologium item Fuldense Adonem descripsit, omissis tantum verbis: *via Latina*. Cæteri alii Hagiologi silent.

Martyr. plurim. *Martyres* quoque *plurimi* hac die, Alexandri Imperatoris jussu interempti, commemorantur a Romano parvo his verbis: *Et plurimorum martyrum sub Alexandro capitali sententia damnatorum*. Ado fere eadem, ac paulo asperius Alexandrum describens. Usuardus vero *impii* epithetum omisit, cætera, ut Ado. Notkerus Adonem verbo tenus imitatus est. Alii vero Martyrographi de his martyribus siluerunt. In Romano Martyrologio additum est, hos martyres, Ulpiano Præfecto, cruciatos fuisse; qua de re Baronius in Notationibus ad hunc locum, & Bollandiani socii hac die, & ad diem primam Januarii, ubi de S. *Martina*.

F. V. NONAS MARTII. *3. Mart.*

Emiterii, & Chelidonii. NATALIS sanctorum martyrum Emiterii & Cheledonii, qui primum apud Legionensem Gallæciæ civitatem milites, exurgente persecutionis procella, pro confessione nominis Christi plurimis afflicti tormentis, Calagurrim usque perducti, atque

ibi

ibi martyrio coronati sunt. Cumque eorum capita lictor incideret, miraculum populis magnum apparuit. Nam unius annulus, orariumque alterius nube susceptum, & in cælos evectum est. Viderunt hæc omnes qui aderant, & usquequo acies oculorum intendere potuit, fulgorem auri, candoremque lintei, attonito sequebantur intuitu. Scribit hæc Aurelius Clemens in libro Coronarum. *Pruden. hymn. I.*

Marini, & soc. Apud Cæsaream Palæstinæ, sanctorum martyrum, Marini militis, & Asterii Senatoris, sub persecutione Valeriani: quorum prior, cum accusatus fuisset a commilitonibus, quod Christianus esset, & interrogatus a Judice, Christianum se esse clarissima voce testaretur, tres illi horæ ad deliberandum indultæ sunt. Cumque a tribunalibus fuisset egressus, a beato Theotecno, ejusdem urbis Episcopo, plurimum in fide confortatus, repetens continuo tribunal Judicis confidentissime respondit: *Obedire oportet Deo magis, quam hominibus*. Ilico martyrii coronam capitis abscissione suscepit. *Act. 5.* Cumque præfatus Asterius capite truncatum martyris corpus subjectis humeris & substrata veste, qua induebatur, exciperet, honorem, quem martyri detulit, continuo ipse martyr accepit. Scriptum in historia Ecclesiastica libro septimo. *Euseb. l. 7. c. 14. al. 12. & 13.*

V*ARIA LECTIO*. Ed. *Cheledonii*. Codex Sangermanensis: *Celedonii in Hispania*. Cod. 512. & 514. ut in editis. Ed. *Gallæciæ*. Cod. Sangerman. *Galiciæ*. Cod. 512. & 514. ut in editis. Ed. *Theotecno*. Cod. Sangerman. *Theoteono*. Cod. 512. & 514. ut in editis.

Emiterii, & Caledonii. A*DNOTATIO*. *Emiterius*, & *Caledonius*, celebres in Hispaniis martyres, apud Calagurrim interfecti, a Hieronymianis inprimis memorantur, sed pessime corruptis eorum nominibus; adeo ut Florentinius, & Henschenius in iis sanandis, multum desudarint. In aliis quoque Martyrologiis sæpe eorum nomina Scriptorum vitio corrupta sunt. Modo enim *Emetherius*, *Hemetherius*, *Emeritus*, & *Cellendonii*, *Cellidoni*, *Ecelledoni* legitur. De his agunt igitur, præter Hieronymianos, Romanum parvum, Martyrologium Fuldense, a quo fere totum Adonis elogium exscribitur. Usuardus vero in pauca contrahit. *Emetiri*, pro *Emiterii*, hac die meminit Martyrologium Ottobonianum. Augustanum: *Natalis sancti Encherii* (*pro Emeterii*) *& Celedoni*. Antea una cum aliis præmiserat: *Æmeterii*. Labbeanum meminit *Hemeteri*, turmatim cum aliis. Aperte utrumque commemorat Wandelbertus. De hymno Prudentii, ac de libris Liturgicis Hispanis, in quibus hi martyres coluntur, Baronius in Notationibus, & Henschenius in Actis hac die.

Marini, & Asterii. *Marinus*, & *Asterius*, ex Rufino sumpti sunt, sed perturbate, ut monet Florentinius in notis hac die. Licet *Marinus*, & *Asterius* in Hieronymianis hac die legantur, eos tamen alios esse a *Marino* & *Asterio*, de quibus Ado, & Usuardus, censet Sollerius. *Marini*, sine ulla loci designatione meminit hac die Martyrologium Ottobonianum. Romanum parvum habet: *Cæsareæ, Marini militis & Asterii Senatoris*. *De Marino*, & *Asterio* agit Usuardus. Fusius Notkerus; meminit utriusque Wandelbertus. An de *Marino* tantum scripserit Eusebius, disquirit Tillemontius tom. IV. pag. 21, *& seq.* Ruinartius in Actis selectis pag. 274. *Marinum* tantummodo ex Eusebio recolit. *Asterium* comitem ei dandum, ex Rufini sententia censet Sollerius.

G. IV.

G. IV. NONAS MARTII.

4. Mart.

Lucii Papa. NATALIS sancti Lucii Papæ & martyris, qui persecutione Valeriani & Gallieni, ob fidem Christi, exilio relegatus & postmodum divino nutu ad Ecclesiam suam redire permissus, martyrium capitis obtruncatione complevit. Positus est autem via Appia ad sanctum Sixtum. Hic præcepit, ut duo presbyteri, & tres diaconi in omni loco Episcopum non desererent, propter testimonium ecclesiasticum. Sedit autem in Episcopatu annos tres, menses tres, atque dies tres. *Pontificale cap. 23.*

Martyr. DCCCC. Item Romæ via Appia, sanctorum Martyrum DCCCC. qui positi sunt in cœmeterio ad sanctam Cæciliam.

Caii. Eodem die sancti Caii Palatini, in mare mersi.

Adriani, & socior. VARIA LECTIO. In codice Sangermanensi, 512. 514 post verbum *mersi* extremo loco in editis, sequitur: *Nicomediæ, passio sancti Adriani cum aliis xxiribus, cujus corpus Romæ* (sic) *translatum, atque sepultum* VI. *Id. Septembris, ubi & ejus passio adnotata est.*

Lucii Papa. ADNOTATIO. Hieronymiana apographa Pridie Non. Martii, mendose habent, ut censet Florentinius pag. 360. 361. *Julii Episcopi*, pro *Lucii*. Ita quoque pleraque alia Martyrologia. In Hieronymianis legitur: *Romæ, depositio Julii Episcopi*. Emendandum esse *Lucii*, putat Florentinius, quia eadem Hieronymiana de *Julio* Papa agunt *Pridie Idus Aprilis*. Recte Romanum parvum IV. Non. Martii: *Lucii Papæ & martyris*. Meminit quoque *Lucii* hac die Martyrologium Fuldense, & Kalendarium Vat. 3806. Usuardus item *Lucium* hac die recolit, & Adonis elogium aliquantum imminuit; propius Adoni accedit Notkerus. Rabanus vero hac die habet: *Romæ, depositio Julii Episcopi*. Et ad tertium Nonas: *Romæ, Lucii Papæ & martyris*. Pridie autem Idus Aprilis de S. *Julio* Papa agit. Martyrologium Ottobonianum ita ad IV. Non. Martii: *Roma, natalis sanctorum martyrum octingentorum: & depositio Julii Episcopi, & aliorum* XXVII. *Roti, Arcbai, Pilatini in mare demersi, Austeri, Urani, Sisinni, Philippi, & aliorum numero* XVI. Richenoviense; *Romæ in cœmeterio Calisti, Julii Episcopi. Et natale octingentorum martyrum. Et alibi Roti, Arcalui, Palatini. Nicomediæ Andreani.* Augustanum: *Natale sanctorum martyrum octingentorum. Romæ, Juli, Roti, & aliorum* XXVII. *Luci, Gagi, Fortunionis, Gregorii, Adriani*. Ita quoque Labbeanum, nisi quod initio præmittit: *Romæ*. Corbejense brevius: *Natalis martyrum nongentorum. Romæ, depositio Juli Episcopi, & aliorum triginta novem.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, in cymiterio via Appia, depositio Julii Episcopi, & aliorum* XXVI. Quis non videat mendum cubare in plerisque ex his Martyrologiis, in quibus hac die, ut in Hieronymianis, Rabano, Ottoboniano, Richenoviensi, & aliis legitur *Julii*, & de *Julio* agunt pridie Idus Aprilis? Itaque sanandum esse, & *Lucii* legendum, suadent inter cætera loci designationes, nempe *in cœmeterio Callisti, & via Appia*. Kalendarium Bucherianum ad III. Nonas Martii habet: *Lucii, in Callisti*. Innuit cœmeterium Callisti via Appia, ubi sepultum fuisse, tradit auctor libri Pontificalis. Ado habet, positum fuisse in Ecclesia *S. Sixti*, via Appia. Vetus inscriptio in ea Ecclesia inter nomina Pontificum Romanorum, qui ibi quiescere dicuntur, *Lucium* memorat. De *Lucii* martyrio Baronius an. 257. n. II. *& seq.* ubi errata in Notationibus hac die emendat. Pagius in Critica ad an. 252. n. XIV. *& seq.* & an. 253. n. II. *& seq.* ac Tillemontius tom. IV. pag. 18. *& seq.* Plura congerunt Bollandiani hac die pag. 301.

Martyr. nongent. *Martyres nongenti*, via Appia, hac die recensiti, & ab Usuardo eodem numero designati, in aliis Martyrologiis, supra allatis, *octingenti* sunt, ut & apud Wandelbertum. Kalendarium Palat. Vat. 485. *Nat. sanctorum DCCorum mar. Nongenti* in Romano parvo. Et hic librariorum vitio mendum cubare, facile est conjicere. Vide, si lubet, Bollandianos hac die pag.

pag. 303. *Nongentorum* numerus retentus est in Martyrologio Romano, ubi Baronius docet, quid sit *in cœmeterio ad S. Cæciliam*; quæ verba non sic sunt accipienda, ut aliquod fuerit cœmeterium, *S. Cæciliæ* nomine; sed locus erat in cœmeterio Callisti, qui *S. Cæciliæ* dicebatur.

Caii. *Cajus*, Palatino officio designatus ab Adone, & ex eo ab Usuardo, inscitia librariorum, ut puto, omisso vero ejus nomine, *Palatini* voce enunciatus est in Martyrologiis, superius adductis. De *Palatinis* nonnulla explicat Baronius hac die in Notationibus. Fuse de his Jacobus Gotherius de Officiis domus Augustæ.

Codices nostri agunt hac die *S. Adriano*, & sociis, de quo item hac die pleraque Martyrologia; sed nos de eo cum vulgato Adone die VIII. *Septembris* agemus. *Adriani.*

---

5. *Mart.* *A. III. NONAS MARTII.*

Phocæ. APUD Antiochiam, passio sancti Phocæ martyris: qui post multas, quas pro nomine Redemptoris est passus injurias, qualiter de antiquo illo serpente triumphaverit, hodieque populis declaratur. Denique si in quempiam in his locis coluber morsum stringens, venena diffuderit, extemplo qui percussus est, ut januam basilicæ Martyris credens attigerit, evacuata virtute veneni, salvatur. *Greg. Tur. de gloria Mart. c. 99*

Eusebii. Item ipso die, sancti Eusebii Palatini, & aliorum novem Martyrum.

Phocæ. ADNOTATIO. *Phocæ*, seu *Focæ*, ut nonnulli scribunt, memoria hac die celebratur a Gregorio Turonensi de gloria martyrum cap. XCIX. ex quo Ado. Hieronymiana apographa hujus martyris nomen corrupte scripserunt, idest *sanctæ Focæ, & Focatis virginis*. Ad locum sanandum, vide quæ animadvertit hac die Florentinius. Nos vero veterum Martyrologiorum verba, quæ hac die in his leguntur, huc afferimus. Romanum parvum: *Antiochia, sancti Phocæ martyris*. Gellonense: *Focæ martyris*. Martyrologium Fuldense: *In Antiochia, passio sancti Focæ Episcopi & martyris*. Ottobonianum: *In Africa, natalis sanctorum Adriani, Evoli, & Eusebii. In Antiochia, passio sancti Focis*. Kalendarium Vatic. 3806. *Antiochia, passio sancti Focæ Episcopi*. Richenoviense: *In Africa, Foboli, Petri, Focæ, Martaris, Victoris, Eusebii. Alibi, Saturnini, Marci, Martini*. Ita ferme Augustanum, nisi quis habet: *Focæ mart.*, ut & Labbeanum. Corbejense brevius; *In Africa, Adriani, Evoli, Eusebii, Juliani. Antiochiæ, passio S. Focæ, Rustici, Herebi*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Africa, passio sancti Focæ, Antiochia Syriæ, Saturnini, Justi, Petri*. In prænotatis apud Bollandianos socios hac die pag. 366. habetur, in alio codice Reginæ Suecorum hac die legi. *In Antiochia, passio sancti Phocæ Episcopi & martyris*. Innuunt Martyrologium Fuldense. Prosequuntur iidem Bollandiani, & in MS. Centulensi additur: *sub Judice Africano*. In summam Adonem contraxit Usuardus hac die; agit & Notkerus, ac item Wandelbertus, qui *martyrem* tantum, non *Episcopum*, cum vocant. Luxatum est igitur Episcopi nomen. De *Phoca* Episcopo Sinopis agunt Hieronymiana die XIV. *Julii*, ubi Florentinius pag. 363. & 661. nonnulla animadvertit. Librariorum oscitantia *Episcopus* hac die irrepsit, ut de mira nominum, & regionum perturbatione sileamus; qua de re Sollerius etiam hac die in Usuardum.

Eusebius turmatim in memoratis Martyrologiis recensetur, Palatini nomen, seu mavis officium in his deest; ut & *novem* martyrum numerus. Romanum parvum: *Et S. Eusebii Palatini, & aliorum* VIII. *mart.* Adonem adamussim sequitur Usuardus. Vide quæ de vario hoc numero habet Sollerius in Usuardum hac die, & Henschenius, ac Florentinius. *Eusebii.*

B. PRIDIE NONAS MARTII.

6. Mart.

Victoris, & Victorini.

NICOMEDIÆ, natalis sanctorum Victoris & Victorini, qui per triennium cum Claudiano, & Bassa uxore ejus, tormentis afflicti, & retrusi in carcerem, ibidem vitæ suæ cursum impleverunt.

VARIA LECTIO, Cod. Sangermanensis, & 512. post verbum *impleverunt*, addunt: *Civitate Toleto, depositio Juliani Antistitis, qui apud ejusdem loci incolas pro excellenti sanctitatis merito famosissimus habetur*. Hæc desiderantur in codice 514.

Juliani.

Victoris, & Victorini.

ADNOTATIO. Coluntur hac die *Victor*, & *Victorinus*, qui Nicomediæ in carcere mortui sunt, a Hieronymianis, Romano parvo, ab Usuardo, per omnia Adonis elogium describente, a Notkero, Wandelberto, & Martyrologio Fuldensi. In his fere omnibus *Claudianus*, & *Bassa* cæteris aliis accensentur. In Martyrologio Ottoboniano, & aliis, ut fieri solet, amanuensis vitio, mendose nonnulla scripta sunt hac die; habet enim ita: *In Nicomedia, natalis sanctorum Victorini, & Victoris. In Africa Diodori, & Claudiani. In Nicomedia, Saturni, Cassi, & Victoris, cum aliis duobus. Papiæ, & Niceforir.* Richenoviense: *In Nicomedia, Victorini; Et in Pamphilia Victoris.* Augustanum: *Nicomedis* (pro *Nicomediæ*) *Victoris*. Labbeanum: *Nicomediæ, Victoris*. Corbejense brevius: *Nicomediæ, Victoris, Victorini*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Nicomedia, natalis sanctorum Victoris, Victorini, Claudiani, & Bassæ uxoris ejus*. Cætera quæ ad horum martyrum vetusta monumenta pertinent, collegit Henschenius hac die pag. 423.

Juliani. *Julianus* Antistes *Toletanus*, S. *Eugenii* hujus nominis secundi, Toletani Episcopi discipulus, idemque post Quiricum, Hildefonsi in Toletana sede successor, ut ostendit Mabillonius Annalium Benedictinorum lib. XIII. §. XXXVII. ad an. 646. nusquam hactenus in veteribus Martyrologiis obvius fuit hac die; præterquam apud Usuardum; quapropter Sollerius censet, ab Usuardo primum in Martyrologium invectum fuisse Julianum, antiquioribus tabulis ignotum. Codices vero nostri hac die *Julianum* recolunt iisdem quibus Ado verbis. Dies *natalis* ejus videtur esse VIII. *Martii*, pro qua die pugnat Papebrochius in Actis pag. 782. In Martyrologio quoque Romano colitur die VIII. *Martii*, ubi plura de eo, & de variis Julianis Baronius in Notationibus, & ad ao. 686. num. XII. XIII. Obiit *Julianus* A. D. 690. *Pridie Nonas Martii*, & depositus est *Nonis Martii*, ut censet Pagius in Critica ad an. 690. num. VII. De ejus scriptis vide Labbei Dissertationem in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. Præter Adonem, & Usuardum, alia vetera Martyrologia, quæ vidimus, de *Juliano* silent.

C. NONIS MARTII.

7. Mart.

Perpetuæ, & Felicitatis.

IN Mauritania, civitate Tuburbitanorum, passio sanctarum Perpetuæ & Felicitatis martyrum, & cum eis Revocati, Saturnini, & Secunduli: quorum ultimus in carcere quievit; reliqui omnes ad bestias traditi, sub Severo Principe, die natalis ejus. Quique dum adhuc servarentur in carcere, & Felicitas parturiret, omnium sanctorum commilitonum precibus impetratum est, ut octavo mense pareret. Jam vero Perpetuæ inter alia concessum est, ut ejus mens quodammodo averteretur

 a cor-

a corpore, in quo vaccæ impetum pertulit, ita ut adhuc futurum expectaret, quod in se jam gestum esse nesciret.

Perpetuæ & Felicitatis.

ADNOTATIO. *Perpetua, & Felicitas* cuio sociis martyribus celebrantur hac die in tabulis Ecclesiasticis vetereimis. Kalendarium Bucherianum, quod omnium vetustissimum habetur: *Nonis Martii, Perpetuæ & Felicitatis, Africæ*. Succedit Kalendarium Carthaginense, deinde Hieronymiana, in quibus legitur: *In Mauritania, civitate Turbitano passio sanctarum Perpetuæ, Felicitatis*. Enumerant præterea socios, sed confuse. Beda genuinus *Perpetuam, & Felicitatem* tantum enumerat, sociis martyrii prætermissis, ac nonnulla ex Actis præfert. Romanum parvum: *In Mauritania, civitate Tuburbitanorum, sanctorum martyrum Perpetuæ & Felicitatis*. Gellonense: *Africa, passio Perpetuæ & Felicitatis, Satyri*. Rabanus loco: *In Mauritania &c.* habet: *apud Carthaginem*. Ado Bedam imitatur, ac sociorum nomina addit. Usuardus Adonem contrahit. Martyrologium Fuldense: *Apud Africam, passio sanctorum Saturi, Saturnini, Revocati. Et Cartagine, natalis sanctarum virginum Felicitatis & Perpetuæ, quæ sub Severo Principe bestiis sunt deputati* (sic). Notkerus: *In Mauritania, civitate Tiburbitanorum passio sanctarum martyrum Perpetuæ, & Felicitatis, & cum eis Revocati, Saturnini, & Secunduli*; cætera ut apud Usuardum. Martyrologium Ottobonianum: *In Africa, natalis sanctarum Satyri, Revocati, Jocundi, & Rogati. In Antiochia Lencii & Saturi. Apud Cartaginem, natalis sanctæ Perpetuæ & Felicitatis, quæ bestiæ* (pro *bestiis*) *sunt deputatæ sub Severo Principe*. Richenoviense pridie hujus diei habet: *Africa, Saturi, Saturni, Revocatæ*. Hac vero die: *In Mauritania, Secundi, Saturi, Saturnini, Perpetuæ & Felicitatis. In Africa, Saturi, Revocatæ, Jocundi*. Augustanum pridie hujus diei: *Perpetuæ & Felicitatis, Silvani*. Hac die: *Africa, Perpetuæ & Felicitatis virginum, Saturi, Servoni*. Eadem ferme utroque die Labbeanum. Corbejense brevius *Nonis Martii* tantummodo agit, his verbis: *In Africa, Satiri, Revocati, Jocundi. In Mauritania, civitate Turbitanorum, passio sanctæ Perpetuæ & Felicitatis*. Martyrologium Reginæ Suecorum *Nonis Martii* præfert: *In Africa, natalis sanctorum Saturi, Revocati. Et apud Cartaginem, Perpetuæ, Felicitatis, quæ bestiis sunt deputatæ sub Severo Principe*. Adde his Kalendarium Palat. Vat. 485. ubi Nonis Martii adnotatur: *Natalis sanctarum Perpetuæ & Felicitatis mar.* Item *Nonis Martii* Kalendarium Vatic. 3806, *Cartagine passio sanctarum virginum Perpetuæ & Felicitatis*. En quanta in nonnullis Martyrologiis perturbatio, librariorum, ut puto, licentia, ac inscitia. Acta harum martyrum genuina ex Codice Casinensi eruit, edidit, & illustravit Lucas Holstenius, & post ejus obitum prodiere, *Romæ* an. 1663. curante Petro Possino, deinde illustrata fuere a Bollandianis hac die pag. 430. a Ruinartio inter Acta selecta pag. 81. ac a Tillemontio tom. III. p. 136. *& seq.* Acta genuina harum martyrum periisse dolet Baronius an. 205. num. XXI. *& seq.* plura tamen ibi de *Perpetua & Felicitate* ex Tertulliano, Augustino, & vulgatis Actis præfert; & corpora SS. *Perpetuæ & Felicitatis* postea Carthaginem delata ex Victore Vitensi lib. I. de persecutione Vandalica refert. Plura quoque de his martyribus habet in Notationibus hac die. Pervulgata harum martyrum & sociorum Acta nos vidimus in codice Reginæ Suecorum num. 523. forte sæculi XII. ubi initio legitur: *Incipit passio sanctorum martyrum Saturi, Saturnini, Revocati, Felicitatis & Perpetuæ: quæ est Nonis Martii. Facta itaque persecutione, sub Valeriano & Gallieno comprehensi sunt venerabiles viri &c.* usque *orationibus eorum efficere dignetur in gloriam & laudem &c.* Sed hæc mendosa esse, dum habent, hos martyres sub *Valeriano*, & *Gallieno*, passos, quum sub *Severo* passi sint, ostendit Baronius memorato loco. Duæ in Mauritania provincia consulari *Tuburbii* nomine urbes fuerunt, quarum altera *Tuburbium majorum*, altera *Tuburbium minorum* dicebatur. Apud *Tuburbium* majus horum martyrum passio fuit; quanquam Henricus Valesius in Præfatione ad horum martyrum Acta, recusa *Parisiis* an. 1664. *Carthagine* passas esse *Perpetuam & Felicitatem* velit, ut habet Pagius in Critica ad an. 203. n. V.

Jam vero in libris Liturgicis veterrimis, ut in Gelasiano hac die pag. 148. Missa habetur: *in natali sanctæ Perpetuæ & Felicitatis*. Prima oratio incipit: *Da nobis Domine*. Oratio ad secreta: *Intende Domine*. Ad post communionem: *Præsta nobis*. Desideratur hæc Missa in Sacramentario Gregoriano Reginæ Suecorum, habetur tamen in codice Remensi, ut testatur Menardus, & cum iisdem orationibus, prout in Gelasiano, quemadmodum & in Palatino Vat. 495. Capitularia Evangeliorum veterrima nullum hac die de his martyribus Evangelium designant, sed de his silent.

D. VIII. IDUS MARTII. 8. Mart.

Hieron. de Script. Eccl. cap. 68. APUD Carthaginem, sancti Pontii, diaconi beati Cypriani Episcopi: qui usque ad diem passionis ejus cum ipso exilium sustinens, egregium volumen vitæ & passionis ipsius reliquit, atque Dominum in passionibus suis semper glorificans; coronam vitæ promeruit. Pontii.

Philemon. & Apollinii. Arriani, & aliorum. VARIA LECTIO. Cod. Sangermanensis, 512., & 514. incipiunt hac die: „ In civitate Antinonum, natalis sanctorum Phylemonis, Apollinii diaconi, „ qui & a Judice auditi, cum constanter idolis sacrificare noluissent, perforatis cal„ caneis per civitatem horribiliter tracti, novissime gladio cæsi, martyrium comple„ verunt. Eodem die apud præfatam urbem, passio sancti Arriani, Theotici, & „ aliorum trium, qui dimersi (sic) in mare: obsequio autem delphini corpora eo„ rum litori sunt restituta.

Pontii. ADNOTATIO. Pontium diaconum Carthaginensem hac die celebrant Romanum parvum, ex Adone Usuardus, & Notkerus, & Martyrologium Fuldense. De eo in Annalibus Ecclesiasticis Baronius ad an. 260. n. XXXIII. XXXV. & seq. an. 261. n. XXXIII. & seq. & n. XXXIX. Si S. Cyprianus passus est mense Septembris A. D. 258. *Pontius*, qui illius martyrio adfuit, Actaque scripsit, forte anni insequentis mense Martio passus est; quamvis id exploratum minime sit. Ob vitam S. Cypriani, inter Ecclesiasticos Scriptores adnumeratur; itaque de eo Bellarminus, Labbeus, & alii, qui de Ecclesiasticis Scriptoribus catalogum & lucubrationes contexuere. *Pontii* opus a Riveto, & aliis heterodoxis, ac item a Rigaltio impetitur, sed a calumniis vindicatur a Labbeo, & a Bollandianis in *Pontii* vita hac die pag. 750.

Philemonis & Apollonii. Accedunt in codicibus nostris hac die martyres *Philemon*, & *Apollinius* diaconus apud urbem Antinoum, de quibus quum vulgatus Ado siluisset, & in genuino Usuardo occurrant iisdem verbis, quibus nostri codices utuntur, censuit Sollerius ab aliis Martyrographis præteritos fuisse; sed multa Usuardum permiscuisse, neque accurate diem & martyrii locum designasse, ut ostendit Papebrochius ex Actis Latinis & Græcis hac die pag. 751. Acta tamen Græca Sollerio ipsi suspecta sunt, ac ipsum Papebrochium ea minime probaturum, rebus postea mature expensis, existimat. Acta illa genuina certe non esse Sollerio persuasum est, at ad hos martyres spectare locum Rufini de Vitis Patrum cap. XIX. pag. 476. de quo Ruinartius inter selecta pag. 539. Agit autem de *Philemone* hac die Martyrologium Fuldense, minime accepto elogio ab Adone, & Usuardo, prout ei mos est; habet enim: *Natalis sancti Philemonis martyris, qui cum esset gentilis publicus coraula* (pro *Choraula*) *postea ad fidem conversus, glorioso martyrio vitam finivit*. De *Apollinio* silet.

Arriani, & soc. *Arrianus* & socii a codicibus nostris, & a genuino Usuardo tantum memorantur, iisdem utrobique verbis. Desævisse primum in christianos *Arrianum* censet Tillemontius tom. V. pag. 353. & seq. ac sub eo passum *Asclam* martyrem putat; deinde ex Rufino & Palladio illius & sociorum gesta recenset pag. 360. & seq. Bollandiani quoque plura de anno, die, & loco martyrii perquirunt, quos vide hac die pag. 751.

E. VII. IDUS MARTII. 9. Mart.

Hieron. supra cap. 128. APUD Nyssenam civitatem, S. Gregorii Episcopi, fratris beati Basilii Cæsareensis, viri doctissimi, & eloquentia clarissimi. Gregorii.

Hieron. supra cap. 106. Apud Barcinonam, S. Paciani Episcopi, tam vita, quam ser- Paciani.

sermone clari, qui optima senectute mortuus est, Theodosii principis tempore, in pace.

VARIA LECTIO. Cod. Sangermanensis, & 512., 514. hac die agunt de quadraginta martyribus, & vulgatus Ado die XI., quare eo varias lectiones amandamus.

Gregorii. ADNOTATIO. Si Romanum parvum, Adonem, & Usuardum excipias, qui de *S. Gregorio Nysseno* hac die agunt, cæteri alii veteres Martyrolographi de eo hac die silent. A Bollandianis, aliisque eruditis viris adnotatum est, de *Gregorio* a *Latinis* agi die IX. *Martii*, a *Græcis* die X. *Januarii*, a *Coptis* die XIV. *Octobris*, & ab *Ægyptiis* die XXII. *Novembris*. De gestis, ac operibus S. Gregorii Nysseni Baronius in Notationibus hac die, & ad an. 369. n. LXV. ubi incertum esse scribit, quo anno *Gregorius* fuerit Episcopus ordinatus. Pagius in Critica ad an. 369. n. XVII. probabile esse censet, ut A. D. 372. creatus fuerit Episcopus *Nyssæ* in Cappadocia. De Gregorio item Baronius in eisdem Annalibus passim, ubi ad an. 394. n. XXIX. eodem anno 394. Constantinopolitano Concilio interfuisse Gregorium scribit, atque confirmat Pagius in Critica ad an. 394. n. VI. Post hunc annum, incertum est, quando obierit. At de Gregorii Operibus fuse Labbeus de Scriptoribus Ecclesiasticis, ex quo delibavit Fabricius Bibliothecæ Græcæ tom. VIII. pag. 143. & *seq.* Uberius vero de illius gestis Bollandiani socii hac die pag. 43. & *seq.* ac Tillemontius tom. IX. a pag. 561. ad 616.

Pacianus quoque solis Romano parvo, Adoni, Usuardo, & Notkero hac die notus est, ab aliis præteritus. Locum ei dedit inter Ecclesiasticos Scriptores Hieronymus cap. CVI. cujus filio Flavio Lucio Dextro opus de Scriptoribus Ecclesiasticis inscripsit. Obiit Pacianus c. A.D. 380. Selectiora quædam de ipso Paciano habes apud Tillemontium tom. VIII. pag. 537. & *seq.* ut apud Bollandianos hac die congesta videbis veterum de eo elogia. Paciani.

---

10. *Mart.* *F. VI. IDUS MARTII.*

Alexand. & Caii. NATALIS sanctorum martyrum Alexandri, & Caii de Eumenia, qui apud Apamiam, persecutione Antonini Veri, martyrio coronati sunt. Scribit Apollinaris Hieropolitanus Episcopus, in libro adversum Cataphrygas. *Euseb. l. 5. cap. 15.*

Martyr. XLII. In Perside, natalis sanctorum Martyrum numero quadraginta duorum.

VARIA LECTIO. Cod. 512. 514. ita incipiunt : *Apud Apamiam, natalis sanctorum Alexandri &c.* Ed. *In Perside*. Cod. 512. 514. *Eodem die, in Persida.* Codex Sangermanen. post verbum *quadraginta duorum*, addit : *& alibi aliorum plurimorum martyrum, confessorum, atque virginum.*

Alexand. & Caii. ADNOTATIO. Horum martyrum elogium ex Rufini Eusebio lib. V. cap. XVI. a Martyrolographis sumptum esse tradunt. Primus de his meminit, ut Sollerio videtur, Romanum parvum, deinde Ado, ex quo Usuardus, & Notkerus. Adde Martyrologium Fuldense. Cæteri alii hac die silent. Videsis Henschenii Commentarium hac die pag. 4.

Martyr. XLII. *Martyres in Perside quadraginta duo* celebriores sunt in fastis Ecclesiasticis antiquioribus. Agunt enim de his Hieronymiana, licet corruptis numeris; quum in eorum aliquo XXII., & XLVII. legatur. *Quadraginta duo sunt* in Romano parvo, Adone, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Martyrologio Ottoboniano, & Reginæ Suecorum. Nulla tamen adhuc temporis, urbis, aut loci, persecutoris, ac nominis eorum designatio detecta est, inquit Henschenius in Commentario hac die.

G. V.

G. V. IDUS MARTII. *11. Mart.*

APUD Sebasten Armeniæ minoris, natalis quadraginta Militum, tempore Licinii Regis, sub præside Agricolao. Qui post vincula & carceres creberrimos, post cæsas lapidibus facies, missi sunt in stagnum, ubi gelu constricta corpora eorum nocte dirumpebantur. Unus autem de numero quadraginta, effectus pusillanimis, refugit ab balneum: & mox ut attigit calorem, statim resolutus reddidit spiritum. Quod videntes ceteri, in laudes omnipotentis Dei, sancto Spiritu confortati, eruperunt. Et circa horam tertiam noctis resplenduit velut sol lumen fervens super eos, & glacies dissoluta est. Porro qui eos custodiebant, somno gravabantur, clavicularius tantum solus vigilabat. Qui audiens eos orantes, vidensque tantam lucem, atque glaciem solutam, respiciens unde ortum lux ipsa haberet, vidit super sanctos coronas descendentes numero triginta novem. Cœpitque cogitare secum, dicens: Quadraginta sunt, unius corona ubi est? Expergefaciens itaque reliquos custodes, projecit vestimenta sua in facies eorum, & exilivit in stagnum, clamans & dicens: Christianus sum, Christianus sum. Mane autem facto, impiissimi tyranni satellites invenerunt clavicularium ipsum connumeratum Martyribus, unde unus ceciderat. Cumque vere fidelem eum comperissent, eosdem omnes tractos ad litus, baculis crura eorum confregerunt, atque ita crurifragio martyrium consummaverunt. Nomina vero horum martyrum hæc sunt: Domitianus, Eunoicus, Sisinnius, Heraclius, Alexander, Joannes, Claudius, Athanasius, Valens, Helianus, Meliton, Hecditius, Achatius, Vibianus, Helius, Theodulus, Cyrillus, Flavius, Severianus, Cyrion, Valerius, Chudion, Sacerdon, Priscus, Eutychius, Smaragdus, Philoctimon, Ætius, Micallius, Lisimachus, Domnus, Theophilus, Euthycius, Xantius, Aggius, Leontius, Ysitius, Cajus, Gorgonius, Candidus. Quorum unus Meliton nomine cum esset omnium ætate junior, & cruribus fractis adhuc superviveret, timens beatissima mater ejus, quæ Martyribus adstabat, ne in cruciatibus deficeret, virili animo hortabatur eum, dicens: Fili, modicum sustine, ecce Christus ad januam stat adjuvans te. Cumque sanctorum corpora birotis, idest plaustris, superposita ferrent ad incendendum ministri diaboli, videns pia mater solum filium relictum, quem ministri ad hoc reliquerant, quia sperabant ejus animum posse culturis dæmonum inclinari, si viveret, tollens eum super humeros suos virili gressu sequebatur vehicula. Cumque

XI. Mart.

Basil. homilia 20.

que ferretur pauper, inter amplexus maternos animam cælo reddidit. Perveniensque mulier ad locum, ubi sanctorum corpora cremabantur, superjecit ossa ipsius super ossa Martyrum, ut morte etiam, & sepultura Martyribus sociaretur. Combusta sunt igitur corpora eorum, & in fluvium projecta. Sed divina dispensatione reliquiæ eorum integræ sunt repertæ, & honore digno conditæ.

VARIA LECTIO. Codices nostri, ut diximus, agunt de XL. Martyr. ad VII. Idus. Ed. *Apud Sebasten.* Cod. Sangermanensis, 512. 514. *In Sebasten.* Ed. *natalis quadraginta militum.* Codices memorati: *natalis sanctorum quadraginta militum.* Ed. *Agricolao.* Codices: *Agricolo.* Ed. *Qui post vincula.* Codices: *Qui per vincula.* Ed. *cœpitque cogitare secum, dicens.* Codices: *cœpitque cogitare, quadraginta, inquit, sunt.* Ed. *Eunoicus.* Codices: *Conoicus.* Ed. *Leontius.* Codices: *Neontius, Ilicius, Gajus.* Ed. *Meliton.* Codices: *Militon.* Ed. *sanctorum corpora.* Codices: *sociorum corpora.* Ed. *superposita ferrent.* Codices: *imponerent, ferrentque.* Ed. *quia sperabant ejus animum posse culturis.* Codices: *quia sperabant, quod possent ejus animum culturis.* Ed. *corpora eorum.* Codices: *corpora sanctorum.* Ed. *reliquiæ eorum integræ sunt repertæ.* Codices: *reliquiæ sunt eorum integræ repertæ.*

Philomonis, & soc. Heraclii. Cod. 512. 514. & Sangermanensis hac die ita incipiunt: *Apud Alexandriam, natalis sanctorum Philomi* (Cod. Sangerman. *Philomoni*) *Episcopi, Candidi, Valerii, cum aliis* XX. *Cartagini* (sic) *sancti Heraclii* (cod. Sangermanen. *Heracliri*).

Martyr. XL. ADNOTATIO. Celeberrimi sunt martyres Sebasteni *quadraginta* apud veteres Martyrographos, sed non eadem apud omnes die. Codices nostri de his agunt die IX. *Martii*, ut Beda, Rabanus (qui insuper die XI. Martii, & XI. Septembris de iisdem agit) Wandelbertus, Richenoviense: item Augustanum, & Labbeanum, in quibus legitur: *Romæ* XL. *militum*, seu *Romæ, martyrum quadraginta*, & quidem, ut puto, mendose. Agunt die IX. *Martii* Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Ottobonianum, & Kalendarium Vat. 3806. Item Hieronymiana, licet mendosissime; habent enim: *In Armenia minore, Sebastiani, & milia* XL. Emendanda esse, ac legendum: *Sebaste, in Armenia minore militum* XL. vel *Sebasteni milites quadraginta*, ut emendat Florent. pag. 370. satis liquet. Die vero XI. *Martii* agunt vulgatus Ado, Romanum parvum, Usuardus, Rabanus, Notkerus, & Wandelbertus. Acta eorum excussit Henschenius hac die XI. Martii, quæ tamen genuina Ruinartio visa non sunt. Nos ea vidimus in veteri codice Reginæ Suecorum 528. sæculi forte X. ubi pag. 79. legitur: *Incipit passio sanctorum quadraginta martyrum mense Martia die* VIIII. *qui in Sebastena civitate martyrio consummati sunt. Horum nomina hæc sunt.* Hic recitantur nomina, prout apud Adonem habentur, inde Acta martyrii sequuntur, & in fine legitur: *Sub Licinio Imperatore consummati sunt sancti* XL. *martyres, & præside Agricolao, & duce Lisia, sub die* V. *Idus Martii.* Passi sunt, juxta Baronium, A.D. 316. ut in Annalibus ad an. 316. num. XXXIX. *& seq.* habet. Sed Pagius in Critica ad an. 316. num. XI. contendit, *Licinii* persecutionem non ante A. D. 319. fuisse exortam. Patrum præconia de his præterimus, quia fuse de his, & horum martyrum reliquiis agunt Baronius in Notationibus ad diem IX. *Martii*, & an. 316. num. XLIII. an. 438. num. XIV., Bollandiani socii; & Tillemontius tom. V. pag. 518. *& seq.* In Martyrologio Romano *Innocentii* X. jussu edito, die IX. *Martii* primo loco *S. Franciscam* Romanam recenseri placuit, deinde *quadraginta martyres*, translata eorum celebritate in diem X. *Martii*, qua die quoque in eodem Romano Martyrologio commemorantur.

Philomonis & soc. *Philomon* cum sociis, de quibus hac die codices nostri, inter Auctaria Usuardi apud Sollerium hac die amandatur. Verum in veteribus quoque Martyrologiis, licet corruptis nominibus hi martyres inveniuntur, ac forte ex Hieronymianis apographis descripti, ut conjicit Sollerius. Audi Martyrologium Ottobonianum: *In Alexandria, natalis sanctorum Philomi Episcopi, Candidi, Valerii, Quirilli, Petroni, Marciani, & aliorum* VI. Die vero superiori, extremo loco: *Alexandria, natalis sanctorum Eracli, & Zosimi.* Richenoviense

viense hac die : *Cartagine*, *Zosimi*. *Alexandria*, *Gagi*, *Philomi Episcopi*, *Candidi*, *Valerii*, *Quitilli*. Augustanum : *Alexandri* (pro *Alexandriæ*) *Agapi*, *Filomi*, *Candidi*, *Valeri*, *Quirilli*, *Petroni*, *Eracli*, *Zosimi*, *Martiani*. Labbeanum : *Alexandriæ*, *Gai*, *Philomi*, *Candidi*, *Valtri*, *Cyrilli*, *Petroni*, *Heracli*, *Zosimi*, *Marciani*. Corbejense brevius : *In Cartagine*, *Heracli*, *Zosimi*. *Alexandri* (loco *Alexandriæ*) *Philomi Episcopi*, *Candidi*, *Valeri*, *Quirilli*. Martyrologium Reginæ Suecorum die præcedenti : *Alexandria*, *Zosimi & Alexandri*, *cum aliis tribus*. Hac vero die : *In Cartagine*, *natalis sanctorum Eracli*, *Candidi*, *Quirilli*, *Martiani*, *cum aliis* XXII. Videa igitur in vetustioribus Martyrologiis, & quæ Hieronymiana censentur, horum sanctorum catervam connumerari, licet corruptis, ac conturbatis librariorum culpa nominibus. Verosimile est igitur, Adonem ex eis sumpsisse.

A. IIII. IDUS MARTII. *12. Mart.*

Pontifical. cap. 65. Est Greg. I. Pontifical. cap. 41. Est Innocent. I. Euseb. l. 8. cap. 6.

ROMÆ, beatorum Pontificum, Gregorii, Doctoris & Apostoli Anglorum, qui sedit ibi annos XIII. menses VI. dies X. *Gregorii.*

Et Innocentii, qui rexit Ecclesiam an. XV. menses II. dies XXI. *Innocentii*

Apud Nicomediam, B. Petri martyris, qui unus fuit ex *Petri.* Dorothei & Gorgonii martyrum sodalibus, qui in cubiculo Regis erant. Hic jubente Diocletiano, eo quod de immensis martyris sancti nomine suppliciis liberius causaretur, in medium educitur, atque immolare compellitur. Abnuens, imperatur appendi & flagris toto corpore laniari : videlicet ut doloris necessitate faceret, quod præcipiebatur, invitus. At ille cum maneret immobilis, visceribus jam pelle nudatis, jubetur aceto & sale perfundi. Cumque etiam id tormenti genus constanter ac fortiter tolerasset, craticula prunis subterstrata poni jubetur in medio, ibique, quod reliquum fuerat in verberibus absumpti corporis superponi : & non ad subitum, sed sensim paulatimque succendi ; quo scilicet pœna protelaretur in longum. Cumque ministri scelerum, hinc modo corpus, modo inde versantes, per membra singula pœnas inciperent, & supplicia renovarent, sperantes ab eo elicere se posse consensum : ille firmus in fide, & quasi in spe consumptis jam & igne resolutis carnibus suis, ultimum spiritum in fide lætus exhalat. Tali Petrus (hoc enim & nomen ejus) martyrio decoratus, vere Petri extitit & fidei heres & nominis.

Item Nicomediæ, natalis sanctorum Egduni presbyteri, *Egduni.* & aliorum septem, qui diebus singulis suffocati sunt, ut ceteris metus incuteretur.

* Al. *Mamiliani.* Eodem die, passio sancti * Maximiliani martyris. *Maximiliani.*

VARIA LECTIO. Ed. *beatorum Pontificum*. Cod. 512. 514. & Sangermanen. *sanctorum confessorum*, *& Pontificum*. Ed. *& Apostoli Anglorum.* Codices memorati : *Apostoli Anglorum*, *vita & doctrina celeberrimi*. Ed. *Et*

Innocentii,

Innocentii, *qui*. Cod. Sangermanen. *Et Innocentii*, *fide & opere præclari*, *qui*. In codicibus 512.514. deest passio *sancti Maximiliani* martyris.

Gregorii, & Innoc. Pont.

ADNOTATIO. Duo Romani Pontifices, & quidem præclarissimi, nimirum *Gregorius M.*, & *Innocentius* I. hac die in plerisque veteribus Martyrologiis copulari solent. Interdum vero in quibusdam eorum unius *Gregorii* tantum mentio fit, ut in genuino Beda, in Hieronymiano Lucensi. Epternacense vero apographum *Innocentium* quoque commemorat. Item Romanum parvum, his verbis: *Sanctorum Pontificum Gregorii & Innocentii*. Ado paucis de utroque meminit, addito sedis utrorumque tempore. Usuardus item paucis rem expedit: *Romæ*, inquit, *beatorum Pontificum Gregorii Doctoris ac Apostoli Anglorum*, & *Innocentii* (Pratensis codex habet *Innocentii*). Agit de *Gregorio* tantum hac die Rabanus & Wandelbertus. Rabanum ex more exscribit Notkerus, sed addit & *Innocentium*. Unius *Gregorii* meminit Martyrologium Ottobonianum. *Gregorii*, & *Innocentii* Martyrologium Fuldense, his verbis: *Romæ*, *depositio sancti Gregorii Papæ*, & *doctoris eximii*: & *natalis sancti Innocentii confessoris*. De *Gregorio* tantum agunt Richenoviense, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vatic. 3806. *Innocentii*, & *Gregorii* Augustanum & Labbeanum. Solius *Gregorii* Corbejense brevius. Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *Romæ*, *depositio sancti Gregorii Papæ beatæ memoriæ*. *Et depositio sancti Innocentii Episcopi*. Henschenius in Commentario hac die pag. 106. *Innocentium* Episcopum, de quo in Martyrologiis hac die, ab *Innocentio* Pontifice hujus nominis I. qui colitur die XXVIII. *Julii*, distinguit. In quam rem plura a Bollandianis sociis, ut est apud Sollerium in Usuardum hac die, in Actis ad mensem Julium promittuntur. Obiit S. Gregorius A. D. 604. die XII. *Martii*, ut in veteri epitaphio adnotavit Baronius ad an. 604. num XVII. In codice Reginæ Suecorum 523. sæculi XII. in quo Acta Sanctorum continentur, habetur pag. 125. *Vita S. Gregorii Pontificis & beatæ memoriæ*. Incipit: *Gregorius urbe Romanus*, *patre Gordiano &c.* usque: *Sepultus vero est in Ecclesia beati Petri ante Secretarium die* IIII. *Iduum Martiarum*: *præstante Domino &c.* Hæc sumpta esse ex Jo. Diacono in Vita S. Gregorii arbitramur, ac lectionum loco inter divina officia fuisse. At de Gregorii vita, & gestis adi Bollandianos hac die, Tillemontium tom. X. pag. 627. & *seq.* Mabillonium Annalium Benedictinorum tom. I. & Benedictinos monachos, qui novam Operum S. Gregorii editionem adornarunt. Non omittendum putamus, in libris Liturgicis veterrimis agi hac die S. *Gregorii* natalem; nimirum in Sacramentariis omnibus, quæ S. Gregorii nomen præferunt, scilicet in Sacramentario Reginæ Suecorum 337. Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vat. 495. & Vat. 4770. Missam in ejus natali designari. Non eædem tamen sunt in eisdem Sacramentariis orationes. Nam in codice Reginæ Suecorum prima oratio est: *Deus*, *qui animæ* &c. ut in hodierno Missali Romano. Sequitur alia: *Concede*. Oratio ad *secreta*, apud Pamelium est: *Annue nobis*, *quæsumus Domine*, *ut intercessione beati Gregorii hæc nobis prosit oratio*, *quam immolando*, *totius mundi tribuisti relaxari delicta*. In codice Reginæ Suecorum ita se habet: *Annue nobis*, *Domine*, *ut animæ famuli tui Gregorii prosit oblatio*, *quam immolando*, *totius mundi tribuisti relaxari delicta*: quæ quidem in aliis codicibus legitur, uti notavit Pamelius ad hunc locum. *Ad complendum* vero deest: *Deus qui beatum* &c. In Sacramentario Menardi, & Angeli Rocchæ prima oratio est: *Concede*. Secunda ad secreta: *Hostias*. Tertia ad *complendum* est: *Præstent*. In Palat. 495. Prima est: *Deus*, *qui animæ*. Ad secreta: *Annue nobis*. Ad complendum: *Deus*, *qui beatum*. Adde Capitularis Evangeliorum veterrima, ubi Evangelium designatur: *in natali S. Gregorii confessoris atque Pontificis*, tom. III. de Liturgia Rom. Pontificis pag. 245. Concilium Cloveshoviæ an. Dom. 747. celebratum, statuit can. XVII. *ut dies natalitius beati Gregorii Papæ*, *& dies quoque depositionis*, *qui est* VII. *Kalendas Junii*, *sancti Augustini Episcopi atque confessoris* &c. *ab omnibus*, *sicut decet*, *honorifice veneretur*. *Innocentius* Pontifex hujus nominis I. obiit A. D. 417. die XII. *Martii*, ut habet Baronius an. 417. num. IV. & Pagius in Critica ad hunc annum num. V. & *seq.* De *Innocentio* Pontifice agunt die XXVIII. *Julii* Rabanus, Notkerus, & Kalendarium Vat. 3806. sed hujusmodi celebritatem, ut & aliam diei XXI. *Decembris*, ad aliquam illius translationem pertinere putat Pagius.

Post *Gregorium*, & *Innocentium* sequitur hac die apud Adonem *Petrus* Nicomediensis martyr, de quo Eusebius Rufini lib. VIII. c. VI. Ex Adone sumpsit Usuardus. Ex Martyrographis præcesserunt Hieronymiana. Romanum parvum: *Nicomediæ*, *Petri martyris*, *Dorothei & Gorgonii martyrum sodalis*. Agit item de *Petro* Martyrologium Fuldense. Silent Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. Vide quæ de eo congesserunt Bollandiani hac die. De *Gorgonio* Eunucho agunt die præcedenti Richenoviense, & Martyrologium Reginæ Suecorum. Die vero X. *Martii*, Augustanum, & Labbeanum; in quibus fere omnibus *Nicia*, pro *Nicomedia* legitur. *Petri.*

Egdunus

Egduni. *Egdunus* martye enm fociis feptem colitur hac die in Hieronymianis, & ab Adone, ex quo ad apicem Ufuardus. Martyrologium Fuldenfe habet: *In Nicomedia, natalis fanctorum Egduni presbyteri, & aliorum* VII. *fuffocatorum*. Ottobonianum: *In Nicomedia, natalis fancti Egduni presbyteri, & al.* VII. Auguftanum: *Nicomedia, Agadoni martyris*. Labbeanum: *Niciæ* (pro *Nicomediæ*) *Egdoni martyris*. Corbejeufa bravius: *In Nicomedia, Egloni presbyteri, & aliorum* VII. Vide quam immaniter a librariis *Egdoni* ooman corruptum fit.

Maximiliani. *Mamilianus*, feu *Maximilianus*, qui a codicibus noftris prætaritur, ab Ufuardo quoque genuino præteritus eft. *Romæ* in Martyrologio Romano, nt animadvertit Sollerius, adfcribitur, deinde ab Henfchenlo *Romæ* tribuitur, quum ad Africam potius fpectet, ut ex Actis ejus apud Ruinartium inter felecta pag. 309.

B. III. IDUS MARTII. — *13. Mart.*

APUD Nicomediam, natalis fanctorum Macedonii presbyteri, & Patriciæ uxoris ejus, & filiæ Modeftæ. *Macedonii, Patriciæ, & Modeftæ.*

Nicæa civitate, fanctorum martyrum Theufetæ, & Horris filii ejus, Theodoræ, Nymphodoræ, Marci, Arabiæ, qui omnes igni traditi funt. *Theufetæ, & foc.*

Macedonii & foc. ADNOTATIO. De *Macedonia* aliifque martyribus, hac die agunt Hieronymiana, & cæteri Latinorum. Nos ea tantum Martyrologia afferemus, quæ majoribus noftris incomperta fuerunt. Romanum parvum: *Nicomediæ, Macedonii presbyteri, Patriciæ uxoris, & filiæ Modeftæ*. Martyrologium Fuldenfe, & Ottobonianum, Adonem exfcribunt, fi excipias, quod loco: *Apud Nicomediam*, habent: *In Nicomedia*. Ottobonianum addit axtremo loco: *& natalis Eufraxiæ*, *Eufrafiæ.* ut & Ufuardus genuinus hac die. Qua de re Sollerius in Ufuardum, & Bollandiani focii hac die. Richenovienfe: *In Nicomedia Macedonii presbyteri, Patritii, & Modefti. Cisni presbyteri, Saturi, Januarii*. Auguftanum: *Nicomed. Machè Doni* (pro *Macedonii*) *Eppodi*. Labbeanum: *Niciæ* (pro *Nicomediæ*) *Macedoni, Epipodi*. Corbejenfe brevius: *Nicomediæ, Macedoni prerbyteri, Matriciæ* (pro *Patriciæ*) *uxoris ejus, & Madeftæ filiæ Siax* (ejus). Martyrologium Reginæ Suecorum fere ad verbum, ut apud Adonem: *In Nicomedia, natalis fanctorum Macedonii presbyteri, & Patriciæ uxoris ejus, nec non & Modeftæ filiæ ipfius*. Ufuardus genuinus, ut animadvertit Sollerius, cognationem reticet; unum habet: *Apud Nicomediam, natalis fanctorum martyrum Macedonii presbyteri, Patriciæ, & Modeftæ*. Nempe ftlet, quod Macedonius fuerit maritus *Patriciæ*, & quod *Modefta* ejus filia fuerit. Nullum tamen idcirco myfterium eft; nam pleraque alia ex vetuftioribus id præferunt, quod Ado.

Theufetæ, & foc. *Theufeta*, & alii Nicæni martyres hac quoque die in Hieronymiania, cæterifque Latinorum Martyrologiis noti funt. Nos vulgatioribus omiffis, apographa aliorum, quæ hactenus delituarunt, aut nuper prodierunt, in medium producemus. Martyrologium Fuldenfe: *Nicea civitate, natalis fanctorum martyrum Theufetæ, & Horis filii ejus, Teodoræ, Nimphodoræ, Marci, Harabe* (fic) *qui omnes igni traditi funt*. Defiderantur in Ottoboniano, & Romano parvo. Richenovienfe: *Nicea civitate, Teufitæ & Horis*. Auguftanum: *Alibi, Theofetæ, Eufrafiæ, Victorini, Martialis, Juli*. Ita Labbeanum, in quo tamen legitur: *Teufetæ martyris*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Nicea civitate, fex martyrum, qui omnes igne cremati funt*. Sex quidem anumerantur ab Adone, Ufuardo, Notkero, & aliis. Rabanus Hieronymians preffius imitatus aft.

C. PRIDIE IDUS MARTII. — *14. Mart.*

De his in paffione Proceffi & Martiniani 2. Jul. ROMÆ, paffio fanctorum Martyrum quadraginta & feptem, qui baptizati funt a beato Petro Apoftolo, cum teneretur idem Apoftolus in cuftodia Mamurtini, (fic) cum coapoftolo fuo *Martyr. XLVII.*

 Paulo,

Paulo, ubi novem menses detenti sunt. Qui omnes sub devotissima fidei confessione, Neroniano gladio consumpti sunt.

Sagaris, seu Agari. Leobini.

VARIA LECTIO. Cod. 512. 514. & Sangermanen. post verbum extremo loco: *consumpti sunt*, addunt: *Apud Laodiciam sancti Agari* (cod. 512. & 514. *Sagaris*) *Episcopi, qui tempore Antonini Veri sub Sergio Paulo Asiæ proconsule, illustri martyrio coronatus est*. Cod. 514. deinde habet: *Ipso die apud* (sic) *Carnotis civitatem, sancti Leobini Episcopi & confessoris*.

Martyr. XLVII.

ADNOTATIO. Romani martyres *quadraginta septem* ex vulgatis SS. Processi, & Martiniani Actis sumpti sunt. In Martyrologiis primo locum obtinet, ut videtur Sollerio, apud Romanum parvum, ubi legitur hac die: *Romæ, martyrum* XLVII. *qui baptizati sunt a beato Petro Apostolo, cum teneretur in custodia, qui omnes Neroniano gladio consumpti sunt*. Iisdem fere verbis utuntur Ado, & Usuardus; addunt autem de beato Petro, *cum teneretur in custodia Mamertini cum coapostolo suo Paulo*, & paucula alia. De situ carceris *Mamertini*, ac *Tulliani* multa hac die Baronius in Notationibus egregie profert adversus Pompeji Ugonii sententiam. Desiderantur hi martyres in Martyrologio Fuldensi, Ottobonisno, Richenoviensi, Augostano, Labbeano, Corbejensi breviori, & Reginæ Suecorum. Meminere Notkerus, & Florus cum vulgato Beda.

Sagaris. Codices nostri colunt hac die *Sagarim* Episcopum *Laodicenum* & martyrem, & agunt etiam de eo cum vulgato Adone die VI. *Octobris*, qua die etiam Usuardus genuinus, & alia vetustiora Martyrologia. Qui factum sit, ut hac die XIV. *Martii Sagarim* celebrent, ignoramus. Agunt quidem hac die Auctaria Usuardi apud Sollerium, & in Bruxellensi apographo iisdem fere verbis atque codices nostri. *Sagaris* Laodiceæ Episcopus & martyr, imperante M. Aurelio Aug. memoratur in Epistola Polycratis Episcopi Ephesiorum apud Eusebium lib. V. cap. XV. qua de re Baronius ad an. 172. n: VI. Vide quæ de *Sagari* dicturi sumus ad diem VI. *Octobris*.

Leobini. *Leobinus* Episcopus *Carnotensis* in uno ex codicibus nostris hac die memoratur, & in quibusdam Usuardi Auctariis; nam de eo genuinus Usuardus die XV. *Septembris* agit, ac item ea die Rabanus. Verum die XV. *Septembris* vulgatus Ado, & codices nostri de *Leobino* silent. *Leobinus* Pictavis humili genere natus, a monacho quodam Noidegelensi pietate & litteris eruditus, in monasterium receptus est, deinde post aliquot annos Lirinum adire paratus, ad Insulæ-Barbaræ monasterium, in medio Araris supra Lugdunum situm, ubi tunc *Lupus*, postea Trecensis Episcopus præerat, una cum socio divertit; ibique constitit, donec ab *Ætherio* Carnutensi Episcopo diaconus creatus, *Brajocensi* monasterio præfectus est. Post Ætherii mortem, Carnotensis Ecclesiæ Episcopus eligitur, & obiit ante Synodum tertiam Parisiensem, quæ celebrata est A. D. 557., & in suburbano S. Martini monasterio fuit humatus. Quo die decesserit, non liquet ex ejus Actis, non improbandis: ex quibus ea quæ diximus delibavit Mabillonius Annal. Bened. lib. III. §. XLVII., & seq. In Prologo Vitæ *S. Maximini* Abbatis Miciacensis, qui obiit c. A. D. 520. apud Mabillonium Sæculo I. Bened. pag. 580., & in codice Reginæ Suecorum 528. inter discipulos Maximini *S. Leobinus* Episcopus Carnotensium enumeratur.

---

15. Mart.

D. IDIBUS MARTII.

Zachariæ Papæ. Matronæ.

ROMÆ, Zachariæ Pontificis, qui Romæ sedit annos X. *Pontifical. cap. 91.*

Apud Thessalonicam civitatem, natalis sanctæ Matronæ: quæ cum esset Plautillæ cujusdam viduæ ancilla, & occulte Christum colens, quotidie furtivis orationibus ecclesiam frequentaret, deprehensa a domina sua, & in scamno extensa & ligata, & pœne usque ad mortem flagellata, atque ita vincta in scamno, obsignatis diligentissime januis per noctem relicta, ubi die altero

altero divinitus soluta, ac cum ingenti oris gratia orans, inventa est. Rursumque nervis crudis in eodem scamno constricta, & loris quousque obmutesceret cæsa est, ibique per triduum obsignatis januis relicta. Facta autem die tertia, iterum soluta divinitus, & orans inventa est. Tunc robustis fustibus usque ab mortem cæsa, in confessione Christi incorruptum spiritum reddidit.

VARIA LECTIO. Deest in codicibus 512. 514. natalis S. *Zachariæ* Romani Pontificis.

Zachariæ Papæ. ADNOTATIO. Præteritur in nostris codicibus *S. Zacharias* Romanus Pontifex, præteritur & ab Usuardo genuino. Caussam explorare nequit Sollerius, qui Zachariam hac die in Adone Rosvveidi videt, & apud Mosandrum pridie hujus diei: & quum Usuardus Adonem soleat exscribere, cur *Zachariam* prætererit, penitus miratur. Non est autem mirandum, quia codices antiquiores de *Zacharia* silent. Itaque & Usuardus siluit, meminere vero ejus Auctaria. Recte porro monet Sollerius, a Baronio in Adnotationibus hac die tradi, *S. Zachariæ* natalem die superiori ab Adone recoli; nam ita est in editione Mosandri; in editione vero Rosvveidi colitur hac die. Obiit autem *Zacharias* Pontifex A. D. 752. sepultusque est *Idibus Martii*, ut habet liber Pontificalis in Vita, quæ de re Baronius ad an. 752. n. x. & Pagius senior ad hunc locum. Vide, si lubet Pagium juniorem, in ejusdem Zachariæ vita §. xxii. & Bollandianos hac die pag. 506. Papebrochius putat, Zachariam obiisse die *tertia Martii*, & die xv. sepultum.

Matronæ. *Matronæ* martyris elogium ab Adone primum exaratum putat Sollerius, ex quo paucula delibavit hac die Usuardus, dum habet: *Apud Thessalonicam civitatem, natalis sanctæ Matronæ martyris, quæ deprehensa & multipliciter afflicta, novissime robustis fustibus usque ad mortem cæsa, in confessione Christi incorruptum Deo spiritum reddidit.* Adonis integrum elogium transcripsit Notkerus. Fere totum, & pene ad verbum, sed pridie hujus diei, Martyrologium Fuldense. Romanum parvum hac die ita habet: *Thessalonicæ, Matronæ ancillæ & martyris.* Alia Martyrologia silent. Vide quæ de *Matrona* hac die, ac de duabus aliis synonymis tradunt Bollandiani pag. 394. & Baronius in Adnotationibus hac die.

E. XVII. KALENDAS APRILIS. *16. Mart.*

Cyriaci, & soc. ROMÆ, natale sancti Cyriaci, qui post longam carceris macerationem, quam sub Maximiano pertulit, cum Sisinnio condiacono suo, & Smaragdo & Largo, post multa miracula, in quibus filiam Diocletiani Artemiam, ipsius rogatu a dæmonio curavit, ac baptizavit: filiam quoque Saporis Regis Persarum Jobiam, missus illò pro hoc a Diocletiano, æque liberavit a dæmonio, ac baptizavit cum ipso Rege, & aliis quadringentis triginta: rediens Romam post mortem Diocletiani, tentus est inter alios Christianos a filio ejus Maximino, & in custodiam missus, eo quod sororem suam Christianam fecisset. Deinde præcepit, ut die processionis suæ nudus, catenisque obligatus, ante rhedam ejus traheretur. Et post hoc, eductus

de carcere cum sociis Largo, Smaragdo, & Crescentiano, per Carpasium vicarium, pice reliquata caput ejus perfusum est. Et rursum post dies quatuor, eductus denuo de carcere, in catasta extentus ac tractus nervis, & fustibus cæsus, post dies jubente Maximiano, capite truncatus est cum Largo & Sma-
16. Jan. ragdo, & aliis viginti. Scriptum est in gestis Marcelli Papæ: porro ipso tempore Maximinus interfecit sororem suam Artemiam.

Isicii. Item apud Viennam, sancti Isicii Episcopi.

VARIA LECTIO. Deest in codicibus 512. & 514 natalis S. *Isicii* Episcopi

Cyriaci, & soc. ADNOTATIO. De *Cyriaco* & sociis agunt hac die fere omnia Latinorum Martyrologia vetustiora, licet nonnulla eorum nomina in quibusdam reticeantur, aut corrupta legantur, librariorum vitio. Nam in Hieronymiano Lucensi legitur: *In Græcia, Cyriacæ*, pro: *In Roma Cyriaci*. Agit autem Beda genuinus, & fuse præter mortem. Ex eo elogium sumpsit Ado, inde ex Adone Usuardus, & Rabanus. Paucis agit Notkerus. Accedunt Romanum parvum, Gellonense, & Martyrologium Fuldense, Adonem fere ad verbum exscribens. Martyrologium Ottobonianum hæc præfert: *Romæ, natalis sancti Cyriaci, qui cum Sisinnio diacono suo, Largo, & Smaragdo, & aliis xx. capite truncatus est a Maximiano socio Diocletiani Imperatoris*. Augustanum: *Ciriaci, Semaragdi, Largi, Crescentiani mar.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, natalis sancti Cyriaci, qui post longum carceris macerationem, aliaque tormenta, jubente Maximo, capite truncatus est, cum Largo & Smaragdo & aliis xx.* Kalendarium Vat. 3806. hac die: *Sancti Cyriaci martyris*. Wandelbertus item de eo hac die, una cum sociis *Largo & Smaragdo*. Martyrologia variant in nomine tyranni, & quidem, ut ego existimo, librariorum vitio. Ado, Rabanus, Notkerus, & Martyrologium Ottobonianum habent *sub Maximiano*. Usuardus *Maximino*. Martyrologium Fuldense, & Reginæ Suecorum: *Maximo*. Retinendum esse *Maximino* censet Sollerius. Acta ex vulgatis Actis S. Marcelli Papæ sumpta esse, viri docti animadvertunt. Usuardus monet, horum martyrum festivitatem *sexto Idus Augusti* recoli, *qua die a beato Marcello eorum corpora sunt levata, ac venerabiliter tumulata*. Quocirca de his martyribus iterum in Martyrologiis ea die. *Catasta*, quæ in his actis memoratur, torquendi quoddam instrumenti genus est ab equuleo diversum, de qua erudite Baronius in Adnotationibus hac die. In Annalibus vero ad an. 298. num. XI. & *seq.* & an. 309. n. VI. quæ castigatione digna sint in Actis Marcelli Papæ docet, ac præsertim ubi de Sapore rege Persarum, cujus filia a dæmone per Cyriacum liberata esse dicitur; ea enim sibi minus arridere fatetur, atque pluribus id ostendit.

Deest *Isicius* Episcopus *Viennensis* in codicibus nostris, deest & apud Usuardum genuinum; et in vulgatis habetur; idcirco, cur ab Usuardo prætermissus sit, se non habere unde colligat, fatetur Sollerius, *nisi forte*, inquit, *a codice Adoniano, quo Usuardus usus est, plane abfuerit, ab aliquo populari postea adjectus*. Hujusmodi conjecturam suffulciunt codices nostri, a quibus *Isicius*, nonnullis *Hesychius*, abest. *Isicii.*

17. Mart. F. XVI. KALENDAS APRILIS.

Patricii. IN Scotia, natale sancti Patricii Episcopi & confessoris, qui primus ibidem Christum evangelizavit.

Geretrudis. Eodem die, natalis sanctæ Geretrudis virginis.

VARIA

VARIA LECTIO. Codex Sangermanen. post verba *Episcopi & confessoris*, addit: *qui fuit ex discipulis beati Germani Autissiodorensis Episcopi*. Post ver-
Ambrosii. bum: *evangelizavit*, sequitur: *Alexandria, natalis sancti Ambrosii ejusdem Ecclesiæ diaconi, qui confessionis Dominicæ gloria insignis fuit. Nungella monasterio, sanctæ Gertrudis, cujus præclara gesta habentur*. Cod. 512. 514. hac die ita habent: „ In Scotia, natale sancti Patricii Episcopi & confessoris, qui fuit ex discipulis beati „ Germani Autissiodorensis Episcopi, primusque genti illius Christi evangelium præ- „ dicavit. Alexandriæ, natalis sancti Ambrosii ejusdem Ecclesiæ diaconi, qui confes- „ sionis Dominicæ gloria insignis fuit. Nivigella monasterio, depositio sanctæ Gere- „ trudis virginis, cujus præclara gesta habentur.

Patricii. ADNOTATIO. Celebratur hac die *S. Patricii* natalis a Beda genuino, Romano parvo, Gellonensi, Adone nostro, Usuardo, Rabano, & Notkero, Martyrologio Fuldensi (& quidem ut in nostris codicibus) Ottoboniano, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviori, Martyrologio Reginæ Suecorum, & Kalendario Vaticano 3806. In plerisque eorum natalis *Patricii*, *in Scotia* designatur, primusque fuisse dicitur, qui Christi Evangelium apud *Scotos* prædicavit. *Hibernia* insula antiquitus *Scotia* dicta fuit, de cujus vocis ratione plura proferunt Bollandiani socii ad hanc diem pagin. 517., & ante docuit Jacobus Usserius in antiquitatibus Britannicarum Ecclesiarum pag. 734. ac sic appellata est usque ad sæculum XI. quo *Hibernia*, omissa *Scotiæ* voce, nuncupari cœpit. Neque solum Christianæ fidei, sed rei monasticæ in Hibernia propagator fuit *Patricius*, ut narrat Mabillonius lib. VIII. Annal. Bened. §. III. De *Patricio* Hibernorum Apostolo, a Cælestino I. Romano Pontifice in Hiberniam misso, adeundus Baronius an. 431. num. CXCI. sed legendus ad eum annum Pagius in Critica n. II. & Papebrochius in Actis Bollandianis hac die pag. 517. *& seq.* ubi Papebrochius fuse illius Acta illustrat. Ibi etiam *Patricii* obitus anno Christi 460. alligatur. Baronius vero ad an. 491. num. XX. Maciani Scoti auctoritate fretus, qui *sub Olybrio consule*, Patricii dormitionem collocat, huic anno ejusdem Patricii obitum tribuit. At Pagius in Critica ad an. 491. num. XVIII. Bollandianis assentitur, ubi de Probo antiquo Scriptore Vitæ *S. Patricii*, sed interpolato, aut mendoso, nonnulla monet: quæ quidem Bollandiani socii agnoverunt, & Papebrochius Jocelinum, seu Jocelinum monachum Cisterciensem, qui ex variis Acta Patricii collegit, aliis prætulit.

Gertrudis. *Gertrudis*, Abbatissa Nivalliæ, seu *Nivigellæ*, recentioribus *Nivellæ*, opidi nunc inter Bruxellas, & Montes Hanoniæ positi, celebratur in Martyrologiis plerisque vetustioribus, partim hac die, partim die insequenti. Beda genuinus meminit hac die *S. Gertrudæ virginis*. Cod. Palat. Vat. 833. 834. legunt *Gerdrudis*, & *Gerebtrudis virginis*. Vulgatus Ado hac die, habet *natalis*, codex vero Reginæ Suecorum *depositio*. Item Martyrologium Ottobonianum ad XVI. Kal. April. *Ipso die depositio sanctæ Gertrudæ virginis*. Martyrologium Fuldense hac die habet: *natalis*. Silet Romanum parvum, & Rabanus. Fusius Notkerus die XVII. *Martii*. Usuardus Sollerii agit hac die XVII. Martii his verbis: *Eodem die monasterio Nivigella, sanctæ Gertrudis virginis*. Usuardus vero Pratensis agit die XVIII. Martii, & his quidem verbis: *Monasterio Nivigella sanctæ Geretrudis virginis*. Corruptum esse codicem Pratensem contendit Sollerius, erasumque ibi fuisse die XVII. Martii *Gertrudis* elogium, & perperam translatum in diem insequentem. Contra Bouvillartius Usuardini codicis vindex in observatione ad diem XVIII. Martii pag. 49. demonstrare nititur contra Sollerium, & Bollandianos socios, verum emortualem Gertrudis diem esse XVIII. *Martii*; nam in ejus vita hæc leguntur: *Hodie decimus sextus Calendas Aprilis est dies. Crastina autem die inter Missarum solemnia illa Dei ancilla, & Christi virgo de corpore est migratura*. Obiit *Gertrudis* die *Dominica*, quæ A. D. 658. die XVIII. *Martii* fuit, littera Dominicali G. Quamobrem mendum esse in Actis ejusdem Gertrudis, ubi habent vita functam fuisse *die Dominica, sub die sexto decimo Calendas Aprilis*. Ita quidem Mabillonius sentit sæculo II. Benedictino, & Annal. lib. XIV. §. LIX, nimirum *Gertrudem* obiisse die XVIII. Martii A. D. 658., ætatis anno trigesimo tertio. De illius gestis idem Mabillonius in Annalibus eodem tomo primo. At Mabillonio adversatur Pagius in Critica ad an. 664. numer. XXI. *& seq.* ubi contendit, Gertrudem decessisse an. 659. die XVII. *Martii*. Ne vero cætera prætermittamus Martyrologia, agunt de Gertrude die XVII. *Martii*, Augustanum, quanquam aliena manu, Hagiologium Francogallicum, & Martyrologium Reginæ Suecorum; ac demum Kalendarium Vat. 3806. Tot igitur Martyrologiorum consensus, in quibus die XVII. *Martii* celebritas S. Gertrudis statuitur, Pagii sententiam confirmare videtur.

An-

Ambrosii. *Ambrosii* diaconi Alexandrini elogium concinnarunt hac die codices nostri; de quo silet hac die genuinus Usuardus, sed ejus Auctaria de eo agunt, perinde eisdem verbis, prout in nostris codicibus habentur. Præteritur autem in plerisque aliis Martyrologiis, tum veteribus, tum recentioribus. Putamus autem, Ambrosium, eum esse, qui opera Origenis ex hæresi catholicæ Ecclesiæ fuit restitutus, quique exinde Origeni præsto fuit, ut ex Eusebio lib. VII cap. XVII. quique gloria confessionis claruit, ut de eo habet Hieronymus in lib. de Scriptor. Eccl. Vid. Baron. an. 220. num. X. & XII., & Bollandianos hac die pag. 513.

---

18. *Mart.* *G. XV. KALENDAS APRILIS.*

Alexandri NATALIS sancti Alexandri Episcopi: qui de Cappadocia civitate sua veniens, cum desiderio sanctorum locorum Jerosolimam pergeret, & Narcissus Episcopus ejusdem urbis iam senex regeret ecclesiam; & ipsi Narcisso, & multis Clericorum ejus revelatum est, altera die mane intrare Episcopum, qui adjutor sacerdotalis cathedræ esse deberet. Itaque re ita completa, ut prædicta fuerat, cunctis in Palæstina in unum congregatis, adnitente vel maxime Narcisso, Jerosolymitanæ Ecclesiæ cum eo gubernaculum suscepit. Quique persecutione Decii, cum jam longævæ ætatis veneranda canitie præfulgeret, ductus Cæsaream, & clausus carcere, ob confessionem Christi martyrio coronatus est. *Euseb. l. 6. cap. 7. 9. 16. 39. ex versione Ruff.*

VARIA LECTIO. Ed. *in unum congregatis*. Cod. Sangermanen. *in unum congregatis Episcopis*.

Alexandri ADNOTATIO. Abest *Alexander* Episcopus Hierosolymitanus hac die s Hieronymianis, Beda genuino, & plerisque aliis. Meminere in primis, ut putat Sollerius, Romanum parvum die XXX. Januarii, deinde hac die his verbis: *S. Alexandri Episcopi, qui cum Narcisso Jerosolymitanæ Ecclesiæ gubernaculum suscepit*. Fusius præterea Ado ex Rufini locis ad oram allatis, ex Adone ad verbum Notkerus, brevius Usuardus. Meminit Wandelbertus. Martyrologium Fuldense Adonem transcribit. Cætera profert Henschenius in Commentario historico hac die pag. 614., & Catalogus Episcoporum Hierosolymitanorum Maji tom. III. pag. 13. Adeundus Ruinartius in selectis & sinceris martyrum Actis pag. 114. & seq., ac Tillemontius tom. III. pag. 415. & seq. Baronius ad an. 213. n. XII. hoc anno 213. ex Eusebio *Alexandrum* Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfectum fuisse narrat, quod quidem se assequi non posse fatetur. In Catalogo Hierosolymitanorum Patriarcharum n. XXXIV. Alexander creatus dicitur A. D. 212. & martyrio coronatus A.D. 250. qui Baronio est annus 253. ad quem annum num. CXXIIII. de Alexandri martyrio agit.

---

19. *Mart.* *A. XIV. KALENDAS APRILIS.*

Joannis. APUD Penarensem urbem, natale beati Joannis, magnæ sanctitatis viri, qui de Syria oriundus pervenit ad Italiam. Cumque quæreret locum habitationis suæ, orationem fudit ad Dominum: Te deprecor Domine, qui lumen es verum, si prosperum facis iter meum, hoc mihi signum fiat: ubicumque

que ambulavero, si Psalterium meum dedero, & eadem die mihi redditum fuerit, ibi sit permansionis meæ locus. Factum est. Recepit eum hospitio matrona quædam, cui vir Dei Psalterium suum dedit; requisivit, eique mox a muliere redditur. Hoc itaque signo, ut stationem suam ibi vir Dei faceret, confirmatur; ac inde non longe plus minusve quam duarum sagittarum progressus, habuit Angelum Dei obvium, qui ei dixit: Serve Dei, hic tibi locus permansionis a Domino parabitur. Erat autem hiems, & sedebat vir Dei sub arbore. Venatores vero cum per locum transitum facerent, viderunt eum sedentem, atque arborem illam juxta illum foliis vestitam. Requirentes autem virum quis esset, ob Domini servitium se de ultramarinis partibus loeisve venisse, morarique hic velle respondit. Nuntiantibus igitur illis, famaque vitam beati viri longius spargente, tanta frequentia populi Dei undequaque illuc advenit, ut monasterio facto congregatio magna servorum Dei simul habitantium ibi fieret. Cui præfuit multis clarus virtutibus beatus Joannes quadragintaquatuor annos: requiescens in pace, depositus est sub die xiiij. Kalend. Aprilium in loco ubi præstantur beneficia Dei usque in hodiernum diem.

Quinti, & soc. Eodem die apud Surrentum, sanctorum Quinti, Quintilli, Quartillæ, Marci, cum aliis novem.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Penarensem urbem*. Cod. 512. ut in editis. Cod. 514. *Apud Ponarensem urbem*.

Joannis. ADNOTATIO. *Johannes*, de quo pluribus Ado, contractius ex eo Usuardus, Rabanus, & Notkerus, memoratur etiam hac die a Romano parvo, his verbis: *In Penarense civitate, beati Joannis, magnæ sanctitatis viri*. Martyrologium Fuldense habet: *Natalis beati Johannis heremitæ, qui de Siria (sic) venit Italiam*. Meminit & Wandelbertus. In aliis, ut in Ottoboniano, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviori, Martyrologio Reginæ Suecorum, Beda, & Hieronymianis de eo siletur. Corrupta est vox *Penarensis urbis* a librariis, quorum vitio factum est, ut in codicibus modo *Ponarensis*, modo *Panarensis*, *Parunensis*, *Pennurensis*, & *Penarensis* legatur. Baronius in Notationibus hac die emendat: *Pinnensis*, ut scilicet in *Pinnensi* orbe in *Vestinis* monasticam disciplinam propagarit. An forte est *Johannes* Abbas *Pisaurensis*, qui monasterii apud Pisaurum auctor fuit, de quo S. Gregorius M. lib. v. epist. xlvi. ad *Felicem* Episcopum *Pisaurensem*? Vide quæ habent Bollandiani hac die pag. 30.

Quinti, & soc. *Quintus* & socii martyres *Surrentini* coluntur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Adone, Usuardo, & aliis. Verum librariorum vitio corrupta esse in quibusdam apographis horum martyrum nomina, neque apte suo loco collocata, liquet. Nam Martyrologium Ottobonianum pridie hujus diei, extremo loco, habet: *In Campania, Quinti & Rogati*. Hac vero die: *Et depositio sancti Leontii Episcopi Sorrentini cum aliis* viiii. Richenoviense pridie hujus diei: *In Mauritania, Timothei, Rogati, Quarti. In Campania, Quinti, Ingenui, Quartillæ*. Die vero xix. Martii: *Leontii Episcopi, Marci cum aliis* ix. Augustanum hac die xix.: *Leoti confess. Sorruti, Marci, Fiorenti*. Pridie vero hujus diei: *In Campania, Luciani (cum) aliis* xxiv. Paullo aliter hoc biduo habet Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum meminit die xviii.: *Quinti, & Rogati* in

in Campania; die vero XIX. habet: *Et alibi, de depositione sancti Leontii Episcopi*. Romanum parvum hac die XIX. Martii: *Apud Surrentum, Quinti, Quintilli, Quintillæ, Martiæ rum aliis* VIII. Amanuensium inscitia, ac barbaries temporum magnum sæpe detrimentum veris sanctorum nominibus, ac locis, quibus passi sunt, aut vixerunt, attulit. Exemplum ex his, quæ nunc protulimus, habes. *Leontius* Episcopus memoratus hac die in Martyrologio Romano, ad quem locum Baronius notat, incertum esse, cujus sedis Episcopus fuerit. Si apographo Ottoboniano fidimus, *Surrentinus* Episcopus fuit. Alia Surrentinorum martyrum nomina, quam misere luxata fuerint, vides; eaque aliquomodo sanare conatur Plorentinius in notis hac die.

20. *Mart.* *B. XIII. KALENDAS APRILIS.*

Chutberti. IN Britanniis, sancti Chutberti, qui ex anachoreta Ecclesiæ Lindisfarnensis Antistes, totam ab infantia usque ad senium vitam miraculorum signis inclytam duxit. Cujus dum undecim annos maneret corpus humatum, incorruptum post hæc, quasi eadem hora defunctum, simul cum veste qua tegebatur inventum est. Scripsit Beda presbyter de vita ipsius.

Archyppi. VARIA LECTIO. Ed. ad extremum: *presbyter de vita ipsius*. Cod. Sangermanensis, *presbyter in libello de vita ipsius*. In eodem codice, & in codicibus 512. & 514. post verbum ipsius, sequitur: *Eodem die, sancti Archyppi commilitonis Pauli Apostoli*.

Chutberti. ADNOTATIO. De *S. Chutberto* Antistite *Lindisfarnensi* agunt hac die Beda genuinus in Martyrologio, & in Vita, ex qua sumpsit Ado, Usuardus, Rabanus, Notkerus. Agunt Martyrologium Poldense, Ottobonianum, & Reginæ Suecorum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. in quo: *Cuthberti Abbatis, & Episcopi*, qui tamen Lindisfarnensis monachus, non Abbas fuit. Acta illustrantur a Bollandianis hac die p. 93. & a Mabillonio sæculo II. Benedictino p. 877. & in Annalibus Benedictinis. Obiit *Chutbertus* A. D. 687. XIII. *Kal. Aprilis*, hoc est die XX. *Martii*, ut habet Beda lib. IV. c. XXIX. Historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum. Vide Mabillon. Annal. Benedict. lib. XVII. §. LVII. *& seq.* ad an. 687. In aliquibus Martyrologiis *Gudebertus* dicitur.

Archippi. *Archippum* exhibent hac die codices nostri, de quo quum agant Romanum parvum, & Usuardus genuinus, haud recte Mosander & Rosweidos fecisse videntur Sollerio, qui in Appendicem Adonianam *Archippum* rejecerunt. Agit enim de eo Notkerus, qui, ut monet Sollerius, Adoni pressius inhærere solet. Notkerus *Episcopi* titulum *Archippo* addidit. De cujus Episcopali sede, deque martyrii laureola percunctantur hac die Bollandiani socii, & Tillemontius tom. I. p. 289. sed veterum testimonia non reperiunt. De eo Paulus in epistola ad Philemonem, & ad Colossenses. An *Archippus* fuerit Episcopus *Colossensis* inquisivit Baronius ad annum Christi 60. num. XI. & quanquam commentitium Ambrosii commentarium in Epistolam ad Colossenses afferat, ubi *Archippus* dicitur *Episcopus*, Primasium tamen sequitur, qui negat omnino, Archippum Episcopum fuisse.

21. *Mart.* *C. XII. KALENDAS APRILIS.*

Benedicti. APUD Cassinum Castrum, natale S. Benedicti Abbatis, cujus vitam virtutibus & miraculis gloriosam, in Dialogorum libris beatus Papa scribit Gregorius.

Eodem die beati Serapionis anachoritæ.

Et

Greg. Tur. de vitaPP. cap. 1. Et in territorio Lugdunensi, sancti Lupicini Abbatis Jurensium, cujus vita sanctitatis & miraculorum gloria illustris fuit. Corpus ejus in finibus Vesontionum, apud Laoconense monasterium celebratur. *Lupicini.*

VARIA LECTIO. Ed. *Eodem die beati Seraplonis anachoritæ*. Cod. 512. 514. & Sangermanen. habent: *In Alexandria, beati Seraplonis anachoritæ, magnarum virtutum viri: & in territorio Lugdunensi &c.*

Benedicti. ADNOTATIO. Agunt de *S. Benedicto* Abbate hac die Auctaria Hieronymiana. Apographum Lucense habet: *Depositio sancti Benedicti Abbatis*. Beda genuinus: *Sancti Benedicti Abbatis*, tantum. Romanum parvum: *In Cassino Castro, Benedicti Abbatis*. Ita quoque Gellonense, & Richenoviense. Usuardus Adonem exscribit, demptis tantummodo verbis: *In Dialogorum libris*. Rabanus: *Sancti Benedicti Abbatis, qui regulam scripsit monachorum cum magna discretione*. Notkerus: *Apud castrum Cassinum Beneventanæ civitatis, Benedicti Abbatis*; reliqua partim ex Rabano, partim ex Usuardo prosequitur. Augustanum, Labbeanum, & Corbejense brevius: *Benedicti Abbatis*, tantummodo. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Benevento monte Cassino, depositio sancti Benedicti Abbatis*. Martyrologium Fuldense: *In monte Casino, transitus sancti Benedicti Abbatis*. Martyrologium Ottobonianum: *Depositio sancti Benedicti Abbatis*. Kalendarium Palat. Vat. 485. *Natalis sancti Benedicti Abbatis*. Kalendarium Vat. 3806. *Depositio sancti Benedicti Abbatis*. Meminit & Wandelbertus. Hæc ad Martyrologia quod attinet. In libris Liturgicis S. R. E. vetustissimis deest quidem hac die Missa in natali *S. Benedicti*: sed ejus nomen legitur ad oram Canonis Missæ in Sacramentario Gelasiano pag. 197. post nomina Apostolorum & martyrum ad *Infra Actionem*, ut & ibi in Sacramentario Gallicano, apud Mabillonium Musei Italici tom. 1. P. II. pag. 280., in Sacramentariis Menardi, Gemeticensi, & Theodoricensi, & aliis, de quibus tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 2. Missa hac die *in natali S. Benedicti* habetur in codice Ratoldi. Prima ibi oratio est: *Omnipotens sempiterne Deus &c.* Secreta: *Poternis*. Ad complendum: *Perceptis, Domine*. Præfatio: *Honorandi patris*. Benedictio, ut in Missa *S. Cuthberti*. Eædem ferme orationes habentur hac die in Sacramentario Palat. Vat. 495. In Missali pleoario Vat. 4770. duæ Missæ de *S. Benedicto* leguntur, alia die xx. *Martii* de ejus vigilia, cum Præfatione propria, quæ incipit: *Tibi æterno, Domino*, alia die xxi. Martii, cum orationibus, & Præfatione propriis. Prima oratio hæc est: *Omnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die hunc carnis eductum ergastulo beatissimum confessorem tuum Benedictum sublevasti ad cælum, concede, quæsumus, hæc festa tuis famulis celebrantibus cunctorum veniam delictorum, ut qui exultantibus animis, ejus claritati congaudent, ipso apud te interveniente, consocientur & meritis*. Alia est oratio quæ in Palat. Vat. 495. legitur. De cultu S. Benedicti vide Menardum in notis ad Sacramentarium. Obiit *Benedictus*, ut conjicit Mabillonius Annal. Bened. lib. v. §. VIII. A. D. 543. die XXI. *Martii*; seu A. D. 544. die XXVI. *Martii*, ut censet Pagius in Critica ad an. 544. n. XI. *& seq.* Res est autem magnis implexa difficultatibus, de qua inquirunt etiam Bollandiani hac die. In monasteriis olim inter divina officia lectiones de vita S. Benedicti recitabantur; nam in codice Reginæ Suecorum 528. ubi Acta martyrum, & Sanctorum continentur, pag. 36. habetur: *Sermo Domini Oddonis in festivitate patris Benedicti*. Incipit: *Festiva beatissimi Benedicti*, usque: *Deus pacis per ipsum*. Ibidem pag. 193. exstat: *Vita S. Benedicti, quæ celebratur* XII. *Kal. Aprilis*. Incipit: *Fuit vir vitæ venerabilis*, usque: *per silentium reparemus*; quæ sumpta est ex S. Benedicti vita per S. Gregorium conscripta. Vitam *S. Benedicti*, auctore S. Gregorio M. Dialogorum libro II. edidit iterum & illustravit Mabillonius Sæculo I. Benedictino pag. 3. *& seq.* Item pag. 28. *& seq.* protulit de eodem S. Benedicto Carmen *Marci* ejus discipuli, & *Bertharii* Abbatis Casinensis, Alfani monachi Casinensis, & Archiepiscopi Salernitani. Acta ex S. Gregorio M. & alia, ac item Acta de translatione S. Benedicti recusa sunt apud Bollandianos hac die pag. 277. *& seq.*

Serapion memoratur in Hieronymianis hac die, ubi habent: *In Alexandria, Serapionis monachi*. Agunt Romanum parvum, Usuardus iisdem atque codices nostri verbis. Agunt etiam Rabanus & Notkerus, Martyrologium Ottobonianum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, & Reginæ Suecorum, quod *socios alios* ei conjungit. Cruciatur quodammodo Sollerius, quod apud vulgatum Adonem, designationem urbis *Alexandriæ* non invenerit, ea vero apud Usuar- *Serapionis.*

dum habeatur, sed in codicibus nostris, *Alexandria* ponitur, & fere omnia Martyrologia, *Alexandriæ*, Serapionem monachum hac die exhibent. De *Serapione* plura hac die Baronius, quem Episcopum ordinatum fuisse scribit. At nihil de Episcopatu in Martyrologiis, hinc varia disquirunt Bollandiani hac die pag. 260. & Tillemontius tom. VIII. pag. 618.

Lupicini. *Lupicinus*, Sollerii judicio, ab Adone primum positus est, deinde ab Usuardo. Notkerus fusior iis est, & plura ex Vita ejus addidit. Fuit Abbas una cum *Romano* Jurensium monasteriorum *Condatescensis*, & *Lauconaensis* in finibus Vesontionensis diœcesis, ut est apud Mabillonium Annal. Bened. lib. I. §. LVI. & *seq.* Obiit c. A.D. 480., ut habet idem Mabillonius ibidem §. LXIII. cique suffectus est *Minausius*. De eo Gregorius Turonensis de Vita Patrum cap. I. sed nihil de certo anno obitus. Vide quæ diximus ad diem XXVIII. *Februarii*. Acta illius proferunt Bollandiani hac die pag. 262. Ejus reliquias ex Lauconnensi monasterio in Condatescensem basilicam transtulit *Injuriosus* Abbas Condatescensis, A. D. 648. qua de re Mabillonius ibidem lib. XIII. §. LVII.

22. *Mart.*

D. XI. KALENDAS APRILIS.

Vide libel. de festivit. Apost.

IN Galliis civitate Narbona, natale sancti Pauli Episcopi & confessoris, discipuli Apostolorum. *Pauli.*

VARIA LECTIO. Cod. 512. 514. & Sangermanen. post verba: *Discipuli Apostolorum*, addunt: *quem beati Apostoli ordinatum urbi Narbonæ Episcopum miserunt. Quem tradunt, eundem ipsum fuisse Sergium Paulum preconsulem* (sic) *virum prudentem, a quo ipse Paulus sortitus est nomen: qui eum fide Christi subegerat: quique ab eodem sancto Apostolo cum ad Hispaniam prædicandi gratia pergeret, ad præfatam urbem Narbonam relictus, prædicationis officio,*

Dionysii. *non segniter impleto, clarus miraculis, coronatus sepelitur. Apud Corinthum beati Dionysii Episcopi, cujus eruditione & gratia, quam habuit in verbo Dei, mul-*

Afrodisii. *ti fruuntur usque hodie. Civitate Biterris, depositio sancti* (cod. 512. *Afrodisii*, cod. 514. *Afrusidii*, cod. Sangermanen. *Frosidii*) *Episcopi & confessoris*. Vulgatus Ado de *Paulo* agit in libello de festivitatibus Apostolorum hac die.

Pauli. ADNOTATIO. Non uno eodemque die apud veteres Martyrolographos de *Paulo* Episcopo Narbonensi agi, a Baronio in Notationibus, & a Bollandianis traditum est. Alii enim agunt hac die XXII. *Martii*, alii die XII. *Decembris*, & Appendix Adoniana die XXII. *Januarii*. Codices nostri *Pauli* natalem diei XXII. *Martii* alligant; die vero XII. *Decembris* iterum de eo meminere. Usuardus præter morem a fonte suo Adoniano discedit; nam hac die de *Paulo Narbonensi* silet, & agit tantum de *Afrodisio*, ejusdem Pauli comite, de *Paulo* vero die XII. *Decembris*. Uni Usuardo, inquit Sollerius, culpa hæc imputanda est; nam de Paulo die XXII. *Martii* agunt Hieronymiana, Romanum parvum, Florus, & Ado, Rabanus, Notkerus, & Wandelbertus. Addo his Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, & Reginæ Suecorum. Præterimus, de *Paulo* Narbonensi mentionem fieri a Prudentio Peristephanon hymno IV. & a Gregorio Turonensi Histor. Franc. lib. I. cap. XXX. Utrum *Paulus* ab Apostolis in Gallias missus fuerit, & an sit *Sergius Paulus*, disceptant inter se eruditi Galli, qua de re obiter ad diem XXIX. *Decembris*, ubi de *S. Trophimo*. Adi vero de *Paulo* Sollerium in Usuardum die XII. Decembris, & Tillemontium tom. IV. pag. 469. & *seq.*

Dionysii. Codices nostri post *Paulum Narbonensem* hac die *Dionysium* Episcopum *Corinthiorum* celebrant. Silet de eo hac die genuinus Usuardus, sed agit iisdem verbis, prout in codicibus nostris, die VIII. *Aprilis*, ad quem locum Sollerius admonet, Dionysii enunciationem ea die solius Usuardi esse, & a nullo alio acceptam, neque ab aliis Martyrographis de *Dionysio* agi. Auctaria vero Usuardi apud eundem Sollerium agunt de *Dionysio* hac die XXII. *Martii* iisdem omnino verbis, perinde ac codices nostri. Martyrologium Romanum Usuardi auctoritatem sequens, de Dionysio agit die VIII. Aprilis. Vide Baronii Notationes, & in Annalibus ad an. 175. n. VIII. XI. & *seq.* ex Eusebio lib. IV. cap. XXI. & *seq.* Confer etiam Hieronymum de Scriptoribus Eccles. cap. XXVII. Martyrium subiit imperante *M. Antonino*, & ela-

claruit c. A. D. 170. Vide de eo fuse Bollandianos die VIII. *Aprilis* pag. 748. Adi etiam, si lubet, Tillemontium tom. II. pag. 448. In Liberati breviario cap. X. memoratur *Dionysius Areopagita, Corinthiorum Episcopus*. Delendam esse *Areopagitæ* vocem ibi apud Liberatum, nonnulli putant. Disceptatur etiam, num Dionysii Corinthii corpus in cœnobium Sandionysianum translatum sit, qua de re Bollandiani, & Michael Felibienus in Historia monasterii Sandionysiani, Gallice scripta, & edita Parisiis an. 1706.

Afrodisii. Extremo loco hac die codices nostri recolunt *Afrodisium* Episcopum *Biterrensem*, vulgo *Beziers*. De eo tantum hac die elogium concinnavit Usuardus genuinus, & his quidem verbis: *Apud Septimaniam, civitate Biterris, depositio sancti Afrodisii Episcopi & confessoris. Hic a beato Paulo Narbonensi Episcopo eidem urbi ordinatus Antistes, fidei documentis præclarus, virtutumque meritis ornatus, quievit in pace.* Sollerius, ad hæc statuit, illud compertum esse, *Afrodisium* a solo Usuardo in sacris fastis consignatum esse, &, ut opinatur, ex Actis S. Pauli Narbonensis. An ex Adonianis codicibus petierit Usuardus, aliorum erit judicium. Meminit autem hac die Hagiologium Francogallicum. *Afrodisii* nomen ex Martyrologio Romano neglectum, aut expunctum fuisse dolet ibidem Sollerius; ac ejus loco Paulum Narbonensem restitutum. Vide quæ de *Afrodisio* congerunt Bollandiani hac die pag. 376. ac Tillemontium tom. IV. pag. 471. & 724. ubi de gestis & Actis S. Pauli Narbonensis Episcopi.

E. X. KALENDAS APRILIS. *23. Mart.*

Victor African. l. 3. IN Africa, sanctorum martyrum Victoriani, Frumentii, & alterius Frumentii, & duorum germanorum, qui omnes persecutione Wandalica, sub Hunnerico Rege Ariano apud Africam pro constantia catholicæ confessionis immanissimis suppliciis excruciati, egregie coronati sunt. *Victoriani Frumentii & soc.*

VARIA LECTIO. Codices 512. 514. & Sangermanen. post extrema verba: *coronati sunt*, addunt: *Apud Africam, natalis beati Fidelis martyris.* *Fidelis.*

Victoriani, & soc. ADNOTATIO. Horum martyrum caterva a Romano parvo primum Ecclesiasticis tabulis adscripta fuisse videtur Sollerio. Romani parvi enunciatio hæc est: *In Africa, martyrum Victoriani, Frumentii, item Frumentii, & duorum germanorum, Wandalica persecutione, sub Hunnerico rege passorum.* Ex hoc fonte sumpsisse Adonem, & ex Adone Usuardum, & Notkerum, censet idem Sollerius. Desunt hi martyres in Hieronymianis, Beda genuino, Rabano, & Wandelberto; at memorantur in Martyrologio Fuldensi, non omnes tamen. Legitur enim ibi: *Natalis sanctorum Victoriani & Frumentii.* Horum martyrum palæstram describit Victor Vitensis Episcopus in Historia Persecutionis Wandalicæ lib. III. cujus testimonia fuse refert Baronius ad an. 484. n. LXXXI. & *seq. Victorianus* civis erat *Adrumetinus*, & tunc *Proconsul Carthaginis*. *Duo germani* erant incolæ *Aquisregiensis civitatis*, ut habet idem Victor. *Hunericus* Wandalorum rex duo edicta adversus catholicos in Africa emisit, alterum A. D. 483. alterum anno 484. quæ de re Pagius in Critica ad an. 483. n. VIII. & ad an. 484. n. XVI. Obiit vero *Hunericus* an. 484. die XI. *Decembris*; quare hi martyres passi sunt post edictum Hunerici regis, & eorum martyrium ad an. 484. refertur, quamvis, non eodem die omnes interfecti sint, ut docent Bollandiani hac die pag. 460.

Fidelis. *Fidelis* martyr *in Africa* præteritur a genuino Usuardo, sed agunt de eo illius Auctaria apud Sollerium pridie hujus diei, & hac die. Num a genuino Adone sit ablegandus, non judico, sed aliis judicandum relinquo. Scio autem de eo agi hac die in Martyrologio Ottoboniano, his verbis: *In Africa, sancti Fidelis.* Meminere etiam hac die Richenoviense, & Corbejense brevius, quod habet: *In Africa, natalis S. Fidelis magni.* Quædam alia Martyrologia, ut Augustanum, Labbeanum, & Reginæ Suecorum pro *Fideli* habent: *In Africa, natalis sancti Felicis.* De *Felice* Africano agit hac die Wandelbertus, quem cum *Juliano*, & *Theodoro*, de quibus Usuardus genuinus, conjungit. Vide de *Fideli* Bollandianos socios hac die pag. 449.

24. *Mart.* F. *IX. KALENDAS APRILIS.*

Pigmenii. ROMÆ, natale sancti Pigmenii presbyteri: Hic Julianum apostatam & impium a puero nutrivit, & litteris etiam sacris erudivit. Sed factus Imperator, culturam pietatis postquam reliquit, audito, quod corpora sanctorum Martyrum, qui ab eo necabantur, idem Pigmenius sepeliret; mandavit ei, Perge quo volueris: hic enim non mereabitur vita tua, tamen servitiis tuis præmium reddo, non tibi. Tunc sanctus Pigmenius perrexit ad Persidam, ubi demoratus annos IV. factus est cæcus. Inde monetur in somnis a Domino, ut reverteretur Romam. Cumque post quatuor menses reversus, clivum Sacræ viæ cum uno puero stipem petendo conscenderet, factum est ut offenderet Julianum Imperatorem in rheda aurea sedentem. Qui eminus conspiciens Pigmenium, vocari eum præcepit, dixitque ei: Gloria diis deabusque meis, quia te video. Cui vir Dei Pigmenius ilico respondit: Gloria Domino meo Jesu Christo Nazareno crucifixo, quia te non video. Ad hanc vocem iratus Julianus, jussit eum per pontem in Tiberim præcipitari. Cujus corpus inventum & collectum, sepultum est in cœmeterio Pontiani, non longe a sanctis Abdon & Sennes.

VARIA LECTIO. Ed. *Gloria Domino meo Jesu Christo Nazareno crucifixo, quia te non video*. Cod. Sangermanensis: *Gloria Domini mei Jesu Christi, qui me privavit lumen oculorum, ut te non videam*. Ed. *Abdon & Sennes*. Cod. Sangermanen. *Abdon* & *Sennen*. Deinde sequitur in eodem codice, & in codicibus 512., & 514.: *In Syria, natalis sancti Seleuci. Ipso die, sanctorum Rumuli, & Secunduli, qui apud Mauritaniam pro Christo passi sunt*. Post hæc in codice Sangermanensi tantummodo habetur: *Ipso die crucifixus: & aliorum sanctorum plurimorum martyrum, confessorum, atque virginum*.

Seleuci. Romuli, & Secunduli. Crucifix. Domini.

Pigmenii. ADNOTATIO. Non omnia Latinorum Martyrologia eodem die de *S. Pigmenio* presbytero & martyre agunt. Nonnulla enim, ut Gellonense, Ottobonianum, Fuldense, Labbeanum, & Kalendarium Vat. 3806. agunt die XVIII. *Martii*; non eisdem tamen per omnia verbis. Gellonense habet: *Romæ Pumenii* (pro *Pigmenii*) *presbyteri*. Ottobonianum: *Romæ, sancti Pigmenii presbyteri, magistri Juliani apostatæ*. Fuldense ea die: *Romæ, sancti Pigmenii mar*. Iterum vero hac die XXIV. Martii: *Romæ, natalis sancti Pigmenii presbyteri. Hic Julianum apostatam a puero nutrivit, & sacris litteris erudivit: a quo postea ipse pro Christi fide necatus est*. Labbeanum: *Romæ, Pimeni presbyteri*. Kalendarium Vat. 3806. *Romæ, sancti Pimeni martyris*. Romanum parvum agit die XXIV. Martii his verbis: *Romæ, Pigmenii presbyteri & martyris, sepulti in cœmeterio Pontiani*. Ado longum elogium ex depravatis Actis hac die profert, quem secutus est Notkerus, & Usuardus contraxit. Silent autem de eo Hieronymiana, Beda, Florus, Rabanus, & Wandelbertus. Acta corrupta nonnihil fuisse, monet Baronius ad an. 362. num. CCLII. quo anno Pigmenii martyrium statuit. Ea expendunt Bollandiani hac die pag. 481. & Tillemontius tom. v. pag. 119. & 663. qui mallet, *Epigmenium*, & *Pigmenium*, de quibus hac die in Martyrologio Romano, in unum eundemque *Pigmenium* conflare.

Seleuci, & aliorum nomina, quæ hac die in nostris codicibus memorantur, occurrunt apud *Seleuci, Romuli, & soc.*

apud Usuardum genuinum, & ante Usuardum in apographis Hieronymianis, & aliis, licet ex more, corrupta nimis. Hinc putavit Sollerius, Usuardum ex Hieronymianis sumpsisse. Quid si ex Adonianis codicibus acceperit? Hieronymianis apographis prætermissis, aliorum verba Martyrologiorum, quæ Hieronymiana quodammodo possunt etiam appellari, sunt hujusmodi. Ottobonianum hac die: *In Syria natalis Leuci* (forte *Seleuci*). *In Mauritania, Secundoli, Veroli, Felici*. Richenoviense: *In Syria, Seleuci. Et in Africa, Agapiti, Romuli, Rogati, Victorini, Saturnini. Item Saturnini*. Augustanum, & Labbeanum: *In Africa, Agapiti, Romuli, Rogati, Saturnini. Alibi, Secunduli, Victorini, Seleuci*. Corbejense brevius: *Syria, Seleuci. In Africa, Agapiti*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Siria, natalis Seleuci. In Africa, Rogati, cum aliis* IX. *In Frigia, Agapiti. In Mauritania, Secundi, Felicis, Saturnini, cum aliis* XIX. Vides, in his legi *Leuci*, pro *Seleuci*; *Secunduli*, & *Secundi*; quare non est reprehendendum omnino Martyrologium Romanum, ut facit Sollerius, si pro *Secunduli*, habet *Secundi*. *Seleucus* potius *martyr* est, quam *confessor*, ut putavit Baronius, quod quidem recte monere mihi videtur Sollerius, qui etiam Usuardum a vero aberasse putat, dum *Romulum*, & *Secundolum*, fratres vocavit. *Romuli*, & *Secundoli* meminit hac die Wandelbertus. Vide si lubet, Bollandianos hac die pag. 478.

De *crucifixione Domini* vetera Martyrologia agunt die crastina; quare ibi nos aliqua adnotabimus. *Crucifix. Domini.*

G. VIII. KALENDAS APRILIS. 25. Mart.

APUD civitatem Galilææ Nazareth, Annuntiatio Dominica. *Annunc. Dominica.*
Et in Nicomedia, natalis S. Dulæ, ancillæ militis, quæ *Dula.*
pro castitate occisa est.

Romæ, sancti Cirini, qui interfectus a Claudio, & in *Cyrini.*
Tiberim jactatus, in insula Lycaonia inventus, & in cœmete-
14. Febr. rio Pontiani conditus est. Scriptum in passione sancti Valentini.

Et apud Sirmium, natale S. Irenæi Episcopi, qui tempore *Irenæi.*
Maximiani Imperatoris, sub præside Probo, primo tormentis acerrimis vexatus, deinde diebus plurimis in carcere cruciatus, novissime abscisso capite consummatus est.

VARIA LECTIO. Post ea verba: *Annuntiatio Dominica*, sequitur in codicibus 512. & 514. & in Sangermanen. „ Quando missus est Angelus Gabriel a
Luc. 1. „ Domino in civitatem Galilææ ad beatam Mariam virginem, & dixit ei: *Ave gra-*
„ *tia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus*. Ipsa autem, ut vidit
„ eum, mota est in introitu ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio: & ait An-
Ibid. „ gelus ei: Ne timeas, Maria; invenisti gratiam apud Dominum: *Ecce concipies in*
„ *utero, & paries filium, & vocabitur nomen ejus Jesum*. Quæ tanto nuntio cla-
„ rificata, Spiritu sancto fœcunda, ab illo qui de illa carne sumere dignatus est pro
„ omnibus sublimata, in æternum venerabitur benedicta. Hæc eadem ferme habet vulgatus Ado in libello de festivitatibus Apostolorum *ad* VI. *Id. Septembris*, ad extremum ejusdem libelli. Ed. *in insula Lycaonia*. Cod. Sangerm. *in insula Licaoniæ*. Post verba *consummatus est*, extremo loco in editis hac die, sequitur in cod. 512., *Ermelandi* & 514. & in Sangermanen. *In Antro Insula, natalis sancti Ermelandi Abbatis, cujus gloriosa conversatio miraculorum conlaudatur præconio*. Deinde Sangermanensis tantummodo hæc addit: *Israel per mare rubrum. Eodem die apud Versiaco castro* *Raunoberti.* (sic) *depositio sancti Raunoberti Episcopi & confessoris, & aliorum plurimorum martyrum, confessorum, atque virginum*.

Annunt. Dominic. Et crucifix Dom. ADNOTATIO. Celeberrima semper fuit hæc dies XXV. Martii in Ecclesia catholica jam inde a vetustissimis temporibus, qua die majores nostri Adnuntiationis Dominicæ solemnitatem agere consueverunt. Ea de re pluribus Baronius in Notationibus hac die. Con-

Congerimus & nos veters Martyrologia, ac Liturgica, quæ huc spectant. Agunt autem Hieronymiana, quæ, prout & alia Martyrologia, huic diei Christi crucifixionem alligare solent. In Hieronymiania ergo primo loco legitur: *In Jerosolyma Dominus Jesus Christus crucifixus est*. Extremo loco: *Et in Galilæa, civitate Nazareth, Adnuntiatio S. Mariæ de conceptione, quando ab Angelo est salutata*. Non omnia vero apographa Hieronymiana inter se conveniunt, quaee vide Florentinii notas pag. 397. Beda genuinus: *Annunciatio Dominica*. Duo vero Bedæ apographa in codicibua Palat. Vatic. 833. 834. *Adnuntiatio Dominicæ Incarnationis*. Romanum parvum: *Annunciatio Dominica, & Crucifixio*. Gellonense: *Adnuntiatio sanctæ Mariæ matris Domini. Hierosolymis Dominus noster Jesus Christus crucifixus est*. Ado volgatus, & ex eo Usuardus habent solummodo Annuntiationem Dominicam apud Nazareth, civitatem Galilææ. Vulgatus item Ado pluribus ea de re agit in libello de festivitatibus Apostolorum; nostri autem codices, qui hunc libellum minime agnoscunt, ea hac die in contextu collocant. Rabanus: *Annunciatio Incarnationis Dominicæ: & Hierosolyma Dominus noster Jesus Christus crucifixus est*. Notkerus: *Apud civitatem Galilææ Nazareth, Annunciatio Incarnationis Dominicæ. Extra portam Hierosolymorum Dominus noster Jesus Christus crucifixus, occulta Prophetarum maxima ex parte revelavit*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Sanctæ Mariæ, quando ab Angelo salutata est; hoc est conceptio Domini nostri Jesu Christi. Hierosolyma, Dominus crucifixus est*. Richenoviense, & Labbeanum: *Annuntiatio sanctæ Mariæ matris Domini. Hierosolyma Dominus noster Jesus Christus crucifixus est*. Augustanum: *Annuntiatio Beatæ Virginis. Hierusalem Dominus noster Jesus Christus crucifixus est*. Corbejense brevius: *Hierosolyma, Dominus noster Jesus Christus crucifixus est. Et annuntiatio sanctæ Mariæ per Angelum*. Martyrologium Fuldense: *Annunciatio Dominicæ Incarnationis. Eodem die, Hierosolima Dominus noster Jesus Christus crucifixus est*. Ottobonianum: *Annuntiatio sanctæ Mariæ. Et in Hierosolima Dominus noster Jesus Christus crucifixus est*. Kalendarium Palat. Vat. 485. *Adnuntiatio Archangeli ad sanctam Mariam. Et Dominus crucifixus est*. Kalendarium Palat. Vat. 39. *Annunciatio sanctæ Mariæ*. Kalendarium Vaticanum 3806.: *Annuntiatio, conceptio, & passio Domini*. Hactenus vetera Martyrologia & Kalendaria. Liturgica succedant. Codex Gelasianus hac die pag. 148. orationes ad Missam, & ad Vesperum exhibet: In *Adnunciatione sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi*. Missam quoque hac die designant præmisso indiculo: *Adnunciatio sanctæ Mariæ*. Sacramentarium Reginæ Suecorum 337. & Palatinum Vat. 495. Item Sacramentarium Menardi, præfixis in titulo hujus festivitatis, verbis: *Annuntiatio angeli ad B. Mariam*. Non eædem tamen in singulis his Sacramentariis orationes sunt. Vide interim Menardi notas. Capitularia Evangeliorum veterrima tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 248. hac die, qua *Adnuntiatio Domini* celebratur, Evangelium designant. Puto autem in Ecclesia Romana, ut ex his Sacramentariis, & Evangeliorum Capitularibus elicio, festivitatem Annunciationis Dominicæ semper die xxv. *Martii* fuisse celebratam, qua etiam die, si in quadragesimam incidisset, jejunium non solvebatur, ut Humbertus Episcopus Silvæ candidæ adversus Nicetam testatur, his verbis, *Nec jejunia resolvimus in celebratione Missæ: aut in aliquo natalitio martyrum, sed nec in Annunciatione Mariæ virginis*. Apud quasdam Ecclesias, ut apud Hispanos, & Græcos alius olim usus obtinuerat, de quo more obiter Baronius hac die in Notationibus, ut patet ex Concilio Toletano x. A. D. 656. celebrato, ubi can. 1. Annunciationis celebritas, *ante octavum diem, qua natus est Dominus*, idest *ad xv. Kalend. Januarii* constituta fuit. Actum fuisse c. A. D. 1000. ab Episcopis Galliarum & Italiæ de transferenda Annuntiationis solemnitate in diem XVIII. Decembris, Hispanorum more, testatur Rudulphus Glaber lib. III. cap. III. At de his jam satis. Qui plura cupit, adeat de Annuntiationis celebritate ejusque mysterio Eminentissimum Lambertinum, nunc BENEDICTUM XIV. PONT. MAX. in libris de festis B. Mariæ Virginis P. II. §. XXIX. & seq., ut Bollandianos hac die p. 534. Thomassinum, Martenium, & alios omittam. De *Christi crucifixione* hac die quoque xxv. *Martii*, ex Tertulliano contra Judæos c. VIII. ex Augustino de civitate Dei lib. XVIII. cap. ult. idem Lambertinus de festis Domini p. I. §. CCCXV. Consule Baronium an. 34. §. CXLVIII. & Pagium in Critica ad an. 32. n. VI. & Bollandianos die xxv. *Martii*, pag. 540. & seq.

Dula martyr colitur hac die in Hieronymianis, Beda, Romano parvo, Adone, ex quo Usuardus, & Notkerus, & Rabanus. Desideratur in Martyrologio Fuldensi, at habetur in Ottoboniano, Augustano, Labbeano, & Reginæ Suecorum. Castellanus in Martyrologii Romani Gallica versione, *Dulam* in *Theodulam* convertit, quem ideo corripit Sollerius in Usuardum hac die. Vide quæ de ea habent Bollandiani die xxv. Martii pag. 554. *Dulæ.*

Cyrinum, seu *Cirinum*, aut *Quirinum*, ut in Martyrologio Romano, *martyrem*, in Tiberim jactatum commemorant hac die Beda, Romanum parvum, Ado, Usuardus, Rabanus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, & Reginæ Suecorum. Ab Adone præter morem declinat Usuardus: ita enim habet: *Romæ, sancti Cyrini martyris, qui a rege Claudio post facultatum amissionem, post* *Cyrini.*

cae-

carceris squalorem, post multorum verberum afflictionem gladio interfectus est. Propius Adoni accedunt Martyrologium Puldense, Ottobonianum, & Reginæ Suecorum. Ex Actis vulgatis S. Valentini prodiit de S. Cyrino narratio. Vide, quæ hac die pag. 543. tradit Henschenius, & quæ ex Actis hinc delibavit Tillemontius tom. IV. pag. 677. Passus fuisse fertur c. A. D. 269.

Irenæi. *Irenæi* Episcopi *Sirmiensis* hac die meminere Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, & Notkerus. Meminit & Martyrologium Fuldense, ubi mendo librarii: *Apud Smirnam*, pro: *Apud Sirmium* legitur. Acta genuina reperta sunt, & a Bollandianis illustrata, ac inter selecta relata a Ruinartio pag. 432. de quibus etiam Tillemontius tom. V. pag. 250. & seq. Vide quæ insuper accurate adnotavit Sollerius in Usuardum hac die. Passus est c. A. D. 304.

Additur in codicibus nostris hac die *S. Er-*
Ermelandi *melandus*, seu *Hermelandus*, & *Hermenlandus* Abbas, de quo genuinus Usuardus iisdem verbis, quæ in nostris codicibus occurrunt. Sollerius cæteris ignotum fuisse Martyrographis censet, & ab Usuardo primum productum. Post Adonem & Usuardum agit hac die Martyrologium Fuldense his verbis: *Et in pago Namneticis insula quæ dicitur antrum, depositio sancti Ermelandi conf.* Meminit & hac die Hagiologium Francogallicum. *Ermelandus* fuit ex discipulis *Lantberti*, Fontanellæ Abbatis, claris parentibus Noviomagi ad Isaram ortus, in aula Chlotarii tertii pocillatorum præfectus, sed inde ad Fontanellense cœnobium convolans, monachicum induit habitum, & ab *Audoeno* Episcopo presbyter consecratus. *Pascarius* Episcopus Namnetensis monachorum coloniam expetens, Lantbertum rogavit, ut probatissimos ex suis monachis mitteret, qui *Ermenaldum* destinavit, aliquot sociis ei attributis. Namnetas ingressi, locum condendo monasterio perquirunt, & *Ermenaldus* navicula conscensa, ad Ligeris insulam divertit, delectaque una ex iis insulis, a fluvii, & oceani fluctibus tuta, eam a loci opacitate *Antrum* appellavit. Hinc natum *Antrense* monasterium. Hæc narrat Mabillonius Annal. Bened. lib. XVI. §. 11. & seq. ad an. 675. Vide quæ de *Hermelando* habent Bollandiani hac die p. 574. qui putant eum obiisse c. A.D. 715. aut 720. Baronius in Notationibus Sigebertum in Chronico citat, qui obitum Ermelandi anno Christi 690. affigit.

Sequitur in nostris codicibus *Ragnobertus* *Ragnoberti.*
Episcopus *Bajocensis*, de quo hac die Auctaria Usuardi. Bollandiani socii agunt de eo die XVI. *Maji* pag. 618. qui monent, scribi solere ejus nomen *Ragnobertum*, *Regnebertum*, *Ragnebertum*, & *Renobertum*. Acta illius, nomine S. Lupi insignita, spuria & conficta esse putant. Interfuisse censent Synodo Remensi sub *Sonnatio* c. A. D. 630. Extant Acta translationis corporis ejus, necnon *Zenonis* diaconi, sæculo IX. ad Ecclesias S. Vidonis & Salvatoris, quæ ediderunt & illustrarunt Bollandiani. Hujus translationis festum, inquiunt Bollandiani, in aliquibus Martyrologiis notatur VIII. *Kalendas Aprilis*. In Gallia Christiana primæ editionis distinguitur in Bajocensibus num. 2. *S. Renobertus*, a *Regnaberto*. Castellanus in Addendis & corrigendis ad Gallicam versionem Martyrologii Romani, monet, in Ecclesia S. Eugeniæ apud Verciacum diœcesis Nivernensis conspici *S. Renoberti* sepulchrum, ubi hæc est superscripta epigraphe: *Hic jacet Regnobertus, Præsul, Bajocensis Episcopus*. Aliam quoque illius nomine nuncupatam Ecclesiam esse Autisiodori, quæ antea *S. Stephani* dicebatur, ubi natalis ejusdem *Renoberti* celebratur die XXI. *Augusti*, ob aliquam ejus translationem scribit.

A. VII. KALENDAS APRILIS. *26. Mart.*

ROMÆ via Lavicana, in cœmeterio ejusdem, natalis sancti Castuli, qui cum esset zætarius palatii, & hospes sancto- *Castuli.*
20. Jan. rum, ut in gestis beati Sebastiani legitur, a persecutoribus arctatus, & tertio appensus, tertioque auditus, in confessione Domini perseverans, missus est in foveam, & demissa est super eum massa arenaria, atque ita cum palma martyrii migravit ad Christum.

Eodem die apud Pentapolim Libyæ, Theodori Episcopi, Irenæi diaconi, Serapionis, & Ammonii Lectorum. *Theodori, & soc.*

Et apud Sirmium, natale sancti Montani presbyteri, qui *Montani.*
cum

cum Maxima uxore ſua tentus, & in fluvium præcipitatus eſt: corpora eorum nono ab urbe lapide inventa & ſepulta ſunt.

Caſtuli. ADNOTATIO. De *Caſtula* martyre agunt hac die fere omnia veterum Latinorum Martyrologia. Hieronymiana habent: *Romæ in eimiteria via. Lavicana, natalis S. Caſtuli*. Apographum Corbejenſe addit: *in cæmeterio ejuſdem*. Romanum parvum: *Romæ, S. Caſtuli, Zetarii palatii*. Gellonenſe, Richenovienſe, Auguſtanum, & Labbeanum: *Romæ, Caſtuli*, tantum; Corbejenſe brevius: *Romæ, in cimeteria ejuſdem, via Lavicana, S. Caſtulæ* (pro *Caſtuli*). Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, via Lavicana, natalis S. Caſtuli*. Puldenſe: *Roma, ſancti Caſtuli presbyteri, cujus mentio & paſſio legitur in paſſione ſancti Sebaſtiani martyris*. Ottobonianum: *Romæ, natalis ſancti Caſtuli*. Kalendarium Vat. 3806., *Romæ, ſancti Caſtuli presbyteri, & Acatii*. Adonem, non tamen ad verbum, ſequitur Uſuardus, inde Rabanus, & Notkerus, apud quem: *Notarius* (pro *Zetarius*) *palatii*, legitur. Baronius in Notationibus hac die, quodnam eſſet *Zetarii* officium diſquirit ex Molano. Zetarius, inquit, locus erat unius lecti capax cum duabus ſellis, qui velis obductis, & reductis, modo adjiciebatur cubiculo, modo auferebatur. At *Zetarius* idem eſt ac *Diætarius*, qua de re Laurentius Pignorius in libro de Servis pag. 236. & Antonius Velſerus in Epiſtola ad Hieronymum Fabrum de *Zeta*, & *Zetaris*. Ex ejuſdem Velſeri ſententia *Zeterius*, ſeu *Zetarius* is erat, cui cœnationis cura commiſſa eſt. Vide Jacobum Gutherium de Officiis domus Auguſtæ lib. III. cap. XXIX. pag. 662. De cœmeterio *S. Caſtuli* inquiſierunt Aringhius lib. IV. cap. XII. & Florentinius in notis hac die pag. 403. Illius ſitum Aringhio & aliis incompertum, detexit v. c. Raphael Fabrettus, uti adnotavit in collectione Inſcriptionum antiquarum p. 556. Erat autem, ubi nunc eſt, vinea Fratrum tertii Ordinis S. Franciſci, ad primum ab Urbe lapidem, via Lavicana, extra portam majorem. In aliquibus Martyrologiis *Caſtulus*, presbyter dicitur, neſcio, an id vere ſit. Præter Acta S. Sebaſtiani, in quibus *Caſtuli* mentio fit, memoratur etiam *Caſtulus* in Actis *S. Caji* Papæ, apud Baronium an. 285. num. XXII. & XXIII. quo anno martyrio coronatus eſſe fertur.

Theodori, & ſoc. *Theodorum* Epiſcopum & ſoc. celebrant hac die Hieronymiana, licet luxatis nominibus. Romanum parvum unum tantum *Theodorum* Epiſcopum apud *Pentapolim Libyæ* memorat. Adonem tranſcribunt Uſuardus, & Notkerus. Richenovienſe habet: *Alibi, Theodori Epiſcopi*. Auguſtanum: *Theodoli*. Labbeanum: *Theodori*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Pentapoli Libiæ, natalis ſancti Theodori Epiſcopi*. De aliis nihil. *Theodori Pentapolitani* Epiſcopi meminit Jo. Damaſcenus in libro de Imaginibus, editionis Lequienii tom. I. pag. 382. *& ſeq.*

Montani, et Maximæ Agunt de *Montano*, & *Maxima* uxore ejus, hac die Hieronymiana, & Beda genuinus, qui habet: *In Sirmia, Montani presbyteri, Maximæ uxoris ejus, & aliorum* XI. Romanum parvum ſilet. Agunt præterea Ado, Uſuardus, Rabanus, Notkerus, & Wandelbertus. Martyrologium Ottobonianum ita præfert. *In Syrmis, natalis ſancti Monanti* (pro *Montani*) *presbyteri*. De *Maxima* ſilet. Item Richenovienſe unius *Montani presbyteri* meminit. Auguſtanum vero & Labbeanum *Moniotni, & Monati martyris*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Syrmia, Montani presbyteri, & Maximæ uxoris ejus*.

27. Mart. B. VI. KALENDAS APRILIS.

Joannis Eremitæ. APUD Ægyptum, beati Joannis Eremitæ, admirandæ ſanctitatis viri, qui etiam prophetico ſpiritu plenus, Theodoſio Imperatori Chriſtianiſſimo, victorias de tyrannis maximas prædixit.

Traſeæ Epiſc. & mart. VARIA LECTIO. In codicibus 512. 514. & in Sangermanen. poſt verbum extremo loco *prædixit*, additur: *Apud Smyrnam, beati Traſeæ Epiſcopi & martyris, cujus meminit quintus liber Eccleſiaſticus*.

Jo: Erem. ADNOTATIO. Veterum teſtimonia Patrum, ac cæterorum, qui *Jo: Eremitam* laudibus extulerunt, collegit Baronius in Notationibus hac die; deinde fuſe una cum ejus Actis protulerunt Bollandiani ad hanc diem pag. 692. *& ſeq.* ac Tillemontius tom. X. pag. 9.

pag. 9. Nihil de eo habent apographa Hieronymiana, Beda, Florus, Rabanus, & Wandelbertus. Agunt autem Romanum parvum, Ado, Usuardus, Notkerus, & Martyrologium Fuldense. Vide de legatione a *Theodosio* Joanni missam, ut de belli eventu adversus Eugenium inquireret, Baronium ad an. 393. numer. xxxv. *& seq.*

Thrasea. Hæc eadem verba, quæ codices nostri de *Thrasea* habent, leguntur in Auctario Antuerpiensi Usuardi apud Sollerium hac die. Vulgatus Ado agit de *Thrasea* Episcopo, apud Smyrnam passo, ad diem v. *Octobris*, qua die agunt de eo quoque codices nostri, sed aliis verbis. Ea quoque die agit Usuardus genuinus, Romanum parvum, & alii. Mentio de illo est apud Eusebium Rufini lib. v. c. xviii. in fine ex Apollonii libris adversus Montanistas. Martyrium subiit, Antoninis imperantibus. Cætera de *Thrasea* die v. *Octobris* dabimus.

C. V. KALENDAS APRILIS. 28. *Mart.*

APUD Cæsaream Palæstinæ, sanctorum martyrum Prisci, Malchi, & Alexandri: qui persecutione Valeriani, cum suburbanum agellum supradictæ urbis habitarent, atque in ea cælestis martyrii proponerentur coronæ: divino fidei calore succensi, ultro Judicem adeuntes, cur tantum in sanguinem piorum desæviret, objurgant. Quos ille continuo, pro Christi nomine, bestiis tradidit devorandos. *Prisci & soc.*

Et apud urbem Cabilonensium, depositio Gunthranni Regis Francorum, viri religiosi, qui ita se spiritualibus actionibus mancipavit, ut relictis sæculi pompis, thesauros suos ecclesiis & pauperibus erogaret. *Gunthranni regis.*

Pontifical. cap. 45. Est Sixtus III. Item Sixti Papæ, qui Romæ sedit annos octo. Hic criminatorem suum, Bassum nomine, nutu divino mortuum, manibus suis cum linteaminibus & aromatibus tractans, sepelivit apud beatum Petrum. *Sixti Pap.*

VARIA LECTIO. Ed. *depositio Gunthranni regis &c.* Codices 512. & 514. *Guntramni regis, qui ita se spiritualibus &c.* In codicibus 512. & 514. & in Sangermanen. deest natalis *S. Sixti* Papæ.

Prisci & soc. ADNOTATIO. Ex Romano parvo, si Sollerium audimus, sumptum est elogium *Prisci* & sociorum martyrum, cujus fons est Eusebius Rufini lib. vii. cap. xi. Romanum parvum ita habet: *Apud Cæsaream Palæstinæ, martyrum Prisci, Malchi, & Alexandri, qui persecutione Valeriani bestiis traditi sunt.* Ado eorum agones aliquantu amplificavit, Usuardus vero brevius contraxit, & Notkerus pene ad verbum est Adonem imitatus. Meminere de his hac die Wandelbertus, & Martyrologium Fuldense. Hieronymiana, & alia Martyrologia silent. Eusebii locum inter Acta selecta protulit Ruinartius pag. 252. quem Gallice reddidit Tillemontius tom. iv. pag. 17. Eusebii locum quoque ante hos retulit Baronius an. 260. n. xxxi.

Guntramni regis. Obitum & celebritatem *Guntramni* regis, & quidem apud Cabilonensem urbem, in hunc diem conferunt fere omnia Latinorum Martyrologia. Sollerius in ea sententia est, ut primus inter Martyrolographos Ado tabulis Ecclesiasticis, seu Martyrologiis *Guntramnum* accensuerit; nam adjectitium esse existimat, una cum Florentinin, illius nomen in apographis Hieronymianis. Post Adonem sequitur Usuardus, Notkerus, Rhinnaviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. Obitus *Guntramni* regis figitur

S

tur ad annum 593. die xxviii. *Martii*, nulla virili relicta prole: & Burgundiæ regnum moriens Childeberto Austrasiorum regi resignavit. Ejus virtutes & laudes paucis describit ex Gregorio Turonensi Mabillonius Annal. Bened. lib. viii. §. xxxviii. ubi disquirit, an monachus fuerit, & an monomachiæ apud Francos auctor. Fuse de ejus elogiis Henschenius in Commentario prævio hac die, & Pagius in Critica ad an. 598. n. vii. & viii. ubi an. 593. obiisse contendit, ut & Cointius in Annalibus Eccl. Francorum ad an. 593. n. iv.

Sixti Papæ. *Sixtus* Romanus Pontifex, qui in vulgato Adone legitur, deest Adoni genuino; quapropter obstupescens Sollerius, cur ab Usuardo prætermissus sit, quum tam clare in Adone adnotetur, sibi persuadere non potest, & Ædipo opus esse, pronunciat. Nullo Ædipo opus fuisse crediderim, cum quis vidisset, in tribus Adonianis codicibus probæ vetustatis *Sixti* hujus nominis iii. Papæ elogium deesse. Cæterum deerat in Romana quoque Martyrologii Romani editione anni 1583, in cujus exemplari, quo usus est Baronius ad novam Romanam editionem an. 1584. hæc ad oram, ipsius Baronii manu addita sunt: *Romæ S. Sixti Pontificis, qui successit S. Celestino. Ex Beda.* Hæc tamen verba in editionem anni 1584. inlata non sunt; nam ita fuere exarata: *Romæ, S. Sixti Tertii Papæ & confessoris.* Obiit *Sixtus* iii. A. D. 440. die xxviii. *Martii*, ut censet Baronius ad an. 440. n. iI. Verum die xi. *Augusti* decessisse, contendit Pagius in Critica ad an. 440. n. iI. Vide Bollandianos hac die pag. 714. & *seq.*

29. *Mar.* *D. IV. KALENDAS APRILIS.*

Eustasii. DEPOSITIO Abbatis Eustasii, discipuli sancti Columbani, qui pater ferme sexcentorum extitit monachorum; & vitæ sanctitate conspicuus, etiam miraculis claruit.

Armogastis & sociorum. Eodem die apud Africam, sanctorum confessorum Armogastis, Archinimi, & Satyri: qui apud Africam tempore Wandalicæ persecutionis, sub Geiserico Rege Ariano, cum essent lucidissima membra Ecclesiæ Christi, & pravitatem Arianorum libertate Catholica frequenter arguerent, pro confessione veritatis, multa & gravia perpessi supplicia atque opprobria, cursum gloriosi certaminis impleverunt. *Victor Afric. sub finem lib. I.*

VARIA LECTIO. Cod. 512. 514. ita incipiunt: *Depositio beati Eustasii Luxoviensis Abbatis, discipuli &c.*

Eustasii. ADNOTATIO. *Eustasii* Abbatis Luxoviensis elogium erasum fuit hac die ex codice Usuardi Pratensi, & in diem *secundam Aprilis* delatum. Habetur autem hac die xxix. *Martii* in Usuardo Sollerii, cujus lectionem, ut genuinam, tuetur Sollerius. Contra vero Bovvillartius in observatione ad Usuardum Pratensem fatetur quidem erasum e codice esse *Eustasium*, sed jure ab ipso Usuardo in diem ii. *Aprilis* translatum. De *Eustasio* nemo ante Adonem locutus ex Martyrographis est, ut nos monet Sollerius. Adonem verbatim secutus est Usuardus, & fere ad verbum Notkerus. Meminere item de eo hac die Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, & Hagiologium Francogallicum. Obiit *Eustasius* in monasterio Luxoviensi c. A. D. 625. die xxix. *Martii*, qua de re Mabillonius Annal. Bened. lib. xi. §. xlvi. & xlvii. & Bollandiani hac die pag. 784.

Armogastis & soc. Horum martyrum elogium sumptum est ex Victore Vitensi de persecutione Vandalica lib. I. & passi sunt sub Genserico rege. Victoris locum vide apud Baronium ad an. 456. n. xxii. & *seq.* ubi *Archimimum*, & *Masculam* legit. In Adnotationibus autem manu ipsius exaratis ad oram Martyrologii Romani editionis Romanæ an. 1583. in Bibliotheca Casanatensi habetur: *Archinimi, Masculani. Ita ex vera & magis probata lectione.* In Martyrologio Romano ita retentum est: *Armogastis Comitis, Mascula, Archimimi, & Saturi.* Ado & Usuardus habent nomina *Armogastis*, seu *Armogasti*, *Archinimi*, & *Satyri*. Consule Ruinartium, apud quem in editione Victoris Vitensis lib. I. §. xiv. & *seq.* legitur *Ar-*

Armogastes, *Archlaimas*, *& Saturas*. Idem in notis pag. 162. animadvertit, *Armogasten*, non fuisse Comitem, neque *Archinimum*, nomine *Masculam*, nam *Muscula* fuit urbs in Numidia celebris, quare mendosum esse in his nominibus hac die Romanum Martyrologium. Romanum parvum ita præfert: *Apud Africam, confessorum Armogastis, Archinimi, & Satyri, tempore Wandalicæ persecutionis*. Adonem sequuntur fere ad verbum Usuardus, & Notkerus. Hieronymiana, Beda, & alii silent. Vide Bollandianos hàc die pag. 782.

E. III. KALENDAS APRILIS. 30. Mar.

De eo in gestis Alexandri Papæ. 3. Maii. ROMÆ, natale sancti Quirini Tribuni & martyris, sub Trajano Imperatore: qui cum ex præcepto ejus beatum Alexandrum Papam, & Hermen præfectum in vincula conjecisset, haberetque filiam cujus collum struma circumdederat, auditis exhortationibus beati Hermæ de fide Christi, & visis signis, quæ Deus in martyribus suis Alexandro & Herme operabatur, ipsam eamdem filiam suam obtulit ad sanandum. Cui dixit B. Alexander: Tolle bojam de collo meo, & impone ei. Quod cum obedienter pater ejus exequeretur, divino nutu subito sanata est. Vocabatur autem ipsa Balbina. Atque ita Pater ejus Quirinus & ipsa, cum universis qui in custodia tenebantur, omnique domo sua, baptizatus est. Quod ut nuntiavit Commentariensis Aureliano judici, iratus jussit adduci Quirinum ad se, & dixit ei: Ego te quasi filium dilexi; tu autem irrisisti me, deceptus ab Alexandro. Dixit ei Quirinus: Ego Christianus sum factus: vis occidere, vis fustigare, vis incendere? aliud non ero. Nam omnes qui erant in carcere, feci fieri Christianos, & dimisi eos, sed noluerunt usquam ire. Iratus Aurelianus, fecit ei linguam abscindi, deinde in equuleo suspendi. Qui dum Aureliani non cederet injuriis, jussit ei manus & pedes abscindi, & sic eum decollari, & canibus projici: sed Christiani corpus ejus raptum, in via Appia sepelierunt, in cœmeterio Prætextati. *Quirini.*

VARIA LECTIO. In codicibus 512. 514. & in Sangermanensi post verbum extremum *Prætextati*, additum est: *Apud urbem Silvanectensium, depositio sancti Reguli, Episcopi & confessoris primi civitatis ipsius*. Vid. infra ad diem XXIII. Aprilis. *Reguli.*

ADNOTATIO. Ex vulgatis Actis *S. Alexandri* Papæ præ nimia vetustate mendosis, ut inquit Baronius ad an. 132. n. II., *S. Quirini* martyris elogium sumptum est: in summam illud redegit Usuardus, ac pro *Trajano Imperatore*, *Aureliano Imperatore* scripsit, quod a temporibus *Alexandri* Papæ multum abest. Adonem hac die secutus est Notkerus; Martyrologium Fuldense: *sub Trajano Imperatore* præfert. Romanum parvum habet hac die: *Romæ, Quirini tribuni & martyris, patris sanctæ Balbinæ*. *Quirini martyris* meminit hac die Kalendarium Palat. Vat. 39. Cætera alia Martyrologia, si demas vulgatum Bedam, *Quirini.*

dam, seu Florum, silent. Quando igitur martyrio affectus sit *Quirinus*, non est adeo exploratum. Baronius, ubi supra, *Quirinum*, & *Balbinam* martyrio coronatos putat, eodem fere tempore, quo *Alexander* Papa martyr effectus est, quod ei annus Christi 132. videtur. Pagius vero in Critica ad an. 132. n. 1. martyrium *Alexandri* ab anno Christi 116. amoveri non posse censet. Petrus Coustantius in Epist. Romanorum Pontificum pag. 53. usque ad *annum tertium* imperii Hadriani vixisse *Alexandrum* opinatur, & martyrium fecisse A. D. 119. die tertia Maii. In Martyrologio Romano *Quirini* elogium hac die exaratum fuit iisdem pene verbis, ac apud Usuardum, sed pro *Aureliano Imperatore*, scriptum est *Hadriano Imperatore*. Vide quæ præterea de *Quirino* habent hac die Bollandiani socii p. 811. In veteri notitia Ecclesiarum extra Urbem, ab Eccardo edita, apud Ecclesiam *S. Sebastiani*, via Appia, *Cyrinus martyr* sepultus esse dicitur.

Reguli. Additur in codicibus nostris hac die *S. Regulus*, vulgo *Rieul*, Episcopus *Silvanectensis*, vernacule *Senlis*, sub Remensi metropoli, qui quum expunctus fuerit ab ipso Usuardo, ut censet Bovvillartius, ex autographo Pratensi, & in diem XXIII. *Aprilis* delatus, recte id factum esse contendit idem Bovvillartius adversus Sollerium, quia Ecclesia Silvanectensis die XXIII. *Aprilis* depositionem Reguli colit. Sollerius vero totis viribus pugnat pro suis Usuardinis codicibus, in quibus extremo loco, ita hac die XXX. *Martii* legitur: *Apud Castrum Silvanectensium, depositio sancti Reguli Episcopi & confessoris*. In Usuardo vero Pratensi extremo loco die XXIII. Aprilis habetur: *Castro Silvanectis, S. Reguli Episcopi & confessoris*. In Carolino autographo, inquit Bovvillartius ad hunc locum, scriptum erat ut apud Usuardum Sollerii, sed Usuardus ipse comperiens, Acta *Reguli* esse fabulosa, consuluit Ecclesiam Silvanectensem, quæ tum *depositionem* Reguli die XXIII. Aprilis, translationem vero die XXX. *Martii* venerabatur. Quocirca delevit Usuardus elogium, quod die XXX. *Martii* exaraverat, & die XXIII. Aprilis nomen tantummodo *Reguli Episcopi & confessoris* enunciavit. Ita Bovvillartius. Sollerius autem in codicem Pratensem acrius fertur, deletumque esse ex eo, die XXX. *Martii*, *Reguli* elogium, testibus Sirmondo, & Castellano, objicit. Cujus criminationes diluere conatur Bovvillartius. Ut ut sit, de *Regulo*, præter nostros codices, die XXX. *Martii* agunt Martyrologium Fuldense, Hagiologium Francogallicum, & Kalendarium Vat. 3806. Martyrologium Fuldense ita habet: *Silvanectis civitate, natale sancti Reguli Episcopi, qui ibidem primus verbum Dei prædicavit*. Consonat Hagiologium Francogallicum. Kalendarium Vat. 3806. *Silvanectis, sancti Reguli Episcopi & confessoris*. Si ergo Martyrologiorum plurium auctoritati adhæremus, natalis S. Reguli in hunc diem conferendus videtur. At Sacramentarium Ottobonianum 327. olim Reginæ Suecorum num. 1275. vetustissimum, & forte sæculo IX. ineunte scriptum, ad diem XXIII. Aprilis in titulo hujus diei ita præfert: *Natale S. Georgii martyris. Et sancti Reguli Episcopi*. Orationes tamen ad Missam sunt de Sancto Georgio tantum. Mentio tamen *S. Reguli* ea die, illius quandam celebritatem antiquitus recoli solitam designat. In codice Adonis Sangermanensi ad diem XXIII. *Aprilis*, aliena manu, licet fere æquali, ad oram inferiorem membranæ *Reguli* elogium exaratum est, quod vide inferius in varia lectione diei XXIII. *Aprilis*. Hujusmodi autem elogium deest in codicibus 512. 514. Idem prorsus elogium legitur in uno ex Usuardi auctariis a Sollerio collectis, ad diem XXIII. Aprilis. Martyrologii Romani emendatoribus, ita tantum concinnare die XXX. Martii placuit: *In Castro Silvanectensi depositio sancti Reguli Arelatensis Episcopi*. Bollandiani socii hac die pag. 816. duos *Regulos* distinguere satagunt, alterum *Arelatensem*, alterum *Silvanectensem* Episcopum. Acta *Reguli*, uti fabulosa, aut valde dubia rejicit Tillemontius tom. IV. variis in locis.

31. Mar. F. PRIDIE KALENDAS APRILIS.

Balbinæ. ROMÆ, natale sanctæ Balbinæ, filiæ Quirini martyris. Qui beatus martyr tollens bojam de collo Alexandri Papæ secundum jussionem ejus, cum pergeret ut collo filiæ suæ strumam habentis imponeret, ecce subito puer cum facula apparuit; quem constat Angelum Dei fuisse, & venit ad puellam, dicens: Salva esto, & in virginitate tua permane, & ego te faciam videre sponsum tuum, qui pro amore tuo sanguinem suum fudit. Perveniens igitur pater ut perficeret, quod de boja ei

ja ei jussum fuerat, videt subito filiam suam sanam, quæ postmodum a sancto Alexandro baptizata est, & instructa in virginitate, plena operibus bonis permansit. Cui sæpe osculanti bojam ipsam B. Alexandri dixit sanctus Alexander: desine hanc bojam osculari, sed potius require domini mei Petri vincula, & ea osculare. Tunc dedit operam, & summo studio post desiderium magnum pervenit ad illa, tradiditque sanctæ Theodoræ religiosissimæ feminæ, sorori S. Hermetis præfecti & martyris. Ipsa vero virgo Balbina post devictum sæculi hujus cursum, sepelitur juxta patrem suum martyrem Quirinum, via Appia, in cœmeterio Prætextati, II. Kal. Aprilis.

Amos. VARIA LECTIO. Ed. *secundum jussionem*. Cod. Sangermanen. *secundum visionem*. Post extremum verbum *Kal. Aprilis*, sequitur in codicibus 512. & 514. & in Sangermanensi: *Eodem die, natalis Amos prophetæ, quem Ozias rex Israel, vecte per tempora transfixo, necavit, ac postea, semivivus patriam devectus, ibique sepultus est.*

Balbinæ. ADNOTATIO. De *S. Balbina* martyre, ejusque martyrio idem judicium, inquit Sollerius ad Usuardum hac die, quod de S. Alexandri Actis, ac de martyrio *S. Quirini* ferendum est. Ado ejus nomen sumpsit, ut ibidem monet Sollerius, a Romano parvo, & gesta amplificavit, quæ aliquantulum contraxit Notkerus, Usuardus vero brevissimo elogio complexus est. Romanum parvum habet: *Romæ, S. Balbinæ virginis, sepultæ in cœmeterio Prætextati juxta patrem Quirinum.* Martyrologium Fuldense: *Romæ, natalis sanctæ Balbinæ virginis, quæ fuit filia Quirini martyris*. Meminit hac die *Balbinæ virginis* Kalendarium Palat. Vatic. 39. & 499. *Boja* ex Cangio est *compes*, seu *torques* vinctorum, de qua voce S. Hieronymus in Hieremiam c. XXVII. lib. v. De ea fuse Cangius in Glossario hoc verbo. At Jo: Brodæus Miscellan. lib. II. cap. X. *bojæ*, inquit, sunt lora e bubulo corio confecta: nonnullis lignea ac ferrea vincula, torquesque damnatorum dicuntur. Aliter sentit Scaliger in Festum, verbo *Boja*, qui censet, *Bojam* proprie, *collare* esse, quia sæpe in Actis martyrum legitur: *Tolle bojam de collo meo*. De *Balbina*, ejusque cultu vide Bollandianos hac die pag. 900. *& seq.* Antiquissima porro in Urbe est Ecclesia, seu titulus *S. Balbinæ* apud Aventinum montem, sacra statione Feria III. post Dominicam secundam Quadragesimæ insignita, at habent ea die Capitularia veterrima Evangeliorum. *S. Balbinæ titulus* memoratur a vulgato Anastasio in Vita *Leonis* III., ac item ejusdem *basilica in Gregorio* IV. & in *Benedicto* III. De *Balbinæ* cœmeterio *via Ardeatina*, ubi sepultus est *S. Marcus* Papa, idem auctor libri Pontificalis in Marco. Ibi Basilica in ejus honorem extructa fuisse dicitur. Vide de *Balbinæ* cœmeterio Aringhium Romæ subterraneæ lib. III. c. XVII. *Titulo* presbyteri Cardinalis adhuc insignita est Ecclesia S. Balbinæ intra Urbem. Tres *S. Balbinæ* presbyteri, nimirum *Petrus*, *Placitus*, & *Antonius* Synodo Romanæ an. 595. subscripserunt. Vide S. Gregorii regestum lib. IV. epist. XLV.

Adjectus est vulgato Adoni in codicibus nostris *Amos* propheta iisdem prorsus verbis, quibus hac die primo loco utitur genuinus Usuardus. A nullo alio ex antiquioribus Martyrologiis memorari hac die hunc prophetam, testatur Sollerius in Usuardum. Num vero ex Adone sumpserit Usuardus, aliorum erit sententiam ferre. Vide quæ de *Amos* collegere Bollandiani hac die pag. 899. quæque hoc verbo profert Calmetus in Dictionario Biblico. *Amos.*

LITANIÆ

LITANIÆ INDICENDÆ.

MENSIS APRILIS

Habet dies xxx. Luna xxix.

1. Apr. — *D. KALENDIS APRILIS.*

Theodoræ.



OMÆ, beatiſſimæ Theodoræ, ſororis illuſtriſſimi martyris Hermetis, quam beatus Alexander Papa & martyr inſtruxit, baptizavit, atque in fide Chriſti docuit. Quæ ſub Aureliano Imperatore martyrizavit. Sepulta juxta fratrem ſuum martyrem via Salaria, non longe ab urbe Roma. *De ea in geſtis Alexand. Pap. 3. Maji.*

Venantii. Eodem die S. Venantii Epiſcopi & martyris.

Walerici. Et in pago Wimnoenſi, ſancti Walerici confeſſoris, cujus ſepulchrum crebris miraculis illuſtratur.

VARIA LECTIO. Ed. *martyrizavit*. Cod. Sangermanenſis: *martyriſata eſt.* Poſt verba: *non longe ab urbe Roma*, ſequitur in codicibus 512. & 514. & in Sangermanenſi:

Agapis & Chioniæ. „ In Teſalonica (ſic) natalis ſanctarum virginum Agapis, & Chyoniæ, ſub Diocle-
„ tiano, quæ primo macerata eſt; poſt in ignem miſſæ ſunt, ſed intactæ a flammis,
„ poſt orationem fuſam ad Dominum, animas reddiderunt. In Sardinia, beati Meri-
Meritonis. „ tonis Epiſcopi, cujus actus inter homines celeberrimi extiterunt.

De *Agape* & *Chionia* vulgatus Ado ad III. Non. Aprilis. Deſiderantur in codicibus noſtris *Venantius* & *Walericus*.

Theodoræ. ADNOTATIO. *S. Theodoræ* elogium ab Adone ex corruptis nimium, & depravatis Actis *S. Alexandri* Papæ ſumptum eſt. Quid autem hic eſt, ut *ſub Aureliano Imperatore* paſſa ſit *Theodora*, ſi a *S. Alexandro* Papa baptizata eſt? *Alexander* Papa martyr obiit A. D. 119. & *Aurelianus*, Imperator renunciatus eſt A.D. 270. Qui fieri poteſt, ut *Theodora* tamdiu vitam protraxerit? Romanum quoque parvum hoc mendum exhibet, dum hac die its habet: *Romæ, Theodoræ ſororis martyris Hermetis, quæ ſub Aureliano martyrizavit: ſepulta via Salaria.* Eadem veſtigia premit Uſuardus. Meminit de ea hac die Martyrologium Fuldenſe, cætera alia vetuſta Hagiologia ſilent.

Venantii. *Venantius* Epiſcopus & martyr deſideratur in codicibus noſtris. Habetur in genuino Uſuardo. Adonianus pure videtur Sollerio, quod, an verum ſit, non diſputo. Cujus ſedis Epiſcopus fuerit, quove tempore martyr obierit *Venantius*, nuſquam apparet, ut docent Bollandiani hac die pag. 6. Forte, ut iidem conjiciunt, eſt *S. Venantius* Epiſcopus apud Dalmatas, cujus reliquias una cum aliis martyribus Dalmatis Romam c. A. D. 641. transferendas curavit Johannes Papa IV. in quorum honorem oratorium prope Lateranum conſtruxit, & abſidam muſivo opere ornavit, additis eorundem martyrum muſivis imaginibus, inter quæ conſpicitur *S. Venantius* Epiſcopali indumento ornatus. Inchoatum opus perfecit Theodorus Papa. Vide Baronium ad an. 641. num. III., & in Notationibus hac die. Huc autem facit, ad *Venantium* natione Dalmatam quod attinet, Kalendarium Palat. Vat. 485. in quo *Kalendis Aprilis* legitur: *Natalis ſanctorum Venantii & Anaſtaſii.* Inter martyres ex Dalmatia Romam a *Johanne* Papa translatos, eſt etiam *S. Anaſtaſius*, cujus imago muſivi item operis in memorata abſide cernitur, clericali indumento ſuperius ex auro, interius ex argento affabre ornata.

Walerici. *Walericus* demum in codicibus noſtris deeſt,

prout

prout & apud genuinum Usuardum, a quo rejectus est in diem XII. Decembris. Id quoque factum est a codicibus nostris. Quare ea die nos de eo agemus. Notkerus tantummodo de *Walerico* agit hac die *prima Aprilis*.

Agapis & Chioniæ. Codices nostri celebrant hac die *Agapem*, & *Chioniam*, vulgatus vero Ado die III. *Aprilis*: quo jure, videbimus ad eam diem.

Meritonis seu Melitonis. *Meriton in Sardinia* Episcopus, utrimque corrupte, ut puto librariorum vitio; forte est *Meliton* Episcopus *Sardensis* in Lydia. Ea de re Bollandiani socii die prima *Aprilis* pag. 10. Silet genuinus Usuardus. Sed agit Auctarium Centulense, iisdem omnino verbis, quæ in codicibus nostris leguntur. In aliis Auctariis ibidem legitur *Melitonis*, & *Militonis*. Apud recentiores viros eruditos est *Meliton*, *Sardis* in Lydia Episcopus, de quo Eusebius lib. IV. cap. XIV. Bellarminus in Catalogo de Scriptoribus Ecclesiasticis, eum *Sanctum* appellat; deinde Halloixius in Vitis Patrum Orientalium tom. II. pag. 835. nixus Maurolyci Martyrologio, siquidem in Martyrologio Romano desideratur. His succedunt Bollandiani socii hac die, quos sequitur Tillemontius tom. II. pag. 407. Demum Castellanus plura adversus Sardiniæ municipes, qui *Meritonem*, seu *Melitonem* sibi vendicant, disputat in supplemento ad Æmeræos pag. 924. atque Bonfantium in triumpho Sanctorum Sardiniæ refellit, qui *S. Melitonem*, Calaritanum natu censet, a *S. Bonifacio* Episcopo Calaritano, *Sulcos* Sardiniæ urbem, nunc dirutam, missum. Similitudine nominis, nimirum a *Sardis*, urbe Lydiæ, cum *Sardinia* insula, errandi causam fuisse existimat. Martyris titulo non esse ornandum *Melitonem* conjicit Tillemontius ex Polycarpi silentio. Tillemontium exscribit Bailletus, ut notat Castellanus.

A. IV. NONAS APRILIS. 2. *Apr.*

NATALIS S. Nicetii, Lugdunensis Episcopi, cujus & vita miraculis claruit, & pretiosa mors nihilominus miraculis commendatur. *Nicetii.*

Euseb. l. 8. cap. 17. Et apud Cæsaream Cappadociæ, passio sanctæ Theodosiæ virginis: quæ tempore Diocletiani, cum esset annorum octodecim, ultro se sanctis confessoribus in custodia socians, tenta ab Urbano præfecto, & in equuleo cruciata: deinde ferro onusta, & in carcerem trusa: ibi virtute Dei, omnia vincula ejus disrupta sunt. Post hæc saxo alligata, in mare mersa est: sed mox littoribus incolumis reddita, bestiis in amphitheatro projecta, & ab his intacta, martyrium capitis abscissione digne complevit. *Theodosiæ.*

VARIA LECTIO. Post verbum: *commendatur*, sequitur in codice 512. & in Sangermanensi: „ Apud Palæstinam, depositio beatæ Mariæ Ægyptiacæ, „ quæ peccatrix appellatur: cujus actus valde mirabiles, & omni laude digni inve„ niuntur, & aliorum sanctorum plurimorum martyrum, confessorum, atque virginum. Cod. 514. habet tantum: *Ipsa die, natalis sanctæ Mariæ*, cætera desunt; sed agit de ea III. Non. April. In Appendicem rejecta est a Rosvveido *die* IX. *Aprilis*. *Mariæ Ægyp.*

De *Theodosia* agit hac die codex 514. ut in editis. Codex 512. agit III. *Nonas*.

Nicetii. ADNOTATIO. *Nicetius Antistes Lugdunensis* memoratur hac die a Hieronymianis, & principe loco ab Adone, & deinde secundo loco ab Usuardo, eodem quo apud Adonem elogio, a Notkero, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Richenoviensi, Augustano, Reginæ Suecorum, Floro, & Hagiologio Francogallico. Ejus res gestas partim in Historia Francorum describit Gregorius Turonensis, ex quo Bollandiani socii hac die pag. 95.

Omnia fere Latinorum Martyrologia de *S. Theodosia* agunt; sed eorum aliqua III. *Nonas*, aliqua IV. *Nonas Apr.*, neque in omnibus *Theodosiæ.*

per-

perſpicitur, utrum in *Cæſarea* Palæſtinæ, an *Cappadociæ* paſſa ſit. Apographa Hieronymianu apud Florentinium agunt III. *Nonas*, his verbis: *In Cæſarea Paleſtinæ, natalis ſanctæ Theodoſiæ virginis*. Romanum parvum ad IV. *Nonas* habet: *Apud Cæſaream Cappadociæ, ſanctæ Theodoſiæ virginis*. Gellonenſe ad III. *Nonas* meminit *Theodoſiæ virginis*, nihil de loco martyrii proferens. Martyrologium Reginæ Suecorum ad III. *Nonas* ita præfatur: *In Cæſarea Paleſtinæ, ſanctæ Theodoſiæ virginis*. Kalendarium Vatic. 3806. eadem die: *In Cæſarea Paleſtinæ, paſſio ſanctæ Theodoſiæ virginis*. Martyrologium Ottobonianum eadem die: *In Cæſarea, Theodoſiæ virginis*, Fuldenſe eadem die: *In Cæſarea Paleſtinæ, paſſio ſanctæ Theodoſiæ virginis*. Cætera proſequitur ex Adone. Richenovienſe ad III. Nonas: *In Cæſarea Paleſtinæ, Theodiſiæ virginis*. Auguſtanum, & Labbeanum ad III. Nonas: *Theodoſiæ virginis*, tantum. Corbejenſe brevius eadem die: *In Cæſaria Paleſtinæ, natalis ſanctæ Theodoſiæ virginis*. Eadem quoque die meminit Wandelbertus. Adoniani codices, ad diem quod attinet, non omnes inter ſe conveniunt, nam partim agunt ad III. partim ad IV. *Nonas*. Ad locum martyrii quod ſpectat, habent: *Apud Cæſaream Cappadociæ*. Adonem breviter complectitur Uſuardus, qui agit IV. *Nonas*, ut & Notkerus, qui fuſior in elogio eſt, ut apud Adonem. Rabanus vero agit ad III. *Nonas*, longam quoque Theodoſiæ prætexens hiſtoriam. Euſebius lib. VIII. cap. XVII. fons eſt, ex quo Martyrolographi acceperunt. Errata Martyrologiorum, in quibus *Cæſarea Cappadociæ*, pro *Palæſtinæ* habetur, emendat Baronius in Notationibus hac die *ſecunda Aprilis*. De illius item martyrio, ad annum Chriſti 306. num. I. agit. Sed Pagius in Critica ad eum annum num. III., anno Chriſti 307. contigiſſe exiſtimat. Fertur paſſa eſſe *die Paſchatis*, quæ anno 306. fuit die *ſecunda Aprilis*, & an. 307. die VI. *Aprilis*. Hæc expendunt Florentinius in Notationibus, Henſchenius in Actis hac die pag. 61. & Tillemontius tom. V. pag. 85. Acta Latina & Græca proferunt hac die Bollandiani ſocii pag. 61.

Maria Ægyp. Uſuardo ſoli inter Martyrographos tribuendam eſſe *Mariam Ægyptiacam* cenſet Sollerius in Uſuardum hac die; nam quæ apud vulgatum Adonem Moſandri die IX. *Apr.* colitur, recte a Roſweido rejectam eſſe ſentit. Videant alii, num ex codicibus Adonianis potius, quam de ſuo poſuerit *Mariæ Ægyptiacæ* elogium Uſuardus, licet ſiluerit Notkerus, fidus alioquin Adonis aſſecla. Meminit hac die extremo loco Martyrologium Ottobonianum his verbis: *Et ſancta Mariæ Ægyptiæ*. Cætera alia ſilent. Græci in Menologio agunt pridie hujus diei. Acta ejus a Sophronio Patriarcha Hieroſolymitano ſcripta eſſe feruntur, Latine verſa a Paulo Diacono Neapolitano, quæ Græce habentur apud Bollandianos ad calcem tom. I. Aprilis pag. XIII. Sophronii tamen eſſe negat Papebrochius tom. I. Aprilis pag. 69. Sophronii nomine circumferuntur in Bibliotheca Cæſarea apud Lambecium lib. VIII. pagin. 231. Bibliothecæ Cæſareæ. Citantur a Jo. Damaſceno de Imaginibus Orat. III. pag. 388. Simeoni Metaphraſtæ etiam tribuuntur, ſed Allatius de Simeonum ſcriptis, Sophronium Hieroſolymitanum Actorum illorum, ſeu Vitæ auctorem facit. Vitam Mariæ Ægyptiacæ, quæ Metaphraſtæ nomen præferebat, fuit apud Roſweidum. De ea Baronius in Notationibus, & ad an. 525. num. XXII. & ſeq. quo tempore eam obiiſſe ſcribit. Sed illius obitus magnis eſt involutus tenebris, ut cum Papebrochio oſtendit Pagius in Critica ad an. 525. n. IX. & ſeq. Potius mortua eſt circiter annum Chriſti quingenteſimum.

---

3. *Apr.* B. *III. NONAS APRILIS.*

Agapis & Chioniæ. THESSALONICÆ, natalis SS. virginum Agapis & Chioniæ, ſub Diocletiano: quæ primo in carcere maceratæ, poſt in ignem miſſæ ſunt, ſed intactæ a flammis, poſt orationem ad Dominum fuſam, animas reddiderunt.

Evagrii & Benigni. Apud Scythiam, civitate Tomis, natalis SS. Evagrii & Benigni.

Pancratii. Apud Tauromenium Siciliæ, S. Pancratii.

Theodoſiæ. VARIA LECTIO. De *Agape* & *Chionia* codices noſtri agunt *Kal. Apr.* Codex 512. & Sangermanenſis hac die agunt de ſancta *Theodoſia*, his verbis: „ Cæſarea Cappadociæ, paſſio ſanctæ Theodoſiæ virginis: quæ tempore Diocletiani „ cum

„ cum esset annorum XVIII. ultro se sanctis confessoribus in custodia socians, tenta „ ab Urbano præfecto, & in eculeo cruciata, deinde ferro onusta, & in carcerem „ trusa, ibique virtute Domini omnia vincula ejus disrupta sunt. Post hæc saxo al- „ ligata immersa est. Sed mox litori incolumis reddita, bestiis in amphitheatro pro- „ jecta, martyrium capitis abscissione complevit. Cod. 514. hac die habet tantum: *Ipso die natalis, sanctæ Theodosiæ*. In codicibus 512. 514. deest *natalis S. Pancratii*. De *Theodosia* vide adnotata die superiori.

Agapis & Chioniæ. ADNOTATIO. Pleraque Latinorum Martyrologia de *Agape*, & *Chionia* agunt die *prima Aprilis*. Ea enim die agunt Hieronymiana, & iterum *Nonis Aprilis*. Beda genuinus, Gellonense, Rabanus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Reginæ Suecorum, Rhinoviense, Richenoviense, & Kalendarium Vat. 3806. agunt *Kalendis Aprilis*. Accedunt codices nostri Adoniani. Romanum vero parvum agit die III. *Aprilis*, ac item Usuardus genuinus. Pessime corrupta sunt martyrum nomina die *prima*, & *quinta* Aprilis in Hieronymianis, ut ostendit Sollerius. Eadem dices de aliis Martyrologiis. Harum martyrum Acta Baronius in Notationibus die III. Aprilis sincera & pura existere scribit, prout a notariis exceptoribus scripta sunt, quæ recitantur a Metaphraste, & Latine reddita habentur apud Lipomanum tom. VII. & Surium tom. II. *die prima Aprilis*. Hæc igitur Acta ex codice Cryptæferratæ eruta, & Latine conversa recitat Baronius ad an. 307. num. XL. *& seq.* Alia Acta his prætulit Henschenius ad hunc diem p. 245. sed Acta a Baronio, & aliis laudata, præferenda esse censet Sollerius in Usuardum, prout prætulit Ruinartius in Actis sinceris pag. 419. & Tillemontius tom. V. pag. 240. Ad diem martyrii quod attinet, existimat Sollerius, eas passas esse exeunte Martio, ideoque earum natalem a Martyrographis *Kalendis Aprilis* assignatum fuisse.

De *Benigno*, & *Evagrio* martyribus mentio est in Hieronymianis hac die, sed nimium corrupte. *Benigni, & Evagrii* Horum verba profert Sollerius ad Usuardum. Legitur enim in Epternacensi: *In Sicilia, natale Evagri, Benigni*. In Corbejensi: *In Sicilia, natale sanctorum Thomæ, Evagri, Benigni*. In Lucensi: *In Nicea, natalis sanctorum Thomæ, Evagri, Benigni*. Romanum parvum habet: *Tomis, Evagri, & Benigni*. Ottobonianum: *In Sicilia, sanctorum Thomæ, & Vacri* (pro *Evacrii*, seu *Evagri*) *& Sisinaii. Rufi patricii*. Rectius Martyrologium Reginæ Succorum: *In Scithia, natalis sanctorum Thomæ, Evagri, Benigni, cum aliis* V. Rhinoviense, & Richenoviense: *In Thomis, Evagrii & Benignæ* (pro *Benigni*.) Augustanum: *In India, Thomæ*. Labbeanum: *In Nicia, Thomæ Apostoli*, deinde post aliquot: *Evagri. Sixti martyris, Benigni*. Corbejense brevius: *In Sicilia, natalis sanctorum Thomæ, Evagri*. Meminit *Evagrii*, & *Benigni* martyrum hac die Wandelbertus. Cætera de eorum martyrio vide apud Bollandianos hac die pag. 244.

Pancratius prætermittitur a nostris codicibus, habetur in Usuardo genuino, sed & in Hieronymianis, Romano parvo, & Notkero. *Pancratius.* Primus fuisse Siculorum Apostolus dicitur, eo missus ab Apostolo Petro (ita habet Romanum Martyrologium); sed ea de re adeundus Henschenius hac die pag. 237. qui apocrypha a probabilibus discernit.

C. PRIDIE NONAS APRILIS. *4. Apr.*

MEDIOLANI, depositio B. Ambrosii Episcopi & confessoris: cujus studio, inter cetera doctrinæ & miraculorum insignia, tempore Arianæ perfidiæ, tota Italia ad Catholicam conversa fidem est. *Ambrosii.*

VARIA LECTIO. Post extremum verbum: *conversa fidem est*, addunt codices 512. 514. & Sangermanensis: *Apud Hispalim, depositio Isidori Episcopi, fide & doctrina præcipui*. Sequitur in Sangermanensi: *& sanctorum plurimorum martyrum, confessorum, atque virginum*. *Isidori.*

Ambrosii. ADNOTATIO. *Ambrosii* Antistitis *Mediolanensis* natalem ac *depositionem* veteres fere omnes tabulæ hac die celebrant. Hieronymiana in additamentis habent: *Mediolano, depositio sancti Ambrosii Episcopi & confessoris*. Beda genuinus: *Mediolano, depositio sancti*

Ambrosii confessoris. Gellonense: *Mediolano, depositio Ambrosii confessoris*: Romanum parvum: *Mediolani, beati Ambrosii Episcopi & confessoris*. Ado item hac die *Ambrosii* depositionem præclaro cum elogio commemorat. Adonem ad verbum sequitur Usuardus. Adonis elogium aliquantisper hac item die auget Notkerus. Agit etiam hac die Wandelbertus. Martyrologium Ottobonianum, & Fuldense habent: *Mediolano, depositio sancti Ambrosii Episcopi & confessoris*. Richenoviense: *Mediolani, sancti Ambrosii Episcopi*. Augustanum: *Et depositio S. Ambrosii Episcopi & confessoris*. Labbeanum: *Mediolani, depositio S. Ambrosii confessoris*. Corbejense brevius hac die: *Ambrosii Episcopi & confessoris*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Mediolano, depositio sancti Ambrosii confessoris*. Kal. Palat. Vat. 485. *Natalis S. Ambrosii Episcopi confessoris*. Kalend. Vat. 3806. *Mediolani, depositio sancti Ambrosii Episcopi & confessoris*. Antiphonarium Mediolanensis Ecclesiæ pervetustum, quod vidit in Ambrosiana Bibliotheca Mabillonius, uti testatur Musei Italici tom. I. P. II. pag. 107., *Ambrosii* depositionem hac die IV. *Aprilis* celebrat. Discrepant recentia Kalendaria Mediolanensis Ecclesiæ, sæculi XV., quæ inferius suo loco edituri sumus; nam in horum altero die V. *Aprilis* habetur: *Depositio sancti Ambrosii Episcopi*; & ad diem VII. *Decembris* legitur: *Ordinatio sancti Ambrosii Episcopi Mediolanensis*. Alterum vero nihil habet die IV. *Aprilis*, sed die VII. *Decembris* ita præfert: *Sancti Ambrosii Episcopi & confessoris*. Quum igitur vetera omnia Martyrologia in eo consentiant, ut dies, quo *Ambrosius* excessit, fuerit die IV. *Aprilis*, Baronius tum in Vita B. Ambrosii, quam Romanæ editioni Operum ejusdem Ambrosii inseruit, tum in Notationibus ad diem IV. *Aprilis*, & in Annalibus ad an. 397. n. XXXV. censuit, Ambrosium ex hac vita migrasse *Pridie Nonas Aprilis* an. 397. qui signatur etiam a Marcellino in Chronico, dum affigit Ambrosii obitum, *Cæsario & Attico Coss.* qui consules fuerunt A.D. 397. Addit Paulini Diaconi in Ambrosii Vita testimonium, qui tradit, ab obitu *Theodosii* senioris ad Ambrosii dormitionem, non intercessisse triennium. Accedit Concilii Carthaginensis III. A. D. 397. celebrati Epistola, mense Septembri illius anni ad *Siricium* Papam, & ad *Simplicianum Mediolanensem Episcopum*, Ambrosii successorem missa. Ex quibus, hallucinatum esse Gregorium Turonensem contendit Baronius, qui ante *S. Ambrosium*, vita functum *S. Martinum*, iisdem Coss. *Cæsario & Attico* scribit. At magna inde est inter viros eruditos, & rerum Ecclesiasticarum peritos orta concertatio de vero anno & die obitus *S. Ambrosii*. Henschenius singularem Exercitationem ea de re instituit, quam tomo I. Aprilis præfixit pag. XXXVIII. qua censet, Ambrosium obiisse A. D. 398. die XVII. *Aprilis*. Ea scilicet ratione, quod Paulinus in Vita tradat, Ambrosium obiisse Sabbato sancto Paschatis, & Pascha an. 398. die XVIII. Aprilis fuerit. Quod anni sedis Ambrosii non bene inter se conveniant, si Ambrosii obitus diei IV. *Aprilis* alligetur. Rogat autem viros eruditos, ut suam sententiam ferant. At hanc sententiam oppugnarunt Godefridus Hermantius, Mabillonius in Museo Italico tom. I. P. II. pag. 115.116. ubi Henschenii momenta diluit. Acriter item Baronii sententiam tuetur Pagius in Critica ad an. 397. n. XIX. & *seq.* ac recte Paulinum scribere significat, dum Pascha an. 397. incidit in diem V. *Aprilis*. His succinunt Benedictini Monachi in Ambrosii vita, inter Illius Opera eorundem cura Parisiis edita, Tillemontius tom. X. pag. 761. & *seq.* Sollerius in Usuardum hac die summatim hujusmodi concertationem indigitat, de qua plenius acturos Bollandianos socios die VII. Decembris pollicetur. Miror autem, cur ibi scribat, de ordinatione ejusdem Ambrosii, nullum esse qui vel verbo meminerit. Mabillonius memorato loco p. 102. ab ipso Ambrosio eam indigitari in Commentario super Lucam lib. VIII. n. 73. novæ editionis, admonet. Insuper ibidem pag. 107. affirmat in Antiphonario laudato Ecclesiæ Mediolanensis *Decembris* die VII. ita haberi: *Ordinatio S. Ambrosii*. Martyrologium Ottobonianum die VII. *Decembris* ita profert, postquam die IV. *Aprilis*, depositionem Ambrosii commemoraverat: *Eodem die in Mediolano, natalis sancti Ambrosii Episcopi*. Vide etiam Kalendaria Ecclesiæ Mediolanensis, quæ paullo ante citavimus. Vide quæ habet de Ambrosii ordinatione Baronius in Notationibus ad diem VII. *Decembris*. *Ambrosii* nomen aliquando in Canonem Missæ ad *infra actionem*, inter additamenta relatum legitur, ut habes in nostro tomo III. de Romani Pontificis Liturgia pag. I.

Isidori Episcopi *Hispalensis* natalia memoratur hac die ab Adonianis nostris codicibus, nam a vulgatis abest, memoratur item, sed nudo tantum nomine, & dignitatis titulo in genuino Usuardo his verbis: *Apud Hispalim, depositio sancti Isidori Antistitis*. Hinc Sollerius putavit, ab Usuardo primum inter Martyrologicos fastos *Isidorum* fuisse cooptatum, ac de eo didicisse, dum in Hispaniam ad procurandas S. Vincentii reliquias fuit missus. De *Isidoro* silent alia vetusta, quæ viderim Martyrologia. Plura de eo Baronius in Notationibus hac die. Plura item Bollandiani socii Aprilis tom. I. pag. 327. & *seq.* & pag. 900. ex Luca Tudensi, Nicolao Antonio Biblioth. vet. Hispanæ lib. V. cap. III. & *seq.* Obiit A. D. 636. die IV. *Aprilis*, ut post alios monuit Pagius in Critica ad an. 636. n. VI. *Isidori.*

D. NONIS

D. NONIS APRILIS.

5. April.

Irenis. THessalonicæ, natalis S. Irenis virginis, quæ post tolerantiam carceris, sagitta percussa est a Sisinnio Comite: sub quo & sorores ejus simul Agapes & Chionia martyrizaverunt.

Martianæ, & sociorum. Item apud Ægyptum, natalis SS. Martianæ, Nicanoris, & Apollonii.

Apud Cæsaream Lyciæ, natalis sancti Amphiani. Amphiani.

VARIA LECTIO. Post verbum: *Apollonii*, sequitur in Sangermanensi: *quorum gesta habentur, & aliorum sanctorum plurimorum martyrum, confessorum, atque virginum*. Deest & in codicibus 512. 514. natalis *sancti Amphiani*.

Irenis. ADNOTATIO. De *Irene* una cum duabus sororibus *Agape & Chionia* agunt hac die iterum Hieronymiana. De *Irene* tantum, Beda Romanum parvum, Ado, Usuardus, Rabanus, Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum, in quibus *Herena* vocatur. Agit etiam Martyrologium Reginæ Suecorum. Vide quæ de Agape & Chionis die III. *Aprilis* diximus; & Bollandianos eadem die pag. 245.

Martianæ & soc. De *Martiana* & sociis meminere hac die apographa Hieronymiana, sed inversis, aut suppressis veris nominibus. Silet Beda genuinus. Agnot ex Adone Usuardus, & Notkerus. Martyrologium Ottobonianum habet: *In Ægypto, Marcianæ, Nicanoris, Apollonii*. Rhinoviense & Richenoviense: *In Ægypto Mariani* (pro *Martianæ*); de aliis silet. *Martiani, & Nigrandi* iterum meminere die v. *Junii*. Augustanum & Labbeanum: *Marcianæ, & Nicanoris* die v. *Aprilis*. Ad diem v. *Junii*, *Marciani* nomen exhibent. Corbejense brevius: *In Ægypto, natalis sanctorum Martiæ, Nicanoris*. Martyrologium Romanum de his agit die v. *Junii*, ad quam diem commentationes suas Henschenius transtulit, contra ac Florentinius putat. Vide ibi pag. 419. *Marciani* nomen retinet Martyrologium Romanum, ut & *Nicandri* pro *Nicanoris*. Baronius ad an. 310. n. XXIII. per id tempus in Ægypto martyrii palmam accepisse tradit *Marcianum Nicanorem, & Apollonium* socios.

Amphiani. *Amphiani* natalis desideratur in nostris codicibus. Agit autem Usuardus genuinus, & ante eum meminere hac die *Amphiani in Cæsarea Liciæ* apographa Hieronymiana. De *Amphiano*, in Africa martyre agit die II. Aprilis Rhinoviense. Richenoviense item; sed hac die v. *Aprilis* habet: *In Cæsarea, natale sancti Amfiani*. Recitant item *Aafiani, & Amphiani* nomen hac die Augustanum & Labbeanum. Illius de tyranno victoriam memorari ab Eusebio in libro de Martyribus Palæstinæ cap. IV. credunt Baronius, Florentinius, & Henschenius. Eusebii de eo elogium inter Acta selecta retulit Ruinartius pag. 334. Gallice reddidit, ac illustravit Tillemontius tom. v. pag. 386. & 737. Baronius agit de *Amphiano martyre, Cæsareæ in Palæstina* ad diem II. *Aprilis*. Qua die, ut vidimus, *in Africa* habent nonnulla Martyrologia, quibus adde Ottobonianum, ubi: *In Africa, natalis sanctorum Amminiani* (forte *Amphiani*) *& al.* XXIII. Corbejense brevius ea die: *In Africa, natalis sanctorum Amphiani, Victoris*. Baronius mendum esse in Martyrologiis putat, ac emendandum *in Cæsarea* Palæstinæ. Vide Henschenium April. tom. 1. pag. 59. & 66.

6. *Apr.* E. VIII. IDUS APRILIS.

Sixti. ROMÆ, S. Sixti Papæ & martyris, qui rexit Ecclesiam annos decem, menses duos, diem unum. Passus est autem temporibus Adriani Imperatoris. *Pontifica- le cap. 8. Est Sixt. I.*

VARIA LECTIO. Codex Sangermanensis post verbum *Imperatoris*, addit: *ut sibi Christum lucrifaceret libenter mortem sustinuit temporalem. In Macedonia, sanctorum Timothei, & Diogenis. Trecas sancti Munobaudi presbyteri.* Cod. 512. & 514. hac die ita habent: *Timothei, & Diogenis. Munobaudi.*

Sixti. „ Romæ, natalis beati Sixti Papæ & martyris, qui temporibus Adriani Imperatoris, ut sibi Christum lucrifaceret, libenter mortem sustinuit temporalem. In Macedonia, sanctorum Timothei & Diogenis. De *Munobaudo* silent.

Sixti Papæ I. ADNOTATIO. Colitur hac die *Sixtus* Papa hujus nominis I., licet mixtim cum aliis, in Hieronymianis, Romano parvo, Adone, Usuardo, Floro, Notkero, & Wandelberto. Post Henschenium ad hanc diem pag. 533. summatim Sollerius in Usuardum hac die VI. *Aprilis* eos commemorat, qui *Sixtum* I. celebrant. Agit autem & Martyrologium Fuldense, a quo solent Ado & Usuardus transcribi: *Romæ, natalis sancti Sixti Episcopi, qui tempore Adriani passus est*. Anno Christi 128. exeunte, aut 129. martyrio coronatum putat Coustantius in Epist. Roman. Pontific. pag. 55. Pagius in Critica ad an. 126. n. VI. & ad an. 140. n. III. in ea sententia est, ut *Sixtus* martyrium fecerit die *tertia Julii* an. 126. Quod si liber Pontificalis habet, eum die *tertia Aprilis* sepultum, & Ado ac Usuardus *Sixtum* recolant die VI. *Aprilis*, id non ad primam ejus sepulturam, sed aliquam translationem esse referendum. Baronius vero ad an. 142. n. III. hoc anno 142. die VI. *Aprilis* martyrio Sixtum coronatum scribit; qua in re dissentientes habet eruditos viros.

Timothei, & Diogenis. Qui a vulgato Adone absunt *Timotheus & Diogenes*, celebrantur hac die & crastina a Hieronymianis; hac vero die a genuino Usuardo, & Notkero. Ex Hieronymianis delibasse Usuardum existimat Sollerius, quia Martyrologiis aliis plane ignoti sunt. Non ignoti sunt autem Richenoviensi, ubi legitur: *In Macedonia, Timothei*, prætermisso *Diogene*. Die vero insequenti, ibidem: *Antiochiæ Syriæ, Thimothei, Diogenis, Machariæ, Maximæ.* Ita ferme utroque die Augustanum, & Labbeanum. Eadem propemodum legebantur in Corbejensi breviori die VII. *Aprilis*. Incipit enim his verbis: *In Antiochia Syriæ, natalis sanctorum Timothei, &* ..... Cætera evanuerunt. Clarius Martyrologium Reginæ Suecorum, in quo hac die VI. *Aprilis* habetur: *In Macedonia, Thimothei, Diogenis*. Die vero VII. *Antiochia Syriæ, natalis sanctorum Thimothei, cum aliis* III. Distinguit ergo *Timotheum* cum socio Diogene, ab alio *Timotheo, Antiochiæ* cum aliis passo. Ergo antiquioribus Martyrologiis noti sunt hi martyres. Eorum Acta adhuc latere scribit Henschenius hac die pag. 537., ex quibus utraque classis distingui possit.

Minobandi, seu Winebandi. *Minobandus*, aliis *Vvinebandus*, & *Verambandus*, de quo codex Sangermanensis hac die; præteritur a genuino Usuardo. Agunt tamen aliqua ejus Auctaria, in quibus, modo *presbyter*, modo *presbyter & confessor*, modo *abbas* dicitur, præmissa loci designatione; *Apud Trecas*. *Winebandus* abbas loco *Aderici* abbatis regimini basilicæ S. Lupi Episcopi ad muros Trecenses præfectus fuit. *Lupi* Senonensis Episcopi reditum ab exilio apud Chlotarium regem A. D. 614. deprecatus est, cujus precibus Chlotarius ob eximiam viri sanctitatem annuit; & libertate etiam donavit, qui carceribus mancipati erant. Ita narrat Mabillon. Annal. Bened. lib. XI. §. VI. Reliqua vide apud Bollandianos hac die pag. 572.

---

7. *Apr.* F. IDUS APRILIS.

Egesippi. EGESIPPI viri sanctissimi, qui vicinus Apostolicorum temporum, omnes a passione Domini, usque ad suam ætatem, Ecclesiasticorum actuum texens historias, multaque ad utilitatem *Hieron. de Script. Eccles. c. 22. Euseb. l. 4. cap. 8. 10. & 12.*

tem legentium pertinentia, hinc inde congregans, quinque libros composuit, sermone simplici, ut quorum vitam sectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Asserit se venisse sub Aniceto Romam, qui decimus post Petrum Episcopus fuit, & perseverasse usque ad Eleutherium ejusdem urbis Episcopum, qui Aniceti quondam diaconus fuerat. Isdem quoque Egesippus in libris suis refert de conversatione sua, quam habuit a gentili philosophia: *Nam & ego ipse*, inquit, *sectis Platonicis institutus, audiens infamari Christianos, & videns eos impavidos ad suscipiendam mortem, atque omne supplicium tolerandum, considerabam quod impossibile esset, in malitia eos & in libidine conversari.*

Epiphanii, Donati, & aliorum.

VARIA LECTIO. Ed: *characterem*. Cod. Sangermanensis: *charactere*. Post extremum verbum *conversari*, sequitur in cod. 512. 514. & in Sangermanensi: *Apud Africam, natalis sanctorum Epiphani Episcopi, Donati, & aliorum* XIII.

Egesippi.

ADNOTATIO. *Hegesippi*, seu *Egesippi* elogium contexitur hac die ab Adone ex Eusebio, brevius describitur ab Usuardo genuino, nec uberiura de eo refert Notkerus. In Martyrologiis memoratur primum, ut videtur Sollerio, a Romano parvo, his verbis: *Hegesippi, qui vicinus Apostolicorum temporum extitit*. Agit & Martyrologium Fuldense, hoc pacto: *Hejesippi, viri sanctissimi & eruditissimi*. De eo Baronius ad an. 167. n. XI. & *seq.* De illius scriptis, post Bellarminum Philippus Labbeus de Scriptoribus Ecclesiasticis, itemque alii recentiores. At omnium accuratius de eo, & pseudo-Hegesippo Justus Fontaninus in Historia litteraria Aquilejensi lib. V. cap. XVI. pag. 395. & *seq.* Interim vide quæ collegit Henschenius hac die pag. 656. & ad diem XIII. Aprilis. Selectiora de Hegesippo collegit etiam Tillemontius tom. III. p. 47. & *seq.*

Epiphanii, & soc.

Epiphanii, & sociorum, de quibus hac die codex Sangermanensis, meminit iisdem verbis Usuardus genuinus. Nonnulla Martyrologia, in quibus variis diebus hi martyres occurrunt, ab Henschenio hac die pag. 658. enumerantur. Sollerio videntur hi martyres ab Usuardo primum inter Martyrologia adsciti. De his agit pridie hujus diei Martyrologium Ottobonianum, ita: *In Africa Æpyphanii Episcopi, cum aliis* X. Martyrologium Reginæ Suecorum eadem die: *In Africa, sanctorum Epiphanii Episcopi, Donati, & aliorum* XIII. Augustanum eadem die *Donati* meminit. Item Labbeanum.

G. VI. IDUS APRILIS. 8. Apr.

Perpetui.

TURONIS, S. Perpetui Episcopi, admirandæ sanctitatis viri, cujus opera templum super veneranda ossa beati Martini Episcopi, perfectum est, cujusque sacrum corpus, de loco ubi primum tumulatum fuerat, ad locum ubi nunc condigne veneratur, translatum & reconditum est.

VARIA LECTIO. Deest hac die in codicibus 512. 514. & in Sangermanensi natalis S. *Perpetui*, quia de eo egerunt III. *Kal. Januarii*, ut & codex 511., seu ejus loco ita habent:

„ Apud

Exuperii. „ Apud Tolosam, natalis sancti Exuperii Episcopi & confessoris, qui beatus vir quantum sibi extiterit parcus, quantumque aliis largus, sanctus Hieronymus memorabili prosequutus est relatu.

ADNOTATIO. Abest, ut innuimus in varia lectione, a nostris codicibus hac die *Perpetui.* *S. Perpetuus.* Nos de eo plenius egimus die xxx. *Decembris*. Vide igitur ad eum locum.

Exuperii. *Exuperius Tolosanus* Episcopus colitur ab Usuardo die XXVIII. *Septembris*, iisdem prorsus verbis. Vulgatus Ado utrobique silet. Auctaria tamen Usuardi, ut Centulense, & Antuerpiense de *Exuperio* agunt hac die VIII. *Aprilis*. Sollerius in Usuardum ad diem XXVIII. *Septembris* existimat, ipsum Usuardum nullo alio veteri Martyrologo duce, natalem *Exuperii* ea die statuisse, ac ex S. Hieronymo elogium concinnare. Fuse agentem de *Exuperio* Baronium in Notationibus, & Catellum in Commentariis ad Historiam Occitaniæ lib. v. pag. 827. *& seq.* citat, Cæterum a Martyrologiis omnibus præteriri admonet. Alius est *S. Exuperius* Antistes Tolosanus, ab *Exuperio* Tolosano Rhetore, quem unum eundemque esse existimavit Baronius. Vide Sammarthanorum Galliam Christianam in Tolosanis n. 6. ubi de eo pluribus. Vivebat c. A. D. 407. Incertum est, quo potissimum anno & die obierit.

---

9. Apr.

A. V. IDUS APRILIS.

Virg. VII. APUD Sirmium, natalis septem Virginum, quæ in unum meruerunt coronari quinto Idus Aprilis.

Prochori. Apud Antiochiam, S. Prochori diaconi, qui unus fuit de septem primis. *Vid. libell. de fest. Ap.*

Prochori. *Virg. VII.* VARIA LECTIO. Codices 512. 514. & Sangermanensis ita habent: *Natalis beati Prochori diaconi, præclarissimi fide & miraculis viri. Apud Sirmium, sanctæ septem virgines, quæ in unum meruerunt coronari* IV. *Idus Aprilis.*

Virg. VII. ADNOTATIO. De his *septem virginibus* agunt hac die fere omnes Latinorum, depravata tamen in plerisque eorum, inscitia amanuensium, lectione. Agunt in primis Hieronymiana, sed non omnino inter se conveniunt. Apographum Lucense habet: *In Sirmia, natalis* V. *virginum, quarum nomina Deus novit*. Mox: *Et natalis* VII. *virginum*. Epternacense: *In Sirmi* V. *virginum*. Mox: *Et* VII. *virginum canonicarum*. Beda genuinus: *In Sirmio, natale septem virginum, quæ in unum meruerunt coronari*. Romanum parvum: *Apud Sirmium*, VII. *virginum, quæ in unum coronatæ sunt*. Gellonense: *Septem virginum*, tantum. Usuardus declinat in verborum formulis ab Adone, dum habet: *In Sirmio, passio sanctarum septem virginum, quæ dotè simul pretio sanguinis, vitam mercatæ sunt æternam*. Rabanus, & Notkerus: *In Sirmio natalis* VII. *virginum, quæ in unum meruerunt coronari*. Martyrologium Fuldense: *In Smirna* (pro *Sirmia*) *natalis* VII. *virginum, qui* (sic) *in uno meruerunt coronari*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Syrmii passio SS. quinque virginum; & alibi Demetri Diaconi, &* VII. *virginum, quæ in unum meruerunt coronari*. Ottobonianum: *In Syria* (pro *Syrmia*) *natalis sanctarum quinque virginum, quorum nomina Deus scit: aliæ* II. *& Demetri diaconi. In Sirmio nat.* VII. *virginum, quæ in uno coronatæ sunt*. Kalendarium Palat. Vatic. 485.: *Nat.* VII. *virginum, quæ in unum meruerunt coronari*. Kalendarium Vat. 3806. *Sancti Antonii confess. & in Sirmia* VII. *virg.* Richenoviense: *In Syrmia, Dimetri diaconi, Helarii, Concessi, Fortunati, & virginum septem*. L'abbeanum: *Demetri, Hilarii, Concessi, Mari, Fortunati, Donati, & aliorum septem*. Augustanum: *Trimetri, Helarî, Concessi, Mari, Fortunati, Camati, & aliorum* VII. *martyrum*. Corbejense brevius: *In Sirmia, natalis quinque virginum, quorum nomina Deus scit. Et alibi, Demetri, Concessi*. Tanta est in his scribendi varietas ac discrepantia, ut pene desperandum sit, & ambigatur profecto, an vere VII. *virgines* apud *Sirmium* hac die passæ sint; utrum una, an duæ harum virginum cohortes distinguendæ sint. Sollerius in Usuardum scite monet, a Beda, Romano parvo, Adone, Usuardo, Rabano, & Notkero *virgines* numero *septem* apud *Sirmium* coronatas recenseri; non ideo tamen

tamen librariorum vitio, aliis in Martyrologia Hieronymiana irrepsisse, a nemine harum rerum perito probatum iri existimat. Vide Florentinium in notis, & Bollandianos hac die pag. 819. De titulo *Canonicorum* nos egimus die XXIV. *Decembris*.

Prochori. De *Prochoro*, seu *Procoro* diacono agit in primis Romanum parvum, exinde Ado, Usuardus, & Notkerus. Aliis verborum formulis utitur Usuardus, quam quæ sint apud Adonem. Ex Adone & Usuardo *Prochori* elogium concinnavit Martyrologium Fuldense. Vide Bollandianos hac die pag. 819., & 910. *Prochorum Nicomediæ* Episcopum fuisse nonnulli censent apud Baronium in Notationibus hac die, & ad an. 44. num. XI. Circumfertur *Prochori* diaconi apocrypha de S. Jo. Evangelista narratio, quæ Simeoni Metaphrastæ tribuitur. Ea ut fabulosa traducitur a Criticis, & recentioribus omnibus.

B. IV. IDUS APRILIS. 10. *Apr.*

EZECHIELIS Prophetæ. *Ezechielis.*

Et apud Romam, beatorum Martyrum plurimorum, quos *Martyr. plurim.* beatus Alexander Papa & martyr baptizavit, cum teneretur in carcere, & ipsi relegati pariter cum illo. Hos omnes Aurelianus Imperator, navi vetustæ impositos, in altum mare deduci, & illic collo ligatis lapidibus, mergi in profundum maris fecit quarto Idus Aprilis.

V*ARIA LECTIO*. In codicibus 512. 514. & in Sangermanensi post verbum: *Prophetæ* sequitur: *qui a duce populi Israel apud Babyloniam interfectus, in sepulcro Sem, atque Arfaxat est sepultus*. Ed: *navi vetustæ*. Codices memorati: *navi vetusta*.

Ezechielis A*DNOTATIO*. Silent de *Ezechiele propheta* Hieronymiana. Agunt Beda, Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, Rabanus, Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, & Reginæ Suecorum. Kalendarium Vat. 3806. habet *Hiezechel, fortitudo Domini*. Usuardi verba hæc sunt: *Ezechielis prophetæ, qui a judice populi Israel apud Babyloniam interfectus, in sepulchro Sem, atque Arfaxad est sepultus*. Ipsissima hæc sunt verba nostrorum codicum. Sollerius putat, una cum Papebrochio in Actis hac die pag. 857. Usuardum mutuatum esse hanc narrationem ex quibusdam apocryphis scriptis, atque adeo valde incertam esse. Vide eundem Papebrochium hac die pag. 857. & Calmetum in Dictionario, verbo, *Ezechiel*.

Martyr. plurim. *Martyres plurimi*, ab Alexandro Papa, baptismate initiati, coluntur hac die in Romano parvo, Adone, Usuardo, Notkero, Martyrologio Fuldensi. Martyrologium Ottobonianum hac die commemorat: *In Africa, mart.* XXVII. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Africa, martyrum* XL., *quorum nomina Deus scit*. Hos martyres *viginti* circiter numero fuisse, putat Henschenius; prout admonet Sollerius in Usuardum hac die. De his agunt vulgata S. Alexandri Acta, quæ sincera existimat Henschenius, aliis, ut vidimus, corrupta videntur. Quod hic apud Adonem legitur: *Aurelianus Imperator*, apud Usuardum est: *Aurelianus princeps*, qui tamen inquit Sollerius, unus idemque *Præfectus* potius est, & *Comes utriusque militiæ, ab Imperatore Trajano, de Seleucia Isauriæ, ad interfectionem omnium christianorum evocatus*, quemadmodum eadem Acta perhibent. Passi feruntur a Bollandianis hac die pag. 859. A. D. 116.

C. III. IDUS APRILIS. 11. *Apr.*

APUD Cretam, urbem Cortynæ, B. Philippi Episcopi, qui *Philippi.* vita & doctrina claruit, temporibus Antonini Veri, & Lucii Aurelii Commodi Imperatorum.

VARIA

Leon. Pap. VARIA LECTIO. Cod. 512. & 514. & Sangermanensis hac die ita incipiunt: *Romæ, natalis sancti Leonis Papæ: cujus temporibus extitit sancta Synodus Calcedonensis. Apud Cretam* &c. ut in editis. Post verbum *Imperatorum*, Domnionis sequitur in eisdem codicibus: *Apud Dalmatiam, civitate Salona, sancti Domionis* (sic) *Episcopi cum militibus octo*.

Philippi. ADNOTATIO. *Philippi* Episcopi *Gortynensis* in *Creta* nomen primum occurrit in Romano parvo, ut videtur Sollerio, deinde ab Adone, Usuardo, & Notkero celebratur. Iterum ab Adone, Romano parvo, & Notkero repetitur die VIII. *Octobris*, & in nostris codicibus die XXV. *Junii*. Irenæi, Eusebii, & Hieronymi de *Philippo* testimonia profert Henschenius p. 15. Vide Baronium ad an. 172. n. VIII.

Leon. Pap. Præteritur hac die *S. Leo*, Magni cognomento, Romanus Pontifex a Hieronymianis, & Romano parvo. Agit de eo Beda genuinus his verbis: *Romæ, Leonis Papæ & confessoris*. Gellonense: *Leonis Papæ & confessoris*. Martyrologium Reginæ Suecorum præmittit: *Romæ*. Rhinoviense item hac die: *Romæ, Leonis Papæ*. Augustanum, & Labbeanum: *Romæ, Leonis Papæ & confessoris*. Corbejense breviter hac item die: *Papæ Leonis*. Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum: *Romæ, depositio sancti Leonis Papæ & confessoris*. Kalendarium Palat. Vat. 485. alio quidem charactere, sed æque vetusto agit primum ad *pridie Idus Martii*, his verbis: *Natale sancti Leonis Papæ*. Ad III. *Idus Aprilis* item habet: *Natale sancti Leonis Papæ*. Palat. Vat. 39. *Leonis Papæ*. Vatic. 3806.: *Romæ, Leonis Papæ*. His præeunt hac die Adoniani nostri codices, Usuardus, Rabanus, & Notkerus. Deest quidem Adoni vulgato, sed genuino Adoni restituendum putamus ex fide codicum nostrorum, quorum verba adamussim usurpat Usuardus. Ea de suo Usuardum deprompsisse putat Sollerius. Licet autem hac die omnium fere Latinorum Martyrologia de *Leonis* celebritate consentiant, diem tamen hunc, ipsius *natalem*, seu *depositionem* non esse recentiores omnes affirmant, ac inter hos Henschenius & Papebrochius in Actis hac die pag. 14. *& seq.* tenduntque, *depositionem* affigendam esse diei XXX. *Octobris* A. D. 461. quæ quidem sententia neque ipsi Sollerio placet, qui Hieronymianorum Martyrologiorum fidem sequi mallet, in quibus *die* X. *Novembris* habetur: *Romæ, depositio sancti Leonis Episcopi*. Eadem die *Leo* a Rabano repetitur. Pagius in Critica ad an. 461. num. III. *& seq.* obitum *Leonis* contra reliquos omnes diei *quartæ Novembris* alligat. Liber Pontificalis in ejus Vita, sepultum fuisse narrat B. Leonem apud B. Petrum Apostolum *tertio Idus Aprilis*. Inter vetera epitaphia apud Mabillonium, Analectorum tom. III. pag. 431. ubi de translatione S. Leonis per Sergium Papam facta mentio est, ejus *depositio* memoratur III. *Idus* ... mensis nomen deest. Codex Vitonianus hæc de *S. Leone* habet: *Sedit in Episcopatu annos* XXI. *mensem* I. *dies* XIII. *Depositus est* III. *Idus* .... *& iterum translatus huc a beato Papa Sergio Indictione* I. De translatione corporis B. Leonis Pontificis ex *abdito inferioris Secretarii* Basilicæ Vaticanæ, & in *publico* ejusdem *Basilicæ* loco repositi per Sergium Papam, agit Liber Pontificalis in Sergio. *Indictio* I. in codice Vitoniano adnotata, hujusmodi translationem factam fuisse A. D. 688. designat. Hinc vetera Martyrologia de ea translatione, aut de *Leone* iterum agunt die XXVIII. *Junii*. Repetunt Rabanus, Usuardus, Notkerus, Rhinoviense, & Gellonense, Richenoviense, & Augustanum. Martyrologium Fuldense ad diem XXVIII. *Junii* habet: *Romæ, natalis sancti Leonis Papæ*. Martyrologium Gellonense & Reginæ Suecorum ea die: *Ipso die natalis sancti Leonis Papæ*. Ottobonianum: *Romæ, translatio corporis Leonis Papæ*. Kalendarium Vat. 3806. iterum ad XXVIII. Junii: *Romæ, sancti Leonis Papæ*. Palat. 39. eadem die: *Leonis Papæ confessoris*. Primum agit hac die XXVIII. *Junii* apographum Hieronymianum Corbejense, & Romanum parvum. Sacramentaria & Capitularia Gregoriana de *S. Leone* die XI. *Aprilis* nihil habent, sed agunt die XXVIII. *Junii*, prout & Capitularia. Sacramentaria, nimirum codex Reginæ Suecorum 337. Sacramentarium Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vatic. 495. præferunt in titulo: *Natale sancti Leonis Papæ*. Capitularia vero Evangeliorum, a nobis exhibita tom. III. de Liturgia Romani Pontificis p. 266. habent: *Translatio corporis beati Leonis Pontificis*. Nihil dubito, quin verbum *natale* in Sacramentariis hac die, ac in Martyrologiis quibusdam designet translationem *S. Leonis* Magni per Sergium Pontificem. Hinc solemnior S. Leonis celebritas jam tum esse die XXVIII. *Junii* cœpit; quapropter *natalis* nomine aliquando vocata fuit, ac ita ea die vocatur in codicibus nostris Adonianis. Utcumque de die obitus sit, certum est, in vetustis Martyrologiis natalem *S. Leonis* diei XI. *Aprilis*, & ejus *translationem* primam diei XXVIII. *Junii*, ut censet etiam Sollerius in Usuardum ea die, assignari. Neque est dubitandum, ut anceps esse videtur Jo: Fronto, utrum de *Leone* hujus nominis I. an de *Leone* II. in veterrimis capitularibus agatur. Pape-

pebrochius in Commentario prævio ad vitam *S. Leonis* II. Junii tom. V. pag. 374. fatetur, antiquitus die XXVIII. *Junii* in Basilica S. Petri *translationem S. Leonis M.* celebrari consuevisse, sed postquam *Paschalis* II. *Leonis* II. corpus elevavit, ac recondidit, ex eo tempore apud plurimos recentiores, & in pluribus MSS. exemplaribus Usuardi, pro *Leone* I. ad Aprilem relato, celebrari II. cœpit, qui ex Anastasio ea die XXVIII. *Junii* depositus est; festum vero *S. Leonis* M. visum est celebrandum die XI. *Aprilis*, qua dia sepulturæ in Basilica sancti Petri traditus fuerat. At ad Sacramentaria est redeundum. In his habentur orationes ad Missam in natali *S. Leonis*, sed non omnes inter se conveniunt. Discrepant enim aliquantisper Pamelianæ a codice Reginæ Suec. 337. in quo prima oratio est: *Deus qui Beatum Leonem Pontificem sanctarum tuorum*. Verba: *Leonem Pontificem sanctarum tuorum*, stilo deleta sunt, eorumque loco superimposita, quæ sequuntur: *meritis quæquasti* (sic) *concede propitius, ut qui commemorationis ejus festa percolimus, vita quoque imitemur exempla*. Ad Secreta: *Annue nobis, Domine, ut animæ famuli tui Leonis hæc prosit oblatia &c.* Ad communionem: *Deus qui animæ famuli tui Leonis &c.* Ita quoque habent Sacramentar. Palat. Vat. 495. Angeli Rocchæ, & Menardi. Cur autem in oratione *super oblata*, seu *ad secreta* dicatur, ut *oblatio animæ Leonis prosit*, explicat fusius Innocentius III. in cap. *Cum Marthæ* §. III. *de celebratione Missarum*. Eadem oratio: *Annue &c.* habetur etiam in Missa *S. Gregorii*. Vide Sacrament. Menardi p. 267.

De aliis *Leonis M.* translationibus, paucis rem expediemus. Secunda corporis ejus translatio fuit A. D. 1607. Pauli V. Pontificatu, quum ob novam Basilicæ Vaticanæ exædificationem, loco dimoveri corpus necesse fuit, quare mense Majo ejusdem anni solemni ritu inlatum est sub mensa altaris B. Mariæ Virginis de columna, ibique repositum, deferendum postea ad proximum ejusdem Leonis nomine insignitum altare, novis operibus perficiendum. De ea translatione pluribus agunt hac die Bollandiani socii. Ibi igitur requievit Leonis corpus, donec *Clementis* XI. Pontificis Maximi jussu, egregio apparatu, solemnique pompa mense Aprilis A. D. 1714. tertia translatio peracta fuit, summa omnium ordinum frequentia. Totius rei Historiam ad Vitam Sergii I. sa daturum pollicetur v. c. Franciscus Blanchinus, piæ memoriæ, in adnotationibus ad S. Leonis Vitam, tom. III. editionis Romanæ Anastasii Bibliothecarii pag. 159. ex typographia Vaticana Jo: Mariæ Salvioni. In eisdem Notationibus ad S. Leonis Vitam, ejusdem Pontificis conspectum sacri corporis, seu ossium structuram & compagem, tabula æri incisa, ac diligenter delineata exhibuit, quandoquidem, ut ibi monet, a Bollandianis adamussim expressa non fuerat, ex ea icona, quæ cum secunda translatio facta est, in lucem prodiit.

Eadem verba de *S. Domnione* ac *militibus octo*, *Salonæ* in Dalmatia celebribus, quæ in codicibus nostris habentur, usurpat etiam genuinus Usuardus hac die. *Domnio*, non *Domian*, recte scribitur, ut infra apparebit. Agunt de his hac die bene multa eaque veterrima Latinorum Martyrologia, ut Hieronymiana, Gellonense, Notkerus, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. At ea fere omnia pessimum in modum sunt corrupta, & inversa. *Domnionis* nomen, modo *Domian*, modo *Domninus*, modo *Domnian* dicitur. Militum etiam numerus varius est; nam interdum in apographis Hieronymianis sunt *septem*, interdum *tres*, interdum *novem*. Martyrologium Reginæ Suecorum, *milites octo* recenset. In absida sacelli Lateranensis *S. Venantii*, prope baptisterium Constantinianum, musivo opere elaborata, habentur imagines martyrum, quorum reliquias ex Dalmatia & Istria transferendas curavit *Johannes* Pontifex hujus nominis IV., de qua translatione liber Pontificalis in eodem Johanne, & Baronius ad an. 641. n. III. ibi super capita singulorum, cujusque nomen inscriptum est. Nomina hæc sunt: *S. Paulinianus*, *Telius*, *Asterius*, *Anastasius*, *S. Maurus*, *Septimius*, *Antiochianus*, *Gajanus*, *S. Venantius*, *S. Domnio*. Hi sunt omnes numero *decem*. De *Venantio* agitur die prima *Aprilis*, ut supra est adnotatum. Si musivum opus Lateranensis sacelli inspicimus, quod æri incisum habes apud Jo: Ciampinum Veterum monimentorum tom. II. tab. XXX. pag. 106. quatuor tantum martyres milites Dalmatæ statuendi videntur, nimirum *Paulinianus*, *Telius*, *Antiochianus*, & *Gajanus*, qui militari habitu induti, capillis etiam aliquanto longioribus, coronam manibus gestantes, a cæteris aliis martyribus, ibi expressis distinguuntur. *S. Asterius* casulam, seu indumentum punicei coloris gestat, capillis in morem clericalis coronæ detonsis; item eodem modo *S. Anastasius*. *S. Venantius* coloris punicei, seu violacei casula indutus est; *Ecclesiæ* cujusdam formam, seu iconem altera manu gestat, altera librum. Orarium habet cum unica tantum cruce rubei coloris, instar pallii Pontificalis. *S. Maurus* sacerdotali veste ornatur; Episcopali vero *S. Domnio*. Inde *S. Septimius* dalmaticam diaconalem gestat, codicem, forte Evangeliorum, manu tenens. De *Septimio Diacono*, *in Salona* agit Martyrologium Ottobonianum XIV. *Kal. Maii*. Nullus tamen ex his lector eliciat, quatuor tantum martyres milites una cum *Domnione* apud Salonitanos cultos fuisse; quia fieri potuit, ut ex eorum numero, aut quatuor tantum reliquiæ Romam translatæ fuerint, aut, si acceptæ, eorum nomina fuerint in musivo opere prætermissa. Agunt autem de

Domnionis, & milit. octo.

de numero horum martyrum, deque *Damnio-na* Florentinius in notis, & Bollandiani hac die pag. 5. De *Anastasio*, *Salonæ* passo Hieronymiana die XXVI. *Augusti*. Romanum parvum, Usuardus, Ado, & alii die XXI. *Augusti*. Consule de eo Tillemontium tom. V. pag. 148.

12. *Apr.* D. *PRIDIE IDUS APRILIS.*

Julii Papæ. ROMÆ, via Aurelia milliario tertio, in cœmeterio Calepodii, natale sancti Julii Episcopi & confessoris, qui sub Constantio Ariano filio Constantini, decem menses tribulationes & exilia perpessus: post ejus mortem, cum magna gloria ad suam sedem reversus est. *Pontific. cap. 36.*

VARIA LECTIO. Cod. 512. & 514. hac die ita habent: *Romæ, natalis beati Julii Papæ, qui sub Constantio* (codex 514 *Constantino*) *Imperatore, x. mensibus tribulationes & exilia perpessus, cum magna gloria ad suam sedem reversus, quievit in pace.*

Julii Papæ. ADNOTATIO. Agit in primis de *Julio* Papa hac die Kalendarium Bucherianum his verbis: *Julii, in via Aurelia milliario III. in Callisti.* Apographum Hieronymianum Lucense: *Romæ in cœmeterio Calipo* (forte *Calepodii*, aut *Callisti*) *tertio milliario tertia, depositio Julii Episcopi.* Corbejense: *Romæ, in cœmeterio Calepodii Lupicini, via Aurelia, tertia milliario, depositio Julii Episcopi.* Beda genuinus elogium Julii eleganter, inquit Sollerius, contexuit, a quo sumpsit Ado, ac item Rabanus. Brevius apud Usuardum, ubi juxta Sollerii lectionem est: *Constantio*, codex Usuardo-Pratensis: *Constantino.* Fere omnia tamen habent: *Constantio*, & quidem recte. Longius est elogium apud Notkerum. Meminit & Gellonense, Rhinoviense, Richenoviense, & licet mendose, Corbejense brevius. Romanum parvum: *Via Aurelia, Julii Papæ & confessoris, sub Constantio Ariano.* Martyrologium Fuldense: *Romæ, depositio sancti Julii Episcopi & confessoris, qui sub Constantio Arriano, filio Constantini decem mensibus tribulationes & exilia perpessus, post ejus mortem, cum magna gloria Romam reversus est.* Hæc autem verba sunt Chronici, Damasi nomine insigniti. Eadem fere Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. Hinc vides, mendose in quibusdam Martyrologiis, ad diem IV. *Martii* Julium referri, ut ea die, ubi de *Lucia* Papa, adnotavimus. Obiit *Julius* A.D. 352. die XII. *Aprilis*. Commentum esse quidquid de *Julii* exilio in Martyrologiis traditur, pluribus ostendit Baronius in Notationibus, & ad an. 352. n. II. & *seq.* De cœmeterio *Calepodii* via Aurelia, obvium habes Aringhium in Roma subterranea. Vide etiam de *Julio* Bollandianos socios hac die pag. 82. Kalendarium Vat. 3806. de *Julio* agit die XI. *Aprilis*, nescio an librarii vitio, quum cæteri omnes agant die XII. hujus.

13. *Apr.* E. *IDIBUS APRILIS.*

Euseb. lib. 4. cap. 4. APUD Pergamum Asiæ urbem, natalis sanctorum Carpi Episcopi, & Papyrii diaconi, & Agathonicæ optimæ feminæ, aliarumque multarum, quæ probatis confessionibus martyrio coronatæ sunt. Cum quibus & vir mirabilis Justinus Philosophus, qui habitu quoque philosophorum incedens, pro religione Christi plurimum laboravit, in tantum ut Antonino *Carpi, & Papyrii.* *Justini.*

Pio

Pio & filiis ejus, & Senatui, librum contra Gentes scriptum daret, ignominiamque Crucis non erubesceret. Cumque jam secundum librum successoribus præfati Imperatoris, idest, Antonino Vero, & Aurelio Commodo, pro religionis nostræ defensione porrexisset, remunerationem linguæ fidelis, martyrii munus accepit.

Idem Euseb. ibid. c. 8. & 11.

Hermenigildi.

Apud Hispaniam, natalis S. Hermenegildi, quem pater ejus Leovigildus Arianus, Gothorum rex, ob fidei catholicæ confessionem, inexpugnabilem videns, in carcerem & vincula conjecit: ubi nocte sancta Dominicæ resurrectionis, jussu perfidi patris, securi percussus in capite, regnum cæleste pro terreno, rex & martyr intravit. Scribit beatus Papa Gregorius.

Greg. l. 3. Dialog. c. 31.

Euphemia.

VARIA LECTIO. Cod. 512. 514. & Sangermanensis hac die ita incipiunt: „ In Calcedonia, natalis sanctæ Eufemiæ virginis & martyris, quæ tormenta „ & carceres, verbera, & armenta rotarum, ignes & pondera lapidum, bestias & „ plagas virgarum, secures, & sartagines igneas pro Christo superavit. Apud Per- „ gamum &c. In Appendicem rejecta est in Adone Rosvveidi.

Ed. *Papyrii*. Cod. Sangermanen. *Papilii*. Ed. *Agathonicæ*. Cod. Sangermanen. *Agatholicæ*. Ed. *Hermenegildi*. Cod. Sangermanen. *Hermigildi*. Cod. 512. & 514. *Hermenegildi*. Verba: *scribit beatus Papa Gregorius*, desunt in codicibus 512. 514.

Carpi, & soc.

ADNOTATIO. *Carpi*, *Papyrii*, & *Agathonicæ* elogium sumptum est ex Epistola Smyrnensis Ecclesiæ apud Eusebium lib. IV. cap. XV. ubi in fine, postquam de S. Polycarpi martyrio egit, ita habet, ex versione Rufini: *Post hæc etiam aliorum apud Pergamum Asiæ urbem martyrum gesta referuntur, Carpi cujusdam, & Papyri, & Agathonicæ optimæ feminæ, aliarumque multarum, quæ probatis confessionibus martyrio coronatæ sunt*. De *Carpo* agunt Hieronymiana pridie hujus diei. Eadem item die Martyrologium Ottobonianum *Carpi Episcopi* meminit, ut & Romanum parvum die XIII. hujus, cui *Papyrium*, *Agathonicam*, & generice multas alias adnectit. Die præcedenti ita meminit Rhinoviense: *Et in Asia Carpi Episcopi, & aliorum* XLII. Eadem die Rhichenoviense: *Et in Hasia* (pro *Asia*) *Carpi Episcopi, & aliorum* XLVII. Die vero XIII. *Pergamo Asiæ, Policarpi Episcopi: Pauli Diaconi*. Augustanum die XII. hujus, *In Asia, Carpi, Alibi, Julii, Agapi, Pauli, Opiniani, Valeri*. Ita fere Labbeanum. Eadem die Corbejense brevius: *In Asia Pergamo, natalis sanctorum Carpi Episcopi*. Martyrologium Reginæ Suecorum hac die XIII: *Pergamo Asiæ, Polycarpi Episcopi. Pauli Diaconi*. Usuardus Adonem contrahit, subsequitur Notkerus. De erratis Martyrologiorum, tum in horum martyrum nominibus, eorumque sociis, & martyrii tempore, deque iis conjuncto Justino martyre, consule Bollandianos hac die pag. 120. & item Sollerii observationem ad Usuardi Martyrologium hac die, ubi aliquantisper a sociis Bollandianis abit. Vide etiam Ruinartium ad Acta martyrum selecta.

Carpus martyrium fecisse visus est Baronio, *Antonino Pio* imperante, ac juxta illius supputationem A. D. 154. ut habet ad eum annum num. III. Alia vero die *Agathonicæ* martyrium consecutum esse existimat. Re tamen melius perpensa, quum in Actis Græcis horum martyrum legatur, hos martyres passus esse sub Decio, eos ad Decianam persecutionem revocat, ut habet ad an. 169. num. XXIII. *Justinus* martyr, & Apologista christianæ religionis percelebris, martyrio coronatus est, Præfecto Urbis Junio Rustico, anno ætatis LXXIV. Christi vero 165. & passus est anno tertio *M. Aurelii, & Lucii Veri*. De edicto persecutionis horum Imperatorum Pagius in Critica ad an. 152. num. IV. & de *Justini* martyrio ad an. 163. num. III. Acta ex Metaphraste refert Baronius an. 165. num. II. & *seq*. Latina habentur apud Papebrochium hac die pag. 104., & apud Ruinartium inter Acta martyrum selecta. Græce & Latine apud Bollandianos Junii tom. I. pag. 20. & *seq*. *Justinum*, de quo Græci in Typico Sabæ & in Menologiis, non esse distinguendum a Justino martyre, & apologista, censet post Halloixium Tillemontius tom. II.

Justini.

not. XIII. ad Justini vitam, & cum eo alii. De ejus scriptis post Bellarminum, Labbeum, & alios recentiores, nihil attinet memorare, quia luce clariora sunt. Vide nuperrimam Justini editionem, typis Parisiensibus curatam.

Hermenegildi. Primus inter Martyrolographos, qui *Hermenegildum* Martyrologiis accensuerit, Ado fuit, ut opinatur Sollerius. Adonem secuti sunt Usuardus, & Notkerus. Meminere item Wandelbertus, & Martyrologium Fuldense. In cæteris quæ viderim, siletur. Ex utroque Gregorio, nimirum Turonensi, & Gregorio Magno fuse de rebus illius gestis, ac martyrio agit Baronius ad an. 583. num. XXXIII. *& seq.* & an. 584. num. IV. *& seq.* Martyr obiit, ut putat Baronius, die XIII. Aprilis an. 584. At Bollandiani existimant id contigisse an. 586. die XIII. *Aprilis*, quæ in *Sabbatum Paschatis* incidit, qua die interfectus *Hermenegildus* est, ut narrat S. Gregorius lib. III. Dialogor. cap. XXXI. Veterum Chronographorum sententiam de variis annis, quibus martyrium Hermenegildi referunt, habes apud Baronium in Notationibus hac die. Alii enim an. 583. alii an. 584. alii 586. interfectum esse volunt. Pagius vero in Critica ad an. 584. num. V. contra Bollandianos, Hermenegildi martyrium, ex Abbate Biclariensi, & Gregorio Turonensi, anno 585. die XXIV. *Martii* affigit. Mihi tamen potior videtur Bollandianorum sententia, nam Jo: Biclariensis locus, ad annum Christi 584. potius refertur a Mabillonio Annal. Bened. lib. VII. §. XXVII.

Euphemiæ. Codices nostri hac die agunt de *S. Euphemia* virgine & martyre, Chalcedone. A Mosandro vero in Appendicem hac die rejecta fuit. Num recte, nunc investigabimus. Cultus hujus martyris celeberrimus semper apud Græcos & Latinos fuit, & in veterrimis Martyrologiis, tum hac die, tum die XVI. *Septembris* de eadem martyre agitur. Hac die XIII. *Aprilis* de natali *S. Euphemiæ* virginis, *Chalcedone* passæ, agunt apographa Hieronymiana, Gellonense, Rabanus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Reginæ Suecorum, Corbejense brevius, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Kalendarium Palat. Vat. 485. Kalend. Vat. 3806. Rursus eorum pleraque de eadem agunt die XVI. *Septembris*. De celeberrimo cultu *Euphemiæ* hac die XIII. *Aprilis* nos dubitare non sinit codex Sacramentorum Gelasianus, in quo pag. 149. ad diem XIII. *Aprilis* orationes Missæ: *In nativitate sanctæ Euphemiæ* leguntur. Item in Missali plenario Vat. 4770. ubi Præfatio peculiaris de eadem. Quid ergo ambigendum est de vera Adonianorum codicum lectione, quum tot veterum testimonia præsto sint? Silet quidem genuinus Usuardus hac die, & agit tantum de ea die XVI. *Septembris*. Ex unius Usuardi tamen sententia, aliorum auctoritas non est labefactanda. Sacramentaria, & Capitularia Evangeliorum Gregoriana agunt solummodo de *S. Euphemia* die XVI. *Septembris*, qua die nos quoque ex Actis agemus. Interim vide Bollandianos ad diem XIII. Aprilis pag. 129. & Menardi notas in Sacramentarium pag. 150.

---

14. *Apr.*

F. XVIII. KALENDAS MAII.

Tiburtii, Valeriani, & Maximi ROMÆ via Appia in cœmeterio Prætextati, natalis sanctorum martyrum Tiburtii, Valeriani, & Maximi, sub Almachio præfecto: quorum primi fustibus cæsi, & gladio sunt percussi, ultimus tamdiu ad plumbatas verberatus, donec spiritum redderet. *De his in gestis Cæciliæ 22. Nov.*

Proculi. Interamnæ, sancti Proculi martyris.

Domnæ. Item S. Domnæ virginis, cum sociis virginibus coronatæ.

Frontonis. Apud Alexandriam, sancti Frontonis Abbatis, cujus vita exstitit sanctitate & miraculis gloriosa.

VARIA LECTIO. Codices 512. & 514. hac die incipiunt: *Romæ, natalis, sanctorum martyrum Tiburtii &c.* Post extremum verbum: *gloriosa*, iidem codices, addunt: *Eodem die Dedicatio basilicæ sancti Georgii* (Cod. 512. *Gregorii*) *martyris squantii*. *Dedic. basilic. Sancti Georgii*

Tiburtii, & soc. ADNOTATIO. Celeberrimus Romæ antiquitus fuit *Tiburtii, Valeriani, & Maximi* martyrum cultus. Agunt in primis de iis hac die Hieronymiana, Beda, Rabanus, Gellonense, Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, Notkerus, Wandelbertus, Martyro-

tyrologium Fuldense, Ottobonianum, Reginæ Suecorum, Kalendarium Palat. Vatic. 485. Vat. 3806., Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense brevius. Iterum de his agit Martyrologium Reginæ Suecorum die XXI. *Aprilis*, his verbis: *Romæ, in cymiterio Calisti, via Appia, natalis sanctorum Valeriani, Maximi, Tiburtii.* Adde Sacramentaria Gregoriana, cæterosque libros Liturgicos Gregoriani ordinis. Vide Capitularia Evangeliorum tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 257. Subtus confessionem Ecclesiæ S. Cæciliæ in Urbe hæc parieti infixa legitur vetustissima inscriptio: SANCTIS MARTYRIBUS TIBURTIO BALERIANO ET MAXIMO S. QUORUM NATALES (sic) EST XVIII. KALENDAS (sic) MAJAS. Acta expendunt Bollandiani hac die pag. 203. a quorum sententia abit Tillemontius tom. III. pag. 259. & 689. De his Actis aliquantulum dubitat Baronius ad an. 232. num. XII.

Proculi. Domnæ. *Proculum* martyrem, & *Domnam*, seu *Domninam* (ut præfert Usuardus) virginem & martyrem cum sociis virginibus, *Interamnæ* martyrio affectas, commemorat hac die idem Usuardus genuinus. *Proculi* meminit Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum, nullo tamen martyrii designato loco. *Dominam* virginem & martyrem, cum sociis virginibus, *Interamnæ* coronatam commemorat Martyrologium Ottobonianum. Alia Martyrologia silent, præterquam Hieronymiana, quæ de *Domnina*, vel *Domnis* extremo loco agunt. Breviter de utrisque hac die Bollandiani socii p. 811. Alii *Proculi* Interamnates visuntur apud eosdem Bollandianos die XVI. *Feb.* p. 862. & die 1. *Maii*, pag. 45.

Fronto Abbas *apud Alexandriam* celebratur hac die a Hieronymianis, ab Adone nostro, ab Usuardo, Rabano, & Notkero. Adde Martyrologium Ottobonianum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Kal. Vat. 3806. De illius Vita apud Rosvveidum de Vitis Patrum lib. I. cap. XLVII. Eam recusam, & illustratam habes ab Henschenio in Actis hac die pag. 201. & a Papebrochio die XIV. Maji, in vita S. Pachomii, & in Responsionibus ad articulum XV. §. 13. n. 169. Floruit c. A. D. 380. Erratum Petri de Natalibus, qui *Frontonem* cum *Frontino* Petragoricensi Episcopo commiscet, emendat Florentinius pag. 438. *Frontonis.*

Dedicatio Basilicæ *S. Gregorii*, quæ in nostris codicibus additur, legitur etiam in Auctario Usuardi Antuerpiensi, iisdem verbis. Sollerius ad hæc, quis locus hic indicetur, se ignorare fatetur. Hactenus & mihi incompertum est, quæ dedicatio Basilicæ in honorem *S. Georgii* designetur. *Dedic. basilic. sancti Georgii*

G. XVII. KALENDAS MAII. *15. Apr.*

De his in vita sancti Laurentii 10. Aug. IN civitate Cordula, natalis sanctorum Olympiadis & Maximi nobilium, qui jubente Decio fustibus cæsi, & deinde plumbatis, ad ultimum capita eorum securibus tunsa, donec emitterent spiritum. *Olympiadis & Maximi.*

Item in Hispaniis, civitate Cæsaraugusta, natalis sanctorum octodecim Martyrum, Optati, Luperci, Successi, Martialis, Urbani, Julii, Quintiliani, Publii, Frontonis, Felicis, Cæciliani, Evoti, Primitivi, Apodemi, & reliquorum quatuor, qui omnes Saturnini vocati referuntur. *Optati, & soc.*

De his in vita Nerei & Achillei 12. Maii. Apud Italiam, natale sanctorum martyrum Maronis, Eutychetis, & Victorini: qui cum beata Flavia Domitilla apud insulam Pontiam longum ducentes exilium, eamque in Christi confessione pio foventes solatio, invidia atque insectatione Aureliani sponsi, & persecutoris ejus, quem illa ob Christum contempserat, postmodum a Principe Nerva eidem Aureliano in servitutem traditi sunt. Quos ille primum quasi servos per sua prædia singulos divisit, jussitque eos terram fodere per totum diem, ad vesperam vero cantabrum manducare. Deinde cum plurimos ad fidem Christi converterent, & populum credentium ampliarent, *Maronis & soc.*

rent, repletus ira a diabolo, misit qui vario genere pœnarum interficerent eos. Nam Eutychen in media via tamdiu cædi jussit, donec spiritum exhalaret. Cujus corpus rapuit populus Christianorum. Victorinum vero apud eum locum qui Cotilias appellatur, ubi putentes aquæ emanant & sulphureæ, capite deorsum per horas tres suspensum teneri jussit. Quod cum per triduum pro nomine Christi passus fuisset, migravit ad Dominum. Cumque una die jussu Aureliani corpus ejus inhumatum jacuisset, venerunt Amiternenses populi Christiani, & sapientes in suum territorium transtulerunt. Maronem autem, misso amico suo, nomine Turgio, jussit idem Aurelianus duci, & saxo ingenti opprimi. Sed protegente Domino, in nullo eum lædere potuerunt. Quem Consularis accepto ab Aureliano præcepto, interfecit, corpusque ejus Christianus populus rapuit, & condigno honore sepelivit.

VARIA LECTIO. Ed. *Cordula*. Codex Sangermanen. *Corduba*. Ed. *tunsa, donec*. Cod. Sangermanen. *tunsa sunt, donec*.

Olympiadis, & Maximi. ADNOTATIO. *Olympiades, & Maximus*, martyres coluntur hac die a Beda, Romano parvo, Adone nostro, Usuardo, & Wandelberto: quibus adde Martyrologium Ottobonianum, Fuldense, & Reginæ Suecorum. Locus martyrii varia Martyrologiorum lectione corruptus est. Ado legit: *In civitate Cordula*. Usuardus: *Apud Persidem in civitate Cordula*. Martyrologium Ottobonianum: *In Spanis Cordoba civitate*. Romanum parvum, *Cordulæ*, tantum. Martyrologium Fuldense, & Reginæ Suecorum: *In civitate Cordula*. Hinc apud eruditos disputatur, quæ sit hæc urbs *Cordula*, *Corduba*, & *Corduena*, ut vult Baronius. Apud veteres Geographos memoratæ urbes occurrunt. Baronius in Notationibus hac die, apud *Corduenem*, urbem in Perside hos martyres passos esse scribit. Martyrologium Ottobonianum *Cordubensi* in Hispania urbi hos martyres attribuit, secus censet Henschenius in Actis ad hanc diem pag. 375. Cordubenses in Hispania, eos sibi vendicant. Nodum solvere nescio. Sed vide quæ dicemus ad diem xxi. *Aprilis*.

Optati, & soc. *Optatus*, & socii martyres *Cæsaraugustani* confuse nimis ex Hieronymianis erui videntur, anceps tamen est Sollerius, an ex eorum fonte derivari possint. Agit de his Usuardus die crastina. De nominibus horum martyrum, eorumque serie inquiritur a Bollandianis tum die xxii. *Januarii*, tum die xvi. *Aprilis* pag. 406. Ex hymno Prudentii hi martyres sumpti sunt. Martyrologium Romanum agit die xvi. *Aprilis*. Cætera alia Martyrologia de his silent.

Maronis & soc. *Maronis*, & sociorum martyrum nomina hac die leguntur in apographis Hieronymianis apud Florentinium, quanquam corrupte. Eruitur tamen ex iis, hos martyres, scilicet *Maronem*, *Messorem*, *Proclinum*, & *Mesitem* coli in *monte aureo* Piceno provinciæ. Romanum parvum habet: *In Italia*, *Maronis*, *Eutychetis*, & *Victorini*. Hæc tantum nomina leguntur apud Usuardum. Richenoviense habet: *In Picino*, *Maronis*, & *Mestoris Episcopi*. Richenoviense: *In Pirino*, *Maronis*, & *Messoris Episcopi*. Augustanum: *Biemo* (pro *Picino*) *Marianis*, *Messoris*, *Mositii*. Labbeanum: *Piscano* (loco *Piceni*) *Mortanis*, *Messoris*, *Moasitis*. Corbejense brevius: *Piceno*, *in Aurea monte*, *Maronis*. Martyrologium Ottobonianum: *Pyrino in aureo monte*, *natale sanctorum Maronis & Messoris*. Vide quanta vulnera horum martyrum nominibus, ac martyrii loco, & provinciæ a librariis ob imperitiam, licet invito, inflicta fuerint. Quis autem sit hic mons aureus in Piceni provincia, præter ea quæ habet Florentinius in notis, detegere studuit vir egregius Jo. Marangonus in erudito Commentario ad Acta S. Victorini Episcopi Amiterni & martyris, Romæ edito anno 1740. Ibi enim pag. 48. & 49. censet, *montem aureum* haud procul esse a *Novana*, diœcesis Firmanæ opido, nunc *Civitas nova* appellata. *Novani*, ait ille, ubi templum *Maroni* ad oram maris ædificarunt, locum dixerunt,

runt, *Ripam* seu *Castrum & portum S. Maronis*. Existimat autem, *Novanos* ex pinguedine soli, ex monticuli forma, locum, *Ripam* primum, seu *castrum S. Maronis*, ac etiam *aureum montem* nuncupasse. Conjecturam Florentinii, putantis, *montem aureum*, esse *montem sanctum* vulgo, refellit. Acta horum martyrum ex Actis SS. Nerei & Achillei derivata, haud sincera esse fatentor viri docti. Vide quæ de Marone & sociis habent hac die Bollandiani pag. 373.

A XVI. KALENDAS MAII. 16. Apr.

APUD Corinthum, Callisti & Carisii cum aliis septem, omnium in mare mersorum. *Callisti, & soc.*

VARIA LECTIO. Cod. 512. 514. & Sangermanensis ita incipiunt:
„ Cæsar-Augustæ, sanctorum XVIII. martyrum, Quintiliani, Casiani, Matuti- *Martyr.*
„ ni, Publii, Urbani, Martialis, Fausti, Successi, Felicis. Januarii, Primitivi, Euoti, XVIII.
„ Ceciliani, Optati, Frontonis, Luperci, Apodemi, & Julii. Hi omnes sub Datiano
„ præside Hispaniarum poenis affecti, atque interempti sunt. Apud Corinthum &c.

Callisti, & soc. ADNOTATIO. De *Callisto*, *Carisio*, aliisque martyribus Corinthiis agunt hac die Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, Rabanus, Notkerus, & Wandelbertus. Martyrologium Ottobonianum habet. *In Achaja Coriato* (sic) *natalis sanctorum Calesti, Caridi, Leonidii*. Rhinoviense: *In Corintho, Carissimi, Leonidis*. Ita Richenoviense, nisi quod *Carisii*, pro *Carissimi* legit. Augustanum: *Achiæ* (pro *Achajæ*) *Carissimi martyris*. Labbeanum: *Achaja Corissimartyris*. Corbejense brevius: *In Achaja, Corintho civitate, natalis sanctorum Calesti, Carissi, Leonidis, Lotæ, Tertiæ, Christianæ*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Achaja, Corintho civitate, natalis sanctorum Calisti, Carisii, & aliorum VII*. Ex his, licet inter se vitio potius librariorum corruptis Martyrologiis, si non de vero horum martyrum numero, ac nomine erudimur, vetustissimus eorum cultus elicitur. Reliqua vide apud Bollandianos hac die pag. 405. & apud Sollerium in Usuardum, & Florentinium in Notis.

De *martyribus octodecim* Cæsaraugustanis egimus cum vulgato Adone ad diem superiorem; quare vide ibi adnotata. *Martyr. XVIII.*

E. XV. KALENDAS MARTII. 17. Apr.

Cypr. ep. 9. Item Luciani epist. 22. apud eund. de sociis. APUD Africam, natale S. Mappalici, qui cum aliis pluribus martyrio coronatus est. Scribit B. Cyprianus in epistola ad martyres & confessores de illo hoc modo: *Vox plena spiritu sancto de martyris ore prorupit, cum Mappalicus beatissimus inter cruciatus suos Proconsuli diceret: Videbis cras agonem. Et quod ille cum virtutis ac fidei testimonio dixit, Dominus implevit. Agon cælestis exhibitus, & Dei servus in agonis promissi certaminis coronatus est.* Et post pauca: *Hunc igitur agonem per Prophetas ante prædictum, per Dominum commissum, per Apostolos gestum, Mappalicus suo & collegarum suorum nomine, Proconsuli repromisit: nec fefellit in promisso suo vox fidelis: pugnam quam spopondit, exhibuit; & palmam quam meruit, accepit. Istum nunc beatissimum martyrem, & alios participes ejusdem conpressionis, & comites, in fide stabiles,* *Mappalici, & soc.*

les, in dolore patientes, in quæstione victores, ut ceteri quoque sectemini, & opto pariter & exhortor: ut quos vinculum confessionis, & hospitium carceris simul junxit, jungat etiam consummatio virtutis, & corona cælestis.

Petri, & Hermogenis. Apud Antiochiam, natalis SS. Petri diaconi, & Hermogenis.

Pantagathi. Apud Viennam, S. Pantagathi Episcopi.

VARIA LECTIO. Ed. & *alios* Cod. Sangermanen. & *duo*. In codicibus 512. & 514. deest natalis *sancti Pantagathi*.

Mappalici ADNOTATIO. *Mappalici* cultus majore omnium testimonio commendatur, nimirum S. Cypriani, cujus verba Ado noster ad illius elogium evulgandum usurpavit. De eo agunt Hieronymiana, sed mixtim cum aliis. His succedunt Romanum parvum, Usuardus, Wandelbertus, & Notkerus. Silent Beda, Florus, & Rabanus. At in veterrimo Kalendario Carthaginensi illius nomen ad XIII. (pro XV.) *Kal. Maji* adnotatur, sine aliorum cohorte. In Martyrologio Fuldensi memoratur *Mappalicus* una cum sociis martyribus. In Ottoboniano recensentur aliquot martyres Africani nominatim, quibus alii *quatuor* adduntur, sed *Mappalicus* omittitur. Rhinoviense hac die inter Africanos martyres enumerat solummodo *Fortunatum*, & *Martianum*. Richenoviense vero ita habet: *Et in Africa, Fortunati, & Martiani. Quinti,* MAPPALICI, *Baruci, Victorini, Donati, Galli, Juliani*. Augustanum aliquos ex his omittit, ac hos inter, *Mappalicum*. Labbeanum ad verbum ea habet, quæ Augustanum. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Africa, Victorini, Januarii, & Juliani presbyteri, Mappalico* prætermisso. Cætera, quæ ad elogium Cyprianicum hujus martyris attinent, habes apud Bollandianos hac die pag. 480. & diligentissime collecta & illustrata a Tillemontio tom. III. pag. 378. & *seq.* Passus est an. 250.

Petri, & Hermogenis. *Petrus* & *Hermogenes* mixtim cum aliis eruuntur ex Hieronymianis. Apertius innotescunt ex Romano parvo, Adone, Usuardo, Rabano, Notkero, Wandelberto. Martyrologium Ottobonianum habet: *In Antiochia, natalis Petri diaconi, Hermogenis ministri sancti Petri, Fortunati, Marciani*. Hi duo postremi a Rabano quoque, *Petro* additi sunt. *Petri diaconi, & Hermogenis* meminere hac die Rhinoviense, & Richenoviense. Item Augustanum, & Labbeanum, quæ eis consociant *Martianum*. Corbejense brevius præter *Martianum*, addit etiam *Fortunatum*. Martyrologium Reginæ Suecorum ita præfert: *In Antiochia, natalis sanctorum Petri diaconi, & Hermogeni ministri Petri*. Vide de his Bollandianos hac die pag. 479.

Pantagathi. Codices nostri *Pantagathum* Viennensem Episcopum prætereunt; sed cum in vulgatis habeatur, non divinare se posse fatetur Sollerius, cur ab Usuardo prætermissus sit. Nos dicemus, quia in purioribus Adonis codicibus eum non invenerat. Floruit *Pantagathus* c. A. D. 540. Consule de eo Bollandianos hac die pag. 486. ut Sammarthanorum Galliam christianam, & alios omittamus.

18. Apr. C. XIV. KALENDAS MAII.

Eleutherii. APUD Messanam * Apuliæ civitatem, natalis sanctorum martyrum Eleutherii Episcopi, & Anthiæ * matris ejus: qui beatus Episcopus cum esset & sanctimonia vitæ, & miraculorum virtute illustris, sub Adriano Principe, in confessione Christi, lectum ferreum ignitum, craticulam, & sartaginem oleo, pice, ac resina ferventem, superans, leonibus quoque projectus, sed ab his illæsus, novissime, una cum matre, gladio jugulatur.

* al. *Misenam.*
* al. *Avanthia.*

Item

Euseb. h. E. 5. cap. 20. 21. Ruffini. Item eodem die Romæ, sancti Apollonii Senatoris, qui sub Commodo Principe, a servo proditus quod Christianus esset, imperatus ut rationem fidei suæ redderet, insigne volumen composuit, quod in Senatu legit. Et nihilominus sententia Senatus, pro Christo capite truncatus est: veteri apud eos obtinente lege, absque negatione non dimitti Christianos, qui semel ad eorum judicium pertracti essent. *Apollonii.*

Ursmari. In Laubaco monasterio, transitus S. Ursmari Episcopi & confessoris.

VARIA LECTIO. In codicibus 512. 514. & in Sangermanen. post extremum verbum: *Episcopi & confessoris*, hæc habentur:

Dedicat. alt. S. Stephan. Autisiodor. „ Autissiodero, dedicatio altaris senioris Ecclesiæ sancti Stephani prothomartyris Christi: nam antiqua dedicatio quæ a beato Amatore celebrata est v. Non. Octobris, in antiquissimis Martyrologiis reperitur. Ceterum hæc consecratio altaris quæ celebratur xiv. Kal. Maji, illa esse deprehenditur, quæ peracta est a beato Desiderio Episcopo, quando eandem basilicam ab orientali parte magno ampliavit decore, ubi & altare transtulit, ac solemniter consecravit.

De *Ursmaro* codices nostri agunt die insequenti.

ADNOTATIO. Ex depravata codicum lectione, & ex librariorum inscitia non levis est orta perturbatio, de loco martyrii, aut natali *S. Eleutherii Episcopi, & martyris*. *Eleutherii.* Colitur autem hac die in veterrimis Ecclesiasticis tabulis. Hieronymiana cum *Roma* celebrant his verbis: *Romæ, natalis sancti Eleutherii Episcopi, & Anthiæ* (seu *Antiæ*) *matris ejus*. Romanum parvum habet: *Apud Messanam Apuliæ, Eleutherii Episcopi, & Anthiæ matris ejus*. Ado & Usuardus: *Apud Messanam Apuliæ civitatem* præferunt. Florus, *Romæ* habet: Rabanus, omisso loco, narrat, *Eleutherium* fuisse *Aquilejæ* Episcopum ordinatum. *Misenæ Apuliæ* nomina, apud nonnullos leguntur. Martyrologium Poldense habet: *Romæ, depositio sancti Eleutherii Episcopi*. Kalendarium Palat. Vat. 485. *Natalis sancti Eleutherii Episcopi cum matre sua*. Richenoviense: *Romæ, Partenii & Caloceri, & Eleutherii Episcopi, Apollonii*. Augustanum turmatim cum aliis meminit *Eleutherii Episcopi*, sine ulla loci designatione. Ita Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, Eleutherii Episcopi, & Antiæ matris ejus*. Kalendarium Palat. Vat. 499. habet: *Eleutherii presbyteri*; errore librarii (pro *Episcopi*). Martyrologium Romanum ita præfert: *Messanæ* (al. *Messapiæ*) *natalis sanctorum martyrum Eleutherii Episcopi Illyrici, & Anthiæ matris ejus*. Multum desudat Baronius in Notationibus ad hunc locum, ut cujus urbis Episcopus fuerit Eleutherius, detegat. Erroris in primis redarguit Nicephorum, quod lib. III. cap. xxix. scribat, *Eleutherium*, Romæ eruditum fuisse a S. Aniceto Romano Pontifice. Erroris item redarguit Bedam, qui scripserit, Eleutherium, *Aquilejæ* fuisse *Episcopum* ordinatum. Id tamen non Bedæ genuino, sed Rabano tribuitur. Codices item, & editi libri, ut animadvertit Baronius, variant; nam alii habent, *Miserii*, alii *Miseni*, alii *Messanæ in Apulia*, & quum Eleutherii, neque *Miseni* in Campania, neque *Messanæ* in Sicilia unquam Episcopi mentio fiat, censuit emendandum esse locum, ut pro *Messana* legendum sit *Messapiæ*, quæ fuit *Apuliæ* urbs prope Tarentum, ut ex Plinio lib. III. cap. xi. habetur. Sed *Messapia*, de qua Plinius, non est nomen urbis, sed regionis in Salentinis, quam partem Græci *Japygiam* frequenter appellabant. Plura Papebrochius de *Eleutherio* hac die pag. 528. *& seq.* in Commentario prævio præmittit, quem a Græcis coli die xv. *Decembris* tradit, eique martyri templum ædificatum fuisse ex Codino in Originibus Constantinopolitanis narrat. Acta Græca Simeoni Metaphrastæ tribuuntur, & edidit Græce Papebrochius ibidem. Nonnulla de his profert Tillemontius tom. II. pag. 227. Acta Græca, Eleutherium Episcopum in Illyrico factum narrant, Petrus de Natalibus in Catalogo lib. IV. cap. XXI. Episcopum Cannensem eum statuit. Tricis & ambagibus omnia implicita esse, tradit Baronius, ac Sollerius in Usuardum. Illud autem exploratum est, in Ecclesia Mediolanensi *Eleutherii* cultum esse vetustissimum; nam in Indiculo seu Capitulari Epistolarum ad usum Ecclesiæ

Mediolanensis ex Codice Reginæ Suecorum, sæculi VIII., a Thomasio primum, & a nobis editu t. III. p. 227. de Liturgia Rom. Pont. ubi nomina martyrum tantum occurrunt, ante natalem *S. Georgii* habetur: *In sancti Eleutherii*, qui ad *Eleutherium* Episcopum & martyrem est referendus.

Apollonii. *Apollonii* Senatoris Romani & martyris ex Eusebio lib. V. cap. XXI. & Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XLII. meminere Ado noster, Usuardus, Romanum parvum, & Notkerus. Meminit & Richenoviense. De illius martyrio Baronius ad an. 189. n. 1. *& seq.* Pagius in Critica ad an. 187. n. III. passum esse existimat an. 186. Vide Bollandianos hac die pag. 928.

Ursmari. De *Ursmaro* codices nostri agunt die crastina, ut & Usuardus genuinus, quare de eo die insequenti.

Dedic. alt. S. Stephani. *Dedicatio* altaris S. Stephani in Ecclesia Autisiodorensi memoratur hac die a Corbejense breviori, his verbis: *Autisiodoro in Galliis, dedicatio altaris senioris Ecclesiæ*. Agitur etiam hac die de hujusmodi dedicatione in Auctariis Usuardi, & apud Usuardum Molani. De hac dedicatione agit Hericus monachus in Historia Episcoporum Autisiodorensium cap. XX. in vita S. Desiderii Episcopi Autisiodorensis, apud Labbeum Bibliothecæ novæ MSS. tom. I. pag. 423. his verbis: *Basilicam sane beati Stephani, cui sedit* (Desiderius) *miro decore ampliavit, ingenti testudine a parte orientis applicita, utroque de musiva splendidissime decorata, instar ejus, quam Syagrius Episcopus Augustoduni fecisse cognoscitur. Altare quoque antiquum eo transponens sub die* XIII. *Calend. Majarum solemniter dedicavit, ubi & hac dona obtulit*. Subjicit multa dona quæ idem Desiderius obtulit. Vixit autem Desiderius, ut ibi præfatur Hericus Monachus, Phoca & Heraclio imperantibus.

---

19. *Apr.* *D. XIII. KALENDAS MAII.*

IN Armenia, civitate Militana, natalis SS. Hermogenis, Caji, Expediti, Aristonici, Rufi, Galatæ, una die coronatorum. *Hermogenis, & sociorum.*

Vincentii. Caucoliberi Hispaniæ, natalis S. Vincentii martyris.

Timonis. Apud Corinthum, S. Timonis, de illis VII. diaconibus primis. *Act. 6. Vid. lib. de fest. Apost.*

VARIA LECTIO. Ed. *Caucoliberi Hispaniæ &c.* Codex Sangermanen. *Apud Septimaniam, civitate Caucoliberi, natalis S. Vincentii martyris*. Deinde sequitur in Sangermanen. & in codicibus 512. & 514.

Ursmari. „ In cœnobio quod dicitur ad Laubias, depositio beati Ursmari Episcopi & con-
„ fessoris, cujus gesta habentur. Eodem die, sancti Thimonis diaconi, qui apud He- *Timonis.*
„ roeam primo doctor resedit; deinde verbum Domini disseminans, venit Corinthum;
„ ibique zelantibus Judæis, & nomen Christi persequentibus Græcis, traditus, primo
„ flammis injectus est, sed nihil illæsus, dein cruci affixus, martyrium suum imple-
„ vit, sepultus apud Corinthum gloriose.

Hæc eadem habet vulgatus Ado in libello de festivit. Apostolorum.

Hermogenis. & soc. ADNOTATIO. *Martyres Armeni* celebrantur hac die in Hieronymianis, Romano parvo, Adone nostro, Usuardo, Notkero, & Wandelberto. Discrepant aliqua in nominibus enunciandis. Corrupta sunt & alia, ut Rhinoviense, in quo: *Africa, Frmogenis. Et in Spaniis, Vincentii & Gagi. In Armenia Militanæ civitate, Gagi &c.* Ita Richenoviense, in quo post *Gagi*, additur: *Expediti, Aristoni, Cirusi, Galatii*. Augustanum: *Armenia, Frmogenis, Gagi, Rufi martyris. Fortunati, Soricani, Donati. Alibi, Vincentii, Vitalis martyris*. Ita Labbeanum. Corbejense brevius: *In Militana civitate Armeniæ, Hermogenis*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Militana, civitate Arminia, natalis sanctorum Hermogenis, Gagi, cum aliis* VIII. Ottobonianum: *In Armenia, Militana civitate, natalis sanctorum Expediti, Fortunati, & Gagi, & Aristodici, uno die coronatorum*. En nova codicum male descriptorum bis martyribus vulnera illata. Adoni in nominibus consentiunt Romanum parvum, Usuardus, Notkerus, & Wandelbertus. *Militana*,

tana, rectius *Melitene*, fuit urbs Cappadociæ, atque adeo *Armeniæ*, de qua Geographi veteres apud Martinerium, verbo *Melitene*. Vide insuper de his martyribus Bollandianos socios hac die pag. 819.

Vincentii. *Vincentius* martyr in Hispania colitur hac die in nonnullis apographis, quæ citavimus. In primis de eo meminere Hieronymiana, Ado noster, & Usuardus. De variis *Vincentiis*, in Hispaniis, sacra fastorum celebritate claris, Baronius in Notationibus hac die, ut & de urbe *Caucoliberi*, quæ vulgo *Coiibre*, in Catalonia, provincia Tarraconensi prope Perpinianum & Heleoam. Qua de re Bollandiani hac die pag. 622. ac Tillemontius tom. v. pag. 612. Abire videtur a Baronii sententia Martinerius in Dictionario Geographico, verbo *Caucoliberi*, & *Coliavre*. Codices nostri non *Hispaniæ*, sed *Galliæ Narbonensi*, dum habent: *Apud Septimaniam*, hanc urbem tribuunt. Sed leviora momenti hæc sunt.

Timonis. *Timanis* natalis memoratur hac die principe loco ab Usuardo, Romano parvo, & Notkero. Alia vulgata Martyrologia silent. Martyrologium vero Fuldense ejus elogium, ex Adone exornavit. Nonnulla profert Henschenius de eo hac die pag. 620. ex Martyrologiis.

Vrsmarus, seu *Vsmarus* celebratur hac die ab Usuardo genuino, sed his tantum verbis in editione Sollerii: *Cænobio Laubiis, sancti Vrsmari Episcopi & confessoris*. In codice Usuardi Pratensi legitur: *In Hainoensi, sancti Orsmari Episcopi & confessoris*. Hanc lectionem adversus Sollerium tuetur Bovillartius, quia solemne est, inquit, Usuardo, ut *Pagum* designet, quoties monasterium aliquod in eo *Paga* situm, vult designare. Sed hæc missa faciamus. *Vrsmarus* fuit Abbas *Laubiensis*, vulgo *Laubes*, in tractu Cameracensi, itemque Episcopus, forte regionarius. Plura qui de eo, ejusque rebus gestis egerunt, recenset Baronius in Notationibus ad hunc diem. Vide Bollandianos hac die pag. 557. Obiit A. D. 713. ut habet Mabillonius Annal. Bened. lib. XIX. §. LXVII. *Vsmari.*

E. XII. KALENDAS MAII. *20. Apr.*

Pontifical. cap. 15. ROMÆ, S. Victoris Episcopi, qui tertius decimus post B. Petrum, rexit Ecclesiam annis decem, & sub Severo Principe martyrio coronatur. *Victoris Papæ.*

Item Romæ, SS. martyrum Sulpitii & Serviliani, qui prædicatione & miraculis B. Flaviæ Domitillæ ad fidem Christi conversi sunt (quæ etiam sponsas eorum Theodoram & Euphrosynam ad spem vitæ æternæ, & perseverantiam sanctæ virginitatis lucrata fuerat) persecutione Trajani, cum nollent idolis immolare, a Præfecto Urbis Aniano capite cæsi sunt. Quorum corpora Christiani rapientes, posuerunt in prædio eorum, via Latina, milliario secundo. *Sulpitii & Serviliani.* *De his in gestis Nerei & Achillei 12. Maji.*

Greg. Turon. de glor. conf. c. 69. Eodem die in Galliis, civitate Ebredunensi, S. Marcellini primi ejusdem urbis Episcopi & confessoris: qui divino jussu, cum sanctis sociis Vincentio & Domnino ex Africa veniens, maximam partem Alpium maritimarum, verbo & signis admirandis, quibus usque hodie refulget, ad fidem Christi convertit: ita ut Baptisterium, quod ipse apud præfatam urbem condidit, in sacrosanctis Paschalis festi vigiliis, divina virtute, singulis annis aquis subditis inundetur, & per septem ejusdem solemnitatis dies, gratia exuberante permaneat. Venerabiles socii ejus apud Diniensium urbem conditi, gloriosis nihilominus miraculis commendantur. *Marcellini, & soc.*

Mamertini, & Mariani.

VARIA LECTIO. In codicibus 512. 514. & Sangermanen. post verbum: *milliario secundo*, sequitur: „ Autissiodero, depositio sanctorum confessorum „ Mamertini & Mariani presbyterorum, quorum primus cum esset sacerdos idolorum, „ eorumque sacrificiis studiose insisteret, divino nutu cæcitatem unius oculi & ariditatem „ manus pertulit. Qui postea miraculis visionis amonitu (sic) beatum Germanum ex- „ petiit, atque ab eo non solum baptismi gratiam percepit, sed & sanitatem promeruit. „ Quique denique congregationi monachorum ipsius reverendissimi patris se socians, & „ vitæ sanctitate conspicuus extitit, & patri monasterii a Lodio (sic) qui tunc forte „ præerat, vitæ meritis successit. Alter vero in eodem monasterio non longo post tem- „ pore monachus fuit, cujus & vita miraculis claruit, & mors pretiosa nihilominus „ miraculis refulsit.

Dedic. Eccles. S. Michaelis. *Translat. S. Exuperantiæ.*

Sequitur deinde in codice Sangermanensi tantum: „ Eodem die, dedicatio Eccle- „ siæ sancti Michaelis Archangeli, & translatio sanctæ Exuperantiæ virginis.

Victoris.

ADNOTATIO. *Victoris Episcopi* nomen in vetustioribus Martyrologiis occurrit; dubitatum est tamen ab Henschenio in Actis ad hunc diem pag. 749. an *Victor* Romanus Pontifex sit, & an *martyr*; atque affirmat, hunc *Victorem*, Romanum Pontificem non esse, sed aliquem Episcopum, Romæ passum, quia in Hieronymiania, & aliis *Episcopus* tantum dicitur, & *Victorem* Pontificem a Rabano, Notkero, & aliis, ac etiam in Martyrologio Romano coli die XXVIII. *Julii*. Ab ejus sententia recedunt Papebrochius, Florentinius in notis hac die, ac Tillemontius tom. III. p. 1.0. Interim vetustiorum Martyrologiorum testimonia non sunt prætereunda. Apographa Hieronymiana de *Victore* agunt, & turmatim cum aliis eum enumerant, hoc pacto: *Romæ, depositio S. Victoris Episcopi, Felicis, Alexandri Papæ*. Beda genuinus vacat. Romanum parvum: *Romæ, Victoris Episcopi & martyris*. Gellonense: *Romæ, Victoris*. Ado noster, Usuardus, Rabanus, & Notkerus de *Victore* Romano Pontifice, & *martyre*, sub *Severo* Principe in eandem sententiam agunt omnes, nisi quod apud Adonem & Notkerum est ordine *tertius decimus*, apud Usuardum est *quintus decimus*. Alia Martyrologia *Victorem* hac die recolunt. Martyrologium Ottobonianum, & Regium Suecorum: *Romæ, depositio sancti Victoris Episcopi*. Rhinoviense: *Romæ, depositio Victoris Episcopi, Felicis*. Ita Richenoviense, & post *Felicem* addit: *Alexandri, Silviani*. Augustanum: *Romæ, Victoris, Agoracii, Salviani, Donati martyris*. Ita Labbeanum, quod pro *Agorarii* habet: *Aiarari*. Corbejense brevius: *Romæ, depositio sancti Victoris Episcopi*. Kalendarium Vatic. 3806. *Sanctarum Victoris Episcopi, Felicis, Alexandri. Papiæ, Senesii, mar. Et sancti Aniceti Papæ* X. Bollandiani ad diem XXVIII. Julii pag. 534. *& seq.* pluribus de Victore Papa & martyre agunt.

Sulpitii & Servilliani

Sulpitius & Servilianus solo nomine innotescunt apud Romanum parvum. Ex Actis Nerei & Achillei sumpsit Ado, summatim ex eo Usuardus. Cæteri alii Hagiologi silent. De horum martyrum cultu & translationibus vide apud Henschenium hac die pag. 745.

Marcellini & soc.

Volgatus Ado agit hac die de S. *Marcellino Ebredunensi* & sociis. Codices nostri agunt die insequenti. Adoni primum noti hi martyres videntur, deinde Usuardo, qui de his agit hac die XX. *Aprilis*. Sollerius in sui Usuardi textu, *Marcelli*, pro *Marcellini* retinuit. Actorum scribam veterrimum detexit Mabillonius de re Diplomatica pag. 172. E. Vitam summatim refert Tillemontius tom. VII. pag. 561. Post Adonem, Usuardum, & Notkerum, memorantur a Wandelberto, & in Hagiologio Francogallico, in quo *Marcelli* nomen legitur. Die vero insequenti ita agit Martyrologium Fuldense: *Evreduns, natalis sancti Marcellini, primi civitatis ipsius Episcopi & confessoris*. Unius *Marcellini Episcopi & confessoris* ad diem XX. Aprilis meminit Corbejense brevius.

Mamertini & Mariani.

De *Mamertino*, & *Mariano presbyteris Antisiodarensibus* elogium proferunt codices nostri. De his silent vulgatus Ado, & Usuardus genuinus; memorantur tamen in ejus Auctariis, & in plerisque aliis Martyrolographis, licet eorum nomen, gradusque corrumpantur. Agit autem longo elogio Martyrologium Fuldense, ubi *Mamertinus*, & *Marianus*, *presbyteri* vocantur. De uno eorum tantum meminit Hagiologium Francogallicum: *Antisiodaro, depositio sancti Marini presbyteri & confessoris*. Ita Ottobonianum, nisi quod pro *Marini* habet: *Martini*. Richenoviense: *Antisiodora civitate, depositio Marini Episcopi*. Augustanum: *Martini confessoris*. Labbeanum: *Antissiodori, Martini confessoris*. Corbejense brevius: *Antissiodero civitate, depositio Sancti Martini presbyteri & confessoris*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Antisiodero, depositio S. Marinni Episcopi & confessoris*. Vides ne *Marianum* in *Martinum*, & ex *presbytero* in *Episcopum*, librariorum oscitantia conversum? *Marianus* confessor obierat, & sepultus fuerat in suburbio Autisiodorensi,

ante

ante Episcopatum *Desiderii* Episcopi Autissiodorensis, qui vivebat Gregori M. Pontificatu, ut habet Mabillonius Annal. Bened. lib. xi. §. xxxiv. Vide Bollandianos hac die pag. 758. De *Mariano* Hericus monachus in Historia Episcoporum Autissiodorensium apud Labbeum Bibliot. MSS. tom. 1. pag. 415. 417. 425. 635.

Dedic. Eccles. S. Michaelis. *Dedicatio Ecclesiæ S. Michaelis*. De ea nihil in Martyrologiis veteribus. Nisi forte sit alia qua dedicatio Ecclesiæ cœnobii S. Michaelis in periculo maris, in qua monachi primum A. D. 942. positi sunt.

Translat. S. Exuperantiæ. Sanctæ *Exuperantiæ* virginis *Trecensis* natalis agitur in quibusdam Usuardi Auctariis die xxvi. *Aprilis*; hac vero die xx. *Aprilis* ejusdem translatio memoratur. Vide de ea Bollandianos ad xxvi. *Aprilis* pag. 423. Incertum est quo potissimum tempore floruerit.

F. XI. KALENDAS MAII. 21. *Apr.*

Cassiod. l. 3. Hist. Trip. c. 2. *Simeonis.* APUD Persidem, natalis sancti Simeonis Episcopi Seleuciæ & Ctesiphontis, regalium civitatum: qui persecutione Saporis Regis Persarum, jubente eodem tyranno comprehensus, ferroque onustus, cum iniquis tribunalibus exhibitus, de Domino Jesu Christo voce libera ac constantissima testaretur; primum carcerali ergastulo cum aliis centum, e quibus alii Episcopi, alii erant presbyteri, alii diversorum ordinum clerici, longo tempore maceratus est. Novissime, cum in Christi testimonio immobilis persisteret, jussus est cum omnibus pariter decollari: ita ut cum ceteri jugularentur, adstaret, & ipse ultimus trucidaretur. Cumque omnes sub ejus adspectu cæderentur, & ille singulos paternis exhortationibus alacriter confortaret; extremo lictoris ictu & ipse occumbens, palmam martyrii adeptus est. Erat autem sexta feria septimanæ majoris, in qua ante Resurrectionis festivitatem annua Christi passionis memoria celebratur. Passi sunt cum eo etiam Ustazadis eunuchus nutritius Regis & Major regiæ domus, & Abdella, atque Ananias, venerabiles senes: & Pusitius princeps artificum regalium, eo quod videns præfatum senem Ananiam sub ictu gladii trementem, exclamaverit confidenter, dicens: Paululum o senex claude oculos, & securus esto, mox Christi videbis adspectum. Filia quoque ejusdem Pusitii virgo sacra simul perempta est.

Fortunati, & soc. Apud Alexandriam, natalis SS. Fortunati, Aratoris presbyteri, Felicis, Silvii, Vitalis, qui in carcere quieverunt.

VARIA LECTIO. Ed. *cum iniquis*. Cod. Sangermanen. *cum iniquis ejus*. Ed. *Ananias, venerabiles senes*. Cod. Sangermanen. *Ananias venerabilis senex*. In codicibus 512. 514. & in codice Sangermanen. sequitur post verbum: *quieverunt*.

Marcellini & soc. „ Eodem die in Galliis, civitate Ebredudensi, natalis sancti Marcellini, primi ejusdem urbis Episcopi & confessoris, qui divino jussu cum sanctis sociis Vincentio & Domino ex Affrica veniens, maximam partem Alpium maritimarum, verbo & signis admirandis, quibus usque hodie refulget, ad fidem Christi convertit: ita ut baptisterium, quod ipse apud præfatam urbem condidit, in sacrosanctis Paschalis festi vigiliis divina virtute singulis annis aquis subitis inundetur, & per septem ejusdem solemnitatis

„ lemnitatis dies, gratia experante permaneat. Venerabiles focii ejus apud Dinien-
„ fium urbem conditi, gloriofis nihilominus miraculis commendantur.
De his vulgatus Ado die fuperiori. Vide ibi adnotata.

Simeonis. ADNOTATIO. *Simeon* Epifcopus Seleuciæ & Ctefiphontis memoratur hac die a Romano parvo, Adone noftro, & Ufuardo, Notkero, & Wandelberto; cæteri alii filent. Elogium, & Hiftoriam martyrii habes apud Sozomenum lib. II. cap. VIII. ex quo Baronius ad an. 343. num. XI. *& feq.* Inter eruditos difceptatur de anno martyrii. Henfchenius hac die pag. 846. in annum Chrifti 349. retulit, contra Baronii fententiam, qui anno 343. martyrium illigavit. Henfchenio affentitur Pagius in Critica ad an. 343. n. III. & martyrium contigiffe vult die XXI. *Aprilis*, quia an. 349. Pafcha fuit die XXIII. *Aprilis*. Sozomenus autem narrat, Simeonem interfectum fuiffe in die Parafceves. Sollerius tamen Henfchenii & Pagii fententiam non amplectitur, & ex arbitrio ab Adone & aliis diem XXI. *Aprilis* cultui Simeonis deftinari potuiffe arbitratur, ac potius Baronii fententiam fequi mavult, qui anno 343. affixit, aut circa annum 344. effe defigendum Simeonis certamen. Errata Sozomeni de initio perfecutionis Perficæ detexit Henfchenius, deinde Ruinartius in Actis finceris pag. 632. ac Tillemontius tom. VII. pag. 76. *& feq.*

Fortunati, & foc. *Fortunati* & fociorum nomina obvia funt in vetuftioribus Martyrologiis, fed e loco fuo dimota; nam quædam eorundem nomina hac die, quædam die præcedenti ponuntur, & item cum ipforum nominum depravata lectione. Rhinovienfe pridie hujus diei habet: *In Alexandria, Aradi presbyteri, Silvani. Romæ, depofitio Victoris Epifcopi, Felicis.* Hac die vero: *Alexandria, Fortunati & Aratoris presbyteri.* Richenuvienfe die præcedenti: *In Alexandria, Aradi presbyteri, Silvani. Romæ depofitio Victoris Epifcopi, Felicis, Alexandri, Silviani.* Hac die XXI. Aprilis: *Alexandria, Fortunati, & Aratoris presbyteri.* Auguftanum die XX. Aprilis: *Africa, Serviani, Arieatii, Joannis. Romæ, Victoris, Agoraeii, Salviani, Donati martyris.* Die XXII.: *Alexandria, Fortunati, Aratoris, Vitalis.* Fere eadem utroque die Labbeanum. Corbejenfe brevius die XXI. *In Alexandria, natalia fanctorum Fortunati, Aratoris presbyteri.* Martyrologium Reginæ Suecorum die XX.: *In Africa, natalis fanctoram Silvani, Fortunati, Joanais, cum aliis* VIII. Ottobonianum die XX.: *In Africa, natalis fanctorum Serbani, Aranici, Fortanati, Joannis, Orati & Gemini.* Die vero XXI.: *In Africa, natalis fancti Oratoris* (pro *Aratoris*) *presbyteri, Silvii, & Vitalis.* Summo cum labore in his nomina *Fortunati, Aratoris, Felicis, Silvii,* & *Vitalis*, vix expifcamur. Eadem nominum, & dierum perverfione leguntur in apographis Hieronymianis. Apud Ufuardum genuinum ita habetur die XXI. Aprilis: *Alexandriæ, fanctorum Aratoris presbyteri, Fortani, Felicis, Silvii, Vitalis, qui in carcere quieverunt.* Reliqua de his vide apud Bollandianos die XX. *Aprilis* pag. 748. & die XXI. pag. 843.

---

22. *Apr.* G. X. KALENDAS MAII.

Caji Papæ. ROMÆ via Appia, in cœmeterio Callifti, fancti Caji Papæ, qui cum Ecclefiam undecim annos, menfes quatuor, dies duodecim rexiffet, martyrio coronatus eft fub Diocletiano principe. Frater namque ejus beatus Gabinius presbyter, in multis clariffimis paffionibus, jam finierat triumphum victoriæ fuæ, fub eodem impio Principe, undecimo Kalendas Martias. *De hoc gesta Sebaft. & Sufannæ 11. Aug. Pontificale cap. 29.*

Mart. plurimor. in Perfide. Apud Perfidem, fanctorum Martyrum plurimorum, qui jubente Sapore Perfarum Rege, annuo die, quo paffionis Dominicæ memoria celebratur, per totam Perfidis regionem tenti, ac pro Chrifti nomine gladio jugulati funt. In quo fidei certamine paffus eft Melifius Epifcopus, fanctitate & miraculorum gloria infignis: Acepfimas quoque Epifcopus cum presbytero fuo Jacobo, & Mareas, & Bicor nihilominus Epifcopi, cum cle- *Caffiod. l. 3. Hift. Trip. c. 2.*

ricis

ricis fere ducentis, & quinquaginta monachis, & sacratis virginibus plurimis: inter quas & Simeonis Episcopi sororem nomine Tarbuam cum pedissequa sua, stipitibus alligantes, serraque findentes, crudelissime necaverunt.

Eodem die in Cordula civitate, natalis sanctorum Parmenii, Helimenæ, & Chrysoteli presbyterorum, & Lucæ, & Mutii diaconorum de Babylonia. Quorum primus præcisa etiam lingua loquebatur. Omnes primo in equuleo suspensi, & nexibus attracti sunt: dein laminis ardentibus circa latera appositis, ustulati & unguibus lacerati, ad ultimum gladio trucidati sunt, præsente persecutore Decio. Scriptum in passione S. Laurentii. *Parmenii, & soc.* *10. Aug.*

Et Lugduno Galliæ, natalis sancti Epipodii martyris, qui persecutione Antonini Veri, post gloriosos quadraginta octo Martyrum agones, qui in eadem urbe passi sunt, cum Alexandro charissimo collega tentus, ipso interim in carcerem truso, primo os diris pugnorum ictibus cæsus, deinde equulei extensione vexatus, postremo martyrium capitis abscissione complevit. *Greg. Tur. de gloria Mart. c. 64* *Epipodii.*

Viennæ, S. Juliani Episcopi & confessoris. *Juliani.*

VARIA LECTIO. Ed. *Simeonis Episcopi*. Codex Sangermanensis: *Simeonis Episcopi & martyris*. Ed. *Chrysoteli*. Cod. Sangermanen. *Chrisostell*. Ed. *Epipodii*. Cod. Sangermanen. *Eppepodii*. Sequitur in Sangermanen. & in codicibus 512. 514. post verbum: *Episcopi & confessoris*, extremo loco hac die: *Senones, depositio sancti Leonis Episcopi, cujus & vita miraculis claruit, & mors præciosa* (sic) *nihilominus miraculis commendatur*. *Leonis.*

Caji Papæ. ADNOTATIO. *Cajum* Romanum Pontificem hac die celebrant omnia vetera Latinorum Martyrologia. Nonnulla ex his amanuensium, seu temporum culpa *Gagium* appellant. Memoratur in primis in Kalendario Bucheriano in Indiculo *depositionis Episcoporum*, idest *Romanorum Pontificum*, his verbis: x. *Kal. Mai, Gai in Calisti*. Apographum Hieronymianum Lucense: *Romæ, in cœmeterio Calestini* (pro *Callisti*) *via Appia, depositio S. Gagi*. Epternacense addit: *Episcopi*. Corbejense: *Papæ*. Beda genuinus: *Romæ, depositio S. Gaii Papæ*. Romanum parvum: *Romæ in cœmeterio Calisti, Caii Papæ*. Gellonense: *Gaii Papæ*. Ado elogium ex Actis SS. Sebastiani & Susannæ exaravit. Usuardus ejus natalem, & loci cultum, ac annos sedis tantum recensuit, quod fecerunt Rabanus, & Notkerus, qui constituta hujus Pontificis addidit. Wandelbertus meminit pridie hujus diei. Rhinoviense ad xi. & x. Kal. Majas: *Romæ, depositio Gagi Episcopi*. Richenoviense ad x. Kal. *Romæ, depositio Gagi Episcopi*. Augustanum & Labbeanum eadem die: *Romæ, Gagi Papæ*. Martyrologium Fuldense & Reginæ Suecorum hac die xxii. Aprilis: *Romæ, depositio S. Gagi Papæ, qui, cum Ecclesiam xi. annis, menses iiii. dies xii. rexisset, martyrio coronatus sub Diocletiano Principe, cum Gavino fratre*. Martyrologium Ottobonianum eadem die ea ferme habet; socium tamen martyrii *Gobianum* omittit. Kalendarium Vat. 3806. hac die: *Romæ, sancti Gai Papæ* xxviii. *Hic constituit &c.* ut apud vulgatum Anastasium. De *Caji Papæ* martyrio, annis sedis, Actis, & sepultura in cœmeterio Callisti, via Appia x. *Kal. Majas* Baronius ad an. 296. num. 1. *& seq.* Vide Pagium ad an. 296. n. iii. qui sedisse *Cajum* existimat, annos *duodecim*, menses *quatuor*, & dies *septem*. Sed uberrime de *Caji* gestis, martyrio, cultu, ac sedis tempore agunt Bollandiani socii hac die pag. 13.

Persæ

Mart. plurimor. in Perside. *Persæ* martyres hac die ab Adone memorati, ad classem martyrum in persecutione Saporis passorum pertinent, de quibus die superiori. Agunt de his Romanum parvum, & Usuardus. Cætera exhibent Bollandiani hac die pag. 19., & Ruinartius in Actis selectis pag. 639. Verosimilius videtur Sollerio, hos martyres interfectos esse A. D. 344. Vide quæ die præcedenti sunt adnotata.

Parmenii, & soc. *Parmenius*, & socii martyres, civitati *Cordulæ* in Perside adscribuntur a Hieronymianis, Beda, Romano parvo, Adone, Usuardo, Rabano, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, & Reginæ Suecorum. Quocirca *Cordulæ*, non *Cordubæ* in Hispania hos martyres hac die, ut & alios die XVII. *Febr.*, XV. *Apr.*, & X. *Aug.* tribuendos esse contendit Sollerius in Usuardum hac die. Apud Wandelbertum quoque & alios hi martyres hac die memorantur. *Cordubæ* potius, quam *Cordulæ*, seu *Cordylæ* scribendum censet Baronius in Notationibus hac die, ac restituendum esse *Corduenæ*, quæ civitas prope Tigrim nominatur ab Ammiano lib. XXIII. & XXIV. De *Corduenis* & *Gordiæis* in Armenia, & de *Cordyle*, urbe Ponti in Cappadocia, Cellarius Geographiæ antiquæ lib. III. cap. VIII. & XI. Consule de his martyribus Bollandianos socios hac die pag. 11.

Epipodii. *Epipodius* Lugdunensis martyr colitur hac die, præter Adonem, ab Usuardo, & Martyrologio Fuldensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano. Est unus ex Lugdunensibus martyribus, de quibus suo loco. Interim de eo vide Bollandianos hac die pag. 7.

Juliani. Mirum sane est, *Julianum* Viennensem Episcopum, *S. Pantagathi* præcessorem, nonnisi ab Adone inter Martyrolographos memorari. Vide quæ habent Bollandiani hac die pag. 29. Floruit c. A.D. 512. Interfuit autem A.D. 511. Concilio Aurelianensi I. Vide Bollandianos ad diem XXII. *Aprilis* pag. 29. qui ejus obitum statuunt eodem, quo Joannes Papa I. decessit, anno.

S. Leonis. Licet a vulgato Adone, & genuino Usuardo absit *S. Leo* Episcopus Senonensis, dignus tamen videtur, ut genuino Adoni adnumeretur; nam agunt de eo hac die Martyrologium Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Reginæ Suecorum, Fuldense, & Hagiologium Francogallicum. Interfuit vicario nomine Conciliis Aurelianensibus I. & II. Vide Bollandianos ad diem XXII. Aprilis pagin. 31. qui vita functum esse ferunt A.D. 548.

---

23. Apr. *A. IX. KALENDAS MAII.*

Georgii. IN Perside, civitate Diospoli, passio S. Georgii martyris: cujus gesta passionis, etsi inter apocryphas connumerantur scripturas, tamen illustrissimum martyrium ejus inter coronas Martyrum, Ecclesia Dei venerabiliter honorat. *Dist. 15. cap. Sancta Romana Eccl.*

Felicis, Fortunati, & Achillei. In Galliis, civitate Valentia, natalis sanctorum Felicis presbyteri, Fortunati, & Achillei diaconorum: qui a beato Irenæo Lugdunensi Episcopo & martyre ad prædicandum verbum Dei missi, cum maximam partem supradictæ urbis ad fidem Christi convertissent, a Duce Cornelio in carcerem trusi: dein durissima nervorum flagellatione, diutissime verberati: post etiam revinctis post terga manibus, cruribusque confractis, circa rotarum vertiginem adstricti, fumi quoque amaritudine suppositа, die ac nocte continuata equulei extensione suspensi, ad extremum gladio consummati sunt.

Wulfrani. In Fontanella monasterio, sancti Wulfrani Episcopi, præclari in miraculis & doctrina viri.

VARIA LECTIO. Ed. *manibus cruribusque*. Codex Sangermanen. *manibus, renibus, cruribusque*. Ita Codex 511. qui hinc sequitur, & codex 512. 514.

S. Georgii. ADNOTATIO. Celeberrimus antiquitus fuit ubique locorum *S. Georgii* martyris cultus, quapropter de eo hac die agunt omnes Hagiographi Græci & Latini. Hieronymiana apographa agunt hac die, item die insequenti, & die XXV. Aprilis, sed mixtim cum aliis

aliis martyribus. Hinc Florentinius pag. 458. suspicatur, in quibusdam Ecclesiis per eos dies de *Georgio* celebritates peractas fuisse. Gellonense quoque ad VII. Kal. Maji habet: *Diospoli civitate, sancti Georgi martyris*. Et ad VIII. Kal. *Alexandria, Georgi mart.* Nockerus agit item ad VII. Kal. *Maji* in hæc verba: *In Perside S. Georgii martyris, juxta Kalendarium sagacissimi Hieronymi. Cujus passio apud Romanos & pene alios omnes IX. Calendarum Majarum, ut superius notatum est, celebris habetur. Quod idcirco significandum putavi, ut Patriarcha noster Atto Mogontiacensis, qui hoc anno item ab Incarnatione Domini ..... caput ejus, & aliud quoddam membrum cum plurimis & maximis Sanctorum reliquiis in Alemanniam ad novum monasterium suum a Formoso Apostolico impetratis, apportavit. In ejus solemnitate, S. Georgii videlicet, indicenda, caute se agat, quia & plures in hac die ipsius natalicia celebrare consueverunt.* *Hatto* hujus nominis *primus*, Archiepiscopus Moguntinus A. D. 890. transtulit Romæ reliquias *S. Georgii*, & cellam basilicamque in illius honorem in *Insula Augiensi* ædificavit, ubi *Hatto* Abbas fuerat; qua de re Hermannus in Chronico. Vide Mabillonium Annal. Bened. lib. XXXIX. num. XLIX. De *Georgio* hac die XXIII. *Aprilis* agunt Beda genuinus, Romanum parvum, Gellonense, Ado, & Usuardus, Rabanus, Nockerus, Wandelbertus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum, Reginæ Suecorum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Ex his Gellonense, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum, habent: *Romæ*. De eo iterum agit Martyrologium Ottobonianum die XXIV. *Aprilis*. Rursus de eo agunt die XXV. *Aprilis* Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense brevius. In plerisque ex his Martyrologiis *Diospolis* urbs in Perside, ceu locus martyrii designatur, sed perperam. Nulla in imperio Persarum urbs fuit nomine *Diospolis*, sed hujus nominis urbes in *Ægypto, Palæstina, Bithynia, & Phrygia* fuere. Bollandiani socii ad hanc diem pag. 104. num. 14. *Diospolim* Persarum imperio adscriptam primum ab Usuardo fuisse censent. Ante Usuardum id fecerat Ado, & Gellonense, ac forte Romanum parvum. Passum ferunt *Georgium* in urbe *Nicomediæ*, ejusque reliquias mox *Diospolim*, Palæstinæ urbem translatas. Cætera de ejus cultu, & translationibus vide apud Bollandianos hac die pag. 100. & *seq.* Nihil de Actis martyrii corruptis, atque fabulis refertis dicimus, quum inter apocrypha a Gelasio recenseantur, de quibus Baronius in Notationibus hac die, & alii. Extat in Urbe vetustissima *S. Georgii* Diaconia, a Leone Pontifice hujus nominis II. ut habet liber Pontificalis, extructa. In libris Liturgicis omnibus Gregoriani ordinis, ut in Sacramentariis, & Capitularibus Evangeliorum habetur hac die XXIII. *Aprilis* Missa in ejusdem martyris *natali*. Christi sæculo VIII. colebatur etiam ejus *natalis* in Ecclesia Mediolanensi, ut ex Capitulari Epistolarum veterrimo, tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 229. apparet.

Felicis & soc. *Felicis* sociorumque nomina celebrantur hac die a Hieronymianis, ab Adone nostro, Usuardo, Wandelberto, Notkero, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Hagiologio Francogallico, & Martyrologio Reginæ Suecorum. *Valentiæ*, in Galliis civitate adscribuntur. Henschenius hac die pag. 97. horum Acta a coævo scripta fuisse existimat, alii, ut Tillemontius tom. III. pag. 97. & *seq.*, id pernegant. Passi dicuntur c. A. D. 212.

Wlfranni. Sequitur hac die apud Adonem *S. Wlfrannus*, de quo genuinus Usuardus ad diem XX. *Martii*. Ea quoque die agit apographum Hieronymianum Lucense, his verbis: *In Fontanella, depositio Wulframmi Episcopi*. Inter Auctaria Hieronymiana amandandum esse putat Florentinius. Gellonense ea quoque die: *Wlfranni confessoris*. Item ea die Kalendarium Vatic. 3806: *Fontanella, depositio sancti Vulframmi Episcopi*. Antequam *Wlfrannus* esset Episcopus Senonensis, prædium in Wastinensi agro situm, Fontanellæ monasterio A. D. 685. contulit, ut habet Mabillonius Annal. Bened. lib. VII. §. XII. Illius res gestas, & monachatum in Fontanellensi cœnobio, atque Apostolicos in Frisia labores una cum S. Willibrordo, dimisso Senonensi Episcopatu, paucis complectitur Mabillonius in eisdem Annal. l. XVIII. §. VI. ad an. 690. Ejus Acta edidit idem Mabillonius Sæculo III. Benedict. P. I. pag. 355. & *seq.* ubi obitum confert in A. D. 720. Discrepat Henschenius in Actis ad diem XX. Mart. p. 743. & *seq.* qui illius obitum ad an. 741. retrahit. Vide Cointium ad an. 704. num. II. & *seq.* Chronicon Fontanellense translationem corporum SS. *Vandregisili* Abbatis, *Ansberti* Episcopi, & *Wlfranni* e basilica S. Pauli Apostoli in majorem S. Petri Ecclesiam, ad annum Christi 704. per *Bainum* Abbatem factam *Pridie Idus Aprilis*, refert; sed id de *Walfranno* verum non esse, censet Mabillonius Annal. Bened. lib. XIX. §. XXI. quum nondum *Wlfrannus* hoc anno mortuus esset.

24. Apr. *B. VIII. KALENDAS MAII.*

Alexandri LUGDUNO Galliæ, natalis sancti Alexandri, qui tertio post passionem Epipodii die productus e carcere, primo ita laniatus est crudelitate verberantium, ut crate soluta costarum, patefactis visceribus, secreta animæ panderentur. Dein crucis affixus patibulo, beatum spiritum exanimatus emisit. Passi sunt cum eo & alii, numero XXXIV. Sepulti ambo ex utroque altaris latere, in crypta, quæ in colle superposito civitati, pulchro & antiquo opere extructa est.

Melliti. Eodem die, depositio Melliti Episcopi in Britannia, qui tertius post Augustinum Episcopum, Dorovernensem Ecclesiam suscepit, quam rexit annos quinque: sepultus in monasterio, in ecclesia beati Petri, octavo Kalendas Martii, anno ab incarnatione Domini DC. XXIV. *Beda lib. I. hist. Angl. c. 20. & 30. & l. 3. c. 2. & seqq.*

VARIA LECTIO. Ed. *sancti Alexandri, qui* &c. Cod. 511. 512. 514. *Alexandri martyris; qui tertio die post passionem beati Eppepodii eductus de carcere.* Ita codex Sangermanensis. Verba: *sepulti ambo,* usque, *extructa est,* desunt in codicibus 511. 512. 514. sed post verbum: *numero* XXXIV. sequitur:

Melliti. „ Eodem die depositio (cod. 511. *passio*) sancti Melliti Episcopi & confessoris &c. ut in editis usque ad numerum DCXXIV. Deinde in Sangermanensi alia manu, sed fere æquali, ad oram inferiorem paginæ habetur:

Reguli. „ Apud Silvanectis urbem, depositio almi Reguli confessoris Christi atque Episcopi: „ qui Micenis civitate Græcæ ortus, a beato Johanne Euangelista est doctus: postea „ simul cum sancto Dionysio primo Romam, dein Arelatensim (sic) veniens, ibi or- „ dinatus est Episcopus: post cujus martyrium, jam dictam Silvanectensem urbem „ adiens, plurimis in eodem loco virtutum signis usque hodie venerandus refulget. De *Regulo* vulgatus Ado supra ad diem XXX. Martii.

Alexandri ADNOTATIO. *Alexandri* martyris *Lugdunensis* meminere hac die simul cum sociis aliis XXXIV. apographa Hieronymiana, & Martyrologia Ottobonianum, ac Reginæ Suecorum. Item unius *Alexandri* Ado noster, Usuardus, Martyrologium Fuldense, ac Hagiologium Francogallicum; Florus *Alexandrum* cum *Epipodio* conjungit. Alia Martyrologia silent. Acta *Alexandri*, pura ac sincera esse judicat Henschenius hac die pag. 7. neque reluctantur Ruinartius pag. 63. ac Tillemontius tom. III. pag. 30. *& seq.* Passus est *Alexander* c. A. D. 178.

Melliti. Celebratur *S. Mellitus* hac die a Beda genuino in Martyrologio, & in Historia Anglorum lib. I. cap. XX. & XXX. & lib. III. cap. II. *& seq.* Agunt præterea ex eo Ado noster, Usuardus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, & Reginæ Suecorum. Obiit *Mellitus Cantuariensis* Episcopus A. D. 624. hac die 24. *Aprilis*, non 22. *Febr.* ut habet hic Ado. Vide Mabillonium Annal. Benedict. lib. XI. §. XLIV. & ejus elogia apud Bollandianos hac die pag. 280.

De *Regulo* vide quæ diximus ad *Martii* diem XXX.

C. VII.

25. Apr. *C. VII. KALENDAS MAII.*

Marci. APUD Alexandriam, natale sancti Marci Evangelistæ, qui martyr defunctus, sepultus est in loco lapidis excisi, cum gloria. Ordinaverat autem pro se Alexandriæ Episcopum Anianum: aliis quoque longe lateque ecclesiis Episcopos, presbyteros, diaconos dederat. *Vid. libell. de festivit. Apost.*

Litan. major. Eodem die Romæ, Litania major, ad S. Petrum.

Clarentii. Apud Viennam, S. Clarentii Episcopi & confessoris.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. & 514. ita incipiunt: *Alexandriæ, natalis sancti Marci Evangelistæ. Hic discipulus & interpres Apostoli Petri* &c. ut apud vulgatum Adonem in libello de festivitatibus Apostolorum.

Marci. ADNOTATIO. De *Marco Evangelista* agunt quidem omnia Martyrologia, sed non omnia hac die. Hieronymiana siquidem, Gallonense, Rhinoviense, Richanoviense, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense bravius agunt ad IX. *Kal. Octobris*, hoc est die XXIII. *Septembris*. Hac vero die XXV. *Aprilis* celebratur a Beda, Usuardo, Rabano, Notkaro, Romano parvo, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Reginæ Suecorum, Kalendario Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Item hac quoque die Richenoviense: *In Alexandria, sancti Marci Evangelistæ*. Augustanum: *Depositio Marci Evangelistæ*. Notkerus inter cætera hac die ita habet: *Et festivitas S. Marci Evangelistæ in supradicto Hieronymo sancto, priori die, idest octavo Kalendarum Majarum, auctoritate Eusebii Cæsariensis designata est*. Cur autem VIII. *Kal. Majas* Marci celebritatem ex Eusebio assignatam fuisse Notkarus scribat, non satis percipiunt viri eruditi. De *Marco Evangelista*, B. Petri discipulo, Alexandriam misso ad Christi fidem prædicandam, ac de illius ibi martyrio, celebris locus est in Censura S. Gelasii. Acta perhibent, passum esse *octavo Neronis anno*. Bollandiani socii in In Historia Patriarcharum Alexandrinorum Junii tom. V. illius martyrium ad A. D. 65. referunt. Acta, & gesta, cultumque *Marci*, ac translationes vide apud eosdem Bollandianos hac die pag. 344. *& seq.*, ac Tillemontium tom. II. pag. 89. *& seq.* In libris Liturgicis Gregorianis vetustissimis de S. *Marco Evangelista*, ut jam monuit Jo. Fronto in notis ad Kalendarium, nihil est. In Romana Ecclesia & aliis hac die primas tenuit *Litania major*, quare Missa S. Marci abest ab omnibus ferme Sacramentariis sæculi VIII. & IX. abest enim a Sacramentario Reginæ Suecorum 337. & Ottoboniano. Inter Auctaria hæc Missa refertur apud Pamelium pag. 286. Habetur autem in Palat. Vat. 495. & in Sacramentario Angeli Rocchæ, Palat. 496. & Vat. 4770. Micrologus cap. LVIII. testatur, officium *S. Marci* celebratum fuisse VI. *Kal. Majas*. Principem locum, ut diximus, *Litania major*, Romæ, & alibi tenebat.

Litan. major. Hæc autem *Litania major* hac die in vetustissimis omnibus Martyrologiis, libris Liturgicis, præterquam in Gelasiano, celebris est, & peculiari Romæ ritu celebrata fuit. De ea S. Gregorius M. initio libri secundi Epistolarum: *Solemnitas* &c. *Sexta igitur feria veniente, a titulo Beati Laurentii, qui appellatur Lucinæ, egredientes, ad B. Petrum Apostolum Principem Domino supplicantes, cum hymnis & canticis spiritualibus properemus, ut ibidem sacra mysteria celebrantes* &c. Sacramentarium Reginæ Suecorum 337. & Ottobonianum hac die ita præferunt: *Litania major. Ad sanctum Laurentium in Lucina. Oratio: Mentem Familiæ. Ad sanctum Valentinum. Deus qui culpas. Ad pontem Molbi. Parce, Domine, quæsumus, populo tuo. Ad crucem. Deus, qui culpas nostras. In atrio* (scilicet Basilicæ Principis Apostolorum) *Adesto, Domine. Alia. Præsta quæsumus. Ad Missam* (Palat. 495. *ad Missas*) *Præsta quæsumus. Secreta. Hæc munera. Ad complendum. Vota nostra. Alia super populum. Prætende*. Eadem ferme Palat. 495. alia Sacramentaria, Pamelius, & Vat. 4770. in quo sequitur eadem die Missa in *natali sancti Marci*. Capitularia Evangeliorum vetustissima tom. III. de Liturgia Romani Pontificis p. 258. Evangelium dicendum *in Litania majore* præfigunt. De *Litania majori* hac die meminit Concilium Cloveshoviæ A. D. 747. can. XVI. De ritu *Litaniæ majoris* sæculo XII. Ordo Romanus XI. Benedicti Canonici num. 56. ubi clerus & populus ad S. Marcum conveniebant, deinde

ad S. Patrum procedebat. De Litaniis majoribus, & Rogationum institutione vide Mabillonium in Lectionarium Laxoviense pag. 152. *& seq.* item in Sacramentarium Gallicanum pag. 334.

Clarentii. *Clarentius* Viennensis Episcopus prætermissus est a genuino Usuardo, nec aliam causam Sollarius excogitat, nisi quod ab aliquo Adonis codice, quo usus idem Usuardus, abfuerit. Floruit Clarentius c. A. D. 620. Agunt autem Usuardi Auctaria hac die, cæteri alii silent. Romanum Martyrologium agit die insequenti. Vide Bollandianos hac die pag. 373.

---

26. Apr. *D. VI. KALENDAS MAII.*

Anacleti, seu Cleti Papæ. ROMÆ, natalis sancti Anacleti Papæ, qui secundus post beatum Petrum, cum rexisset ecclesiam annis duodecim, persecutione Domitiani, martyrio coronatus est. *Pontificale cap. 3.*

Marcellini Papæ. Ipso die, S. Marcellini Papæ, qui cum Ecclesiam novem annis & mensibus quatuor rexisset, temporibus Diocletiani, & Maximiani, ab eodem Diocletiano, pro confessione veræ fidei, cum Claudio, Cyrino, & Antonino, capite truncatus est, & post dies xxxv. sepultus via Salaria, in cubiculo, a Marcello presbytero, & a diaconibus cum hymnis. Quo tempore fuit magna persecutio, ita ut intra unum mensem xvii. millia martyrio coronarentur. *Pontificale cap. 30.*

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. & 514. ita incipiunt: *Romæ, natalis sancti Papæ Cleti, qui secundus* &c. ut in editis. Ed. *S. Marcellini Papæ.* Codices memorati: *natalis sancti Marcellini Papæ.* Post verbum: *coronarentur*, extremo loco, sequitur in eisdem codicibus: *Cœnobio Centule, natalis sancti Richarii confessoris.* Deinde codex 511. tantum: *Trecas, natalis sanctæ Exuperantiæ virginis.* *Richarii.* *Exuperantiæ.*

Anacleti, seu Cleti. ADNOTATIO. *S. Cletus*, & non *Anacletus*, si variorem Martyrologiorum lectionem, & auctoritatem sequimur, hac die in fastis omnibus Ecclesiasticis colitur. Apud vulgatum Adonem scribitur *Anacleti*, sed in codicibus nostris legitur *Cleti*. Usuardus Pratensis habet: *Anencleti*; nihilominus Sollarius retinere maluit *Anacleti*, licet vere legendum *Cleti* contendat. Reliqua Martyrologia recensemus. Hieronymiana ad diem xxiii. *Decembris*, ubi plurium Romanorum Pontificum memoria recolitur, inter nomina *Cleti & Anacleti* nomina recensentur. Beda genuinus hac die xxvi. *Aprilis*: *Natale S. Cleti Papæ & martyris.* Romanum parvum: *Romæ, Anacleti Papæ & martyris.* De Adone & Usuardo diximus. Rabanus agit iii. *Kal. Majas*, his verbis: *Romæ, passio beati Cleti Papæ, qui tertius post Petrum Romanæ urbis Episcopatum annos* xii. *habuit, & ibidem coronatus est, sub Domitiano Imperatore.* Notkerus agit quidem hac die xxvi. Aprilis *de Cleto*, quem *Anacletum* vocat, sed mendosa esse in multis ea quæ scripsit, & expungenda patet. Ita enim habet: *Romæ, nativitas S. Anacleti Papæ, qui duobus post B. Petrum cum Ecclesiam rexisset annis*, xii. *persecutione Domitiani, martyrio coronatus est. Hic memoriam B. Petri construxit, & composuit loca ubi Episcopi recanderentur. Hic presbyter a beato Petro est ordinatus. Hic ad sacrificandum idolis ductus, sacrificavit; deinde pœnitentia ductus, per confessionem veræ fidei capite truncatus est.* Menda tu ipse vides. Martyrologium Fuldense, a quo fere ad verbum Ado, & Usuardus transcribi solent, ita præfert: *Romæ, natalis sancti Cleti Papæ & martyris, discipuli sancti Petri Apostoli, qui persecutione Domitiani, martyrio coronatus est.* Augustanum hac die: *Cleti martyris.* Labbeanum: *Cleti*, mixtim cum aliis martyribus. Gellonense, *Cleti martyris.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *Natalis sancti Cleti Papæ & martyris.* Ottobonianum: *Romæ, natalis sancti Cleti Papæ & martyris.* Kalendarium Palatinum Vat. 485. *Natalis sancti Cleti Papæ.* Kalendarium

darium vero Vat. 3806. agit ad III. Kal. Majas, hoc est ad diem XXIX. Aprilis, his verbis: *Cleti Papæ & martyris* II. *Cletus*, in Canone Missæ in fine Missalis Francorum apud Thomasium pag. 429. *Ancletus* dicitur. Patet ergo in fastis Ecclesiasticis hac die coli S. *Cletum* Pontificem & martyrem, non vero *Anacletum*. An in duos Romanos Pontifices distinguendi sint *Cletus*, & *Anacletus* gravis est inter eruditos recentiores controversia. Pro uno *Cleto*, expuncto *Anacleto*, pugnat Tillemontius to. II. p. 555. & alibi passim, contra Henschenii sententiam, qui ad hanc diem XXVI. Aprilis pag. 409. *Cletum* ab *Anacleto* esse distinguendum monet. Vide Papebrochii Respons. art. XVII. n. 20. Ea de re jampridem Baronius in Notationibus, & ad an. 69. num. XLI. & an. 93. num. I. ubi libri Pontificalis auctoritate nixus, hujusmodi canonem sibi statuit, in his nempe, quæ sunt Romanæ Ecclesiæ, majorem adhibendam esse fidem ejus alumnis, quam exteris. Bollandiani socii in distinguendo *Cleto*, ab *Anacleto* iterum propugnant ad diem XIII. *Julii* pag. 479. quo loci, rem totam se discussurum Sollerius in Usuardum ad diem XXVI. Aprilis pollicitus fuerat. Pagius in Critica ad an. 101. num. IV. tutius censuit ab opinione communi non discedere. Baronius ad an. 93. num. I. ei anno Christi 93. ad VI. *Kal. Maji* martyrium *Cleti* posuit. Pagius in Critica ad annum 91. num. II. ad annum Christi 83. referendum esse censet.

Marcellini. *Marcellini* Papæ & martyris *natalis* hac die recolitur a Beda; licet enim in genuino a Bollandianis edito habeatur *Marcelli*, codices tamen Palatino-Vaticani 833. 834. probæ vetustatis, habent: *Marcellini*, ut habent cætera alia Martyrologia hac die, nimirum Ado, Usuardus, Rabanus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, & Reginæ Suecorum. Consule autem Sollerii adnotationem in Usuardum hac die, ubi monet, a Castellano palinodiam fuisse decantatam, ubi inter *Marcellum*, & *Marcellinum* non esse distinguendum duxerat. Martyrium fecisse dicitur *Marcellinus* apud Baronium ad an. 304. n. XXIV. & *seq.* hoc an. 304. & sepultus est hac die XXVI. *Aprilis*, ex auctoritate libri Pontificalis. Aliter, ad diem quod attinet, videtur Pagio in Critica ad an. 304. n. XI. Inter recentiores quidam adhuc de illius martyrio dubitant. Consule Bollandianos ad hanc diem pag. 412. & *seq.* Papebrochium in Responsionibus ad art. XI. n. 48. & Tillemontium tom. V. pag. 618. & *seq.*

Richarius vulgato Adoni additur a codicibus nostris, de quo genuinus Usuardus hac die. Agunt & Hieronymiana de eo hac die, sed alieno, ut fertur, atramento, & charactere. Corbejense apographum habet: *Centulo monasterio in Gallia, depositio sancti Richerii*. Usuardus Pratensis legit: *In Pago Pontivo, sancti Richarii presbyteri & confessoris*. Editio Solleriana Usuardi: *Monasterio Centula, sancti Richarii presbyteri & confessoris*. Silet Rabanus. Notkerus vero habet: *In Gallia Richarii Episcopi* (pro *presbyteri*) *& confessoris*. Martyrologium Fuldense: *Cœnobio Centula, natalis sancti Richarii confessoris*. Hagiologium Francogallicum: *Monasterio Centulæ sancti Richarii presbyteri & confessoris*. Eadem ferme Corbejense brevius. Ex horum Martyrologiorum consensu consequitur, ut *Richarius* genuino Adoni sit addendus. Obiit *S. Richarius* Abbas Centulensis an. 645. hac die XXVI. Aprilis, ut ex ejus Actis apud Mabillonium Seculo II. Benedictino pag. 187. & in Annalibus Benedictinis lib. XIII. §. XXXI. & ex Chronico Centulensi lib. I. cap. XXI. Variæ illius translationes commemorantur in Chronico Centulensi, ut lib. I. cap. XXIII. lib. III. cap. VIII. XI. XXII. & XXIV. Kalendarium Vat. 3806. ad diem XXX. *Aprilis* habet: *Et translatio sancti Richarii sacerdotis*, quod ad aliquam illius translationem pertinet. Consule de Richario Acta Bollandiana die XXVI. Aprilis pag. 441. *Richarii.*

Exsuperantiæ. Additur etiam in nostris codicibus *S. Exsuperantia Trecensis* virgo, qui ad diem XX. hujus de illius translatione egerunt. Memoratur hac die in nonnullis Usuardi Auctariis. Pauca item de ea collegerunt Bollandiani socii hac die pag. 423. ubi aliquot Kalendaria MSS. proferunt, in quibus legitur: *Trecas, apud monasterium S. Frodoberti natalis S. Exsuperantiæ virginis*.

E. V. KALENDAS MAII. *27. Apr.*

Anastasii Papæ. ROMÆ, S. Anastasii Papæ, qui sedit annos tres, dies decem. *Pontific. c. 40.*

Anthimi. Apud Nicomediam, natalis sancti Anthimi Episcopi & martyris, in memoriis piorum fulgentis in regno Christi. Hic persecutione Diocletiani, ob confessionem Christi, martyrii gloriam capitis obtruncatione suscepit. Quem tamquam bonum pa-

paſtorem, viam martyrii præeuntem, univerſa pæne gregis ſui multitudo ſecuta eſt: quorum alios præfatus tyrannus, apud camdem civitatem tunc temporis reſidens, gladio obtruncari, alios ignibus conflagrari, alios naviculis impoſitos, pelago immergi fecit. Ipſis fidelium turbis tanto per Dei gratiam fidei igne inflammatis, ut nec interrogari ſe paterentur, ſed ultro in flammas irruerent, vel cædentibus gladiis cervices objectarent. Scriptum eſt in Eccleſiaſtica hiſtoria libro VIII.

Euſeb. lib. 8. c. 6.

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. 514. ita exordiuntur:
„ Romæ, natalis ſancti Anaſtaſii Papæ, qui ſedit annos tres, dies x. De quo „ ſanctus Hieronymus venerabili teſtatur eloquio, quod ejus vita diuturna mundus „ immeritus ſit frui. Apud Nicodemiam &c.

Ed. *Hic perſecutione*. Codices memorati: *Qui perſecatione*. Ed. *igne inflammatis*. Cod. 511. *igne flammantibus*. Ed. *lib*. VIII. Codices: *lib*. VII.

Anaſtaſii Papæ.

ADNOTATIO. *Anaſtaſii Papæ* natalis colitur hac die a Romano parvo, Adone, Uſuardo, Rabano, Notkero, Wandelberto, & a Kalendario Vat. 3806. aliter tamen illius elogium apud Rabanum eſt, quam apud vulgatum Adonem, & apud Uſuardum genuinum. Notkerus Rabanum tranſcripſit, addito ſedis tempore. Falluntur tamen, tum Rabanus, tum Notkerus, dum ſcribunt, *Anaſtaſium* ordine *quadrageſimum primum* inter Romanos Pontifices fuiſſe, quum ſit *quadrageſimus*. Uſuardi elogium longe abeſt a verbis vulgati Adonis, quapropter Sollerius monet, hujuſmodi encomium, Uſuardi proprium eſſe; ſed quum eiſdem verbis in codicibus noſtris legatur, ex Adoniano fonte illud prodire dicendum eſt. Deceſſit *Anaſtaſius* ex Baronii ſententia ad an. 402. n. XLII. anno Chriſti 402. hac die XXVII. *Aprilis*. At ex Papebrochii, & Pagii ſententia obiit an. 401. die XIV. *Decembris*. Ejus geſta in Pontificatu Baronius in Annalibus deſcripſit. Vide plura de eodem apud Bollandianos hac die pag. 491.

Anthimi.

Anthimus Epiſcopus *Nicomedienſis* & martyr, cujus elogium ex Euſebio Rufini confecit Ado, celebris eſt hac die in Martyrologiis vetuſtioribus, nimirum in Hieronymianis, Romano parvo, Adone noſtro, Uſuardo, & Wandelberto, Martyrologio Fuldenſi, Ottoboniano, Reginæ Suecorum, Rhinovienſi, Richenovienſi, Auguſtano, & Labbeano. Vide quæ de illius Actis habent hac die Bollandiani pag. 482. Ruinartius pag. 329. ac Tillemontius tom. V. pag. 23. *& ſeq.* Acta Græce ſcripta, Simeoni Metaphraſtæ tribuuntur. Paſſus eſt juxta Baronium A. D. 302. ita habet ad eum annum n. XXX. ſed in annum 303. illius martyrium conferendum eſſe cenſet Pagius in Critica ad an. 293. n. III.

---

28. *Apr.*

F. IV. KALENDAS MAII.

Vitalis.

APUD Ravennam, natale ſancti Vitalis martyris, patris ſanctorum Gervaſii & Protaſii: qui militans cum Paulino Judice, Ravennam ingreſſus eſt. Et cum videret in conſpectu Judicis ſui Chriſtianum nomine Urſicinum, arte medicum, natione Ligurium poſt nimia tormenta capitalem accepiſſe ſententiam, & cum veniſſet ad Palmam, & expaviſſet, & clamavit: Noli, noli, Urſicine medice, qui alios curare conſueſti, te ipſum æternæ mortis iaculo vulnerare: & qui per paſſiones

nimias

nimias venisti ad Palmam, coronam vis perdere a Domino præparatam? Utque martyrium consummavit idem Ursicinus, statim beatus Vitalis corpus ejus rapiens intra Ravennatium urbem sepelivit, ad Judicem ultra venire contemnens. Tentus itaque a Paulino consulari ob id maxime, quia præfatum Ursicinum in passionis agone positum suis exhortationibus roborasset, post equulei tormenta, jussus est perduci ad Palmam. Locus autem, ubi decollabantur Christiani, hoc habebat vocabulum, eo quod arbores palmæ illic essent. Et facta fovea quousque inveniretur aqua, ibi supinus depositus, & terra ac lapidibus oppressus est. Coniunx quoque ejus Valeria, cum reverteretur ad urbem Mediolanensium, Sylvano sacrificantes incurrit: cumque eam deponentes de sagmario hortarentur de idolothytis manducare, nec sibi omnino licitum testaretur, quia esset Christiana; nimia ab eis cæde mactata est, ut vix seminecem sui homines eam ad Mediolanensem urbem perducerent. Quæ infra biduum migravit ab Dominum.

Ambr. l. 2. de virgin. habet, Antiochiæ. Alexandriæ, natale sanctæ Theodoræ virginis, quæ sacrificare contemnens, in lupanar tradita, miro Dei favore erepta est. Adstante quippe jam ad ostium cellulæ, quidam ex fratribus Didymus nomine, plenus fide, divinitus inspiratus, sumpto militari habitu, primus lupanar irrupit, & sanctæ virgini cur venisset exponens, illi militares imponit exuvias, ipse virginali veste induitur. Sic virgo egressa, & a nullo agnita, ad civitatem fugiens evasit. Didymus Præsidi exhibitus, & omne factum constanter exponens, Christianum se esse confessus, abscisso capite igni traditus est. Beata quoque virgo, quæ pro tuenda virginitate, ex lupanari fugerat, amore coronæ continuo ad stadium regressa, simul cum Didymo percussa, & simul est coronata. *Theodora.*

Eodem die Aphrodisii, Carilippi, Agapii, & Eusebii martyrum. *Aphrodisii, & soc.*

Pollionis. Item in Pannonia, sancti Pollionis martyris.

VARIA LECTIO. Ed. *Ursicinum*. Cod. 511. *Ursicium*. Ed. *& cum venisset ad Palmam*. Cod. 511. *cumque jam venisset ad Palmam*. Ed. *a Domino præparatam?* Cod. 511. *a Domino sibi præparatam?* Ed. *venire contemnens*. Cod. 511. *venire ipse contempnens*. Ed. *post equulei tormenta*. Cod. 511. *Qui post eculei tormenta*. Ed. *deponentes de sagmario*. Cod. 511. *deponentes saumario*. Ed. *manducare, nec sibi*. Cod. 511. *manducare. Illa autem nec sibi omnino licitum esse testaretur*. Ed. *seminecem sui homines*. Cod. 511. *seminecem cum sui homines*.

Ed. *Eusebii*. Cod. 511. 512. & 514. *Esusebii*.

AD-

Vitalis. ADNOTATIO. *Vitalis* martyr celebris est hac die in fastis omnibus Ecclesiasticis vetustioribus. Agunt enim de eo hac die Hieronymiana in primis, sed corrupta lectione, ut barbaris librariis mos est. Hieronymianum Lucense habet: *In Pannonia, natalis S. Vitalis, Eusebi Episcopi, Tyballi, Pollionis*. Apographum Corbejense: *In Pannonia, Eusebi Episcopi, Vitalis, Pollionis*. Rursus apographum Lucense ad III. *Kal. Maii*, hoc est die XXIX. Aprilis præfert: *Et Pursinum Tusciæ, Valentini, Marciani, Bononiæ; Vitalis &c.* Apographum Corbejense eadem die: *Et Perusiæ Tusciæ, Valentini, Martiani, Bononi, Vitalis* Ego sananda loca malim, ac legendum, *Bononiæ*, ut habet apographum Epternacense, nihil enim mendosius, quam *Pannonia, & Bononi*, cum agitur de S. *Vitali* martyre, Bononiæ in Italia ritu maximo culto, ut ad diem XXVII. Novembris dicemus. Post Hieronymiana sequitur Beda genuinus, in quo hac die legitur: *Passio sancti Vitalis*. Codices Bedæ in Bibliotheca Palat. Vat. n. 833. 834. habent: *Romæ, sancti Vitalis martyris. Eodem die natalis sancti Christofori martyris*. Martyrologium Ottobonianum: *Romæ, natalis sancti Vitalis martyris. Eodem die natalis sancti Christophori martyris*. Rhinoviense: *Romæ, Vitalis. In Pannoniis, natale Pollionis*. Richenoviense: *Romæ, Vitalis*. Eadem de *Pollione*. Augustanum & Labbeanum: *Romæ, Vitalis*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, natalis sancti Vitalis martyris*. Martyrologium Fuldense: *Ravenna, sancti Vitalis martyris, qui fuit pater sanctorum Gervasii & Protasii martyrum*. Apud Ravennam illius martyrium statuitur ab Adone, Usuardo, Rabano, & Notkero in ejus elogio. Cur ergo *Romæ*, in plerisque aliis habetur? quia antiquissima *Romæ* est Ecclesia *S. Vitalis* martyris, ut apparet ex indictis Litaniis Romæ a S. Gregorio Magno A.D. 590. apud Gregorium Turonensem lib. X. cap. I. & ex eodem S. Gregorio M. lib. XI. epist. II. Alia item vetustissima Ecclesia in Urbe fuit SS. *Gervasii & Protasii*, a Vestina illustri femina ædificata, quam dedicavit, ac titulum, qui *Vestinæ* dictus est, constituit *Innocentius* Papa: ut est in ejus Vita apud auctorem libri Pontificalis. Hinc in libris Liturgicis S. R. E. celebris semper fuit hac die *S. Vitalis* cultus, ut ex Sacramentariis Gregorianis omnibus, & Capitularibus Evangeliorum apparet. Passus est *Vitalis*, Ravennæ; & quidem Diocletianea persecutione. Acta appendunt hac die Bollandiani pag. 462. & Tillemontius tom. II. pag. 75. & 496.

Theodoræ virginis *Alexandrinæ* elogium ex Ambrosii verbis de pari certamine virginis *Antiochenæ*, decerpsit Ado. An in duas distinguendæ sint, adhuc apud eruditos non est definitum. In duas distinguit Baronius ad an. 309. n. XXXIII. quum antea in Notationibus hac die censuisset, unam eandemque esse *Theodoram*, & in Ambrosii exemplaria, mendo librarii irrepsisse *Antiochenam*, pro *Alexandrinam*. In Baronii sententiam de bina *Theodora* discessit Papebrochius in Actis hac die pag. 572. Accedit Tillemontius tom. V. pag. 244. *& seq.* Hos non sequitur Ruinartius pag. 425. At Martyrologiorum testimonia non sunt prætereunda. Ex Adone delibans, de ea agit Usuardus, & Notkerus. Alia silent. *Theodora.*

Aphrodisium in Tarsu Ciliciæ, præter Adonem, & Usuardum; & in *Pannoniis*, *Pollionem* colunt hac die Rhinoviense; item Richenoviense eadem habet, & addit, *cum aliis* CLXX. *& Eusebio Episcopo*. Augustanum: *Eusebii*, & *Aphrodisii* meminit. Ita Labbeanum. Corbejense brevius habet: *In Pannonia, Eusebii Episcopi*, & quidem mendose. Ita etiam Martyrologium Reginæ Suecorum. Consule Bollandianos hac die pag. 567. *Aphrodisii. Pollionis.*

29. *Apr.*

G. III. KALENDAS MAII.

Tychici. APUD Paphum, Tychici Apostolorum discipuli. *Ephes. 6. 2. Tim. 4.*

Agapii & Secundini. In Numidia apud Cirthensem coloniam, natalis sanctorum martyrum Agapii & Secundini Episcoporum: qui persecutione Valeriani, post longum exilium apud præfatam urbem, in qua tunc maxime Gentilium cæco furore & officiis militaribus ad tentandam justorum fidem rabies diaboli infestantis inhiabat, ex illustri sacerdotio effecti sunt martyres gloriosi. Passi sunt in eorum collegio Æmilianus miles, Tertulla, & Antonia sacræ virgines, & quædam mulier cum suis geminis. *De his in gestis SS. Mariani & Jacobi 30. Apr.*

Torpetis. VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. ita incipiunt hac die:
„ In Tuscia, natalis sancti Torpetis martyris. Hic magnus in officio Cæsaris Neronis fuit. Hunc Nero eum cognovisset esse Christianum, primum ligatum ad columpnam, tamdiu jussit eum verberibus affici, quousque sanguis guttatim de corpore ejus deflueret. Exinde feriæ objicitur; sed minime læditur. Ad ultimum foras civitatem Pisanam ductus, decollatus est III. Kal. Maji. Apud Paphum Tithici &c.

De *Torpete* vulgatus Ado infra, die XVII. Maji, sed aliis verbis, & prolixioribus.

Tychici. ADNOTATIO. De *Tychico* agunt hac die, Romanum parvum, Ado, Usuardus, & Notkerus. Usuardus, ut aliquid elogio adderet, Tychici meminisse Paulum Apostolorum in Epistolis, ejusque fuisse discipulum scribit. Cæterum alia Martyrologia de eo silent. Vide perbreve Commentarium Henschenii hac die pag. 613.

Agapii & soc. *Agapius*, & *Secundinus* Episcopi memorantur item e Romano parvo, Adone, Usuardo, Notkero, & Wandelberto. Tacite recensentur fortasse in iis Martyrologiis, in quibus insequenti die *Mariani*, & aliorum mentio fit, ut in Ottoboniano, in quo legitur: *In Frodisia Marini presbyteri & Deani, cum aliis* XII. & *natalis Polochronii Episcopi*. In aliis silentium est. Acta eorum habentur apud Baronium ad an. 262. n. XXXVI. & *seq.*, illustrantur ab Henschenio die XXX. *Aprilis* pag. 745., a Ruinartio pag. 224. & *seq.* & a Tillemontio tom. IV. pag. 215. & *seq.* qui rectius eorum natalem die VI. *Maji* agi censet.

De *Turpete* nos cum vulgato Adone agemus die XVII. *Maji*. *Turpetis.*

A. PRIDIE KALENDAS MAII. 30. Apr.

NATALIS sanctorum martyrum Mariani & Jacobi, quorum prior Lector, posterior Diaconus erat. Et cum jam pridem infestationes Decianæ persecutionis in confessione Christi evicisset Marianus, iterum cum charissimo collega tentus est apud Cirthensem coloniam. Ubi post dira & exquisita supplicia (ita ut Marianus per summos apices pollicum suspensus, ut gravi pondere pedibus innexus crudelissime torqueretur) diu in carcere macerati sunt. Sed divinis revelationibus mirabiliter confortati: deinde Lambesitanam urbem directi ad Præsidem, ibi rursum longo tempore carcerali ergastulo mancipati sunt: sed iterum divinis revelationibus allevati, novissime cum multis aliis gladio consummati sunt. *Mariani, & soc.*

Greg. Tur. de gloria MM. c. 56. Eodem die apud civitatem Santonas, natalis sancti Eutropis martyris, qui a beato Clemente Episcopo directus in Gallias, ab eodem etiam Pontificalis ordinis gratia consecratus, impleto hujus officii ordine, peracta in incredulis prædicatione, insurgentibus paganis, quos auctor invidiæ credere non permisit, illiso capite victor occubuit. Denique post multa annorum spatia, cum Palladius ejusdem urbis Episcopus, & cum eo alii viri Dei, corpus ejus, debiti honoris gratia in basilicam novam transferrent, reserato sarcofago contemplati sunt cicatricem capitis, qua in *Eutropis.*

 par-

parte defixum fuerat securis acumen. Cumque sequenti nocte stravissent sacerdotes membra quieti, apparuit eis per visum dicens: Cicatricem quam contemplati estis in capite, scitote me per eam martyrium consummasse.

Maximi. Apud Asiam, passio S. Maximi martyris, cujus gesta habentur.

VARIA LECTIO. Ed. *posterior*. Cod. 511. 512. & 514. *sequens*. Ed: *ut gravi pondere*. Codices memorati: *& gravi pondere*. Ed. *Eutropis*. Cod. 511. *Eutropi*. Cod. 512. 514. *Eutropii*. Ed. *Suntonas*. Cod. 512. 514. *Sanctonas*.

Mariani, & Jacobi. ADNOTATIO. *Mariani & Jacobi* elogium procusum est ab Adone, ex quo delibavit Usuardus. Obscuris verbis hi martyres hac die indigitari videntur ab apographis Hieronymianis. Clare de his Romanum parvum, Wandelbertus, & Martyrologium Fuldense. In Kalendario Carthaginensi *Pridie Nonas Maji* designantur. Eorum Acta, ut die superiori innuimus, exstant apud Baronium ad an. 262. num. XXXVI. *& seq.* una cum Actis Numidarum martyrum, de quibus Henschenius hac die pag. 745. Inter totius Africæ provinciæ carnificinas, quæ *Valeriani & Gallieni* persecutione peractæ sunt, ut narrat Baronius ad an. 262. num. XXXIV., immanior cæteris ea fuit, quæ postremo eorundem Augustorum anno, mensibus *Aprili*, & *Majo* deseviit. Id patet ex Epistola unius ex confessoribus illis, jam martyris designati, ubi ipse concaptivus *Jacobi diaconi*, & *Mariani lectoris*, eorum præcipue describit historiam. Ex stylo discipulus Cypriani, confessor, & dignitate Episcopus videtur Baronio. Hic idem itaque auctor præmittit, quod una cum sociis aliis in Numidiam pergebat, ac omnes ad locum Cirthensis coloniæ pervenerunt, qui appellatur *Mugnas*, ubi persecutio tum maxime fervebat; quare *Marianus* & *Jacobus* in spem maximam martyrii exarserunt. Ventum denique est biduo, post cæsos *Agapium* & *Secundinum* Episcopos, ad *Mariani* & *Jacobi* certamen, qui pertracti per Stationarios a Muguis in Cirthensem coloniam, & interrogati, num Christiani essent, cum fortes in confessione nominis Christi perstarent, cruciatibus immanibus uterque subjicitur. *Jacobus*, quia se diaconum confessus est, diris est tormentis addictus. *Marianus* item tortus est, ad vulnera pependit, addita pedibus pondera, & alia ad summos digitos intentata tormenta. At invictus *Marianus*, rursus in carcerem detruditur. Post aliquot dies *Marianus* & *Jacobus* a Cirthensi magistratu ad Præsidem Lambesitanæ coloniæ, damnationis pœnam audituri ducuntur; sed a Præside in Lambesitanum carcerem amandati sunt. Denique, sententia lata, ad coronæ locum perducti, gladio percussi fuere. Sane quidem lectu dignum est eorum martyrum encomium historicum, ab eo auctore, quem paullo post martyrio quoque coronatum censet Baronius, conscriptum, elegantia non minus, quam horum martyrum triumpho jucundissimum. *Lambesitana* urbs, in Numidia propria sita fuit, & a Ptolemæo lib. IV. cap. III. *Lampæsa*, seu ut alii codices habent *Lambæsa* dicitur. Celebris est potissimum horum martyrum triumpho, qui fuit A. D. 259. juxta Bailletum in Topographia Sanctorum pag. 255. seu A. D. 260. ut apud Castellanum in Martyrologio universali.

Eutropis. *Eutropis* Episcopi *Santonensis* elogium ab Adone, & Usuardo ex Gregorio Turonensi de Glor. martyr. cap. LVI. acceptum, ad alios pertransiit, nimirum ad auctorem Martyrologii Fuldensis, & Hagiologii Francogallici. De eo Bollandiani hac die pag. 733. *& seq.*.

Maximi. *Maximus* martyr in Asia, Deciana persecutione, soli Adoni primum notus videtur, deinde Usuardo. Cæteri alii silent. Acta habentur apud Bollandianos hac die pag. 732. quæ Proconsularia & genuina Baronio in Notationibus ad hanc diem, & an. 254. n. XXIV. visa sunt, atque adeo a Ruinartio inter selecta collocata pag. 143.

LITANIÆ

LITANIÆ INDICENDÆ.

MENSIS MAJUS

Habet dies xxxi. Luna vero xxx.

B. KALENDIS MAII. *1. Maji.*

Vid. libell. de festivit. Apost.



EREMIÆ Prophetæ. *Jeremiæ.*

Et natalis Apostolorum Philippi & Jacobi filii Mariæ, quæ fuit soror matris Domini, unde frater Domini dicebatur. *Philippi, & Jacobi.*

In Galliis territorio Vivariensi, in loco qui vocatus est antiquitus Gentibus, S. Andeoli subdiaconi, quem misit ab Oriente sanctus Polycarpus cum beato Benigno & Andochio presbyteris, & Thyrso diacono, ad prædicandum verbum Dei in Galliam. Cujus prædicatiône Cæsar Severus comperta, spinosis fustibus crudelissime flagellatum in carcerem trudi præcepit: & alia die productum cum videret superari non posse, jussit ad similitudinem gladii, de ligno durissimo ensem fieri, & in crucis modum caput ejus scindi. Quod cum factum fuisset, eliso in terram cerebro, gloriosa morte translatus est. *Andeoli.*

Item civitate Sedunensi, loco Agauno, passio Sigismundi Regis filii Gundebaldi, Regis Burgundionum. Qui cum se cerneret non posse Francis resistere, solus fugiens, coma deposita habitum religionis suscepit, & jejuniis, vigiliis, ac orationibus die noctèque vacans, captus a Francis est, cum uxore ac filiis, in puteumque demersus occubuit. Post vero Abbati cuidam revelatus, & ab eo reverenter sepultus, etiam miraculis claruit, *Sigismundi regis.*

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512., & 514. ita incipiunt:

„ In Ægypto Hieremiæ prophetæ, qui a populo lapidibus obrutus, apud Taph-
„ nas occubuit. Eodem die, natalis beatorum Apostolorum. Cætera de SS. Philippo & Jacobo, ut in libello de festivitatibus Apostolorum apud vulgatum Adonem.

Codices memorati post verba: *quæ de* VII. *canonicis est*, addunt:

„ Item Hierosolymis, passio sancti Quiriaci Episcopi, qui & Judas vocatus est. Hic *Quiriaci.*
„ per multa tormentorum genera palmam martyrii gloriose consecutus est. Autisio-
„ doro, natale sancti Amatoris Episcopi & confessoris. Hic miraculorum gloria insi- *Amatoris.*
„ gnissimus fuit. Inter cætera namque virtutum suarum insignia, etiam mortuum ad
„ vitam reduxit. Qui beatus vir, cujus sanctitatis fuerit, crebra usque hodie ad se-
„ pulcrum ejus miracula testantur. In Galliis, territorio Vivariensi &c. gentibus, passio
„ sancti Andeoli &c.

Ed. *loco Agauno*. Cod. 511. *loco Aucano*. Cod. 512. & 514. *loco Agauno*. A Mosandro *Amator* in Appendicem detrusus est.

Hieremiæ. ADNOTATIO: *Hieremias* propheta principe loco hac die memoratur a Beda, Romano parvo, Adone, Usuardo, Rabano, & Notkero. Memoratur item a Wandelberto. Non eadem apud omnes verborum formula. Quo tempore, quove cruciatus genere peremptus fuerit, docent Bollandiani socii hac die pag. 5. & 720. Apud Notkerum legitur: *Passio Hieremiæ prophetæ*. Usuardus Adonis codices exscribit. Vide Calmetum in Dictionario Biblico. Acta Græce habes apud eosdem socios, ibidem pag. 524.

Philippi, & Jacobi. Celeberrimus SS. Apostolorum *Philippi* & *Jacobi* natalis in fastis omnibus veterrimis hac & aliis diebus colitur. Hieronymiana de *Philippo* agunt x. *Kal. Majas* his verbis: *Civitate Hierapoli, natalis sancti Philippi Apostoli*. Iterum agunt de eo una cum *Jacobo*, Kalendis Majis, ita: *In Asia* (alius codex habet: *In Africa*) *natalis Philippi & Jacobi*. Beda: *Hieremiæ prophetæ. Et in Hierapoli Philippi Apostoli, & Jacobi fratris Domini*. Romanum parvum: *Jeremiæ prophetæ. Et Apostolorum Philippi & Jacobi fratris Domini*. Ado loco *fratris Domini* habet: *filii Mariæ, quæ fuit soror matris Domini, unde frater Domini dicebatur*. Usuardus ita elogium exornavit: *Item natalis beatorum Philippi & Jacobi, ex quibus Philippus, postquam pene Scythiam ad fidem Christi convertisset, apud Hierapolim Asiæ civitatem glorioso fine quievit. Jacobus vero, qui & frater Domini legitur, juxta templum Hierosolymorum, ubi & præcipitatus fuerat, sepultus est*. Usuardi elogium exscripsit & auxit Notkerus. De *Philippo*, Hierapoli passo, ac de *Jacobo*, Hierosolymis, agit hac die Rabanus. Martyrologium Gellonense: *In Asia, natalis Philippi & Jacobi*. Fuldense: *Africa Hierapoli, natalis sancti Philippi Apostoli. Hierosolymis passio sancti Jacobi Apostoli, fratris Domini*. Ottobonianum: *In Africa, Hierapolim, natalis sanctorum Apostolorum Philippi & Jacobi, fratris Domini*. Rhinoviense: *In Asia, natalis Apostolorum Philippi & Jacobi*. Ita Richenoviense, quod pro *Apostolorum* habet *Sanctorum*. Augustanum: *Natale Philippi & Jacobi*. Labbeanum addit: *In Asia*. Corbejense brevius: *In Africa* (al. *in Asia*) *natalis sanctorum Philippi Apostoli, & Jacobi*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Frigia, Hierapoli, natalis Philippi & Jacobi Apostolorum*. Quod in *Africa* pro *Asia* in quibusdam legitur, mendo librariorum id factum esse intelligis. Neque in Martyrologiis tantum, sed in libris Liturgicis vetustissimis S. R. E. hac die Sancti *Philippus & Jacobus* coluntur. Codex Sacramentorum Gelasianus pag. 150. in Missæ orationibus, *Kalendis Majis* hunc titulum præfert: *In natali Philippi & Jacobi Apostolorum*. Similia habent Sacramentaria omnia Gregoriana & Capitularia Evangeliorum vetustissima. Si Micrologo cap. LV. fides est, inscribebatur Missa hujus diei: *Natalis Jacobi, & Philippi, & omnium Apostolorum*; idcirco censet Pamelius, omissa fuisse in Gregoriano reliqua Apostolorum festa. Id tamen omnino de Apostolis omnibus verum esse, negamus. Nam *Petri & Pauli* Apostolorum natalis, & in Gelasiano, & in Gregorianis mense Junio habetur. Item in Gelasiano, & Gregorianis omnibus *S. Andreas*, & *S. Thomas* suis quisque diebus coluntur. Sacramentaria insuper Gregoriana, quæ initio sæculi XI. sunt exarata, Apostolorum fere omnium Missas statis diebus designant. In Gelasiano pagin. 159. 160. præfigitur Missa *de vigilia omnium Apostolorum*; ac item alia Missa: *In Natali omnium Apostolorum*. Quæ Missæ habentur post natalem Sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. At ad Acta SS. Philippi & Jacobi properemus, quæ Metaphrastæ tributa dicuntur; sed Acta *Philippi*, incerto auctore scripta sunt, Acta vero Jacobi a Niceta Paphlagone. Quæ fabulosa in his Actis, & in iis, quæ passiones Apostolorum dicuntur, de Philippo ejusque martyrio narrantur, dispungit Baronius ad an. 55. num. III. ubi ex Eusebii Chronico, *Philippus* apud Hierapolim Asiæ, cruci affixus, & lapidibus oppressus traditur, Olympiade 207. anno *quarto*, quod est anno æræ vulgaris 52. *Jacobus* vero minor, Hierosolymorum Episcopus, e templo in præceps actus esse dicitur apud Baronium ad an. 63. num. VI. eo anno Christi 63. Vide quæ ibidem num. II. de tempore illius sedis habet. Apud Pagium in Critica ad an. 60. num. IV., hoc anno 60. occisus est. Ad Acta utriusque, Græce, & Latine, quod attinet, ea vide apud Bollandianos hac die pag. 544. 733. 754. Acta Latina de *Jacobo* habentur etiam in codice Reginæ Suecorum 543. pag. 165. quorum inscriptio est: *Apostoli Jacobi incipit passio, quæ celebratur Kalendis Maji*. Sequitur: *Tempore illo suscepit Ecclesiam Hierosolymorum* &c. usque: *Populi autem cum omni diligentia & honore sepelierunt eum ibi juxta templum: credentes Christum filium Dei. In quo loco colitur ex ea passio ejus usque in hodiernum diem*. Apud eosdem Bollandianos pag. 7. & 18. de martyrio utriusque agitur. Quæ de variis *Jacobis* inter recentiores disceptantur, vide apud Henschenium hac die, Tillemontium tomo I. & Exercitationem Florentinii pag. 95. Calmetum, & alios.

Andeoli. *Andeolum* ab Adone in censum Martyrologiorum primum relatum fuisse, nullo alio præeunte,

praeeunte, nisi *Actis* vulgaribus, atque fabulosis, monet Sollerius in Usuardum hac die. Acta haec parvipenduntur ab Henschenio ad hunc diem pag. 35. *& seq.* ac a Tillemontio tom. III. pag. 636. Sine ullo delectu Usuardus Andeoli elogium ex Adone descripsit. Caeteri alii de eo silent. *Vivarienses* Episcopi olim *Alba Helviorum* sedebant, qua diruta, *Auxonius* Episcopus c. A. D. 430. sedem in *Castrum Vivarii* ad Rhodanum transtulit. Martyrium fecisse fertur c. A. D. 207. Pagus *Helvicus*, sive *Albensis*, deinde *Vivariensis*, vulgo *Viviers* dicitur, de quo Valesius in Notitia pag. 245.

Sigismundi. *Sigismundi* regis celebritas habetur primum in Hieronymianis hac die: *Agauno, passio Sigismundi regis.* inter Hieronymiana additamenta amandatur a Florentinio. At Gellonense *Sigismundi regis*, hac die meminit. Martyrologium Fuldense: *Eodem die passio sancti Sigismundi regis & martyris, qui a Francis interfectus & in quodam puteo projectus est.* Martyrologium Reginae Suecorum: *Et passio Sigismundi regis.* Corbejense breviua: *Agauno, passio Sigismundi regis.* Labbeanum, Augustanum, & Richenoviense: *Sigismundi regis.* Ado illius elogium ex Gregorio Turonensi lib. III. cap. V. & VI. de gloria martyrum cap. LXXV. sumpsit. Nudum autem nomen Sigismundi Usuardus retulit, addito loco, nimirum, *civitate Sedunensi.* Rabanus vero habet: *In Acaurio* (pro *Acauno*) *passio sancti Sigismundi regis.* Notkerus: *Item in Galliis territorio Sedunensi loco Agauno, passio Sigismundi regis, filii Gundevvaldi regis Burgundionum.* Hagiologium Francogallicum: *Civitate Senonensi* (pro *Sedunensi*) *natalis S. Sigismundi regis.* Kalendarium Vat. 3806.: *Et passio sancti Sigismundi regis.* Occisus est *Sigismundus a Chlodomiro* rege A. D. 524. Agaunense monasterium pius Rex condidit A. D. 515. Vide Mabillonium Annal. Bened. lib. I. §. LXIX. Missa S. Sigismundi regis habetur in veterrimo Sacramentario Gallicano pag. 344. De Missis in honorem S. *Sigismundi* pro frigoriticis celebrandis, & de offerenda Deo pro ejus requie oblatione meminit Gregorius Turonensis lib. I. de gloria mart. cap. LXXV. Caetera, quae ad illius res gestas & martyrium attinent, collecta habes apud Bollandianos hac die pag. 83. *& seq.*

Quiriaci, seu Cyriaci His addunt codices nostri *Quiriacum*, seu *Cyriacum* Antistitem & martyrem, qui *Judas* dictus est. Martyrologia primo loco recenseamus. Kalendis Majis agunt de eo Hieronymiana his verbis: *In Hierosolyma, natalis S. Judae, sive Quiriaci Episcopi.* Gellonense, Kalendis Maji: *Quiriaci.* Labbeanum eadem die: *Matthaei Apostoli, Judae.* Martyrologium Reginae Suecorum item eadem die: *Hierosolymis, natalis sancti Judae Episcopi, qui cognominatus est Quiriacus.* Kalendarium Vat. 3806. item Kalendis Maji: *Et passio sancti Cyriaci Episcopi, per quem crux salutaris inventa est anno* CCXXXIII. *post passionem Domini.* Rabanus Kalendis Maji eadem habet quae in Hieronymianis, & addit: *Cui revelatum est signum Dominicae crucis.* Et ad IV. *Non. Maji*, habet, crucem inventam fuisse *anno* CCXXXIII. *post passionem Domini.* Usuardus agit IV. Non. Maji de *Quiriaco* Episcopo, *Hierosolymis* passo sub *Juliano* Imperatore. Notkerus item de *Cyriaco* agit IV. Non. Maji, his verbis: *Hierosolymis, Quiriaci Episcopi cognomento Juda, qui postquam Dominicam crucem reperit, & in fide Christi profecit, a Beato Eusebio Romanae urbis Episcopo, Hierosolymorum est Antistes ordinatus.* Ejus gesta ac martyrium deinde recenset, ac demum habet: *Dies passionis ejus secundum alios hic, secundum Martyrologium vero S. Hieronymi, Calendis Maji celebris habetur.* Vide Florentinium pag. 489. De *Quiriaco*, item Gregorius Turonensis Histor. lib. I. cap. XXXIV. In serie Chronologica Episcoporum Hierosolymitanorum apud Bollandianos Maji tom. III. *Judas* qui & *Quiriacus* est ordine *decimus quintus*, cui successit *Marcus* an. 135. Hucusque vetera Martyrologia, quorum pleraque in unum eundemque duos *Cyriacos* conflant, alterum scilicet Hierosolymorum Episcopum, alterum item Episcopum, sub *Juliano* martyrio affectum, a quo item repertam esse crucem Dominicam ajunt. Nullus, imperante Juliano, *Cyriaci*, seu *Quiriaci* nomine Ecclesiae Hierosolymitanae, ut monet etiam Baronius ad diem IV. Maji, Episcopus praefuit, sed *S. Cyrillus*, qui vixit usque ad *Theodosii* tempora, seditque ab an. 348. ad 389. Crucis Dominicae inventio fuisse dicitur sub *Macario* Episcopo Hierosolymorum, qui sedit ab an. 314. ad 333. En quot portenta inscitia scribentium obtruduntur! Rectius habent nostri Adoniani codices, qui hac die agunt de *Quiriaco*, seu *Cyriaco*, cognomento Juda, Hierosolymis passo, quem martyrem quidem faciunt, sed sub quo tyranno passus sit, non referunt, neque de inventione crucis Dominicae, eo sedente, aliquid memorant. De *Cyriaco*, martyre sub Juliano, infra ad diem IV. *Maji*.

Post *Quiriacum* sequitur in nostris codicibus *Amator* Episcopus *Antissiodorensis*, de quo cum agat hac die Usuardus genuinus, atque item de *Orientio* Tolosano, Sollerius credidit, hujusmodi enunciationes Usuardi tantummodo proprias esse, licet vestigia eorum in apographorum Hieronymianorum accessionibus innotescere videantur. Sane quidem in apographo Epternacensi legitur: *Antissiodoro civitate, Amatoris Episcopi.* Agunt etiam de eo hac die Gellonense, Fuldense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginae Suecorum, Ottobonianum, & Hagiologium Francogallicum. Cur a Rosvveido in Appendicem sit *Amator* conjectus, jure quis mirabitur. Obiit *Amator* *Amatoris.*

Episcopus *Autissiodorensis*, ordine sextus, *Kalendis Majis*. Ejus gesta complexus est paucis auctor Historiæ Episcoporum Autissiodorensium, apud Labbeum Bibliothecæ novæ MSS. tom. I. pag. 413. At de illius Actis consule Henschenium hac die pag. 51. & Tillemontium tom. XV. pag. 835. & *seq.*

---

2. *Maii.*

C. IV. NONAS MAII.

Athanasii. NATALIS sancti Patris nostri Athanasii, Alexandrinæ urbis Episcopi & confessoris. Qui multa Arianorum perpessus insidiis, quadragesimo & sexto anno sacerdotii sui, post multos agones, multasque patientiæ coronas, quievit in pace. Hic vir acris ingenii, & Ecclesiasticis negotiis apprime vigilans fuit. Hujus origo & a puero institutio, tali modo narratur. Tempore quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander Episcopus agebat, cum post expleta solennia conventuros ad convivium suum clericos expectaret, in loco mari vicino videt eminus puerorum super oram maris ludum, imitantium (ut fieri solet) Episcopum, atque ea quæ in ecclesiis geri mos est. Sed cum intentus diutino pueros inspectaret, videt ab his geri etiam secretiora quædam & mystica. Perturbatus, ilico vocari ad se clericos jubet, atque eis, quid eminus ipse videret, ostendit. Tum abire eos, & comprehensos ad se adducere omnes pueros imperat. Cumque adessent, quid eis ludus, & quid egissent, vel quomodo, percontatur. Illi (ut talis habet ætas) pavidi, negare primo. Dein rem gestam per ordinem pandunt, & baptizatos a se quosdam catechumenos confitentur, per Athanasium, qui ludi illius puerilis Episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligenter inquirens ab his, qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, quidve responderint, simul & ab eo qui interrogaverat: ubi videt, secundum religionis nostræ ritum cuncta constare, collocutus cum concilio clericorum, statuisse traditur illis, quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismum non debere, sed adimpleri ea quæ a sacerdotibus mos est. Athanasium vero atque eos, quos ludus iste vel presbyteros usus fuerat vel ministros, convocatis parentibus, sub Dei obtestatione eos tradit Ecclesiæ nutriendos. Parvo autem exacto tempore, cum a Notario integre, & a Grammatico sufficienter Athanasius fuisset instructus, continuo tamquam fidele Domini commendatum, a parentibus restituitur sacerdoti, ac veluti Samuel quidam in templo Domini nutritur; & ab eo pergente ad patres in senectute bona, ad portandum post se Ephod sacerdotale deligitur. Hujus tanti in Ecclesia pro fidei integritate agones fuerunt, ut etiam de hoc videatur dictum esse illud quod scriptum est: *Ego enim ostendam ei, quantum pro nomine*

Hieron. de script. Eccles. cap. 15.
Ruffin. l. 1. cap. 14.
1. Reg. 1.
Act. 9.

nomine meo eum pati oporteat. In hujus etenim persecutiones universus conjuravit orbis, & commoti sunt Principes terræ: gentes, regna, exercitus, coierunt adversus eum; multasque Arianorum perpessus insidias, toto orbe profugus agitur; nullus tutus ad latendum supererat locus. Tribuni, præpositi, comites, exercitus quoque ad investigandum eum moventur. Edictis imperialibus præmia delatoribus proponuntur, si quis vivum maxime, sin minus, certe caput Athanasii detulisset. Ita totis regni viribus frustra adversus eum (cui Deus aderat) certabatur. Interea sex continuis annis ita latuisse fertur in lacu cisternæ non habentis aquam, ut solem numquam viderit. Sed cum jam sibi nullum locum tutum videret, (proditus siquidem fuerat per ancillam, quæ sola conscia erat dominorum officiis, qui ei latebras præbuerant) ad Constantem Galliarum principem fugit, a quo satis honorifice religioseque susceptus est. Quique causa ejus, quam fama compererat, diligentius cognita, scribit ad fratrem, pro certo comperisse, quod sacerdos Dei summi Athanasius injuste fugatus, exilia pateretur. Reversus itaque ad Constantium cum litteris, ad ecclesiam suam permittitur ire. Et rursus post mortem illius fugatus, usque ad Joviniani imperium latuit: a quo honorifice & officiosissimis litteris requisitus, ecclesiarum disponendarum, jam statutus in sede sua, accepit potestatem. Moritur Valentiniani & Valentis Imperatorum tempore.

Ruffin. l. 1. cap. 18. & 19.

Saturnini & Neopolis. Eodem die, natalis SS. Saturnini & Neopolis, qui in carcere requieverunt.

Marii. VARIA LECTIO. Cod. 512. hac die in fine habet: *Eodem die, sancti Marii confessoris.*

Athanasii. ADNOTATIO: *Athanasius* celeberrima tot terrarum orbe *Alexandrinus* Episcopus colitur hac die a Beda, Romano parvo, Adone nostro, Usuardo, Rabano, & Notkero, qui partim ex Usuardo, partim ex aliis elogium exornat. Adonis elogium partim ex Hieronymo, partim ex Rufino deceptum est. Agunt præterea hac die Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum, in quo iterum de eodem *Athanasio*, die XIII. *Octobris*. Agit item hac die *secunda Maji* Wandelbertus, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Kalendarium Vat. 3806. Hieronymiana vero apographa agunt die XIII. *Octobris*. Vide ibi pagin. 916. Florentinii notas. Die quoque XIII. *Octobris* agunt Gellonense, Richenoviense, & Labbeanum. Kalendarium denique Palatin. Vat. 485. agit die XX. *Decembris*. A Græcis, tum die secunda Maji, tum die XVIII. *Januarii* ritu maximo Athanasius colitur. De varia per annum Athanasii celebritate adeundi Bollandiani socii hac die pag. 184. *& seq.* ubi illius gesta & Acta recensentur. Magna animorum contentione inter eruditos recentiores decertatum est, quo potissimum anno Athanasius obierit, utrum Christi an. 371. an 372. an vero 373. Magno rerum apparatu in his illustrandis desudarunt post Baronium ad an. 378. num. LXIII. Norisius in Historia Pelagiana, Pagius in Critica ad an. 372. num. IX. *& seq.* Hermantius in vita Athanasii, Tillemontius tomo octavo, Montfauconius item in Vita. Sollerius in Historia Patriarcharum Alexandrinorum, & novissime Justus Fontaninus in Dissertatione posthuma de anno emortuali Sancti Athanasii Patriarchæ Alexandrini, quæ procusa

cusa est post ejusdem Historiam Literariam Aquilejensem, pag. 441. editionis Romanæ an. 1742. Inter tantos viros, quis ne hilum quidem proferre audeat? Hos igitur consulito.

Saturnini, & Neapolis. *Saturnini & Neopolis*, Alexandrinorum martyrum cultus ac celebritas profluit ex Hieronymianis; inde ex Romano parvo, Adone nostro, Usuardo, Rhinoviensi, Richenoviensi. Augustanum *Saturnini* meminit. Item Labbeanum. Martyrologium Ottobonianum, post *Athanasium* habet: *Et natalis Saturnini in carcere quiescentis cum Neapolim sociis suis. Et natalis sancti Calestini, & sancti Nessori.* Vide de his Bollandianos hac die pag. 180.

Marii. *Marius confessor*, de quo hac die codex noster 512. a vulgatis Martyrologiis præteritur. Bollandiani socii in Prætermissis hac die p. 166. habent, *S. Marium* confessorem referri in codice Adoniano Cardinalis Sfortiæ. Forsan est, inquiunt, *S. Marius* Abbas Bodanensis, de quo die XXVII. *Januarii*. Vide igitur ad eam diem, quæ nos in nostris ad Adonem adnotationibus ibi diximus.

---

3. Maii. *D. V. NONAS MAII.*

Inventio S. Crucis. JEROSOLYMIS, Inventio sanctæ Crucis ab Helena Regina, sub Constantino Principe, cujus & ipsa extitit mater. Inventionis autem pretiosi ligni historia cognitu digna ita se habet. Adrianus, qui undecimus Cæsar & Imperator Romæ erat, existimans se fidem Christianam loci injuria peremptorum, in loco passionis simulacrum Jovis consecravit. Et Bethleem Adonidis fano profanata est, ut quasi radix & fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in his locis idola colerentur, in quibus Christus natus est, ut pateretur: passus est, ut resurgeret: surrexit, ut regnaret; *Isaiæ 1.* Judex vel Rex judicaret. In Bethleem quoque, ubi agnoverat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ibi Principes *Ezech. 8.* hominum inficiati Salvatorem Domini, infames hominum amores mortesque coluerunt. Prodita novo sidere Regis æterni ubi cunabula supplices cum suis opibus adoraverant Chaldæi, ibi barbaras libidines sacraverunt Romani. Ubi natum Salvatorem cum exercitu Angelorum concinente, cælesti gaudio salutaverant illustrata nocte pastores, ibi Veneris amasium mixtæ semiviris planxere meretrices. Pro dolor! quæ pietas hominum hanc impietatem compensare poterit! ubi sacra nati Salvatoris infantia vagierat, illic Veneris lamenta fingentium lascivis luctibus, infamis ritus ululabat: & ubi Virgo pepererat, adulteri colebantur. Mansit hoc sæculi prioris nefas in tempora Constantini, qui Princeps ut esset Principibus Christianis, non magis sua quam matris Helenæ fide meruit. Quæ divino, ut exitus docuit, inspirata consilio, rogat filium ut sibi facultatem daret, cuncta illic loca Dominicis impressa vestigiis, & divinorum erga nos operum signata monimentis purgare; destructis templis & idolis ab omni profanæ impietatis contagio, & religioni suæ reddere, ut Ecclesia tandem in terra originis suæ celebraretur. Itaque prompto filii Imperatoris assensu, mater Augusta patefactis ad opera sancta thesauris, toto abusa fisco est, quantoque sumptu atque cultu Regina poterat,

rat & religio suadebat, ædificatis basilicis, contexit omnia & excoluit loca, in quibus salutaria nobis mysteria pietatis suæ, incarnationis, & passionis, & resurrectionis, atque ascensionis sacramentis Dominus redemptor impleverat. Mirum vero inter hæc, quod in basilica Ascensionis, locus ille tantum, de quo in nube susceptus ascendit, captivam in sua carne ducens captivitatem nostram, ita sacratus divinis vestigiis dicitur, ut numquam tegi marmore, aut * paviri receperit: semper excussis solo respuente, quæ manus adornandi studio tentavit apponere. Itaque in toto basilicæ spatio solus in sui cespitis specie virens permanet, & impressam divinorum pedum venerationem calcati Deo pulveris perspicua simul & attigua venerantibus arena conservat, ut vere dici possit: Adoravimus in loco ubi steterunt pedes ejus. Regina illa venerabilis, ut venit Jerosolymam diligenter & pie locis illic & circa omnibus, divinorum curiosa insignium, & oculis haurire gestiens fidem, quam piis auribus litterisque perceperat, Crucem Domini studiosissime perquirere adorsa est. Sed quæ via vel ratio inveniendi subesset, cum judex idoneus nemo inveniri posset, ubi memoriam & curam religiosæ conscientiæ vel observantiæ, & antiquitas ævi, & superstitionis impiæ diuturnitas abolevisset? Verum ipso omnium & terris & animis opertorum conscio & teste Domino, fidelis mulier sanctum Spiritum per affectum pium meruit. Quo adspirante, cum rem ab humana conscientia divinitus remotam frustra diligens requisisset, de loco tantum passionis certior fieri studuit. Itaque non solum de Christianis doctrina & sanctitate plenos viros, sed & de Judæis peritissimos, ut propriæ (qua miseri & gloriantur) impietatis indices exquisivit, & accitos in Jerosolymam congregavit. Tum omnium una de loco testificatione confirmata est. Jussit ilico, urgente sine dubio conceptæ revelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi; parataque mox civium pariter & militari manu, brevi laborem istius molitionis habuit, & contra spem omnium, sed secundum ipsius tantum Reginæ fidem, alta egestione reseratis terræ finibus, abditæ Crucis arcana patuerunt. Sed cum tres pariter cruces, ut quondam fixæ Domino & latronibus steterant, repertæ fuissent, gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi: justo piorum metu, ne forsitan aut pro Cruce Domini patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum pro stipite latronis objiciendo violarent. Aderat quidem & titulus ille, qui Græcis & Latinis atque Hebraicis litteris a Pilato fuerat conscriptus, sed nec ipse satis evidenter Dominici prodebat signi patibuli. Respexit pias fideliter æstuantium curas Dominus, & ipsi potissimum, quæ

Ephes. 4.

* MS. pa-veri.

Psal. 131.

tam piæ ſolicitudinis princeps erat, hujus conſilii lumen infudit, ut aliquem recens mortuum inquiri, & inferri juberet. Macarius per idem tempus Eccleſiæ illius Epiſcopus præſens erat. Nec mora, verbum factum, cadaver illatum eſt. Deponitur jacenti una de crucibus, admovetur & altera, ſed eorum ligna mors ſprevit. Poſtremo Dominicam Crucem prodit reſurrectio, & ad ſalutaris ligni tactum, morte profuga, funus excuſſum, & corpus erectum eſt: tremefactiſque viventibus, ſtetit mortuus, & funebribus, ut Lazarus quondam, vinculis expeditus, illico inter ſpectatores ſuos redivivus inceſſit. Ergo Crux Domini tot operta ætatibus, & Judæis in tempore paſſionis abſcondita, neque Gentibus in ædificatione fani, terram ſine dubio ad ipſam fabricam egerentibus, revelata; nonne divina manu latuit, ut nunc inveniretur, cum religioſe quæreretur? Ita ut Crucem Chriſti decuit, experimento reſurrectionis inventa & probata Crux Chriſti eſt, dignoque mox ambitu conſecratur, condita in paſſionis loco baſilica, quæ auratis coruſcat laquearibus & aureis dives altaribus, arcano repoſitam ſacrario Crucis partem ſervat, quam thecis argenteis incomparabilis fide Regina conditam dereliquit ibi. Namque partem ipſius ligni ſalutaris detulit filio: quam Epiſcopus urbis ejus quotannis, cum Paſcha Domini agitur, adorandam populo, princeps ipſe venerantium promit. Neque præter hanc diem, qua Crucis ipſius myſterium celebratur, ipſa (quæ ſacramentorum cauſa eſt) quaſi quoddam ſacræ ſolennitatis inſigne profertur: niſi interdum religioſiſſimi poſtulent, qui hac tantum cauſſa illo peregrinati advenerint, ut ſibi ejus revelatio quaſi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur; quod ſolum Epiſcopi beneficio obtineri ferunt. Quæ quidem Crux in materia inſenſata vim vivam tenens, ita ex illo tempore innumeris pæne quotidie hominum votis lignum ſuum commodat, ut detrimentum non ſentiat, & quaſi intacta permaneat; quotidie dividua ſumentibus, & ſemper tota venerantibus. Sed iſtam imputribilem virtutem, & indetribilem ſoliditatem, de illius profecto carnis ſanguine bibit, quæ paſſa mortem, non vidit corruptionem. *Ruff. lib. 1. cap. 8.* Clavos quoque, quibus corpus Dominicum fuerat affixum, eadem venerabilis Regina portavit ad filium. Ex quibus ille frenos compoſuit, quibus uteretur ad bellum; & ex aliis galeam, nihilominus belli uſibus aptam.

Alexandri, Eventii & Theoduli. Eodem die, Romæ via Numentana, miliario ſeptimo, ſancti Alexandri Papæ, cum Eventio & Theodulo Presbyteris ſub Trajano Principe, Judice Aureliano: qui Romanæ Eccleſiæ Epiſcopatum, quintus poſt Petrum, tenuit annos decem, menſes duos, dies decem, & ſanctitate incomparabilis, fide clariſſimus, *Pontifical. cap. 7. Eſt Alexander I.*

maximam

maximam partem Senatorum urbis convertit ad Dominum. Qui postmodum jubente Trajano Principe, ab Aureliano comite utriusque militiæ, carceri mancipatus, post stupenda & divina miracula, ubi per puerum, qui faculam ferebat ardentem, e carcere nocturno silentio per fenestram eductus, ad domum Quirini Tribuni, ubi B. Hermes præfectus sub custodia tenebatur, perducitur; & postquam sanata est filia ipsius Quirini, Balbina nomine, & ipse Quirinus conversus baptismi gratiam desideravit, postque liberationem & baptizationem eorum, quos vinculis arctatos in carcere Quirinus ipse tenuerat, inter quos duos quoque sanctissimos presbyteros in reos constrinxerat, Eventium & Theodulum, qui de Oriente venerant: post ista omnia, & siqua sunt alia venerabiliter ab eo gesta, Aureliano comiti iterum, Principe adhuc Trajano (siquidem Adrianus nondum imperabat) exhibitus est simul cum ipsis beatis duobus presbyteris: primoque in eculeum levatus, & tortus ungulis, atque lampadibus attractatus gravissime fuit. Cumque nullas daret voces, dixit ei Aurelianus: Quare taces? Sanctus Alexander respondit: Quia tempore orationis Christianus homo cum Deo loquitur. Deposito autem Alexandro, jussit impius Judex applicari Eventium & Theodulum, & interrogavit B. Alexandrum: Qui sunt isti? Beatus Alexander dixit: Ambo viri sancti, ambo presbyteri. Tunc conversus ad beatum Eventium Judex, interrogavit eum: Quando factus es Christianus? Cui beatus Eventius: Ante annos LXX. & annorum XI. sum baptizatus, & annorum XX. presbyter ordinatus fui, & nunc ago LXXX. & unum ætatis, quem in carcere & vinculis complevi. Et postquam interrogavit etiam Theodulum, & in confessione manentem invenit, jussit furnum incendi fortiter, & beatum Alexandrum atque
Psal. 16. Eventium ligatos in medium præcipitari. Cum eis & beatus Theodulus sponte in flammas prosilivit, decantans cum ipsis & pariter gratias agens: Igne nos examinasti, & non est inventa in nobis iniquitas. Quod cum nuntiatum impio Aureliano esset, fecit beatissimum Alexandrum punctis creberrimis per tota pungi membra, donec deficeret. Hujusmodi fine vir sanctus martyrium suum complevit. Sancti autem duo Presbyteri gladio consummati sunt. Quorum corpora Severa femina religiosa collegit, & beatum Alexandrum atque Eventium in uno sepulcro, sanctum vero Theodulum separatim in alio posuit via Numentana, in prædio suo, v. Nonas Maji.

Juvenalis. Ipso die, natalis sancti Juvenalis Episcopi & confessoris.

VARIA LECTIO. Ed. *ut nunquam tegi marmore, aut paviri receperit.* Cod. 511. 512. 514. *ut nunquam tegi marmore potuerit, aut pavimenti aliquid receperit, semper excussis solo respuente &c.* Ed. *quam Episcopus urbis ejus quotannis, cum Pascha &c.* Iidem codices: *quam Episcopus urbis ejus, quæ antea Bizantium, modo Constantinopolis appellatur, omnibus annis cum Pascha Domini agitur, adorandam populo princeps ipse venerantum promit.*

Ed. *eodem die, Romæ via Numentana &c.* Codices 511. 512. & 514. ita habent.

„ Romæ, natalis sancti Alexandri Papæ, & Eventii, & Theodoli presbyterorum.
„ Quorum primus Romanæ Ecclesiæ Episcopatum quintus post Petrum Apostolum
„ annis x. tenuit, menses II., dies x. Hic maximam partem Senatorum convertit ad
„ Dominum: qui postmodum, jubente Trajano, post vincula & carceres, equuleum,
„ ungulas & ignes, punctis creberrimis per tota membra peremptus est. Sequentes
„ & ipsi post longam carceris sustinentiam, ignibus examinati, & ad ultimum de-
„ collati sunt. Quorum corpora Severa religiosa femina collegit, & sepelivit in præ-
„ dio suo via Numentana v. Non. Maji. Ipso die, natalis sancti Juvenalis Episcopi
„ & confessoris.

Invent. S. Crucis. ADNOTATIO. De *Inventione S. Crucis* agunt hac die fere omnes Latinorum. Apographum Hieronymianum Lucense habet: *In Jerosolyma, Inventio sanctæ Crucis Domini nostri Jesu Christi ab Helena post passionem Domini anno* CCXXXIII. *regnante Constantino Imperatore.* Ex genuino Hieronymianorum fonte, hæc tamen non dimanare contendit Papebrochius adversus Florentinium, præsertim ex fide vetustissimi apographi Epternacensis. Verosimile ei videtur, hæc verba ex Floro accepta esse. Agit præterea Beda genuinus hac die secundo loco, nimirum post *sanctum Alexandrum* & socios. Rabanus eadem habet, quæ apographum Hieronymianum, addit autem post: *Constantino Imperatore, filio ipsius Helenæ.* Notkerus Rabanum sequitur, atque alia attexit, ex Græcis Actis corruptis deprompta. Usuardus paucis elogium conficit, his nimirum verbis: *Jerosolymis, Inventio sanctæ Crucis ab Helena regina sub Constantino Principe.* Martyrologium Fuldense: *Hierosolyma, inventio sanctæ Crucis.* Ottobonianum eadem omnino habet, quæ apographum Hieronymianum Lucense. Rhinoviense: *Hierosolymis, Inventio sanctæ Crucis.* Ita Richenoviense. Augustanum & Labbeanum: *Inventio sanctæ Crucis,* prætermisso loco. Corbejense brevius, ut in Hieronymianis. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Hierosolyma, Inventio sanctæ Crucis ab Helena regina anno* CCXXXIII. Kalendarium Palat. 485. & Vat. 3806: *Inventio sanctæ Crucis,* tantum. Meminit & Wandelbertus. In nullo ferme ex veteribus Martyrologiis *Inventionis sanctæ Crucis* celebritas hac die desideratur. Ado noster longiorem hujus Inventionis historiam nobis exhibet, quæ tamen in aliquibus ex Actis apocryphis prodire comperitur. Acta quædam de hac Inventione inter apocrypha in censura S. Gelasii Romani Pontificis sunt amandata. Acta hujusmodi e Græco fonte prodiisse putamus, nimirum ex Alexandri monachi sermone de Inventione S. Crucis, qui exstat apud Gretserum tom. II. de Cruce pag. 1. ex aliis incerti auctoris, ibidem pag. 526. & 540. Horum aliqua Simeoni Metaphrastæ adscribuntur. Acta item Latina de hac Inventione circumferuntur, quorum apographa leguntur in codice Reginæ Suecorum, sæculi forte x. num. 482. pag. 37. ubi habetur: *Incipit Inventio sanctæ Crucis. Anno ducentesimo trigesimo tertio: regnante venerabile Dei cultore magno viro Constantino in sexto anno regni ejus, gens multa barbarorum congregata est super Danubium fluvium &c.* usque: *celebrare commemorationem diei, qua inventa est Crux, v. Non. Maji. Quicumque vero memoriam faciunt sanctæ Crucis, accipiant partem cum Dei genitrice Maria. Amen.* Ita habet codex alius Canonicorum Forojuliensium, in quo post annum *ducentesimum trigesimum tertium* additur: *post Resurrectionem Domini nostri Jesu Christi. Regnante venerabili Dei cultore magno viro Constantino Augusto, in sexto anno regni ejus gens multa barbarorum congregata est &c.* In fine. *Sancta vero Helena dona multa reliquit Ciriaco Episcopo ad ministerium pauperum, & dormivit in pace, demandans omnibus qui ipsum diligunt viris & mulieribus, pueris & puellis, & vinclis christianis celebrare commemorationem diei, in quo inventa est sancta Crux, idest v. Nonas Maji. Quicumque vero memoriam fecerit Crucis, accipiant partem cum Dei genitrice Maria in sæcula sæculorum. Amen.* Quæ sit autem hæc supputandi ratio, quæ item habetur in vulgatis Actis *S. Cyriaci*, ut die prima *Maji* vidimus, mihi prorsus est incompertum. Itaque eam falsam esse atque ex commentitiis scriptis acceptam, dicendum est. Crucis Dominicæ Inventio per S. Helenam Constantini matrem anno

nono Christi 326. alligatur, ut habet Baronius ad an. 326. n. XLII. *& seq.* ubi pluribus ex veterum testimoniis, nimirum, ex Patribus, idest Ambrosio, Paulino, & Cyrillo Hierosolymitano: item ex Historicis, Theodoreto, Socrate, Sozomeno, Rufino, Sulpitio Severo, ac Nicephoro de eadem inventione, ac item in Notationibus hac die. Ex iisdem disces quo pacto, & quando Crux Dominica Hierosolymis inventa sit, & fabulosa explodes; prout etiam sunt hi Chronologici characteres, & emeotitus *Quiriacus*, seu *Cyriacus*. De quo, licet auctor libri Pontificalis in S. Eusebio Pontifice habeat: *Hujus tempore Crux Domini nostri Jesu Christi quinto Nonas Maji inventa est; baptizatus quoque Judas, post Quiriacus vocatus, Crucis inventor*, & id referatur in can. *Crucis*, Distinct. III. ac Gregorius Turonensis lib. I. cap. XXXVI. narret, lignum venerabilis crucis per studium *Helenæ*, Constantini matris repertum esse, prodente *Juda Hebræo*, qui post baptismum *Quiriacus* est vocatus, Baronius tamen ad an. 312. n. XLI. affirmat, his quamplurimos adversari, quia hæc inventio contigit post Nicænum Concilium, cum Constantinus cum matre in oriente ageret, certumque illud esse, Helenam post Constantinum Christianam religionem amplexam esse. *Constantinus* autem, Eusebii Pontificatu, nondum Christianus erat. Hujusmodi iterum historiam, ut anilem fabulam idem Baronius ad an. 326. n. L. respuit; prout eam refellunt Bollandiani socii hac die pag. 361. *& seq.* & Conradus Janningus in Apologia præfixa tomo I. *Junii* n. 86. Adeundus quoque Papebrochius in Responsionibus P. I. art. I. §. 7. At post hos omnes, aliosque hanc spartam nostris hisce diebus uberrime exornavit Eminentissimus Lambertinus, nunc BENEDICTUS XIV. PONT. MAX. qui summa diligentia quæcumque de Historia Inventionis S. Crucis, de apocryphis scriptis, de vanis hæreticorum deliramentis, de illius cultu, ritibus, ac festo collegit, & illustravit in libris de Festis Domini P. I. §. CXXXVIII. *& seq.* Licet autem menda irrepserint in hujus inventionis historiam, antiquissimo tamen more in Ecclesia Catholica hic dies solemniter colitur; quod ex libris Liturgicis veterrimis apparet. Codex Sacramentorum Gelasianus pag. 151. hac die Missam habet: *De Inventione sanctæ Crucis*. Item Missale Gothicum, ibidem pagin. 349., ac Sacramentarium Gallicanum, sæculo septimo scriptum, apud Mabillonium Musei Italici tom. I. P. II. pag. 333. Videtur tamen aliquando hæc celebritas in libris Liturgicis omissa; nam deest in Sacramentariis Gregorianis Reginæ Suecorum 337. & Ottoboniano, sæculi VIII. & in Capitulari Evangeliorum Frontoniano, ac in aliis Capitularibus, de quibus nos tom. III. de Liturg. Romani Pontif. p. 559. Ibi tamen aliud Evangelium est *in Invent. S. Crucis*, post Evangelium in natali SS. Alexandri & sociorum in Capitulari Vatic. 5465. quod certe ex veterrimo fonte profluit. Cæterum in Sacramentariis omnibus, ac Liturgicis aliis, a sæculo Christi X. exarata hac die Dominicæ crucis solemnitas celebris est, ut in Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vatic. 494. 495. 496. & Missali plenario Vaticano 4770. & aliis. Vide Micrologum cap. LV. qui ex vulgato Eusebii decreto, ab eodem Pontifice statutum fuisse tradit, ut ab omnibus Christifidelibus *Quinto Nonas Maji* Inventio S. Crucis solemniter celebraretur. Jo: Fronto in suo Kalendario ad diem III. Maji admonet, nullam ibi esse ad eam diem mentionem de Inventione S. Crucis, licet eam antiquam esse credat Pamelius ex Micrologo, qui tamen ad fabulam alludit, quare nonnisi post annum a Christo 720. cœptam esse celebrari. Id ita affirmat, Fronto, quia Kalendarium abs se editum scriptum putavit c. A. D. 720. At post Frontonis tempora in lucem prodiere Martyrologia Hieronymiana, Sacramentarium Gelasianum, Missale Gothicum, & Sacramentarium Gallicanum, ex quibus, ut diximus, certum redditur, sæculo etiam Christi septimo, & ante Missam hac die *de Inventione S. Crucis* celebrari consuevisse. Vide Florentinium in notis hac die, & consule etiam, quæ die XIV. *Septembris*, ubi de *Exaltatione S. Crucis*, dicturi sumus.

Alexander Pontifex cum sociis in plerisque Martyrologiis principe loco hac die memora- *Alexandri & soc.*
tur. Agunt de *Eventio*, ac *Theodulo presbytero* apographa Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Gellonense, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Reginæ Suecorum, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. & Wandelbertus. Usuardus, Adonis encomium satis prolixum, summatim exhibuit. Aliquanto brevior Adone est Rabanus. Pene totum Adonis elogium describit, & alia ex vulgatis Actis addit, quæ censoria virga notanda esse, ubi de *S. Quirino*, ac *Balbina* egimus, indicavimus. Notkerus autem habet, *Alexandrum*, jubente *Trajano Cæsare*, ab *Aureliano Comite utriusque militiæ*, carceri fuisse mancipatum. Aliqui habent *sub Adriano*. Vide, quid sentiendum de his Actis sit, apud Bollandianos socios hac die pag. 367. *& seq.* Apographum hujusmodi Actorum habetur etiam in codice Reginæ Suecorum 523. p. 191. ubi legitur: *Incipit passio sanctorum martyrum Alexandri, Eventii, & Theodoli, atque Hermetis. Quinto loco a beato Petro Apostolo Romanæ urbis Ecclesiæ cathedram sedit Alexander* &c. usque: *Sanctorum autem ipsorum natalis est quinto Nonas Majas. Benedictus Deus* &c. Vid. Tillemont. to. II. p. 238. & 590. Quidquid autem de his Actis sit, exploratum illud est de his martyribus natalem hac die recoli in veterrimis omnibus Sacrament. Gregoriani ordinis, ut in Sacramentario Reginæ Suecorum

rum 337. & in Ottoboniano, ei suppari, in Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palatin. Vat. 494. 495. & 496. Sacramentariis; & in Capitularibus omnibus Evangeliorum, ut est tom. III. de Liturgia Romani Pontificia p. 259. Si quid ergo in Acta irrepsit, de cultu veterrimo non est dubitandum.

Juvenalis His martyribus copulatur *Juvenalis*, Narniensis Episcopus, & confessor. Primus Ado, deinde Usuardus in Martyrologiis de eo meminisse videntur Sollerio in Usuardum hac die, quum alii antiquiores conticescere soleant. Meminit tamen hac die *Juvenalis confessoris*, post *Theodolum*, Martyrologium Gellonense, ac item Augustanum, & Labbeanum. Agit de eo hac die Kalendar. Palat. Vat. 485. At de illius veterrimo cultu, instar omnium est codex Sacramentorum Gelasianus, in quo pag. 150. hac die ante Missam de Inventione S. Crucis, Missa in *natali S. Juvenalis* habetur. In orationibus *Episcopus & confessor* dicitur. In Sacramentariis vetustioribus Gregorianis *Juvenalis* desideratur. Habetur vero in Missali plenario Vatic. 4770. ubi, licet hac die in titulo præferat: *Natalis sancti Alexandri*, Oratio Missæ hæc est: *Præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut qui sanctorum tuorum Alexandri, Eventii, & Theodoli, atque Juvenalis natalitia colimus &c.* Sacramentarium Palat. Vaticanum 496. primo loco hac die Missam de *Inventione S. Crucis* præfigit, deinde habet: *Eodem die, Alexandri, Eventii, Theodoli, Juvenalis*. Ibi etiam oratio in Missa S. Juvenalis legitur: *Beati nobis, quæsumus, Juvenalis & confessio semper* &c. prout in Gelasiano. Ado noster, Usuardus, & alii distinguunt hunc *Juvenalem* confessorem, ab alio *Juvenali* martyre, de quo agunt die VII. Maji. Floruit *Juvenalis* Episcopus Narniensis & confessor, sæculo Christi IV., de quo, ejusque Actis vide Bollandianos hac die pag. 386. *& seq.* præter Baronii Notationes.

---

4. Maji. *E. IV. NONAS MAII.*

Silvani. IN Palæstina, civitate Gaza, natalis sancti Silvani ejusdem urbis Episcopi. Qui persecutione Diocletiani cum plurimis Clericorum suorum martyrio coronatus est. *Euseb. l. 8. c. 14. & l. 9. c. 6. Ruffin.*

Martyr. XL. Item in metallo Fanensi, SS. Martyrum XL. qui simul capite cæsi sunt.

Antoniæ. Nicomediæ, natalis S. Antoniæ: quæ nimium torta & variis afflicta cruciatibus ab uno brachio tribus diebus suspensa, & in carcerem biennio detrusa, a Priscilliano præside ad ultimum flammis exusta est.

Floriani. Eodem die, in Norico Ripensi, loco Lauriaco, natalis S. Floriani: qui, Præsidis jussu ligato ad collum saxo, in flumen Anisi præcipitatus est; & mox omnibus, qui circumstabant, videntibus, oculi præcipitatoris ejus crepuerunt.

Quiriaci. Ipso die, B. Quiriaci Episcopi & martyris gloriosi, sub Juliano Imperatore.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. & 514. ita habent hac die:

Martyr. XL. „ In metallo Fanensi, sanctorum martyrum XL. qui simul capite cæsi sunt. Autis-
Corcodomi „ siodoro, depositio & translatio corporis sancti Corcodomi diaconi & confessoris; qui „ cum esset sanctæ Romanæ Ecclesiæ Archisubdiaconus, a beato Sixto Papa ordinatus est, „ & sancto Peregrino Episcopo Galliam ad prædicandum verbum Dei missus. Completo „ itaque fidelissime ministerii sui officio, post martyrium beatissimi Peregrini Episcopi,
Antoniæ. „ clarus in pace quievit. Nicomediæ, natalis sanctæ Antoniæ, quæ nimium torta, & variis cruciatibus afflicta est, ab uno brachio tribus (deest diebus) suspensa, & in carcere biennio trusa, a Priscilliano præside ad ultimum flammis exusta est. Eodem die
Floriani. „ in Norico Ripensi, natalis sancti Floriani, qui præsidis jussu, ligato ad collum ejus saxo, „ in fluvio Annisi (sic) præcipitatus est; sed mox omnibus, qui circumstabant, videntibus, oculi præcipitatoris ejus crepuerunt.

Deinde

Sacerdotis Deinde sequitur in codice 512. *Eodem die, Petragoris, sancti Sacerdotis confessoris atque Pontificis*. Deest in memoratis codicibus natalis *S. Quiriaci* Episcopi, & sancti *Silvani*.

Silvani. ADNOTATIO. *Silvanus* in nostris codicibus deest, quia de eo forte egerunt die xx. *Februarii* in caterva martyrum Tyrensium. Agit autem de eo hac die Romanum parvum, deinde ex Adone vulgato Usuardus, & Notkerus. Sollerius censet, ab Usuardo una cum *Silvano* conjungendos fuisse martyres *quadraginta*, seu potius *triginta novem* *Mart.XL.* illius socios. Sed vetera alia Martyrologia proferamus. Martyrologium Ottobonianum: *In Cæsarea Silvani. Alexandria XL. mart.* Ita Richenoviense. Augustanum, & Labbeanum: *Silvani* tantum. Agunt de *Silvano* & aliis Hieronymiana, sed mendis librariorum featent. *Metalla-fanensis*, locus est in Palæstina, ubi metalla fodiebantur. De eo Hieronymus in locis Hebraicis. *Silvani*, & aliorum martyrium Baronius ad an. 309. refert in Annalibus hoc anno num. XIX. *& seq.* sed Pagius in Critica ad an. 309. num. IX. differendum in annum 310. censet. Ex Eusebio horum martyrum certamen illustrant Bollandiani socii hac die p. 468. Ruinartius in Actis selectis p. 328. & 351. ac Tillemontius tom. V. pag. 432. *& seq.*

Antonia. Sequitur *Antonia*, martyr *Nicomediensis*, de qua Hieronymiana, Ado noster, & ex eo Usuardus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Florus, & Wandelbertus. Rhinoviense, & Richenoviense habent: *In Nicea civitate, Antoniai*. Emendari posse puto: *In Nicomedia civitate, Antonia*. Augustanum: *Antonini martyris*. Labbeanum: *Antonina martyris*. Corbejense brevius: *In Nicomedia Antonia*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Nicomedia, natalis sanctæ Antonia, qua post multa tormenta flammis exusta obiit*. Acta ejus non exstant, sed ex Martyrologiis illius elogium exornant Bollandiani socii hac die pag. 460. Vide item eos in Prætermissis die XII. *Junii*.

Floriani. *Florianus*, celebris in *Norico* martyr, Diocletianea persecutione c. A. D. 304., *Aquilino* Præside apud Noricum agente, memoratur in primis a Hieronymianis, licet ex more nomine illius corrupto & cum aliis Africanis martyribus confuso, post quos apographum Lucense habet: *Et in Noricopense Locorum*. Florentinius pag. 499. ita restitui posse censet: *In Norico Ripensi, loco Lauriaco*. Silent Beda, & Romanum parvum. At agunt Gellonense, Ado noster, Rabanus, Usuardus, Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Kalendarium Vat. 3806. Illius elogium ex Actis ab Adone, & aliis decerptum est. Vulgata Acta quæ vidimus in codice Canonicorum Forojuliensium ita exordiuntur: *Passio sancti Floriani martyris. In diebus illis, sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, cum esset persecutio Christianorum, quando diversis agonibus concertantes Christiani a tyrannis inlata supplicia devota Deo mente suscipiebant* &c. In fine: *Acta sunt autem hæc apud Noricum Ripensem Lauriacum, imperantibus Diocletiano & Maximiano, agente Aquilino Præside. Regnante vero Domino nostro* &c. Edita hæc sunt & illustrata a Bollandianis sociis hac die pag. 461. ac eis pene sincera visa sunt: at aliter visum est Tillemontio tom. V. pag. 67. *Laureacum*, quæ urbs caput Norici Ripensis olim censebatur, apud veterrimos Latinos non occurrit. In veteri quadam inscriptione habentur nomina militum Laureacensium. In Antonini Itinerario legitur *Lauriacum*. Vulgatissimum autem illius nomen est in Notitia utriusque Imperii; nam ibi mentio fit *Præfecti Legionis secundæ Lauriaci*, & *Præfecti classis Lauriacensis*. Fuit autem Episcopalis urbs, deinde diruta & ipsa fuit. Hodie pagus eo loci superest, qui *Loreb* dicitur, non longe ab opido *Ens*, & a fluvio ejusdem nominis, qui Latine *Anisus*, corrupte *Anissus*, *Aesum*, *Aesus*, librariorum arbitratu, & his Actis, & in aliis Actis sanctorum hujus regionis dicitur. Missale Vat. 4770. Missam habet: *in nat. S. Floriani*.

Quiriacus, seu *Cyriacus*, qui in vulgato *Quiriacus.* Adone hodie legitur, præteritur a nostris codicibus, quia unum tantum *Quiriacum* cognomento *Judam*, ad diem *primam Maji* agnoscunt, neque pandunt cujus sedis fuerit Episcopus, neque cujus tyranni jussu passus sit. Recole quæ ibi diximus. At de *Quiriaco* Episcopo, sub *Juliano* interfecto, agunt hac die vulgatus Ado, Usuardus, Florus, & Notkerus. Duone sunt *Quiriaci* distinguendi? an eorum alter fuit Hierosolymitanus Episcopus in vivis adhuc agente Helena, alter vero alicujus sedis item Episcopus, & sub Juliano martyr? *Cyriacus*, seu *Quiriacus*, *Helenæ*, & *Juliani* ævo, nullus in serie Hierosolymitanorum, ut a viris doctis monitum est, reperitur. At *Cyriacum* Episcopum & martyrem sub Juliano Martyrologia vetera commemorant; & illius Acta supersunt, quæ alias edita, nos tamen illorum exordium & finem ex codice Canonicorum Forojuliensium, hic ponimus: *Passio sancti Cyriaci Episcopi. Juliano tyranno in regnum succedente post venerabilem finem Constantini Imperatoris, beati Cyriaci Episcopi fama ad ejus auditum pervenit* &c. In fine: *Cumque percuteretur beatus Ciriacus Episcopus emisit spiritum* III. *Nonas Maji: & sic consummavit certamen suum in* De-

Domino nostro Jesu Christo, cui est gloria, potestas, & imperium in secula seculorum. Amen. Acta apocrypha edita, & illustrata sunt a Bollandianis hac die in Appendice pag. 574. In vulgato Adone hac die nihil de loco martyrii, apud Usuardum vero habetur: *Hierosolymis, passio sancti Quiriaci Episcopi, sub Juliano Imperatore.* Martyrologium Romanum ita hac die *Cyriaci* elogium exaravit: *Jerosolymis sancti Cyriaci Episcopi, qui cum loca sancta visitaret, sub Juliano apostata caesus est.* Baronius ad hæc animadvertit, hunc *Cyriacum*, non esse Episcopum Hierosolymitanum, quia tunc illic sedebat *S. Cyrillus*, sed esse *Cyriacum* Episcopum Anconitanum, cujus Acta ex Ecclesia Anconitana acceperat, quæ tamen castigatione indigebant. Vide quæ in rem hanc monet Eminentissimus Lambertinus Archiepiscopus Bononiensis, antea Anconitanus Episcopus, qui ubi agit de festo Inventionis S. Crucis monet §. XLVII. ex Tillemontio in Nota III. ad Vitam S. Helenæ, fieri posse, ut *Cyriacus* alicujus Sedis Episcopus, Hierosolymis passus fuerit, cujus reliquiæ a Placidia Augusta Anconam translatæ sint, ac ibi uti patronus illius civitatis colatur. Acta *Cyriaci*, ut loquit Sollerius in Usuardum hac die, antiquitatem quandam redolent, quibus tamen tot veterum Martyrologiorum consensus non plus fidei addidit, quam illius auctor mereatur. Adeundus hac die, denique Papebrochii commentarius, & censura, ac in Responsionibus passim, & ad art. X. n. 129. Sed hæc omnia, statuit idem Sollerius, antiquissimo hujus sancti cultui nihil detrimenti afferre.

Corcodomi. *Corcodomus*, in Ecclesia Autissiodorensi diaconus, qui vulgato Adoni deest, habetur tamen secundo loco in codicibus nostris. Memoratur autem hac die ab Usuardo his verbis: *Autissiodora, sancti Corcodemi diaconi.* Illius elogium in Martyrologio Fuldensi sumptum ex nostris Adonianis codicibus est. Agunt præterea hac die Hagiologium Francogallicum, ubi *Corcondemus* appellatur, Ottobonianum, Augustanum, Labbeanum, & Martyrologium Reginæ Suecorum. *Confessor* in his fere omnibus dicitur, ac illius *depositio*, *& translatio* ab eisdem hac die recensetur. A Sollerio visus est *Corrodomus* ab Usuardo primum inter Martyrologia relatus, quia genuino Adoni prætermissus erat; at a codicibus Adonianis, optimæ notæ minime abest, ut ex nostris codicibus patet. Vide insuper quid habeant de eo Bollandiani hac die pag. 583. Ad sæculum Christi III. ejus natalem referunt.

Additur extremo loco a codicibus nostris hac die *Sacerdos*, a Gallis vernacula *Serdon*, & *Sadroc* aliquando appellatus, Episcopus *Lemovicensis*, qui a genuino Usuardo præteritur, at habetur in ejus Auctariis. Reliqua Martyrologia silent. Ejus Acta & gesta habes apud Bollandianos hac die pag. 2. *& seq.* Habentur etiam apud Labbeum Bibliothecæ novæ MSS. tom. II. pag. 663. quæ paucis complectitur Mabillonius Annal. Bened. lib. XVIII. §. XXIII. ad an. 700. Fuit Aquitanus natu, nobilis genere ex Calobro vico; a puero pietate & litteris a *Capuano* Episcopo *Cadurcensi* institutus. In Calobrum cœnobium se contulit, ubi ex monacho & presbytero, illius monasterii Abbas factus est: deinde post obitum *Agerici* Episcopi Lemovicensis, Antistes *Lemovicensis* dictus. Jam moriturus in Calobrum regredi statuerat, sed *Argentiaci* decessit III. *Non. Maji*, jussitque moriens, ut ejus corpus Calobrum deportaretur. Positum fuit Calobrense monasterium inter fines Cadurcensium & Petrocoriorum, ad fluvium Dordoniæ. Naviculæ impositum *Sacerdotis* Episcopi corpus, dum super Dordoniæ alveum traduceretur, Calobrum deferendum, ejus mater nomine *Mundana* oculorum lumen recepisse traditur, quæ postmodum ad filii sepulchrum martyr cecidisse fertur, quod intelligas de Sarracenis, qui octavo sæculo in eas partes sævierunt. Translatum postea in Ecclesiam monasterii Sarlatensis, refert Castellanus, quæ in Episcopalem sedem a Johanne XXII. evecta fuit, ibique ut patronus colitur. *Sacerdotis*

---

5. Maji.

F. III. NONAS MAII.

Euthymii. APUD Alexandriam, S. Euthymii diaconi in carcere quiescentis.

Irenæi, & sociorum. Thessalonicæ, natalis sanctorum Irenæi & Peregrini, & Irenes ignibus combustorum.

Hilarii. In Galliis, civitate Arelatensi, S. Hilarii Episcopi, magni, docti, & præclarissimi viri. Qui paupertatis amator, & erga inopum provisionem non solum mentis pietatæ, sed & corporis sui labore solicitus erat; nam pro reficiendis pauperibus, etiam rusticatio- *Gennadius de viris illustr. c. 69.*

ſticationem contra vires ſuas, homo genere clarus, & longe aliter educatus, exercuit. Sed nec in ſpiritualibus neglexit; nam & in docendo gratiam habuit, & abſque perſonarum acceptione omnibus caſtigationem ingeſſit. Inter ſua vero opera ingenio immortali, ad multorum utilitatem, neceſſario opere, vitam S. Honorati deceſſoris ſui compoſuit. Moritur Valentiniano, & Martiano Imperatoribus.

Item Viennæ, B. Nicetii Epiſcopi, venerabilis ſanctitatis viri. *Nicetii.*

Autiſiodori, paſſio S. Joviniani lectoris & martyris. *Joviniani*

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. 514. ita habent:
„ Autiſſiodoro, paſſio ſancti Juviniani lectoris & martyris, qui cum beato Pe- *Joviniani*
„ regrino Epiſcopo & martyre, imperio Sixti Papæ Autiſſioderum veniens, cum eſſet vir
„ per omnia eloquens, & in divinis ſcripturis egregie eruditus, dum ſuperſtitionibus
„ paganorum fortiter reſiſteret, tentus eſt, atque in Chriſti confeſſione perdurans, ab
„ eis interemptus. Scriptum in paſſione ſancti Peregrini. In civitate Arelatenſi, ſancti
„ Hilarii Epiſcopi, magni, docti, & præclariſſimi viri, a quo magnus & venerabilis pa- *Hilarii.*
„ ter ſanctus Germanus Autiſſiodorenſis Epiſcopus Arelas adveniens, officioſiſſime, ut
„ tantum virum decebat, ſuſceptus eſt. Qui paupertatis amator &c. ut in editis.

Poſt S. Hilarium ſequitur in eiſdem codicibus: „ Apud Viennam, beati Nicetii *Nicetii.*
„ Epiſcopi, venerabilis ſanctitatis viri. Alexandriæ, ſancti Euthimii diaconi, in car- *Euthimii,*
„ cere quieſcentis. Theſſalonicæ, natalis ſanctorum Himei & Peregrini, & Hirene igni- *Hirnei, &*
„ bus combuſtorum. *ſoc.*

ADNOTATIO. Alius eſt ordo hac die in noſtris codicibus, quam in vulgato Adone ſit; quare nos ordinem noſtrorum codicum ſequemur. In primis igitur agunt de *Joviniani* *Juviniano*, ſeu *Joviniano*, quem Hieronymiana *Juvenianum*, Rabanus *Juvianum*, Uſuardus *Jovinianum*, Notkerus *Jovianum* appellant. Agunt etiam de eo Martyrologium Fuldenſe, Ottobonianum, & Hagiologium Francogallicum. Auguſtanum, & Labbeanum habent: *Viviani martyris*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Autiſiodero, paſſio ſancti Jocuniani* (pro *Joviniani*) *lectoris*. Illius geſta habentur in Actis S. Peregrini Epiſcopi Autiſiodorenſis. Paſſus eſt tertio Chriſti ſæculo. Conſule de eo Bollandianos ſocios hac die pag. 5.

Hilarii. *Hilarius* Epiſcopus *Arelatenſis* colitur hac die ab Adone noſtro, Uſuardo, Rabano, Notkero, Hagiologio Francogallico, Richenovienſi, Auguſtano, Labbeano, Corbejenſi breviori, Martyrologio Reginæ Suecorum, & Wandelberto. Ejus Acta & geſta habes apud Bollandianos hac die pag. 24. & in Appendice Maji tom. VII. pag. 594. & apud Tillemontium tom. XV. pag. 36. & ſeq. Obiit A. D. 449., incertum qua die, ut habet Pagius in Critica ad an. 445. num. XXI. Martyrologium Fuldanſe de *Hilario* agit die VII. *Maji*, ut & Ottobonianum. Repetitur eadem die a Corbejenſi breviore.

De *Nicetio Viennenſi* Epiſcopo una cum *Nectario* agunt hac die Hieronymiana, atque item Notkerus. Unius *Nicetii* natalem celebrant Ado, & Uſuardus, ac Wandelbertus. Martyrologium Ottobonianum ita habet: *Bienna civitate Galliæ depoſitio Nectari, & Niceti Epiſcoporum*. Auguſtanum, & Labbeanum: *Vienna, Feliciſſimi, Nectari, Niceti*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Vienna, Niceti Epiſcopi*. Corbejenſe brevius: *Arelato, depoſitio ſancti Helari Epiſcopi*. Floruit Chriſti ſæculo IV. *Nicetius*, ac item *Nectarius*. De iis Bollandiani hac die pag. 9. & in Appendice Maji pag. 592. *Nicetii.*

Eutybimius, ſeu *Euthimius* diaconus Alexandrinus primo loco memoratur ab Adone vulgato, & Uſuardo. Agunt de eo Hieronymiana, Romanum parvum, Notkerus, & Martyrologium Ottobonianum. Rhinovienſe, & Richenovienſe habent: *Alexandria, Eutimii diaconi. Et in Theſſalonica, Herenis, Peregrini*. Corbejenſe brevius: *Eutimi diaconi & martyris. In Theſſalonica, natalis S. Herenei.* Martyrologium Reginæ Suecorum ſilet de Enthymio, & agit de Hereneo, & Peregrino: *Euthymii.*

Et in Thessalonica Herenei, & Peregrini, ignibus combustorum. Romani parvi verba de Euthymio hæc sunt: *Alexandriæ, S. Euthymii diaconi, in carcere quiescentis*; quæ formula servata est ab Adone, Usuardo, & Notkero. A Corbejense breviore *martyr* dicitur. Vide quid habeant de eo Bollandiani hac die pag. 6.

Hirenei & soc. *Hirenus*, ut habent codices nostri, seu ut alii, *Hirenus*, cum *Peregrino* & *Hirene* commemorantur hac die a Hieronymianis. De *Hereneo*, seu *Irenæo*, & *Peregrino* tantum agit Romanum parvum, ut alia pleraque, prout nuper innuimus. Martyrologium Ottobonianum habet: *In Thessalonica Herene, & Peregrini*. Censet Sollerius in Usuardum hac die, *Hirenem* ex Actis, quæ interierunt, restitutam fuisse. Consule Bollandianos hac die pagin. 6.

---

6. Maji.

G. PRIDIE NONAS MAII.

Jo: ante portam Latinam. NATALIS S. Joannis Apostoli ante portam Latinam Romæ: qui ab Epheso jussu Domitiani fratris Titi, secunda persecutione, quam ipse post Neronem exercuit, ad urbem Romam perductus, præsente Senatu ante portam Latinam in ferventis olei dolio missus est; agente hoc impio Principe, qui Christianorum infestissimus persecutor erat. Sed B. Apostolus tam liber a poena inde exiit, quam a corruptionibus carnis fuerat immunis. Tunc in Patmum insulam relegatur exilio, ubi Apocalypsim vidit. Ad commendandam ergo ipsius dignam memoriam, & pro fide Apostolicam constantiam, Christiani ecclesiam, venerationem ejus gestantem, in supradicto loco ante portam Latinam, præclaro & miro opere construxerunt: ubi festivum concursum II. Non. Maji usque hodie faciunt. *Hier. l. 1. contra Jovinian. c. 14. & in c. 20. Matthæi, ex Tertull. de præscript. c. 36.*

Evodii. Eodem die, beati Evodii, Antiochiæ Episcopi, qui primus ab Apostolis ibi est Episcopus ordinatus. *Vid. libell. de festivit. Apost.*

Lucii. Item B. Lucii Cyrenensis, qui apud Cyrenen primus Episcopus a sanctis Apostolis institutus est, quem in Actibus Apostolorum S. Lucas commemorat. *Act. 19.*

VARIA LECTIO. Ed. *tam liber a pœna inde exiit, quam a corruptionibus carnis fuerat immunis.* Cod. 511. *tam immunis a pœna exiit, quam a corruptione carnis mansit mundus.* Ita ferme cod. 512. & 514. præterquam, ubi habetur: *mansit mundus*, ii legunt: *mansit immunis*. Ed. *Patmum insulam.* Cod. 511. *Pathmos insula*. Ed. *præclaro & miro opere construxerunt*. Cod. 511. *præclaro opere condiderunt*. Ed. II. *Non.* Cod. 511. *Pridie Nonas*.

Evodii. Ed. *Ipso die, beati Evodii &c.* Cod. 511. 512. 514. „ Ipso die, natalis sancti Evodii Episcopi, qui ab Apostolis Antiochiæ Episcopus ordinatus est; de quo beatus Ignatius Antiochenam (supple ad) ecclesiam ita scribit: *Petri & Pauli facti estis discipuli, nolite prodere depositum, quod vobis commendaverunt. Mementote digne beatissimi Evodii pastoris vestri, qui primus vobis ab Apostolis Antistes ordinatus est. Non confundamus patrem, sed efficiamur digni filii, & non adulterini.* „ Hic martyr apud Antiochiam urbem, cui præerat, est sepultus. Item beati Lucii „ Cyrenensis &c. Evodii elogium habetur apud vulgatum Adonem in libello de festivitatibus Apostolorum. **Ignat. epistol. 12. ad Antiochen.**

Heliodori, & soc. Valeriani. Post verbum: *commemorat*, extremo loco hac die, sequitur in nostris codicibus: „ Eodem die, sanctorum martyrum Heliodori, Venusti, Postumi, Maximi, Niceti, „ cum aliis LXX. duobus. Autisiodoro, depositio sancti Valeriani Episcopi & confessoris, „ qui

„ qui tertius post beatum Peregrinum Episcopus, cum multos ad fidem sua prædicatione „ converteret, quodam tempore cum a parentibus sancti Amatoris ad ejus fuisset nuptias „ rogatus, videlicet, ut eas sua benedictione confirmaret, Dei agente providentia, ar- „ repto Sacramentorum libello, utroque (sic) levitico gradui mancipavit. Hic fidelis- „ sime completo prædicationis officio, vita & doctrina clarus, in pace quievit.

Jo: ante portam Latinam.

ADNOTATIO. *Johannis Apostoli* elogium, quo celebritas illa colitur, quando Domitiani jussu idem Apostolus in serventia olei dollum Romæ ante portam Latinam missus est, petitum esse videtur Sollerio ab Adone nostro ex Romano parvo, quia Hieronymiana, & alia antiquiora silent. Romani parvi verba hæc sunt extremo hujus diei loco: *Et S. Joannis Apostoli, quando ante portam Latinam in ferventis olei dolia missus est*. Adonis elogium auctius est, ex Tertulliano ac Hieronymo acceptum, nonnullis de celebritate ipsa, quæ Romæ agebatur, additis. Usuardus elogium illud contraxit, ac de celebri conventu ea die in honorem *Johannis* haberi solito, meminit. Hæc eadem ferme habet Notkerus, ac ad celebritatem Romanam hujus diei quod attinet, hæc adnotat: *Quod in plurimis Ecclesiæ Catholicæ locis religiose solet celebrari*. Meminit & Wandelbertus. Silent autem Beda, Gellonense, Rabanus, Richenoviense, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. Augustanum habet: *Et S. Joannis ante portam Latinam*. Labbeanum: *Natale Joannis ante portam Latinam*, Kalendarium Palat. Vat. 485: *Natale sancti Johannis ante portam Latinam*. Agit autem Kalendarium Vat. 3806. Martyrologium Fuldense, Adonem adamussim describit. Post Martyrologia Liturgicos libros subnectimus. In Sacramentario Reginæ Suecorum 337. sæculi VIII. legitur hac die Missa: *In natali sancti Joannis ante portam Latinam*, ut & in Palatino 495. & Missali plenario Vatic. 4770. Prima oratio est: *Deus qui conspicis*. Secreta: *Muneribus*. Ad complendum: *Refectis*. Eadem Missa designatur in Sacramentario Menardi, & Pamelii pag. 290. licet a codice Coloniensi absit, ut & a Sacramentario Angeli Roccha. Evangelium Missæ hujus diei desideratur in Kalendario Frontonis, & aliis Capitularibus veterrimis; quapropter Fronto animadversione dignum id esse censuit in notis post diem tertiam Maji. At Notkeri locum sibi ante oculos proponere debuisset. Satis erit ad rem Liturgicam hujus celebritatis confirmandam Sacramentarium Reginæ Suecorum, & alia subinde Sacramentaria. Si a quibusdam abest, in causa profecto est, quod non ubique gentium in fine sæculi IX. aut X. recepta hæc celebritas erat. Mirum est autem, cur hujus miraculi fidem, a Tertulliano ac Hieronymo testatam, elevare, atque pessumdare conetur Christophorus Cellarius in Dissertatione de septem Ecclesiis Asiæ, in Apocalypsi memoratis, §. XIV. quia licet ex Tertulliano Hieronymus in libris adversus Jovinianum de eo miraculo agat, in libro tamen de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de *Johanne*, silet. Supervacaneum est tempus ad id refellendum insumere, quum ipsemet Cellarius ibidem §. XXII. fateatur, Henricum Dodwellum in Dissertatione de paucitate martyrum, hujusmodi cruciatuum genus admittere. Perseverat adhuc Romæ ante portam Latinam intra mœnia vetus sacellum, ubi miraculum illud contigisse traditur. Ac ibi prope est alia Ecclesia *S. Johannis ante portam Latinam* nuncupata. Incertum est, quando hæc Ecclesia fuerit ædificata, qua de re Marius Crescimbenius in Historia hujus Ecclesiæ lib. II. cap. I. Eam tamen antiquissimam esse ex auctore libri Pontificalis in Hadriano I. patet, ubi narrat ab eo Pontifice Ecclesiam *S. Johannis* juxta portam Latinam, vetustate collapsam, fuisse restitutam: *Et Ecclesiam*, inquit, *B. Johannis Baptistæ* (lege *Evangelistæ*) *ruinis præventam, in omnibus a novo renovavit*.

Evodii Antiocheni Episcopi post S. Petrum *Evodii.* natalis memoratur hac die a Romano parvo, ex quo ut putat Sollerius, & ex Ignatii Epistola suum elogium contraxit Ado, brevibus verbis ab Usuardo exceptum, & a Notkero aliunde sumptum. Agit autem Martyrologium Fuldense ex Adone. Alia quæ viderim, silent. Decessit *S. Evodius* Episcopus & martyr, qui A. D. 40. Petro successerat in Antiochena Sede, ut habet Petrus Boschius in Antiochenis Episcopis & Patriarchis, Julii tom. IV., anno Christi 68. Ejus elogia collegerunt Bollandiani socii hac die pag. 98.

Lucius item *Cyrenensis* Episcopus ex Romano parvo prodit; ex Adone, & Usuardo. In *Lucii.* aliis de eo hac die siletur. De eo agunt hac die Bollandiani socii pag. 99. ex Martyrologiis.

Addunt codices nostri *Heliodorum* & socios, *Heliodori, & soc.* de quibus quum agat Usuardus genuinus his verbis: *In Africa, sanctorum martyrum Heliodori, Venusti, cum aliis septuaginta quinque*, nequit conjicere Sollerius, ex quo Hieronymiano apographo Usuardus hos martyres acceperit, quorum loco apud Rabanum, & Notkerum *Marianus*, & *Jacobus* cum sociis iterum annuntiantur. Quid, si ex Adonianis codicibus Usuardus acceperit? Agit de his martyribus hac die Martyrologium Ottobonianum, sed inter hos unus *Heliodorus* dispicitur, aliorum nomina cum nostris conveniunt. Ita enim habet: *In Africa, natalis*

S. Secundiani Episcopi, *Mariani*, *Concordii*, *Heliodori*. Rhinoviense meminit: *Secundiai Episcopi in Africa*. Item Richenoviense. Vide quæ de his collegerunt ex Martyrologiis Bollandiani focii hac die pag. 101. & 102. n. 5. ubi ex Martyrologiis MSS. Centulensi, Leodiensi, Lobiensi, & Reginæ Suecorum ita horum martyrum seriem recensent: *Eodem die sanctorum martyrum Heliodori*, *Venusti*, *Postumi*. *Maximi*, *Niceti cum aliis* LXXII.

Valeriani. Succedit in nostris codicibus *Valerianus* Episcopus *Antisiodorensis*, de quo filet quidem Usuardus genuinus, sed agunt ejus Auctaria, & elogium prufert hac die Martyrologium Fuldense eorundem codicum exemplo. Meminere insuper Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Martyrologium Reginæ Suecorum, luxatu tantisper ejus nomine, & aliquando *Valerii* nomine designatu. Fuit tertius post *Peregrinum* Episcopus. De eo in gestis Episcoporum Antisiodorensium apud Labbeum Bibliothecæ novæ MSS. tom. 1. & de *Valerio*, ac *Valeriano* Episcopis Autisiodorensibus Bollandiani focii hac die pag. 105. In apographis Hieronymianis hac die extremo loco, atque Florentinii sententia inter Auctaria, *Valerius* Episcopus legitur. Hieronymianum Lucense habet: *Autisiodoro*, *depositio S. Valerii Episcopi*. Corbejense apographum, item extremo loco: *Autisiodoro*, *depositio sancti Valerii Episcopi*. At Epternacense *Valeriani* habet. Martyrologium Gellonense: *Autisiodoro*, *Valerii*. Fuldense vero: *Valeriani*, Martyrologium Reginæ Suecorum: *Autisiodoro*, *Stavii* (corrupte, & forte *Valerii*). Notkerus: *Autisiodoro*, *depositio S. Valerii Episcopi*. Videa, modo *Valerium*, modo *Valerianum* enunciari, attamen in Historia Episcoporum Autisiodorensium duo Autisiodorenses Episcopi *Valerius*, & *Valerianus* distinguuntur. Vide, ut jam diximus, de his Bollandianos.

---

7. *Maji*. *A. NONIS MAII.*

Juvenalis. NATALIS sancti Juvenalis martyris.

Flaviæ Domitillæ. Et beatissimæ atque illustrissimæ Dei famulæ Flaviæ Domitillæ. Quæ cum esset Flavii Clementis Consulis ex sorore neptis, & a S. Clemente sacro velamine ad integritatis perseverantiam consecrata, persecutione Domitiani, anno principatus ejus quintodecimo, ob testimonium quod Christo perhibebat, cum aliis plurimis in insulam Pontiam exilio deportata, longum inibi martyrium duxit. Novissime, cum ab Aureliano sponso suo, quem pro Christo contempserat, & cujus accusatione exilio fuerat relegata, translata esset ad Terracinam urbem Campaniæ, & doctrina ac miraculis primo Euphrosynam & Theodoram conlactaneas & convirginales suas, deinde etiam alios ad fidem Christi convertisset; inter quæ magnalia, etiam prædictus Aurelianus infestissimus persecutor ejus, divina virtute extinctus est: a Luxurio fratre ejus incenso cubiculo, in quo simul præfatis cum virginalibus suis clausa morabatur, cursum gloriosi martyrii sui consummavit sub persecutione Trajani. Altera namque die veniens sanctus Diaconus nomine Cæsarius, invenit corpora sanctarum virginum illæsa: in facies enim suas prostratæ, orantes Dominum, recesserunt. Quarum corpora idem sanctus Diaconus in sarcophago novo simul condiens, in profundo terræ infodiens sepelivit. (Greg. homil. 27. De ea in gestis Nerei & Achillei. 12. Maji.)

Flavii cum fratr. Eodem die apud Nicomediam, passio sanctorum martyrum Flavii, Augusti, & Augustini fratrum.

VARIA

VARIA LECTIO. In codicibus 511. 512. & 514. deest natalis *S. Juvenalis*, sed hac die ita incipiunt.
„ Apud Terracinam urbem Campaniæ, natalis beatæ Domitillæ virginis & martyris.
„ Quæ cum esset Flavii Clementis consulis filia ex sorore neptis. Cætera ut in editis. Ed. *a Luxurio fratre &c.* Codices memorati: *Tunc a Luxuria fratre &c.* Ed. *præfatis cum virginalibus*. Codices: *cum præfatis convirginibus*. Ed. *orantes Dominum, recesserunt*. Codices: *orantes Dominum, obierant*.

Juvenalis. *ADNOTATIO*. De *Juvenale* martyre silent codices nostri, quia forte unum tantum *Juvenalem* Episcopum & confessorem agnoscunt. At de *Juvenali* martyre agunt hac die Romanum parvum, Ado vulgatus, Usuardus, Notkerus, & Wandelbertus, sed quando passus sit, & an Episcopus fuerit, non aperiunt. Baronius in Notationibus, hunc esse *Juvenalem* martyrem, & Episcopum Narniensem opinatur, de quo S. Gregorius Magnus h omil. XXVII. hæc habet: *Perrexi*, inquit, *ad Episcopum* (Cassium Episcopum Narniensem) *eumque ex more juxta beati Juvenalis martyris sepulchrum ad offerendum sacrificium consistentem reperi*. De *Juvenali* Episcopo Narniensi idem Baronius in Notationibus ad diem III. *Maji*, ubi duos Juvenales distingui mallet. Vide, quid senserint de *Juvenale martyre*, Bollandiani socii hac die pag. 137.

Flaviæ Domitillæ. Celeberrima virgo & martyr *Flavia Domitilla*, elogio ab Adone nostro ex Actis SS. Nerei & Achillei exornata, colitur hac die a Romano parvo primum, quia licet binæ *Flaviæ* in apographis Hieronymianis nominentur, neutram earum tamen ad *Flaviam Domitillam* pertinere arbitratur Sollerius. Adonem contraxit hac die Usuardus, & Martyrologium Fuldense. Fusior est his Notkerus. De ea porro pluribus ex veterum testimoniis Baronius in Notationibus hac die, & in Annalibus ad an. 98. n. IV. *& seq.* & ad an. 100. n. XII. quo anno sub *Trajano*, martyrio coronatam fuisse una cum *Nereo*, & *Achilleo* martyribus censet, qui esset annus Christi 98. De *Tito Flavio Clemente*, martyre nonnulla collegimus, ac stemma illius genealogicum exhibuimus in notis ad novam Annalium Baronii editionem Lucensem ad an. 98. n. II. juxta Baronium, & ad an. 96. n. II. juxta Pagium. At de S. Tito Flavio Clemente adeundus est Commentarius Edmundi de Vitry, Societatis Jesu presbyteri, Urbini edita an. 1727. ubi n. 19. paucis agit de S. Flavia Domitilla, Actisque SS. Nerei & Achillei, quæ interpolata esse censet, & alicubi Manichæorum erroribus adspersa. De his autem Actis Baronius ad an. 69. n. XXIII. hanc sententiam tulit, ea in aliquibus fide haud integra haberi, cujus judicium secutus est Henschenius, qui ea *optimæ fidei* esse censuit. At immitius in ea fertur, præter suum morem, Tillemontius tom. II. pag. 127. *& seq.* ubi inter figmenta amandat, atque inter Manichæorum errores detrudenda existimat. Quando in libris Liturgicis de *Domitilla* agi cœptum sit, ad diem XII. *Maji* dicemus. Sed omnium uberrime *S. Flaviæ Domitillæ* gesta, Italice Actis illis redditis, atque commentario illustraverat, dum viveret, vir clarus, pius, doctus æque, ac modestus Franciscus Valesius, natu Romanus; qui nunquam præ modestia persuaderi potuit, ut ea luce donaret. Moriens ille A. D. 1742. commentaria scriptaque sua omnia Benedicto XIV. Pont. Max. tradi mandavit; quod ita eidem Pontifici placere intellexerat. Quæ quidem omnia Pontifex munificentissimus, A.D. 1744. Senatui populoque Romano donavit, ac in Tabulario Capitolino, ut posteritati inserviant, collocata fuere.

Flavii & soc. *Flavius* & socii, qui postremo loco hac die ab Adone recensentur, ex Hieronymianis, Sollerii sententia sumpti non sunt, quia licet in his *Augustini* nomen pateat, ac item *fratris* nomen, incertum est tamen, an hi tres, fratres appellandi sint. At alia Martyrologia audiamus. Romanum parvum habet: *Nicomediæ, Augusti, & Augustini*. Usuardus Adonem exscribit. Martyrologium Fuldense de his silet. Ottobonianum ita habet: *In Nicomedia, natalis sanctorum Flavii, & Augustini Episcopi, & Flavi diaconi cum aliis LXV.* Rhinoviense, & Richenoviense: *In Nicomedia, Flavii Episcopi, Augustini, Macrobii*. Augustanum confuse cum aliis meminit: *Augustini, Marcellini, Celerini, Eutichii, Georgii, Placidi, Macrobii, & Flavii*. Ita Labbeanum. Corbejense brevius: *In Nicomedia, natalis sanctorum Flavii Episcopi, Augustini Episcopi*. Notkerus post *Flavium, Augustum, & Augustinum*, nominat *Marcellinum, Macrobium, & Eutychium, seu Eutheam*, quos fratres appellat. Ab Adone, Usuardo, & aliis discrepat. Hic etiam scribendi vitio in multas labes, ac tenebras incidimus. Vide quid ad illustrandos hos martyres attulerunt Bollandiani socii hac die pag. 135.

B. *VIII. IDUS MAII.*

8. Maji

Victoris. MEDIOLANI, S. Victoris martyris: qui natione Maurus, & a primæva ætate Christianus, cum esset in castris imperialibus, miles etiam canitie decoratus, compellente Maximiano ut sacrificaret idolis, in confessione Domini fortissime perseverans, primo graviter fustibus cæsus, sed Deo protegente doloris expers; deinde liquenti plumbo perfusus, sed nihil penitus læsus; novissime gloriosi martyrii cursum capitis abscissione complevit. Erat autem civis sanctorum martyrum Naboris & Felicis, qui in Africa decollati, simul cum Januario & Marino Mediolanum translati sunt. *Greg. Tur. de gloria Martyrum cap. 45.*

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. & 514. habent: *Mediolano, Sancti Victoris martyris*. Cætera ut in editis. Post extremum verbum: *translati sunt*, sequitur in eisdem codicibus:

Eladii. „ Autisiodero, depositio sancti Eladii Episcopi & confessoris, prædecesso-
„ ris sancti Amatoris. Hic quintus post beatum Peregrinum Episcopus, plenus
„ sanctitate, ut in gestis sancti Amatoris legimus, corpus terræ, animam cælo trans-
„ misit. In Sanctonico, Vertavense monasterio, depositio sancti Martini presbyteri,
Martini. „ & confessoris magnarum virtutum viri, cujus vita & sanctitate & miraculis refulsit
„ gloriosa.

Victoris. ADNOTATIO. *Victor*, cognomento *Maurus*, *Mediolani* passus, in fastis pene omnibus Martyrologiis, iisque vetustissimis, colitur. De eo agunt hac die Hieronymiana, Romanum parvum, Ado, Usuardus, & Rabanus, aliorum sanctorum nominibus prætermissis. Cæterum Hieronymiana, & alia de eo aliis item diebus agunt, ut mox dicam. Adonis elogium, ut & Rabani, ex Actis sumptum est, mutuo tamen sibi non respondent. Si Mediolanensis Ecclesiæ cultum vetustissimum spectes, habes Capitulare Epistolarum ad illius Ecclesiæ usum, ex codice VIII. sæculi, a Thomasio editum, a nobis recusum tom. III. de Liturgia Romani Pontificis, ubi pag. 229. *S. Victoris* nomen, nullo tamen, prout & in cæteris ibi, die præfinito, comparet. Obscura videntur, quæ in fine elogii Adoniani leguntur, nempe *Victorem*, civem fuisse *Naboris, & Felicis* martyrum, qui in Africa decollati, & Mediolanum una cum *Januario* translati sunt; nam S. Ambrosius lib. VII. in Lucam, *Naborem & Felicem, ac Victorem, martyres nostras*, quasi diceret, *Mediolanenses* appellat, nisi velis vocem *nostros* hic accipere, ut eorum reliquiæ Mediolani jam tum colerentur. At Martyrologia prosequamur. Agunt de *Victore* hac die Gellonense, Rhinoviense, Richenoviense, Labbeanum, Corbejense brevius, & Martyrologium Fuldense ex Adone. Martyrologium Reginæ Suecorum ad Pridie Non. Maji habet: *Mediolano, Victoris, Felicis cum aliis triginta tribus*. Idem Martyrologium Nonis Maji: *Mediolano, natalis sancti Victoris martyris, cujus passio ibidem celebratur*. Gellonense ad Pridie Nonas Maji: *Mediolano, Victoris, Felicis*. Ea die Martyrologium Ottobonianum: *Mediana* (pro *Mediolano*) *Victoris & Felicis*. Hac die vero VIII. *Maji* habet: *Mediolana, natalis sancti Victoris, capite cæsi, cujus passio celebratur Pridie Idus Maji*. Revera de *Victore* cum *Nabore, Felice*, & aliis agit ad *Pridie Idus Maji*. In Hieronymianis, & aliquot aliis Martyrologiis iterum recolitur *Pridie Idus Maji*. Notkerus, Wandelbertus, & Kalendarium Vat. 3806. agunt ad VIII. Idus Maji. In Sacramentario Vat. 4772. sæcul. XII. pag. 77. ad VIII. *Idus Maji* habetur Missa in natali *Victoris, Felicis, & Fortunati*. De variis autem ejus celebritatibus, translationibus, & Actis consule Henschenium ad diem VIII. *Maji* pag. 286. *& seq.* ac Tillemontium tom. V. pag. 267.

Codices nostri *Victori* addunt *Eladium* Episcopum *Antisiodorensem*, de quo pleraque veterum Martyrologia. Hieronymiana Auctaria hac die: *Antisiodoro, depositio Eladii Episcopi*. Gellonense: *Antisiodoro, Pelladii* (pro *Elladii*), *Eladii.*

dii). Richenoviense: *Helladii Episcopi*. Augustanum: *Augduno* (pro *Antisiodoro*) *Palati* (pro *Helladii*), seu *Elladii*. Labbeanum: *Autissiod. Palladi*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Antisiodero depositio beati Elladii Episcopi*. Silet Rabanus. Notkerus: *Antisiodoro*, *Helladii Episcopi*. Hagiologium Francogallicum: *Antisiodoro*, *depositio Pelagii Episcopi*, *& Elladii presbyteri*, mendose id quidem. Martyrologium Fuldense: *Antisiodero*, *depositio sancti Eladii Episcopi*, *& confessoris*. Ottobonianum: *Antisiodoro*, *depositio Peladii Episcopi*. Silet genuinus Usuardus, at agunt ejus Auctaria. *Eladius*, si majorum consensus accipitur, scribitur, perperam *Peladius*. In gestis Episcoporum Autisiodorensium cap. v. obiisse dicitur: *sub die* VIII. *Iduum Majarum*, *& sepultus esse serus prædecessores suos in monte Autrico*. Vide Bollandianos ad hunc diem pag. 300. qui obiisse Elodium putant c. Ann. Dom. 387.

Martini. *Martinus*, quem codices nostri post *Eladium* adjiciunt, colitur hac die ab Auctariis Hieronymianis, his quidem verbis: *In Santonico*, *depositio S. Martini*. Gellonense habet: *In Santonico*, *Martini*. Richenoviense: *In Santin* (pro *Sanctonico*) *Martini*. Labbeanum: *In Sancton. Martini*. Corbejense brevius: *In Sanctonico*, *depositio S. Martini*. Notkerus: *In Sanctonico*, *depositio S. Martini presbyteri*. Martyrologium Fuldense: *In Sanctonico*, *pago Vertavense*, *natalis S. Martini presbyteri & confessoris*. Silet hac die genuinus Usuardus, sed agunt ejus Auctaria. Usuardus genuinus una cum vulgato Adone de *Martino* Abbate apud Sanctonas agit die VII. *Dec.* At *Martinus*, de quo codices nostri hac die, non est confundendus, prout Mabillonius Sæculo I. Benedictino pag. 371. monet, cum *Martino* Santonensi Abbate, discipulo *S. Martini* Turonensis, de quo Gregorius Turonensis de glor. confessorum cap. LVII. neque cum *Martino* Massicn, cujus meminit sanctus Gregorius lib. III. Dialogorum cap. LVIII. sed fuit Abbas *Vertavensis* in Armorica. *Vertavense* monasterium, vulgo *Verton*, seu *Vreton*, ab hoc eodem *Martino* extructum fuisse fertur c. An. Dom. 575. Duobus ab urbe Namnetica milliaribus distat, nunc in Prioratum redactum est. In Actis, quæ vulgavit Mabillonius, animam Deo reddidisse dicitur in pago Venetensi Britanniæ Armoricæ, apud *Darivum*, vulgo *Darix*, vigesimo quarto die mensis Octobris. Deinde Vertavenses monachi ejus corpus *Vertavum* transtulerunt, & *sacra membra digno mausoleo locarunt*. Annus mortis aliis, ut Mabillonio in sæculo I. Benedictino, est c. Ann. Dom. 595., Bollandianis c. A. D. 589.; at Mabillonius lib. IX. Annal. Benedict. §. XXXVII. emortualem Martini annum, ad an. Christi 600. alligat. *Vertavum* est ad Separim fluvium, cognomine Namnetensem, vernacule *la Sevre Nantoise*, de quo, & de Vertavensi monasterio Valesius in Notitia Galliarum pagin. 597. Cur in Martyrologiis legitur: *In Santonico*? quia hoc monasterium in *pago Santonico*, idest in finibus *Santonum* in Aquitania situm erat. De *Martino* Bollandiani socii hac die pag. 285. inter prætermissos obiter egerunt, plenius acturi die XXIV. *Octobris*.

C. *VII. IDUS MAII.* *9. Maji.*

Martyr. cccx. IN Perside sanctorum Martyrum trecentorum decem.

Eodem die apud Nazianzi oppidum, B. Gregorii Episcopi, qui Theologus dicitur, nobilis, Athenis eruditus, collega B. Basilii Cæsareæ Cappadociæ postea Episcopi. Quique, cum se totum Dei servitio mancipasset: tantum de collegæ amore præsumpsit, ut sedentem Basilium de Doctoris cathedra deponeret, ac secum ad monasterium manu injecta perduceret, ibique per annos XIII. omnium Græcorum sæcularium libris remotis, solis divinæ Scripturæ voluminibus operam dabant. Igitur apud Nazanzon oppidum in loco patris Episcopus subrogatus, hæreticorum turbinem fideliter tulit. Reddita vero pace, Constantinopolim ad Ecclesiam docendam venire exoratus, non abnuit. Ubi brevi tempore in tantum ad emendandum populum, vetustis hæreticorum infectum venenis, profecit, ut tunc primum Christiani sibi fieri viderentur, & novellam lucem veritatis adspicere. Sed ubi gloriam

Greg. Nazianzeni.

Hieron. de scrip. Eccl. c. 117.

Ruffin. l. 11. c. 9.

riam ſubſecuta invidia eſt, obniti quidam & præſcriptionibus minus ſanis uti cœpere, ut ipſo ad propria remeante, alius ordinaretur Epiſcopus. Quod ille ſuſurrari tantum, & ſub dente ſentiens ruminari, ipſe profert, quia dicere ei nullus audebat: Abſit, inquit, ut mei cauſa, aliqua ſimultas in Dei Sacerdotibus oriatur. Si propter me eſt iſta tempeſtas, tollite, & mittite me in mare, & deſinet a vobis quaſſatio. Tum regreſſus, in Eccleſia ſua quod ſuperfuit vitæ tempus exegit. Et quoniam feſſa jam ætate & corpore invalidus erat, ſucceſſorem ſibi ipſe delegit, quo Eccleſiam gubernante, debilitatis & ſenectutis otio frueretur.

Timothei. Conſtantinopoli, natalis S. Timothei, quando ab Epheſo ejus ſacra oſſa delata ſunt. Vide libel. de feſtiv. Apoſt.

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. & 514. hac die ita habent: „ In Perſida, paſſio ſanctorum ccex. martyrum. Conſtantinopolim, ſancti Ti„ mothei, quando ab Epheſo ejus ſacra oſſa delata ſunt. Caſtro Vindocino, natalis ſan„ cti Beati confeſsoris, cujus geſta habentur. *Beati.*

Abeſt hac die a noſtris codicibus natalis *S. Gregorii Nazianzeni.*

Martyr. cccx. *ADNOTATIO.* Martyres *trecenti & decem* in Perſide ex Hieronymianis derivati eſſe ab Adone videntur Sollerio. De his autem hac die Romanum parvum, Uſuardus, & Notkerus. Meminit Martyrologium Ottobonianum his verbis: *In Perſide martyr.* cccx. Henſchenius ad hanc diem pag. 369. incertum eſſe monet, quo tempore, quove mortis genere hi martyres agonem compleverint, & quamquam Florentinius in Saporem Perſarum Regem oculos conjiciat, id tamen haud facile diſpici poſſe.

Greg. Nazianz. De S. *Gregorio Nazianzeno* codices noſtri hac die ſilent, quia de eo egerunt die xxv. *Januarii*, quare vide quæ de eo ibi diximus.

Translat. Timothei. Translatio *S. Timothei* hac die ab Adone noſtro celebratur, ut & a Hieronymianis, in quibus legitur: *Conſtantinopoli, natalis ſancti Timothei.* Uberior ductore ſuo videtur hac die Uſuardus, qui habet: *Feſtivitas beati Andreæ, quando ſacratiſſimum ejus corpus una cum oſſibus ſanctorum Lucæ Evangeliſtæ, & Timothei diſcipuli ſancti Pauli ſub Conſtantio Imperatore Conſtantinopolim translatum eſt*; ſed hæc delibata ſunt ex libello vulgati Adonis de feſtivitatibus Apoſtolorum. Hactenus inter viros eruditos diſceptatur, quo potiſſimum tempore *Timothei* oſſa ex Epheſo Conſtantinopolim delata ſint, utrum videlicet ſub *Conſtantino M.*, an ſub *Conſtantio*. S. Paulinus, & S. Hieronymus aliquot locis in vulgatis quibuſdam ejus editionibus id ſub *Conſtantino* contigiſſe narrant. Aperte quidem Paulinus in Natali xi. de S. Felice, ubi a Conſtantino Byzantii urbem conditam fuiſſe, atque ut eam Apoſtolicis muniret corporibus, *Andreæ* Apoſtoli corpus ex Achaja, ac *Timothei* ex Aſia transferenda curaſſe canit. Ita enim ibi verſ. 335.

Ut ſua Apoſtolicis muniret mœnia lætus
Corporibus; tunc ANDREAM *devexit Achivis:*
TIMOTHEUMQUE *Aſia.*

Hieronymus quoque in Epiſtola adverſus Vigilantium, & in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. vii. ubi de *S. Luca* Evangeliſta, *Andreæ & Lucæ*, corpora, ut præferunt pervulgatæ editiones, Conſtantinopolim a *Conſtantino* translata fuiſſe refert, & quidem anno imperii ejus *vigeſimo*. In Chronico vero ad annum *Conſtantii* xv., eo anno *Timothei* reliquias Byzantium tranſvectas eſſe ſcribit, qui eſt A. D. 355., & ad annum Conſtantii xxi. oſſa *Lucæ*, & *Andreæ* Conſtantinopolim ingreſſa. At Scaliger in Animadverſionibus ad Euſebii Chronicon pag. 256. mendum in his numeris eſſe monet. Inſuper codices omnes Hieronymi optimæ notæ, ubi antea in pervulgatis editionibus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis: *Conſtantini anno vigeſimo* legebatur, habent *Conſtantio*. Idatius in Faſtis ad *Conſulatum* Conſtantii viii. & *Juliani Cæſaris*, quod eſt A.D. 356., hæc habet: *His Coſſ. introierunt Conſtantinopolim reliquiæ Apoſtoli Timo-*

Timothei die Kal. Jun. Anno vero insequenti 357. *Constantis* IX. & *Juliano Cæsare* II. *Coss.* ita habet : *His Coss. introierunt Constantinopolim reliquiæ SS. Apostolorum Andreæ & Lucæ die v. Nonas Martii*. Hæc singula expendens Baronius in Notationibus hac die, ubi ex Theodoro Lectore lib. II. Collectan. qui has translationes sub Constantio factas affirmat, & reliquias SS. Apostolorum *Timothei ante diem octavum Kal. Julii : Andreæ autem & Lucæ ante diem quintum Nonas Martias*, allatas Constantinopolim fuisse, ac depositas in magna Ecclesia SS. Apostolorum ab ipso *Constantio* constructa ; hisque addens Artemii martyris Acta apud Metaphrastem die XXVIII. Octobris, quibus astipulatur Nicephorus lib. X. cap. XI., omnibus mature pensatis, controversiam definire, certamque de ea re ferre sententiam noluit. In Annalibus vero ad an. 336. num. LXXII. & *seq.* ex Paulini loco apud Dungalum, sub Constantino potius, *Andreæ*, & *Timothei* translationem contigisse scribit. Ad annum vero 358. num. XXV. ex Actis Artemii martyris, *Andreæ* & *Lucæ* corpora jussu Constantii, ab Artemio duce ex Achaja Byzantium translata fuisse narrat. De *Andreæ*, & *Lucæ* translatione ita habet Chronicon Alexandrinum ad *Constantii* IX. & ad *Juliani* Cæsaris II. consulatum : *His Coss. mense Distro (nempe Martio) die III. Constantinopolim allatæ sunt reliquiæ SS. Lucæ & Andreæ Apostolorum, cura Constantii Augusti, cum veneratione & cultu, psalmis & hymnis, depositæque sunt in ædem Apostolorum*. Post Baronium de his translationibus disquisierunt Bollandiani socii, nempe de *Timothei* translatione ad diem XXIV. Januarii p. 564., Florentinius in notis ad diem IX Maji pag. 517. Jacobus Gothofredus ad Cod. Theod. in notis ad leg. VI. de sepulchris violatis, Cangius in Constantinopoli Christiana lib. IV. pag. 105. Henricus Valesius in notis ad Theodorum Lectorem pag. 170., Pagius in Critica ad an. 356. n. XII. & ad an. 357. num. I., Tillemontius tom. I. pagin. 320. & in notis ad Timothei vitam pagin. 594. Hi fere omnes, sub *Constantio* has translationes factas esse censent, & anno quidem 356. & 357. ut ab Idatio, & a Chronico Alexandrino est adnotatum. Ad diem quod attinet, iidem Chronographi inter se dissentiunt, ut vidimus. De *Timothei* tantum translatione ad diem IX. *Maji* agunt Beda, Ado, Notkerus, & Martyrologium Fuldense ; Usuardus item, qui omnium primus, ut inquit Sollerius, has translationes conjunxit, sed & Ado in libello de festivitatibus Apostolorum, ubi de S. *Timotheo* ad diem XXIV. *Januarii* habet, hujus corpus cum reliquiis SS. *Andreæ & Lucæ*, *vigesimo Constantii anno*, Constantinopolim fuisse translatum tradit. Valesius in notis ad Theodorum Lectorem p. 170. existimat *Timothei* corpus adlatum fuisse in urbem Byzantii die *prima Julii*. Tillemontius tom. I. pag. 545., in Fastis Idatianis scribendum esse *Kal. Juliis* (pro *Juniis*) monet. Existimant igitur Tillemontius tom. I. p. 148., Valesius, & Bollandiani socii locis citatis, *Timothei* translationem factam fuisse an. 356. die 24. *Junii*, seu die *prima Julii*, *Andreæ* vero, & *Lucæ* an. 357. die *Lunæ*, *tertia Martii*.

De *S. Beato*, apud Gallos, vulgo *S. Bid*, agunt hac die Hieronymiana, Usuardus, & alii. Hieronymiana habent : *Natalis S. Beati confessoris*. Rabanus vero : *Et Romæ, natalis sancti Beati confessoris*. Cur *Romæ* præferat Rabanus, jure mirandum esse, monet Sollerius. Usuardus : *Castro Vindicino, depositio Beati confessoris*. Kalendarium Vat. 3806. : *Sancti Beati confessoris*. Meminere hac die Wandelbertus, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum : *Castro Vindocino, natalis sancti Beati confessoris*. Cur ergo genuino Adoni denegandus sit, tot aliis præeuntibus, aut pedissequis, non video. Ejus gesta, & Acta illustrant Bollandiani socii hac die pag. 364. & in Appendice Maji pag. 365. & *seq.* Quando obierit, adhuc non liquet. Floruisse fertur Christi sæculo V. *Beati.*

D. VI. IDUS MAII. *10. Maji.*

JOB Prophetæ. *Job.*

Romæ via Latina in cœmeterio ejusdem, natalis sanctorum Gordiani & Epimachi: quos Julianus Imperator Apostata, inter multos Christianos publicis custodiis mancipavit. Beatum vero Januarium senem presbyterum comprehensum, cuidam Vicario Gordiano ad audiendum tradidit. Qui B. Januarium patienter audiens, spiritu Dei illuminatus credere cœpit. Quem protinus beatus presbyter, cum uxore Marina nomine, & familia promiscui sexus numero LIII. & eo amplius, baptizavit. Quod fa- *Gordiani & Epimachi.*

 ctum

ctum audiens Julianus, plenus ira, damnavit inscriptionibus sanctum presbyterum Januarium. Sanctum vero Gordianum similiter damnatum, in custodia publica posuit; atque cuidam Clementiano, quem Vicarium ejus loco dederat, tradidit. Uxorem porro ejus ad aquas * Salvias manere præcepit in servitio rusticorum. Clementianus autem pro tribunali residens, B. Gordianum vinctum catenis sibi præsentari fecit. Ille in confessione Christi fixus, diu plumbatis cæditur; in ultimo, capite truncatur. Cujus corpus jussit iniquus Judex ante templum Apollinis in Tellude jactari, ut a canibus roderetur. Quod nocturno tempore Christiani rapientes, miliario plus minus uno ab urbe Roma posuerunt in crypta, ubi jam pridem corpus beati martyris Epimachi sepultum fuerat. Hic Epimachus apud Alexandriam cum collega suo Alexandro, multo tempore in vinculis, & in cruciatibus carceris tortus, cum in frequentibus & diversis suppliciis confectus perdurasset in fide, ignibus postremum consumitur, deinde reliquiæ ejus Romam translatæ.

* al. Silvias.

Calepodii. Item Romæ, natalis S. Calepodii senis presbyteri, sub Alexandro Imperatore; qui eum fecit occidi a Laodicio, & corpus trahi per civitatem, atque in Tiberim jactari, die Kalendarum Maji. Quod inventum piscatores levaverunt, & narraverunt hoc Callisto Episcopo. Acceptum itaque condivit illud aromatibus & linteaminibus, & sepelivit in cœmeterio ejus, miliario ab Urbe tertio, in crypta, VI. Idus Maji. Tunc decollatus est ab Alexandro Palmatius consul cum uxore & filiis, & aliis promiscui sexus de domo sua XLII. Cum quibus & Simplicius senator cum uxore & filiis suis, & familia sua, fere promiscui sexus LXVIII. & Felix similiter cum uxore sua Blanda, qui per doctrinam Callisti Papæ & Calepodii presbyteri, nuper fuerant baptizati. Hic enim Palmatius consul Alexandro Imperatori adeo charus acceperat ab eo potestatem, ut Christianos cogeret sacrificare. Erat autem multitudo Christianorum collecta in quodam loco trans Tiberim, inter quos beatus Callistus Episcopus Urbis cum clero suo, & senex presbyter beatus Calepodius: ad quos tenendos Palmatius consul milites direxit. Qui ingressi ubi erat Sanctorum multitudo, subito cæci facti sunt. Palmatius hoc videns, timore perterritus, nuntiavit Alexandro, atque milites in conspectu ejus exhibuit. Tunc cœpit Alexander clamare: O cives optimi, videtis artem magicam? Respondit Palmatius: Si per magicam istud factum est, ubi sunt virtutes deorum nostrorum? Jubeat itaque pietas vestra offerri & immolari diis, ne pereat Respublica per eorum incantationes. Statuitur itaque dies, & præconis voce jubentur

jubentur omnes immolare Mercurio, qui in urbe Roma erant. Factum est autem, dum funderetur sanguis porcinus, & vitulinus, & sacerdotes virginesque baccharentur per templum dæmonis, una ex illis Juliana nomine, arrepta cœpit clamare: Deus Callisti, ipse vivus & verus, ipse indignatus est pollutionibus Reipublicæ vestræ, & conteret Regem mortalem vestrum, quia non adoratis veritatem. Audiens hoc Palmatius, cucurrit ad beatum Callistum trans Tiberim, ubi erat multitudo Christianorum, & cecidit ad pedes ejus: Cognovi, inquit, Dominum Christum Deum esse verum, quem dæmones confessi sunt hodie. Per ipsum te conjuro, ut liberes me a cultura dæmonum, & baptizes me sicut prædicas. Quem beatus Callistus indicto jejunio catechizavit, & allata aqua baptizavit. Qui baptizatus cœpit clamare: Vere vidi Dominum Jesum Christum, lumen verum, qui me illuminavit. Baptizata autem est & omnis domus ejus. Ab eadem die omnem facultatem suam cœpit pauperibus Christianis erogare, ubicumque invenirentur, ministrans eis victum & tegumentum. Post dies triginta requiritur ab Alexandro: nuntiatum enim est ei quod Christianus esset. Tentus igitur a quodam Tribuno Torquato, missus est per triduum in custodia * Mamurtini, & vinctus præsentatur Alexandro. Quem videns Alexander, jussit solvi, cui & dixit: Sic amens es, Palmati, ut deseras deos, & quæras hominem mortuum? Inter alia respondit Palmatius: Feci quasi infelix, modo autem cognovi quod verum est. Tunc Alexander tradidit eum cuidam senatori Simplicio, ut revocaret eum ad culturam deorum mollibus verbis. Sed Palmatius jejuniis, orationibus, & vigiliis studens, non cessabat lacrymis Deum Patrem Omnipotentem, & Dominum Jesum Christum filium ejus deprecari. Veniens autem ad eum quidam Felix nomine, rogabat eum pro uxore sua, quæ a quatuor annis jacebat clinica. Beatus Palmatius præsente uxore Simplicii & omni familia, cecidit in terram, & cum lacrymis orare cœpit: Domine Deus, qui illuminasti servum tuum, & donasti mihi lumen æternum Dominum Jesum Christum, salva ancillam tuam Blandam, & alleva eam de lecto doloris, ut cognoscant omnes, quia tu es Creator omnium rerum. Quæ ilico sana surrexit. Quod videntes Simplicius & Felix, & reliqui, qui in domo Simplicii erant, cœperunt urgere beatum Palmatium ut baptizarentur. Qui mittens vocavit sanctum Callistum, & baptizati sunt omnes in nomine Domini Jesu Christi.

* al. *Mamertini.*

Item Romæ via Latina ad Centum aula, natalis sanctorum Quarti & Quinti. *Quarti, & Quinti.*

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. & 514. ita habent:
„ Obitus Job prophetæ. Romæ via Latina, natalis sanctorum Gordiani & Epi-
„ machi martyrum. Julianus apostata Imperator inter multos christianos, quos publicis
„ custodiis mancipavit, beatum Januarium senem presbyterum comprehensum &c.

Ed. *Apollinis in tellude*. Codices memorati: *Apollinis in tellure*. Verba: *Hic Epimachus* &c. usque *translatæ*, quæ leguntur in editis, desiderantur in nostris codicibus, sed post: *sepultum fuerat*, sequitur: *Item Romæ, natalis sancti Calepodii &c.* Ed. *Callisto Episcopo. Acceptum itaque &c.* Codices: *Calixto Episcopo, quod ille acceptum condivit cum aromatibus & linteaminibus, & sepelivit in cimiterio ejusdem, miliario ab urbe tercio in cripta* VI. *Idus Maji*. Ed. *fuerant baptizati. Hic enim &c.* Codices: *fuerant baptizati. Quorum omnium capita jussa sunt suspendi per diversas portas urbis Romæ ad exemplum christianorum. Hic enim &c.* Ed. *ne pereat Respublica per*. Codices: *ne pereat Respublica tua per*. Ed. *Deus Callisti, ipse vivus &c.* Codices: *Deus Calixti, ipse est vivus & verus, ipse indignatus est ob pollutiones reipublicæ vestræ, & conteret regem &c.* Ed. *feci quasi infelix*. Codices: *Feci quondam, ut infelix, nesciens veritatem*. Ed. *quidam Felix nomine*. Codices: *quidam nomine Simplicius*. Ed. *omnes in nomine Domini Jesu Christi*. Codices: *omnes in nomine Domini*, tantum.

Abest a codicibus natalis sanctorum *Quarti* & *Quinti*.

Job. ADNOTATIO. De *Job* propheta agunt hac die Hieronymiana, Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, Notkerus, & Wandelbertus. Richenoviense habet: *Depositio, sive natale Job prophetæ*, extremo loco. Meminere Augustanum, & Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum, ad extremum hujus diei: *Et alibi, natalis sancti Job prophetæ*. Plura de eo Bollandiani in Commentariis hac die pag. 494. & 849. ac in Appendice Maji pag. 664.

Gordiani, & Epimachi. Illustres *Romæ* martyres *Gordianus*, & *Epimachus* coluntur pridie hujus diei, & hac die a Hieronymianis, corrupta tamen lectione. Agunt autem Beda, Romanum parvum, & ceteri Latinorum. Rabanus in elogio multa ex Actis delibavit, atque ad extremum habet, *Gordianum* depositum fuisse, ubi jampridem *S. Epimachus* sepultus fuerat; quocirca de *Gordiano* tantum agere videtur. Rabanum adamussim sequitur Notkerus. Beda vero, Romanum parvum, Ado, Usuardus, Gellonense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Vaticanum 3806. *Gordiani, & Epimachi* meminere. His adde libros Liturgicos Gregoriani ordinis, eosque vetustissimos. Sacramentarium Reginæ Suecorum 337., Pamelii pag. 291., Palat. Vat. 495., Missale plenarium Vatic. 4770. Missam hac die habent *in natali sanctorum Gordiani & Epimachi*. Idem titulus legitur in Sacramentario Menardi, & Angeli Rocchæ. Menardus tamen in Adnotationibus monet, legi in Codice Remensi: *natalis S. Gordiani*, nulla facta mentione *S. Epimachi*, & Missam esse de solo sancto *Gordiano*. In Capitularibus Evangeliorum veterrimis, tom. I. cl. de Liturgia Romani Pontificis pag. 260. *natalis S. Gordiani* tantum præfigitur; quod & monet Fronto hac die. Tacito nomine *Epimachum* quoque in bis subintelligendum esse, ex libris Sacramentorum putamus; & ex Antiphonariis Gregorianis, in quibus hac die etiam tam *Gordianus*, quam *Epimachus* memorantur. Celebre fuit eorundem cœmeterium, atque Ecclesia, de quibus Aringhius in Roma subterranea, ex Anastasio in Vita Hadriani I. ubi hæc habet: *Simili modo & basilicam sancti Gordiani atque Epimachi, seu cœmeterium ejusdem Ecclesiæ, Simplicii atque Serviliani, atque Quarti & Quinti martyrum, & beatæ Sophiæ una cum cœmeterio sancti Tertulliani* (lege *Tertullini*) *foris portam Latinam a novo renovavit*. Antiquissima descriptio regionum Urbis apud Mabillonium, Analectorum tom. IV. pag. 511. 512.: *In via Latina intus in civitate. In sinistra, Oratorium S. Mariæ, S. Gordiani*. Alia notitia Ecclesiarum extra Urbem ab Eccardo edita: *Juxta viam vero Latinam Ecclesia est S. Gordiani, ubi ipse cum fratre* EPIMACHO *in una sepultura. Ibi quoque Quartus & Quintus: ibi Sulpitius & Servilianus, & S. Sophia, & Trophimus cum multis martyribus sepulti dormiunt, & juxta eandem viam Tertulliani est basilica, ubi ipse cum multis martyribus jacet*. In alia item notitia apud Willelmum Malmesburiensem: *Porta & via Latina dicitur. Juxta eam quiescunt in una Ecclesia martyres* GORDIANUS, & EPIMACHUS, *Sulpitius, Servilianus, Quintinus, Quartus, Sophia, Triphenus* (al. *Trophimus*). Passus *Gordianus* dicitur A. D. 362. *Epimachus* vero & *Alexander*, ex Eusebio lib. VI. cap. XXXIV. passi sunt persecutione Deciana, c. A. D. 250.. De *Gordiani* Actis, quæ censura

sura digna sint, Baronius in Adnotationibus, & ad an. 362. n. ccliv. *& seq.* Alii penitus ea spuria esse tradunt, & hos inter Tillemontius tom. vii. pag. 782. Hermannus Contractus in Chronico ad an. 774. narrat, SS. *Gordiani* & *Epimachi* corpora ab Hadriano I. Romano Pontifice donata fuisse *Hildegardæ* reginæ, a qua in monasterium Campidonense fuerunt delata. Vide Bollandianos ad diem xxx. *Aprilis*, & Henschenium ad diem x. *Maji* pag. 551. *& seq.* ubi plura de his martyribus, eorumque translationibus. Consule etiam de eorum translatione in monasterium Campidonense Mabillonium Annal. Bened. lib. xxii. §. lxv. & lib. xxiv. §. l. ubi habes, quid de Hermanni Contracti, & aliorum ea de re narratione, ac de *Hildegarda* sentiendum sit.

Calepodii. De *Calepodio* silent Hieronymiana, at agunt de eo Beda, Romanum parvum, Rabanus, Notkerus, ut Ado noster, ex quo Usuardus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, & Reginæ Suecorum. Acta sumpta sunt ex Actis aliis apocryphis, quare de iis idem judicium ferendum censet Sollerius adversus Henschenii sententiam (qui ad hanc diem p. 498. & 845. ea per *Notarios Romanos* scripta esse putavit) quod de Actis S. Callisti Papæ tulit Baronius an. 226. n. II. ac Tillemontius tom. III. p. 250. *& seq.* Vide item eundem Baronium in Notationibus, & loco citato: ac ibi n. vii. de *Calepodii* cœmeterio, de quo plura Aringhius in Roma subterranea.

Licet codices nostri *Quartum*, & *Quintum* *Quarti & Quinti.* prætereant, agunt de his tamen Hieronymiana, & apographum Epternacense habet: *Via Latina ad centum aulas, Quarti, & Quinti.* Agit item Usuardus. Alii silent. Vide plura apud Henschenium hac die pag. 555. *& seq.* Eorum nomina recensentur inter eos martyres, qui una cum Gordiano & Epimacho sepulti erant.

E. V. IDUS MAII. *11. Maji.*

Anthimi. ROMÆ via Salaria miliario XXII. natalis S. Anthimi.

Viennæ, beati Mamerti Episcopi, qui ob imminentem *Mamerti.* cladem, solennes ante Ascensionem Domini Litanias instituit.

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. & 514. ita exordiuntur: *Romæ via Salaria, natalis beati Antimi presbyteri, qui post virtutum & prædicationis insignia, in Tyberim præcipitatus, ab angelo exinde ereptus, oratorio restitutus est proprio: dehinc capite punitus, victor migravit ad cælos. Viennæ, natalis sancti Mamerti Episcopi & confessoris, qui ob imminentem cladem sollempnes ante Ascensionem Domini Letanias instituit.*

Gemgulfi. Sequitur in codice 511. tantum: *Eodem die, natalis sancti Gemgulfi. Ipso*
Majoli. *die apud Silviniacum, sancti Majoli Abbatis.*

Anthimi. ADNOTATIO. *Anthimi* presbyteri & martyris, via Salaria, vigesimo secundo ab Urbe lapide sepulti, celebris in tabulis Ecclesiasticis vetustioribus hac die memoria recolitur; nam agunt de eo Hieronymiana, Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, qui breve elogium ex Actis protulit, & Notkerus. Martyrologium Ottobonianum de eo meminit una cum aliis; nam habet: *Romæ, Achilli, Sippioni Ep. & Antimi.* Meminere item *Antemii*, Rhinoviense, Richenoviense, Labbeanum, & Martyrologium Reginæ Suecorum. Illius Acta, alias edita & vulgata, expendunt Bollandiani socii hac die pag. 614. *& seq.* Obiter quoque de iis Tillemontius tom. iv. p. 554. S. Gregorius Magnus Ecclesiam *S. Anthimi* in Sabinis cum Ecclesia Nomentana A. D. 593. conjunxit, qua de re idem Gregorius lib. II. epist. xx. Diocletianea persecutione passus est c. A. D. 303. De eo, una cum aliis martyribus tunc passis, Baronius an. 302. n. cxii. meminit.

De *Mamerto* agunt hac die pleraque Latino- *Mamerti.* rum Martyrologia, nimirum Hieronymiana ex Henschenii sententia hac die pag. 630. n. 6. ubi monet in quatuor Hieronymianis apographis ita haberi: *Viennæ, depositio Mamerti & Martini Episcoporum*, ac ita in aliquibus Martyrologiis legi. Silent autem Beda, Rabanus, Romanum parvum, Rhinoviense, & Richenoviense. Agunt autem Augustanum, & Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *Viennæ, depositio Mammi* (pro *Mamerti*) *& Martini Episcoporum*. Martyrologium Ful-

Fuldense: *Viennæ, depositio sancti Mamerti Episcopi, cujus institutione per Galliarum Ecclesias excrevit consuetudo, tribus diebus ante Ascensionis Dominicæ diem sollemne jejunium celebrare*. Eadem, quæ in vulgato Adone, & in nostris Adonianis codicibus, habentur in genuino Usuardo. Adonianum elogium ex Floro acceptum esse putat Henschenius; alia est Sollerii sententia, quia Ado ex Floro nihil ut plurimum delibare soleat. Ottobonianum habet extremo hac die loco: *Bienna, depositio Mamberti* (pro *Mamerti*) *confessoris*. Gellonense: *Vienna, Mamerti, Martini*. Hagiologium Francogallicum: *Viennæ, S. Mamerti Episcopi & confessoris*. Meminit item *Mamerti* Wandelbertus, & Kalendarium Vat. 3806. Obiit *Mamertus* c. A. D. 475.

Rogationum inst. De institutis per dies tres ante Ascensionem Domini a S. *Mamerto* Rogationibus agit Sidonius lib. v. epist. xiv. ad quem locum vide Sirmondi notas. Agit etiam Alcimus Avitus, Cæsarius Arelatensis homil. xxxiii. Gregorius Turonensis lib. ii. cap. xxxiv. lib. ix. cap. vi. & de Vita Patrum cap. iv. §. iv. Vide Concilium Aurelianense I. can. xxvii. Quoties, & quo ritu fierent Rogationes obiter adnotat Mabillonius in Liturgia Gallicana lib. ii. pag. 152. *& seq.* Vide item Menardi notam 380. in Sacramentarium Gregorianum, & Martenium de antiqua Ecclesiæ disciplina in celebrandis divinis officiis cap. xxvii. pag. 513. In Sacramentario Gallicano pag. 335. habetur *Missa in Letanias dicenda*, scilicet Rogationum diebus, ut interpretatur Mabillonius. Missæ tres in tribus Rogationum diebus præfiguntur in Missali Gothico n. xlvii. *& seq.* Romæ Rogationum usum, nonnisi sub *Leone* iii. receptum volunt. Nullum certe de his vestigium conspicitur in vetustioribus libris Liturgicis S. R. E., puta in Sacramentariis, & Capitularibus Evangeliorum. In Missali plenario Vat. 4770. Missæ tres his diebus celebrandæ leguntur. Feria ii. *Collecta* statuitur *ad Sanctam Mariam Majorem. Statio ad S. Joannem in Laterano*. Feria iii. *Collecta ad Sanctam Sabinam. Statio ad S. Paulum*. Feria iv. *Collecta ad Sanctum Eusebium. Statio ad S. Laurentium*.

Gengulfi. Codex Adonianus 511. agit hac die de S. *Gengulfo* martyre, qui in vulgatis præteritur; imo a Rosvveido in Appendicem conjicitur. Silet quidem genuinus Usuardus, sed agunt ejus Auctaria, eaque vetusta, his verbis: *Apud Lingones, sancti Gengulphi martyris, longe lateque gloriosi miraculis*. Alia ex his Auctariis agunt hac die xi. *Maji*, alia die xiii. Item die xii. agit Martyrologium Bedæ Ecclesiæ Wirceburgensis a Jo. Georgio Eccardo editum ad calcem tom. I. Historiæ Franciæ Orientalis, quod scriptum putat sæculo Christi ix. licet ei quædam adscripta sint manu sæculi xi. Meminit præterea ad iii. *Idus Maji* Richenoviense. In Sacramentario Vaticano 477x. ad iii. *Idus Maji* præfigitur Missa *in dedicatione S. Mariæ ad Martyres*; deinde post orationes Missæ de eadem dedicatione, sequitur: *Eodem die sancti Gangolfi martyris*. Ibi hæc oratio ponitur: *Concede, quæsumus omnipotens Deus, nos beatissimi Gangolfi martyris tui gaudia æterna pertingere, de cujus nos virtute tribuit annua sollemnitate gaudere*. Oratio ad *secreta*, est de dedicatione S. Mariæ ad Martyres, ut & ad post communionem. Sacramentarium hujusmodi, ut alibi monuimus, fuit ad usum monasterii Aretini SS. Floræ & Lucillæ. In Kalendario Palat. Vat. 499. colitur item *Gingolfus*, seu *Gengolfus* die xiii. *Maji*. Martyr obiit c. A. D. 760. De illius martyrio & Actis Bollandiani socii ad diem xi. *Maji* pag. 644. Vidimus nos quoque ejusdem Acta in codice Canonicorum Forojuliensium, quorum exordium est: *Vir itaque Domini Gengolfus alto parentum germine, & superbi sanguinis nobilitate, Burgundia extitit oriundus. Hæc autem diximus pro memoria sanctissimi confessoris Domini Gengolfi, indignum arbitrantes, tantum ac talem virum silentii odio continere* &c.

Codex noster 511. *S. Majolum* addit, qui certe Adonis esse non potest, sed Adonianum additamentum. In codice Usuardi Pratensi hac die ad extremum, aliena manu, ut fatetur illius editor Bovvillartius, legitur: *Eodem die depositio Domni Majoli Abbatis*. Idem Bovvillartius *Majoli.* ingenue scribit in observatione ad Usuardum die xvii. Februarii, codicem Adonis S. Germani, vetustum licet, & eleganter scriptum, ad v. *Idus Maji* commemorare *S. Majolum* Abbatem, qui tamen *Majolus* obiit A. D. 994. quod indicio est, eum codicem post decimum sæculum scriptum esse, quare sincerum esse non posse. Obiit igitur S. Majolus, seu uti ab aliquibus scribitur *Mayolus*, apud Silviniacum in in cella monasterii sui Cluniacensis A. D. 994. v. *Idus Majas*, illucescente feria vi. post Ascensionem Domini. Statim ab ejus obitu, *sanctus* vocari cœpit; nam in diplomate *Gregorii* Papæ v. *Odiloni* Abbati pro monasteriis Cluniacensibus, A. D. 996. dato, *beatæ recordationis sanctus Mayolus* legitur. Statim etiam super eius tumulum altare (is primus ad canonizationem gradus erat) erectum est, quod *Beggo* Arvernensis Episcopus, *Hugone Capeto* rege adhuc vivente, consecravit. In Historia Episcoporum Autissiodorensium cap. xlvii. In vita *Heriberti* Episcopi legitur, *Henricum* ejusdem Episcopi fratrem, monasterium beati Germani *Domino Majolo commisisse Abbati, qualiter videlicet regularis normæ tramitem inibi constitueret, sicut per multa loca, tam in Italia, quam in Gallia dignoscebatur fecisse monachorum*. Ejus Acta habes apud Bollandianos hac die pag. 658. *& seq.* Vide etiam Mabillonium Annal. Bened. lib. L. §. LXXXVIII. *& seq.*

F. IV.

F. IV. IDUS MAII. *12. Maji.*

ROMÆ, in cœmeterio Prætextati, natalis sanctorum martyrum Nerei & Achillei fratrum, qui fuerunt Eunuchi B. Flaviæ Domitillæ, quique cum ea apud insulam Pontiam longum pro Christo duxerunt exilium. Postmodum vero ab Aureliano sponso Domitillæ (quem ipsa ob amorem Christi spreverat) primo verberibus gravissimis attrectati, deinde * Mommio Rufo consulari sunt traditi, a quo cum eculeo & flammis compellerentur ad immolandum, & docerent se a B. Petro Apostolo baptizatos, nulla ratione posse idolis immolare, capite cæsi sunt. Quorum corpora rapuit Auspicius discipulus eorum, nutritor sanctæ virginis Domitillæ, quæ etiam naviculæ imposita, adduxit, & in prædio Domitillæ in crypta arenaria sepelivit, via Ardeatina, a muro Urbis miliario uno semis. *Nerei & Achillei.*

*al. Mummio, & Memmio.

Item via Aurelia, miliario secundo, natalis S. Pancratii martyris: qui cum esset annorum XIV. sub Diocletiano martyrium capitis detruncatione complevit. Cujus reverendum corpus Octavilla illustris femina occulte noctu sublatum, aromatibus conditum sepelivit IV. Idus Maji. *Pancratii.*

Eodem die, B. Dionysii patrui beati Pancratii, cujus studio idem Pancratius & baptizatus, & in timore Domini confortatus, ad martyrium animatus est. Ipse cum præmiis cælestibus, charus & dignus Deo, in pace diem vitæ hujus clausit. *Dionysii.*

De eo in gestis ejusdem Pancratii.

Sed & tunc temporis passa est virgo sacratissima Soteris, nomine & genere nobilis, sub Diocletiano Augusto. *Soteris.*

Eodem die apud Cyprum, S. Patris nostri Epiphanii, Salaminæ Episcopi. *Epiphanii.*

VARIA LECTIO. Ed. *Mommio Rufo*. Cod. 511. *Mominio Rufo*. Ed. *Salaminæ Episcopi*. Cod. 511. addit: *fide & doctrina clarissimi. Hujus libri plurimi habentur. Hic multis virtutibus clarus, in pace quievit.*

Nerei & Achillei.

ADNOTATIO. *Nereus & Achilleus* fratres in vetustissimis tabulis Romanæ Ecclesiæ, ac in Martyrologiis hac die celebrantur, quibus *Pancratius* conjungitur. Martyrologia primum proferamus. Apographum Hieronymianum Lucense: *Romæ, natalis sanctorum Nerei, Achillei, & sancti Pancratii*. Paulo aliter Corbejense Dacherii, nempe: *Romæ, natalis sanctorum Nerei & Achillei fratrum. Et alibi, natalis sancti Pancratii* &c. Beda genuinus hujus diei enunciationem ita refert: *Romæ, SS. Nerei & Achillei, & sancti patris nostri Epiphanii Episcopi Cypri. Et Romæ sancti Pancratii: qui cum esset annorum quatuordecim, sub Diocletiano martyrium capitis detruncatione complevit*. Ado noster de *Nereo*, & *Achilleo*, ac de *Pancratio* fusior in elogio est, ex Actis accepto. Usuardus Adonis elogium contraxit, ac initio eadem ferme ac Ado præfert, verborum formulis immutatis. Apud Adonem legitur: *Romæ in cæmeterio Prætextati*; apud Usuardum vero: *Romæ, via Ardeatina*. Rabanus ita habet: *Romæ, sancti Pancratii. Eodem die, Romæ*

mæ passio sanctorum Nerei, & Achillei, fratrum. Notkerus fusior in elogio est omnibus, ex Actis petito. Gellonense, Augustanum, & Labbeanum: *Romæ, Nerei, Achilei, Pancratii mart. Sotheris virginis*. Eadem habent Rhinoviense & Richenoviense, nisi quod post *Pancratium* addunt *Quiriacum*. Corbejense brevius: *Romæ, natalis sanctorum Nerei, & Achilei. Et alibi S. Pancrati, Gradi, & Soteri virginis*. Romanum parvum: *In Cœmeterio Prætextati, Nerei & Achillei fratrum*. Agit Wandelbertus, atque *Domitillam* his jungit, & *Pancratium*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, natalis sanctorum Nerei & Achillei fratrum, & sancti Pancratii, qui cum esset annorum XIV. sub Diocletiano martyrium capitis detruncatione complevit*. Paullo uberius est elogium in Martyrologio Fuldensi. Martyrologium Ottobonianum fere ad verbum Martyrologium Reginæ Suecorum imitatur. Agunt demum Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. At ad rem Liturgicam transeamus. Missa in *natali sanctorum Nerei & Achillei fratrum, & sancti Pancrati* habetur hac die in codice Sacramentorum Gelasiano pag. 151, in orationibus tamen illius Missæ *Pancratii* nomen præteritur. In Sacramentario vero Gregoriano Reginæ Suecorum 337. omittitur Missa de *Nereo & Achilleo*, & designantur orationes Missæ: *in natali S. Pancratii*. Prima oratio est: *Præsta*. Super oblata: *Munera*: Ad communionem: *Beati*. Ita quoque habent Sacramentarium Angeli Rocchæ, & Menardi. Notat autem Menardus ad hunc locum, duas haberi Missas hac die in codice Ratoldi, alteram de *S. Pancratio*, alteram de SS. *Nereo & Achilleo*, & apud Pamelium, priorem Missam esse de SS. *Achilleo & Nereo*, posteriorem de S. *Pancratio*. At Pamelii Sacramentarium pag. 292. ita præfert: *natale sanctorum Nerei & Achillei & Pancratii*. In orationibus *Pancratius* etiam nominatur: deinde succedunt orationes Missæ de S. *Pancratio*. Sacramentarium Palat. Vat. 495. in titulo hujus diei ita habet: *Sanctorum Nerei sociorumque ejus*. Orationes Missæ: *Semper nos &c.*, prout apud Pamelium. Missale plenarium Vat. 4770. ita habet: *Nat. sanctorum Nerei & Achillei & Pancratii*. Oratio: *Beati Nerei & Achillei foveat pretiosa* &c. Alia: *Præsta, quæsumus* &c. *ut qui beati Pancratii* &c. *natalitia colimus*. Sequitur ibi Præfatio propria. Capitularia quoque Evangeliorum veterrima, licet de his agant, non omnino tamen inter se conveniunt. Varias eorum lectiones nos adnotavimus tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 260. Fere omnia tamen duo Evangelia hac die designant, alterum in *natali SS. Nerei & Achillei*, alterum in *natali Pancratii*. Capitulare vero Evangeliorum apud Martenium habet tantum hac die Evangelium in natali SS. *Nerei & Achillei*. Sed illustria horum martyrum apud Urbem, ac in Urbe monumenta prætereunda non sunt. *Nereus & Achilleus*, ut præferunt Acta vulgata, sepulti fuerunt in prædio *sanctæ Domitillæ, in crypta arenaria, via Ardeatina*, juxta sepulchrum *S. Petronillæ*. Ibi eorundem martyrum cœmeterium fuit, quod *Johannes* Papa I. *renovavit*, ut habet Liber Pontificalis in Vita cap. VII. Alii codices, pro *renovavit*, habent *perfecit*, alii *refecit*; in vulgato Anastasio legitur *fecit*. De *SS. Nerei & Achillei* sepulchro, seu cœmeterio *via Ardeatina*, juxta *S. Petronillam* Notitia vetus Ecclesiarum extra Urbem, edita ab Eccardo ad calcem tomi I. Historiæ Franciæ orientalis; & alia Notitia apud Willelmum Malmesburiensem lib. IV. de rebus gestis regum Anglorum, & item Descriptio regionum Urbis apud Mabillonium Analectorum tom. IV. p. 502. Intra Urbem vero secus Appiam viam fuit alia eorundem martyrum Ecclesia, quæ *titulus Fasciolæ* dicebatur, de quo liber Pontificalis in Felice III. Eadem Descriptio regionum Urbis apud Mabillonium pag. 512. *via Appia, Ecclesia sanctorum Nerei & Achillei, non longe a S. Sixto, & a forma Jobia* memoratur. Quæ nomina etiam occurrunt in Notitia apud Willelmum Malmesburiensem. In Notitia, seu descriptione veterrima, ut supra apud Mabillonium pag. 502. ubi collectio etiam Inscriptionum Romanarum habetur, una ex iis hoc lemma præfert: *In sepulcra Nerei & Achilei, in via Appia*. Subjiciuntur aliquot versus de his martyribus, in quorum postremo versu auctor Damasus Papa perhibetur. Hic est igitur *titulus Fasciolæ*, cujus tituli presbyteri tres subscripserunt Concilio Romano A. D. 499. & in quibusdam Capitularibus veterrimis Evangeliorum, Feria II. majoris hebdomadæ sacra statio ad *Sanctum Nereum & Achilleum* præfigitur, ut habes tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 255. Memoratur etiam apud Anastasium Bibliothecarium in Vita *Leonis* III. *Diaconia S.S. Nerei & Achillei*, sed quo loci in Urbe hæc Diaconia fuerit, ignoramus. Corpora SS. *Nerei & Achillei*, utque *Domitillæ* in Diaconia S. Hadriani A. D. 1589. reperta fuisse tradit Baronius ad an. 270. n. IX. qui in Adnotationibus hac die monet, eorundem martyrum corpora una simul cum *Flaviæ Domitillæ* corpore A. D. 1597. se, eorundem martyrum restituto titulo, *Clemente* VIII. Pont. Max. annuente, in eundem *Fasciolæ* titulum veterem celebri pompa V. *Idus Maji* ex Diaconia S. Hadriani transtulisse. Ibi olim, nimirum in basilica SS. *Nerei & Achillei*, homiliam habitam fuisse ordine XXVIII. in Evangelia narrat. Quanquam aliter sentiat Nicolaus Alemannus de Lateranensibus parietinis, cap. III. pag. 14. qui non in basilica eorundem martyrum, sed in eorum cœmeterio potius, ut nonnulli codices præferunt, eam homiliam habitam fuisse tradit. Baronio igitur exorante, tunc in divinis offi-

officiis, quia die sancti martyres *Nereus* & *Achilleus*, atque *Pancratius* in Ecclesiis coluntur, *Domitilla* quoque addita est, cum antea, neque inter divina officia, neque in Missa, quidquam de ea ageretur, sed in Martyrologiis solummodo die VII. *Maji*. Censura doctorum virorum de eorundem Actis, eadem die VII. *Maji* a nobis prolata est. Consule de his martyribus Bollandianos ad diem XII. *Maji* pag. 4. *& seq.* & in Appendice Maji pag. 707.

Pancratii. De *Pancratio* plura in superioribus ex Martyrologiis habes, quibus adde Romanum parvum, in quo: *Via Aurelia*, *S. Pancratii*. De Ecclesia, ubi sepultus extra Urbem fuit S. *Pancratius*, agit S. Gregorius lib. IV. Epist. XVIII. & homil. XXVII. Vide Baronium in Notationibus hac die, & ad an. 638. n. III. De eadem Ecclesia liber Pontificalis in Symmacho cap. VIII. ut in Honorio I., Notitia Ecclesiarum extra Urbem apud Eccardum, & apud Willelmum Malmesburiensem. Num olim *titulus* presbyteri Cardinalis esset Ecclesia *S. Pancratii* disceptatum est, id negat Guido Pancirollus, qui factum id censet a Leone X.; contra vero Torrigios in cryptis Vaticanis, ex fragmento cujusdam vetustæ inscriptionis, titulo presbyteri Cardinalis S.R.E. olim insignitam fuisse censet. Cætera de illius martyrio, A. D. 304. & Actis Bollandiani socii hac die pag. 680. & in Appendice Maji pag. 707. Henschenius, & Baronius, inquit Sollerius, hæc Acta sincera esse censuerunt, & Henschenius quosdam eorum nævos abstergere conatur, sed urget Tillemontius tom. V. pag. 259. & 689. Sollerius vero, his nævis sublatis, ea illustria & gravia esse judicat.

Dionysii. De *Dionysio S. Pancratii* patruo agitur in eisdem S. Pancratii Actis, quare ea sunt consulenda. Agunt autem de eo hac die, præter Adonem, Usuardus, & Romanum parvum. Vide Bollandianos, ubi supra.

Soteris. *Soterem*, seu *Soteridem*, quam Ado hac die sub Diocletiano passam commemorat, Usuardus præterit, sed eam celebrant hac die Hieronymiana, & alia, ut vidimus, ubi Martyrologiorum testimonia de SS. Nereo & Achilleo protulimus. Dubium est apud Sollerium hac die, num ea sit, de qua die X. *Februarii* actum est, an alia. Non alia esse videtur Ruinartio, ac Tillemontio tom. V. p. 359. *& seq.* Forte una eademque est *Soteris*, variis diebus, ut olim mos, celebrata.

De *Epiphanio*, ut vidimus, agit hac die Beda genuinus, & aliqua quæ citavimus Martyrologia; agunt etiam Rabanus, Ado noster, & ex eo Usuardus. Agunt præterea hac die Martyrologium Ottobonianum, & Reginæ Suecorum. Fuit autem *Epiphanius*, Palæstinus natu, patria Eleutheropolitanus, & *Constantiæ* in Cypro, quæ antea *Salamis*, Episcopus. Obiit in itinere, centenario proximus, vel etiam major c. A. D. 403. Pagius in Critica ad an. 402. n. VI. *& seq.* ex Valesii notis ad Socratis lib. VI. cap. XIV. notat adversus Papebrochii sententiam, Epiphanii obitum fuisse A. D. 402. sed incertus dies mortis est, & juxta Valesium, mortis tempus fuit exeunte an. 402. aut initio anni 403. ante Synodum ad Quercum. Vita illius, quæ *Joannis* & *Polybii* discipulorum ejus nomine circumfertur, ex Simeone Metaphraste, apud Lipomanum & Surium hac die, & Græce ac Latine inter ejus Opera tom. II. editionis Petavii, mendosa in multis habetur, apud Baronium ad an. 371. n. CX. & apud recentiores. De ea Bollandiani socii ad hanc diem pag. 36. *& seq.*, & 680. Vide etiam Papebrochium in Responsionibus art. XII. §. 9. Plura de eo Baronius in Notationibus hac die, & in Annalibus; sed adeundus ad ejus Vitam & gesta quod attinet, Tillemontius tom. X. pag. 484. *& seq.* Nonnulla habet Julius Bartoloccius tom. I. Bibliothecæ Rabbinicæ pag. 424. *& seq.* De eo item ejusque Operibus agunt Auctores de Scriptoribus Ecclesiasticis veteres & recentiores omnes. *Epiphanii.*

G. III. IDUS MAII. 13. *Maji.*

S. Mariæ ad martyr. NATALIS S. Mariæ ad Martyres. Phoca Imperatore, beatus Bonifacius Papa in veteri fano quod Pantheon vocabatur, ablatis idolatriæ sordibus, ecclesiam beatæ semper virginis Mariæ, & omnium Martyrum dedicavit. Cujus dedicationis sacratissima dies agitur Romæ III. Idus Maji.

Servatii. Ipso die, sancti Servatii Tungrensis ecclesiæ Episcopi: qui tempore, quo Hunni Germaniam vastabant, ne civitatis atque ecclesiæ suæ videret excidium, Domini revelatione commonitus, transiit ad vicum Trajectensium; ibique defunctus, atque in

in medio publici aggeris eſt ſepultus. Ob cujus meritum hominibus demonſtrandum, cum tempore hiemis omnia in circuitu nix repleret, numquam ſepulcrum ejus operuit, donec induſtria civium baſilicam ſuper ipſum ædificata eſt.

VARIA LECTIO. Ed. *ſanctæ Mariæ ad martyres. Phoca Imperatore &c.* Cod. 511. *ſanctæ Mariæ ad martyres, quanda Focata Cæſare imperante &c.* Cod. 512. 514. *ſanctæ Mariæ ad martyres. Foca imperante &c.* Ed. *vocabatur, ablatis &c.* Cod. 511. 512. & 514.: *vocabatur, ubi venerabantur omnium portenta deorum, ablatis &c.*

Ed. *Ipſo die, ſancti Servatii &c.* Cod. 511. 512. 514. *Ipſo die, depoſitio ſancti Servatii &c.* Poſt extremum verbum in editis: *ædificata eſt*, ſequitur in eiſdem codicibus:

Mucii. „ Item beati Mucii presbyteri & martyris, qui primo in Amphibuli urbe mul-
„ tis pœnis atque cruciatibus in confeſſione Chriſti affectus, poſtea Bizantium uſque
Marcellini „ perductus, capitali ſententia occubuit. Autiſſiodoro, depoſitio ſancti Marcellini Epi-
„ ſcopi, fide ſacratiſſimi.

S. Mariæ ad mart. ADNOTATIO. Solemnitas *dedicationis S. Mariæ* ad *martyres*, quando a *Bonifacio* Papa IV. Pantheon in honorem B. Virginis ac omnium Sanctorum dedicatum eſt A. D. 607. ut cenſet Pagius in Critica ad hunc annum n. III., peculiaris Romæ initio fortaſſe fuit, ſed ad omnes alias Eccleſias Romani ritus late ſubinde propagata eſt; nam de ea agunt hac die vetuſtiſſima Martyrologia, ac Liturgica monumenta. Agit in primis Beda Hiſtor. Eccl. lib. II. cap. IV. ex auctore libri Pontificalis in Bonifacio IV. deinde in Martyrologio genuino hac die, ubi: *Dedicatio S. Mariæ ad Martyres* legitur. Duo Bedæ apographa optimæ notæ in codicibus Palat. Vat. 833. 834. habent: *Natalis ſanctæ Mariæ ad Martyres*. Romanum parvum: *Sanctæ Mariæ ad Martyres dedicationis dies agitur, a Bonifacio Papa ſtatutus*. Ab Adone, & Uſuardo initio: *Natalis* dicitur. In eam ſententiam loquitur Notkerus; ac item Martyrologium Ottobonianum, & Reginæ Suecorum. Kalendarium vero Palat. Vat. 485.: *Dedicatio beatæ Mariæ ad martyres*. In libris Liturgicis Gregorianis vetuſtiſſimis Miſſa habetur hac die in hujus dedicationis ſolemniis. Sacramentarium Reginæ Suecor. 337. præfert: *Dedicatio* (Ottobonianum *natalis*) *Baſilicæ S. Mariæ ad martyres*. Sacramentarium Palat. Vat. 495. *Dedicatio Eccleſiæ S. Mariæ*. Miſſale plenarium Vat. 4770. *Dedicatio baſilicæ Salvatoris, & ſanctæ Mariæ ad martyres*. Miſſam de hac ſolemnitate habet Sacramentarium Vatic. 4772. Sacramentarium Menardi: *Natale S. Mariæ ad Martyres*. Quæ hic indicetur *dedicatio Baſilicæ Salvatoris*, neſcio, niſi forte ſit dedicatio Baſilicæ Lateranenſis. De eadem *dedicatione Baſilicæ Salvatoris* poſt natalem *S. Georgii*, & ante natalem *S. Victoris*, mentio eſt in Capitulari Epiſtolarum veterrimo ad uſum Eccleſiæ Mediolanenſis, ut habes tom. III. de Liturgia Rom. Pontificis pag. 229. Capitularia Evangeliorum ibidem pag. 261. Evangelium deſignant dicendum in *dedicatione Eccleſiæ ad Martyres*, quod eſt de Dominica, quia *ſemper in die Dominica celebratur ipſa ſolemnitas*. Nil autem mirandum eſt, cur ſcriptum ſit in quibuſdam Martyrologiis, & Sacramentariis: *natalis*, loco *dedicationis*, quia frequens eſt in iis, *natalis* vocem uſurpare, pro quacumque celebritate. Vide ſi lubet Menardi in Sacramentarium, & Frontonis in Kalendarium notas hac die. Plura de ſublato idolorum cultu Romæ cura Romanorum Pontificum, deque hujus diei celebritate Baronius in Notationibus hac die. Quum autem non certæ diei ſolemnitas dedicationis *S. Mariæ ad Martyres*, ſed *Dominicæ*, proximæ diei XIII. *Maji* aſſignata eſſet, ſenſim evanuit, & illius veſtigia in vetuſtis libris tantum ſuperſunt.

Servatii. *Servatius* Epiſcopus in tabulis fere omnibus Eccleſiaſticis hac die celebratur. Agunt enim de eo hac die Hieronymiana apographa, Beda, Romanum parvum, Rabanus, Ado noſter, Uſuardus, Florus, Wandelbertus, Notkerus, Hagiologium Francogallicum, Martyrologium Fuldenſe, Ottobonianum, Reginæ Suecorum, Corbejenſe brevius, Kal. Pal. Vat. 485. & Vat. 3806. Ado, Uſuardus, & alii nonnulli *Servatium*, Epiſcopum *Tungrenſem* dicunt. Martyrologium Fuld. *Trejectenſem* Epiſcopum facit. Hieronymianum Corbejenſe, ac item Corbejenſe brevius præferunt: *Trejecto porto in Gallia, depoſitio Servati Epiſcopi, & confeſſa-*

fessoris. Hac de re mox. Interfuit *Servatius*, Henschenii sententia, Concilio Sardicensi An. Dom. 347.; & in Actis illius Concilii: *Servatius Tungrensis* appellatur. Adfuit etiam Concilio Ariminensi A. D. 359., ex Sulpicio Severo Histor. Eccl. lib. II.; a quo *Servatio Tungrorum Episcopus* dicitur. De eo etiam mentionem fieri a S. Gregorio Turonensi lib. II. Historiæ Francorum c. v. & de gloria confessorum cap. LXXII. censet adversus Adrianum Valesium Henschenius ad hanc diem XIII. *Maji*. At in nova editione ejusdem Gregorii Theodoricus Ruinartius, ex fide fere omnium MSS. codicum, pro *Servatio*, *Aravatium* retinuit. Duos distinxit *Servatios* Valesius in Præfatione tom. II. rerum Francicarum. Valesii sententiam adversus Henschenium, qui pro uno tantum *Servatio* pugnat, mordicus tuetur Pagius senior in Critica Baroniana ad an. 407. num. XX. XXI. & ad an. 451. num. IV. *& seq.* Contendit autem duos hujus nominis *Servatios*, *Tungrenses* Episcopos fuisse, quorum ulter Concilio Coloniensi A. D. 346. interfuit, ac incerto anno vita functus est. Ad Tungrensem sedem evectus deinde fuit *Servatius* alter c. A. D. 398., de quo Sigebertus in Chronico; qui tradit, *Servatium*, ordine decimum Tungrensem Episcopum esse. His addit Pagius, catalogum Episcoporum Tungrensium Harigeri Abbatis Lobiensis, mendosum & fabulosum esse, & in Martyrologiis, non *Servatium* I., sed II. coli. Rursus ad an. 451. num. IV. *& seq.* Henschenii opinionem refellere conatur, ex Pauli Diaconi Historia Metensium Episcoporum, nam ibi tradit Paulus, *Servatium* coævum fuisse *Auctori* Metensi, *Nicasio* Remensi, *Lupo* Tricassino, & *Aniano* Aurelianensi Præsulibus, quibus vigentibus, ut habet Flodoardus, contigit Attilana clades. *Servatius* II. ut est etiam auctor Gregorius Turonensis lib. II. cap. V. ad avertendam ingruentem Hunnorum cladem, Romam ad sepulchrum B. Petri Apostoli accessit, a quo accepit, Hunnos in Galliam venturos, sed *Servatium* e vita migraturum, antequam inspiceret mala quæ essent allaturi. A Martyrologiis elogium *Servatii* ex Gregorio Turonensi petitum esse putat, ac in ejusdem Gregorii textu *Arvatium*, pro *Servatio* scriptum esse. Hæc & alia sunt Pagii momenta adversus Henschenium. Ruinartius in notis ad lib. II. cap. V. Historiæ Gregorii Turonensis monet, in uno Corbejensi codice ab annis nongentis conscripto, totam hanc Gregorii narrationem contineri, paullo prolixiorem, eique præfixum esse titulum Vitæ *S. Servatii*. In codice *Servatium* semper vocari; ex quo infert, vel *Servatium*, binominem fuisse, aut certa tunc temporis *Aravatii* nomen in *Servatium* fuisse translatum. In libro item de gloria confessorum cap. LXXII. *Aravatius Trajectensis Episcopus* in nova editione retentus est, licet aliqui codices habeant *Servatius*, præsertim quum unus veterrimus codex S. Dionysii, sæculo VIII. scriptus, quem vidit Daniel Papebrochius, *Aravatius* legat. *Trajecti* nomine varia in Germania inferiore opida sunt, a trajectu fluminum *Scaldis*, *Mosæ*, ac *Rheni*. Quod ad *Scaldim* est, vulgo *Tricht* dicitur; quod vero ad *Mosam*, vulgo Germanorum *Ober-Tricht*, a Belgis *Ouder-Tricht*, nunc *Mastricht*, ac Latine, *superius Trajectum*. Quod ad *Rhenum* est, *Trajectum inferius*. Utraque civitas, scilicet *Trajectum ad Mosam*, ac ad *Rhenum*, antiquitus Episcopos habuit, nempe *Trajectum* ad *Rhenum*, vulgo *Mastricht*, postquam Tungrenses Episcopi eò sedem transtulerunt. *Tungris* enim ab Attila A. D. 451. deletis, Tungrenses Episcopi sedem *Trajecti* ad *Mosam* fixerunt. Hinc Scriptores aliqui *Servatium*, Trajectensem Episcopum dixerunt, inferiorum temporum ratione habita. Vide Valesium in Notitia pag. 559. & Henschenii Exegesim Historicam de Episcopatu Tungrensi & Trajectensi, præfixam tom. VII. Maji pag. XIX. Bucherium in Belgio Romano lib. XII. cap. VI. & lib. XV. cap. XIII. Quod autem in Corbejensi apographo legitur: *Trajecto porta in Gallia*, emendandum puto *ponte*. *In Gallia* vero ideo dictum autumo, quod ad Galliam Belgicam tum *Trajectum* spectaret. *Vicus Trajectensium* ab Adone nominatur, ac item basilica ad sepulchrum *Servatii* ædificata. *Vicus* modo, interdum *urbs*, ac *municipium*, & *castrum*, inquit Valesius loco memorato, *Trajectum* nuncupatur, quia in parte *Transmosana* Ubios versus, *Vicus* etiam nunc vocatur. *Vicum* dicit Eginhardus lib. IV. cap. XX. de translatione SS. Marcellini & Petri, ubi monasterii *S. Servatii confessoris* meminit. Florebat *in castro Trajecto* ad Mosam monachorum cœnobium c. An. Dom. 719. ubi Wando Abbas Fontanellensis, exul commorabatur; ac deinde post an. XXIII. Fontanellam redux, idest an. 742. *S. Servatii* reliquias secum detulit, ut habes apud Mabillon. Annal. Bened. lib. XXI. §. LXXI. Obiit S. *Servatius* juxta Henschenium A. D. 364., quem vide hac die pag. 209. *& seq.* ac selectiora consule apud Tillemontium tom. VIII. pagin. 382. *& seq.* Pro uno *Servatio* stat Baronius in Notationibus hac die, & ad ann. 451. n. XXXVIII.

In codicibus nostris superadditur hac die primo loco *Mucius* martyr, de quo vulgatus Ado silet, sed agit genuinus Usuardus, iisdem prorsus verbis, quæ in apographis nostris Adonianis leges. In vulgato Adone *Mucium* quum non reperisset Sollerius, sed apud Usuardum, non satis obvium est ei conjicere, unde Mucii elogium sumpserit; ac ex Actis in codice Reginæ Suecorum 569. qui fuit olim cœnobii S. Dionysii, ab Henschenio prolatis ad diem XI. *Maji* pag. 622., una cum eodem Henschenio sumpsisse arbitratur. Rogamus viros eruditos, num ex Adonianis fontibus petere potuerit elogium Usuardus. In aliis quoque codicibus Reginæ Suecorum, qui ad S. Dionysii cœnobium minime spectabant, nimirum in ao- *Mucii*.

dice 528. forte fæculi x. ubi pag. 87. legitur: *Passio sancti Mucii presbyteri, qui passus est in Amfibuli civitate sub Laudicio, & Maximo die tertio Idus Mai*. Acta habent: *Sub Laudicio & Maximo in anno quarto, Proconsulatum tenenti Lauditio de Europe* &c. usque: *cum gratia Domini nostri Jesu Christi* &c. Hæc sunt eadem illa Acta, quæ protulit Henschenius. In his Actis, ut animadvertit Sollerius, nonnulla carpit Tillemontius tom. v. pag. 640. quæ tamen levioris momenti esse videntur eidem Sollerio. Post Adonianos codices & Usuardum, nullus Latinorum veterum de eo meminit. Agunt autem de eo Græci in Menologiis ad vi. *Idus Maji*. Vide Baronii Notationes ad diem xiii. *Maji*, ubi plura de *Mutii* cultu apud Græcos, deque illius amplissima æde sacra per Justinianum Imperatorem condita. Vide etiam Cangium in Constantinopoli Christiana. Passus est Diocletianea persecutione. Quæ in Actis corrupto vocabulo *Amphibulis* dicitur, est *Amphipolis*, Macedoniæ urbs ad *Strymonem* fluvium, qui in orbem ibi decurrens, urbis ambitum utriusque cingebat, ut vel ideo *Amphipolis* appellata videatur, ut inquit Henschenius. Fuit clara Atheniensium colonia. De ea Thucydides lib. i. pag. 66. Herodotus lib. vii. cap. cxiv. Livius lib. xliv. cap. xlv. & Plinius lib. iv. cap. x.

Marcellini *Marcellinus*, seu *Marcellianus* Episcopus *Antisiodorensis*, extremo loco hac die a nostris codicibus memoratur. In Hieronymianis apographis colitur; & in apographo Florentinii *Marcellini*, in aliis *Marcelliani* legitur. Agunt præterea Gellonense, in quo corrupte *Marcellianus*, Martyrologium Fuldense, Reginæ Suecorum, Ottobonianum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Hagiologium Francogallicum. Præteritur a genuino Usuardo. At in tanta Martyrologiorum cohorte, quis genuino Adone, *Marcellinum*, seu *Marcellianum* indignum judicarit? Henschenius hac die in commentario pag. 203. obiisse *Marcellianum* tradit c. A. D. 314. postquam sedem illam rexisset annos xxxix. In Martyrologio Fuldensi successor S. *Peregrini* dicitur. De eo Henricus Monachus in Historia Episcoporum Antisiodorensium, ubi *Marcellianum*, non *Marcellinum* scribit.

---

14. *Maji*. *A. PRIDIE IDUS MAII.*

Pachomii. SANCTI Patris nostri Pachomii, qui cum esset factis Apostolicæ gratiæ insignis, fundatorque Ægypti cœnobiorum, scripsit monachorum regulas, quas Angelo dictante didicerat, simul & de tempore Paschali. Gennad. de viris illust. cap. 7.

Victoris & Coronæ. Ipso die in Syria, natalis Victoris & Coronæ, sub Antonino Imperatore, Duce Alexandriæ Sebastiano. Erat autem Victor miles a Cilicia, cui Sebastianus in confessione fidei confringi digitos, & evelli jussit ungues a cute, deinde illum in caminum ignis mitti, ubi triduo permanens, non est læsus. Deinde venenum bibere jussus, non est mortuus, sed veneficum potius ad fidem convertit. Postea jussum est, nervos corporis ejus tolli: deinde oleum bulliens mitti in pudendis ejus. Post hoc jussit lampades ardentes suspenso ad latera applicari: post hæc acetum & calcem simul misceri, & dari in ore: deinde oculos erui. Deinde triduo jussit capite * jusum suspendi; & dum adhuc spiraret, jussit eum excoriari. Tunc Corona cum esset uxor cujusdam militis, cœpit beatificare sanctum Victorem pro gloria martyrii. Et dum hoc faceret, vidit duas coronas de cœlo lapsas, unam Victori, & alteram sibi missam. Cumque & hoc cunctis audientibus protestaretur, tenta est a Duce, jussumque est duas arbores palmæ curvari ad invicem, & canabinis funibus ligari Coronam in utriusque manibus & pedibus, & sic arbores dimitti. Quod dum fieret, divisa est Corona in duas partes, & sic æternæ vitæ

* al. josum, id. deorsum.

vitæ coronam accepit. Erat autem XVI. annorum. Tunc quoque Victor decollatus, & ipse victoriæ perennis triumphum meruit.

Pontii. VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. & 514. ita incipiunt: „ In civitate Cimela, natalis sancti Poncii martyris, cujus prædicatione & industria, postquam conversi sunt duo Philippi Imperatores ad fidem Christi, ipse quoque sub Valeriano & Galieno principibus martyrii palmam adeptus est. In Africa, natalis sanctorum Victoris, & Coronæ sub Antonio (pro *Antonino*) Imperatore, duce &c. Ed. *deinde capite jusum suspendi*. Codices memorati: *deinde capite jussum suspendi*. Ed. *in utrisque manibus*. Codices: *inversisque manibus*. Ed. *in duas partes*, *& sic &c.* Codices: *in duas partes*. *Erat autem annorum* XVI. *Tunc quoque Victor decollatus, & ipse victoriæ perhennis* (sic) *triumphum meruit*. „

Pachomii. Eodem die, natalis, sancti patris nostri Pachomii, qui cum esset factus Apostolicæ gratiæ insignis, fundatorque Ægipti cœnobiorum, scripsit monachorum regulas, quas Angelo dictante

Bonifacii. didicerat, simul & de tempore Paschali. Eodem die, passio sancti Bonifacii martyris, apud Tarsum XIIII. die mensis Maji passi, Romæ Nonas Junii sepulti, quando & celebrior dies ejus agitur, ubi & ejus passio adnotata est.

Pachomii. ADNOTATIO. *Pachomius*, Tabbennensium monachorum pater celebratur hac die a Latinis vetustioribus, ut a Beda, Adone nostro, Usuardo, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, & Reginæ Suecorum. Verba: *angelo dictante didicerat*, & : *simul & de tempore Paschali* desunt apud Usuardum; at priora habentur in Martyrologio Fuldensi; utraque in Martyrologio Reginæ Suecorum. Paullo aliter est in Ottoboniano. Agunt & de eo hac die Græci. De regula ab Angelo *Pachomio* tradita Palladius in Lausiaca c. XXXVIII. De eo Gennadius de vir. illustr. cap. VII. *Pachomii* regulam monachorum primus *Romæ* Latine edidit *Achilles Statius* an. 1575. deinde ibi an. 1588. cura *Petri Cacconii* prodiit. Vide Baronium ad an. 404. n. CXXXV. Postremo *Romæ* quoque an. 1661. studio *Lucæ Holstenii*. Vita incerti auctoris, sed synchroni Græce, & Latina habetur apud Bollandianos hac die p. 295. *& seq.* A quibusdam Simeoni Metaphrastæ fuit adscripta. De ea Tillemontius tom. VII. pag. 167. *& seq.* Plura de Pachomio Rosvveidus in Vitis Patrum pag. 81. *& seq.* in commentario ad ejusdem Pachomii vitam a Dionysio Exiguo Latine versam. Obiit Pachomius c. A. D. 350. ut plerique recentiorum censent. Ab hac sententia abit Baronius in Notationibus hac die, ubi Sigebertum in Chronico sequi videtur, qui Pachomii obitum ad an. 406. refert.

Victoris & Coronæ. *Victoris & Coronæ* meminere hac die Hieronymiana apographa, quæ habent: *In Syria*, *Victoris militis*, *& Coronæ*. Corrupte in nostris codicibus legitur: *In Africa*. Agunt præterea Beda, Romanum parvum, Ado, Usuardus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Reginæ Suecorum, & Notkerus, in quibus illustre & prolixum horum martyrum elogium legitur. Meminere etiam Wandelbertus, Rhinovviense, Richenoviense, & Corbejense brevius. Acta recusa sunt apud Bollandianos hac die pag. 266. Habentur etiam in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 216. sed in his leguntur quæ censura & emendatione digna censentur viris eruditis, ac præsertim Tillemontio tom. II. pag. 624. Disputatur etiam de loco, ac martyrii tempore. Baronius in Notationibus, horum martyrum Acta edita a Metaphraste fuisse admonet; at in elencho Allatii, ubi de Vitis & elogiis ab eodem Metaphraste conscriptis, aut ei tributis, nihil habetur.

Pontii. *Pontius* martyr hac die principe loco recensetur, a vulgato Adone prætermissus, principe quoque loco habetur apud genuinum Usuardum; quocirca Sollerius scripsit, *Pontium* ignotum esse Martyrographis omnibus, & conjicit Usuardi elogium ex Actis, ab eodem Usuardo inventis, acceptum esse. Quid si ex Adonianis codicibus sumptum fuisset? Cæterum idem Sollerius ad Acta *Pontii Cemeneliensis*, vulgo *Cimiez*, ad Alpes maritimas, opidum, ea haud integra esse, imo suspecta, monet, ex Baronio ad an. 246. n. IX. Petavio de Doctrina temporum lib. XI. cap. XXV. ac ex Tillemontio tom. V. pag. 588. *& seq.* Ea expendunt Bollandiani hac die pag. 274. ac mite nimis judicium de iis ferri fatetur Sollerius. Certe Pagius ad an. 244. n. VI. ea veluti supposititia traducit, & multa iis addita a posterioribus profert. Vide v. c. Thomæ Vincentii Monelia Ordinis Prædicatorum Dissertationem de utriusque Philippi religione c. II. §. IV. p. 10.

Ex-

Bonifacius Extremo loco venit in nostris codicibus S. *Bonifacius* martyr, de quo vulgatus Ado die v. *Junii*, qua die quoque iterum codices nostri agunt; ut Usuardus, & alii plerique. Codices nostri hac die *natalem* ipsius, seu diem martyrii commemorare voluerunt, quod & in aliquibus Martyrologiis est etiam adnotatum. Gellonense hac die habet: *Romæ*, *Isidori*, *Bonifacii*. Ita quoque Augustanum, & Labbeanum. Martyrologium Ottobonianum, aliena manu ad extremum hac die præfert: *Et Bonifati*. Meminere præterea pleraque Usuardi Auctaria. Nos igitur cum vulgatis, & aliis, de *Bonifacio* ad diem v. *Junii* agemus.

---

15. Maji. *B. IDIBUS MAII.*

NATALE sanctorum confessorum Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indalecii, Cæcilii, Esitii, Euphrasii. Qui Romæ a sanctis Apostolis Episcopi ordinati; & ad prædicandum verbum Dei ad Hispanos, tunc adhuc gentili errore implicatos, directi sunt. Cumque ad civitatem Accitanam venissent, & propter laborem itineris modicum quiescentes, causa victus emendi discipulos in urbem misissent: mox paganorum multitudo, qui tunc forte diis suis festa celebrabant, eos usque ad fluvium persecuta est, in quo pons miræ magnitudinis & firmitatis extructus, transeuntibus sanctis, Dei nutu, cum omni persequentium multitudine funditus corruit. Ad quod miraculum ceteri territi, & cujusdam magnæ Senatricis Lupariæ (quæ divinitus inspirata, eos benigne suscipiens, credidit) exemplum sequuti, relictis idolis, Christo Domino crediderunt. Post hoc diversis urbibus evangelizantes, & innumeras multitudines Christi fidei subjugantes, Torquatus Acci, Ctesiphon Vergii, Secundus Abulæ, Indalecius Urci, Cæcilius Eliberri, Esitius * Cartesæ, Euphrasius Eliturgi quieverunt. Extat usque hodie illustre miraculum ad commendationem pretiosæ mortis eorum. Nam eadem solemnitate apud præfatam Accitanam urbem, ad sepulcrum sancti Torquati arbor olivæ divinitus florens, maturis fructibus onustatur. *Torquati & soc.*

* al. *Carceræ*;

Greg. Tur. de gloria Martyrum cap. 105. Apud insulam Chium, natalis S. Isidori martyris. In cujus basilica extat puteus, in quo & fertur injectus. De cujus aqua energumeni, febricitantesque, vel reliqui infirmi sæpius potati salvantur. *Isidori.*

Apud Lamasacum, passio sanctorum Petri & Andreæ, Pauli & Dionisiæ. *Petri & sociorum.*

VARIA LECTIO. Ed. *Torquati*, *Ctesiphontis*. Codices 511. 512. & 514.: *Torquati*, *Tysefontis*. Ed. *ad Hispanos*, *tunc &c.* Codices memorati: *ad Hispanias tunc &c. implicatas*. Ed: *Esitius*. Codices *Esicius*. Ed. *onustatur*. Codices: *honestatur*.

Ed.

Ed. *Apud Lamosacum &c.* Cod. 511. *In Mosace*; codex 513. *Amosaco*; codex 514. *Lamosaco, passio sanctorum Petri & Andreæ, Pauli, Dionysiæ, quorum miræ passiones leguntur.*

Torquati. & soc. ADNOTATIO. Hispaniæ Episcopi, quorum elogium, & nomina profert Ado, a nullo alio ex vetustioribus recensentur, ut animadvertit Sollerius, nisi a Romano parvo, in quo hac die legitur: *Torquati, Ctesiphontis, Secundi, Indalecii, Cæcilii, Esicii, Euphrasii, qui Romæ ab Apostolis ordinati sunt.* Ego vero judex esse nolo, num Ado ab auctore Romani parvi acceperit, an vero ex Actis. Illud cum Sollerio agnosco, Usuardum ex Adone eorum nomina accepisse, & ex his Notkerum. *Septem* numero Hispaniæ Episcopi hac die memorantur a Wandelberto. Mirum est in alia quoque Latinorum Martyrologis eorum nomina non fuisse derivata. Eorum Acta exhibentur a Bollandianis hac die pag. 444. *& seq.* Vide quæ scribat Tillemontius tom. 1. pag. 191. De horum Episcoporum veterrimo apud Hispanos cultu ex Breviario Mozarabum, & aliis, Baronius in Notationibus hac die, & Salazarius in Martyrologio Hispanico.

Isidori. *Isidori Chiensis* natalis hac die ante Adonem, a nemine inter Martyrolographos Latinos, ut scribit Sollerius, celebratur. Ex Adone sumpsere Usuardus, & Notkerus. Adde Martyrologium Fuldense. Agunt de eo Græci pridie hujus diei, & Gellonense, Augustanum, & Labbeanum. In Actis pervulgatis passus esse fertur *Gallo & Volusiano Coss.* sub *Numerio*, seu *Numeriano* magistro militum. Ea ex MS. Græco habes apud Bollandianos hac die pag. 449. *Gallus* cum *Volusiano* consul fuit A. D. 252. Acta Græca in elencho Vitarum & elogiorum Simeonis Metaphrastæ recensentur, sed illius non sunt. Celeberrimus semper apud Græcos hujus martyris cultus fuit. Actorum censuram vide apud Tillemontium tom. III. pag. 714.

Petri & soc. *Petri* & sociorum martyrum celebritas commendatur hac die a Hieronymianis, ab Adone nostro, Usuardo, Floro, & Notkero, & a Martyrologio Fuldensi. Confusa sunt inter alios nomina *Petri, Andreæ, & Dionysii* in Augustano, & Labbeano. Corbejense brevius habet: *Lazamace, passio sanctorum Petri, & Andreæ, Pauli, & Dionysii.* Librariorum lapsu martyrii locus mire corruptus est. Legendum *Lampsaci*, quæ est urbs minoris Mysiæ. Acta horum martyrum genuina & pura a Criticis censentur, nimirum a Tillemontio tom. III. pag. 392. *& seq.* & a Ruinartio, apud quem, locum inter Acta martyrum sincera habent pag. 146. *& seq.* De his Actis, & cultu Henschenius hac die pag. 452. *& seq.* Passi sunt c. A. D. 250.

C. XVII. KALENDAS JUNII. *16. Maji.*

Aquilini & Victoriani. APUD Isauriam, natalis sanctorum Aquilini & Victoriani, quorum gesta habentur.

Peregrini. Apud Autisiodorum, passio sancti Peregrini, Episcopi primi civitatis ipsius.

Maximæ. Et in pago Forojuliensi, vico, qui vocatur Calidianus, sanctæ Maximæ virginis, quæ multis clara virtutibus, in pace quievit.

Peregrini. VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. & 514. ita habent.
„ Autisiodoro, vico Baugiaco, passio sancti Peregrini Episcopi & martyris, „ qui a beato Sixto Romæ Episcopus ordinatus, cum omni ministrorum officio Galliam ad prædicandum verbum Dei gentibus ab eo missus est. Autisiodorum autem „ perveniens, cum multos ad fidem Christi ibidem convertisset, quodam die Interamnum perrexit, ubi tunc temporis diversorum numinum portenta venerabantur. „ Cumque cœpisset Christum publice prædicare, a ministris templorum tentus, & „ diversis suppliciis afflictus, deinde apud Baugiacum obscurissimo carceri mancipatus, ad ultimum capitis abscisione gloriosum complevit martyrium. Apud Hysauriam

Aquilini & Victoriani. „ riam (sic) natalis sanctorum Aquilini & Victoriani, quorum gesta habentur. In „ pago Tricassino, natalis sancti Fodili (codex 512. *Filodi*, codex 514. *Fidoli*), *Fidoli.* „ cujus vita & mors pretiosa gloriosis miraculis commendatur. Et in pago Foroju- *Maximæ.* „ liensi, vico qui vocatur Calidianus, natalis sanctæ virginis Maximæ, quæ multis „ clara virtutibus, in pace quievit. Deinde sequitur in codice 511. tantum, sed alie- *Honorati.* no charactere, & minus antiquo: *Ipso die, natalis sancti Honorati Episcopi & confessoris*. In codice 514. post extremum verbum: quievit, additur: *Ipsa die in* *Emmani.* *pago Carnotino prope cellum islare, nativitas sancti Emmani confessoris*.

Aquilini & soc. ADNOTATIO. *Aquilinus & Victor* hac die celebres sunt apud omnes ferme Latinorum. De his Hieronymiana, quæ ex more, *Isauriæ* provinciæ nomen corrumpunt. Agunt præterea Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, & Notkerus; de quibus Sollerius hac die in Usuardum. Rhinoviense habet: *In Isauria, Aquilini, Victoriana*. Richenoviense: *In Isauria, Victoriana*. Augustanum, & Labbeanum, mixtim cum aliis: *Aquilini, Eraclii, Victorini* (Labbeanum *Victoriani*). Corbejense brevius: *In Isauria, natalis sanctorum Aquilini, Victoriani*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *in Isauria, natalis sanctorum Aquilini, Victurinæ, quorum gesta habentur*. Ottobonianum: *In Isauria, natalis sanctorum Aquilini, & Victoriani*. In aliis, ut vides, *Victoriani* nomen in *Victorianam*, *Victurinam*, & *Victorinum* transformatum est. In plerisque etiam legitur, eorum gesta haberi; at hactenus desiderantur; nam Bollandiani socii hac die pag. 571. de his agunt ex Martyrologiis tantummodo. Incertum quoque est, quo tempore vixerint.

Peregrini. *Peregrinus* Autissiodorensis urbis primus Episcopus & *martyr*, vetustioribus pene omnibus Martyrologiis notus est, nimirum apographis Hieronymianis Epternacensi, Corbejensi, & Lucensi (licet a Florentinio inter Auctaria amandetur) Gellonensi, Rabano, Adoni, Usuardo, Wandelberto, Notkero, Richenoviensi, Labbeano, Hagiologio Francogallico, Martyrologio Reginæ Suecorum, & Fuldensi. Codices nostri longum elogium ex Actis producunt, ac item Martyrologium Fuldense. In plerisque ex memoratis Martyrologiis martyrii locus ita designetur: *viro Bajaco, Bajaco, & Baugiaco*. Memoratur etiam in nostris codicibus *Interamnum*. Bollandiani socii, qui hac die pag. 563. *& seq.* post Labbeum in Bibliotheca MSS. tom. I. p. 526. *& seq.* Acta protulerunt, & illustrarunt, existimant, *Vicum Baugiacum*, vulgo nunc *Boi* dici, & *Interamnum*, esse locum Vernacule *les Isles* appellatum. Valesius vero in Notitia Galliarum pag. 253. docet, *Intramnum*, *Interamnam*, seu *Interamnum*, de quo in Actis S. Peregrini, esse locum in finibus Senonum, & in diœcesi Autissiodorensi, vulgo *Antrain*. Acta Peregrini habentur etiam in codice Reginæ Suecorum 528. forte sæculi x. Gravis licet videantur, nonnulla in his displicent Tillemontio tom. IV. pag. 480. *& seq.* Missus esse dicitur in Gallias a *Sixto* II. Rom. Pont. Incertus est illius martyrii annus. Hac die martyrio eum perfunctum, Acta denotant.

Maximæ. *Maxima* virginis apud Forumjulii, Narbonensis Galliæ urbem, natalis celebratur hac die ab Adone primum, deinde ab Usuardo, & Notkero. Cæteri alii silent. Illius gesta & cultum, præeunte Josepho Anthelmio, illustrant Bollandiani socii hac die pag. 579. *& seq.* & in Appendice Maji pag. 777. Incertum est, quo tempore vixerit.

Fidoli. Memoratur hac die in nostris codicibus *Fidolus*, ab Usuardo genuino præteritus, sed aliis plerisque notus. Agunt enim de eo hac die Hieronymiana apographa, & præsertim Epternacense, quod Henschenius ad hunc diem p. 588. testatur ante annos mille fuisse scriptum. Agunt præterea Gellonense, Rabanus, Notkerus, Richenoviense, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. In his locus depositionis ejus, interdum est: *Civitate Trecas*, interdum: *Tricassino*, interdum: *in Trecasino*, seu *apud Castrum Tricassinum*, *in territorio Tricassinæ civitatis*, *& Tricassino pago*. Ipsius *Fidoli* nomen, barbarorum vitio varie etiam corrumpitur. Mirandum est autem, quum tot Martyrologiorum auctoritas fidem præbeat, cur a Mosandro & Rosweido inter Adoniana Auctaria *Fidolus* conjectus sit. Vitam proferunt Bollandiani socii hac die pag. 588. *& seq.* ibique monent, S. *Fidolum* fuisse Abbatem monasterii *S. Petri Trecensis*, ac obiisse c. A. D. 540. Mabillonius Annal. Bened. lib. II. §. XXXIV. *Fidolum* fuisse Abbatem *Trecensem* agnoscit, at annum mortis ejus incertum esse censet, hac vero die, certum. Factus est *Trecensis* Abbas c. A. D. 535. Fuit Arvernus natu, ac inter manubias a *Theodorico* rege a patrio solo abstractus, in Trecensem pagum abiit, *Aventini* Abbatis in agro Trecensi, qui inibi monachis præerat, disciplinam amplexus. Monasterium *Aventini* situm erat ad *Insulam*, opidum duabus leucis a *Tricassina* urbe dissitum, ad *Ozam* fluviolum. Ibi nunc est prioratus Molismensi cœnobio subjectus. Ejus reliquiæ in monasterio Cellensi apud Trecas asservantur. Ita Mabillonius memorato loco. A Gallis fuit *S. Fidolus*, *S. Fidol*, & *S. Fale* appellatus.

Ho-

Honorati. *Honoratus* Ambianensis Episcopus solis nostris codicibus, & Usuardi Auctariis cognitus est; alii hac die silent. Ejus Vita habetur apud Bollandianos socios hac die p.613. Mabillonius Annal.Ben.lib.v.§.XLIX.ex Carolo Cointio ad an. 555. narrat, inventa hoc anno fuisse corpora SS. *Fusciani* & sociorum martyrum, in pago Ambianensi sub Diocletiano interfectorum, quorum reliquias *Honoratus* Episcopus *Ambianensis*, præmonente Lupicino presbytero, elevavit. De ejus obitu nihil certi.

Emmani. *Emmanus*, seu *Emanus* hac item die ab uno ex nostris codicibus tantum memoratur. De eo quoque silet Usuardus genuinus. Agunt autem illius Auctaria, in quibus, modo *passio*, modo *natalis S. Emani* legitur. In cæteris vulgatis Martyrologiis altum silentium. Acta ejus & *Almari* martyrum ediderunt Bollandiani hac die pag. 596. Floruisse ferunt sæculo Christi VI. sub *Theodeberto* rege, ac martyrio una cum *Almare* coronatum fuisse, ex Actis colligunt. Varie ejus nomen, ut ibi monet Henschenius, effertur; nam idem est *Emanus*, ac is, qui scribitur *Almarus*, *Almarius*, *Aymericus*, & *Emericus*. Pagi Carnotini locus, qui *Sibernia* vocatur, ubi Ecclesiam construxit *Emanus*, memoratur in Vita cap. II. De *Islera* castro Valesius in Notitia pag. 255. Est locus, inquit, in Carnutibus, vulgo *Illiers*, ad Lidericum flumen, non longe ab *Avallocio*, *Bonavalle*, atque *Castroduno*. De eo Fulbertus Carnotensis in Epistolis ad Robertum regem. In codice Colbertinæ Bibliothecæ exstabat Wideberti libellus de passione S. *Emani*, quo in libello *Emanus* Cappadox Romam venisse fertur, *Leone* summo Pontifice, deinde Mediolanum; mox in Galliam ad Augustodunensem urbem, *Nectario* illius civitatis Episcopo: postremo *Carnotum*, sub *Theodeberto* Francorum rege. Ibi Ecclesiam apud *Saberniam* vicum erexit. A latronibus cæsus est una cum sociis suis *Maurilio*, & *Almario*, in vicinia *Islaris cellæ*, ubi sepulti sunt. Hæc ex his Actis. Cæterum in codice nostro Adoniano *confessor* appellatur; Vide Mabillon. Annal. Bened.lib.XLVI.§.XCVIII. ad an. 965.

D. XVI. KALENDAS JUNII. 17. *Maji.*

Torpetis. IN Tuscia, natale sancti Torpetis martyris sub Nerone principe. Hic magnus in officio Cæsaris Neronis fuit, & a beato Antonino presbytero baptizatus, & in fide Christi eruditus est. Hunc Nero cum cognovisset esse Christianum, tradidit cuidam propinquo suo Satellico, ut impelleret eum sacrificare. Sed cum spiritu Dei confortatus, & in fide fundatus, vir beatus immobilis permaneret, fecit eum Satellicus alapis cædi, & ligatum ad columnam tamdiu verberibus affici, quousque sanguis guttatim de corpore ipsius deflueret. Sed subito dum Martyr cæderetur, columna cadens, oppressit Judicem, & quinquaginta cum eo viros. Inde tentus a ministris, positus est in rota. Postea feris objicitur a filio Satellici, nomine Sylvio, sed minime ab his læsus. Cujus constantiam & virtutem quidam consiliarius Neronis Evellius nomine inspiciens, Christo credidit. Ac post paululum baptizatus, decollatus est in urbe Roma V. Kalendas Maji, martyriique honore coronatus. Sed & beatus Torpes, jubente Sylvio foras civitatem Pisanam ductus, decollatione martyrium suum complevit III. Kalendas Maji. Hujus corpus ministri sceleris impositum pene fractæ & cariosæ navi, simulque canem & gallum projecerunt in decursum fluminis. Apparens autem Angelus Domini cuidam venerabili feminæ, cujus nomen Celerina, monuit, ut perquireret Martyris corpus & sepeliret. Quod illa celerius complens, inventum cum omni reverentia sepelivit, & de

de facultatibus suis, cessante persecutione, ecclesiam miro opere supra construxit. Agitur festivitas Martyris & conventus civium XVI. Kalendas Junii.

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. & 514. de Torpete egerunt III. *Kal. Maji*. Iidem codices hac die ita incipiunt:

Papiæ. „ Apud Hierapolim, beati Papiæ, qui Johannis Apostoli auditor, Polycarpi autem „ condiscipulus & consodalis fuit. Et in Tuscia, depositio corporis beati Torpetis mar„ tyris. Hic magnus &c. Ed. *a beato Antonino*. Codices: *a beato Antonio*. Ed. *martyrique honore*. Codices: *martyrii honore*. Ed. *& sepeliret*. *Quod &c.* Codices: *sepelivit* XVI. *Kal. Junii*, *& de facultatibus &c.* Ed. *martyris & conventus civium* XVI. *Kal. Junii*. Codices: *martyris celebrior & conventus civium* XVI. *Kalend. Junii*.

Torpetis. ADNOTATIO. *Terpes*, celebris *in Tuscia* martyr, non uno eodemque die e vetustis Martyrologiis colitur; alia enim de eo agunt die XXIX. *Aprilis*, quo die martyrium subiit; alia die XXIX. *Martii*; alia hac die XVII. *Maji*. Codices nostri utroque die agunt. Brevius tamen de eo elogium afferunt die XXIX. *Aprilis*, quam hac die. De *Torpete* silent Hieronymiana apographa, Beda, Florus, & Wandelbertus. In Romano parvo primum *Torpetis* encomium obvium esse, censet Sollerius. Romanum ergo parvum hac die habet: *In Tuscia, Torpetis martyris sub Nerone*. Rabanus prolixiori encomio *de Terpete* agit die XXIX. *Martii*, sed quæ Acta præ oculis habuerit, non percipit Sollerius; quia hujusmodi elogium longe abest ab Adoniano, quod ex aliis Actis derivari conjicit Sollerius. Adonem brevibus ex more complexus est hac die Usuardus genuinus, Notkerus vero ad verbum ferme Adonem secutus est. Usuardi Auctaria agunt die XXIX. *Aprilis*. Eadem die agit Martyrologium Fuldense, brevi quidem elogio, sed ex Adone decerpto. Acta, eruditorum omnium generis judicio, mendosa sunt, & incerta. Ea discussa, & expensa a Papebrochio, habes apud Bollandienos hac die XVII. *Maji* pag. 7. *& seq.* ubi etiam Dissertatio de cultu & reliquiis Sancti Torpetis. Vide Appendicem Maji pag. 792. Censuram aliam apud Tillemontium leges to. II. pag. 495.

Papiam Episcopum *Hierapolitanum* iterum hac die commemorant codices nostri, licet de eo die XXII. *Februarii* egerint. Memoratur quoque hac die XVII. *Maji* in Auctario Usuardi Centulensi. Vide porro, quæ de *Papia* ad diem XXII. *Februarii* dicta sunt. *Papiæ.*

---

18. *Maji.* D. XV. KALENDAS JUNII.

Dioscori lectoris. APud Ægyptum, natalis sancti Dioscori lectoris: in quem Præses multa & varia tormenta exercuit, ita ut ungues ejus effoderet, & lampadibus ejus latera inflammaret: sed cælestis luminis fulgore territi ceciderunt ministri. Novissime laminis ardentibus adustus, martyrium consummavit.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. & 514. habent: *In Ægipto, passio sancti Dioschori lectoris &c.* In eisdem codicibus post verbum: *consummavit*, sequitur:

Felicis. „ Ipso die, natalis sancti Felicis Episcopi, qui apud Spellatam (sic) urbem sub Ma„ ximiano Imperatore palmam martyrii adeptus est.

Dioscori. ADNOTATIO. *Dioscorus* lector, & martyr apud Ægyptum, colitur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Adone, ex quo ad amussim Usuardus, & Notkerus. Agunt præterea hac die Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, in quo urbs *Anacypolis*,

fis, ad locum martyrii designandom, memoratur. Forte est *Andropolis*, ad extimam ripam Canopici fluminis posita. Maminere quoqua hac die Rhinoviense, Richanoviense, Augustanum, Labbeanum, & Martyrologium Reginæ Suecorum. Wandelbertus de uno *Dioscoro* martyre, hac dia maminit. Acta nusquam hactanus raperta sunt; quare ex Martyrologiis taatum, de ao agunt hac dia Bollandiani focii pag. 145. incertum est quo tampore martyr obiarit.

Felicis. *Felix* Episcopus & martyr apud *Hispellatem* urbem additur a nostris codicibus hac dia, a vulgatis præteritus. Commemoratur autem aisdem verbis a genuino Usuardo. Hinc Sollarius pro carto babet, *Felicem* Martyrographis omnibus, Usuardo vetustioribus, prorsus ignoratum essa. Adonianum codicem S. Laurentii, in quo *Felix* hac die memoratur, additamentum esse censet, a recentiore aliquo dascriptora ex Usuardo acceptum. An vero idem dicendum est de tribus nostris Adonianis codicibus, qui non a recentiore aliquo, sed vateri descriptore transcripti sunt? Quis argo non inferat, ax nostris codicibus Adonianis *Felicem* potius proflaere, quam ex Usuardo; & Usuardum more suo Adonis alogium delineasse? Alia item ax nostria codicibus conjectura eorum evertitur, qui *Felicem* ad urbem *Spoletanam* pertrahunt. Aperta codices *Spellatam urbem* præferunt, barbara orthographia quidam, sed qua *Hispelli* in Umbria urbs designatur. *Spellatem* quoque retinet Usuardus genuinus. Fucum argo multis fecit Belinus, qui in vulgato Usuardo amendavit *Spoleti*, & ubi ad oram legitor in vulgatis Martyrologiis; *Spalati*; nam hunc *Felicem*, ut monet in Notationibus hac dia Baronius, Spalatenses in Dalmatia sibi vendicant. *Hispellates* oppidani etiam nunc hunc Felicem Episcopum & martyrem, ut patronum colunt. Vide intarim Henschenii commantarium, ejusque Acta hac dia pag. 167. *& seq.* & Tillamontium tum. v. pagin. 133. Pro *Hispello*, non *Spoleto*, iidem stant.

F. XIV. KALENDAS JUNII. *19. Maji.*

ROMÆ, natalis sanctæ Pudentianæ, vel Potentianæ virginis, *Pudentianæ.* quæ illustrissimi generis, Pudentis discipuli sancti Pauli Apostoli filia fuit: cujus mater Sabinella, soror vero Praxedis: quas piissimus pater earum Pudens in omni religione Christi erudivit, virginesque Christo reliquit. Quæ post obitum sancti Patris in omni exercitatione pietatis ita excreverunt, ut nocte dieque incessanter hymnis & orationibus cum familia sua Domino inservirent, beatissimo Pio urbis Episcopo cum eis in laudibus Dei participante. Remunerationem igitur pro piissimis laboribus suis percepturæ, quos per gratiam Christi fructuose consummaverant; post innumeros agones, post multorum martyrum venerabiliter exhibitas sepulturas, post omnes facultates suas in visceribus pauperum inclusas, Christoque fideliter commendatas, tandem de terris ad Christum migraverunt: Potentiana venerabilis quartodecimo Kalendas Junii, posita in cœmeterio Priscillæ via Salaria: Praxedis vero virgo æque sanctissima duodecimo Kalendas Augusti, & ipsa cum sorore juxta patrem sanctum Pudentem posita.

Eodem ipso die, beatissimi Pudentis patris supra nominatarum virginum, qui ab Apostolis Christo in baptismo vestitus, innocentem tunicam usque ad coronam vitæ immaculate custodivit & servavit. *Pudentis.*

Item Romæ, natalis sanctorum Caloceri & Partheni eunu- *Caloceri, & Partheni.*

chorum uxoris Decii Imperatoris: qui cum essent, unus præpositus cubili, alter primicerius, nolentes sacrificare idolis, a Decio occisi sunt. Corpora eorum juxta viam Appiam posita xiv. Kalendas Junii.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. & 514. incipiunt: *Romæ natalis sanctæ Potentianæ virginis. Hæc fuit filia Pudentis nobilissimi viri, discipuli sancti Pauli Apostoli. Cujus mater Sabinella, soror vera* (sic) *Praxedis. Quas piissimus pater earum in omni religione erudivit &c.* Ed. *Christoque fideliter*. Codices: *Christo quoque fideliter*. Ed. *juxta viam Appiam positi* xiv. *Kalendas Junii*. Deest in memoratis codicibus xiv. *Kalend. Junii*.

Pudentianæ. ADNOTATIO. *Pudentiana*, seu ut in plerisque apographis habetur *Potentiana*, colitur hac die a Beda, Romano parvo, Gellonensi, Rabano, Adone, Usuardo, Wandelberto, Notkero, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Martyrologio Reginæ Suecorum, Ottoboniano, Fuldensi, Kalendario Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Silent Hieronymiana. De cultu ejus veterrimo in urbe sacra, nos abunde erudiunt libri Liturgici S. R. E. & vetustissimus *titulus Pastoris*, seu ejusdem S. *Pudentianæ* Ecclesia ad collis Viminalis radices. Quod autem ad libros Liturgicos pertinet, abest quidem hac die Missa *in natali S. Pudentianæ* a Sacramentariis Gregorianis Reginæ Suecorum 337. & ab Ottoboniano, ab Angeli Rocchæ, & Menardi Sacramentariis; sed in Sacramentario Pamelii exhibetur pag. 295. & ibi recitantur orationes, quæ leguntur in *natali S. Agnetis secundo*. Sacramentarium quoque Palat. Vat. 495. orationes ad Missam *in natali S. Potentianæ*, hac die habet, a Pamelianis diversas, imo in his *virgo & martyr* dicitur. Earum prima est: *Deus, qui nos hodie*. Secreta: *Hostias*. Ad complendum: *Adjuvent nos*. Easdem orationes in Missa hujus diei exhibet Missale plenarium Vatic. 4770., in cæteris ad Commune virginum amandat; & Antiphonarius liber S. Gregorii apud Cardinalem Gentilem, ut habes tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 505. ad Antiphonas, ut in die S. *Luciæ*. In quibusdam ergo Sacramentariis *Pudentiana*, & *virgo*, & *martyr* dicitur, latiori significatione, martyris voce accepta, quod scilicet *permultos agones* perpessa esset. Martyrologium quoque Reginæ Suecorum in hujus diei enunciatione, pro *natalis*, habet: *passio sanctæ Potentianæ virginis*. Mirandum quoque est, quod in Martyrologio Ottoboniano legitur hac die, corrupta orthographia: *In Gerthulia, natalis sanctæ Potentianæ virginis*. Sed fortasse mirandum non est; nam S. Gregorius lib. II. epistol. XXXIII. meminit de Ecclesia S. *Pudentianæ* in Numidia. Huc forte respiciens Martyrologii auctor, *Pudentianæ* natalem in *Getuliam*, *Numidiæ* obversam transtulit. Hodie vero Ecclesia Romana *Pudentianam* ut *virginem* tantum colit. Licet autem in Sacramentariis Gregorianis vetustioribus desideretur Missa hac die de S. *Pudentiana*, in Capitularibus tamen Evangeliorum veterrimis, de quibus tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 261. Evangelium de eadem *Potentiana* ponitur; quare mirari subit, cur a Sacramentariis probæ vetustatis absit. Quod autem ad Ecclesiam *S. Pudentianæ*, seu *titulum Pastoris* pertinet, post ea, quæ Baronius de domo *Pudentis* Senatoris, discipuli S. Petri in Ecclesiam conversa, enarrat ad an. 57. n. CI. ad an. 115. num. IV. ad an. 162. num. II. & ad an. 165. num. III. consule Fontaninum in Historia literaria Aquilejensi lib. II. cap. II. ubi adversus aliorum opinationes ostendit, titulum *Pudentis*, & *Pastoris*, in unam Ecclesiam S. *Pudentianæ*, in vico *Patricii*, nempe in Via, quæ collem Viminalem ab Exquiliis dividit, positam, coaluisse. Hi duo tituli nondum in unum coaluerant sub sæculi quinti finem, nam separatim recensentur in Synodia Romanis sub Symmacho. Acta jamdiu pervulgata, rursus edita, & a Papebrochio sedulo discussa, habes apud Bollandianos hac die pag. 296. *& seq.* In his permulta esse, quæ emendari possint, viri eruditi norunt. Hermæ Pastoris nomine hæc Acta, inquit Baronius ad an. 159. num. VIII. & ad an. 164. num. XXIV., censentur; quare Fontaninus, memorato loco, ea inter dubia Pastoris opera enumerat. At acrius hæc impetuntur a Tillemontio to. II. pag. 615. *& seq.* In Actis *Pudentiana* juxta patrem suum *Pudentem* in cœmeterio Priscillæ via Salaria deposita fuisse dicitur. Hujus autem & Praxedis corpora a S. Pastore sepulta fuisse narrat codex Lateranen. apud Antonium Bosium in Roma subterranea lib. I. c. XI. De SS. *Pudentiana*, *& Praxede*, olim via Salaria quiescentibus, Notitia veterrima apud Eccardum Historiæ Franciæ Orientalis tom. I. pag. 831. ubi de martyribus juxta viam Salariam sepultis. Utrumque titulum, idest S. *Praxedis*, & S. *Pudentianæ*

dentianæ, restituit Paschalis I. Romanus Pontifex, & ornavit. Qua de re Bollandiani, hac die pag. 299. 300. & die XVII. *Junii* pag. 286. ac die XXI. *Julii* pag. 130., & alii.

Pudentis. Post *Pudentianam* Ado *Pudentem* Senatorem, ejusdemque patrem subjicit, de quo item ex Adone Usuardus; cæteri alii silent. Papebrochius ad hanc diem duos *Pudentes* distinguit, alterum seniorem, SS. Petri & Pauli Apostolorum hospitem, alterum juniorem, sanctorum *Novati*, *Timothei*, *Praxedis*, & *Pudentianæ* patrem. Hi duo hactenus in unum conflati fuerant. Alteruter *Pudens*, & quidem *martyr* fortasse est, inquit Fontaninus, qui in Kalendario Carthaginensi III. *Kal. Maji* memoratur. De *Pudente* Senatore a Græcis agi ad XVIII. *Kal. Maji* admonet Baronius in Notationibus hac die.

Calocerii, & Parthenii. De *Calocero* & *Parthenio* agunt omnia Latinorum Martyrologia, sed non omnia uno eodemque die, imo in quibusdam eorum celebritas variis diebus memoratur. Agit in primis Kalendarium Bucherianum hac die, his verbis: *Parthini & Caloceri, in Callisti. Diocletiano* VIIII. *& Maximiano* VIII. *Coss.* Quid horum Augustorum consulatus hic sibi velit, inferius dicemus. Agunt præterea apographa Hieronymiana, tum hac die, tum die XVIII. *Aprilis*. Meminere de his die XI. *Februarii* Beda, Rabanus, & Wandelbertus. Notkerus agit die XVIII. *Aprilis*, & rursus die XIX. *Maji*. Gellonense, & Martyrologium Reginæ Succorum die XI. *Februarii*, & XIX. *Maji*, ac etiam die XVII. *Maji*, ubi corrupte: *Romæ, via Salutaria, natalis sanctorum Partheni, Gallæ, Clori, Primi*. Rabanus de his iterum hac die XIX. *Maji*. Richrnoviense ad diem XVIII. *Aprilis*, & XIX. *Maji*. Labbeanum, & Martyrologium Ottobonianum, die XI. *Februar.* & XIX. *Maji*. Die vero XIX. *Maji* tantum, agunt Romanum parvum, & præter alios jam recensitos, Martyrologium Fuldense, Augustanum, Ado noster, & Usuardus genuinus. Exstat Romæ in porticu Ecclesiæ S. Silvestri in capite antiqua marmorea tabula, quæ inscribitur: *Notitia natalitiorum sanctorum hic requiescentium*. Ibi legitur: *Mens. Feb. die* XI. *natalis sanctorum Caloceri & Parthenii*. In pervulgatis Actis passi dicuntur XIIII. *Kalendarum Juniarum, Decio Augusto & Grato Coss.* quod esset A.D. 250. Horum autem martyrum Acta, quæ medica manu sanare conatur Papebrochius in commentario hac die p. 301. 302. acriter impetuntur a Tillemontio to. V. p. 64. & 617. Id unum de his martyribus singulare videtur in apographis Hieronymianis, quod præter morem, aliquid habeant de horum martyrum gestis; quum nuda martyrum nomina, & martyrii locum tantum, ut plurimum exhibeant. Quod autem, monente Sollerio, Papebrochius Bucheriani Kalendarii laterculum, ubi de his martyribus hac die, prætererit, adscripsit postea manu sua, ut idem Sollerius testatur, ad hunc diem, & monuit, verba Kalendarii Bucheriani intelligenda esse de translatione aliqua A. D. 304. in locum tutiorem. Florentinius in notis pag. 444. censet, alios ejusdem nominis martyres esse, qui sub Diocletiano passi sint. Mirum mihi videtur, cur martyres illi synonymi Diocletianea persecutione, eadem die martyrium fecerint, qua alii duo sub *Decio* passi coluntur. Horum reliquiæ, seu corpora, ut quædam monumenta produnt, variis in locis exstare dicuntur; nam tabula marmorea in Ecclesia S. Silvestri, *Calocerum & Parthenium* ibi requiescere docet; alia tabula in Ecclesia S. Sixti ad Appiam viam, ibi etiam eorundem martyrum corpora quiescere admonet. Notitia vetusta apud Eccardum, de qua sæpe alias, ubi de martyribus ad Appiam viam quiescentibus verba facit, post S. *Ceciliam*, *Tarsicium*, *Gerrinam*, *& Eusebium*: *Calocerum, & Parthenium* recenset. In Sabinis quoque eorum corpora esse feruntur. Id autem de eorundem reliquiis varias in Ecclesias delatis, accipiendum esse puto.

Nomina, *eunuchorum*, *præpositi cubiculi*, & *primicerii*, quæ in horum martyrum Actis leguntur, quæque negotium facessere videntur, in aula Cæsarum jam pridem fuerunt. *Eunuchi*, non hoc nomine, sed *spadones* appellati, prægustatorum officio fungebantur, ut liquet ex Suetonio in Claudio cap. XLV. & ex Tacito Annal. lib. IV. Elagabalus mancipium eunuchorum fuit, quare eos de ministerio suo abjecit Alexander Severus, ut habet Lampridius in ejusdem Alexandri Vita c. XXIII. XXXIV. & LXVI. Post Alexandri Severi tempora in Palatinam domum inducti sunt. De *Eunuchis* in domibus etiam privatorum Vopiscus in Aureliano cap. XLIX. Ex hac Eunuchorum colluvie, aliquando pretiosissimæ gemmæ prodierunt, ut inquit Laurentius Pignorius in libris de Servis pag. 179. 180. Inter has gemmas enumerat *Nereum & Achilleum*, *Calocerum & Parthenium*, *Joannem & Paulum*. *Præpositi cubiculis* occurrunt apud Suetonium in Domitiano cap. XVI. ubi *Parthenius cubiculi præpositus* memoratur. Præfectus cubiculi C. Cæsaris memoratur item a Philone in legatione ad Cajum. Huc facit lapis apud Pignorium in libris de Servis pag. 232. & Capitolinus in Pertinace cap. IV. Hujusmodi *præpositi sacri cubiculi*, interdum *eunuchi* appellabantur, ut in leg. 17. Cod. Theod. de pœnis. *Primicerius sacri cubiculi* præerat omnibus cubiculariis. De eo Cod. Theod. leg. I. qui a præbit. tiron. & Cod. leg. 2. de Præpositis sacri cubiculi. Plura de *Primiceriis* vide apud Baronium in Notationibus hac die.

20. *Maji*. *G. XIII KALENDAS JUNII.*

Basillæ. ROMÆ via Salaria, natalis sanctæ Basillæ virginis & martyris Christi. Quæ cum esset ex genere regio, & haberet sponsum illustrissimum nomine Pompejum, per beatam Eugeniam & sanctos Dei viros * Protam & Hyacinthum conversa ad fidem, accusata est a præfato sponso suo quod esset Christiana. Decrevit continuo Gallienus Augustus, qui tunc Christi persequebatur Ecclesiam, ut aut sponsum reciperet, aut gladio interiret. Conventa de hoc, respondit, se Regem regum sponsum habere, qui est Christus filius Dei. Et cum hoc dixisset, gladio transverberata est. De ea in gestis S. Eugeniæ 25. Decembr.

* Al. *Protum*.

Baudelii. Eodem die in Galliis, civitate Nemauso, natalis Baudelii martyris: qui a paganis deorum suorum sacrificia celebrantibus comprehensus, cum sacrificare nollet, & in fide Christi immobilis inter verbera & tormenta persisteret, martyrii palmam pretiosa morte percepit. Greg. Tur. de gloria Mart. c. 78.

VARIA LECTIO. In codicibus 511. 512. & 514. post verbum: *transverberata est*, sequitur: *In civitate Nemauso, natalis sancti Baudilii martyris &c.* ut in editis. Post verbum: *morte percepit*, sequitur in eisdem codicibus:

Austregisili. „ Bituricas, natalis sancti Austregisili Episcopi & confessoris. Hic cum esset „ Guntranni regis mapparius, sæculi vanitate postposita, totum se Dei servicio man„ cipavit. Nam beatum Aunarium Autisiodorensis Ecclesiæ Antistitem, qui tunc tem„ poris inter Episcopos, vitæ meritis, & miraculorum gloria nobilissimus habebatur, „ expetens ab eo, in Dei rebus instructus, clericus effectus, atque subdiaconus or„ dinatus est. Qui postmodum Dei agente providentia, ad Episcopatum perveniens, „ clarus miraculis in pace quievit. Apud Autisiodorum in basilica sancti Germani, „ dedicatio subteriorum criptarum. Et in occidentali parte ejusdem basilicæ, conse„ cratio oratorii sancti Johannis Baptistæ.

Dedicat. cryptar. S. Germani.

Basillæ. ADNOTATIO. *Basilla*, apud aliquos *Basilissa* appellata, colitur hac die via Salaria ab apographis Hieronymianis, a quibus *Basilissa* dicitur, a Romano parvo, Gellonensi, Adone nostro, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, & Martyrologio Reginæ Suecorum, Kalendario Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Elogium Adonis de *Basilla* ex Actis S. Eugeniæ profluit, quæ corrupta & mendosa esse agnoscunt omnes, ac præsertim Papebrochius hac die pag. 173. *, & in Responsionibus ad art. XVI. num. 91. In veterrima Notitia apud Mabillonium Analect. tom. IV. pag. 500. *Basilissa in via Pincia* sepulcrum esse perhibetur, una cum SS. *Pamphilo*, *Proto*, *Hiacyntho*, & *Hermete*. Paullo post pag. 514. eadem *Basilissa*, & *Pamphilus* via Salaria reconditi dicuntur. Quæ autem antiquitus *via Salaria* dicebatur, deinde *Piacia* dicta est ex Porta vulgo Pinciana. In alia Notitia apud Eccardum *S. Basilessa* (pro *Basilla*, seu *Basilissa*) in Basilica S. *Hermetis* juxta viam Salariam quiescere dicitur. In Kalendario Bucheriano *Basillæ* cœmeterium non semel occurrit, sed Florentinius, & Papebrochius, *Basillam* in Bucheriano, eam esse putant, quæ die XI. *Junii* in Hieronymianis colitur. De *Basillæ* cœmeterio Anastasius vulgatus in vita Adriani I. ex quo Aringhius Romæ subterraneæ lib. IV. cap. XXXIV. Translatum fuisse S. *Basillæ* corpus a *Paschali* Papa I. in Ecclesiam S. *Praxedis*, nos docet lapis in eadem Ecclesia positus.

Baudelii. *Baudelius*, insignis apud Nemausum Galliæ urbem martyr, vulgo apud Gallos S. *Bau-*

S. Baudille; apud Hispanus Catalonenses *S. Boils*, colitur hac die a Hieronymianis, quanquam ejus nomine desormato, dum scribunt *Saudeli*, *Haudeli*, & his similia, pro *Baudelii*. Ado ex Actis sumpsit illius elogium, & ex eo ad verbum Notkerus: paucioribus verbis illud contraxit Usuardus. Agunt præterea de *Baudelio* hac die Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum. Rhinoviense agit his verbis: *In Galliis*, *Baudeli martyris*. Ita Richenoviense. *Baudilli* nomen mixtim cum aliis hac die occurrit in Labbeano. Martyrologium Reginæ Svecorum habet: *In Galliis*, *civitate Nemauso*, *natalis sancti Baudilii martyris*. Incertum est quo tempore passus fuerit. Acta ex codicibus protulerunt ad hanc diem Bollandiani socii pag. 194. *, & agunt item in Appendice Maji pag. 419. Ea in plerisque mendosa esse, monent, quod & fecit Tillemontius tom. IV. pag. 724. Præferendum ante omnes Gregorium Turonensem in lib. de glor. martyr. cap. LXXVIII. iidem agnoscunt.

Austregisili. S. *Austregisilus*, vulgo *S. Oatrille*, præteritur a vulgato Adone, uberi vero elogio ornatur a nostris codicibus: paucissimis verbis Usuardus genuinus rem complectitur; nam habet tantum: *Bituricas. beati Austregisili Episc. & conf.*. Sollerius ad hunc locum, de *Austregisilo* non meminisse Adonem, nec eo antiquiores affirmat; additamentum esse in apographo Lucensi Hieronymiano, quia in aliis apographis Hieronymianis desideratur. Num recte opinetur, videamus. Licet autem appendicis loco *Austregisili* nomen in apographo Lucensi positum sit, exemplar tamen illius Martyrologii, quod Lucæ vidit Mabillonius, ut ipse testatur, Musei Italici tom. I. pag. 186. octingentos annos superare videtur; quare appendix illa ante Adonem scripta erat. Agunt de *Austregisilo* hac die præter Notkerum, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum. Ipsemet Sollerius in Præfatione ad Martyrologia Hieronymiana contracta, ubi num. XI. & XIII. de Richenoviensi, & Augustano verba facit, ea non esse postbabenda Martyrologio Gellonensi censet. Adde autem Martyrologium Fuldense, ex Adone, & Usuardo conflatum, & seculo X. scriptum, ut præfert specimen characteris in codice Reginæ Suecorum 441. Ibi quoque hac die *Austregisilus* memoratur, ut & Martyrologio Ottoboniano, & in Hagiologio Francogallico. Quum ergo vetera quædam monumenta ante Adonem scripta, & quæ illum imitari soleant, in Fastis Martyrologicis *Austregisili* nomen adscripserint, genuino Adoni illius enunciatio, certo quodam jure auferri non debet. Illius res gestæ, & Acta edita sunt a Bollandianis hac die pag. 228. *, & in Appendice Maji pag. 820. item a Mabillonio sæculo II. Benedictino pag. 66. *& seq.* De ejus etiam gestis multa paucis complexus idem Mabillonius Annal. Bened. lib. VIII. §. XXX. ad an. 590. narrat, *Austregisilum*, Guntchramni regis mapparium, hoc est, mappam regi manus lavanti præbentem, repetundarum apud eundem regem falso insimulatum, deprecatore Atherio, viro inter aulæ optimatas acceptissimo ipso regi, usum, impetrasse, ut clericali militiæ adscriberetur. Voti compos factus est, quare ab *Aunarbaris*, seu *Aunario* Episcopo clero initiatus, & Subdiaconus postmodum creatus, ad Ætherium Lugdunensem Episcopum accessit, a quo presbyter & Abbas S. Nicetii Episcopi & confessoris basilicæ præfectus est. Ex Abbate S. Nicetii factus est Episcopus Bituricensis A.D. 612. post mortem *Apollinaris* Episcopi, ut adnotat Mabillonius in eisdem Annalibus lib. X. §. LVI. Ex hac vita migravit A. D. 624. hac die XIII. Kal. *Junii*, ac justa illi persolvit *Rauracus* Nivernensis Episcopus, & sepelivit in basilica suburbana, quæ postmodum *S. Austregisili* dicta est: inde ortum *Bituricense*, seu *S. Austregisili* monasterium. Ita Mabillonius, ut supra lib. XI. §. XLI. De *Austregisili* gestis & obitu vide Pagium in Critica Baroniana ad an. 612. n. V. *& seq.*

Dedicatio cryptarum basilicæ S. Germani, & consecratio oratorii *S. Johannis* Evangelistæ, neque Adoniano Martyrologio, neque aliis Martyrologiis, quibus in more est, ut nomina sanctorum, eorumque elogia describant, apte convenire videtur. At aliquando ejusmodi enunciationes in Martyrologiis etiam vetustioribus occurrunt. Non autem in eorum sententiam lubenter discederemus, qui putarent, hæc alicui Adoniano apographo apud Autisiodorenses monachos addita fuisse. Verum hæc eadem eisdem propemodum verbis leges in Martyrologio Fuldensi, quod esse Adonis & Usuardi epitomen quandam, Henschenius nos docuit. *Ded. crypt. S. Germani. Et consecr. oratar. S. Jo: Evang.* De *basilica S. Germani* munifice ornata a *Desiderio* Episcopo *Autisiodorensi* Hericus monachus sæculi noni apud Labbeum Bibliothecæ novæ MSS. tom. I. ex quo Mabillonius Annal. Bened. lib. XI. §. XXXIV. Ibi §. XXXV. ex Nevelone monacho de baptisterio S. Johannis baptistæ, S. Germani basilicæ conjuncto, hæc proferuntur: XVI. *Kal. Maji. In Autisiodoro Galliæ*, *dedicatio baptisterii*, *quod est juxta basilicam S. Germani confessoris*, *ubi conditæ sunt reliquiæ sancti Johannis Evangelistæ*. *De hac dedicatione item Corbejense brevius ad XVII. Kal. Maji.* De reliquiis SS. *Urbani* Papæ, ac *Tiburtii* Autisiodorum delatis A. D. 862. & *in cryptis S. Germani* reconditis, idem qui supra Hericus monachus de miraculis S. Germani cap. XII. & ex eo Mabillonius Annal. Bened. lib. XXXV. §. CII. De nova crypta S. Germani a *Conrado* Comite condita A. D. 859. in clivo montis ad orientem, deque veteri basilica, quam Chrothildis regina olim ædificaverat, miro cryptarum opere ab eodem Comite, ope S. Germani, oculorum morbo sanato, ornata, idem Hericus, ex quo item Mabillon. in Annalibus lib. XXXV. §. XLVIII. Si quis autem Adoni supposita hæc esse censuerit, haud inviti reluctabimur.

A. XII.

21. *Maji.* *A. XII. KALENDAS JUNII.*

Timothei, & soc. IN Mauritania Cæsariensi, natalis sanctorum Timothei, Polii, & Eutychii diaconorum: qui apud præfatam regionem verbum Domini disseminantes, pariter coronari meruerunt.

Polyeucti, & soc. Item apud Cæsaream Cappodociæ, natalis sanctorum Polyeucti, Victorii, Donati.

Valis. VARIA LECTIO. Ed. *Eutychii diaconi*. Cod. 511. 512. & 514. *Euticii diaconi*. Post verbum *meruerunt*, sequitur in eisdem codicibus: *Autissiodoro, depositio sancti Valis* (codex 512. *Vitalis*) *presbyteri & confessoris*. Natalis SS. *Polyeucti, Victorii, Donati*, desideratur hac die in nostris codicibus.

Timothei, & soc. ADNOTATIO. De *Timotheo* & sociis agunt pleraque Latinorum Martyrologia hoc die, sed fere nomine tenus, & aliquando duo tantum ex eis enumerantur. In Hieronymianis legitur: *In Mauritania, Timothei, Poli, Eutici diaconi*. In Romano parvo: *In Mauritania Cæsariensi, Timothei, Polii*, omisso *Eutichio*. Ado, & Usuardus sibi mutuo in elogio horum martyrum respondent, nec abit Notkerus, si vocem *civitate* Mauritaniæ Cæsariensi additam, demas. Wandelbertus *Polium*, *Eutychium*, atque *Timotheum* memorat. Rhinoviense habet: *In Mauritania, Timothei. Et Ravenna, Martyrii, Poli, Eutici*. Ita Richenoviense. Augustanum: *Timothei, Poli, Euni*, sine ulla loci designatione. Labbeanum: *Timothei, Polyeucti, Victuri, Donati*. Corbejense brevius: *In Mauritania, Timothei, Puali, Euci diaconi*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Mauritaniis, natalis sanctorum Timothei, Eutici diaconi*. Ottobonianum: *In Mauritania, natalis Timothei, Poli, & Eutici diac.* Ex tanto anfractu egressi, discimus tamen tres numero hos martyres esse, quorum unus, nempe *Eutychius*, seu melius *Euticius*, diaconus erat. Cæterum incertum est quando passi sint. De his ex Martyrologiis tantum, quia Acta non inveniuntur, agunt hac die Bollandiani pag. 4.

Polyeucti, & soc. Codices nostri *Polyeuctum* cum sociis prætereunt; de quibus Hieronymiana apographa, quæ tamen *Palicutum*, pro *Polyeucto* scribunt. Agunt autem Ado vulgatus, & ex eo Usuardus genuinus, & Notkerus. Augustanum hac die mixtim cum aliis meminit *Veturi, Donati*. Die crastina *Polyeucti*. Ita quoque utroque die Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum ita habet: *Cæsarea Cappadociæ, natalis sanctorum Donati, Primi, cum aliis xv.* Ottobonianum: *In Cæsarea Heli, Eberti, una die martyrio coronati*. Forte hic legendum est *Polieucti*. Ex Actis nihil percipi potest, quia non exstant, quocirca ex Martyrologiis horum encomium illustrant Bollandiani hac die pag. 5.

Valis. *Valis* presbyter & confessor, vernacule in Galliis *S. Valez*, a nostris codicibus vulgato Adoni additur; de quo quidem Ado Mosandri, sed a Rosvveido in Appendicem detrusus est. Idne recte factum sit, an secus, videamus. De eo agunt hac die Hieronymiana. Epternacense quidem his verbis: *Civitate Antisiodora, depositio Valentis presbyteri*. Lucense, quanquam ut putat Florentinius, inter Auctaria: *In civitate Autissiodorensium depositio Pauli & Anteon. Quadrati, & Beati Valeri presbyteri & confessoris*. Corbejense Dacherii: *In civitate Antisiodoro, depositio B. Valis presbyteri & confessoris*. Ita quoque Rabanus. Ante Rabanum ita meminit Gellonense: *Valis confessoris*. Silet genuinus Usuardus: sed ejus Auctaria vetustiora apud Sollerium habent: *Antisiodora, sancti Valis presbyteri & confessoris*. Augustanum & Labbeanum: *Valis conf.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *Et in civitate Antisiodora, depositio beati Valis presbyteri & confessoris*. Martyrologium Fuldense: *Antisiodara, depositio sancti Valis Episcopi & confessoris*. Postremo Notkerus: *Antisiodoro, depositio beati Valis presbyteri, a quo nostrates æstimo nomen Valentis mutuatos*. Itaque Martyrolographi, & Adone antiquiores, & ei suppares, de *Vale* hac die agunt, quare sine injuria genuino Adoni abjudicari non posse videtur. Utrumne *Valis* idem sit, ac *Valens* Episcopus & martyr, de quo hac die Auctoria Usuardi, Wandelbertus, vulgatus Beda, Rhinoviense, Richenoviense, & aliæ vetustæ tabulæ apud Bollandianos hac die pag. 7., disquirit ibidem Henschenius, atque testimonium Notkeri expendit, censetque per vocem *nostrates*, ab eo defi-

designari *Augienses*, qui a S. Galli cœnobio non longe dissiti erant. At apertius de *Valente* Episcopo & martyre apud Augienses monachos culto loquuntur Wandelberti versus, qui sunt:

Præsul & hac martyrque Deo Valens venerandus,
Augia, te lætis ducit per gaudia votis.

Demum Kalendarium Vat. 3806. hac die: *In cœnobio Augiense sancti Valentis martyris.* Molanus, Galesinius, & Martyrologii Romani emendatores vulgatum Bedam & alios secuti, *Valentis* nomen retinuerunt, *Vale* omisso; & Henschenius opinatur in veterrimis Martyrologiis per errorem scriptum esse *Valentem* loco *Velis*, in qua sententia est etiam Castellanus in Martyrologio universali hac die. Videant alii, quo pacto Wandelbertus, & alii *Episcopum & martyrem Valem* dixerint, si *Valis*, & *Valens* synonymi sunt; aut *Valens Episcopus & martyr* corrupte, pro *Vali presbytero & confessore* scriptum est. Nobis satis est demonstrasse, *Valem* genuino Adone dignum esse.

B. XI. KALENDAS JUNII. 22. Maji.

IN Africa, SS. Casti & Æmilii, qui per ignem passionis martyrium consummaverunt. Scribit Cyprianus in libro de lapsis. *Casti & Æmilii.* (Cypr. de lapsis, c. 6.)

Eodem die apud Corsicam, S. Juliæ, quæ crucis supplicio passa est. *Juliæ.*

VARIA LECTIO. Ed. *qui per ignem passionis &c.* Cod. 511. 512. 514. *qui ut scribit beatus Ciprianus in libro de lapsis, per ignem passionis martyrium consumarunt.* Cod. 512. post verba: *consumarunt*, addit: *Civitate Engolisma sancti Ausonii martyris atque Pontificis.* Sequitur in codicibus 511. 512. & 514. *Autisiadoro, natalis sanctæ Elenæ virginis, quæ sicut in gestis sancti Amatoris Episcopi legimus, & multimoda meritorum, quæ crucis supplicio coronata est.* *Helenæ.* *Ausonii.*

Deest in memoratis codicibus hac die natalis *sanctæ Juliæ.*

Casti & Æmilii. ADNOTATIO. *Casti & Æmilii* in Africa martyrum, post Cyprianum in libro de lapsis, cap. VI. celeberrimi sunt in veterrimis Ecclesiasticis tabulis. Agunt autem de eis hac die Kalendarium veterrimum Carthaginense, Hieronymiana, licet confuse, Beda genuinus, Romanum parvum, Gellonense, Ado noster, Usuardus, Rabanus, Wandelbertus, & Notkerus. His adde Martyrologium Reginæ Suecorum, Ottobonianum, & Fuldense. Insignem de iis Augustini locum protulit Tillemontius tom. III. pag. 126. Ex Cypriano agunt Bollandiani socii hac die pag. 119.

Juliæ. *Julia martyr*, Carthaginensis natu, quæ deest hac die in codicibus nostris, celebratur hac die a vetustioribus omnibus Latinorum, quanquam vitiosi aliquid in apographis quibusdam, amanuensium oscitantia, legatur. De ea igitur in primis nonnulla apographa Hieronymiana ita habent: *In Corsica insula, natalis Juliæ.* Apographum vero Lucense habet: *In Corsica insula, passio S. Juliæ.* Adonis elogium fere ad verbum exscribunt Usuardus, & Notkerus; nam ubi Ado habet: *Crucis supplicio passa est*, Usuardus legit: *Crucis supplicio coronata est.* Martyrologium Fuldense ita præfert: *Et apud Corsicam, natalis sanctæ Juliæ, quæ crucis supplicio coronata est.* Ottobonianum: *In Corsica insula, passio sanctæ Juliæ.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Corsica, passio sanctæ Juliæ.* Richenoviense, & Labbeanum: *In Corsica, Juliæ.* Augustanum, *Juliæ*, tantum. Corbejense brevius: *In Corsica insula, passio S. Juliæ virginis.* Consentiunt igitur fere omnes Martyrographi de cultu S. Juliæ virginis & martyris hac die. Acta supersunt, quæ discussit Papebrochius, & protulit ad hanc diem pag. 168. quæ mendosa in aliquibus ei visa sunt, statuitque illius martyrium fuisse sexto, vel septimo Christi sæculo. Baronius ad an. 440. n. XVI. nullo alio duce, nisi vulgato Adone Mosandri usus, in quo longum de Julia elogium, a Rosvveido in Appendicem amandatum, *Juliæ* martyrium ad Africanam Genserici regis persecutionem, quæ fuit A. D. 440. refert. Papebrochius vero ad A. D. 616. quando Carthago a Persis capta est. Ruinartius emendatiora Acta de S. *Julia* nactus, ea ad fidem Bollandianæ editionis restituit, edidítque in Historia Persecutionis Vandalicæ P. II. cap. V. pag. 453. & quanquam scripta non sint ab iis, qui rei gestæ interfuerunt,

fuerunt, fide tamen digna censet. Ex his Actis discimus, *Juliam* post captam Carthaginem ductam fuisse in *caput Corsicæ*, vulgo *Capo Corso*, & *Eusebio* cuidam, civi Palæstinæ traditam, qui *Juliam* Diis sacrificare, blanditiis & minis petentans, illam fortiter recusantem, cruci affigi jussit. De *Juliæ* martyrio divinitus præmoniti monachi insulæ Gorgoniæ, confestim in Corsicam appulerunt, de cruce *Juliæ* corpus deposuerunt, secumque illud deferentes, *Gorgoniæ* sacrum corpus condiderunt. Hæc ex his Actis. *Juliæ* corpus deinde studio Desiderii Longobardorum regis, hortatu *Ansæ* reginæ uxoris ejus, & *Aldagisii* filii, Brixiam, ubi in honorem S. Salvatoris, Ecclesiam, & monasterium ædificaverat, cui se Ansilberga filia ejus mancipare statuerat, translatum c. A. D. 760. fuisse dicitur. De hac translatione testes suppares non proferuntur. De origine hujus monasterii agit Sigonius in libris de regno Italiæ ad an. 759. & ex eo Mabillonius Annal. Bened. lib, XXIII. §. III. Exstant de hoc Brixiensi monasterio *Desiderii* & *Adalgisii* Langobardorum regum diplomata, itemque Apostolicæ *Pauli* I. Romani Pontificis sanctiones in Bullario Casinensi tom. II. pag. 6. *& seq.* in his tamen Ecclesia ipsius monasterii nondum SS. *Salvatoris* & *Juliæ* nomina præferebat, sed S. *Salvatoris* tantum, ut ex iis sanctionibus liquet. Postmodum monasterium S. *Salvatoris*, seu *S. Juliæ* dici cœpit.

Unus ex nostris Adonianis codicibus, si-
Ansanii. gnatus n. 511. *Ansonium* apud *Engolismam*, Episcopum & martyrem colit. De quo fere omnia vetera Martyrologia silent; sed agunt recentiores Ecclesiasticæ Gallicanæ Historiæ scriptores, & Martyrolographi. Nonnulla de eo præmonent Bollandiani socii hac die pag. 131. A Vandalis interfectus esse fertur c. A.D. 270. Ejus gesta habes apud anonymum monachum, qui sub annum 1159. Historiam Pontificum & Comitum Engolismensium scripsit, quam edidit Labbeus tom. II. Bibliothecæ novæ MSS. De *Ausonio*, primo Engolismensium Episcopo Concilium Lemovicense, A.D. 1031. habitum.

Helena virgo *Antisiodorensis* additur hac die in codicibus nostris, quanquam mendo librarii, aliquid erroris præfertur extremis illis verbis: *quæ crucis supplicia coronata est*. *Helenæ.* Hæc pertinent ad *Juliam*, non ad *Helenam*, quæ virgo tantum est, non martyr. Supplenda ergo sunt ex Martyrologio Fuldensi, in quo post *multimoda meritorum*, sequitur, *virtute claruit, & miraculis effulsit*. Agit autem de ea hac die genuinus Usuardus, his tantummodo verbis: *Antisiodoro, Helenæ virginis*. In Adonianam Appendicem rejecta fuit a Mosandro & Rosvveido. At memoratur in Hieronymianis illius *depositio & translatio*, id tamen inter Auctaria esse referendum censet Henschenius in Actis hac die pag. 152. Verum enim vero agunt alia Martyrologia eaque optimæ vetustatis. Gellonense hac die habet: *Romæ, Faustini, Venusti* &c. *Antisiodoro Helenæ virginis*. Richenoviense: *Antisiodoro Helenæ virginis*. Meminere Augustanum, & Labbeanum. Martyrologium Fuldense: *Antisiodoro, natalis sanctæ Helenæ virginis, quæ sicut in gestis sancti Amatoris legitur, & multimoda meritorum virtute, & miraculis effulsit*. Est hoc ipsum Adonianum nostrorum codicum elogium, imo emendatius. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Antisiodoro, depositio sanctæ Helenæ virginis*. Hagiologium Francogallicum: *Antisiodoro, Alemanæ* (pro *Helenæ*) *virginis*. Hieronymianum Corbejense agit ad diem insequentem, his verbis: *In civitate Antisiodorensi, depositio, & translatio corporis sanctæ Helenæ virginis*. Ita præferunt die XXII. Maji alia apographa Hieronymiana. Agit denique Notkerus. Post hæc quis recta opinabitur, ignotam & præteritam fuisse Adoni genuino *Helenam* Antisiodorensem, quum & ante eum, & apud eos qui illum exscribere solent, nota sit, & quum Antisiodorenses sancti tam accurate ab illo memorentur? *Helena* virgo floruisse dicitur sæculo Christi V. *Amator* obiit c. A. D. 418. Ei superstes fuit *Helena*, sed quamdiu, ignoratur.

---

23. Maji.

C. X. KALENDAS JUNII.

Desiderii. APUD Linguones, passio sancti Desiderii Episcopi, qui cum plebem suam ab exercitu Wandalorum vastari cerneret, ad Regem eorum, pro ea supplicaturus exivit: a quo statim jugulari jussus, pro ovibus sibi creditis cervicem libenter tetendit, & percussus gladio, migravit ad Christum. Percussor vero ejus mox amentia correptus interiit. Sepultus est ibidem beatus Martyr, in basilica juxta urbis muros: quod fidelium populus a Christo ei commissus, præcipuo ipsius amore, & pia devotione ad

ad tutelam civium fieri procuravit. Passi sunt autem cum eo & plures alii de numero gregis sui, & apud eamdem urbem conditi.

VARIA LECTIO. Ed. *Sepultus est ibidem beatus Martyr, in basilica juxta urbis muros: quod fideliter &c.* Cod. 511. *Sepultus est ibidem martyr beatus in basilica intra urbis muros, quam fidelium &c.* Codices 512. & 514. ut in editis.

Desiderii Episc. Lingon.

ADNOTATIO. *Desiderium* Episcopum *Lingonensem* & martyrem perspicuis verbis, accedente etiam codicum nostrorum consensu, colit Ado hac die, non *Desiderium* Episcopum *Viennensem*, de quo codices nostri Adoniani agunt die XI. *Februarii*, ut ibi ostendimus. Non eadem vero est Martyrologiorum omnium consensio, in quibus, aut per errorem, aut librariorum vitio, aut duo *Desiderii* eorumque Acta in unum commiscentur, aut *Lingonensis* loco, *Viennensis* statuitur. Eorum verba, ut quisque mature ea perpendat, in medium affero. Apographum Hieronymianum Lucense inter Auctaria, ut vult Florentinius, habet hac die: *Et passio Desiderii Episcopi & martyris*. Ita apographum Corbejense, omisso tamen *martyris* titulo. Rabanus eadem habet, quæ apographum Lucense. Ex his nihil aliud, nisi *Desiderium Episcopum & martyrem* agnoscimus, utrum vero *Lingonensis* sit, an *Viennensis*, non percipitur. Beda, & Romanum parvum hac die vacant. Gellonense ita præfert: *Vienna, Desiderii Episcopi*. Ita quoque habet Rhinoviense. Richenoviense: *Et Vienna Desiderii Episcopi & martyris*. Augustanum & Labbeanum: *Desiderii Episcopi*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Vienna, passio sancti Desiderii Episcopi cum aliis* VII. Itaque Gellonense, Richenoviense, & Martyrologium Reginæ Suecorum *Desiderium* Episcopum *Viennensem* hac die recolunt. De *Desiderio Viennensi* quoque agit hac die Florus. His accedit Notkerus, qui ut jam præmonuimus, Acta utriusque *Desiderii* permiscuit. At audiamus Hagiologium Francogallicum, in quo hac die ita legitur: *Apud Lingones passio sancti Desiderii Episcopi. Hic cum plebem suam ab exercitu Wandalorum vexari cerneret, pro ea supplicaturus exiens, statim jugulari est jussus: passi sunt autem cum eo & alii plures de numero gregis sui, & apud eandem urbem coronati sunt*. Eadem ferme sunt verba Martyrologii Fuldensis, sed propius accedunt elogio Adonis. Ad verbum ferme Adonem describit Usuardus genuinus. Unum *Desiderium* Episcopum *Lingonensem* agnoscit hac die Wandelbertus. Kalendarium Vat. 3806. hac die habet: *Sanctorum martyrum Desiderii Episcopi, Sulpicii, & Serviliani*. De quo *Desiderio* sermo sit, non patet. At patet ex Adone, Usuardo, aliisque Martyrographis, quare ab Adone de uno tantum *Desiderio* Episcopo *Lingonensi* ac martyre agi hac die perspicuum est; de alio *Desiderio* Episcopo *Viennensi*, die XI. *Februarii*. Quæ in vulgato Adone Mosandri ad oram legebantur de *Desiderio* Viennensi Episcopo, recte in Appendicem amandata sunt; neque est mirandum, si Baronio fucum fecerunt, nam nonnisi Adonem Mosandri præ manibus habuit, & vulgatam Bedam, vulgatumque Usuardum, in quibus *Desiderius* Viennensis permixtus erat cum *Lingonensi*, quare mitius agendum cum eo fuerat a Florentinio, ut & mitius cum Adoniano textu a Sollerio, ubi ait, in Martyrologio suo Adonem de *Desiderio Viennensi* non meminisse. De utroque *Desiderio* agunt hac die Bollandiani socii, & utriusque Acta proferunt pag. 252. *& seq.* Confer S. Gregorium M. lib. IX. epist. XLVIII. ubi *Desiderium* Viennensem coarguit, quod Grammaticam, adhuc Episcopus doceret. Ea de re vide Gregorium Nazianzenum epist. XXX. Adi etiam, si lubet, de *Desiderio Viennensi* vitam S. Columbani apud Mabillonium sæculo II. Benedictino p. 26. num. 54. De alterutro ex his *Desideriis* vide Gregorium Turonensem de glor. mart. cap. LX. Passus est *Desiderius* Episcopus *Lingonensis*, dum in Gallias barbari irrupissent, quod ad eam cladem pertinere arbitratur Baronius in Notationibus hac die, de qua Hieronymus in epistola ad Ageruchiam. Neque abit ab hujusmodi sententia Tillemontius tom. XI. pag. 648. dum putat, cæsum fuisse *Desiderium* Episcopum Lingonensem A. D. 407., contra ac sensit Henschenius, qui *Desiderium* martyrio coronatum fuisse censet c. A. D. 264. Martyrologium Ottobonianum, ne quid prætermittamus, ad diem XXV. *Maji* habet: *Bienna, passio sancti Desiderii Episcopi*. Meminit ea die *Desiderii Episcopi* Augustanum. Labbeanum quoque habet: *Desiderii martyris*, tantum. *Desiderii martyris* item hac die meminere Gellonense, & Kalendarium Vat. 3806. Henschenius in Prætermissis hac die pag. 3. de quo *Desiderio martyre* in Augustano, quod solum vide-

rat, mentio fiat, ignorat. Videtur esse inquit, aut *Lingonensis*, aut *Viennensis*. Si Ottobonia-no fides est, erit *Viennensis*, nempe aliqua illius translatio.

---

14. *Maji*.

D. IX. KALENDAS JUNII.

Manahen. NATALIS S. Manahen, Herodis tetrarchæ collactanei, doctoris & prophetæ sub gratia novi Testamenti, apud Antiochiam in Christo quiescentis. Act. 13.

Joanna. Item beatissimæ Joannæ uxoris Chusæ procuratoris Herodis, quam commemorant Evangelistæ. Lucæ 8. & 24.

Vincentii. Item in Portu Romano, natalis sancti Vincentii martyris.

Donatiani & Rogatiani. In Gallis, civitate Nannetis, natalis SS. martyrum Donatiani & Rogatiani fratrum. Greg. Tur. de gloria Mart. c. 60.

Zoelli, & soc. In Histria, natalis sanctorum Zoelli, Servilii, Sylvani, & Dioclis.

VARIA LECTIO. Ed. *uxoris Chusæ*. Cod. 511. 512. *uxoris Chuzæ*. Codex 514. *Chuzæ*.

Rogatiani & Donatiani. Ed. *In Galliis, civitate Nannetis &c.* Cod. 511. 512. & 514. *In Galliis, civitate Nannetis, beatorum martyrum Rogatiani & Donatiani fratrum, qui pro constantia fidei in carcerem missi, & in eculei catasta suspensi ac laniati, deinde lancea militari perfossi, novissime capita eorum præcisa sunt.*

In eisdem codicibus deest natalis sanctorum *Zoelli, Servilii, Sylvani, & Dioclis*.

Manahen. *Joanna.* ADNOTATIO. In divinarum Scripturarum libris nomina *Manahen*, & *Johannæ* illustria in primis sunt; scilicet de *Manahen* mentio est in Actibus Apostolorum cap. XIII. 1. & de *Johanna*, Lucæ cap. VIII. 3. & XXIV. 10. In tabulas Ecclesiasticas, tam *Manahen*, quam *Johanna* referri primum videntur ab Adone, deinde ab Usuardo, & Notkero, eodem apud eos elogio. De utriusque cultu, & elogiis Bollandiani hac die pag. 272. & 273.

Donatiani & Rogatiani. *Donatianus*, & *Rogatianus* fratres, ac martyres in urbe Galliarum Namnetica, celebres quoque sunt in fastis Ecclesiasticis hac die. Agunt enim de iis Hieronymiana, Gellonense, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium Reginæ Suecorum, Ottobonianum, Fuldense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Kalendarium Vat. 3806. Eorum elogium ex Adonis codicibus, non ex Actis, ut adnotavit Sollerius, sumpsit Usuardus. Nam ad verbum Usuardinum elogium ex nostris codicibus acceptum est. Acta tanquam genuina habentur a Ruinartio pag. 294. & a Tillemontio tom. IV. pag. 491. & 732. ubi tamen aliquid caussatur. De his meminit Gregorius Turonensis de glor. martyrum cap. LX. Passi sunt judicio Ruinartii initio persecutionis Diocletianeæ. Vide Henschenium ad hunc diem pag. 279. 280.

Zoelli, & soc. *Zoelius* & socii omittuntur a codicibus nostris, habentur tamen apud Usuardum genuinum, & alios. Si quid autem lapsus est Usuardus, dum: *In Istria*, pro *Syria* posuit, hic tamen Adonis lapsus non est, qui de iis non meminit. Agit in primis de his martyribus hac die, Sollerii judicio, Romanum parvum his verbis: *In Istria, Zoelli, Silvani*. Sequuntur Usuardus, & Notkerus. Apud Usuardum legitur: *Apud Histriam, sanctorum martyrum Zoelli, Servilii, Felicis, Silvani, & Dioclis*. Hic additur *Felix*, qui in vulgato Adone deest. Rhinoviense hac die habet: *In Istria, Servuli. Et in Africa, Saturnini. In Syria, Saturæ, Timini*. Ita Richenoviense, in quo post *Timini* additur. *Item, Saturnini, Felicis*. Augustanum: *Servuli, Saturnini, Vincenti, Zeli*, sine ullo indicio loci. Labbeanum: *Servoli, Saturnini, Zoeli, Vincenti*. Corbejense brevius: *In Histria, natalis sanctorum Zebelli, Servuli. In portu Romano, natalis sancti Vincentii*. Martyrologium Ottobonianum: *In Istria, Zebelli, & Servuli. In Syria, Zoeli, Saturi, Timini*. Ex depravata Martyrologiorum lectione exortæ sunt tantæ ambages. *Servulus* quidem

passus

passus est *Tergestæ*, quæ *Histriæ*, seu *Istriæ* urbs est. *Servuli* Tergestini Acta habentur, de quibus Bollandiani socii hac die pag. 277. Ea nos quoque vidimus in codice Canonicorum Forojuliensium. Horum exordium est: *Temporibus illis; erat quidam adolescens habitans in civitate Tergestina nomine Servulus &c.* In fine: *Martyrizatus est autem beatus Servulus famulus Christi die* VIIII. (supple *Kal.*) *Junii. Regnante Domino nostro Jesu Christo*. Bollandiani *Servulo* adjungunt *Zebellum*, & *Secundianum*. Adscribunt vero pag. 282. *Syriæ* hos martyres, nimirum *Zoelum*, *Saturum*, *Timinum*, *Saturninum*, *Servilium*, *Felicem*, *Silvanum*, *Portunum*, *item Zoelum*, *Striam*, *Dioclam*, *&* *Maximinum*. Hinc emendandum esse Martyrologium Romanum, in quo *in Istria*, pro *Syria* legitur, monuerunt Florentinius, & Henschenius.

E. VIII. KALENDAS JUNII. 25. *Maji*.

De eo in gestis sanctæ Ceciliæ 22. Novembr. — ROMÆ via Numentana, in cœmeterio Prætextati, natalis sancti Urbani Episcopi & martyris. Cujus doctrina, sub persecutione Alexandri, multi martyrio coronati sunt. *Urbani*.

Ambrosius epist. 82. ad Vercell. — Mediolani, S. Dionysii Episcopi & confessoris. Qui ab Imperatore Constantino Ariano, apud Cappadociam pro fide Catholica damnatus exilio, ibidem requievit. Reliquias corporis ejus, per sanctum Basilium præfatæ urbis Episcopum receptas, beatus Ambrosius condigno honore condidit. *Dionysii*.

Eodem die apud Mœsiam, civitate Dorostoro, natalis sanctorum martyrum Passicratis, Valentionis, & aliorum duorum coronatorum. *Passicratis, & soc.*

Pontificale cap. 14. — Romæ, Eleutherii Papæ. Hic accepit epistolas a Lucio Britannico Rege, ut per ejus mandatum Christianus fieret. Sepultus est juxta corpus beati Petri Apostoli. *Eleutherii Papæ*.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. & 514. ita incipiunt:
„ Romæ, natalis sancti Urbani Papæ & martyris, cujus doctrina sub persecutione
„ Alexandri multi martyrio coronati sunt. Hujus venerabile corpus post multorum an-
„ norum curricula, largitione Nicholai Papæ, simul cum ossibus Tiburtii martyris in
„ Galliis (sic) est translatum, & in basilica sancti Germani apud Autisiodorum, digna
„ cum veneratione reconditum. Mediolani, natalis sancti Dionysii Episcopi, & confes-
„ soris &c. ut in editis. Ed. *ibidem sepelivit. Reliquias &c.* Codices: *ibidem primo requievit, sed post reliquias corporis ejus per sanctum Basilium.*

Ed. *Eodem die apud Mœsiam &c.* Codices memorati: *Apud Mœsiam, civitate Dorostoro, sanctorum martyrum Passecratis, Valentionis, & aliorum duum simul coronatorum. In territorio Tricassino, sancti Leonis confessoris & monachi, qui adeo se divinis mancipavit obsequiis, ut etiam miracula per illum Dominus operari dignatus sit.* *Leonis*.

Deest in his codicibus hac die natalis S. *Eleutherii* Papæ.

Urbani Papa. — ADNOTATIO. In fastis omnibus Latinorum, nempe in Martyrologiis, & libris Liturgicis colitur hac die *S. Urbanus* Papa. Hieronymiana apographa ita habent: *Via Numentana, milliario octavo, natalis Urbani Episcopi*. Apographum Corbejense loco *milliarii octavi*, habet *milliario nono*, & loco *Urbani Episcopi*: *sancti Urbani Episcopi & confessoris, cujus doctrina multi martyrio coronati sunt*. Beda genuinus una cum duobus apogra-

graphis Bibliothecæ Palat. Vat. 833. 834. *Romæ, natale Urbani Papæ & confessoris, cujus doctrina multi martyrio coronati sunt.* Romanum parvum: *In cœmeterio Prætextati, sancti Urbani Episcopi & martyris.* Gellonense: *Romæ, Urbani Papæ.* Rabanus: *Sancti Urbani Papæ & confessoris, cujus doctrina multi martyrio coronati sunt.* Ado vulgatus, & Usuardus: *Romæ, via Numentana, natalis beati Urbani Papæ & martyris, cujus doctrina sub persecutione Alexandri multi martyrio coronati sunt.* Notkerus: *Romæ, via Numentana in cœmeterio Prætextati, nativitas sancti Urbani Papæ & martyris, cujus doctrina sub persecutione Alexandri* &c. ut in aliis, deinde ejus vulgatum decretum addit de non respuenda a christianis quacumque esca rationabili. Rhinoviense, & Richenoviense: *Romæ, Urbani Episcopi.* Augustanum & Labbeanum: *Romæ, Urbani Papæ:* Corbejense brevius: *Urbani Papæ.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, sancti Urbani Papæ, cujus doctrina multi martyrio coronati sunt.* Martyrologium Fuldense: *Romæ natalis, sancti Urbani Papæ & martyris.* Ottobonianum: *Romæ, natalis sancti Urbani Papæ.* Kalendarium Palat. Vat. 485. *Natalis Urbani Papæ & martyris.* Kalendarium Vat. 3806. *Romæ, S. Urbani Papæ & martyris* XVII. Wandelbertus quoque *Urbanum* Papam & *martyrem* hac die recolit. Habes Martyrologiorum omnium consensum de cultu *S. Urbani* Papæ, Romæ celebri, sed de loco sepulturæ non conveniunt, dum eorum nonnulla, licet vetustissima, *via Numentana*, & *milliario octavo*, aut *nono* scribunt. Errore id potius, quam recto factum esse putamus, & in primis Acta ipsa, quæ eadem sunt atque Acta S. Cæciliæ, Valeriani, Tiburtii, atque Maximi, quæ vide hac die apud Henschenium, pag. 13., testantur, *Urbanum* capite una cum sociis cæsum fuisse, atque una cum eisdem *in cœmeterio Prætextati, via Appia, octavo Kalendas Junias* sepultum fuisse. Liber Pontificalis in Vita S. Urbani, ubi de illius sepultura: *Qui etiam sepultus est in cœmeterio Prætextati, via Appia: quem sepelivit beatus Tiburtius* XIII. *Kal. Junias.* Rectius in codice Vaticano apud Vignolium, ubi legitur: VIII. *Kal. Junias.* Eadem ferme, quæ apud librum Pontificalem, leguntur in catalogo veteri Romanorum Pontificum apud Bollandianos, Aprilis tom. I. pag. XXV. Idem Pontificalis liber in Vita Gregorii III. & Adriani I. *cœmeterii S. Urbani* meminit, quod esse *foris portam Appiam* tradit. De cœmeterio *Prætextati* vide Aringhium lib. II. cap. XIV. & l. III. cap. XXVI. Henschenium hac die pag. 9. n. IV. Locus, ubi antiquitus fuit Ecclesia S. Urbani secus viam Appiam, describitur ab Aringhio lib. III. cap. XXI. Ibi eandem Ecclesiam a fundamentis restituit *Urbanus* VIII. A. D. 1635. Ad loci situm quod attinet, adde veterrimam Notitiam apud Mabillonium Analect. tom. IV. pag. 502. num. 70. ubi conjunctim hi martyres enumerantur: *Soter, Xystus, Urbanus, Marcellianus, & Marcus, Januarius, & Ecclesia ubi decollatus est Xystus: Sebastianus.* Quid hæc sibi velint, ostendit alia Notitia vetusta edita ab Eccardo, ubi legitur: *Juxta eandem viam* (Appiam) *Ecclesia est multorum sanctorum, idest, Januarii, qui fuit de septem filiis Felicitatis major natu, Urbani, Agapiti, Felicissimi, Cyrini, Zenonis fratris Valentini, Tiburtii, Valeriani, & multi martyres ibi requiescunt. Et juxta eandem viam Ecclesia est S. Sebastiani martyris &c.* Exploratum est igitur, *S. Urbanum* via Appia sepultum fuisse. Id nunc ex libris Liturgicis apertius constabit. In Sacramentariis omnibus Gregorianis vetustissimis, Missa hac die in natali *S. Urbani* Papæ habetur. Titulus in Sacramentario Reginæ Suecorum, Ottoboniano, Menardiano, Angeli Rocchæ, & Pamelii hic est: *Natale S. Urbani Papæ.* In Palatin. Vatic. 495. *Sancti Urbani martyris.* Eædem in omnibus orationes de *martyre* atque *Pontifice*. Vide Florentinium hac die pag. 555. Uberiorem titulum præferunt Capitularia Evangeliorum veterrima hac die, tum apud Frontonem, tum tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 461. in quibus legitur: *Natalis sancti Urbani confessoris atque Pontificis, via Appia*, seu *in via Appia.* In omnibus idem Evangelium: *Vigilate &c.* Quid his liquidius esse potest, quam ut *via Appia* sepultus esset *Urbanus*, ibique stato die solemni sacrificio coleretur? *Confessoris* nomen & hic fastidii aliquid quibusdam fortasse ingeret. Sed vide quæ nos diximus ad diem XIV. *Januarii*, ubi de S. Felice. Henschenius hac die pag. 7. n. 8. animadvertit, in Actis S. Cæciliæ narrari, *bis confessorem* factum fuisse Urbanum, & in aliis, septies damnatum, & dijudicatum haberi. Ideo, inquit Henschenius, nomen *confessoris* ei post martyrium adhæsit, atque illud visitur in nonnullis Kalendariis. Ad Acta quod pertinet, ea tuetur, tanquam a Notariis accepta, Henschenius. Tillemontius vero tom. III. p. 688. in ea acriter fertur. Passus est *S. Urbanus* hac die XXV. *Maji* A. D. 230. ex Pagio in Critica ad an. 231. num. II. Corpus ejus a Paschali I. A. D. 819. ex ejus cœmeterio, seu Ecclesia ad Appiam viam solemni ritu translatum est in Urbem, & in Ecclesia S. Cæciliæ collocatum. De hac translatione, una simul cum translatione corporis S. *Cæciliæ*, plura ex veteribus monumentis Baronius ad an. 821. n. 1. *& seq.* Varia Martyrologiorum lectio hac die Tillemontium in primis impulit, ut duos *Urbanos* distingueret, alterum *Episcopum* & *martyrem*, *via Numentana*, alterum *Romanum Pontificem* in cœmeterio Prætextati. Sed qui ante oculos monumenta quæ attulimus, sibi proposuerit, de uno tantum *Urbano*, Romano Pontifice & martyre in fastis Ecclesiasticis agi hac die, facile intelliget; ut etiam animad-

vertit

vertit Heuschenius. Verum Sollerius Tillemontii sententiam amplecti mallet, ac duos item Urbanos distinguere, quorum alter, *Urbanus* scilicet Papa a *Paschali* I. in Urbem, alter vero *Episcopus* & *martyr*, in Galliam translatus. Extremo hoc loco de varia lectione nostrorum codicum est agendum, qui aliter, quam vulgatus Ado habent. Num vulgati Adonis lectio melior sit, an nostrorum codicum, licet meum non sit definire, tamen vulgatum Adonem sequendum esse putarem, cum quo convenit Usuardus. Quid autem dicendum de translatione *S. Urbani* Papæ, ac *Tiburtii* in Gallias, & de iis in basilica S. Germani reconditis, prout ibidem sequitur? Testimonio hæc translatio non caret; nam fuse de ea agit Hericus monachus, qui tum florebat, in Historia de miraculis S. Germani cap. XII. XIII. XIV. & XV. ubi sanctorum martyrum *Urbani & Tiburtii reliquias a Nicolao Romano Pontifice* quibusdam S. Germani monachis dono datas fuisse A. D. 862. narrat, easque ab eis delatas Autissiodorum *Pridie Kal. Nov.* & in crypta circa corpus S. Germani, *in australi plaga*, *ossa B. Urbani* Papæ, & in *septentrionali latere*, *gloriosi martyris Tiburtii pignora* fuisse collocata. De hac translatione ex eodem Herico monacho agit Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. XXXV. §. CIL. ad an. 862. Agunt & Bollandiani socii hac die. Aliorum erit, judicium ferre, num nostrorum codicum textus de *S. Urbano* Papa vulgato Adoni postponendus, an præferendus sit.

Dionysii. *Dionysius* Mediolanensis Antistes memoratur hac die in apographis Hieronymianis, deinde silente Beda, & Romano parvo, ab Adone, Usuardo, & Notkero, qui nonnulla elogii addit. Ado vulgatus, ac item codices nostri mendose habent: *Constantino*, pro *Constantio*; nam ob Arianis pro fide catholica multa perpessus, eorum fraudibus a *Constantio* in exilium pulsus est, & exul obiit, qua de re Baronius ad an. 355. num. XXI. & ad an. 356. num. CIV. Quoto autem exilii anno *Dionysius* obierit, inexploratum est Baronio. Papebrochius vero in Exegesi Episcoporum Mediolanensium, præfixa Maji tom. VII. p. XX. obitum *Dionysii* statuit anno Christi 361. adversus Ughelli, & Ripamontii in Histor. Eccl. Mediolan. lib. III. p. 161. sententiam, quorum alter ad an. 374., alter ad an. 379. mortem *Dionysii* contulit. Tillemontio tom. VIII. p. 776. ea quoque sententia est, ut ante *Juliani* imperium, hoc est ante A. D. 362. obierit. Quo etiam loci obitus contigerit, incertum est; non longe a Cæsarea Cappadociæ forte fuit, nam *S. Basilius* reliquias corporis *S. Dionysii* *Ambrosio* Episcopo Mediolanensi e Cappadocia, procurante *Aurelio* Episcopo, c. An. D. 375. misit. Præclarum de *Dionysio* elogium exstat apud ipsum Ambrosium, qui ei successit, in epist. 82. seu novæ editionis epistol. 64. ad Vercellenses, ubi *propiore martyribus titulo*, hoc est in exilio objisse pro Christi fide Dionysium testatur. Catalogi veteres Episcoporum Mediolanensium, depositum fuisse Dionysium VIII. *Kal. Junias* habent. At ad Martyrologia revertamur. Rhinoviense, & Richenoviense: *In Mediolano, depositio Dionysii Episcopi*. Augustanum, & Labbeanum: *Dionysii* meminere, mixtim cum aliis. Corbejense brevius: *Mediolano, depositio Dionysii Episcopi*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Mediolani, natalis Dionysii Episcopi*. Martyrologium Fuldense ad verbum Adonis elogium transcribit, imo recte: *Constantio*, ibi scriptum est. Ottobonianum: *Mediolano, depositio Dioni* (pro *Dionysii*) *Episcopi*. Kalendarium Ecclesiæ Mediolanensis sæculi XV. habet: *Depositio sancti Dionysii Episcopi*. Putamus tamen ab his recoli hac die celebritatem illius diei, quo in Ecclesia Mediolanensi *Dionysii* reliquiæ receptæ sunt, non diei *natalis*, seu *depositionis*. De hujus translationis auctoribus, de loco, & ritu plura disquirit Papebrochius hac die pag. 41.

Passicratis & soc. *Passicrates* & socii eruuntur ex apographis Hieronymianis; deinde apertius memorantur ab Adone nostro, ab Usuardo. & Notkero. Cæteri alii silent. Quot sint alii eorum socii, adhuc incertum. Eorum laus est in Actis *S. Julii* die XXVII. *Maji* pag. 660. ubi occurrunt nomina *Passicratis*, & *Valentionis*, cum *Fsicbio*. Sed de his suo loco. *Durostorum*, & *Axiopolis* fuere urbes *Mœsiæ inferioris* ad *Istrum*.

Eleutherii *Eleutherius*, seu *Eleutherus* Papa a codicibus nostris omittitur, prout etiam præteritur a genuino Usuardo. Quid autem caussæ sit, cur ab Usuardo omittatur, nullis conjecturis se assequi potuisse fatetur Sollerius, atque inter conjecturas hanc etiam affert, de Adonis textu in dubium revocando. Si cui nunc placet de vulgati Adonis textu dubitare, habet pro se codices nostros. Cæterum de *Eleutherio Episcopo*, *via Salaria*, agunt apographa Hieronymiana VIII. *Idus Septembris*. Apographum Lucense ea die habet: *Romæ, via Salaria, natalis sancti Eleutherii Episcopi*. Epternacense, & Corbejense: *Romæ, via Salaria milliario ab urbe, natalis S. Eleutheri Episcopi*. Agunt præterea ea die Gellonense, Fuldense, & Ottobonianum. Rhinoviense, & Richenoviense habent: *In Reati* (forte pro *Romæ*) *Eleutherii*. Augustanum, & Labbeanum: *Romæ, Eleutherii*. Corbejense brevius: *Romæ, via Salaria, miliario ab Urbe, natalis S. Eleutherii Episcopi & confessoris*. Baronius ad an. 194. num. I. obiisse censet *Eleutherium* Romanum Pontificem die XXV. *Maji*, sed an *gladio*, ei est incompertum, nisi quod in antiquis Martyrologiis *martyr* adscriptus reperitur. Id tamen verum non est de omnibus Martyrologiis, neque perspicuum est, an *Eleutherius*, de quo Martyrologia ad diem VI. *Septembris*, sit *Eleutherius* Romanus Pontifex.

Vide

Vide Florentinium pag. 813. Bollandiani ad diem xxvi. Maji pag. 364. num. 5. monent, a nemine ante Petrum de Natalibus, *martyris* titulum *Eleutheria* tribui. Ex Pagio in Critica Baroniana ad an. 192. num. iv. *Eleutherius* obiit an. 185. die xxv. *Maji*. Ex Constantio in Epist. Rom. Pontific. pag. 91. illius obitus incidit in A. D. 193.

Leonis. *Leo* monachus in agro Tricassino additur hac die a codicibus nostris, de quo Usuardus genuinus, his tantummodo verbis: *In territorio Trecassino, sancti Leonis confessoris*. Ex his putavit Sollerius, neminem ante Usuardum de *Leone* meminisse, sed meminit Ado, si fides est codicibus nostris; & aliud apographum Adonis in cœnobio S. Laurentii, apud Bollandianos hac die pag. 74. iisdem verbis prout in nostris offertur. Meminere insuper Gellonense, & alia. Gellonense habet: *Tregas* (pro *Trecas*) *Leonis monachi*. Ita Augustanum, & Labbeanum. Martyrologium Regiæ Suecorum: *Trecas, depositio sancti Leonis confessoris & Abbatis*. Ab urbe Trecensi duabus leucis vicus est, qui olim *Mentuniacum*, seu *Mantiniacum* municipium fuit, servato etiam ab accolis nomine, *Mantenay* dicebatur, nunc *S. Leonis* nomine veniens, vernacule *Saint Liey* dicitur. Eo loci *Romanus* Abbas monasterium condidisse fertur, quod in diœcesi Tricassina continetur. *Romanus* fuit primus hujus monasterii Abbas, donis prædiorum quorumdam a Clodoveo rege ornatus. Sub eo vixit *Leo* monachus, qui obiit sæculo vi. An *martyr* obierit, ut nonnulla præferunt Martyrologia, disquirunt Bollandiani hac die pag. 75. n. 6. Martyrologio Benedictino adscriptus est a Menardo, sed monet, non ita certum esse, an Benedictinus fuerit. Cointius ad an. 535. n. vii. omnino negat, eum fuisse Benedictinum. Menardus vixisse *Leonem* putat c. A.D. 560. Silet de eo Mabillonius in Annalibus Benedictinis.

---

26. *Maji*. *F. VII. KALENDAS JUNII.*

Quadrati. APUD Athenas, natalis sancti Quadrati Episcopi, discipuli Apostolorum. *Vid. libell. de festivit. Apost. Possidonius nonnus meminit.*

Quadrati. Item natalis S. Quadrati martyris, in cujus solemnitate S. Augustini sermones habiti inveniuntur.

Symmetrii & soc. Romæ, beatorum martyrum Symmetrii presbyteri, & aliorum viginti duorum, quos Antoninus Imperator gladio pro Christo puniri fecit: quorum corpora nocte beata Praxedis collegit, & sepelivit in cœmeterio Priscillæ, sub die septimo Kalend. Junii.

Felicissimi, & soc. Tuder Tusciæ, natalis SS. Felicissimi, Heraclii, Paulini.

Prisci. In territorio Autissiodorensi, passio sancti Prisci martyris cum ingenti multitudine.

Augustini. In Britanniis S. Augustini Episcopi & confessoris: Qui missus a beato Papa Gregorio, primus genti Anglorum Christi Evangelium prædicavit, atque illic virtutibus & miraculis gloriosus in Christo quievit.

Quadrati. VARIA LECTIO. Codices 511. 512. & 514. incipiunt:
„ Apud Athenas, natalis beati Quadrati, Apostolorum discipuli, qui persecu-
„ tione Adriani Ecclesiam grandi errore dispersam, ut scribit beatus Hieronymus, fide
„ & industria sua congregans, etiam librum pro christianæ religionis defensione edidit *Hieron. de Script. Eccles. c. 19.*
„ valde utilem, quem ei porrexit, plenumque rationis & fidei, & Apostolicæ doctrinæ
„ dignum. In quo & antiquitatem suæ ætatis ostendens, ait, plurimos a se visos, qui
„ sub Domino variis in Judæa oppressi calamitatibus, sanati fuerant, & qui a mortuis re- *Act. 21.*
„ surrexerant. Qui * una cum filiabus Philippi, & in prophetica gratia celeberrimus fuit. ** Deest hoc in Hier.*
Hæc habentur apud vulgatum Adonem in libello de festivitatibus Apostolorum,

paucis

paucis immutatis. Sequitur autem in memoratis codicibus: *Item ipso die, natalis alterius Quadrati martyris &c.* ut in editis. Post verbum: *inveniuntur*, sequitur in eisdem codicibus. *Quadrati.*

„ Autisiodoro, loco Quotiaco, passio sanctorum Prisci cum sociis suis innumera mul- *Prisci, & soc.*
„ titudine martyrum, tempore Aureliani Imperatoris, sub Alexandro præside: qui cum
„ Christum negare cogerentur, & idolis sacrificare, atque illi nequaquam adquiescerent,
„ sed magis Dominum Christum libera voce proclamarent, a gladiatoribus mox inte-
„ rempti, atque in puteum jactati sunt. Unus autem ex commilitonibus Tottus no-
„ mine, arrepto capite S. Prisci, fugam iniit, sed insequentibus paganis, & ipse vitam
„ preciosa morte finivit. Latuit autem caput martyris Prisci usque ad tempora beatissimi
„ Germani Episcopi, quod ei miris mox ut revelare voluit omnipotens Dominus, idem
„ sacratissimus Pontifex locum evidentiore (sic) consecrans, populis colendum tradidit.
„ Sed & corpus beati Totti martyris, post multorum curricula temporum, beato Desi-
„ derio Episcopo a Domino revelatum est, atque ab eo honorifice traditum sepulturæ,
„ non longe a capite beati Prisci sub die XIIII. Kal. Febr. Romæ, beatorum martyrum
„ Summitrii &c.

Abest ab his codicibus natalis *SS. Felicissimi, Heraclii, & Paulini*, sed post sanctum *Symmitrium*, agunt de *S. Augustino*.

Quadrati. ADNOTATIO. *Quadrati* elogium in codicibus nostris illud ipsum est, paucis demptis, prout habetur in vulgato Adone, libello de festivitatibus Apostolorum; nam codices nostri, hujusmodi libellum, ut jam monuimus, separatim non exhibent, sed suis quemque diebus, elogium de Apostolis, & aliis Apostolorum discipulis proferunt. Ante Adonem nullus Martyrologus, ut animadvertit Sollerius, nisi Romanum parvum egit, & his verbis: *Apud Athenas, Quadrati discipuli Apostolorum*. Ado Hieronymi locum de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XIX. ubi de *Quadrato* Atheniensi, ferme ad verbum descripsit; & ex Adone transcripsere Usuardus, & Notkerus. Silent Hieronymiana, Beda, & Martyrologium Fuldense. Martyrologium Reginæ Suecorum agit quidem, sed subobscure his verbis, quæ potius ad *Quadratum* martyrem in Africa pertinent: *In Africa, Pauli, Quadrati, cum aliis tribus*. Alterum porro *Quadratum* martyrem agnoscit Ado, & cum eo Usuardus, & Notkerus. Illud autem certo ex S. Hieronymo scimus, *Quadratum* post *Publium* martyrem, Atheniensem Episcopum fuisse creatum, ut habet etiam Dionysius Corinthiorum Episcopus apud Eusebium lib. IV. cap. XXIII., & *Hadriano* Imperatori c. A. D. 123. Athenis per hiemem commoranti, librum pro christiana religione obtulisse, cujus fragmentum nobis servavit Eusebius lib. IV. cap. III. *Quadratus* alter Magnesiæ Episcopus fuisse dicitur, & martyrium suo *Decio* subiisse, de quo Ado, & ejus pedissequi Usuardus, & Notkerus, imo apographa Hieronymiana, mixtim cum alia martyrum cohorte.

Quadrati. *Quadrati* in Africa martyris meminit Kalendarium Carthaginense mense Augusto post *Massam candidam*. Loco *Quadrati* Martyrologium Ottobonianum hac die XXVI. Maji agit de *Quarto* his verbis: *In Africa, natalis sanctorum Quarti, & Rufini*. An loco *Quarti* legandum est *Quadrati*? De *Quadrato* in Africa martyre Henschenius agit hac die pag. 357. *& seq.* qui duos *Quadratos* distinguit. Confer etiam Tillemontium tom. II. pag. 589. Recentiores tamen Critici unum tantum *Quadratum*, eumque Episcopum Athenarum agnoscunt contra Valesium, Tillemontium, & alios. Optandum esset, ut Augustini sermo, qui de *Quadrato* martyre in Africa habitus fuisse fertur, in lucem prodiret. De *Quadrato* Apologista eoque Antistite Atheniensi meminerunt omnes, qui de Ecclesiasticis Scriptoribus egerunt, tam veteres, quam recentiores.

Symmetrii & soc. *Symmetrius*, sive *Simmitrius* cum sociis, ab Adone primum commemorari putatur Sollerio, & item ab Usuardo contracte, & ad verbum a Notkero, cujus elogium ex Actis SS. Pudentianæ & Praxedis sumptum sit. Meminit de his Augustanum, depravata quidem lectione, sed quæ ad hos martyres pertinet: *Romæ Ximeti* (pro *Simetri*) *martyris, & aliorum XX. mart.* Emendatius Labbeanum, in quo habetur: *Romæ, Symmitri martyris, & aliorum vigintiduorum mart.* Kalendarium Vat. 3806. *Et sancti Simmetri presbyteri*. Ante alios Martyrologos, Gellonense: *Romæ, Semetri cum aliis viginti tribus martyribus*. In Notitia veterrima Ecclesiarum extra Urbem apud Eccardum, ubi de Sanctis *via Salaria* quiescentibus mentio fit, inter eorum nomina occurrit *S. Semetrius*. At plura de eo & sociis collegerunt Bollandiani hac die p. 360. 361.

Felicissimi, & soc. Prætereuntur a nostris codicibus *Felicissimus* & socii, apud Tudertum martyres, at habentur, corruptis quidem nominibus, inter Hieronymiana apographa, a quibus accepta feruntur a vulgato Adone, deinde ab Usuardo. Rhinoviense habet: *Tuder, Felicissimi, & Nundinia*. Richenoviense: *Et in Tuderto, Feli-*

Feliciſſimi & Miudiniæ. Augoſtanum: *Feliciſſimi*, *Pauli*, *Victuri*, *Satari*. Ita ferme Labbeanum; omiſſo in utroque, *Tuderto*. Apertiſſime Corbejenſe brevius: *In Tuſcia, civitate* (ſupple *Tuderto*) *natalis ſanctorum Feliciſſimi*, *Fracli*. Vide quæ ex Martyrologiis collegerunt Bollandiaoi ad haoc diem pag. 369.

Priſci & ſoc. *Priſci & ſociorum* in agro Aotiſiodorenſi, loco *Quotiaco*, meminit apographum Lucenſe Hieronymianum inter Auctaria, his verbis: *In territorio Autiſiodorenſi, loco Quotiaco, paſſio ſancti Priſci martyris cum ſociis ſuis innumera multitudine*. Eadem habet apographum Corbejenſe. Epternacenſe vero: *Autiſiodòro civitate, paſſio Priſci*. Gellonenſe: *Autiſiodoro, paſſio Priſci*. Adonisoi codices longum elogium ex Actis proferunt, quod tranſcripſit Martyrologium Fuldenſe, & Uſuardus pauciſſimis verbis complexus eſt, vulgatum Adonem ſecutos. Elogium integrum legitur apud Henricum monachom in Hiſtoria Epiſcoporum Autiſiodorenſium. Agunt etiam de *Priſco* Richenovienſe, Auguſtauum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Hagiologiom Francogallicum. Silent omnes hac die de *Cotta*, ſeu *Totto*, & aliis ſociis. Si elogio, & Actis fides eſt, paſſus eſt *Priſcus* cum ſociis, Aureliani Imperatoris perſecutioue. Acta expendunt Bollandiani hac die pag. 365. *& ſeq.* Ibi item de *Priſci*, *& Cotti* tranſlationibus. *Priſci*, *& Cotti* Acta non admodum antiqua cenſet Tillèmontius tom. IV. pag. 349.

Auguſtini. Celebris eſt hac die in Martyrologiis fere omnibus Latinorum *S. Auguſtinus* Anglorum Apoſtolus. Agit enim de eo apographum Hieronymianum Epternacenſe, deinde Beda genuinus, Martyrologium Gellonenſe, Ado, Rabanus, Uſuardus, Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldenſe, Reginæ Suecorum, Ottobonianum, Richenovienſe, Auguſtanum, Labbeanum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. *Primus Anglorum Epiſcopus* in quibuſdam ex memoratis apographis dicitur. Obiit c. A. D. 607. hac die XXVI. *Maji*, qua die ſolemnem de eo celebritatem agi per totam Angliam A.D. 747. decrevit Concilium Cloveshoviæ can. XVI. De illius obitu, rebuſque geſtis Mabillonius Sæculo I. Benedictino p. 498. *& ſeq.* & in Annalibus Benedictinis lib. X. §. XXXVIII. Ejus epitaphiom habes apud Bedam lib. II. cap III. Vide Papebrochium hac die pag. 373. *& ſeq.*

27. Maji. *G. VI. KALENDAS JUNII.*

Julii. APUD Mœſiam, civitate Doroſtorenſi, natale ſancti Julii, qui tempore perſecutionis cum eſſet veteranus, & emeritæ militiæ, comprehenſus ab officialibus, & Maximo præſidi oblatus, nolens ſacrificare idolis, & nomen Domini Jeſu Chriſti conſtantiſſime confeſſus, capitali ſententia punitus eſt. Cumque duceretur ad locum cædis implendæ, Eſychius quidam miles, cum & ipſe ob fidem Chriſti comprehenſus detineretur, rogabat eum dicens: Memor eſto mei: nam & ego ſubſequor te. Plurimum etiam ſaluta Paſſicratem & Valentionem famulos Dei, qui nos jam per bonam confeſſionem præceſſerunt ad Dominum. Julius vero oſculatus Eſychium dixit: Frater, feſtina venire; mandata enim tua jam audierunt quos ſalutaſti. Sic accepto orario, ligans ſibi oculos, martyrii palmam gladio cædente percepit.

Eutropii. In Galliis, civitate Arauſica, S. Eutropii Epiſcopi, cujus vitam illuſtrem virtutibus ac miraculis, Verus Epiſcopus luculento ſermone deſcribit.

VARIA LECTIO. Ed. *nomen Domini Jeſu Chriſti conſtantiſſime confeſſus*. Cod. 511. 512. & 514. habent: *nomen Domini Jeſu Chriſti publica voce prædicans, cum quidam Sericius detineretur comprehenſus, rogabat eum dicens: Memor eſto mei; nam & ego ſubſequor te. Julius vero oſculans Sericium, dixit:* Fra-

Frater, festina venire. Mandata enim tua jam audierunt, quos salutasti. Sic accepto orario, ligans sibi oculus, martyrii palmam gladio cædente percepit. In Galliis, civitate Arausica, natalis sancti Eutropii &c. ut in editis. Post extremum verbum: *describit*, sequitur in eisdem codicibus: *In territorio Atrebatensi,* *Rognalfi.* *natalis sancti Regnalfi* (cod. 512. *Ramnulfi*) *Episcopi, cujus gesta habentur.*

Julii. ADNOTATIO. *Julii* martyris Dorostorensis cum aliis sociis *Esychio, Possicrate, & Valentiana* elogium in vulgato Adone, varie legitur in nostris codicibus, a quibus *Esychius*, seu *Seririus* tantum nominatur, ceteris præteritis. De *Passicrate* & sociis egit Ado die XXV. *Maji*, ut vidimus. De *Esychio* agitur die XV. *Junii*. Romanum parvum hac die XXVII. *Maji* de *Julio* tantum agit, his verbis: *In Mæsia, civitate Dorostorensi, Julii martyris*. Usuardus quoque sua ex Adone delibans *Julii* solummodo elogium exaravit. Notkerus vulgatum Adonem descripsit. Florus paucis de *Julio* meminit, ut & Wandelbertus. Unius *Julii* elogium habet Martyrologium Fuldense. *Julii*, sed mixtim cum aliis meminit Labbeanum; quem *Julium* ad Africam refert Martyrologium Reginæ Suecorum. Acta *Julii* in epitomen redacta edidit Henschenius hac die pag. 660. sed integra, ac ut censet, genuina, Ruinartius inter Acta selecta pag. 614. Abesse tamen ab illis monet, temporis notas, quibus aliquid certi de martyrii tempore statui possit, hinc perperam a quibusdam *Alexandri* Augusti imperium denotari, & hunc *Julium*, alium a *Julio* Fæsulano esse monet.

Eutropii. *Eutropii* Arausicani Antistitis mentio primum in Martyrologiis ab Adone facta esse dicitur Sollerio; exinde ab Usuardo, & Notkero, silentibus aliis. Agunt autem Martyrologium Fuldense, & Hagiologium Francogallicum. Sermonis I. partem, a Vero illius successore de Eutropio habiti, edidit Papebrochius hac die pag. 700. Obiit *Eutropius* c. A.D. 480.

Post *Eutropium* additur in codicibus nostris hac die *S. Rognalfus*, seu *Ramnulfus* martyr. *Rognulfi.* De quo Usuardus quoque genuinus, his verbis: *In territorio Adartensi, sancti Rognolfi martyris*. Hinc Sollerius decernit, a nullo Martyrolographo, Usuardo antiquiore aut coævo *Rognulfum* memorari. Nostri codices ab hujusmodi canone excipiendi videntur. Agit autem Martyrologium Fuldense his verbis: *In pago Atrebatense, depositio sancti Rognulfi Episcopi.* Apud Usuardum, vocabulum *Adartense* idem esse ac *Atrebatense* docet Sollerius: de qua voce Henschenius hac die pag. 717. De *Rognulfo* hæc ibi prænotavit Henschenius, eum ut martyrem coli a Telodiensibus, vulgo *Tela*, pago urbi Atrebatensi proximo, ubi illius corpus asservatur. Circiter A.D. 700. martyrium fecisse creditur, at Acta martyrii desunt. Perperam, ut ille animadvertit, in Martyrologiis Leodiensibus S. Lamberti, & S. Laurentii legitur, *cujus gesta habentur*. Perperam etiam *Episcopus* dicitur, quum Episcopus non fuerit. Castellanus in Martyrologio universali monet, hac die primam *Rognalfi* translationem memorari, quum dies ejus natalis sit IX. *Novembris*.

A. V. KALENDAS JUNII. *28. Maji.*

Pontifical. cap. 54. NATALIS sancti Joannis Papæ, quem (quia orthodoxus erat, & a Justino Imperatore orthodoxo Constantinopolim veniens gloriose susceptus fuerat) Theodoricus Rex Arianus revertentem in Ravennam, in custodia tentum, ad mortem usque, cum aliis æque Catholicis viris, perduxit. Hujus meminit S. Gregorius in libro Dialogorum. Cujus corpus translatum de Ravenna, sepultum est in basilica S. Petri Apostoli quinto Kalendarum Januarii, Olybrio consule. *Jo. Papa.* Greg. Dialog. lib. 3. cap. 2. & lib. 4. c. 30.

Eodem die apud Parisium, natalis sancti Germani Episcopi & confessoris. *Germani.*

Item apud Sardiniam, sanctorum Æmilii, Felicis, Priami, & Luciani. *Æmilii, & soc.*

VARIA LECTIO. Ed. *quinto Kalendarum Januarii*. Cod. 511. 512. 514. *v. Kal. Junii*. Ed. *Eodem die apud Parisium, natalis &c.* Codices memorati.

Germani. „ Apud Parisium, transitus sancti Germani confessoris, qui beatus ejusdem urbis Episcopus, quantæ sanctitatis, quantique meriti fuerit; quibus etiam claruerit miraculis, „ Fortunatus Episcopus veraci stilo digessit.

Æmilii, & soc. Sequitur in codice 511. *In Sardinia, sanctorum Emilii, Felicis, Priami, & Luciani*. Deinde in eisdem codicibus habetur: *Eodem die, passio sancti Charauni* (cod. 512.

Charauni. *Chauraui*; cod. 514. *Carauni*) *qui apud Carnotum civitatem, capite amputato, martyrium sumpsit*.

Jo. Papa. ADNOTATIO. *Johannis* Papæ hujus nominis I., *Ravennæ* in carcere vita functi A. D. 526. die XVIII. *Maji*, & subinde *Romam* translati hac die XXVIII. *Maji*, seu v. *Kal. Junii*, aut, ut habet liber Pontificalis in Vita, VI. *Kal. Junii*, elogium in Martyrologiis legitur primum apud Bedam genuinum ad diem XXVIII. *Maji*, deinde habetur apud Rabanum, Adonem, Usuardum, & Notkerum, qui de Symmacho & Boetio nonnulla subjecit. Hac etiam die agunt Romanum parvum, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, in quo prout in codicibus nostris, legitur, sepultum fuisse *in basilica sancti Petri Apostoli, v. Kal. Junii, Olibrio consule*: quod est die XXVIII. *Maji* A. D. 526., quo *Olybrius* consul fuit. Ita habet Martyrologium Reginæ Suecorum. Unus Rabanus inter veteres Martyrographos, ut animadvertit Sollerius, agit die præcedenti, & aliqua Usuardi Auctaria. Si ergo Martyrologiorum auctoritas ex illorum numero expenditur, dies XXVIII. non XXVII. *Maji* natali S. *Johannis* Papæ, seu translationi celebrandæ præfigenda est. Plura in rem hanc protulerunt Bollandiani socii ad diem XXVII. p. 708. 709. ac ibi plura de illius rebus sancte gestis ex S. Gregorio, & aliis. In Martyrologio Romano de eo agitur die XXVII. *Maji*, ex vulgato Usuardo.

Germani. *Germanus* Antistes *Parisiensis*, in tabulis Ecclesiasticis vetustioribus hac die celebratur; a quibusdam die præcedenti colitur. De eo hac die Beda genuinus his verbis: *Parisius, Germani confessoris*. Ita Gellonense. Silet Romanum parvum. Rabanus die superiori justo elogio, quod imitari videtur Notkerus hac die v. Kal. *Junii*. Hieronymiana Auctaria, Florentinii judicio, agunt hac die XXVIII. *Maji* his verbis: *In civitate Parisius, depositio S. Germani Episcopi & confessoris*. Agit & Florus, de cujus elogio adeundus Sollerius in Usuardum hac die. Usuardus vero hac die fere ad verbum elogium codicum nostrorum sequitur. Sollerius, quod in vulgato Adone, nullo encomio donari *Germanum* vidisset, non satis mirari definit, quare mirum in modum se contorquens, hujusmodi elogium Usuardinum plane esse putat. Nunc viri docti judicabunt, num e codicibus Adonianis, ab Usuardo inspectis, descriptum sit. Martyrologium Fuldense ad v. Kal. Jun.: *Parisius, depositio sancti Germani Episcopi & confessoris*. Martyrologium Reginæ Suecorum hac item die: *Parisius, Germani confessoris*. Ottobonianum hac die: *Parisius civitate, depositio S. Germani Episcopi & confessoris*. Agunt demum de Germano hac die v. Kal. *Junii*, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Hagiologium Francogallicum, Wandelbertus, & Corbejense brevius, adeo ut in nullis ex vetustis Hagiologiis Latinis desit. Kalendarium Vaticanum 3806. agit die superiori. In Sacramentario Gregoriano Palat. Vat. 495. sæculi decimi jam desinentis hac die v. Kal. *Junii* Missa habetur *in natali S. Germani* cum his orationibus. Prima est: *Præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut qui beati Pontificis tui Germani natalitia colimus, intercessione ejus in tui nominis amore roboremur. Per*. Secreta. *Beati Germani Pontificis tui, Domine, cujus solemnia recensemus, quæsumus, ut ejus auxilio tua beneficia capiamus, pro quo hostias hac die offerimus. Per*. Ad communionem. *Benedictio tua, Deus, impleat corda fidelium, ut intercessione beati Germani confessoris tui atque Pontificis beneficia potiora sumamus. Per*. Has liturgicas orationes descripsimus, quia rarum est, ut in vetustis Gregorianis Sacramentariis *Germani* Missa occurrat. Decessit S. *Germanus* ex Pagio in Critica ad an. 579. num. VIII., anno Christi 576. v. *Kal. Junii*. Meminit de ejus obitu Gregorius Turonensis Histor. lib. v. cap. VIII. De rebus ejus gestis scripsit S. Venantius Fortunatus Episcopus Pictaviensis, quod opus alias editum, iterum edidit Mabillonius sæculo I. Bened. pag. 234. Si plura de Germano cupis, adi Henschenium hac die pag. 774. *& seq.* & Gerardum Dubois in Historia Ecclesiæ Parisiensis. Neque prætereundus Mabillonius in Annalibus Benedictinis passim tom. I. ac præsertim lib. v. §. XLIV. & lib. VI. §. LXVII. *& seq.*

Æmilius cum sociis in *Sardinia* martyribus, ex Hieronymianis peti videtur; ex quibus Ado, Usuardus, & Notkerus. Romanum parvum habet: *In Sardinia, Æmilii, Felicis*, tantum. Rhinoviense, & Richenoviense: *In Sardinia, Emelii, Priami*. Augustanum: *Zetali, Primoli, Emelii*, sine loci indicio. Labbeanum: *Zotali, Primuli, Emili*. Quam depravata in his lectio sit, nemo non videt. Elogium eorum ex Martyrologiis habes apud Æmilii, & soc.

Bol-

Bollandianus sociosahac die pag. 745. qui hos martyres ita recensent, ut sint *Æmilianus*, *Felix*, *Priamus*, *Lucianus*, *Fortunatus*, *Jucundianus*, & *Lucius*. Paullo ante pag. 744. agunt de *Zetulo*, *Primo*, *Nouno*, *Euresio*, & *Julio* martyribus in Pamphilia. Quo tempore passi sint, non liquet.

Charauni. Sequitur in codicibus nostris hac die *S. Charaunus* apud *Carnotam* martyr, vulgo in Galliis *S. Cheron*. De eo ita hac die Usuardus genuinus: *Eodem die sancti Charauni, qui apud Carnotum civitatem, capite amputato, martyrium sumpsit*. Idem fere prorsus elogium est, quod in nostris codicibus legitur. Sollerius existimat, hujusmodi elogium plane Usuardinum esse, quia *Charaunus* aliis Martyrolographis ignotus est. *Charauni* Acta edidit Henschenius hac die pag. 749. ac suum de iis judicium tulit, & ad Usuardi, vel potius Hilduini ævum pertinere arbitratur. Ibi etiam de tempore martyrii adversus Baronii conjecturas. Sæculo Christi quinto martyrio functum Charaunam putat. Antiqua in honorem *Charauni* Ecclesia est prope mœnia Carnutensis urbis, quæ Gallice *S. Cheron ancien* dicitur. Est & alia ubi interfectus fuit, sexto ab urbe eadem milliario posita, quæ vulgo *S. Cheron du chemin* vocatur.

B. IV. KALENDAS JUNII. *29. Maji.*

ROMÆ, via Aurelia sancti Restituti. *Restituti.*

Via Tiburtina, Septem germanorum. *Sept. germanor.*

Treviris, beati Maximini Episcopi: a quo Athanasius persecutionem Constantii fugiens honorifice susceptus est. *Maximini.*

Item passio sancti Cononis martyris, & filii ejus sub Aureliano Imperatore, in Iconio, civitate provinciæ Isauriæ, judice Domitiano. Hic cum esset fide præclarus, exhibitus Judici cum filio suo annorum duodecim, Spiritum sanctum in se habitare veraci confessione manifestaverunt. Primum itaque ignito ferro superpositi, deinde craticulam prunis suppositis, & oleo superinfuso constanter superaverunt; inde frixoriam: inde suspensi, & valido igne sub eis adhibito, malleo ad extremum ligneo manus eorum contritæ, in laudem omnipotentis Dei, spiritum emiserunt. *Cononis.*

Eodem die, natalis sanctorum Sisinnii, Martyrii, atque Alexandri: qui in Ananiæ partibus persequentibus gentilibus viris, martyrii coronam adepti sunt. Hos Vigilius Tridentinæ urbis Episcopus & martyr ad regionem vicinam (cui vocabulum Anaunia) ad prædicandum misit. Ex quibus unus Sisinnius senex venerabilis, genere Græcus, ex provincia Cappadociæ fuit. Igitur dum per aliquod tempus verbum Dei prædicarent, turba gentilium indigne ferens, adversus sanctos Dei pugnatura consurgit. Contigit autem, ut secundum gentilem consuetudinem, per quinquennium cultura ruris sui, diabolica pompa semina sua circumirent, luctuosis ornatibus coronati, Saturno victimas immolaturi. Tunc & ipsi apprehensi a multitudine gentilium, immolare jubentur. Quibus reluctantibus, tanta cæde sunt mactati, ut vix extremum spiritum traherent. Interim una nocte dilata, mox pervenitur ad coronam martyrii. Nam sanctus Sisinnius *Sisinnii & soc.*

tuba

tuba ærea percussus in capite, atque securibus confossus, juxta ipsius ecclesiæ limina decubuerat. Sanctus vero Martyrius comprehensus stetit immobilis, & agens gratias Deo, vulneratus capite securibus, atque sudibus transforatus, ducebatur ad idolum: in quo itinere reddidit spiritum. Multitudo autem gentilium tunc apprehendentes Sanctorum corpora, & in collo S. Sisinnii tintinnabulum suspendentes, insultabant dicentes: Modo te vindicet Christus. Igitur inter corpora sancti Sisinnii & Martyrii vivus Alexander trahendus apponitur, ut per iter asperum membratim corpora disjungerentur. Ubi ergo pervenerunt ad aram Saturni, ignem copiosum factum, Sanctorum corporibus immiserunt. Sanctum autem Alexandrum flagellantes, interrogabant, si vellet evadere flammas, ut sacrificaret Saturno. Sed ille contemnens impias voces, gloriosæ passionis excepit palmam. Hæc cum sexta feria acta fuissent quando Salvator fuerat crucifixus, umbra quædam nigra proxima terræ, mox totam texit regionem, fulminibus creberrimis discurrentibus, ut & ipsi impii confiterentur terrore perculsi, hoc Sanctorum causa fieri. Quorum etiam reliquias cum postmodum Mediolanenses summa devotione suscIperent, quidam cæcus ex littore Dalmateno ad- 4. Aprilis.
veniens tacto loculo lumen recepit, ut sanctus Paulinus scribit in vita S. Ambrosii.

VARIA LECTIO. Ed. *Treviris, beati Maximini &c.* Cod. 511. & 514. *Treveris, beati Maximi Episcopi & confessoris, a quo &c.* Cod. 512. habet: *Maximini*. Cod. 514. post extrema verba hac die: *S. Ambrosii*, addit: *Eodem die in* *Purcardi.* *pago Vindocinensi, natalis sancti Purcardi confessoris Christi.*

Restituti. ADNOTATIO. *Restitutus* colitur *Via Aurelia* hac die in Hieronymianis, Romano parvo, Adone nostro, Usuardo, Notkero, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, & Martyrologio Reginæ Suecorum. Acta proferuntur a Bollandianis hac die pag. 10., quæ fide digna putavit Henschenius, sed obluctantem habet Tillemontium tom. v. pag. 634. Quandonam martyrium subierit, non patet.

Sept. germanor. *Martyres septem fratres, via Tiburtina* memorantur hac die ab eisdem Hieronymianis, Romano parvo, Adone, Usuardo, & Notkero; at coluntur una cum matre *Symphorosa* die XVIII. *Julii*, nisi, ut monet Sollerius, filii sint *S. Felicitatis*, vel fratres germani alii. Propterea adeundi Bollandiani tom. VII. Maji pag. 217.

Maximini. *Maximini* Episcopi *Trevirensis* natalis hac die celebris est apud omnes ferme Martyrologos. Apud eorum quosdam, inscitia ne dixerim, an oscitantia, an quod perinde *Maximinus*, ac *Maximus* sit, sæpe *Maximus* legitur. Agunt autem de eo Hieronymiana, & Beda genuinus. Bedæ apographum Palatin. Vatic. 833. habet: *In Treveris, Maximi Episcopi.* aliud apographum n. 834. *Natalis sancti Maximini*, tantum. Sequuntur, Gellonense, Rabanus, Romanum parvum. Notkerus fuse; item Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, & Reginæ Suecorum. Meminere demum Wandelbertus, Richenovjnese, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, & Kalendarium Palatin. Vat. 485. Kalendarium Vat. 3806. meminit pridie hujus diei. Obiit *Maximinus* c. A. D. 349. Illius Acta vide apud Henschenium hac die pag. 19. & *seq.* Missam habet in ejus natali hac die Sacramentarium Vat. 4772. sæculi XII.

Cononis. *Conon*, ut Sollerius ad Usuardum hac die monet, ignotus est Hieronymianis, Bedæ, & Romano parvo, & ab Adone primum cum elogio com-

commemoratur; quod a Notkero ferme ad verbum transcriptum est, & ab Usuardo ex Adone paullo brevius exaratum. Kalendarium Vat. 3806. meminit die xx. hujus, ut & Rabanus, ac aliqua Usuardi Auctaria. Acta illius Græce & Latine, ex vetustis codicibus eruta, vide apud Bollandianos ad hanc diem pag. 5. *& seq.* ubi Papebrochius, ea gravia, & veneranda esse judicat, cujus judicio propemodum acquiescit Tillemontius tom. IV. pag. 455. quamvis parumper deflectere videatur p. 683. Passus esse fertur c. A. D. 275.

Sisinnii & soc. *Sisinnius* & socii *Anaunienses*, seu *Anagnienses* in agro Tridentino martyres, ex Hieronymianis, licet nominibus aliquantum labefactatis, eruuntur, ex quo fonte in Adonem transiisse videntur, & ex Adone elogium summatim ab Usuardo excerptum est. Agunt etiam Rabanus, & Notkerus. Encomium de his scripsit S. Vigilius Tridentinus Episcopus, quod inter Acta Martyrum selecta protulit Ruinartius pag. 680. & illustravit etiam Tillemontius tom. X. pag. 543. *& seq.* præeuntibus Bollandianis ad hanc diem pag. 38. *& seq.* ubi de eorum quoque translatione per S. Carolum Borromæum.

Unus ex codicibus nostris agit hac die, extremo loco, de *S. Purcardo* confessore. De eo nihil apud veteres Martyrologos invenio. An est S. *Porcarius*, jam ab anno Christi 589. monasterii S. Hilarii Pictaviensis Abbas, *Pascentii* Abbatis successor, de quo *Pascentio* Gregorius Turonensis lib. IX. Histor. cap. XLIII.? Hunc, inquit Mabillonius Annal. Bened. lib. VII. §. LV., conditorem fuisse putant monasterii apud Pictavos, quod *S. Porcarii* ab auctore postea nomen obtinuit. Ibidem Mabillonius testatur, in variis Martyrologiis non editis, de *Porcario* agi his verbis: *Pridie Kalendas Junii, Pictavis sancti Porcarii confessoris.* *Purcardi.*

G. III. KALENDAS JUNII. 30. *Maji.*

Pontificale cap. 27. ROMÆ, via Aurelia in cœmeterio, natalis sancti Felicis Papæ. Qui cum annis quinque rexisset Ecclesiam, sub Claudio principe, martyrio coronatus est. *Felicis Papæ.*

Turribus Sardiniæ, natalis sanctorum martyrum Gabinii & Crispuli. *Gabinii & Crispuli.*

VARIA LECTIO. Post natalem *Gabinii, & Crispuli* cod. 511. 512. & 514. addunt:

Usicii, & Palatini. *Huberti.* „ Antiochia, natalis sanctorum Usicii (cod. 512. & 514. *Isicii*) & Palatini, „ qui multa tormenta passi sunt. Ipso die, natalis Hucberti Tungrensis Ecclesiæ „ Episcopi & confessoris: qui primo quidem apud sanctum Lambertum martyrem „ sepultus est; sed emergentibus annis in quodam monasterio (sic) est translatus, „ & venerabiliter sepultus.

Felicis Papæ. ADNOTATIO. De *Felice* Papa hujus nominis I. silent Hieronymiana, & de eo agere putantur die XXII. *Decembris*. Agit Romanum parvum hac die his verbis: *Via Aurelia in cœmeterio, Felicis Papæ*. Agit Ado hac die, & inde Usuardus, & Notkerus, qui paucula addidit ex vulgatis Pontificum decretis Liturgicis, ut habet etiam hac die Kalendarium Vat. 3806. De epistolæ fragmento, ei tributæ, Bollandiani hac die pag. 236. ubi de illius martyrio, annis sedis, & cultu. Pagius in Critica ad an. 274. n. II. obitus diem statuit ad diem XXII. *Decembris* an. 274. quem sequitur Coustantius in Epist. Rom. Pont. p. 292. quem vide pag. 294. ubi de fragmento Epistolæ *S. Felicis*. Pagius, ut supra, n. III. emendandum esse censet indiculum Bucherianum, ubi legitur: *Tertio Kal. Januarii, Felicis, in Callisti*; & legendum III. *Kal. Junii*, quæ dies alicui *Felicis* translationi in Martyrologiis, & Kalendariis assignata esse, Pagio videtur. Videsis Tillemontium tom. IV. pag. 362. & 687. qui censet, hunc *Felicem* non esse distinguendum a *Felice* Papa, de quo Martyrologia & Sacramentaria ad diem XXVIII. *Julii*; sed ea de re ibi dicemus.

Gabinii & Crispuli. *Gabinius & Crispolus* in Sardinia martyres celebrantur hac die a Hieronymianis. Romanum parvum habet: *Turribus Sardiniæ, Crispuli, & Gabinii*. Ado, & Usuardus mutuo sibi in elogio respondent. Agit Rhinoviense his verbis, sed corrupte: *Et in Sardinia, Gavini,*

ni, *Palatini*. Richenoviense: *Et in Sardinia*, *Gavini*, *Palatini*. *Item in Sardinia*, *Gabinæ*, *Esispoli* (pro *Gabinii*, *&* *Crispoli*). Augustanum & Labbeanum: *Sici*, *Palatini martyris*, *Gabinii*, *Crispoli*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Antiochia*, *natalis sanctorum Sitii*, *Palatini*. Die superiori agit de *S. Crispolo* apud *Nicomediam*. *Turribus Sardiniæ*, *natalis sanctorum Gabini*, *Crispoli*. Martyrologium Ottobonianum: *In Antiochia*, *natalis sanctorum Sicci*, *&* *Palatini*. *Turribus Sardiniæ*, *Gabini*, *&* *Crispoli*. Ex tantis fluctibus, a librariis excitatis, quis emergat? Ad littus *Gabinium* *&* *Crispolum* adducimus, quos Sardiniæ tribuimus; quamquam inquirat Henschenius hac die pag. 235. an *Gabinus* idem sit, ac *Gabinus*, de quo Hieronymiana ad diem xxv. *Octobris*. Hujus rei plenum commentarium per Bollandianos, pollicetur Sollerius in Usuardum hac die. Videsis Tillemontium tom. II. pag. 230. & tom. v. pag. 143. Sub *Hadriano* Imp. passi dicuntur.

Isicii & Palatini. *Isicius*, & *Palatinus* martyres a nostris codicibus memorantur, intacti a genuino Usuardo, sed mirum in modum eorum nomina corrupta ex Martyrologiis modo audivimus. Emendate tamen, & apertis verbis agit Martyrologium Fuldense hac die, in quo habetur: *Antiochia*, *natalis sanctorum Isicii*, *&* *Palatini*, *qui multa tormenta passi sunt*. Iisdem ferme verbis occurrunt in apographis Hieronymianis. Gellonense habet: *Sici*, *Palatini mart.* Denique Notkerus; *In Antiochia*, *sanctorum Isychii* *&* *Palatini*, *qui*, *ut S. Hieronymus scribit*, *multa tormenta*, *propter Christi nomen sunt passi*. En ergo & hi martyres postliminio restituti, quorum alteri *Isichii*, seu *Isychii*, alteri *Palatini* nomen est, & *Antiochenæ* urbis martyres. Recte etiam genuino Adoni ex tanta Martyrologiorum veterum fide vindicari possunt, neque detrudendi videntur in illius Appendicem, ut fecit Rosvveidus. Videsis Bollandianos hac die, pag. 239.

Hucberti. *Hucbertus*, seu *Hubertus* Episcopus *Tungrensis* ab Usuardo, ut censuit Sollerius, *Episcopi* & *confessoris* nomine in Martyrologiis est adnotatus, sed an *Tungrensis*, an *Trajectensis*, an demum *Leodiensis* Ecclesiæ Episcopus fuerit, anceps hæret, quia in Usuardi Auctariis, modo *Leodiensis*, modo *Tungrensis*, modo *Trajectensis* Episcopus dicitur. Accipe autem Usuardi genuini verba: *Ipsa die*, *sancti Hucberti Episcopi* *&* *confessoris*. Codices nostri *Tungrensem Episcopum* apertis verbis *Hucbertum* faciunt. Papebrochius in Actis hac die pag. 272. anceps & ipse, ac dubius est, an hodie agatur de *Hucberto* Episcopo, an de *Hucberto* monacho *Britiniacensi* in Suessionensi diœcesi, vulgo loci nomen *Bretigny*, imo Acta *Hucberti* monachi in lucem edit, prætermisso Hucberto Episcopo. De *Hucberto* una cum Felice Papa meminit Wandelbertus, hoc uno versiculo.

Tertia Hugberta, *Papa* *&* *Felice dicatur*.

Ad hæc Sollerius conjicit, designari *Hucbertum* Episcopum *Trajectensem*, qui *S. Lamberto* suffectus, *Trajecto* Leodium sedem transtulit, & ab Usuardo hac die positum, licet die IX. *Novembris* colatur. Illud autem exploratum est, a nostris codicibus hodie *Hucbertum* Episcopum *Tungrensem* memorari. *Hucbertus* fuit discipulus *S. Lamberti*, seu *Landeberti Tungrensis* Episcopi & *martyris*, qui martyrium subiit c. A. D. 708. ejusque corpus *Trajecti* ad *Mosam* in suburbana *S. Petri* Ecclesia, juxta *Aprum* ipsius patrem conditum est. Inde post annos tredecim, in basilicam illius nomine insignitam in vico Leodico erectam, ab *Hucberto*, de quo agimus, illius successore translatum. Hæc habes apud Mabillon. Annal. Bened. lib. XIX. §. XXXVIII. ad an. 708. Pagius in Critica ad an. 699. num. I. existimat, S. *Lambertum* martyrio coronatum an. 707. eique successisse *Humbertum*, qui *Leodium* sedem transtulit. Idem ad an. 727. num. IV. & ad an. 754. num. XXIV. una cum Cointio monet, *Hubertum* obiisse hoc an. 727. Prima reliquiarum ejus translatio per Carolomannum Caroli Martelli filium facta est an. 743., ut habet idem Pagius ad an. 771. num. IV. Secunda translatio ex Leodiensi S. Petri oratorio ad *Andaginense* monasterium in saltu Arduennensi facta est VI. *Nonas Octobris* A. D. 825. ex quo *Andaginense* monasterium, S. *Huberti* appellari cœpit. Ita habet Pagius ad an. 825. num. XXVII. Id etiam paucis ostendit Mabillonius in Annalibus Benedictinis lib. XXVIII. §. LXIX. ubi ex Jona, ut putat, Aurelianensi Episcopo, qui rei historiam litteris mandavit, quid ob hanc translationem faciendam, curatum sit, summatim enarrat. Vulgatus Ado *Hubertum* recolit die III. *Novembris*. At abest ea die *Hubertus* a genuino Adone, & a genuino Usuardo; sed habetur tantum in utriusque Auctariis. In Martyrologio Romano colitur III. *Novembris*, qua die *Hubertus confessor* memorator in Kalendario Vat. 3806. Mantissæ loco damus Chronicon Leodiense apud Labbeum Bibliothecæ novæ MSS. tom. I. pag. 335. ubi ad an. 735. habetur: *Obiit S. Hugbertus Episcopus*. Et ad annum. 825. *Translatio sancti Hugberti Episcopi in Audagio*. Nisi in his numeris error est, *Hucbertus* obiit A.D. 735.

D. PRI-

D. PRIDIE KALENDAS JUNII. *31. Maji.*

ROMÆ, S. Petronillæ virginis. Hæc fuit filia beatissimi Petri Apostoli, quæ post multa miracula sanitatum, cum *Petronilla.* eam Flaccus Comes suo vellet conjugio sociare, tridui inducias postulans, & cum sancta virgine Felicula collactanea sua con- *De ea in gestis Nerei. 12. Maii.* tinuis jejuniis atque orationibus vacans, tertio celebratis Dominicæ oblationis mysteriis, mox ut Christi Sacramentum accepit, reclinans se in lectulo, emisit spiritum.

Eodem die apud Aquilejam, natalis sanctorum martyrum *Cantii & soc.* Cantii, Cantiani, & Cantianillæ fratrum.

Crescentiani. Turribus Sardiniæ, natalis sancti Crescentiani.

VARIA LECTIO. Ed: *tertio celebratis Dominicæ &c.* Cod. 511. 512. & 514. *tertio die celebratis Dominicæ oblationis &c.* Post verba: *& Cantianillæ fratrum*, sequitur in eisdem codicibus: *qui cum essent de genere Aniciorum progeniti, ob christianæ fidei constantiam una cum pædagogo suo Proto, capite plexi sunt. Turribus Sardiniæ, natalis Crescentioni.*

Petronilla. ADNOTATIO. Illustris *Romæ* virgo *Petronilla*, quæ a barbaris librariis aliquando *Petronella* scribitur, celebratur hac die a Hieronymianis, licet in quorundam eorum apographis, corrupte legatur, *Aquilejæ*, pro *Romæ*, ut animadvertit Florentinius pag. 561. Apographum Corbejense agit de ea die XXIX. *Maii*, & recte habet: *Romæ, natalis sancta Petronillæ*. Corbejense brevius agit die XXX. *Maji*. Cæterum alii fere omnes agunt hac die XXXI. *Maji*, ut Beda, Gellonense, Romanum parvum, Ado noster, Rabanus, Usuardus, Notkerus, Wandelbertus, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Kalendarium Vat. 3806. Martyrologium Reginæ Suecorum ita habet: *Romæ, via Aurelia, natalis sanctarum Petronillæ, Processi, Martiniani*. An forte pro *via Aurelia*, scribendum est *via Ardeatina*? Vetera monumenta nos edocent, *Petronillam* fuisse *via Ardeatina* sepultam. Notitia ab Eccardo edita: *Juxta viam Ardeatinam Ecclesia est S. Petronellæ: ibi quoque S. Nereus & S. Achilleus sunt, & ipsa Petronella sepulti*. Itaque *via Ardeatina*, non *Aurelia* Petronilla colebatur. De illius cœmeterio vide vulgatum Anastasium in Gregorio III., Baronium, Aringhium, & alios. In plerisque Martyrologiis, quæ citavimus, dicitur *filia S. Petri*; cur hoc nomine donetur, vide Baronium ad an. 69. num. XXXII. XXXIII. & Henschenium hac die pag. 420. De illius Actis, vide ibi Baronium, & Henschenium, quibus adde Tillemontium tom. 1. pag. 189. Ex ipsorum exordio, a barbaris scriptoribus ea fœdata esse noscuntur; nam in codice Reginæ Suecorum 482. sæculi circiter X. pag. 35. ita prænotantur: *Incipit de obitu sanctæ Petronillæ, & passionem* (sic) *Pelicola scriptam* (sic) *ad Nereum & Achilleum. Petronillam itaque bene nostis, voluntatem* (sic) *Petri Apostoli clericam factam; nam necole fuisse vos &c.* usque *martyris ejus, qui passus est &c.* In capitulari Evangeliorum Vaticano 43. optimæ notæ, die IX. Octobris ita habetur: *Translatio corporis sanctæ Petronillæ*, & ponitur ibi Evangelium ea die dicendum. De hac translatione, nempe corporis S. Petronillæ ex ejus cœmeterio in Oratorium prope basilicam Vaticanam, a *Paulo* I. Romano Pontifice facta, ex Sigeberto in Chronico ad an. 758. agit Baronius an. 758. n. 1. & *seq.* ubi vulgati Anastasii locum in Vita ejusdem *Pauli* profert, in quo hæc habentur: *intra Ecclesiam beati Petri Apostoli foras muros hujus civitatis Romanæ* (in Vaticano videlicet) *novum oraculum* (Oratorium scilicet) *in honorem sanctæ Dei Genitricis construxit juxta Oratorium S. Leonis Papæ, secus fores introitus* S. PETRONILLÆ &c. Olim igitur *Romæ* hæc translatio die IX. *Octobris* celebrabatur.

Cantius cum sociis apud *Aquilejam* marty- *Cantii, & soc.* ribus colitur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Gellonensi, Rabano, Adone, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviore, Martyrologio Reginæ Suecorum, Fuldensi, Ottoboniano, & Kalendario Vat. 3806. In nonnullis eorum *Cantius* tantum memoratur. Sollerius vulgato

to Adoni iunixus, nullo elogio ab eo hos martyres ornari scribit, & verba de *genere Aniciorum* apud Usuardum, non ex Adone, sed ex Actis, quæ in codicibus, & apud Mombritium leguntur, sumpta fuisse. Ea verba vide in codicibus Adonianis. Ambrosii nomine hæc Acta olim circumferebantur; quo nomine ea leguntur apud Mombritium. Verum Mabillonius ex codice Ulrici Obrecti hæc Acta, nullo Ambrosii nomine inscripta, edidit ad calcem Liturgiæ Gallicanæ pag. 467. Nos eadem Acta olim vidimus in codice Canonicorum Forojuliensium, quorum exordium, ac finis, ut & in Actis apud Mabillonium, ita se habet: *Passio sanctorum Cantianorum. Omnia quæ a sanctis gesta sunt, vel geruntur, si quis voluerit studiose perquirere, & sibi & pluribus ædificationis exhibet fructum &c.* In fine: *Passi sunt autem beatissimi martyres Cantius, Cantianus, & Cantianilla sub Sisinno Comite, Pridie Kalendas Junii. Regnante Domino nostro &c.* In Actis hi martyres dicuntur *de genere Aniciorum, hoc est divæ memoriæ Carini Imperatoris, noscuntur progeniti; & intra urbem Romam, in quarta decima regione nati, atque edocti probantur.* Paullo ante *Protus* eorum *pædagogus* memoratur. Quæ autem in his Actis expurganda sint, vide apud Tillemontium tom. v. pag. 636. Vide etiam Henschenium hac die pag. 417. *Protum* pædagogum hac die designant aliqua Hieronymiana apographa una cum *Chrisogono*. *Procati* post *Cantium* meminit Gellonense. *Proti* Rhinoviense, & Richenoviense. *Brocati*, & *Procoti* Augustanum & Labbeanum. *Grisogone* post *Cantianum*, & ante *Cantianillam* meminit Martyrologium Reginæ Suecorum. Passus est autem *Cantius* una cum aliis, Diocletianea persecutione A. D. 304. Parergon loco nonnulla de *Aniciana* familiæ splendore sæculo Christi IV. ex Baronio in Notationibus hac die, & ex illius Annalibus subjicienda hoc loco putamus. Memoratur autem *Anicius Julianus* consul cum *Petronio Probiano* A.D. 322. quem Baronius ad an. 322. n. I. christianum fuisse existimat, propterea quia Prudentius adversus Symmachum lib. I. dum Romanum Senatum ad Christi fidem conversum describit, de *Anicio* sic habet:

> *Fertur enim ante alios generosus Anicius Urbis*
> *Illustrasse caput; sic se Roma inclyta jactat.*

A. D. 325. Consul fuit *Anicius Paulinus* una cum *Anicio Juliano*. *Anicius Paulinus* fuit patruus *Anicii Paulini* junioris, A.D. 334. consulis, qua de re Thomas Reinesius in Syntagmate Inscriptionum, ubi de Aniciana familia, pag. 67. & epist. LXIX. ad Rupertum. De *Anicio Paulino juniore*, cos. A. D. 334. egregium honoris caussa exstat epigramma, ex veteri Inscriptionum collectione, apud Baronium ad an. 394. n. LXXVIII. ubi ejus dignitates enumerantur ante consulatum gestæ; fuerat enim *Proconsul Asiæ, & Hellesponti, Præfectus Urbi, Vice sacra judicans*, & ob nobilitatis meritum, justitiam, ac censuram, petitu populi Romani, testimonio Senatus, & judicio Cæsarum statua auro superfusa, sumptu publico donatus est. *Paulinus* inter alios Senatores christianos in Urbe celebres enumerat Prudentius lib. I. adversus Symmachum, dum canit:

> *Non Paulinorum, non Bassorum dubitavit*
> *Prompta fides dare se Christo, stirpemque superbam*
> *Gentis patriciæ venturo attollere sæclo.*

Ad *Anicianam Proborum, & Olybriorum* familiam spectant, quæ habet S. Hieronymus epist. VIII. ad Demetriadem: *Nunc mihi*, ait, *Proborum, & Olybriorum clara repetenda sunt nomina, & illustris Anicii sanguinis genus, in quo aut nullus, aut rarus est, qui non meruerit consulatum: nunc proferendus Olybrius virginis nostræ pater, quem immatura morte subtractum Roma congemuit.* Anicius *Hermogenianus Olybrius, & Anicius Probinus*, consules A. D. 395., filii fuerunt *Aniciæ Faltoniæ Probæ*, & *Sex. Anicii Petronii Probi*, consulis A. D. 371., quapropter Hieronymus in eadem ad Demetriadem epistola scribit: *Probus ille, omnium dignitatum & cunctæ nobilitatis in urbe Roma nomen illustrius; cujus sanctitas, & in universos effusa bonitas, etiam apud barbaros venerabilis fuit; quem trium liberorum, Probi, Probini, & Olybrii non fatigarunt ordinarii consulatus.* Vetera monumenta *Sexti Petronii Probi*, ac Epitaphium *Probi & Probæ* protulit Baronius ad an. 395. n. v. *& seq.* Ibi plura de *Probis*, ac de inventis Proborum sepulcris in basilica Vaticana, anaglypho opere insculptis, & intus pretiosis vestibus repletis. Vide insuper quæ Baronius in Notationibus hac die de hac familia profert.

De *Crescentiano*, Turribus in Sardinia martyre agunt hac die Hieronymiana, & ex eis Ado, Usuardus, Notkerus. Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *Turribus, Sardiniæ, natalis sancti Crescentiani*. Martyrologium Ottobonianum: *Turribus Sardiniæ, Christiani* (pro *Crescentiani*). Martyrologium Reginæ Suecorum ad diem XXVII. *Maji* meminit *Crescentiani* una cum aliorum martyrum in Sardinia cohorte. Ita enim præfert: *In Sardinia, natalis sanctorum Salustiani, Eutici Episcopi, Crescentini, Ticiani, Quinti, Sciabili*. Ea quoque die Ottobonianum: *In Sardinia, Salutiani, Frici Episcopi, Crescentiani, Quintiani, & Quinti*. Ad eam diem *Crescentini* mixtim cum aliis in Sardinia meminit Richenoviense. Passus fertur sub Hadriano Imp. De eo ex Martyrologiis Bollandiani socii hac die XXXI. *Maji* pag. 422. *Crescentiani.*

LITA-

LITANIÆ INDICENDÆ.

MENSIS JUNIUS.

Habet dies xxx. Luna vero xxix.

E. KALENDIS JUNII. *1. Junii.*



DEDICATIO fancti Nicomedis martyris & presbyteri apud urbem Romam, cujus martyrium celebratur xvii. Kalend. Octobris. *Dedicat. S. Nicomedis;*

Apud Cæfaream Palæftinæ, natalis fancti Pamphili presbyteri, viri admirandæ fidei & fanctitatis, qui fub perfecutione Maximini martyrio coronatus eft. Hujus vitam Eufebius Cæfareenfis Epifcopus tribus libris comprehendit. Sed & beatus Hieronymus fcribit, quædam volumina manu ejus exarata fe reperiffe: *Quæ tanto*, inquit, *amplector & fervo gaudio, ut Crœfi opes habere me credam. Si enim lætitiæ eft unam epiftolam habere Martyris, quanto magis tot millia verfuum, quæ mihi videtur fui fanguinis fignaffe veftigiis.* *Pamphili.* Hieron. de Script. Eccl. c. 75.

Ipfo die, fancti Caprafii Abbatis monafterii Lirinenfis. *Caprafii.*

Apud Viennam, fancti Claudii xi. Epifcopi. *Claudii.*

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. & 514. ita incipiunt: *Romæ, dedicatio fancti Nichomedis, cujus martyriam* xvii. *Kal. Octobris ibidem celebratur. Apud Cæfaream &c.* Ed. *perfecutione Maximini*. Cod. 511. *Maximi*. Cod. 512. *Maximiani*. Cod. 514. *Maximini*. Poft verbum: *veftigiis*: fequitur in eifdem codicibus: *Auguftoduno, fanctorum Riviani Epifcopi, & Pauli presbyteri cum aliis* x. *qui fub Aureliano principe martyrio coronati funt. Ipfa die, fancti Caprafii Abbatis monafterii Lirinenfis*. Cod. 512. poft verbum: *Lirinenfis*, addit: *In Henfion monafterio, tranfitus fancti Jovini Abbatis & confefforis*. Deeft in memoratis codicibus *S. Claudius* Epifcopus Viennenfis. *Riviani & Pauli.* *Caprafii.* *Jovini.*

Dedicat. S. Nicomedis. ADNOTATIO. Illud olim in more Romanæ Ecclefiæ pofitum fuit, ut nonnullarum in Urbe Ecclefiarum dedicationes quotannis rite coleret. Has inter celebritates in veterrimis ejufdem fanctæ Romanæ Ecclefiæ tabulis defignatur *dedicatio S. Mariæ ad martyres*, item *dedicatio Ecclefiæ S. Nicomedis*, & S. *Michaelis Archangeli*. Fuit autem Ecclefia *S. Nicomedis* extra muros Urbis via Nomentana, ubi ille fepultus fuerat. *Sebaftianus presbyter tituli S. Nicomedis* fubfcripfit Synodis Romanis fub Symmacho. Hujus autem bafilicæ, feu tituli dedicationis memoria hac die in Martyrologia relata eft. A Romano parvo, ut videtur Sollerio, primum confignata fuit, his verbis: *Dedicatio S. Nicomedis martyris*. Sed & ante, ut idem Sollerius monet, Beda genuinus, qui habet: *Natalis Nicomedis martyris*. Sequuti funt Rabanus, in quo habetur: *Ecclefiæ dedicatio* ejufdem *fancti Nicomedis*, Ado, Ufuardus, & Wandelbertus. Alia verborum formula utitur Martyrologium Fuldenfe, dum hac die habet: *Commemoratio fancti Nicomedis martyris*. Rhinovienfe: *Romæ, dedicatio S. Nicomedis martyris*. Richenovienfe: *Romæ, Loventii, Exuperantii. Dedicatio fancti Nicomedis martyris*. Auguftanum: *Nicomedis martyris*, mixtim

cum aliis. Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum: *Natalie sancti Nicomedis martyrie*. Codex Usuardi Pratensis habet: *Romæ, dedicatio natalis sancti Nicomedis presbyteri & martyris*. Insolens visa est hæc formula *dedicatis natalis*, sed in veterrimis libris uliquaodo occurrit, ut mox videbimus; nam in Sacramentario Gregoriano in codice Reginæ Suecorum 337. sæculo VIII. scripto, in Missa hujus diei *prima Junii* hic titulus præfigitur: *Dedicatio natalis S. Nicomedis*. Sacramentarium vero Ottobonianum ejusdem ævi habet: *Dedicatio basilicæ S. Nicomedis*. Alia item Sacramentaria Missam hac die de hujus dedicationis celebritate habent. Missale plenarium Vat. 4770. ita præfert: *Natalis S. Nicomedis*. Prima oratio est: *Deus, qui nos beati Nicomedis* &c. Die vero XV. *Septembris* Missam habet in *natali S. Nicomedis*. Sacramentarium Vat. 4772. *Kal. Junii* ita habet: *Sancti Nicomedis. Eodem die sancti Veriani cum aliis multis*. Prima oratio est de S. *Nicomede*. Secunda hæc est: *Præsta, quæsumus omnipotens Deus, ut qui sanctorum martyrum tuorum Faustini, Crescentiani, Griciniani, Viriani, Orfiri, Exuperantii, Benedicti, atque Fortunati solempnia colimus, eorum etiam virtutes imitemur*. Hi martyres, quibus in Actis additur *Eutropius*, & *Faustini* loco legitur *Justini*, apud *Tiphernates*, & *Urbinates* coluntur. Passi dicuntur Diocletianea persecutione. Eorum Acta vide apud Bollandianos hac die p.60. Ad *S. Nicomedem* redeamus. Hujus dedicationis memoria sensim obsolevit, ac in vetustis tantum libris servata, eamque Martyrologium Romanum præteriit. Cætera, quæ ad S. *Nicomedem* pertinent, ad diem XV. *Septembris* adnotabimus.

Pamphili. De *Pamphilo* martyre celeberrimo agit hac die Romanum parvum his verbis: *Et sancti Pamphili martyris*; deinde Ado noster ex Eusebio, & Hieronymo. Adonem sequuntur Usuardus, & Notkerus. Agunt etiam Martyrologium Fuldense, & Kalendarium Vaticanum 3806. Mendum apud Usuardum Pratensem irrepsit dum loco *presbyteri* scriptum est *Episcopi*, quod monuit Sollerius. Passus est una cum aliis, & flammis absumptus, ut habet Eusebius l. VIII. c. XIII. & in libro de Martyribus Palæstinæ cap. XI., Maximini persecutione; & quidem A.D. 309. XIV. *Kal. Martias*, hoc est die XVI. *Februarii*, qua die colitur in Hieronymianis. Eadem apographa de *Pamphilo* agunt die II. *Junii*, licet nomine corrupto. Apographum Lucense ea die habet: *In civitate Cæsarea, Thamati, Honorati, Seleuci, Porfiri, Paphili, Palæstini, Rogate*. Epternacense habet: *Pafili*. Corbejense: *Pamphili*. Florentinius in notis pag. 571. censet, die *prima*, vel *secunda Junii*, *Pamphilum* a Hieronymianis recoli, ob aliquam ejus basilicæ dedicationem, seu reliquiarum translationem. *Pamphili* meminit die II. *Junii* Richenoviense. Acta Græce & Latine ex Eusebio in codice Mediceo ediderunt hac die Bollandiani pag. 64. & *seq*. De tribus Pamphili libris a Martyrolographis commemoratis, adeundus Papebrochius hac die pag. 63. num. 5. adversus Henrici Valesii sententiam. Sed accurate omnia, quæ ad Pamphilum pertinent, expendit Tillemontius tom. V. pag. 418. & *seq*. De ejus *Epistolis*, & *Apologia* pro Origene idem Tillemontius, & alii qui de Scriptoribus Ecclesiasticis egerunt. De *Apologia* pro *Origene* consule Baronium ad an. 256. num. XXXVIII., & *seq*. & ad an. 308. n. XV. Fontaninum in Historia literaria Aquilejensi lib. V. cap. V. num. III. & *seq*.

Caprasii. *Caprasius* Abbas *Lirinensis* Adoni tantum, & Usuardo notus esse videtur, quum de eo alii ex vetustioribus sileant. *Caprasii* meminit Sidonius Apollinaris in Eucharistico ad Faustum. Non ante A. D. 433. obiisse videtur Mabillonio in Annalibus Benedictinis lib. I. §. XXXIII. Fuit autem institutor *Honorati* Episcopi *Massiliensis*. Sed longe plura de Actis & gestis Caprasii habes apud Bollandianos hac die pagin. 77. & *seq*.

Claudii. *Claudius* Viennensis Antistes deest in nostris codicibus, deest & in genuino Usuardo, quapropter non satis se perspicere notat Sollerius, cur *Claudium* Usuardus omiserit. Codices nostri, aut his similes in caussa forte sunt. Fuit XI. Viennensis Episcopus, floruitque Christi sæculo IV. De eo ex Martyrologiis Bollandiani hac die pag. 72.

Riviani & Pauli. *Riviani*, & *Pauli* elogium hac die profert Usuardus genuinus iisdem verbis, æque ac in codicibus nostris, si nomen *Riviani* excipias, quod in *Reverianum* commutat Usuardus. Sollerius existimavit, ab Usuardo primum hos martyres in Martyrologicos fastos relatos. Si codices nostri fidem aliquam mereantur, ex Adoniano fonte Usuardum bibisse dicamus, quamvis Sollerius definiat, non esse audiendum Petrum de Natalibus, qui hos martyres Adoni adscribat. Eorum Acta vide apud Bollandianos pag. 40.

Jovini. *Jovinus* Abbas, de quo codex noster 511., præteritur ab Usuardo genuino, sed habetur tantum in ejus Auctariis, in quibus legitur: *Pictavis, sancti Jovini Abbatis*. De eo ex Martyrologiis agunt hac die Bollandiani p. 73. & floruisse putant sæculo Christi IV. *Hension*, seu *Hensionense* monasterium, quod indigitat codex noster, dictum est *Ension*ense, & *Ansionense*, & stabat jam ante sæculum sextum, sed quo auctore, inquit Mabillonius Annal. Bened. lib. III. §. 21. quove tempore cœperit, non constat. Quidam ejus originem tribuunt S. *Jovino*, cujus nomine postea insignitum fuit, & reliquiis ejus decoratum. Situm est prope *Marnas*, vulgo nunc *S. Jouin de Marnes*. Vide sæculum I. Bened. pag. 688. & *seq*. *Jovinus* a recentioribus *Maximini* Trevirorum Episcopi germanus frater dicitur.

F. IV. NO,

F. IV. NONAS JUNII. 2. *Junii.*

ROMÆ, Marcellini presbyteri & Petri exorcistæ, sub Diocletiano, judice Sereno. Factum est dum teneretur beatus Petrus in obscurissimo carcere vinculis ferreis adstrictus, ut custos carceris nomine Artemius haberet filiam dæmoniacam, quam unice diligebat. Cui vir Dei Petrus dixit: Audi consilium meum, Artemi, & crede unigenitum filium Dei vivi Dominum nostrum Jesum Christum, qui est liberator omnium in se credentium. Si credideris, salvabitur filia tua. Cui Artemius: Miror imprudentiam consilii tui. Te Deus tuus liberare non potest, cum illi credas, & quotidie pro ejus nomine plagas & vincula perferas, quomodo poterit filiam meam liberare si ei credidero? Si me vis credere Deo tuo, ecce ego duplicabo super te catenas, & claustra omnia carceris muniam; te autem ipsum in ipsa ima tenebrosa solum includam. Si de his omnibus liberaverit te Deus tuus, credam ei. Cui beatus Petrus assensum dedit, promittens ad domum illius se venturum. Hoc inquam faciam non ad libitum tentationis tuæ, sed ad declarationem divinitatis Domini mei Jesu Christi. Agitans caput Artemius, iste, inquit, homo nimiis passionibus fatigatus, aliena loquitur, & hæc dicens abscessit. Narravitque gesta & dicta uxori suæ Candidæ. Et ecce subito noctis initio, adest homo Dei Petrus Artemio & Candidæ indutus vestibus candidis, tenens in manu sua triumphum Crucis. In cujus vestigia corruentes illi, clamabant: Vere unus Deus est, & verus Dominus noster Jesus Christus. Statimque filia eorum, nomine & corpore virgo Paulina, a spiritu immundo vexata, curata est. Et cum hoc fieret, omnes, qui in domo Artemii erant, crediderunt. Convenitque multitudo vicinorum amplius quam trecentorum, mulierum vero abundantior numerus, clamantium: Præter Christum non est alius Deus. Cumque omnes cuperent fieri Christiani, adduxit vir Dei Petrus Marcellinum presbyterum, qui omnes unanimiter baptizavit. Sed Artemius omnes qui in vinculis erant absolvit, qui & omnes Baptismi gratiam perceperunt. Audiens hoc judex Serenus, jussit Marcellinum presbyterum & Petrum exorcistam præsentiæ suæ exhiberi. Et auditum beatum Marcellinum jussit pugnis cædi in ambabus arteriis. At ubi defecerunt cædentes, ab eo Petro separato, jussit ut nudus super vitri fragmenta sterneretur in custodia, & victus ei & lumen negaretur. Petrus conversus ad Serenum dixit: Cum sis nomine Serenus, totum te nubilum & tenebrosum factis ostendis. Tunc & ipsum Serenus jussit in vinculis recipi, & pedes in cippo arctissimo

Marcellini & Petri.

ctissimo constringi. Factum est dum separati essent, apparuit Angelus Domini Marcellino presbytero oranti nudo, & induit eum vestimentis suis, & adduxit eum ubi beatus Petrus erat in cippo & ferro. Sed & ipsum solvit, & ambos perduxit ad domum ubi nuper baptizati orabant. Non post multum vero, cum beatus Artemius cum uxore & filia sententiam capitalem suscepissent, comprehensi & illi ab his, qui sanctos Dei Martyres punituri erant, alligati sunt manibus retro ad arborem, usque dum nuntiaretur judici Sereno de eis. Ille jussit eos duci in silvam nigram, quæ hodie in honore sanctorum Silva candida appellatur, & in eadem ambos pariter decollari. Cumque ventum fuisset in media silva, ipsi sibi manibus suis mundaverunt locum ab spinis, ubi orantes simul, & dantes sibi pacis osculum, genu posito decollati sunt: & qui eos decollavit, vidit animas eorum splendide ornatas ab Angelis ferri ad coelos: & pœnitentiam agens, sub Julio Papa baptizatus est in senectute sua, nomine Dorotheus. Quorum corpora, revelantibus se beatis Martyribus, tulerunt postmodum Lucilla & Firmina Christianissimæ feminæ, & juxta sanctum Tiburtium in inferiori parte cryptæ sepelierunt quinto Kalend. Septembris.

Blandinæ cum XLVIII martyr.

Ipso die Lugduni, sanctæ Blandinæ cum XLVIII. Martyribus, temporibus Marci Aurelii Veri & Antonini atque Lucii filiorum ejus, quando per multas Romani orbis provincias, ex acclamatione & seditione vulgi, persecutiones adversus Christianos durissimæ concitatæ sunt, ita ut millia multa Martyrum per loca singula fierent. Quo tempore apud Lugdunum & Viennam urbes Galliæ, erga Dei servos, supra omne narrationis genus, suppliciorum & cruciatuum modus exhibitus est: ita, ut primo domorum illis prohiberetur habitatio; tum deinde usus balnearum: post etiam processus ad publicum: ad ultimum, ne omnino in quolibet loco, domi forisque, publico privatoque, viderentur. Denique quodam adstante Tribuno & Primoribus civitatis pro solis acclamationibus populi correpti, & in carcerem trusi sunt Christiani, usque ad præsentiam Præsidis: cuique advenienti offeruntur. In quos ille tanta crudelitate usus est, ut sævitiæ ejus species singulas nemo possit exponere.

Euseb. l. 5. c. 1. 3. Ruf. fin.

Vectius igitur Epagatus, unus e fratribus, zelo divino & fervore spiritus plenus, cum crudelia servis Dei supplicia videret inferri, & contra jus fasque tot pœnas humanis visceribus excogitari, indignitatem rei ultra non ferens, poposcit se audiri. Erat enim inter suos nobilissimus & eruditissimus. Verum cum defensionem ejus non reciperet obstinatio Judicis, inquirit tantum

ab

ab eo si & ipse Christianus esset. Utque Christianum se esse clarissima & libera voce testatus esset: Tamquam advocatus, inquit, Christianorum, & ipse vinctorum numero societur. Ille vero habens in se advocatum pro nobis Jesum, hoc nomine meruit hono- 1. Jo. 2. rari: sancti presbyteri Zachariæ (qui erga sanctos plenitudinem charitatis ostenderat) secutus exemplum. Qui & ipse dum fratribus adest, & defensionem libertatis, quæ in nostra religione consistit, exequitur, Dominicum sequutus exemplum, animam suam pro ovibus suis posuit, & pro amicis.

Verum beatus Photinus Lugdunensium Episcopus, cum nonagenario major esset ætate, & corpore, utpote illius ævi, invalidus, cetera jam pæne mortuus; solo martyrii amore vivebat; ducitur ad tribunalia, immo potius defertur, senio & languore resolutus. Impiæ plebis undique clamor attollitur, hunc ipsum esse insonant Christum. Tum vero a Præside interrogatur, quisnam esset Christianorum Deus. Respondit: Si dignus fueris, scies. Hinc vero cunctos velut rabies immensi cujusdam furoris invasit, ita ut qui prope adstabant, pugnis, alii calcibus subigerent senem. Illi vero, qui longius erant, quidquid furentibus teli venisset in manibus, eminus jaciebant. In hoc etenim vindicandos deos suos esse credebant. Quem cum seminecem projecissent in carcerem, incontaminatum paulo post reddidit spiritum.

Diaconus quoque Sanctus nomine, etiam ipse supra quam dici potest, & supra quam humanam fas est ferre naturam, acrius insistentibus ministris dæmonum, nova genera pœnarum pertulit. At ille vir Deo plenus intantum crudelitates eorum risit, & ferinam in quæstione sævitiam, ut numquam dignatus sit vel quis esset genere, unde domo, vel patria, vel nomen saltem suum eis fateri. Sed de his singulis interrogatus, nihil aliud in omnibus tormentis, nisi Christianum se esse respondit. Hoc mihi nomen, hoc genus & patria est. Aliud, inquit, omnino nihil sum quam Christianus. Ad ultimum candentes laminas æris & ferri circa inguinis loca & delicatiora quæque membrorum instauratis ignibus adhibent. Ex quo carnes quidem ejus adustæ igne, defluebant: ipse vero permanebat immobilis, inconcussus, intrepidus: omnibus membris martyr erat, & toto corpore unum vulnus horrebat. Perit in eo formæ humanæ agnitio, & non solum quis esset, sed & quid esset, tormentorum crudelitas, ne agnosci posset, abstulerat. Christus tamen in eo solus per martyrii gloriam recognoscebatur. Sed artifices scelerum nequaquam Martyris erubuere virtutem. Post paucos etenim dies, tormenta rursus inferunt, & denuo jam membra putrefacta vexari incipiunt.

Verum

Verum (quod vix credi poteſt) reſtitutum eſt in primam ſpeciem corpus per ſecunda tormenta, ita ut iterata ſupplicia non ei jam pœnam contulerint, ſed medelam.

Attalus quoque Pergamenus civis, populi vocibus poſtulatur. Erat enim valde nobilis, & quod cunctis nobilius eſt, vir optimæ conſcientiæ, & in fide Chriſti per omnia exercitia ſemper martyr. Cumque circumactus fuiſſet in amphitheatro, titulo ſe præcedente, in quo ſcriptum erat, *Attalus Chriſtianus*: fremere in eum vulgi inſanientis furor vehementius cœpit. Sed cum Præſidi indicatum fuiſſet, eſſe eum Romanæ civitatis virum, jubet cum ceteris in carcerem recipi. Simul & ad Cæſarem refert; ejuſque ſententiam, quid de eo juberet, exſpectat. Ex utraque autem Eccleſia, Lugdunenſi ſcilicet & Viennenſi, omnes qui ſtudioſi & magni videbantur, & quorum labore & induſtria regebantur Eccleſiæ, univerſi pariter tenebantur. Talibus denique diabolus machinis oppugnare parabat famulos Dei, quo ſcilicet afflictione carceris & pœnali ſqualore conſumpti, ac ſeptimo (ut dicunt) puncto in nervo pedes, contra quam credi fas eſt, diſtenti, in intimo tenebrarum loco, per omnia pœnarum genera, quæ furentium ſævitia excogitare poterat, deperirent. Quam plurimi ergo hoc genere in ergaſtulis conſumuntur, Domino ſuſcipiente eorum hujuſcemodi exitum.

Alcibiades quidam erat in numero eorum, qui pro Chriſto vincti tenebantur. Hic vitam ſatis arduam & auſteram gerebat, nihil cibi volens accipere, ſed tantum ſale & pane cum aqua utebatur. Cumque hunc vitæ rigorem vellet etiam in carcere poſitus obtinere, Attalo (poſt primam confeſſionem ſuam, quam in amphitheatro confeſſus eſt) revelatur, quia non recte faceret Alcibiades, creaturis Dei & ipſe non uti, & aliis formam ſcandali derelinquere. Quibus cognitis Alcibiades cœpit omnia cum gratiarum actione percipere. Igitur cum a Cæſare reſcriptum fuiſſet, ut perſiſtentes quidem punirentur, negantes autem dimitterentur; die quodam celeberrimo tribunal aſcendens, præſentari ſibi Judex Chriſtianos, & introduci ad ſuppliciorum pompam; præbendam cunctis qui aderant, jubet. Rurſum itaque cruces; rurſum pœnæ, rurſum tormenta reparantur. Producebantur autem beatiſſimi Martyres de ſuppliciis læti, & divinum neſcio quid in ipſis vultibus præferentes, vincula ſua ſicut monilia pretioſa ducebant. Per ſqualorem carceris, Chriſti bonus odor effecti, ita ut viderentur ſibi non in ergaſtulo ſed in myrothecio concluſi. Ingenſque ab omnibus gloria Chriſto conferebatur, pro his, qui ante negaverant, & dimitti neque negantes potuerant. Siquidem 2. Cor. 2.

decem

decem ferme numero fuerant, qui lapsu suo luctum illis & ingentem tristitiam reliquerant: nunc vero (cum negantibus venia non præstaretur) in confessione persisterent, & de perditionis grege revocati in numero Martyrum jungerentur. Decernit ergo Judex, ut si qui forte cives Romani reperirentur, capite plecterentur: ceteri vero bestiis traderentur.

Igitur cum erga supradictos quæstio haberetur, Alexander quidam genere Phryx, Medicus disciplina, vir religiosus & prudens, & vitæ ac morum probitate cunctis charus acceptusque, amore Dei concitatus cum assisteret tribunali, nutibus hortabatur ad confessionem, in quos quæstio agitabatur; ita ut omnibus qui adstabant palam fieret quid animo gereret. Cumque id populi notavissent, indignantes clamaverunt adversus Alexandrum. Qui jussus a Præside in medium statui, & quis esset interrogatus, Christianum se esse libera professione testatur. Quem continuo præparandum bestiis condemnavit: & postera die simul cum Attalo producitur. Quem contra præceptum Cæsaris, gratificari populus volens, etiam ipsum tradi bestiis jussit. Sed cum ferarum nulla, Sanctorum corpora contigisset, omnibus eos verberum ceterarumque pœnarum suppliciis cruciari jubet, beato Alexandro in omnibus quæ perpessus est pœnis, ne unum quidem penitus proferente sermonem.

Attalus vero, cum prunis subterjectis in sella ferrea torreretur, cumque nidor adustæ carnis ad nares & ora inspectantis populi proferretur, voce magna clamat ad plebem: Ecce hoc est homines comedere, quod vos facitis. Nos enim neque comedimus homines, neque aliud quid mali agimus. Siquidem servi eorum comprehensi cum tormenta pertimescerent, dæmonis instinctu, hoc ipsum adversus dominos commentati sunt. Et cum interrogaretur, quod nomen haberet Deus, respondit: Qui plures sunt, nominibus discernuntur; qui unus est, non indiget nomine. His igitur optimis & fidelissimis ducibus usus omnis reliquus Sanctorum chorus, prompti & alacres, animas suas pro fidei libertate ponebant.

Inter hos Blandina femina beatissima (per quam Christus ostendit, quia ea quæ apud homines despecta sunt, & in contemptu habentur, in magna gloria apud Dominum ducuntur) gloriosissime coronatur. Cui a prima luce ad vesperam tormenta semper innovantes, ad ultimum victos se tortores confitentur. Quæ & secundo die pulsata cruciatibus, non superatur: Tertio quoque die religata ad stipitem, atque in crucis modum distenta, bestiis pabulum præparatur. Quam cum nulla ex bestiis auderet at-

tingere, rurſum revocatur ad carcerem. Quarto etiam, verberibus acta, craticulis exuſta, & multa alia perpeſſa, ad ultimum gladio jugulatur.

Tunc & Ponticus puer annorum quindecim, per omnia tormentorum genera cum ipſa circumactus, ejus cohortatione roboratus, ante illam martyrium conſummavit.

Verum Maturus, & Sanctus, & Attalus, munerum diebus, innumeris millibus gentium diverſarum ad ſpectaculum congregatis, ſtatuuntur in medio arenæ. Et rurſum Maturus neophytus quidem, ſed in fide & patientia robuſtiſſimus, cum Sancto diacono, quaſi nihil prius paſſi fuiſſent, ad omnia tormentorum genera renovantur. Certantibus omnimodis adverſariis, quatenus eorum patientiam frangerent, & ab ipſo (ut ita dicam) vertice coronas eorum diriperent, ſed illis eo magis animos roborabat ſpes vicinæ jam gloriæ, quam ſibi jam jamque manu contingere, & contrectare dextris videbantur. Cumque & ſuppliciorum genera, & ſpectaculorum pæne jam tempus eſſet abſumptum, nec moveri ullatenus a ſententia potuiſſent; cum etiam ſellæ ferreæ ſuperpoſiti, conſumptam verberibus carnem ignis ſubter miniſtratus exureret, ad altimum infatigabiles Martyrum ſpiritus, ferro cæſis cervicibus effugarunt. Igitur inaudito ſævitiæ genere, eorum, qui necabantur in carcere, corpora canibus jubebantur exponi. Adhibita ſimul cuſtodia die noctuque, ne quis collectas reliquias humanitatis intuitu traderet ſepulturæ. Sed & ſi quid forte vel beſtiis, vel igni reliquum ex corporibus Martyrum fuerat, ipſaque cum truncis ſuis capita punitorum, inſepulta per cuſtodiam militum ſervabantur. Neque vero muneribus ſuadere cuſtodes, neque precibus, aut ullo alio genere copia erat: ita attente & ſolicite curabant, ne daretur extremis oſſibus ſepultura. Hæc ſcripta, in hiſtoria Eccleſiaſtica libro quinto. Euſeb. l. 5. cap. 1. 2. 3. ex verſione Ruffini.

Nomina vero quadraginta octo Martyrum hæc ſunt: Photinus Epiſcopus, Zacharias presbyter, Epagatus, Macarius, Alcibiades, Silvius, Primus, Ulpius, Vitalis, Cominus, October, Philuminus, Geminus, Julia, Albina, Grata, Rogata, Æmilia, Potamia, Pompeja, Rhodana, Biblis, Quartia, Materna, Helpes, quæ & Amnas. Hi ſunt autem qui beſtiis traditi ſunt: Sanctus, Maturus, Attalus, Alexander, Ponticus, Blandina. Hi vero qui in carcere ſpiritum reddiderunt: Ariſtæus, Cornelius, Zoſimus, Titus, Julius, Zoticus, Apollonius, Geminianus, Julia, Auſonia, Æmilia, Jamnica, Pompeja, Domna, Juſta, Trophima, Antonia. Hi omnes famuli Chriſti ſub præfatis Imperatoribus pariter coronati ſunt. Reliquiæ eorum a perſecutoribus incenſæ,

censæ, & in Rhodanum fluvium dispersæ. Sed cum Christiani maximum mœrorem haberent, quasi deperissent sacræ reliquiæ, nocte apparuerunt Sancti viris fidelibus, in eo loco quo igni traditi sunt, stantes integri & illæsi. Et conversi ad viros, dixerunt eis: Reliquiæ nostræ ab hoc colligantur loco, quia nullus periit e nobis. Sed ex hoc translati sumus ad requiem, quam nobis promisit Rex cœlorum Christus, pro cujus nomine passi sumus. Hæc renuntiantes viri illi, gratias egerunt Deo, & confortati sunt in fide: colligentesque sacros cineres, condigno honore sub sancto altari condiderunt. Ubi semper virtutibus manifestis, se cum Deo habitare declarant. Horum festivitatem cives Lugdunensis urbis, omnibus undequaque lætanter accurrentibus, per descensum fluminis cum hymnis & canticis gratulationis concelebrantes, Missarumque solennia in Apostolorum Ecclesia (ubi sancti cineres eorum conditi servantur) festive Domino reddentes, ex antiquorum traditione, ipsam diem MIRACULORUM appellant. Locus in quo passi sunt, Athanaco vocatur, ideoque dicuntur martyres Athanacenses.

VARIA LECTIO. Ed. *Sub Diocletiano, judice Sereno. Factum est dum &c.* Cod. 511. 512. & 514. *sub Diocletiano Imp., judice Sereno. Factum est autem &c.* Ed. *Statimque filia eorum &c.* Iidem codices: *Statimque filia eorum nomine Paulina.* Ed. *crediderunt.* Codices: *crediderunt Christo.* Ed. *non est alius Deus.* Codices: *non est alius Deus omnipotens.* Ed. *jussit Marcellinum presbyterum &c.* Codices: *jussit Marcellinum presbyterum, qui omnes absolvit; qui omnes baptismi gratiam perceperunt.* Deest in codicibus: *in ambabus arteriis.*

Ed. *cum* XLVIII. *martyribus, temporibus &c.* Codices: *cum* XLVIII. *martyribus; Marci, Aurelii, Veri, & Antonini, atque Lucii, filiorum ejus, qui per multas Romani orbis provincias ex adclamatione & seditione vulgi concitatæ sunt &c.* Supple supra (*temporibus.*) Rectius exaratum est in editis. Ed. *Verum Maturus, & Sanctus, & Attalus.* Codices: *Verum Maturus, & sanctus Attalus.* Ed. *quasi nihil prius passi fuissent.* Codices: *quasi nihil prius gesti fuisset.* Ed. *Rhodana.* Codices: *Rhotdana.* Ed. *Amnas. Hi autem &c.* Codices: *Annas. Hi autem qui bestiis traditi sunt, sanctus Maturus &c.* Ed. *Sed cum Christiani &c.* Codices: *sed cum Christi animæ rorem maximum haberent: quasi deperissent beatæ reliquiæ &c.* In codicibus post verba: *miraculorum appellant*, nihil aliud sequitur.

Marcellini & Petri.

ADNOTATIO. *Marcellinus* presbyter, ac *Petrus* exorcista, celebres *Romæ* martyres in fastis omnibus Latinorum hac die coluntur. De his enim agunt Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Gellonense, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Ado noster, Usuardus, Rabanus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Reginæ Suecorum, Ottobonianum, Kalendarium Palat. 485. & Vaticanum 3806. Wandelbertus, & alii. Ado elogium ex Actis texit. Beda nonnulla etiam ex Actis profert; hunc sequuntur Usuardus, & Martyrologium Reginæ Suec. Adone contractior est Notkerus. Sed & in libris Liturgicis veterrimis S. R. E. hi martyres hac die coluntur. In codice Sacramentorum Gelasiano Missa habetur hac die pag. 152. *in natali sanctorum Petri & Marcellini*; item in Gregoriano Reginæ Suecorum 337. Palat. Vat. 495. Vat. 4770. & in Sacramentariis Menardi, & Angeli Rocchæ. His adde Capitularia Evangeliorum vetustissi-

 ma,

ma, quæ protulimus tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 264. quæ ita præferunt: *Natalis sanctorum Marcellini & Petri, via Lavicana*, Cur *via Lavicana* statuatur, mox dicam. *Marcellinus* semper in veteribus monumentis *Petro* præfertur, præterquam in codice Gelasiano; & in Actis nonnullis. Orationes etiam, quæ in Gelasiano leguntur, aliæ sunt ab iis, quæ habent Sacramentaria Gregoriana. In Missali plenario Vat. 4770. habetur etiam Præfatio propria. Exstant eorum Acta, quæ antiquitus scripta esse, censuit Baronius ad an. 302. num. CIV. & *seq.* eaque tueri conatur Henschenius hac die pag. 171. num. 5. sed respuenda in aliquibus, neque genuina esse contendit Tillemontius tom. V. pag. 199. & 663. Nos eorundem Actorum apographum vidimus in codice Canonicorum Forojuliensium. Eorum exordium est: *Passio sanctorum Petri & Marcellini mart. Benignitas Salvatoris nostri, martyrum perseverantia comprobata, adeo usque processit, ut & fidei amicos coronaret, & inimicos eorum in ipsis inferorum claustris erueret. Denique cum teneretur Petrus, exorcistæ officium gerens* &c. In fine: *Passi sunt autem beatissimi martyres Petrus & Marcellinus* IIII. *Nonas Junii, regnante Domino nostro* &c. Ex horum exordio perspicitur, Acta ipsa per Notarios non fuisse excepta. Eadem Acta contractiora, ex codice Setino nos alias edidimus in Exercitatione de cathedra Episcopali Setina pag. 188. quandoquidem, ut ibi diximus, SS. *Marcellinus*, & *Petrus*, Setinæ civitatis patroni sunt. Passi sunt hi martyres A. D. 303. &, ut ex Actis habetur, *in silva nigra*, eorumque corpora collegit *Lucilla*, & *posuit in vehiculo noctu*, & *adduxit via Labicana milliario tertio*, & *sepelivit sub die* IV. *Nonas Junii in pace*. Ado narrat, sepulta fuisse eorum corpora *juxta S. Tiburtium* V. *Kal. Septembris*. Constantinus Augustus, ut auctor est liber Pontificalis in vita S. Silvestri: *Basilicam fecit beatissimis martyribus* MARCELLINO *presbytero*, & PETRO *exorcistæ inter duas lauros*, & *mausoleum, ubi beatissima mater ipsius sepulta est Helena Augusta, in sarcophago porphyretico, via Lavicana, milliario ab Urbe tertio*. Celebre etiam eodem loci fuit eorundem martyrum *cœmeterium*, de quo idem Pontificalis liber in *Honorio*, & *Hadriano* I. Baronii tempore in Ecclesia SS. martyrum *Marcellini*, & *Petri* visebantur musivi operis eorum imagines, quod ipsemet Baronius testatur ad an. 826. num. XVI. Hujus autem vetustissimæ Ecclesiæ ichnographiam vide apud Aringhium tom. II. pag. 51. editionis Romanæ. Musivi operis imagines periere; nam Henschenius rogavit Johannem Ciampinum, ut eas describeret, sed illuc misso pictore, nihil est inventum. Fuit & altera in Urbe in honorem eorum martyrum antiquitus extructa Ecclesia, seu *titulus* prope *Lateranum*, ac hodie etiam superest; de eo *titulo* S. Gregorius lib. IV. epist. LXXXVIII. & Baronius in Notationibus hac die; ac item ex vulgato Anastasio in Gregorio III. ubi habet: *Hic fecit a novo Ecclesiam SS. Marcellini & Petri, juxta Lateranis*. De ea fuse Conradus Janningus in supplementis ad diem II. Junii, inter Acta Bollandiana, Junii tom. VI. pag. 6. & *seq.*

Silva nigra, *Mausoleum Helenæ*, & *inter duas lauras* aurem quodammodo vellunt, & quid significent, postulare videntur. *Silva nigra* locus fuit decimo ab Urbe lapide, ubi Rufina & Secunda martyres passæ sunt, deinde *Marcellinus & Petrus*, & in eorundem *Marcellini & Petri honorem*, ut Acta præferunt, *silva candida* fuit appellata, quod & monuit Baronius ad an. 303. n. CIX. & in Notationibus hac die. Postmodum Episcopi Sede præ martyrum excellentia donata, cujus loci Antistites, *Silvæ candidæ*, seu *SS. Rufinæ & Secundæ* dicti fuere; de quibus nos diximus in Dissertatione de cathedra Episcopali Setina cap. XXIII. *Mausoleum Helenæ* fuit ipsius *Helenæ Augustæ* sepulchrum, *via Lavicana*, tertio circiter ab Urbe lapide situm, & loco nomen inditum fuit *Subaugusta*, qui & Episcopali sede aliquando fuit ornatus, ac de eo in eadem Dissertatione cap. XX. nos egimus. Notitia vetustissima apud Eccardum proxime esse corpora SS. *Marcellini & Petri*, *ac Sanctæ Helenæ* nos docet, dum hæc habet: *Juxta viam vero Lavicanam Ecclesia S. Helenæ, ubi ipsa corpore jacet. Ibi sancti isti dormiunt*, PETRUS, MARCELLINUS, *Tiburtius* &c. *ibi & in cryptis sub terra innumera martyrum multitudo sepulta jacent*. Alia Notitia apud Mabillonium Analector. tom. IV. pag. 511. *Porta Prænestina, Sancta Helena, Sanctus Marcellinus & Petrus*. Quod autem spectat ad locum inter *duas lauros*, ita appellabatur loci situs *via Lavicana*, quemadmodum & alia ejusdem nominis *via Latina* loca fuerunt, ut jampridem animadvertit Antonius Bosius in Roma subterranea lib. III. cap. XXXII. postmodum Nardinus, & Jo. Georgius Grævius in Præfatione ad tomum quartum antiquitatum Romanarum. Exstat perbreve S. Damasi carmen in horum martyrum laudem, quod post alios, habes apud Bollandianos hac die pag. 173. & inter Damasi carmina edita a Martio Milesio Sarazanio n. XIII. Ibi Milesius, in Martyrologiis, & Actis legendum putat: *ad duas lauras*, propterea quia Arnobius lib. III. scripsit, a Græcis viros nominari *lauras*. Sed quorsum hæc?

Celebris præterea est apud veteres Scriptores horum martyrum translatio. Acta hujus translationis metrice libris quatuor scripsit Eginhardus, qui Romam profectus, horum martyrum reliquias furtim sustulit, easque in Germaniam deferens, in loco, qui *Michilenstat* dicebatur, collocavit; sed quum variis prodigiis indigitaretur, aliò transferri oportere, ad *Mulinheim* superiorem, seu *Selingestat* delatæ sunt, & in absíde basilicæ, *ut nos in Francia*

tum

tum erat, honorifice reconditæ sunt xv. *Kal. Februarii*. Hæc Acta post Surium, recusa sunt a Bollandianis hac die pag. 176. *& seq.* Hujusmodi Acta metrica leguntur etiam in codice Reginæ Suecorum 711. pag. 97. & eis hic præfixus est titulus: *Incipit Rythmus Einhardi viri eruditissimi de passione Christi martyrum Marcellini & Petri*. Ante Bollandianos plura de hac translatione Baronius ad an. 826. 827. 828. Quæstio est de anno, quo hujusmodi translatio contigit. Baronius, has reliquias Roma furto sublatas an. 826. existimat, & anno insequenti *Aquisgranum* delatas, propterea quod Egiobardus Pontificiæ in Gallias legationis, *Ludovico* Pio decretæ, meminit, quam legationem ab *Eugenio* II. decretam fuisse existimavit. Cointius vero ad *an.* 827. *n.* LXXX. hanc legationem, aliam esse ab ea, de qua Eginhardus contendit, & ad annum 826. pertinere, quo Pontificis legati *Leo Centumcellensis*, *& Theophylactus Nomenclator* in conventu Ingelheimensi, mense Junio habito, auditi sunt, *ut* habet Annalista Laureshamensis; qui quidem Annalista ad an. 827. narrat, eo anno *mense Octobris* SS. Marcellini & Petri translationem contigisse. In hanc sententiam abit Pagius in Critica ad an. 827. n. I. ubi etiam monet, *an.* 828. horum martyrum reliquias Aquisgranum fuisse delatas. Consule etiam Mabillonium sæculo IV. Benedictino P.I. pag. 414. & Annal. Ord. S. Benedicti lib. XXX. §. VII. ad an. 827.

Blandina, & soc. *Blandina* cum sociis martyribus Lugdunensibus insigni memoria in fastis omnibus hac die colitur, nimirum a Hieronymianis, Beda, Rabano, Gellonensi, Adone nostro, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottobonisno, Reginæ Suecorum, Corbejensi breviori, Augustano, Labbeano, S. Galli, & Kalendario Vat. 3806. in quo, loco *Blandinæ*, legitur *Martinæ*. Inter tot Martyrolographos Hagiologii Francogallici breve de his martyribus elogium subjiciendum duco, quod sic se habet: *Lugduno, sanctorum Fotini ejusdem urbis Episcopi, Zachariæ presbyteri, Sancti diaconi, Epagati, Maturi, Attali, Albinæ, Gratæ, cum aliis quadraginta: ii simul famuli Christi, sicut in Ecclesiastica historia scribitur, pariter coronati sunt. Passa est quoque S. Blandina ex eorum collegis, quæ primo, secundo, & tertio die pulsata cruciatibus, cum non superaretur, quarto die verberibus acta, craticulis exusta, & multa alia perpessa, ad ultimum gladio jugulatur*. Ad horum martyrum numerum quod attinet, variant fere omnia Martyrologia, quod ad librariorum oscitantiam, vel licentiam referendum esse arbitramur; in aliis enim sunt XLV. in aliis XLVII. aliis XLVI. XLIX. & XLVIII. ac etiam LXVIII. Ecclesiastica Historia, quæ a Martyrolographis citatur, est, ut omnes norunt, Eusebius, in quo lib. V. cap. I. II. & III. in celebri epistola Ecclesiarum Viennensis & Lugdunensis accurate horum martyrum agones describuntur. De horum autem martyrum numero diligenter inquirunt Florentinius in notis hac die pag. 572. Henschenius hac item die pag. 160. & Tillemontius tom. III. pag. 1. *& seq.* Vide Ruinartium ad Acta martyrum selecta pag. 46. Passi sunt A. D. 177. Locus martyrii, *Athanacum*, seu *Athanacus* est appellatus, a quo iidem martyres, ut scribit Gregorius Turonensis de glor. mart. lib. I. cap. XLIX. *Athenacenses* vocati sunt. Ita vero olim locus ille dictus est, ab *Athenis*, quia nempe ibi ara esset apud veteres percelebris, ob certamina Græcæ & Latinæ facundiæ, *a Cajo* Augusto instituta.

G. III. NONAS JUNII. *3. Junii.*

APUD Aretiam, civitatem Tusciæ, natalis sanctorum martyrum Pergentini, & Laurentini fratrum, qui persecutione Decii, & sub judice Turtio, cum essent pueri, post dura supplicia tolerata, & magna miracula ostensa, gladio cæsi sunt, & apud eamdem urbem conditi. *Pergentini & Laurentini.*

In Campania, natale beati Erasmi Episcopi & martyris sub Diocletiano & Maximiano. Qui jussu impii Diocletiani Imperatoris primo plumbatis crudeliter cæsus, deinde fustibus diutissime maceratus, post resina, sulfure, plumbo, pice, cera, oleoque solutis perfusus, ingenti miraculo illæsus apparuit. Quod cum multi viderent, fidem Christi, rejectis idolis, susceperunt. Inde immenso pondere ferri constrictus, in carcere reclusus est sub dira custodia. De qua Angelica visitatione sol- *Erasmi.*

vitur

vitur atque eripitur. Verum postmodum clarissima miraculorum ipsius gesta fama vulgante, tentus est ab altero Imperatore Maximiano, a quo diversis suppliciis tortus fuit, intantum, ut tunica ærea ignita vestiretur. Iterumque in olla, quæ plumbo, pice, cera, resina, & oleo fervefacta erat, missus, virtute Domini omnia superans, illæsus exinde progreditur. Sicque tandem ad confirmandum ceteros a Domino servatus, Campaniam munitus Angelico solatio pervenit. Ubi cum plurimos sive in fide roborasset, sive ad fidem Christi convertisset, vocante Domino, martyrio clarus sancto fine quievit.

VARIA LECTIO. Post verbum *quievit*, extremo loco sequitur in codicibus 511. 512. 514.

Isaac Monachi. „ Civitate Corduba, passio beati Isaac monachi, cujus ineffabili assertione judex „ superatus, fecit eum primo retrudi in carcerem, ac sic demum gladio interimi. In *Lisardi.* „ territorio Aurelianensi, vico Maiduno, depositio sancti Lisardi presbyteri & confes„ soris, qui multis virtutibus clarus, monastico habitu & religione venerandus, san„ cto fine quievit.

Pergentini & Laurentini. ADNOTATIO. *Pergentianus, & Laurentinus*, celebres apud Aretium Tusciæ civitatem martyres, in Martyrologiis etiam vetustioribus clari sunt. Subobscure indicantur a Hieronymianis, sed aperte a Romano parvo, dum habet: *Apud Aretium Tusciæ, martyrum Pergentini & Laurentini*. Agunt præterea Ado noster, Usuardus, & Notkerus. Rhinoviense habet: *Et in Tuscia, Vetro* (pro *Aretio*) *civitate, Laurentii, & aliorum* cccc. Richenoviense: *Et in Tuscia, Recis civitate, Laurenti, & aliorum quadringentorum*. Corbejense brevius: *Apud Aretium, civitatem Tusciæ, Laurenti*. Peculiari cultu apud Aretinos antiquitus etiam hi martyres celebrabantur; nam in Sacramentario Vat. 4772. sæculi XI. quod quidem Sacramentarium ad usum fuit monasterii Aretini SS. Floræ & Lucillæ pag. 97. habetur hac die Missa in natali *S. Laurentini & Pergentini*. Prima oratio hæc est. *Tuorum nos, Domine, quæsumus, precibus tuere Sanctorum, ut festa martyrum tuorum Laurentini & Pergentini sine cessatione venerantes, & fidei muniamur auxilio, & magnifico proficiamus exemplo. Per.* In canone Missæ ibi ad *infra actionem* eorum nomina commemorantur, ut & in Litaniis. Vide quæ tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 529. prænotavimus. Acta horum martyrum edidit Henschenius ad hanc diem pag. 272. sed quæ in multis castigatione indigeant, ut animadvertit Tillemontius tom. III. pag. 332. Passi dicuntur Deciana persecutione.

Erasmi. De *Erasmo* martyre agunt die superiori Hieronymiana, & Rabanus. Hac vero die Romanum parvum, Ado, Usuardus, Rabanus, Notkerus. Silent Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, & Martyrologium Reginæ Suecorum. Meminit pridie hujus diei Ottobonianum, sed *Erasmum* cum *Marcellino* & *Petro* commiscet. Martyrologium Fuldense agit hac die *tertia Junii*. Acta, quæ circumferuntur, & recensa sunt a Bollandianis die secunda *Junii* pag. 213., qua die quoque agit Martyrologium Romanum, spuria esse fatentur iidem Bollandiani in commentario prævio, & Papebrochius in Appendice Actorum Junii. Ea tanquam fabulosa traducit Tillemontius tom. V. pag. 636. Passus esse dicitur *Erasmus*, Diocletianea persecutione. Vetustissima in Urbe fuit olim Ecclesia *S. Erasmi martyris*, & monachorum ibi monasterium, in quod *Leonem* III. Romanum Pontificem detrusum fuisse referunt nonnulli, apud Mabilonium Annal. Bened. lib. XXVI. §. LXXVII. ad an. 799. Monasterium *S. Erasmi* in cœlio monte, juxta S. *Stephanum* jam florebat temporibus *Pauli* Papæ, & imperio *Constantini* & *Leonis* Augustorum, c. A. D. 763. ut patet ex apographo in Regesto Sublacensi pag. 136. ubi *Johannes* Episcopus *Tiburtinus* concedit *Anastasio* presbytero & Abbati *S. Erasmi* terram & arbores olivarum in civitate Tiburtina. Deinde monasterium S. *Erasmi* conjunctum fuit monasterio Sublacensi SS. *Benedicti* & *Scolasticæ*, hinc Abbates Sublacenses dicebantur Abbates S. *Benedicti*, & S. *Erasmi*, ut passim ex eodem Regesto constat. In eodem Regesto pag. 91. memoratur *Palumbus* presbyter & Abbas *S. Erasmi*

mi in cælio monte A. D. 825. item pag. 114. *Zacharias Scriniarius S.R.E. & Abbas Monasterii S. Erasmi* martyris A. D. 866. Ibidem pag. 140. legitur *Benedictus protoscriniarius sanctæ sedis Apostolicæ, & visitator venerabilis monasterii sancti martyris Christi Erasmi* A. D. 897. De *Erasmi* martyrio Baronius ad an. 303. n. CXIX. & in Notationibus die II. *Junii*, ubi de ejus memoria apud Soractem montem ex S. Gregorio lib. I. epist. XXIII. & de illius corpore Formiis ex ejusdem Gregorii lib. I. Epist. VIII., qui Minturnensem Ecclesiam cum Formiana conjunxit, quæ deinde in unam Cajetanam Ecclesiam coaluerunt, ubi ejusdem martyris corpus fuit translatum.

Isaaci. *Isaacus* monachus, Cordubensis martyr, apud Eulogium memoratur, a vulgato Adone præteritur, sed habetur in codicibus nostris; aliis verbis, quæ in eandem sententiam cadunt, a genuino Usuardo colitur hac die. Ab Usuardo primum Martyrologiis *Isaacum* insertum, censet Sollerius, quum aliis omnibus ignotus sit. Illius elogium ex Eulogio illustrant hac die Bollandiani pag. 325.

Isaaco Cordubensi codices nostri addunt *Liefardum*, seu ut alii scribunt *Liefardum*, *Leifardum*, *Leafardum*, & *Liphardum*. Agunt de eo Hieronymiana, in quorum uno corrupte *Episcopus* vocatur, deinde Gellonense, Rabanus, codices nostri, Usuardus, Florus, Wandelbertus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Hagiologium Francogallicum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. His ducibus & pedissequis, Adone genuino dignus prorsus videtur, ut censuit etiam Mabillonius, qui sæculo I. Benedictino pag. 154. illius Acta edidit, quæ habes etiam apud Bollandianos hac die pag. 300. & *seq*. Obiit *Lifardus* Abbas *Magdunensis*, seu *Maidunensis*, A. D. 565. die *tertia Junii*. Opidum, seu vicus *Magdunum*, vulgo *Mena*, quinque passuum millibus ab Aurelianensi urbe Blesas navigantibus, in dextera Ligeris parte sese offert. Ad annum mortis quod attinet, dissentit a Mabillonio Henschenius hac die in commentario prævio n. 7., nam circiter A.D. 550. obitum *Lifardi* statuit. Lifardi.

A. PRIDIE NONAS JUNII. 4. *Junii.*

Quirini. APUD Illyricum civitate Siscia, natalis S. Quirini Episcopi. Qui persecutione Maximiani pro fide Christi, ligato ad manum molari saxo, in flumen præcipitatus est. Et cum circumstantibus diu collocutus, ne ejus terrerentur exemplo; vix precibus ut mergeretur obtinuit. Hujus reliquiæ translatæ sunt Romam, & positæ in Catacumbas. Prudent. hymn. 7.

VARIA LECTIO. Ed. *pro fide Christi, ligato &c.* Cod. 511. 512. & 514. *pro fide Christi, ut Prudentius scribit, ligato &c.*

Quirini. ADNOTATIO. De *Quirino* Episcopo & martyre agunt hac die omnia Latinorum, dempta Beda, & Rabano, Martyrologia. Colitur enim a Hieronymianis, Romano parvo, Adone, Usuardo, Notkero, Gellonensi, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Martyrologio Fuldensi, Reginæ Suecorum, Ottoboniano, Wandelberto, & aliis. Prudentii hymnus instar omnium est, & Venantius Fortunatus lib. VIII. carm. IV. Acta, ex quibus Adonis & aliorum elogium manavit, discussa apud Bollandianos hac die pag. 300. vide apud Ruinartium pag. 551. & apud Tillemontium tom. V. pagin. 428. & *seq* Nos eorundem Actorum apographum in codice Canonicorum Forojuliensium vidimus, ac ita exordiuntur: *Cum mundi istius princeps diabolus ad cribrandas sanctorum animas accepisset potestatem, & ubique Domini Ecclesias diversis persecutionum tempestatibus ventilaret &c.* In fine: *Martyrizatus est autem beatus Quirinus Episcopus sub die pridie Nonas Junii: regnante Domino nostro Jesu Christo* &c. In nonnullis Martyrologiis legitur *Salaria*, & *Saba*, & *Saratia*, pro *Siscia* civitate. De *Quirini* martyrio meminit Eusebii Chronicon ad A. D. 310. Prosperi item Chronicon apud Labbeum Bibliothecæ novæ MSS. tom. I. pag. 39. habet: *Post consulatum X. & VIII.* (hoc est *post consulatum Maximiani Herculei X. & Galerii Maximiani* VIII. quod esset A. D. 311.) *Quirinus Episcopus Siscianus cum sociis gloriose pro Christo interficitur*. Ado in elogio addit, *Quirinum* Romam postea fuisse translatum. Quandonam id contigerit, ignotum est. In Vita Rabani Mauri a Rodulpho

Rodolpho ejus discipulo conscripta, apud Mabillonium sæculo IV. Benedictino, habetur, *Theodorum* A. D. 838. Roma profectum, detulisse secum ossa *S. Quirini*, qui *in Siscia Pannoniorum oppido, quondam Episcopus erat, & temporibus Diocletiani Imperatoris* in flumen, *ligata ad collum mola* præcipitatus est: cujus corpus inventum, & honorifice sepultum fuit *Pridie Nonas Junii*. A barbaris autem in Pannoniæ partibus incursione facta, Christiani illarum partium Romam confugientes B. Quirini corpus eo detulerunt, & via Appia, tertio milliario ab Urbe, sacras reliquias, *in loco qui dicitur Catacumbas* condiderunt. Hæc Rudolphus. De *Quirini* translationibus consule Bollandianos socios hac die pag. 380. Ut autem de *Siscia* aliquid prænotemus, ea fuit in Pannonia eo loci, ubi in *Savum* fluvium *Colapis* influit, nunc loco nomen *Sefeg*, ac media inter *Carlostadium* Windorum, & *Zagabriam* Hungarorum urbes. *Quirinus*, *Sabariæ* trans Arrhabonem decessisse, ac *Scarabantiæ* in Austria sepultus fuisse dicitur. *Sabaria* distat a *Scarabantia* viginti mille passibus.

---

5. *Junii*. **B. NONIS JUNII.**

Martiani, Nicandri, & Apollonii. APUD Ægyptum, natalis sanctorum martyrum Martiani, Nicandri, & Apollonii, quorum gesta habentur.

Eodem die, natale S. Bonifacii martyris sub Diocletiano & *Bonifacii.* Maximiano apud Tarsum civitatem passi, sed Romæ, in via, quæ Latina nuncupatur, sepulti. Qui cum esset procurator rerum cujusdam nobilis matronæ nomine Aglahes, & cum ea in stupro misceretur, tandem utrique divino nutu compuncti, consilium habuerunt, ut ad requirendum corpora Martyrum Bonifacius mitteretur, si quo modo servientes atque obsequentes eis, per eorum orationes salvari mererentur. Perveniens igitur post dies aliquot Tarsum civitatem, dicit ad eos, qui cum eo erant, Bonifacius: Viri, euntes requirite nobis hospitium, ego autem ibo videre eos, quos valde desidero, Martyres certantes. Festinans itaque ad locum, videt beatissimos, alium suspensum per pedes, igne subtus posito; alium in quatuor lignis extensum, & diutissime afflictum; alium ungulis exaratum; alium manibus abscisum; alium stipitem in collo habentem infixum, & a terra elevatum: & sic per diversa supplicia, martyria ab impio carnifice disposita. Cum eminus fervens amore Christi, & ipse respiceret, Magnum Deum sanctorum Martyrum clamare cœpit. Et accurrens consedit pedibus eorum, deosculans vincula, & dicens: Certate Martyres Christi, calcate diabolum, modicum perseverate. Parvus quidem labor, sed multa requies, & ineffabilis postmodum satietas. Adspiciens autem Simplicius Judex, jussit eum applicari ad tribunal, cui & dixit: Quis es tu? Sanctus Bonifacius dixit: Christianus sum, & Bonifacius vocor. Tunc iratus Judex, jussit eum suspendi, & tamdiu corpus ejus ungulis radi, donec ossa ejus apparerent: deinde calamos acutos sub ungulis manuum ejus affigi. Cumque sanctus Dei Martyr in cælum adspiciens, alacriter dolo-

dolores toleraret, videns impius Judex, jussit aperiri os ejus, & plumbum bulliens infundi. Sanctus autem Martyr dicebat: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe fili Dei. Deinde Judex jussit afferri ollam, & eam pice impleri, atque sanctum Martyrem verso capite in bullientem picem mitti. Sed cum nihil læsus esset, jussit impius Judex, ut gladio caput ejus abscideretur. Quo facto, terræmotus magnus factus est, ita ut multi infideles virtutem Christi in Martyre cernentes, crederent. Conservi vero martyris Bonifacii, circuibant ubique requirentes eum, & non invenientes, ad invicem dicebant: Ille modo in adulterio, aut in taberna positus, epulatur. Cum ergo inter se colloquerentur, contigit, ut obviaret eis unus de Commentariensibus, quem interrogaverunt: Vidisti aliquem virum peregrinum Romanum? Ille ait eis: Hesterno die vir peregrinus abscisus est capite in stadio. Et iterum interrogant: Qualis erat adspectus ejus? At ille dixit: Vir quadratus & crassus, robusto capillo, coccinea armelausia indutus. Et dicit eis: Ille, quem quæritis, apud nos hesterno die martyrio est finitus. Ajunt illi: Homo, quem nos quærimus, adulter est, & ebriosus. Dicit eis ille: Venite, videte eum. Cumque ostendisset eis corpus, & pretiosum caput ejus, dixerunt ei: Iste est, quem quærimus, petimus, ut des nobis eum. Qui respondit: Ego gratis corpus ejus dare vobis non possum. Illi autem dantes ci solidos quingentos, acceperunt corpus sancti Martyris, & ungentes aromatibus, involventesque linteaminibus pretiosis, posuerunt illud in Basterna, & sic revertebantur gaudentes, & glorificantes Deum. Angelus autem Domini apparens dominæ quondam ipsius, rem factam beati Martyris indicavit. Quæ confestim cum omni veneratione obviavit sancto corpori, & ædificans ei domum dignam, reposuit illud in ea, ab urbe Roma stadiorum quinque. Martyrizatus est autem sanctus martyr Bonifacius XIV. die mensis Maji apud Tarsum, metropolim Ciliciæ, & sepultus est Romæ, Nonis Junii. Beata vero Aglahes abrenuntiavit mundo & pompis ejus, distribuens universa quæ possidebat egenis ac monasteriis, relaxans universam familiam suam a jugo servitutis, & tantam gratiam a Domino promeruit, ut in ejus nomine virtutum signis claresceret. Supervixit autem in habitu sanctimoniali annos tredecim & sepulta est apud præfatum Martyrem, operibus piis consummata.

Eodem die, S. Bonifacii, qui de Britanniis veniens, & fidem Christi gentibus evangelizans, cum maximam multitudinem in Frisia Christianæ religioni subjugasset, novissime a pa- *Bonifacii.*

 ganis,

ganis, qui supererant, gladio peremptus, martyrium consummavit cum Eoban coepiscopo, & aliis servis Dei.

VARIA LECTIO. Ed. *Eodem die, natale sancti Bonifacii &c.* Cod. 511. 512. 514. *Eodem die, festivitas sancti Bonifacii martyris apud Tarsum civitatem, sub Diocletiano & Maximiano passi, sed Romæ in via, quæ Latina nuncupatur, sepulti. Qui &c.* Ed. *nomine Aglabet.* Codices: *nomiue Haglaen.* Ed. *& sepultus est Romæ, Nonis Junii.* Codices: *& sepulens est Romæ, Nonis Mai.* Ed. *Eodem die, S. Bonifacii &c.* Codices: *Item eodem die, natalis sancti Bonifacii Episcopi, qui &c.* Ed. *cum Eoban coepiscopo &c.* Cod. 511. *cum eo Banto Episcopus, & alii servi Dei.* Cod. 512. *cum Eobanto.* Cod. 814. *eo banco,* deinde cod. 512. 514. *cum aliis servis Dei.*

Marciani, & soc. ADNOTATIO. De *Marciano, Nicandro, & Apollonio* agunt hac die apographa Hieronymisna; licet mendose nomina scripta sint, ut videbis apud Florentinium hac die. His inter veteres Martyrographos succedunt Ado, & Usuardus Sollerii; nam in Pratensi codice hi desunt, & coluntur ibi die v. *Aprilis*. Rhinoviense, & Richenoviense habent: *In Ægypto, Martiani, Nigrandi.* Augustanum consuse cum aliis meminit *Marciani, Nigandri, & Apollonii.* Labbeanum: *Eop.* (pro *Ægypto*) *Marciani. Alibi Evasi. Romæ, Felicitatis, Gregori, Nicandri, Apolloni, Gai, Hilari, Candidæ.* Corbejense brevius: *In Ægypto, Martiani, Nigandri, & Apollonii.* Ita Martyrologium Reginæ Soecorum. Silet Martyrologium Fuldense: Ottobonianum agit die v. *Aprilis*. Ado, ut jam vidimus, ac item Usuardus de his agunt die v. *Aprilis*, ac iterum uterque hac die v. *Junii*; desunt in codice Usuardi Pratensi. Die vero v. *Aprilis* in Adone, & Usuardo *Martianæ* legitur. Vide autem quæ ibi prænotavimus. Sollerius in Usuardum ad hanc diem v. *Junii* multa præfatur, & postquam disquisivit, utrum hi martyres cum aliis martyribus synonymis die v. *Aprilis* iidem sint, Henschenii sententiam refert, quam hac die pag. 420. protulit, ubi decem martyres Ægyptios una cum *Marciano*, & sociis conjungit, ex Actis Græco-Latinis, quæ ibi edidit. Sed hæc longius discussurum Janningum in Supplemento Junii ad diem XVII. Junii, tradit ibidem Sollerius. Janningus ergo in Supplemento ad eam diem, quod habes Junii tom. VI. pag. 198. *& seq.* Disquisitionem edidit de SS. Nicandro & Marciano in Ægypto passis, & de aliis synonymis. Ibi autem cum Henschenio convenit, *Marcianum, Nicandrum, Apollonium,* & septem alios nominatim in Actis Græcolatinis recensitos martyres, eos esse de quibus Martyrologia die IV. V. & VI. *Aprilis*, ac v. *Junii* agunt; ideoque prætermissos esse a Martyrologio Romano *Nonis Aprilis*, & coli *Nonis Junii*, qua die a Grecis coluntur, ut a Baronio adnotatur. Neque mirum videri, si codices nomina martyrum aliter atque aliter efforment, quia satis exploratum est iis, qui hujusmodi codices pertractant, familiare esse id veteribus codicibus, ut nomina propria corrumpant; & aliquando nomina sanctorum quædam omittant. Quod autem attinet ad *Nicandrum, & Marcianum* martyres, qui die XVII. *Junii*, Venafri in Samnio coluntur; quorumque Acta ex vetustis codicibus edidit Mabillonius Musæi Italici tom. I. P. II. p. 247. *& seq.*, utrorumque Acta, scilicet Ægyptiorum martyrum, & Venafranorum, ac item *Pancratii, Julii, & Valentionis* Dorostorensium martyrum, quod eodem ferme tempore omnes passi essent, in unum compacta, & relata libellum existimat Janningus, eaque Acta sinceriora esse, quæ textui Græco accedunt; hinc ad Acta *Nicandri & Marciani*, qui apud *Venafranos* celebrantur, appendicem ex codicibus Vaticanis assutam fuisse, monet una cum Ruinartio ad Acta martyrum sincera pag. 617. quum in Actis ex codice Vallicellano, qui cum Græco textu congruit, apud Mabillonium nihil quod ad civitatem *Venafri, & Atinæ* spectet, legatur; sed in aliis occurrat. Passi videntur eidem Janningo omnes hi martyres, anno decennali Diocletiani c. A. D. 302. aut etiam anno 301. Quod autem ab Adone *Marcianus*, licet die v. Aprilis habeat *Marcianæ*, bis commemoretur, id in Martyrologiis novum non est, & alia etiam Martyrologia, bis ac tertio de *Marciano* & sociis agunt.

Bonifacii *Bonifacius* martyr Romanus, bis quoque a nostris Adonianis codicibus colitur, scilicet die XIV. *Maji*, qua, *Tarsi* passus est, & die v. *Junii*, qua postea quam ejus reliquiæ ex Cilicia delatæ fuerant, Romæ conditæ sunt. Vide interim quæ ad diem XIV. Maji prænotavimus. Ado ex Actis elogium *Bonifatii* hac die exornavit, ab Usuardo eleganter contractum, a Notkero vero uberiori narratione exceptum. Agit de *Bonifacio* martyre hac die Romanum parvum his verbis: *Bonifacii martyris, apud Tharsum XIV. die mensis Maji passi,*

Romæ

Romæ Nonis Junii sepulti. Agit iterum hac die Augustanum. Rabanus agit ad *secundam* diem *Junii*. Acta ex septem codicibus optimæ notæ a Luca Holstenio collecta, habes apud Bollandianos ad diem XIV. *Maji* pag. 279. *& seq.* Eadem Acta ex pervetusto codice S. Cæciliæ Transtiberim laudat Baronius in Notationibus ad diem XIV. Maji. Eadem Acta Græce & Latine edidit Emericus Bigotius post Palladium de Vita Jo: Chrysostomi pag. 310. Acta ferunt, *Bonifacium* Aglaæ matronæ procuratorem, Roma in orientem ad emendas reliquias martyrum profectum, Tarsum appulisse, ibique ad exosculandos viginti martyres, qui in theatro cruciabantur, accessisse; quocirca Judicis jussu diu tortum, martyrio demum coronatum fuisse, illiusque corpus unguentis delibutum, Romam delatum, & Aglaæ cura in cœmeterio via Latina reconditum. Baronius ad an. 305. num. XI. *& seq.* quo anno censet *Bonifacii* martyrium contigisse, & in Notationibus ad diem VI. *Junii* in ea sententia est, ut viginti illi martyres Tarsenses Hipponem translati sint, ac de iis meminisse Augustinum lib. XXII. de Civitate Dei cap. VIII. ac Sermone CCCXXV. novæ editionis. At dubius est Henschenius ad diem VI. *Junii* pag. 633. Acta *Bonifacii* tamen, licet ad fidem codicum optimæ notæ recognita, non probantur a Tillemontio tom. V. pag. 650. 651. qui dubiæ fidei ea esse contendit. Illustris certe antiquitus Romæ *Bonifacii* martyris cultus fuit, extructa in illius honorem in Aventino Ecclesia, quæ postmodum *S. Alexii & Bonifatii* dicta est, monachorum etiam monasterio & Abbatia decorata. Vide Bollandianos ad diem XIV. Maji, & in Appendice Maji pag. 769. ac ad diem XVII. *Julii*, & Baronium ad an. 305. num. XIV. ubi de eadem *S. Bonifacii* martyris in Aventino Ecclesia. De *Basilica SS. Bonifacii & Alexii* Romæ, deque monachorum monasterio ibi, ex Baronio ad an. 977. Mabillonius Annal. Bened. lib. XLVIII. ad an. 975. & lib. L. §. XXVIII. & ibi passim.

Bonifacii. *Bonifacius* alter martyr, & Moguntinæ Ecclesiæ Antistes colitur hac die una cum sociis in vetustis tabulis. Agunt enim de eo hac die Hieronymiana apographa. Apographum Lucense habet: *In Austria, depositio sancti Bonifatii Archiepiscopi*. De voce *Austria* vide quæ nos diximus ad diem *quartam* Januarii. Genuinus Beda de *S. Bonifacio* Moguntino silet, quia jam obierat, antequam *Bonifacius* occumberet; at agunt duo Bedæ apographa in Bibliotheca Palat. Vat. 833. 834. optimæ notæ, his verbis: *Sancti Bonifacii Archiepiscopi in Fresonis martyrii passio peracta est, & Eobanco Episcopo ejus cum aliis servis Dei*. Silent item Gellonense, & Rhinoviense. Elogium habent Rabanus, Ado noster, Usuardus, & Notkerus, & Martyrologium Reginæ Suecorum. At uberrime omnium Martyrologium Fuldense, quia monasterio Fuldensi usui fuit, ubi peculiari ritu *Bonifacius* colebatur. Meminere demum *Bonifacii* hac die Wandelbertus, Richenoviense, Augustanum, Hagiologium Francogallicum, Kalendarium Vaticanum 3806. Kalendar. Palat. Vat. 485. & Martyrologium Ottobonianum. Natus est *Bonifacius* in Saxonia occidentali, urbe *Cridiants* in hodierno Comitatu *Devoniæ*. Fuit ergo *Anglosaxo*, non *Scottus* ex Hibernia, ut putarunt Marianus Scotus, & Trithemius. Anglosaxonum lingua, qui apud Latinos *Bonefacius*, seu *Bonifacius* vocatur, apud eos *Winfridus*, seu *Winfrethus* dicitur. Passus est autem martyrium *Bonifacius*, Germanorum Apostolus, A. D. 754. vel 755. *Nonis Junii* prope *Dockingam* opidum in Frisia apud fluvium *Burdonem*, qui olim Frisios occidentales ab orientalibus dirimebat. Tres sunt illius Vitæ Scriptores, Willibaldus ejus discipulus, Othlonus monachus Fuldensis, & Anonymus. Has habes apud Mabillonium sæculo III. Benedictino P. II. pag. 4. & apud Bollandianos hac die pag. 460. *& seq.* De ejus gestis idem Mabillonius in Annalibus Benedictinis, ac item de ejus martyrio in eisdem Annalibus lib. XXIII. §. X. ad an. 755. Nonnulla Gregoriana Sacramentaria, ut Palatin. Vat. 495. sæculi X. exeuntis, quod usui fuit monasterio Laureshamensi, Sacramentarium Angeli Rocchæ in Appendice, & Sacramentarium Vatic. 4772. Missam habent hac die in *natali S. Bonifacii Archiepiscopi*. Sacramentarium Vatic. 3548. aliam Missam habet *Kalendis Decembris in ordinatione S. Bonifacii Episcopi*; propterea quia, ut est apud Mabillonium Annalium Benedictinorum lib. XX. §. LVI., *Winfritus*, seu *Bonifacius* Romam profectus, a *Gregorio* II. Episcopus regionarius consecratus fuit *Pridie Kalendas Decembris* A. D. 723. & *Kalendis Decembris* cum litteris Apostolicis ablegatus est. Ejus corpus in novam Fuldensem basilicam *S. Salvatoris*, quæ *Kalendis Novembris* A. D. 819. ritu maximo consecrata fuit, tunc translatum est, qua de re Mabillonius in memoratis Annalibus lib. XXVIII. §. CXIII., & Martyrologium Fuldense. *Eobanus*, quem *Trajectensi* ad Rhenum Ecclesiæ Episcopum Bonifacius præfecerat, una cum *Adalbario* presbytero interfectus, in *Trajectensi* ad Rhenum monasterio uterque sepultus fuit; deinde Fuldam translatus, ut habet Martyrologium Fuldense.

6. Junii. C. VIII. IDUS JUNII.

Philippi diac. SANCTI Philippi diaconi, qui fuit unus de septem.

Martyr. xx. Eodem die apud Tarsum Ciliciæ, Martyrum viginti, sub judice Simplicio, temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum, qui per diversa supplicia glorificaverunt Dominum in corporibus suis. Vide lib. de fest. Ap. Aug. li. 22. de civ. Dei, cap. 8.

Artemii. Eodem die Romæ, natale S. Artemii cum uxore sua Candida, & filia Paulina. Hic Artemius cum esset custos carceris, & clausum teneret beatum Petrum exorcistam in custodia, esset que illi filia unica dæmonio vexata, B. Petri precibus mox ut sanata est, Christo cum uxore pariter, & eadem filia credens, a B. Marcellino presbytero baptizatus est omnisque domus ejus & multi alii: ita ut absque mulieribus, virorum fierent trecentorum. Hoc judex Serenus audiens factum, Artemium, Candidam, & filiam ipsorum Paulinam sibi præsentatos, immenso pondere ruderum jussit obrui. Sicque Sancti Dei perducti ad passionis locum, B. quidem Artemius gladio percussus, sancta vero Candida atque Paulina per limina cryptæ præcipitatæ, lapidibus sunt obrutæ. De his in gestis sanctorum Marcellini & Petri 2. Junii.

VARIA LECTIO. Ed. *Sancti Philippi &c.* Cod. 511. 512. 514. *Natale sancti Philippi, qui fuit unus de VII. diaconibus.* Reliqua ut apud vulgatum Adonem in libello de festivitatibus Apostolorum. Ed. *post ascensionem Christi.* Codices: *post passionem Christi.* Ed. *tres virgines filiæ ipsius prophetissæ tumulatæ.* Codices: *tres virgines filiæ ipsius tumulatæ.* Post verbum: *putatæ sunt*, sequitur in codicibus: *Apud Tarsum Ciliciæ, martyrum* xx. &c. ut in editis. Ed. *eodem die Romæ, natale S. Artemii.* Codices: *Romæ, sanctorum Artemii cum uxore sua Candida &c.* Post extremum verbum: *obrutæ*, sequitur in codicibus: *Apud Antiochiam, sancti Asclepiadis Episcopi, qui fuit unus ex præclaro confessorum numero.* (margin: Asclepiadis.)

Philippi diac. ADNOTATIO. De *Philippo* Diacono agunt hac die Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, Notkerus, & Martyrologium Fuldense. Meminere mixtim cum aliis Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. De rebus ejus gestis, ac de Episcopatu Trallensi Bollandiani hac die pag. 618. & Tillemontius tom 11. pag. 65. & 499. Vide etiam Baronium in Notationibus hac die.

Martyr. xx. *Martyres viginti* Tarsenses ex Actis S. Bonifacii martyris, de quibus die superiori, repetendi sunt. Recoluntur autem hac die a Romano parvo, Adone nostro, Usuardo, & Notkero. Nonnulli in Africa martyres, nimirum *Amantius, Lucius, Andreas, Donatus*, & alii commemorantur hac die a Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano; quorum aliqui Novioduno tribuuntur in Martyrologio Reginæ Suecorum, Africæ vero *Zoticus, Philippus, Camarus, cum aliis* 11. In Martyrologio vero Ottoboniano *Amantius* Novioduno assignatur, *Iralus, Zoticus, Kamassius, & Philippus*, Africæ. Hæc librariorum culpa ita fœdata sunt, ut ædipo sit opus. Bollandiani socii hac die pag. 632. distinguunt *Lucium & Amantium* martyres in agro Parmensi, ab *Amantio* & sociis Noviodunensibus, de quibus agunt pag. 628. deinde *Iralum, Zoticum, Camarum*, seu *Camasum, Philippum, & Attalum*; demum martyres Tarsenses.

Ar-

Artemii. *Artemius & Cándida* conjuges cum *Paulina* eorum filia celebrantur hac die seorsim ab Adone, licet de eo plura retulerit in elogio SS. *Marcellini & Petri*. Ex Adone hac die Usuardus geuiuus. Meminit de *Arthemio*, *Candida*, & filia Romanum parvum. Sileut Hieronymiaua, Beda, & alii. De plumbatarum cruciatu vide eruditam Baronii Notationem hac die. Vide insuper Bollandianos hac die pag. 634.

Asclepiades, de quo codices uostri, præteritur hac die a vulgato Adoue, & a genuino Usuardo, ac uterque eorum de eo agit die XVIII. *Octobris*. Hac die vero aguut tantum quædam Usuardi Auctaria; quocirca & uos ad eam diem agemus. Asclepiadis.

D. VII. IDUS JUNII. 7. Junii.

CONSTANTINOPOLI, natalis S. Pauli, ejusdem civitatis Episcopi, qui tempore Arianæ perfidiæ, a Constantino Imperatore, apud civitatulam quamdam Cappadociæ, Cucusam nomine, ob Catholicam fidem pulsus exilio, Arianorum insidiis crudeliter strangulatus, ad cælestia regna migravit. Pauli.

In Cæsarea Cappadociæ, natalis S. Luciani martyris. Luciani.

VARIA LECTIO. Ed. *Cucusum nomine*. Cod. 511. *Coneussum nomine*.
Deest in codicibus hac die natalis *S. Luciani* martyris, sed post verbum *migravit*, habent:

„ Corduba, sanctorum martyrum Petri presbyteri, Aventii, Hieremiæ, & aliorum „ trium, quorum gesta habeutur. Petri cum soc.

Pauli. ADNOTATIO. De *Paulo* Constautinopolitano Episcopo, apud Latinos agi primum a Romauo parvo existimat Sollerius. Romanum parvum ita habet: *Apud Constantinopolim, Pauli Episcopi*. Post Romanum parvum succedit Ado, cujus elogium ferme ad verbum describunt Usuardus, & Notkerus. Ado quidem retinet: *a Constantino Imperatore*, Usuardus vero: *a Constantio Imperatore*, quam lectionem ita retinendam una cum Bollandianis ostendit Sollerius. Agit item de *Paulo* hac die Wandelbertus. *Pauli* meminere hac die Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum, sed adeo implexe, ut incertum sit, an *Paulum* Constantiuopolitanum describant. Aperte Corbejense brevius his verbis: *In Bizantia civitate, Pauli, Fortunati*. Martyrologium Reginæ Suecorum *Paulum* præterit, & *Fortunatum* cum sociis recolit. Ita enim habet: *Constantinopolim, natalis sanctorum Fortunati Episcopi, cum aliis* IV. Martyrologium Fuldense ad verbum fere Adonem, & Usuardum describit, & pro *Constantino*, habet *Constantio*. Martyrologium Ottobonianum ita exaravit: *Gratianopoli* (pro *Constantinopoli*) *natalis sanctorum Pauli, Fortunati, Macrii, Primosi, Achaci, & Mobii*. Hos martyres in Africa statuunt Bollandiani hac die pag. 7. & sunt: *Paulus, Fortunatus, Macarius*, seu *Macer, Primosus, Accadius*, sive *Achacius, Mochus*, seu *Monachus*. Nullus certe *Fortunati* nomine in sede Constantiuopolitana fuit. At de *Pauli* rebus gestis, exilio, ac laboribus summo studio actum est a Bollandianis sociis ad hanc diem pag. 10. *& seq.* & in Appendice ad diem VII. *Junii*, tom. VI. Junii pag. 71. *& seq.* ubi habetur Conradi Janningi Dissertatio de anno, quo Arius hæresiarcha, & quo S. Alexander Episcopus Constantinopolitanus S. Pauli decessor, obierint. Baronius *Paulum* in carcere strangulatum fuisse A. D. 351. scribit ad hunc annum n. XLVII. cui suffragatur Pagius in Critica ad hunc locum. Idem Baronius ad an. 340. num. XV. *& seq.*, *Paulum* eo anno in demortui *S. Alexandri* Episcopi locum suffectum fuisse narrat, eodemque anno *Paulum* in exilium factione Arianorum pulsum: quam quidem sententiam amplectitur Pagius in Critica eodem loci adversus Valesii opiniones; & hanc eandem sententiam, adversus Valesium, Tillemontium, & alios, qui putant *Paulum* successisse *Alexandro* An. Dom. 338. & ante, tuetur Janningus in memorata Dissertatione num. 2. *& seq.*; ac n. 38. *& seq.* docet, *Paulum* A. D. 340. non diu post ejus electionem accusatum fuisse a Macedonio, & eo anno celebratam fuisse Synodum Alexandrinam, insequenti Antiochenam, Athanasium Romam profectum an. 341., ibique menses XVIII. commoratum. Vide demum, si lubet,

bet, Gulielmi Cuperi Historiam Chronologicam Patriarcharum Constantinopolitanorum, præfixam tom. 1. Augusti à pag. 14. * ad 19. * Græci de *Paulo* agunt die vi. *Septembris*. Vide Baronium in Notationibus, ubi de ejus translatione, quæ *Theodosii* Imperatoris jussu, ex urbe Ancyra Constantinopolim A. D. 381. facta est, exceptumque summo honore martyris corpus in basilica ejusdem Pauli nomine nuncupata collocatum fuit, ut habent Socrates lib. v. cap. ix. & Sozomenus lib. vii. cap. x.

Luciani. De *Luciano* martyre, Cæsareæ in Cappadocia, silent hac die codices nostri, silet & genuinus Usuardus, sed tantum agunt ejus Auctaria. Memoratur hac die *Lucianus martyr in Cappadocia* a Romano parvo, item a Rabano, & Notkero. Silet de hoc *Luciano* Martyrologium Romanum. Vide quæ de eo ex Martyrologiis habent Bollandiani hac die pag. 8.

Luciani loco codices nostri recolunt hac die *Petrum* unà cum sociis Cordubensibus, de quibus Usuardus genuinus hac die ita habet: *Item Corduba, sanctorum Petri presbyteri, Aventii, Hieremiæ, & aliorum trium*. Hæc eadem in nostris codicibus leguntur, & additur tantum: *quorum gesta habentur*. Hæc sumpta esse ex Eulogii Memoriali lib. II. cap. iv. admonet Sollerius. De his ex eodem Eulogio agunt Bollandiani socii hac die pag. 37. Passi dicuntur æra 889. hoc est A. D. 751. Baronius chirographo suo ad oram Martyrologii Romani editionis Romanæ anni 1583. quæ in Bibliotheca Casanatensi asservatur, hæc adnotavit: *Hos passos esse octava Junii scribit Eulogius lib. II. cap. iv.* *Petri & soc.*

---

8. *Junii.* *E. VI. IDUS JUNII.*

Medardi. IN Galliis, Suessionis civitate, natalis S. Medardi Episcopi & confessoris.

Licinii. Andegavis, S. Licinii Episcopi & confessoris.

Carilefi. Item eodem die, S. Carilefi confessoris.

V*ARIA LECTIO*. Ed. *In Galliis, Suessionis &c.* Cod. 511. 512. & 514. ita habent hac die:

Medardi. „ In Galliis, Suessionis civitate, natalis sancti Medardi (cod. 511. *Vernandensis*; „ cod. 512. 514. *Vermandensis*) Episcopi, cujus vita & mors pretiosa gloriosis miraculis
Gildardi. „ commendatus. Eodem die, depositio sancti Gildardi Rotomagensis Episcopi, fratris „ sancti Medardi, qui fuerunt una die nati, una eademque die Episcopi ordinati, simi-
Eraclii. „ liter quoque uno die ab hac luce subtracti. Senones, depositio sancti Eracli Episcopi „ & confessoris. Deest in his codicibus hac die natalis *S. Licinii* Episcopi; & natalis *S. Carilefi* confessoris.

Medardi. A*DNOTATIO*. De *Medardo*, & *Gildardo* agunt hac die omnia ferme Latinorum Martyrologia. Apographa Hieronymiana primo loco veniunt, licet inter Auctaria recenseantur a Florentinio. At in primis ea recensebimus Martyrologia, quæ *Medardum* celebrant. Agunt igitur apographa Hieronymiana, Beda genuinus, Gellonense, Rabanus, Ado noster, Usuardus. Notkerus fere ad verbum Rabanum sequitur, addens & illud, a Fortunato Episcopo Parisiaco prosa & metro *Medardi* vitam scriptam fuisse. His succedunt Wandelbertus, Florus, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Hagiologium Francogallicum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. In his fere omnibus *Medardi* natalis: *In Galliis, civitate Suessionis* statuitur. Usuardus ab elogio Adonis declinat, quapropter Sollerius hujusmodi elogium pure Usuardinum esse censet. *Medardus* ex Papebrochii sententia ad hanc diem pag. 73. num. 7. consecratus fuit Episcopus *Veromandensis* c. A. D. 530., & ad *Noviomensem* sedem translatus A. D. 531. insequentique anno 532. *Tornacensis* etiam Ecclesiæ regimen suscepit. Obiit A.D. 545. vel 546., *Noviomagi ad Isaram*, vulgo *l'Oise*, cujus corpus *Chlotarius* rex Francorum *Suessionas* in fisco suo suburbano, qui *Croviacus*, vulgo *Crouy*, dicitur, transferendum curavit. Illius vitam Fortunatus metro & prosa scripsit, alii item scripsere, ut anonymus Suessionensis sæculi ix. & Radbodus Episcopus Suessionis. Habes has hac die apud Bollandianos socios. Vide etiam de *Medardo* Mabill. Annal. Bened. lib. v. §. xxi. & seq. & §. xxviii. & lib. vi. §. lxvi. Quod autem vides in codicibus nostris Adonianis, & Ra-

& Rabano Medardum *Vermandensem* Episcopum appellari, ab Usuardo *Noviomensem*, & ejus natalem *Suessione* memorari, ex hisque diximus, profectum est. *Augusta Veromanduorum* olim, nunc est opidum *S. Quintini*, ob reliquias hujus martyris, ibi sepulti. Vide de ea Valesium in Notitia pag. 596. & Cointium ad an. 531. num. XXIV. Varie hujus urbis nomen circumflecti solet apud Scriptores inferioris ævi, quos vide apud Valesium, ut supra.

Gildardi. *Gildardus*, vulgo *S. Godard*, Episcopus *Rotomagensis* commemoratur ab apographo Hieronymiano Corbejensi, ab Adone, Usuardo, Wandelberto, & Kalendario Vat. 3806. Ab aliis silentio præteritur. Henschenius ad hanc diem pag. 67. quæ falso a nonnullis tradita sunt de *Gildardo*, simul & *Medardo* accurate expendit, atque una cum Valesio rerum Francicarum lib. VIII. pag. 485. adversus quorumdam veterum, & recentiorum opinationes, falsum esse docet, *Medardum*, & *Gildardum* fratres geminos fuisse, uno eodemque die natos, uno, sacerdotio initiatos, unoque vita functos; nam S. *Gildardus* jam Episcopus Rotomagensis erat A. D. 508. quo Aurelianensi I. Concilio subscripsit, & *S. Medardus* factus est Episcopus anno 530. Refellit etiam Cointius ad an. 456. num. VIII. ea Acta, in quibus *Medardus*, & *Gildardus* fratres gemini esse dicuntur. Sæculo tamen IX. hæc fabula nata videtur, ut animadvertit Sollerius; eam certe hauserat Wandelbertus, dum habet:

Progenies meritumque pium, quos jungit & ora,
Gildardus senas pariterque Medardus honorant.

Ex aliquo etiam hujus fabulæ Scriptore hauserunt codices nostri. Cætera de eorum cultu, & translationibus vide apud Bollandianos hac die.

De *Licinio* silent hac die codices nostri, quia de illo egerunt ad diem XIII. *Februarii*, prout agit & genuinus Usuardus, quare consule Adnotationes nostras ad eam diem. *Licinii.*

Carilefum item hac die prætereunt codices nostri, quemadmodum præterit genuinus Usuardus, qui agit die *primo Julii*, ac item ea die codices nostri; quare vide quæ ibi dicturi sumus. *Carilefi.*

Eraclius, seu *Heraclius Senonensis* Episcopus memoratur a nostris codicibus, & a vulgato Adone præteritur. Verum colitur a genuino Adone his verbis: *Item Senonis, sancti Eraclii Episcopi & confessoris.* Ignotum esse vetustis omnibus Martyrologiis tradit Sollerius in Usuardum hac die. De eo ex probatioribus nonnulla collegit Henschenius ad hanc diem pag. 69. Obiisse dicitur c. A.D. 522. *Eraclii.*

F. V. IDUS JUNII. *8. Junii.*

ROMÆ in monte Cælio, natale SS. Primi & Feliciani sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus. Qui gloriosissimi martyres in Domino semper viventes, a Pontificibus templorum apud Imperatores, quod Christiani essent, accusati sunt & inquisiti. Erant enim cives Romani, adductique sunt in conspectu Imperatorum, & jusserunt eos ferro vinctos in carcerem recludi, ubi adfuit eis Angelus Domini, qui eos consolaretur. Post aliquot vero dies jusserunt eos Imperatores suis adspectibus præsentari, & jusserunt militibus, ut ducerent eos ad fanum Herculis; &, si sacrificare nollent, fortiter eos pœnis affligerent. Verum cum nulla possent eos ratione movere, sed pro Christi nomine optarent magis mori, extenderunt eos milites, & virgis fortiter mactaverunt. Et cum renuntiassent Imperatoribus milites quæ gesta sunt, irati valde jusserunt eos tradi Promoto præsidi civitatis Numentanæ, ut diversis pœnis eos interficeret. Et accipientes eos milites, duxerunt in viam, quæ dicitur Numentana, miliario XIII. ferro vinctos, & miserunt eos in carcerem juxta forum civitatis, ubi iterum Angelica visitatione relevantur. Post multum vero temporis jussit sibi Promotus præses in foro civitatis *Primi, & Feliciani.*

tis

tis tribunal præparari. Et cum intromissi fuissent Primus & Felicianus, & jubente Præside fuissent post responsionem ab invicem separati, primo beatum Felicianum jussit Præses cum plumbatis cædi, dicens ei: Ut quid non deponis istam insaniam pectoris tui, ut eligas dies bonos & jucundos, & non diversis tormentis corpus tuum maceretur? Beatus Felicianus dixit: Octoginta annos vitæ habeo, suntque anni triginta quod agnovi veritatem Dei, & nihil de blandimentis hujus mundi cogitans, elegi servire Creatori meo, æterno omnipotenti Deo. Tunc Præses jussit eum ligari ad stipitem, & aculeos in manibus ejus ac pedibus figi, & diu torqueri. Et per tres dies neque panis neque aqua, neque ullum genus cibi ei ministratum est. Cumque per triduum continuo maneret in Dei laudibus, jussit eum Præses flagellis cædi, & de stipite sic deponi, & in custodia recludi, ac postmodum applicari sibi sanctum Primum. Quem validissimis fustibus cæsum, deinde in equuleo levatum, lampades circa latera ejus jussit apponi: & depositum de equuleo, præcepit reliquari plumbum super beatum Martyrem extensum, & bulliens in os ejus infundi. Tunc fecit præsentem esse beatum Felicianum. Sed cum invictissimi persisterent sancti Martyres, angustiatus Præses jussit eos ad Amphitheatrum duci, & duos leones eis dimitti. Quibus ad pedes Sanctorum ruentibus, laxati sunt & ursi ferocissimi: Sed & ipsi Martyrum virtute sævitiam perdiderunt. Quod videntes hi, qui ad spectaculum venerant, pæne mille quingenti viri miraculis perculsi, crediderunt in Domino Jesu Christo. Verum Præses cum insuperabiles eos cerneret, gladio animadverti præcepit. Quorum corpora noctu a Christianis fidelibus rapta, sepulta sunt ad Arcus Numentanos, intra arenarium, quinto Idus Junii, ab urbe Roma miliario quarto decimo.

In Galliis civitate Aginno, loco Pompejaco, passio sancti Vincentii levitæ & martyris. *Vincentii.*

VARIA LECTIO. Ed. *milliario* XIII. Desunt hæc in cod. 511. 512. & 514. Ed. *cum plumbatis cædi*. Cod. 511. *in foro cum plumbatis cædere*. Ed. *& non diversis tormentis*. Cod. 511. *& non tormentis*. Ed. *intra arenarium, quinto Idus Junii*. Cod. 511. *intra arenarium* III. *Id. Junii, ab urbe milliario* XIIII.

Ed. *In Galliis, civitate Aginno &c.* Cod. 511. *In Galliis civitate, loco Agenno, loco Pompejaco*.

Post verbum *martyris*, extremo loco hac die, sequitur in codicibus 511. 512. & 514. „ In Scotia sancti Columbæ presbyteri & confessoris. *Columba.*

Primi, & Feliciani. ADNOTATIO. *Primus & Felicianus* martyres celebri semper cultu, & Romæ & alibi habiti sunt. Agunt de his vetera monumenta, quanquam nonnulla pridie hujus diei, alia hac die. Primo loco occurrunt apographa Hieronymiana. Lucense hac die habet: *Roma*

Romæ mil. xv. *& in Gallia Popejæ, Primi & Feliciani.* Mendose exaratum esse codicem, quisque videt: eum sanare satagit Florentinius io notis pag. 587. Deest enim *Vincentius* martyr *loco Pompejaco*, & primo loco, *Romæ milliario* xv. ab Urbe *Primus* & *Felicianus* collocaodi sont. Alia Hieronymiana apographa emendatiora sont. In Epternacensi primo loco ponitur: *Romæ, Primi & Feliciani.* In Corbejensi ita legitur: *In Gallia Pompejaci, passio sancti Vincentii martyris. Nomentana civitate, passio sanctorum Primi & Feliciani martyrum.* Beda genuinus: *Natale sanctorum Primi & Feliciani martyrum.* Romanum parvum: *Romæ, in cælio monte, Primi & Feliciani martyrum.* Gellonense: *Romæ, Primi, & Feliciani.* Rabanus eos *Romæ* recolit, & multa ex Actis profert. Elogium satis loogum ex Actis itidem petitum exhibet Ado noster, quod fere ad verbum exscripsit Notkerus, si pauca ad extremum excipias, idest *milliario decimo quarto*, quum apud Notkerum *milliorio decimo tertio* legatur. Usuardus Adonis elogium brevi narratione complexus est. Agunt præterea Florus, Wandelbertus, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Rhinovieose, Richenoviense, Augustanom, & Labbeanum, Kaleodarium Palat. Vat. 485. & Vatic. 3806. Martyrologium Ottobonianum agit pridie hujus diei. Deest Missa hac die ix. *Junii in natali* horum martyrum in vetustioribus Sacramentariis Gregorianis, ut in Reginæ Suecorom 337. & Ottoboniano, at habetur hac die in Sacramentario Pamelii pag. 307. Palat. Vat. 495. 496. Vatic. 4770. Vatic. 4772. (in quo S. *Gatulius* additur) in Sacramentario Angeli Rocchæ, & Menardi, qui tamen adnotat deesse in Sacramentario Rodraldi. Non eædem etiam in omnibus orationes suot. Capitularia veterrioa Evangeliorum tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 564. ad diem VIII. *Junii* Evangelium exhibent *in natali SS. Primi, & Feliciani in basilica S. Stephani.* Alia Capitularia ibi, ut & Frontonianum agunt de horum natali ad diem ix. *Junii.* Qua die quoqoe Antiphonarius Caroutensis editus a Thomasio, pag. 880., & alii Gregoriani Antiphonarii. Illa autem monumenta, quæ SS. *Primi & Feliciani* natalem *via Nomentana* recolunt, martyrii locum designant; quæ vero in *basilica S. Stephani*, locum in quo a *Theodoro* Papa eorum corpora translata sunt, c. A. D. 649. qua de re vulgatus Anastasius in Vita, & ex eo Baronius ad an. 649. num. I. & in Notationibus hac die. Vetera Epigrammata de basilica S. *Stephani in cælio monte*, ubi *Felicis, Simplicii*, ac *Theodori* Romanorum Pontificum, qui eam exornarunt, nomina, habes apud Gruterum p. MCLXIV. MCLXV. & etiam apud Baronium ad an. 530. num. I. Visuntur adhuc in Ecclesia S. Stephani in cælio monte musivæ *SS. Primi & Feliciani* imagines, quas æri incisas vulgavit Jo. Ciampinus veterum monimentorum P. I. cap. XVI. tab. XXXII. Acta horum martyrum, quæ a Bollandianis sociis hac die post alios recusa sunt p. 152. *& seq.* neque genuina, neque optimæ notæ videntur Henschenio, sed diu post exornata, scripta tamen esse diu ante eorom translationem. Henschenii censuram amplectitur Tillemontius tom. IV. pag. 571. cujus etiam sententia est, hos martyres passos esse anno Christi 287. Baronius horum martyrium in Anoalibus ad an. 303. num. CXV. ad annum 303. assignat. Confusa videntur quæ Florentinius pag. 587. 588. congessit de urbe *Nomento*, deque illius ab urbe Roma distantia. De reliquiis horum martyrum Roma Legiunum, ad Verbanum lacom apud Insubres opidum, vide quæ in nova Annalium Baronii editione Lucensi ad an. 906. num. I. adnotavimus, ubi de nupera etiam reliquiarum eorundem martyrum in eodem S. Stephani in cælio monte titulo inventiooe, curante Antonio Xaverio ejusdem tituli presbytero Cardinali Gentili, aliquid attigimus.

Vincentii Agianensis in Gallia *martyris* elo- *Vincentii.*
gium habetur apud Gregorium Turonensem lib. de gloria mart. cap. CV. & Histor. Franc. lib. VIII. cap. XXXV. ex quo suum exornavit elogium hac die Florus. Ado, Usuardus, & Notkerus hac die paucis de *Vincentio* agont. His præeunt, ut vidimus, Hieronymiana. Meminere item hac die *Vincentii* Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, & Martyrologiom Reginæ Suecorum. *Locus Pompejacus, vicus & mons Pompejacus* in Actis *S. Caprasii* memoratur. Illius Acta, & elogia proferunt hac die Bollandiani pag. 166. *& seq.* eaque illustrant, atque expendunt, ut & Tillemontius tom. IV. pag. 543. *& seq.* Passus esse dicitur *Vincentius*, Diocletianea persecutione.

Columba Abbas, a nostris codicibus hac *Columba.*
die celebratus, ab Usuardo etiam genuino colitur, silente autem vulgato Adone, ab uno Usuardo inter primos memorari existimat Sollerius, deinde a Notkero longiori vitæ compendio. Nonnulla in elogio Notkeri, ut de *Primatia omnium Hibernorum.* & alia corrigenda esse, monent cum Sollerio Bollandiani socii. *S. Columba* fuit Abbas *Hiiensis* in Anglia. Vitam illius a Cummeneo scriptam edidit Mabillonius sæculo I. Benedictino pag. 361. qui animadvertit, vocari *Columbam* a Matthæo Westmonasteriensi ad an. 598., ab aliis *Columbanum*, & a Martyrologio Romano *Columbum*, quanquam *Columbam* nunquam ab antiquis appellatum putet. De nostro *Columba* meminit Beda lib. I. Histor. Eccl. Anglor. cap. V. & X. Obiisse censet Mabillonius, A. D. 598. die *nona Junii, feria secunda*: nam hoc anno dies *Dominica* incidebat in diem *octavam Junii.* Vide eundem in Annal. Bened. lib. IX. §. XIX. *& seq.* & lib. VIII. §. VIII. Baertius in Actis Bollandianis hac die pag. 193. Usserii, & Waræi opinionem sequitur, qui *Columbæ* obitum in A. D. 597. conferunt hac die IX. *Junii.*

10. *Junii.* G. IV. IDUS JUNII.

Basilidis, Tripodis, Mandalis. ROMÆ via Aurelia, miliario decimotertio, natalis sanctorum Basilidis, Tripodis, & Mandalis, sub Aureliano Imperatore, præside Platone, & aliorum viginti martyrum.

Getulii. Eodem die, natale B. Getulii martyris tempore Adriani Imperatoris, sub judice Licinio. Hic in omni lege divina erat doctissimus, & per ejus doctrinam multi in fide Christi erudiebantur. Cujus famam Adrianus imperator audiens, direxit Cerealem vicarium ad tenendum eum. Qui veniens, sanctum Getulium sedentem, & docentem multos reperit. Fuerat autem idem Cerealis in conspectu Adriani cum fratre beati Getulii Amantio acceptus; Amantius vero Tribunus, ob metum Adriani absconsus latebat: quem Cereali beatus Getulius declaravit. Ille, eo viso, gavisus est valde, & instructus diligenter de Domino Jesu ab eis, cum jam fideliter crederet, venerunt ad urbem Romam, & accersito beato Sixto Episcopo assignaverunt ei locum ubi baptizaretur. Quem beatus Sixtus vere Christianam fidem amantem baptizavit. Eodem tempore quidam Vincentius nomine, nummorum arcarius, comperiens vicarium Cerealem Christianum, iratus valde nuntiavit hoc Adriano. Qui mox Licinium consularem direxit, ut teneret Cerealem: qui, si immolare nollet, incendio cremaretur. Cum quo beatus Getulius, & Amantius, & Primitivus tenti sunt. Licinius consularis Cereali vicario dixit: Sic desperasti de vita tua, ut præcepta Principum, qui dominantur in universo mundo, contemnere videaris? Cui beatus Cerealis: Et thesauros publicos declinatione perfecta tradidi in publicum, & Domino Jesu Christo servire promitto, & vita æterna me frui credo. Licinius dixit: Si desideras vivere, an mori, dicito. Cui beatus Cerealis: Ego si non desiderarem vivere, Christum non confiterer. Tunc conversus ad sanctum Getulium Licinius dixit: Sacrifica deo Jovi & Marti. Cujus verba risit beatus Martyr. Licinius vero accensus ira, jussit eos exspoliari, & cædi; deinde in carcerem diebus vigintiseptem recludi. Et veniens Romam, Adriano de eis iterum innotuit: qui jussit eos incendio tradi. Sanctus vero Getulius cum in igne superviveret, fustibus illiso capite martyrium complevit. Consummati sunt beati Martyres in fundo Capreolis, via Salaria, ab urbe Roma plus minus miliario decimotertio supra fluvium Tiberim, * in partes Avinensium. Quorum corpora collegit beata Simphorosa, uxor beati Getulii martyris. Quæ non longe post cum septem suis filiis martyrizavit, videlicet vigesimo septimo die mensis Junii.

* *Al. in parte Sabinensium.*

Et

Et sepulta est in prædio suo, in Arenario, loco & oppido supra nominato.

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ via Aurelia &c.* Cod. 511. 512. 514. *Romæ via Aurelia, natalis beati Basilidis martyris, Tripodis, & Magdalis, sub Aureliano &c.* Ed. *Eodem die, natale B. Getulii &c.* Cod. 511. *Eodem die, beati Getuli mart. temporibus Adriani &c.* Ed. *Consummati sunt beati martyres &c.* Cod. 511. *Consummati sunt autem sancti martyres ab urbe Roma milliario* XIII. *super fluvium tyberim. Quorum corpora collegit beata Simphorosa, uxor Getulii martyris, & sepelivit ea in prædio suo: quæ non longe post cum* VII. *filiis suis martyrizata est* XXVII. *die mensis Junii*. Cætera, quæ in editis sequuntur, omittit. Deinde sequitur in eodem codice, & in codicibus 512 514.

Censurii. „ Autisiodoro, depositio sancti Censurii Episcopi & confessoris, cujus sacrum corpus „ in Ecclesia sancti Germani cum digno honore non longe a corpore ipsius sepultum est. „ Hic quartus post beatum Germanum rexit Ecclesiam annos XXXVIII. mens. III. dies VI.

Sequitur deinde in codice 511. aliena manu, minus antiqua: *Parisius, natalis*

Landerici. *sancti Landerici Episcopi & confessoris.*

Basilidis, & soc. ADNOTATIO. *Basilides* cum sociis, de quibus hac die Ado, iterum in nonnullis Martyrologiis coluntur die XII. *Junii*; hinc quæsitum est, num duo *Basilides* sint. Nos ad eum diem Martyrologia proferemus. De *Basilide, Tripode, & Mandale* cum aliis XX. *Romæ, via Aurelia*, agit hac die Romanum parvum; agunt Ado, Usuardus, & Notkerus, qui addidit: *in quibusdam codicibus, pro Tripode, & Mandale, in Tripoli, Magdaletes scriptum reperiri*. Hinc Henschenius, ut monet Sollerius, *Tripodem & Mandalem* expunxit, quod ægre fert Sollerius. Uno hoc versiculo de his agit Wandelbertus:

Quarta Basilide, & bis deno martyre vernant.

Martyrologium Reginæ Suecorum hac die: *Romæ, via Aurelia, milliario* XII. *natalis sancti Basilidis cum aliis* XXIV. Agunt de his Bollandiani hac die pag. 172. ex Martyrol. Vide interim Sollerii observationem ad Usuardum hac die. Cætera vide die XII. *Junii*, inferius.

Getulii. *Getulius*, seu *Gethulius*, Tiburtinus martyr, a Martyrologiis quibusdam pridie hujus diei, ab aliis hac die colitur. Silent de eo Hieronymiana. Meminit Rabanus pridie hujus diei, nonnulla ex Actis proferens. Ado & Usuardus agunt hac die. Ado elogium in longum ex Actis deduxit, quod in epitomen redegit Usuardus. Notkerus Adonem non plene descripsit. *Getulii, & Cerealis* hac die item meminit Romanum parvum. Silent de eo hac die Gellonense, Rhinoviense, Richenoviense, & alia Hagiographa. In Sacramentario Vaticano 4772. in Missa SS. *Primi, & Feliciani*, pridie hujus diei additur *S. Gethulius martyr*. Acta vetustissima cum aliis MSS. collata, edidit hac die & illustravit Papebrochius pagin. 265. *& seq.* Inter selecta retulit Ruinartius pag. 17. Passus est c. A. D. 124. Vide Baronii Adnotationes, & Fulvium Cardolum. Vide etiam Tillemontium tom. II. pagin. 241. *& seq.*

Censurius Episcopus præteritur quidem e Hieronymianis & Beda, sed agunt de eo hac die Gellonense, Rabanus, Adoniani nostri codices, Usuardus, Notkerus, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Fuldense, & Reginæ Suecorum. Ottobonianum agit pridie hujus diei. Meminit de eo Sidonius lib. VI. epist. e. quem *Censorium* appellat. Historia Episcoporum Autisiodorensium cap. X. obiisse *Censurium* narrat IV. *Idus Junii*, temporibus *Hormisdæ* Papæ. De eo item Hericus monachus de miraculis S. Germani cap. XV. Vide Baronium ad an. 425. num. V. & Bollandianos hac die pag. 277. Itaque si quis Adoni genuino Censurium adscripserit, eum non esse coarguendum putarim. *Censurii.*

Licet in uno tantum ex codicibus nostris, & quidem aliena manu, cujus character sæculi XIII. videtur, *Landericus*, vulgo *Landric*, Episcopus prænotetur, ex quo tantum ab Adone eliminandus esse videatur, pauca tamen de eodem prænotamus. Deest autem & in Usuardo genuino, sed agunt nonnulla ejus Auctaria, ac item inter Auctaria rejicitur in codice Usuardi Pratensi. Floruisse dicitur sæculo Christi septimo, ut habent Bollandiani hac die pagin. 291., nimirum sub A.D. 660. uti animadvertit Gerardus du Bois in Historia Ecclesiæ Parisiensis lib. IV. cap. V. pag. 180. quem vide. Sepultus est in basilica S. *Vincentii*, quam modo vocant S. *Germani Autisiodorensis*. Corpus ejus in capsa lignea A. D. 1171. a *Mauritio* Parisiensi Antistite collocatum fuit. Desideratur *Landericus* in Martyrologio Romano. *Landerici.*

11. Junii. *A. III. IDUS JUNII.*

Barnabæ. NATALIS S. Barnabæ Apostoli, cujus corpus tempore Zenonis Imperatoris ipso revelante repertum est. Vid. libell. de festivit. Apost.

Sosthenis. Eodem die apud Corinthum, S. Sosthenis, discipuli sancti Pauli Apostoli.

Felicis & Fortunati. Apud Aquilejam, natale SS. martyrum Felicis & Fortunati, sub persecutione Diocletiani & Maximiani Imperatorum, Præside Euphemio. Qui cum essent germani fratres fide Christi ferventes, deferente Apamio, qui erat unus ex officio Præsidis, vincti ferro, Aquilejam judici Euphemio perducuntur. Ubi cum Christum constantissime faterentur, ab irato Judice primum in equuleo sunt suspensi, ardentibus lampadibus circa latera appositis, sed mox psallentibus martyribus extinctis, inde per ventrem ferventi oleo superfusi; ad ultimum, cum in confessione Christi durarent, foras civitatem ducti, ad fluvium, qui civitati adjacet, capite truncantur. Inde nocte a religiosis viris ejusdem urbis Aquilejæ sub aromatibus, & linteaminibus involuti, ablati sunt atque sepulti. At cives Vicetiæ supervenientes, eorum corpora perducere ad suam civitatem meditabantur. Non permittentibus autem Aquilejensibus, & multum renitentibus, tandem pia contentio ita finita est nutu divino, ut Felicem Vicetini, Fortunatum haberent Aquilejenses: ita tamen, ut caput beati Felicis Aquileja, caput vero Fortunati Vicetia sortiretur. Quod factum in laudem Domini nostri Jesu Christi usque hodie permanet.

VARIA LECTIO. Ed. *Natalis S. Barnabæ &c.* Cod. 511. „ Natale sancti Barnabæ Apostoli, qui cum esset genere Ciprus, cum Paulo gen„ tium Apostolus ordinatus est. Hic postea propter Johannem discipulum, qui & Mar„ cus videbatur, separatus a Paulo, nihilominus evangelicæ prædicationis injunctum sibi „ opus exercuit. Cujus corpus tempore Zenonis Imperatoris, ipso revelante repertum „ est. Apud Corintum, sancti Sostenes &c.

Ed. *Apud Aquilejam.* Cod. 511. *Apud Aquilegiam.* Cod. 512. *Apud Aquilejam.* Ed. *ducti, ad fluvium.* Cod. 514. *ducti juxta fluvium.* Ed. *Aquilejæ sub aromatibus &c.* Cod. 511. & 512. *Aquilejæ sublati, cum aromatibus involuti linteaminibus, occulte sepulti sunt. At cives Niceæ* (cod. 512 *Vicetiæ*) *supervenientes, eorum corpora perducere ad suam civitatem Niceam* (cod. 512. *Vicetiam*) *meditabantur, diuque renitentibus Aquilejensibus, tandem &c.* Ed. *ut Felicem Vicetini.* Cod. 511. *ut Felicem Nicetii.* Cod. 512. *ut Felicem Vicetini.* Ed. *caput vero Fortunati &c.* Cod. 511. *Caput vero Fortunati Nicetia* (cod. 512. *Vicetia*) *sortiretur.*

Barnaba. ADNOTATIO. *Barnabæ* Apostoli nomen præteritur quidem hac die a Hieronymianis; sed Beda agit de eo his verbis: *Barnaba Apostoli.* Ita quoque Romanum parvum. Rabanus hac die agit de *Anacleto* Papa, quem juxta corpus B. *Petri Apostoli & Barnabæ Apostoli*, sepultum esse scribit. Forte extrema hæc verba, male a librariis exarata sunt, & interpungendum est, ac legendum: *Et natalis Barnabæ Apostoli.* Justo elogio de *Barnaba* agit Ado noster,

noster, quem sequitur Usuardus. Uberior est Notkerus, qui in fine addit: *Hic unam ad ædificationem Ecclesiæ pertinentem scripsisse fertur Epistolam, quæ tamen inter apocryphas reputatur*. Meminere *Barnabæ* hac die Wandelbertus, Augustanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palatino-Vaticanum 39. & 485. & Vaticanum 3806. Silent Rhinoviense, & Richenoviense. Papebrochius in commentario prævio, hac die pag. 241. miratur, & conqueri quodammodo videtur, cur apud Latinos & Græcos tam sero *Bartholomæus*, & *Barnabas* Apostoli cultum obtinuerint, quum de his neque Hieronymiana, neque vetera Sacramentaria egerint; nam quæ in Gregoriano habetur Missa *S. Bartholomæi*, ei primum accessit post translationem ex Lipara Beneventum, inde Romam. Subdubitat præterea Papebrochius, an Beda genuinus de *S. Barnaba* agat, & censet, Florum potius esse. At nihil dubitat Sollerius. Multa demum Papebrochius profert, ut ostendat, in divinis officiis, recenti potius, quam veteri cultu de *Barnaba*, ab Ecclesia Latina agi. Quanquam vero vetustiora Sacramentaria, ut Gelasianum, Gregorians vetustiora Reginæ Suecorum, Pamelii, Menardi, & Angeli Rocchæ Missam non habeant in *natali S. Barnabæ*, ac sileant Capitularia Evangeliorum vetusta, Missam tamen ejus natali hac die habet Sacramentarium Palat. Vat. 495. sæculi x. exeuntis; ubi prima oratio est: *Da, quæsumus, omnipotens Deus, ut beatus Apostolus* &c. Secreta. *Munus populi tui*. Ad communionem: *Ut percepta*. Alia: *Beati Apostoli tui* N. *quæsumus, Domine, supplicatione placatus, & veniam nobis tribue, & remedia sempiterna concede*. Habetur etiam in Sacramentario Gemmenticensi, Vat. 1272. & 4770. sæculi xi. In Vat. 1272. continentur etiam lectiones inter divina officia de eo recitandæ. Quæ ad illius Acta pertinent, habes apud Bollandianos hac die pag. 421. *& seq.* Tillemontium tom. i. pag. 408. & 655. sed in primis adeundus Baronius ad an. 51. num. 2. *& seq.* & in Notationibus hac die. Quod vero ad illius translationem, seu corporis inventionem in Cypro insula attinet, de ea, præter Alexandri monachi Cyprii Acta, adeundus Theodorus Lector Collectan. lib. ii. Nicephorus lib. xvi. cap. xxxvii. Cedrenus ad annum quartum Zenonis. Disputatur, quo anno hæc inventio contigerit. Victor Tunnensis eam refert ad an. 488. Sigebertus ad an. 489. Marianus Scotus ad an. 483. Cedrenus ad annum Zenonis *quartum*, hoc est Christi 477. Nicephorus ad Anastasii imperium, Baronius ad an. 485. num. iv. *& seq.* hoc anno Barnabæ corpus inventum fuisse contendit. Tillemontius tom. xvi. pag. 379. Victorem Tunnensem sequi videtur. Pagius in Critica ad an. 485. num. ii. incertum esse hujus inventionis annum scribit, atque fuisse inter annum 485. & 488. In eo omnes consentiunt, ut Petro Fullone adhuc vivente, contigerit. De aliis translationibus consule Bollandianos pag. 453. *& seq.* De *Barnabæ* epistola, post Bellarminum, & Labbeum de Scriptoribus Ecclesiasticis, vide, si lubet, Bibliothecam Græcam Fabricii tom. iii. pag. 173. 174. & tom. v. pag. 3.

Sosthenes colitur hac die a Romano parvo, Adone, & Notkero, ab Usuardo de eo agitur die xxviii. *Novembris*. Martyrologium Fuldense agit die xxviii. *Decembris*. Vide quæ de *Sosthene* adnotavit Sollerius in Usuardum die xxviii. Novembris. *Sosthenis.*

Felix & *Fortunatus*, Aquilejenses martyres coluntur hac die, licet non satis clare, a Hieronymianis. Romanum parvum ita præfert: *Aquileja Felicis, & Fortunati*. Fuse Ado ex Actis, quem contraxit Usuardus, & Notkerus ad unguem descripsit. Rhinoviense, & Richenoviense: *Et in Aquileja, Fortunati Episcopi*. Meminere *Fortunati* hac die Augustanum & Labbeanum, sed mixtim cum aliis. Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *In Aquileja, Emeriti, cum aliis tribus*. Ottobonianum: *In Aquileja, Emeriti, & Victoriani*. Nonnulla Usuardi Auctaria de *Felice*, & *Fortunato* agunt die xiv. *Maji*. Eorum Acta post Mombritium & alios ediderunt hac die Bollandiani socii pag. 46. In codice Canonicorum Forojuliensium hæc Acta ita incipiunt: *In illis diebus, sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, anno duodecimo exiit edictum eorum, & propositum est per universas civitates a Principibus, & Magistratibus, ut ubicumque Christiani inventi fuissent, diversis pœnis interficerentur* &c. In fine: *Martyrizati sunt autem sancti Dei Felix & Fortunatus martyres sub die nonodecimo Kal. Septembris, regnante vero Domino nostro Jesu Christo* &c. Illa vero die xiv. *Augusti* Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *In Aquileja, natalis sanctorum Felicis, Fortunati, Januarii*. Rhinoviense item ea die: *In Syria, Demetrii, Fortunati. In Aquileja, Felicis*. Ita Richenoviense. Augustanum *Fortunati*, deinde post alios *Felicis* meminit, turmatim. Labbeanum primo loco meminit: *Fortunati, Vincentiæ, & Felicis* ad extremum. Itaque variis diebus ob aliquam eorum translationem, aut peculiarem celebritatem in Martyrologiis hi martyres coluntur. A Baronio ad an. 303. num. cxxiii. inter eos martyres recensentur, qui Diocletianea persecutione A.D. 303. interfecti fuere. Si ad Acta respicimus, annus imperii Diocletianei xii., erit annus Christi 296. Inter antiqua monumenta Aquilejensia a Jo. Dominico Bertoli, Canonico Aquilejensi edita, horum martyrum nomina leguntur, pag. 361. 365. 367. 368. & 370. *Felicis, & Fortunati.*

B. PRI.

12. *Junii.* **B. PRIDIE IDUS JUNII.**

Nazarii, & Celsi. MEDIOLANI, natale SS. Martyrum Nazarii, & Celsi pueri. Beati Nazarii pater Africanus, mater vero Perpetua, a beato Petro Apostolo baptizati: ipse vero S. Nazarius a sancto Clemente instructus & baptizatus est. Quem Anolinus sub rabie persecutionis, quæ per Neronem excitata est, diu maceratum & afflictum in carcere, & cum eo beatissimum Celsum puerum, quem idem ipse nutrierat, gladio feriri jussit. Quorum corpora Christiani furati, quinto Kalend. Augusti sepelierunt foris portam, quæ dicitur Romana, in propriis hortis. Revelabant autem se beatissimi martyres cuidam Ceratio nomine, cui uxor Fortunata, & per visum monuerant se occultari propter rabiem persecutionis, quam Nero impius excitaverat. Latuerunt vero usque ad tempora Honorii & Arcadii Imperatorum. Quos beatus Ambrosius Domino revelante reperit. Patefacto autem sepulcro, in quo jacebat corpus sancti Nazarii, (qui quando passus fuerit, ut scribit sanctus Paulinus, usque tunc temporis ignorabatur) viderunt sanguinem martyris ita recentem, qui præsentes erant, quasi eodem die fuisset effusus. Caput etiam ipsius, quod ab impiis fuerat abscisum, ita integrum atque incorruptum, cum capillis capitis & barba, ut videretur eo tempore, quo levabatur, lotum, atque in sepulcro compositum. Etiam odore tanto repleti sunt, ut omnium aromatum vinceret suavitatem. Quo levato, & lectica composito, statim ad sanctum Celsum martyrem, qui in eodem horto positus erat, ad orationem sanctus Episcopus perrexit, & transtulit ad basilicam Apostolorum, quæ est in Romana. Inventi autem & translati sunt pridie Idus Junii: festivitas vero agitur de martyrio, quinto Kal. Augusti. Commemoratio etiam eorum publica & celebris in die SS. Gervasii & Protasii a fidelibus populis frequentatur, & venerabiliter excolitur.

Basilidis, & soc. Item beati Basilidis, Cyrini, Naboris.

Nazarii, & Celsi. Sed & Nazarii & Celsi, quos duos passos fuisse apud Ebredunensem urbem, antiquitas memorando celebrat.

VARIA LECTIO. Ed. *Mediolani, natale SS. martyrum Nazarii &c.* Cod. 511. 512. & 514. *Mediolani inventio, & translatio corporum Sanctorum Nazarii & Celsi pueri. Beati Nazarii &c.* Ed. *Petro Apostolo baptizati.* Codices: *Petro Apostolo est baptizata.* Ed. *cuidam Ceratio nomine.* Codices: *cujdam Cerario nomine.* Ed. *quo levabatur, lotum &c.* Codices: *levabatur, locatum atque compositum in sepulcro.* Ed. *levato, & lectica composito.* Codices: *levato, & in lectica composito.* Ed. *& transtulit ad basilicam &c.* Codices: *& utrosque transtulit ad basilicam Apostolorum.*

Inventi

Inventi autem & translati sunt II. *Id. Jun. Festivitas vero eorum agitur* V. *Kal. Aug. de martyrio. Commemoratio tamen eorum publica & celebris in die sanctorum martyrum Protasii & Gervasii a fidelibus &c.* Ed. *Sed & Nazarii & Celsi, quos &c.* Codices: *sed Naboris & Nazarii, & Celsi, quos &c.*

Nazarii, & Celsi.

ADNOTATIO. Martyres hac die ab Adone recensiti, in aliis Hagiographis partim hac die coluntur, partim ita perturbantur, & in nominibus, & in locis, ubi colendi sint, ut vix agnoscantur, partim aliis diebus celebrantur. Itaque eorum verba huc sunt transferenda. Agunt in primis Hieronymiana apographa. Lucense hac die habet: *Romæ, Aureli* (forte pro *via Aurelia*) *Baseledis, Tripolis, Mandaletis*. Apographum Corbejense: *Romæ, natalis Aurili, Luci, militum quinque, Cirini, Naboris, & Nazarii, Tripolis, Mandaletis*. In apographo Lucensi nomina sanari possunt, si legatur, *via Aurelia, Basilidis, Tripodis, & Mandalis*. In Corbejensi item quædam vulnera sananda sunt, ut substituendus *Basilides*. Beda genuinus item hac die ita præfert: *Natale SS. Basilidis, Cirini, Naboris, & Nazarii*. Romanum parvum hac die: *Mediolani, Nazarii, & Celsi, quorum inventio* II. *Idus Junii, martyrium* V. *Kal. Augusti*. Idem ad diem X. Junii: *Romæ, via Aurelia, Basilidis, Tripodis, & Mandalis, & aliorum* XX. Gellonense die VIII. Junii: *Romæ, Nazarii, Primi, Naboris, Feliciani*. Idem die XII. Junii: *Romæ, Basilidis, Tripoli, Cirini, Naboris, Nazarii, Felicis, Magdaletis, Zabini, Aurelii, Donatellæ, Helidii Episcopi*. Rabanus hac die XII. Junii meminit *Basilidis, Naboris, & Nazarii, Romæ via Aurelia*, milliario V., simul & enarrat, *Naboris & Nazarii* corpora anno Christi 765. una cum S. *Gorgonii* corpore in monasterium Laureshamense translata fuisse. De Adone, & Usuardo mox. Notkerus vero *Cirinum, Naborem, & Nazarium*, Romæ recolit; & de *Naboris, Nazarii*, atque *Gorgonii* translatione cum Rabano consentit. *Mediolanensi* urbi *Nazarium & Celsum puerum* adsignat, qui *inventi sunt*, inquit, *pridie Idus Junias: festivitas vero eorum de martyrio agitur quinto Kalendas Augustas. Commemoratio tamen eorum publica & celeberrima in die sanctorum martyrum Gervasii & Protasii, quasi sociorum synchronon agitur*. Idem die X. *Junii* habet: *Romæ, via Aurelia miliario decimo tertio, nativitas sancti Basilidis martyris, Tripodis, & Mandalis, sub Aureliano Imperatore, Præside Platone, & aliorum viginti martyrum. Pro Tripode tamen & Mandale in quibusdam codicibus, in Tripoli Magdaletis reperitur scriptum.* Ado noster hac die primum *Nazarium & Celsum puerum*, Mediolani recolit, deinde sine ulla loci designatione, *Basilidis, Cyrini*, & *Naboris*, meminit; ac iterum *Nazarium*, & *Celsum*, *Ebreduni* passos commemorat. Ad celebritatem inventionis quod attinet, codices nostri ea habent, quæ ex Notkero attulimus. De *Basilide, Tripode*, & *Mandale*, *Romæ, via Aurelia*, cultis, egit ad diem X. *Junii*. Usuardus ad diem XII. *Junii* elogium Adonis ita contrahit: *Mediolani, natalis beati Nazarii martyris, quem Anolinus rabie persecutionis, quæ per Neronem excitata est, diu maceratum & afflictum in carcere, cum quo sanctissimum puerum Celsum, quem idem ipse nutrierat, gladio feriri jussit. Horum corpora, ut scribit sanctus Paulinus, cum usque ad tempora Honorii & Arcadii Imperatorum latuissent, beatus Ambrosius, Domino revelante reperit. Item ad præfatam urbem, sanctorum martyrum Basilidis, Cirini, & Naboris*. Itaque Usuardus laterculum martyrum hujus diei Mediolano adscribit. De *Basilide, Tripode*, & *Mandale*, *Romæ, via Aurelia*, agit die X. *Junii*. Alia Martyrologia & Kalendaria audiantur. Martyrologium Reginæ Suecorum die VIII. Junii: *Romæ, via Aurelia, natalis sanctorum Naboris, & Nazarii*. Idem die X. hujus: *Romæ, via Aurelia miliario* XII. *natalis sancti Basilidis cum aliis* XXIV. Et hac die XII.: *Romæ, via Aurelia, miliario* VIII., *natalis sanctorum Basilidis, Naboris, & Nazarii. Tripolim, natalis sanctorum, Zabini, Aurilii, Donatellæ, Secundæ, cum aliis* IV. Ottobonianum die XII. *Junii* ita habet: *Natalis, sanctorum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazari*. Fuldense die XII. Junii: *Romæ, natalis sanctorum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii martyrum*. Rhinoviense die VIII. Junii: *Romæ, natalis sanctorum Naboris, & Nazarii, Primi*. Ad diem XII. hujus: *Romæ, Basilidis, Cyrini, & Naboris. In Tripoli, Magdaletis*. Richenoviense die VIII. Junii: *Romæ, natale sanctorum Naboris: & Nazarii, Primi*. Die XII. hujus: *In Tripoli, Magdaletis. Romæ, Basilidis, Cirini, & Naboris, & sancti Nazarii*. Augustanum die VIII. Junii: *Romæ, Nazarii, Primi, Naboris, Feliciani*. Die XII. hujus: *Romæ, Basilidis, Crispoli, Cyrini, Naboris, Felicis, Magdaletis, Zabini, Aurili, Donellæ. Helidii Episcopi*. Eadem habet hac die Labbeanum, nisi quod pro *Crispoli*, legit *Tripoli*. Die vero VIII. hujus habet: *Romæ, Nazarii, Primi, Naboris, Feliciani*. Corbejense brevius ad diem XII. hujus: *Romæ, Aurili, Luci, militum quinque, Nazari*. Kalendarium Palat. Vatic. 485. die XII. Junii: *Na-*

Natalis sanctorum Basilidis, Cyriai, Naboris, & Nazarii mart. Palat. Vat. 39. addit *Celsi*. Kalend. Vatic. 3806. ad diem XII. Junii, *Romæ sanctorum Basilidis, Ciriai, Naboris, Nazarii, Tripoli, & Mandalis*. Hucusque vetera Martyrologia & Kalendaria, quæ perturbationem magis, quam lucem afferunt. Henschenius in commentario prævio hac die XII. *Junii*, pag. 507. monet, *Magdaletem*, martyrem esse, ac *Tripoli*, urbe forte *Syriæ* passum: in nonnullis Martyrologiis *Tripolis* nomen mendose pro martyre, non pro nomine urbis accipi. Prosequitur inquirere de martyribus Romanis *Basilide, Distro, Polimaco, Zabino, Aurelio, Donatella, & Secunda*. Ibidem etiam expendit Acta vulgata S. *Basilidis*, qui passus in iis dicitur *pridie Idus Junias*. In Actis ab Henschenio erutis, passus fertur una cum sociis *Tripode, & Mandale*, IV. *Idus Junii, milliario octavo a civitate Roma, in civitate Aurelia*. Mendosa multa in utrisque Actis esse agnoscit Henschenius, quæ tam facile emendari, atque emaculari non possint. Obscura item esse fatetur, quæ de sanctis martyribus Romanis *Basilide, Cyrino, Nabore, & Nazario* in Missalibus, Breviariis, & Actis habentur. Ad libros Liturgicos quod attinet, codex Sacramentorum Gelasianus pag. 152. ad diem XII. *Junii* Missam habet in natali *Sanctorum Cyriai, Naboris, & Nazari*. Prima oratio incipit: *Sanctorum Cyrini, Naboris, & Nazarii, quæsumus* &c. Secreta: *Pro Sanctorum Cyriai, Naboris, & Nazari sanguine venerando, hostias tibi, Domine, solemniter immolamus* &c. Post commun. *Semper, Domine, sanctorum martyrum Cyrini, Naboris, & Nazari solemnia celebramus* &c. In his *Basilides* omittitur. At in Capitularibus Evangeliorum veterrimis, tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 264. ad diem XII. *Junii*, & in Frontoniano, ac item in Antiphonario Cardin. Gentilis, ea die unus tantum *Basilides* memoratur; hinc Fronto pluribus de ea re disceptat. Eadem die XII. *Junii* Sacramentaria Pamelii, Menardi, & Angeli Rocchæ, & Missale plenarium Vat. 4770. Missam habent: *In natali SS. Basilidis, Cyriai, Naboris, & Nazarii*. Prima Missæ oratio est: *Sanctorum Basilidis, Cyrini, Naboris, & Nazarii, quæsumus* &c. Eadem oratio habetur etiam in Sacramentorio Palat. 495. ubi die XI. *Junii* habentur orationes in vigilia *S. Nazarii*, quia Sacramentarium illud usui Laureshamensis monasterii accommodatur, & die XII. *Junii*, præmittitur in orationibus Missæ *Nazarius, Basilidi, Cyrino, & Nabori*. Memorantur hac die hi martyres in Antiphonario Carnotensi, & in Lectionario Missæ apud Thomasium pag. 107. Antiquitus autem Romæ *Basilides* in cultu fuit; nam Willelmus Malmesbur. lib. IV. de gestis Anglorum Ecclesiam *S. Basilidis, via Aurelia* memorat: Ecclesiæ item *S. Basilidis* in Merulana meminit Anastasius in Leone III. In libris Liturgicis veterrimis Ecclesiæ Mediolanensis, ut in Lectionario, seu Capitulari Epistolarum sæculi VIII. tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 229. & 230. mense Junio nihil fit de *SS. Nazario & Celso*, sed de *SS. Gervasio & Protasio*; mense Julio vero de *SS. Nabore, & Felice*, ac alio die de *S. Nazario*. S. Paulinus in Ambrosii vita num. 32. testatur *SS. Nazarii, & Celsi* corpora, *Mediolani* inventa, & translata a S. *Ambrosio* fuisse post Theodosii obitum, & S. *Nazarii martyris corpus* una cum Celso *in horto extra civitatem* posito, repertum esse, atque in basilicam Apostolorum in regione Romana delatum. Fatetur præterea, se vidisse in *Nazarii* sepulcro recentem martyris sanguinem, & caput, quod illi abscissum fuerat, integrum, & incorruptum. Ex his vero quæ idem Paulinus num. 34. habet, colligitur, hujusmodi inventionem & translationem factam fuisse A.D. 396. dum describens horum martyrum miracula narrat per idem tempus *Honorium* Imperatorem, dum consulatum gereret, ferarum Lybicarum munera *Mediolani* edidisse. *Honorius* III. & *Arcadius* IV. consules fuere A. D. 396., quo anno *Honorius* Mediolani constitit. Theodosius obiit A. D. 395. die XVII. Januarii. Apographa Hieronymiana apud Florentinium pag. 602. 684. 939. *Nazarii & Celsi* meminerunt die XIX. *Junii*, XXVIII. *Julii*, & XXX. *Octobris*. De horum martyrum reliquiis S. Paulino Nolano donatis idem Paulinus Carmine XXIV. & epist. XXXII. item S. Gaudentius Brixiensis serm. XVII. eas ab Ambrosio se accepisse testatur. Nunc Ecclesia Mediolanensis SS. *Nazarii & Celsi* translationem recolit die X. *Maji*, de qua etiam ea die Martyrologium Romanum. Vide Bollandianos ad eam diem pag. 493. De translatione vero *SS. Naboris, Nazarii, & Gorgonii* Roma in monasterium Laureshamense A. D. 765. iidem Bollandiani hac die p. 514. & post Baronium ad an. 764. num. I., Pagium ad eum annum num. I., adeundi Tillemontius tom. II. pag. 503. & Mabillonius Annal Bened. lib. XXIV. §. VI. Vide quæ de *Nazario & Celso* dicemus ad diem XXVIII. *Julii*. Acta *Nazarii, Gervasii, Protasii*, & *Celsi* scripsit Metaphrastes, ea Latine edidit Lipomanus die XIV. *Octob.* Surius die XIX. *Junii*. Græce exstant apud Lambec. lib. VIII. pag. 250. *& seq.* & in Biblioth. Coislin. pag. 211.

C. IDI.

C. IDIBUS JUNII. *13. Junii.*

De hac in gestis Nerei & Achillei. 12. Maji. ROMÆ, natalis sanctæ Feliculæ virginis & martyris. Quam *Felicula.* cum Flaccus Comes post excessum Petronillæ vellet ducere uxorem, atque ad terrendum proposuisset ei, dicens: Unum tibi e duobus elige, aut esto uxor mea, aut diis sacrifica. Responsum ab ea accepit: Nec uxor tua ero, quia Christo sacrata sum: nec diis tuis sacrificabo, quia Christiana sum. Tunc Flaccus tradidit eam Vicario, qui fecit eam in tenebroso claudi cubiculo, sine cibo, per septem dies. Inde perseverantem in confessione Christi cum ejecissent, duxerunt eam ad virgines Vestæ, ibique per alteros septem dies sine cibo permansit, eo quod nulla ratione de earum manibus cibum pateretur accipere. Post hoc levata in equuleum clamabat, dicens: Modo cœpi videre amatorem meum, in quo amor meus fixus est. Cumque ei tortores dicerent: Nega te Christianam, & dimitteris. Illa clamabat: Ego non negabo amatorem meum Christum, qui propter me felle cibatus, & aceto potatus, spinis coronatus, & crucifixus est. Post hæc deposita est, & præcipitata in cloacam. Sanctus autem Nicomedes presbyter in speculis positus, occulte levavit eam, & per noctem in birote perduxit ad casellam suam septimo ab Urbe miliario, via Ardeatina, ibique eam sepelivit.

VARIA LECTIO. Ed. *nec diis tuis sacrificabo, quia christiana sum.* Codices 511. 512. 514 *nec immolabo idolis, quia christiana sum.* Ed. *in cloacam. Sanctus autem Nicomedes &c.* Codices: *in cloacam. Inde autem Nichomedis presbyter &c.* Post verbum *sepelivit*, extremo loco, sequitur in eisdem codicibus: *Faadilæ.* *Eodem die, sancti Faadilæ presbyteri, qui apud Cordubam civitatem, capite amputato, martyrium sumpsit.*

Feliculæ. ADNOTATIO. *Feliculam* martyrem Romanam memorant hac die vetustissimæ Ecclesiasticæ tabulæ, & in primis apographa Hieronymiana. Apographum Lucense: *Romæ, Feliculi* (pro *Feliculæ*). Apographum Corbejense: *Romæ, milliario septimo, Feliculi, Januarii, Silvani.* Nonnulla refert ex ejus Actis Rabanus. Agunt autem hac die Beda genuinus, Romanum parvum, Gellonense, Wandelbertus, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Kalendarium Vat. 3806. Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *Romæ, via Ardeatina, natalis sanctæ Feliculæ.* Fuldense: *Romæ, natalis sanctæ Feliculæ, quæ fuit collactanea sanctæ Petronellæ virginis.* In Sacramentario Gelasiano pag. 147. die XIV. Februarii habentur orationes Missæ in natali S. *Valentini* martyris, *Vitalis*, & *Feliculæ*. Capitulare Evangeliorum Frontonis, & Vaticanum 43. die XIV. *Junii* Evangelium designant in *natali sanctæ Feliculæ*. In Sacramentariis Missa deest. In Actis ejus mentio fit de *birote*, & *casella*. Est autem *birotum* vehiculum duabus rotis constans. De eo in codice Theodosiano leg. 2. & 5. de curiosis, & leg. 8. & 9. de cursu publico. Occurrit etiam hæc vox apud Adonem & Usuardum die XI. Martii. *Casella* est parva casa. Vide Cangium in Glossario ad hæc vocabula. De *Felicula*, ejusque reliquiis Fuldam translatis vide Henschenium hac die pag. 666. De *S. Feliculæ* translatione meminit Kal. Vat. 3806. die XXIV. *Nov.*

Codices nostri insuper *Faadilam* hac die eo- *Faadilæ.*

 iunt

sunt. Agit eisdem verbis genuinus Usuardus. Præter hos alii silent. Sollerius, ab Usuardo acceptum fuisse ex Eulogii Memoriali lib. 1. cap. 1. existimat. Ex eodem Eulogio agunt de *Fandila* hac die Bollandiani pag. 696. Passus est c. An. Dom. 853.

---

14. Junii. D. XVIII. KALENDAS JULII.

Elisei. ELISEI Prophetæ, qui apud Samariam Palæstinæ, quæ postea Sebastea, id est Augusta, in honorem Augusti ab Herode vocari cœpit, situs est. Ubi & Abdias propheta requiescit, & quo major inter natos mulierum non fuit Joannes Baptista. Ubi ad sepulcra Sanctorum tam tremenda fiunt miracula, ut variis illic dæmones rugiant cruciatibus, & homines ab eis obsessi audiantur ululari luporum vocibus, latrare canum, fremere leonum, sibilare serpentium, mugire taurorum. Cernuntur alii rotare cespite, & post tergum terra verticem tangere, suspensisque pedibus feminis vestes non defluere in faciem. Ubi etiam in monte (*Hier. epistol. 27. ad Eustoch.*) vicino duæ visuntur speluncæ, in quibus persecutionis & famis tempore, Abdias centum Prophetas aluit pane & aqua. (*3. Reg. 18.*) Scribit beatus Hieronymus in libro de vita sanctæ Paulæ.

Valerii & Rufini. Suessionis civitate, passio SS. martyrum Valerii & Rufini.

Basilii. Apud Cæsaream Cappadociæ, S. Basilii Episcopi, fratris Gregorii & Petri. Qui cum esset omnibus virtutibus fundatus, & quodam tempore a Valente Imperatore in exilium pro fide cogeretur: exhibitus ad tribunal Præfecti, terroribusque (ut illi moris est potestati) & minis maximis agi cœpit: & nisi præceptis Principis obediret, interitum sibi jamjamque speraret impendere. Tunc ille intrepidus, & absque ulla animi perturbatione hæc sibi minitanti Præfecto respondisse fertur: Atque utinam aliquid mihi esset digni muneris quod offerrem huic, qui maturius Basilium de nodo follis hujus absolveret. Cumque daretur ei nox, quæ erat media, ad spatium deliberandi: respondisse denuo perhibetur: Ego crastino ipse ero, qui nunc: tu te utinam non mutares. Et illa quidem nocte uxor Imperatoris velut tortoribus tradita, cruciatur. Filius vero, qui eis erat unicus, extinctus, paternæ impietatis solvit supplicia. Ita ut ante lucem missi, qui rogarent Basilium, ut precibus suis intercederet pro eis, ne etiam ipsi & quidem multo justius interirent. Sic accidit, ut cum omnes Catholicos expulerit Valens, Basilius usque ad vitæ exitum intemerato communionis sacramento in Ecclesia perduravit.

Etherii. Viennæ, sancti Etherii Episcopi.

VARIA.

VARIA LECTIO. Ed. *Suessionis civitate &c.* Cod. 511. 512. & 514. ita habent:

„ In territorio Suessionis, natalis sanctorum Valerii & Rufi martyrum, qui Romæ „ quidem orti, sed in Gallia glorioso sunt martyrio coronati tempore Rictiovari.

Deest in nostris codicibus hac die natalis sancti *Basilii*, & sancti *Etherii* Episcopi.

Elisei. ADNOTATIO. *Elisei* prophetæ celebritas in tabulis Ecclesiasticis hac die memoratur a Beda, Romano parvo, Adone, Usuardo, ac Wandelberto. Apographum Bedæ Palat. Vat. 833. *Helisei prophetæ, & Sanctæ Feliculæ.* Aliud ibi apographum num. 834. *Helisei prophetæ*, tantum. Martyrologium Reginæ Suecorum habet hac die primo loco: *Elisei prophetæ.* Item Ottobonianum: *Depositio sancti Helisei prophetæ.* Qui plura de *Eliseo* cupiunt adeant inter recentiores Calmetum in Dictionario Biblico, & Bollandianos hac die pag. 784.

Valerii & Rufini. *Valerius*, & *Rufinus*, seu *Rufus*, Suessionenses martyres coluntur hac die a Hieronymianis, Gellonensi, Rabano, Floro, Wandelberto, Hagiologio Francogallico, Martyrologio Fuldensi, Reginæ Suecorum, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, & Kalendario Vat. 3806. Acta habes apud Bollandianos socios hac die pag. 796. Passi sunt persecutione Diocletianea, sub *Rictiovaro* præside, & prope Remos, nempe VII. ab eo, lapide super littora *Vidulii fluminis.* Eorum gesta summatim refert Tillemontius tom. IV. pag. 449. & 718. qui de sinceritate Actorum parumper dubitat. Horum martyrum corpora primum ad Remorum oppidum translata fuere, deinde in ipsam Remorum urbem, ac postmodum Suessionem, ob Normannorum incursiones, de qua translatione Flodoardus lib. IV. de Historia Remensi cap. LII. LIII.

Basilii. Licet codices nostri de *Basilio* agant *prima Januarii*, ibi tamen de eo nos acturos cum vulgato Adone ad hanc diem polliciti sumus. Romanum parvum primitus, ut videtur Sollerio, agit hac die XIV. *Junii*, his verbis: *In Cappadocia, sancti Basilii, fratris Gregorii & Petri.* Huic succedit vulgatus Ado prolixiori elogio, & Usuardus hac die breviori encomio; nam habet: *Apud Cæsaream Cappadociæ, natalis S. Basilii Episcopi, qui tempore Valentis doctrina & sapientia insignis, omnibusque virtutibus fundatus, mirabiliter effulsit.* Idem die prima Januarii ita præfert: *In Cæsarea Cappadociæ, depositio sancti Basilii Episcopi, cujus celebritas XVIII. Kal. Julii potissimum recolitur.* Brevissimo elogio *Basilium* exornant ea die codices nostri Adoniani. Cæterum de *Basilio* agunt tantummodo *Kalendis Januariis* Augustanum, Notkerus, Wandelbertus, & Martyrologium Fuldense. Genuinus Beda utroque die silet, sed agit Florus die XIV. Junii. Apographum Bedæ sæculi XI. in codice Casinensi 431 al. 179. *Kalendis Januarii*, ac item aliud apographum Ottobonianum *Basilii Episcopi* meminere. Denum in Lectionario Missæ ex codice Lateranensi apud Thomasium de antiquis Missarum libris pag. 99. *Kalendis Januarii* agitur *natalis S. Basilii Episcopi & confessoris.* Baronius, quum illius ætate vulgatus Beda a sincero nondum distinctus esset, putavit *Basilium* die XIV. *Junii* a Beda etiam, uc a cæteris Latinorum commemorari, & hac die *ordinationem* ejus celebrari, die vero *prima Januarii* & a Græcis & a Latinis natalem diem; ut colligitur ex Orat. S. Gregorii Nysseni in Basilii laudem, Oper. tom. III. pag. 479. edit. Parisien. an. 1638. ex alia oratione, seu encomio, Amphilochio de Vita ejusdem Basilii tributa. Censet autem Baronius ad an. 369. num. XLI. *& seq.* Basilium consecratum in Episcopum fuisse *Valentiniano, & Victore Coss.* hoc est A.D. 369. At Pagius in Critica ad hunc an. num. XVI. & ad an. 370. num. XXIII. contendit, Basilii ordinationem conferendam esse in annum 371. & ad an. 378. num. VI. ejus obitum affigendum anno 380. Pagium ad annum obitus quod attinet, refellit Baertius in Actis Bollandianis hac die XIV. *Junii* pag. 812. qui putat, Basilium decessisse anno 379. *Kalendis Januariis*, ut ante senserat Godefridus Hermantias in Basilii vita lib. VIII. cap. VIII. Tillemontius tom. IX. pag. 98. & 657. existimat, Basilium consecratum esse anno 370. & vitam cum morte commutasse A. D. 379. Labbeus de Scriptoribus Ecclesiasticis *Basilium* vita functum tradit A. D. 378. atque adeo cum Baronio consentit. De illius Operibus præter Labbeum & alios, confer Fabricium Bibliothecæ Græcæ tom. VIII. pag. 60. *& seq.* Vita illius, pseudoamphilochio auctore, edita est a Cotelerio inter monumenta Ecclesiæ Græcæ tom. II. Habetur etiam in codice Reginæ Suecorum sæculi X. num. 528. pag. 153. inter Acta sanctorum. Ibi legitur: *Amphilochii Episcopi Iconii in vita & miraculis sancti patris nostri Basilii Archiepiscopi Cappadociæ. Dilectissimi non erat indecorum* &c. usque, *in cælestibus libra* &c. Sed vide censuras in hujus vitæ auctorem apud Fabricium Bibliothecæ Græcæ lib. V. cap. XII. tom. VII. pag. 505.

15. Junii. E. XVII. KALENDAS JULII.

Viti, Modesti, & Crescentiæ. APUD Siciliam, natale sanctorum martyrum Viti, Modesti, & Crescentiæ. Qui beatus Vitus in puerili ætate virtutibus maturus, primum a patre suo sacrilego Hila, ut a cultura Dei recederet, tentatus est: deinde a Valeriano Judice eatomis cæsus in confessione permansit. Inde redditus patri. At cum pœnis affligere illum pater meditaretur, monitu Angeli navem conscendens, comitantibus se Modesto & Crescentia nutritoribus, ad Tanagritanum territorium devenit. Inde propter filiam Diocletiani Imperatoris a dæmonio vexatam quæsitus, & adductus ad Diocletianum, ipsam ejus filiam oratione curavit. Sed cum multis donis promissis ei impius Imperator suadere vellet, ut culturam diis impenderet, ejusque animum de bono proposito mutare non posset, arctissimis vinculis ferreis adstrictum, in carcerem teterrimum induci jussit, & cum eo pariter Modestum atque Crescentiam. Deinde circumstante populo in Amphitheatro sistuntur. Quos Diocletianus in ollam resina & pice succensam, & plumbo soluto fervefactam jactari præcepit. Ubi sancti Martyres psallentes in modum trium puerorum, hymnum Deo dicebant. Et egressi illæso vultu de olla, dimissus est eis leo ferocissimus. Qui mox ad pedes eorum cecidit, & lingua sua pedes Martyrum lingere cœpit. Ad ultimum victus per omnia sacrilegus Imperator, simul & videns multitudinem populi miraculo perculsam, ad Christum verum Deum conversam, catastam parari jussit, & servos Dei superextendi. Cumque cæderentur Martyres Dei, ossaque discinderentur; tonitruum magnum factum est, coruscationes, atque tam magnus terræmotus, ut templa deorum corruerent, & multos opprimerent. Florentia vero femina illustrissima, corpora sanctorum collegit, & in loco, qui dicitur Marianus, condita aromatibus sepelivit.

Dan. 3.

Esychii. Eodem die apud Mæsiam, civitate Dorostoro, sancti Esychii militaris, qui cum beato Julio comprehensus, sub præside Maximiano, postea martyrio coronatus est.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Siciliam, natale &c.* Cod. 511. 512. & 514. *Apud Siciliam, sanctorum martyrum, Viti, Modesti, & Crescentiæ, qui &c.* Ed *ad Tanagritanum*. Codices: *ad Tanagritonum*.

Ed. *sancti Esychii*. Codices *natalis sancti* (Cod. 511. *Essetri*. Cod. 512. & 514. *Esicii*.) Post extrema verba, *coronatus est*, cod. 511. addit: *Civitate Antiochia, passio sanctæ Margaritæ virginis, quæ post multorum tormentorum genera, cælestis vitæ palmam ignibus exusta promeruit.*

Margarita.

ADNO-

Viti & sociorum.

ADNOTATIO. *Viti* & sociorum cultus celeberrimus est in vetustis tabulis Ecclesiasticis omnibus. Vetera tamen monumenta, in quibus de iis mentio est, temporum vitio corrupta alicubi fuere. Agunt autem corruptis nominibus apographa Hieronymiana. Apographum Lucense habet: *In Sicilia, natalis sanctorum Viti, Modesti, & Crescentiani*. Corbejense Dacherii pro *Sicilia* habet *Lucania*, & pro *Crescentiani*, scribit *Crescentiæ*. Beda genuinus: *Natale sancti Viti martyris*, tantum. Ita apographum Bedæ Palatino-Vaticanum 833., aliud vero num. 834. præfert: *Natale sancti Viti, & Modesti, & Crescentiæ*. Romanum parvum: *In Sicilia, Modesti, Viti, & Crescentiæ martyrum*. Gellonense hac die: *Romæ, Viti, Clementis, Joviniani, Philippi, Crisogoni, Quintiani*. Idem die insequenti: *Diogenis, Saturnini. Antiochia, Cyrici, Viti mar. Modesti, Crescentii, Julitæ mart., & quadringentorum quatuor militum*. Rabanus agit primum de *S. Vito*, deinde summatim ex Actis de *Modesto pædagogo, & Crescentia papatissa* ejus. In *Silarum* fluvium projectos fuisse narrat. Ado noster plura ex Actis profert, quem contrahit Usuardus. Rhinoviense & Richenoviense hac die: *In Lucania, Viti, Candidi*. Richenoviense addit: *Et in Benevento, Marcii. In provincia Siciliæ, Viti, Modesti, & Crescentiæ*. Augustanum, & Labbeanum eadem habent, quæ Gallonense. Martyrologium Reginæ Suecorum hac die: *In provincia Siciliæ, passio sanctorum Viti, Modesti, & Crescentiæ*. Fuldense item hac die: *In Sicilia, natalis sanctorum Viti, & Modesti mar.* Ottobonianum hac die: *Natalis sanctorum Viti, Modesti, & Crescentiæ*. Kalendarium Palat. Vat. 485. hac die: *Natalis sancti Viti martyris*. Palat. 39. addit: *Modesti, & Crescentiæ*. Kalendarium Vat. 3806. hac item die: *In Sicilia, passio sanctorum Viti, Modesti, & Crescentiæ*. Vides, fere in omnibus tabulis hos martyres, *in Sicilia, & apud Siciliam*, ac item *in Lucania* recoli. Papebrochius in Commentario prævio hac die pag. 1014. numer. 5. Martyrologia, & Acta ita inter se conciliare studet, ut scilicet Hieronymiana de primo agone *S. Viti*, & sociorum in Sicilia agant, cætera quæ ad locum martyrii pertinent, omiserint, ac ignorarint. Acta vero, quæ in *Lucania* scripta sunt, aperte locum, ubi natus est *Vitus*, memorant, qui usque hodie ex promontorio, quod eo loci est, *S. Viti caput* nominatur. A *capite S. Viti* ad *Tanagritanum* territorium, scilicet ad *Lucaniam*, cet. milliaria esse; inde per *Tanagri* fluminis ostium, usque in *Silarum* navigari. Monet insuper, in *Lucania* vetustissimam fuisse ordinis S. Benedicti Abbatiam, quæ *S. Viti* dicebatur, ubi *S. Viti* reliquiæ asservabantur; qua de re jam tum Jacobillus ad Bollandum. Paullo ante Papebrochius, scilicet pag. 1013. scripserat, martyres Siculos *Vitum, Modestum, & Crescentiam*, Romæ passos esse, atque cis & ultra alpes recoli. Censet etiam, a Rabano, Adone & Usuardo primigenis Acta visa fuisse, ac inde sua elogia decerpsisse; *S. Viti* corpus, sæculo VIII. Roma in Franciam, atque inde in Saxoniam translatum. Item pag. 1020. existimat, alia Acta scripta Romæ fuisse sæculo VII. posthabitis primævis Actis. Pervulgatorum Actorum initium & finem, prout in codice Canonicorum Forojuliensium reperimus, hic damus. Titulus est: *Passio sanctorum Viti, Modesti & Crescentiæ martyrum Christi. In provincia Litia* (forte *Lucania*) *temporibus Diocletiani & Antonini Imperatorum multas virtutes operabatur ab infantia sua beatissimus Vitus &c.* In fine: *Passi sunt autem beatissimi martyres Vitus, Modestus, & Crescentia sub die octavodecimo Kalendarum Julii. Imperantibus Diocletiano & Antonino. Regnante Domino nostro Jesu Christo &c.* Aliud apographum eorundem Actorum in codice Reginæ Suecorum n. 528. pag. 92. habet: *Incipit passio beatissimi Viti martyris, quæ est XVII. Kal. Julias. Tempore quo Valerianus &c*, usque *sepelivit ea in eodem loco, ubi requieverunt, qui dicitur Marianus. Passus est autem sanctus Vitus una cum sancto Modesto & Crescentia sub die XVII. Kal. Jul. Regnante Domino &c.* Hujusmodi Acta ægre feruntur a Tillemontio tom. V. pag. 129. Vide Baronium in Notationibus hac die, ubi de *S. Viti* translatione in Gallias, deinde in Saxoniam, de quibus quidem translationibus accurate Bollandiani socii hac die pag. 1026. *& seq.* Quod autem *S. Viti* corpus Romam primum translatum fuerit, ex Anastasii loco in Vita Leonis III. patet, ubi mentio *Diaconiæ B. Viti martyris, qui ponitur in macello, alias in arcu*. Demum in ea sententia est Papebrochius, ut *SS. Vitus & Modestus* passi sint apud *Marianum*, VIII. ab Urbe milliario, qui nunc vulgo *Marino* dicitur, e quo Romam eorum corpora in Diaconiam, quæ *S. Viti* dicta est, delata sint. Ecclesia certe *S. Viti in macello* vetustissima in Urbe est, atque ibi monasterium; de quo Anastasius in Stephano IV. In descriptione veterrima regionum Urbis apud Mabillonium Analect. tom. IV. pag. 508. Ecclesia *S. Viti* inter *S. Eusebium, & S. Mariam in præsepio* collocatur. Ibi pag. 510. post *palatium Pilati, & sanctam Mariam majorem* sequitur *Sanctus Vitus. Nymphæum*. Vide de *Nymphæo* Nardinum de urbe Roma lib. IV. cap. IV. & Fabrettum de Aquæduct. n. 91. *Nymphæum Alexandri* fuit in regione *quinta* Urbis *Exquilina*, ut habet P. Victor. Verum quod ad veterrimum *sancti Viti* in Urbe cultum attinet, quid præstantius esse potest Liturgicis S. R. E. libris? De his hac die agunt Sacramentaria, & Capitularia Evangeliorum aliqua. Codex Sacramentorum Gelasianus pag. 152. 153. hac die XV. *Junii* Missam habet *in natali sancti Viti*, tantum.

tum. Prima oratio est: *Da Ecclesia tua, Domine quæsumus, sancto Vito intercedente, superbe non sapere &c.* Secreta; *Sicut gloria.* Post commun. *Refecti.* Ergo Gelasianus codex de uno *Vito* agit. Desideratur quidem hæc Missa in Sacramentariis Gregorianis Reginæ Suecorum 337. Ottoboniano, & Pamelii; sed habetur in Palat. Vat. 495. cum iisdem orationibus, de uno *S. Vito*, prout in Gelasiano. Habetur etiam in Missali plenario Vat. 4770. ubi tamen aliæ orationes; nam prima oratio incipit: *Deus, qui beatum Vitum in puerili adhuc ætate &c.* Ibi etiam Præfatio propria. In Sacramentariis item Ratoldi, & Remansi, teste Menardo in nota 405. hac etiam die Missa habetur *in natali sancti Viti*, prout & in Appendice Sacramentarii Angeli Rocchæ. Capitularia vero Evangeliorum veterrima, prout Frontonis, & alia, *Vitum* prætereunt, sed ad oram Capitularis Vaticani 7016. sæculi VIII. de quo nos tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 265. habetur Evangelium *in natali S. Viti*, habetur etiam in alio Capitulari Vat. 5465. litteris majoribus scripto. Antiphonæ ad Introitum, Gradalia, & alia *in natali S. Viti* habentur in Antiphonario Gregoriano Cardinalis Gentilis A. D. 1071. exarato. Non recte ergo Papebrochius hac die pag. 1015. n. 10. scripsit, ante Gregorii tempora nota non fuisse *S. Viti* & sociorum nomina, quum non memorentur in Gregoriano libro Sacramentorum, nedum in Gelasiano, uti nec in Kalendario Frontonis. *Vitus* memoratur utique in Gelasiano, in quibusdam Gregorianis, & Capitularibus. Hodie eædem in Missa orationes retinentur, prout in Gelasiano, additis nominibus *Modesti, & Crescentiæ* post *S. Vitum*.

Esychii. *Esychius*, de quo Ado hac die, memoratur etiam ab Usuardo, de quo supra die XXV. & XXVII. *Maji*; quare vide quæ ibi dicta sunt.

S. Margaritæ. Elogium de *S. Margarita*, quod hac die habet codex 511. oblitteratum deinde fuit, lineis superinductis, & translatum est ad XIV. *Kal. Augusti*, sed alieno charactere, qui videtur sæculi XIII. Vide ad eam diem, quæ dicturi erimus.

16. Junii. *F. XVI. KALENDAS JULII.*

Cyrici & Julittæ. APUD Antiochiam, natalis SS. martyrum Cyrici & Julittæ matris ejus: quorum prior post dira verbera etiam calicem cum aceto & sinapi in os accepit: deinde pariter clavis confixi, evulsis oculis in carcerem trusi sunt. Post hæc decalvati & excoriati, super carbones in lecto æreo assati sunt. Ad ultimum ferris attriti, amputatis linguis, martyrii sui cursum obtruncatione capitis impleverunt. Passi sunt cum eis & alii CCCCIV.

Ferreoli & Ferrutionis. Apud urbem Visontionensem, SS. Martyrum Ferreoli presbyteri, & Ferrutionis diaconi, qui a beato Irenæo Lugdunensi Episcopo & martyre ad prædicandum verbum Dei missi, sub Claudio Judice ad trochleas extensi & flagellati, deinde in carcerem reclusi, & mane amputatis linguis prædicabant verbum Dei. Post hæc subulæ triginta utrisque infixæ manibus & pedibus & pectore: ad ultimum gladio feriuntur.

Similiani. Civitate Nannetis, S. Similiani Episcopi & confessoris.

Aureliani. Lugduni, depositio sancti Aureliani Episcopi Arelatensis.

VARIA LECTIO. In codicibus nostris deest hac die natalis *S. Aureliani* Episcopi Arelatensis.

Cyrici & Julittæ. ADNOTATIO. *Cyricus, & Julitta* martyres celebrantur hac die in fastis vetustissimis, quibus adduntur martyres quadringenti; memorantur enim a Hieronymianis, Romano parvo, Gellonensi, & aliis, de quibus vide Bollandianos hac die pag. 15. & *seq.*

seq. Duo Bedæ agugrapha Palat.Vat.833.834. *Idibus Julii* habent: *Sancti Cyrici & matris ejus*. Quæstiu est, num *Cyricus & Julitta*, Antiochiæ passi sint, an *Tarsi*. Papebrochius *Quiricum & Julittam* cum suciis martyribus cccctiil. Antiochiæ passos, a *Julitta* vidua Iconiensi cum filiolo *Cerico*, seu *Quirico*, martyribus, Tarsi in Cilicia, distinguit. Acta apocrypha ibi exhibet, & Epistolam Theodori Episcupi, quæ quidem olim Metaphrastæ sunt adscripta. Passi feruatur Diocletianea persecutione. Martyrulogiis a Bollandianis allatis adde Martyrologium Fuldense,& Gellunense. Rhinoviense meminit *Quiriaci in Africa*. Richenoviense: *In Antiochia, Cyrici & Julitæ, & cum eis quadringenti quatuor*. Augustanum: *Antiochia, Cyrici, Viti martyris, Modestæ, Crescentæ, Julittæ mart. & cccc. militum*. Ita ferme Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Antiochia, Cirici martyris, & Julittæ matris ejus, cum aliis* cccciv. In Missali Plenario Vat. 4770. die xv. *Julii* Missa habetur in natali *sancti Quirici & Julitæ*. Prima oratiu est: *Beatorum martyrum, Domine, Quirici & Julietæ*. Est ibi etiam Præfatio propria. Martyrologium Barberinianum ad diem xv. *Julii* habet: *Eodem die, S. Quirici & Julitæ matris ejus*. Augustanum & Labbeanum eodem die: *Romæ, Cyrici mart.* Agit & ea die Ottobonianum. De S. Gelasii censura in hæc Acta Baronius in Notationibus hac die. Vide Ruinartium pag.527. & Tillemontium tom.v.pag.349. & seq.

Ferreoli & Ferrutionis. *Ferreolus*, & *Ferrutio* martyres Vesontionenses, insignes hac die sunt in fastis Ecclesiasticis, idest in Beda genuino, Rabano, Adone, & Usuardo, Martyrologiu Fuldensi, Reginæ Suecorum, Ottoboniano, Hagiologio Francogallicu, & Kalendariu Vat. 3806. Hieronymiana, Gellonense, Wandelbertus, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum de his agunt die v. *Septembris*. Iu nonnullis ex allatis Martyrologiis, eorum elogium ex Actis profertur. Quæ quidem Acta, licet vetusta, inter sincera tamen non enumerantur ab Henschenio hac die pag. 5. Passi dicuntur ante A.D.217. Vide ibi Henschenium, ubi plura de cultu, eorumque translationibus. Acta vidit Gregorius Turonensis, ex quibus nonnulla refert lib. I. de glur. martyr. cap. lxxi. Eurum inventio *Nonis Septembris* celebratur, quocirca ea die, ut innuimus, iu nonnullis Martyrologiis eorundem *natalis* memoratur. In Missali Gothico n. LIII. habetur Missa SS. *Ferreoli*, & *Ferrutionis*, ac ponitur ante Missam in natali S. Jo. *Baptistæ*, ex quo elicitur, celebriurem eorum festivitatem in Galliia mense Junio fuisse,

Similiani. *Similiani*, vulgo *Sembein*, Episcupi Namnetensis meminere hac die, præter Adonem, & Usuardum, Augustanum, Labbeanum, & Martyrologium Reginæ Suecorum. Cætera de eo vide apud Bollandianos hac die pag.42. Floruit c. A. D. 310.

Aureliani. *Aurelianus* præteritur a codicibus nostris, memoratur vero a genuino Usuardo, & fere nusquam apud alios Martyrologos. De eo item consule Bollandianos hac die pag. 110. Obiit c. A. D. 550. De S. *Aureliani* Arelatensis regula vide Mabillon. Annal. Bened. lib. v. §. xxxi. & *seq.*

17. *Junii.* *G. XV. KALENDAS JULII.*

Martyr. CCLXII. ROMÆ, SS. Martyrum ducentorum sexaginta duorum, qui positi sunt via Salaria veteri, ad Clivum cucumeris.

Wltmari. Eodem die S. Wultmari confessoris, admirandæ sanctitatis & religionis viri.

Martyr. CCLXXII. VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. hac die ita habent: „ Romæ, natalis sanctorum ducentorum septuaginta duorum, qui positi sunt via Salaria vetere ad clivum cucumeris. Aurelianis, depositio sancti Aviti presbyteri &

Aviti. „ confessoris, qui cum sanctæ religionis fervore sub Maximiano monasterio floreret, „ tandem Deo tactus heremum petiit, ubi aliquanto commoratus, etiam miraculis „ claruit, ac postea glorioso fine in pace quievit. Eodem die, monasterio quod

Wlmari. „ Harta (cod. 512. *Huerea*, cod. 514. *Area*) nuncupatur, natalis sancti Vulmari „ Episcopi, admirandæ sanctitatis viri.

ADNO-

Martyr. CCLXII. **ADNOTATIO**. *Martyres* Romeni *duceuti sexaginta duo* hac die celebres sunt in veteribus Hagiologiis, ut in Hieronymianis, Romano parvo, Adone, Usuardo, Labbeano, & Wandelberto. De eorum martyrio una cum *Quiriaco*, *Blasio* tribuno, & aliis Bollandiani socii hac die ex Martyrologiis pag. 185.

Wlmari. *Wlmarus*, seu *Wlmarus* hac die ab Adone tantum, & ab Usuardo genuino memoratur. In codice Usuardi Prateosi, ut notat hac die Bovvillartius, legebatur: *Eodem die S. Vulmari confessoris, admirandæ sanctitatis & religionis viri*. Hujusmodi elogium deletum ab Usuardo scribit, cujus loco *S. Gundulfum* substituit, quod recte fecisse putat, quia die xx. *Julii S. Vulmarus* obiit. Sollerius vero in suo Usuardo *Vulmarum* hac die retinendum esse contendit ex fide codicum Usuardinorum optimæ notæ. Bovvillartius nihilominus ad diem xx. *Julii* transtulit, ubi verba Usuardini codicis hæc sunt: *In pago Bononiensi, sancti Vulmari confessoris*. Mabillonius sæculo III. Benedictino P. II. pag. 233. in observationibus præviis n. 2. hæc habet: *Commendatur*, inquit, *S. Vulmarus in sincero Adonis Martyrologio* (hic indicat codicem Adonis Pratensem) *ad* xv. *Kalendas Julii*, *his verbis*: *Eodem die monasterio, quod Harta* * *nuncupatur, natalis S.* Wlmari *Episcopi* * *admirandæ sanctitatis viri*. Hæc eadem sunt codicum nostrorum verba. Multa deinde Mabillonius profert, ex contracto Adonis Martyrologio, ex Usuardo Pratensi; atque statuit die xx. *Julii* depositionem *Wlmari* Abbatis celebrari, die vero XVII. *Junii* elevationem. *Harea*, seu *Area* monasterii nomine, ut ibidem interpretatur, forte est *Silviacense* virorum, aut certe *Vileriense* feminarum monasterium. Plura præterea Mabillonius de monasteriis a *Wlmaro* conditis prosequitur, ac demum eum obiisse censet c. A. D. 710. die xx. *Julii*. At in Annalibus lib. XVII. §. LXII. scribit, a *Wlmaro* monasterium *Silviacense* conditum fuisse A. D. 688., deinde lib. XIX. §. LV. refert, *Wlmarum* obiisse in *Silviacensi*, diœcesis Teruannensis monasterio A. D. 810., sed id tantum ex conjectura affirmat. Bollandiani socii in prætermissis hac die, ignotum sibi esse fatentur *Vultramnum Episcopum*, de quo quædam Usuardi apographa, nisi sit *Wlframnus* Episcopus *Senonensis*, cujus Acta dederunt die xx. *Martii*. Sed *Episcopus* non est, verum *Abbas Silviacensis*.

* l. *Harea.*
* l. *Confessoris.*

Aviti. *Avitus* presbyter, ac item Abbas celebris, de quo codices nostri, insignis est hac die apud omnes vetustiores Martyrolographos. Eum enim recolunt Hieronymiana Auctaria, Beda genuinus, Rabanus, Usuardus, Martyrologium Reginæ Suecorum, Gellonense, Richenoviense, Labbeanum, Hagiologium Francogallicum, Martyrologium Fuldense, Kalendarium Vat. 3806. & Palat. Vat. 499. Deest autem *Depositio S. Aviti* (prout præfert apud genuinum Bedam) in duobus Bedæ apographis Palat. Vatic. 833. 834. Henschenius in Commentario prævio hac die pag. 350. censet, hunc *Avitum* esse presbyterum & Abbatem *Miciacensem*, apud Aurelianos, de quo vulgatus Ado agit die XIX. *Decembris*, & vixisse juxta regulam *SS. Antonii & Pauli*, non *S. Benedicti*, quippe qui natus fuisset ante S. Benedictum, & vita functus fuerit, antequam S. Benedictus Casinum anno 529. adiret, ut demum *Avitus* obiisset biennio ante. At Mabillonius Annal. Ben. lib. III. §. XLIII. duos Avitos eodem tempore florentes esse distinguendos monet, quorum alter, nempe *Avitus* Abbas *Miciacensis* obiit die XIX. *Decembris*, alter Abbas *Pertirensis* obiit hac die XVII. *Junii*, ut habet sincerum Adonis Martyrologium; de quo *Avito* Gregorius Turonensis de glor. confess. cap. XCIX. Cointius vero, non esse duos Avitos distinguendos contendit, sed inquit Ruinartius in notis ad memoratum Gregorii Turonensis locum, eos distinguit Baronius, & Mabillonius sæculo I. Benedictino pagin. 613. In loco, ubi latuit *Avitus*, exstat virginum cœnobium, vulgo *S. Avi*. Vide Valesium in Notitia pag. 443.

---

18 *Junii.*

A. XIV. KALENDAS JULII.

Marci & Marcelliani. ROMÆ via Ardeatina, natalis SS. Martyrum Marci, & Marcelliani, præclarissimi generis, Tranquillini & Marciæ filiorum: qui primo carcerem pro fide passi, postmodum a Fabiano duce tenti, ad stipitem ligati, in pedibus clavos acutos acceperunt. Quibus tum diceret insanus Judex: Infelices ac miseri deponite amentiam, & liberate vosmetipsos a cruciatibus imminentibus: responderunt, Numquam tam bene epulati sumus. Modo cœpimus esse fixi in amore Christi. Utinam nos sic esse, sicut

De his in gestis S. Sebastiani 20. Januarii.

ſicut ſumus, tamdiu permittas, quamdiu hujus tegimur corporis indumento. Cumque tranſiſſet una dies, & una nox, & illi in pſalmis & hymnis laudantes Chriſtum perſeverarent, lanceis per latera transfixi, cum gloria martyrii ad ſiderea regna migraverunt.

VARIA LECTIO. Ed. *Marci & Marcelliani, præclariſſimi generis &c.* Codices: *Marci & Marcelliani fratrum, qui tenti a Fabiano judice, & ad ſtipitem ligati &c.* ut in editis, uſque: *acceperunt. Cumque demum non ceſſarent laudare Chriſtum, lancea per latera transfixi, cum gloria martyrii ad ſiderea regna migraverunt.* Sequitur in codicibus:

Ciriaci & Paulæ. „ In Hiſpaniis, civitate Malaca, ſanctorum martyrum Ciriaci & Paulæ virginis: qui „ poſt multa tormenta ſibi illata, lapidibus obruti, inter ſaxa animas cælo reddiderunt.
Marinæ. „ Alexandriæ, paſſio ſanctæ Marinæ virginis, quæ poſt multa ſupplicia, martyrium pro „ fide Chriſti conſtantiſſime ſuſcepit.

Marci & Marcelliani. ADNOTATIO. De *Marco & Marcelliano* hac die tabulæ omnes Eccleſiaſticæ vetuſtiſſimæ, nimirum apographa Hieronymiana, Beda, Gellonenſe, Rabanus, Romanum parvum, Ado noſter, Uſuardus, Wandelbertus, Rhinovienſe, Richenovienſe, Auguſtanum, Labbeanum, Martyrologium Fuldenſe, Reginæ Suecorum, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vaticanum 3806. In libris quoque Liturgicis vetuſtiſſimis hac die Miſſa prænotatur in *natali ſanctorum Marci & Marcelliani*, ut in codice Gelaſiano pagin. 153. in Sacramentario Reginæ Suecorum 337. & Ottoboniano, Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vat. 495. & Vat. 4770. Capitularia Evangeliorum tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 265. Evangelium deſignant hac die: *In natali SS. Marci & Marcelliani, via Ardeatina.* Cur *via Ardeatina?* quia cum ibi ſepulti fuiſſent, in natali eorum ſacra ſolemnia ad eorumdem cœmeterium quotannis celebrabantur. Henſchenius in Commentario prævio pag. 586. monet, in genuino Beda ita hac die legi: *Natalis SS. Marci & Marcelliani. Miſſa propria*; perinde ac ſi Miſſa in Sacramentariis poſita, denotetur. Hæc verba tamen deſunt in genuino Beda, ab eiſdem Bollandianis edito. De Eccleſia, ſeu baſilica SS. *Marci & Marcelliani, via Ardeatina*, ubi ſepulti erant, deſcriptio regionum Urbis apud Mabillonium to. IV. Analect. pag. 502. num. 70. 73. & pag. 513. item Notitia edita ab Eccardo, & apud Willelmum Malmesburienſem. Acta petuntur ex vulgatis Actis S. Sebaſtiani, ex quibus Bollandiani hac die pag. 568. Paſſi ſunt ſub Diocletiano.

Cyriaci & Paulæ. *Cyriaci*, ſeu *Siriaci*, & *Paulæ* poſt codices noſtros, unus tantum Uſuardus genuinus meminit his verbis: *In Hiſpaniis, civitate Malaca, ſanctorum martyrum Siriaci, & Paulæ virginis, qui poſt multa tormenta ſibi illata, lapidibus obruti, inter ſaxa animas cælo reddiderunt.* Ipſiſſima ſunt codicum noſtrorum verba. Sollerius in Uſuardum hac die affirmat, nullum ante Uſuardum de iis meminiſſe, & conjecturis ductus, opinatur, eumdem Uſuardum, dum in Hiſpaniis eſſet, aut Acta aliqua vidiſſe, aut ex hominum Hiſpanorum traditione accepiſſe, quæ in Martyrologium retulit. Cæterum de his nulla Acta ſupereſſe, quæ fidem mereantur. Nihil de tempore quo paſſi ſunt. Henſchenius hac die pag. 573. ex Uſuardo tantum agit, ac hos martyres, tanquam patronos a Malacitanis coli tradit. Memoratur etiam ex Uſuardo in Martyrologio Romano. Apud Caſtellanum in Martyrologio univerſali annus martyrii eorum eſt A. D. 305. An vero e codicibus Adonianis elogium de his martyribus ſumpſerit Uſuardus, aliorum judicium erit. Richenovienſe hac die poſt *Marcum & Marcellianum*, meminit: *Balbini, Pauli, Cyriaci, Felicis*, turmatim. Forte inter hos eſt *Paula*, & *Cyriacus*. Auguſtanum habet: *Emelii, Felicis, Pauli, Martarii.* Labbeanum: *Æmilii, Pelicis, Paulini, Authari.* Corbejenſe brevius: *In Africa, Marciæ, Emeli, Pelicis, Marci & Marcelliani.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *Ravenna, natalis ſanctorum martyrum Felicis, Emilii, Criſpini*, Ottobonianum: *Ravenna, Marthari, & Criſpini.* Quis autem tantis vulneribus manum medicam adhibere auſit? Quod in quibuſdam eſt *Africa*, in aliis eſt *Ravenna*, nomina ipſa fœde corrupta. *Paula*, ſeu *Paulus*, & *Cyriacus* vix in his deprehenduntur.

Marina quoque, de qua codices noſtri, meminit hac die Uſuardus genuinus, cujus nomen in veterrimis tabulis miſere corruptum eſt, ut animadvertit Sollerius in Uſuardum *Marinæ.*

hac die. Agunt autem Hieronymiana apographa, in quorum altero *Marii*, pro *Marina*, seu *Margarita* scribitur. Apud *Alexandriam* coronatam intelligitur ex apographis Epternacensi, & Corbejensi. *Marinæ* elogium apud *Antiochiam* passæ, refert hac die Rabanus, & inde Notkerus. Usuardus habet *Alexandriæ*, prout codices nostri. Pro *Marina* Usuardus Pratensis legit *Maria*. Gellonense: *Alibi*, *Crispinæ*, *Marinæ*; nullo designato loco laureolæ. Richenoviense: *In Alexandria, sancti Marini*, Augustanum, & Labbeanum, ut in Gellonensi. Martyrologium Fuldense: *In Alexandria natalis sanctæ Marinæ virginis, quæ multis suppliciis pro fide Christi macerata est*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Alexandriæ, natalis sanctæ Marinæ*. Wandelbertus *Baldinæ*, loco *Marinæ* habet. Martyrologium Ottobonianum: *In Abella* (pro *Alexandria*) *sanctæ Marinæ*. Bollandiani socii *Theonium*, *Marinæ* apud Alexandriam martyrem hac die pag.573. conjungunt, & in prætermissis, ut monet Sollerius, contra Molanum duas *Marinas* distinguunt, Acta discussuri die xx. *Julii*; interim adeundus Tillemontius tom.xvi. pag.167. Unam *Marinam* retinet Martyrologium Romanum hac die xviii. *Junii*, quam Baronius perperam censet, illam esse, quæ monasticam vitam habitu virili egit; & *Marinus* nomine dicta est.

---

19. *Junii*. B. XIII. KALENDAS JULII.

Gervasii, & Protasii. MEDIOLANI, natalis SS. Gervasii & Protasii martyrum. Qui beatissimi cum per decem annos in uno cœnaculo conclusi, lectionibus & orationibus atque jejuniis vacassent, undecimo ad palmam martyrii pervenerunt. Tenti ab Astasio comite, qui primum tamdiu jussit plumbatis contundi, quam diu exhalaret spiritum: sequentem vero, idest Protasium, fustibus cæsum capite truncari. Quorum corpora Philippus vir religiosus, una cum filio suo furtim abstulit, & in domo sua, in arca marmorea sepelivit. Quorum sepulcra multo post tempore Theodosio imperante, Domino revelante, B. Ambrosius reperit. Et ita incorrupta eorum corpora, ac si eodem die martyres fuissent interempti. Quæ cum in urbem introducerentur, quidam diu cæcus feretri tactu lumen recepit. *Ambros. serm.91. & lib.10. epistol. 85.*

Ursicini. Apud Ravennam S. Ursicini martyris, qui sub judice Paulino post nimia tormenta in confessione Domini immobilis permanens, capitis abscisione martyrium consummavit. Sepultusque est in eadem urbe a beato Vitale patre sanctorum Gervasii ac Protasii.

VARIA LECTIO. Ed. *undecimo ad palmam martyrii*. Deest in codicibus: *undecimo*. Ed. *quam diu*. Codices: *quousque exaleret*. Ed. *reperit*. Codices: *repperit; ita incorrupta eorum corpora ac si eodem die fuissent interempti. Quæ cum urbem introducerentur, quidam diu cæcus feretri tactu lumen recepit. Ravenna, natalis sancti Ursicii martyris &c.* ut in editis.

Gervasii, & Protasii. ADNOTATIO. Celeberrimi in fastis omnibus hac die sunt SS. *Gervasius*, & *Protasius* martyres, apud *Mediolanum* ritu maximo culti. Apographa Hieronymiana ita præferunt: *In Mediolano civitate, natalis sanctorum Nazarii, Gervasii,*

sii, *Protasii*, *& Celsi pueri martyrum*. Beda: *Sanctorum Gervasii & Protasii in Mediolano, quorum sepulcra Ambrosius, Domino revelante, reperit, & incorrupta eorum corpora, ac si eodem die fuissent interempti, quæ cum in urbem introducerentur, quidam diu cæcus feretri tactu lumen recepit*. Hæc eadem Rabanus, qui addit, hos martyres passos esse sub *Astasio* Comite. Romanum parvum: *Mediolani Gervasii, & Protasii*. *Et commemoratio Nazarii & Celsi*. Ado noster elogium de *Gervasio*, *& Protasio* tantum exarsvit, quia de *Nazario*, & *Celso* seorsim egit die XII. bujus. Usuardus item *Gervasii* & *Protasii* encomium hac die XIX. ex Adone contraxit. Rabanum in elogio imitator Notkerus, qui hæc præterea addit: *Item ibidem* (idest *Mediolani*) *juxta Martyrologium S. Hieronymi, nativitas sancti Nazarii & Celsi pueri*. Rabanus quoque, & Notkerus adnotant, *Vitalem* martyrem, & *Valeriam* fuisse horum martyrum parentes. At Martyrologiorum seriem prosequamur. Gellonense hac die: *Nazarii*, *Gervasii*, *Protasii*, & *Celsi martyrum*. Rhinoviense, & Richenoviense: *SS. Protasii & Gervasii*: Augustanum, & Labbeanum: *Nazarii*, *Gervasii*, *Protasii*, *& Celsi martyrum*. Corbejense brevius: *Nazarii*, *Gervasii*, *Protasii*, *& Celsi pueri*. Item ad diem XXX. Octob. *Nazarii*, *Protasi*, *Gervasi*, *& Celsi pueri*. Martyrologium Reginæ Suecorum *Gervasii* & *Protasii*, cætera ut apud Bedam. Martyrologium Fuldense: *Gervasii*, & *Protasii martyrum*. Ottobonianum *Gervasii* & *Protasii*, reliqua ut Beda. His adde de SS. *Gervasio* & *Protasio* tantum, Wandelbertum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. In quibusdam ergo *Nazarius*, & *Celsus* hac die adduntur, quod hac die simul inventi & translati sint, ut post Puricellum in Dissertatione Nazariana statuit Florentinius, & conjicit Papebrochius ad hanc diem pag. 845. 846. Cæterum, ut monet Sollerius, licet in Martyrologiis hac die horum martyrum *natalis* designetur, potius est horum *inventio*, *translatio*, *seu elevatio*. Hæc autem *elevatio* facta fuit a S. Ambrosio A. D. 386., de qua S. Augustinus lib. IX. Confess. cap. VII. de Civit. Dei lib. XXII. cap. VIII. & Sermon. de divers. XXXIX. novæ edit. & ipse Ambrosius ad Marcellinam sororem. Vide Baron. ad an. 387. n. XXXVII. *& seq.* ac Pagium ad eum an. n. VI. *Gervasii* & *Protasii* Acta, Ambrosii nomine insignita circumferuntur, quorum exordium in codice Canonicorum Forojuliensium, & Reginæ Suecorum 523. pag. 210. hoc est: *Ambrosius servus Christi fratribus per omnem Italiam in Domino æternam salutem*. In fine legitur: *Martyrizati sunt autem beatissimi martyres Gervasius & Protasius in Mediolanensium civitate sub die XIII. Kalendarum Juliarum sub Astasio Comite: regnante vero Domino nostro* &c. Hæc Acta a Mombritio, Lipomano, & Surio edita, sedulo excussit Baronius in Notationibus hac die, in quibus implexa & obscura quædam offendit, quæ illum ancipitem reddunt, ac aliis discutienda reliquit, præsertim ad martyrii tempus, quod tandem in Annalibus ad an. 171. n. IV. in annum 171. contulit. Post Baronium, Puricellum, & Florentinium rem discusserunt Tillemontius tom. II. pag. 78. *& seq.* Bollandiani socii pag. 817. hac die, & in Appendice Junii pag. 209. ex uberi commentario V. C. Josephi Antonii Saxii de his martyribus. De Actis Græcis SS. *Nazarii*, *Gervasii*, *Protasii*, & *Celsi* nonnihil attigimus ad diem XII. *Junii*. Ad inventionem horum martyrum quod attinet, plenissime in primis Baronius in Notationibus hac die, deinde alii recentiores, prout de cultu, reliquiis, ac variis translationibus. In libris autem Liturgicis S. R. E. solemni ritu a vetustissimis inde temporibus *Gervasius* & *Protasius* hac die coluntur; nam Sacramentarium Gelasianum pag. 153. 154. duas Missas designat, alteram in *vigilia Gerbasi*, *& Protasi* die XVIII. *Junii*, alteram in eorundem natali die XIX. *bujus*. Missam quoque hac die XIX. *in natali Sanctorum Protasii & Gervasii* habent Sacramentaria omnia Gregoriana, in quibus tamen aliæ orationes leguntur, quam quæ in Gelasiano sunt. Missale plenarium Vat. 4770. in titulo huic diei præfixo, ita habet: *In Mediolana* (sic) *sanctorum Gervasi & Protasi*, *& aliorum sanctorum*. Ponitur ibi etiam Præfatio propria. Capitulare Epistolarum juxta ritum Ecclesiæ Mediolanensis, sæculo VIII. scriptum, Epistolam *in SS. Protasi & Gervasi nat.* legendam præscribit. Capitularia quoque Evangeliorum veterrima tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 465. Evangelium habent hac die XIX. in *natali SS. Protasii & Gervasii*, *ad S. Vitalem*. Cur S. *Vitalis* Ecclesia designetur, facile intelliges, quod in Urbe vetustissimus titulus *S. Vitalis* sit, dictus etiam *SS. Gervasii* & *Protasii*, de quo Baronius in Notationibus hac die, & nos die XXVIII. *Aprilis*.

Ursicinus apud *Ravennam* martyr, colitur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Rabano, Adone nostro, Usuardo, Notkero, & aliis. Rabanus habet *Romæ*, pro *Ravennæ*. Wandelbertus hac die loco *Ursicini*, *Vitalis* meminit. Vide ea Martyrologia, quæ superius retulimus, ubi habent *Crispini*, emendari possint, ac legi *Ursicini*. De eo, ac tempore quo vixit, Bollandiani socii hac die pag. 809. neque omittenda Baronii adnotatio hac die. *Ursicini*.

20. *Junii.* *C. XII. KALENDAS JULII.*

Novati. ROMÆ, natale sancti Novati, fratris Timothei presbyteri, qui a beatis Apostolis eruditi sunt. De quo Novato scribit Pastor in gestis Pudentianæ & Praxedis virginum ad prædictum Timotheum germanum ejus. Venerabilis, inquit, virgo Praxedis post transitum germanæ suæ * Potentianæ, valde afflicta erat. Ad quam consolandam veniebant multi nobiles Christiani, simul cum sancto Pio Episcopo, inter quos germanus vester Novatus, & qui est frater noster in Domino, quique multos Christianos pauperes donis suis reficiebat, & vos frequenter cum beatissimo Pio Episcopo ad altare Domini commemorabat. Post annum vero & dies viginti octo, ægritudine detentus est idem Novatus, & absens erat a conspectu virginis Praxedis. Pio autem Episcopo cogitante de omnibus Christianis una cum virgine, requiritur Novatus vir Dei. Et dum auditum fuisset, quia ægritudine detinebatur, contristati sumus omnes. B. Praxedis dixit ad patrem nostrum S. Pium: Jubeat Sanctitas vestra ut eamus ad eum, & visitatione nostra una cum orationibus vestris salvabitur. Et facta constitutione, nocte una cum Pio Episcopo & Virgine Domini perreximus ad virum Dei Novatum. Cumque audisset vir Dei Novatus, omnes congregatos ad se venisse, gratias cœpit agere Deo, quia meruit a S. Pio Episcopo & virgine Domini, una cum nostra devotione visitari. Et fuimus in domo ejus diebus ac noctibus octo. Factumque est ut tertiodecimo die ipse Novatus vir Dei transiret ad Dominum, Regni cælestis gloriam percepturus.

* al. *Pudentianæ.* vid. 19. *Maji.*

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ, natale sancti Novati.* Codices: *Romæ, sancti Novati.* Ed *Cumque audivisset.* Codices: *Hoc cum vidisset.* Sequitur in codice 511. tantum, alio charactere: *Civitate Thomis, Pauli & Cyriaci, & aliorum Sanctorum.* — *Pauli & Cyriaci.*

Novati. ADNOTATIO. *Novatum* presbyterum Romanum, fratrem *Timothei* presbyteri, qui ab Apostolis eruditi sunt, hac die recolit Romanum parvum, ex quo Adonem accepisse exordium hodierni elogii putat Sollerius. Adonem subsequitur Usuardus, sed non aliis verbis, quam quibus utitur Romanum parvum. De Actis, ex quibus sumpsit Ado, jam diximus die XIX. *Maji.* Vide de his Baronium in Notationibus hac die, & Bollandianos hac item die pag. 4. & ad diem XXI. *Julii,* ubi de S. *Praxede.* Agit de *Novato* hac die Martyrologium Fuldense. Vide quæ ad an. 162. n. 1. & ad an. 164. n. 11. de *Novato* habet Baronius.

Pauli & Cyriaci. *Pauli, & Cyriaci* in civitate *Tomis* cultus, de quibus codices nostri, memoratur a Hieronymianis, ab Usuardo genuino, a Notkero, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviore, Martyrologio Reginæ Suecorum, in quo additur: *& aliorum quinque.* Ottobonianum habet: *In Thomis civitate, natalis Pauli, Cyriaci, Felicianæ, Vitalis, & Martyriæ.* Vide quid de his

his iu Scythia martyribus ex Martyrologiis proferant Bollandiani hac die pag. 8. Quædam Martyrologia Usuardi de his agunt etiam die xviii. *Junii*; forte eos commiscent cum *Ciriaco*, & *Paula*, Malacitanis martyribus.

---

21. Junii.

D. XI. KALENDAS JULII.

Rufini & Marciæ. APUD Siciliam, civitate Siracusis, natalis sanctorum martyrum Rufini & Marciæ.

Demetriæ. Romæ, sanctæ Demetriæ virginis, quæ fuit beati Fausti filia. Hæc cum ante impium Julianum pro fide Christi introduceretur, in confessione spiritum emisit. Sepulta a B. Joanne presbytero juxta matrem suam S. Daphrosam, & sororem Jovianam, juxta palatium Lucianum.

VARIA LECTIO. Ed: *Apud Siciliam, civitate Siracusis*. Codices: *Apud Siciliam, civitatem Siracusanam*. Ed: *Marciæ* Codices: *Martiæ*. Ed: *& sororem Jovianam juxta Palatium Lucianum*. Codices: *& sorore Guniana, juxta palatium Licini*. Sequitur deinde in codicibus: *Eodem die sancti Eusebii Cæsariensis Episcopi, fide & doctrina clarissimi*. Deinde sequitur in codice 511. aliena manu, minus antiqua: *Eodem die, sancti Leufredi abbatis, & aliorum sanctorum*.

Eusebii Cæsarien. *Leufredi.*

Rufini & Marciæ. ADNOTATIO. *Rufinus, & Martia,* seu *Marcia*, in Sicilia martyres, coluntur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Adone, Usuardo, Notkero, & Wandelberto. Item a Rhinoviensi, in quo habetur: *In Sicilia, Rufini, & Marciæ*. Richenoviense: *In Sicilia, civitate Siracusa, Rufini. & Marciæ*. Augustanum, & Labbeanum *Rufini* tantum, turmatim cum aliis meminere. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Sicilia, civitate Siracosa, natalis sanctorum Rufini, Marciæ*. Quo tempore passi sint, est inexploratum. Acta nulla Bollandianis innotuere, quapropter de his, Martyrologiis tantum ducibus, agunt hac die pag. 73.

Demetriæ *Demetria* virgo & martyr celebratur quoque hac die a Romano parvo, Adone cum encomio ex Actis S. Bibianæ petito, ab Usuardo contractius edito, integre ex Adone a Notkero transcripto. Alii Hagiographi de ea hac die silent. Bollandiani brevibus de ea hac die agunt pag. 74., plenius acturi die *secunda Decembris*.

Eusebii Cæsariensis. Gravioris aleæ nunc oritur ex veteribus Martyrographis concertatio, dum ii *Eusebium Cæsariensem* hac die recolunt, ac ita habent codices nostri. Unus est fere omnium hac in re consensus; quare eorum verba in primis proferimus, deinde quæ eruditorum sententia sit, aperiemus. Agunt autem Hieronymiana, ex quibus apographum Lucense habet: *In Cæsarea, depositio S. Eusebii Episcopi*. Epternacense: *Cæsarea Palæstinæ, Eusebii Episcopi Historiographi*. Corbejense Dacherii: *In Cæsarea Cappadociæ, depositio sancti Eusebii Episcopi*. Hieronymianum aliud Canonicorum Lucensium, octavi sæculi habet hac die: *Eusebii Episcopi*. Silet genuinus Beda, sed unum illius apographum Bibliothecæ Palat. Vat. n. 833. hac die, alieno quidem charactere ita præfert: *In Cæsarea, sancti Eusebii*. Gellonense: *In Cæsarea, Eusebii Episcopi*. Usuardus Pratensis: *In Cæsarea Palæstinæ, sancti Eusebii Historiographi*. Usuardus Sollerii: *Civitate Cæsarea Palæstinæ, sancti Eusebii Episcopi & confessoris, viri excellentissimi ingenii, & Historiographi*. Silet Rabanus, at meminit Notkerus his verbis: *In Cæsarea, depositio sancti Eusebii Episcopi*. His præmittendus erat Florus, qui habet: *In Cæsarea Palæstinæ, depositio S. Eusebii confessoris, qui scripturis divinis studiosissimus, & bibliothecæ divinæ cum Pamphilo martyre diligentissimus investigator fuit*. Hæc eadem ferme verba sunt S. Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. LXXXI. Martyrologium Faldense: *Cæsarea Palæstinæ, natalis sancti Eusebii Episcopi, Historiographi*. Richenoviense: *In Cæsarea Palæstinæ, depositio sancti Eusebii Episcopi*. Augustanum & Labbeanum: *In Cæsarea, Eusebii Episcopi*. Ottobonianum: *In Cæsarea Palæstina, depositio sancti Eusebii*. In Kalendario præfixo Sacramentario annorum 700. monasterii Oignacensis apud Tungrenses, ut testatur Martenius in Itinere litterario P. II. pag. 120. hac die habetur: *Natale san-*

sancti Eusebii Historiographi. Hactenus Martyrologia, quæ unum *Eusebium Cæsareæ in Palæstina* Episcopum, eundemque Historiæ Ecclesiasticæ scriptorem designant. In Martyrologio Romano tamen ab illius emendatoribus præteritum fuit *Eusebii Cæsariensis* nomen, ejusque loco *Eusebius Samosatenus* substitutus est; ac Baronius in Notationibus contendit, falso in Martyrologiis veteribus *Cæsariensem* pro *Samosateno* coli: hujusmodi Hagiographos Eusebii res parum perspectas habuisse, nam etsi in Concilio Nicæno palinodiam cecinit, in conciliabulo Tyrio, aliisque Arianorum conventibus pro eisdem Arianis stetit, favitque Ario, quare a S. Hieronymo antesignanus Arianorum appellatur, eandemque notam illi inurunt S. Epiphanius & alii; demum Patres Nicænæ Synodi Œcumenicæ secundæ Act. v. & vi. ab omni orthodoxorum classe eum seperant, & execrantur. Hæc in Notationibus Baronius. Eadem & alia scribit in Annalibus ad an. 340. n. xi. *& seq.* atque in Sixtum Senensem succenditur, qui lib. iv. Bibliothecæ sanctæ ab Arianæ hæreseos labe, ac Arianorum patrocinio adversus omnium patrum antiquorum sententiam, immunem fuisse putavit. Melchior etiam Canus lib. xi. de locis Theologicis *Eusebium* Arianismi insimulat. Ad hæc Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, ubi de Eusebio, eadem sensit ac Baronius. Antonius quoque Possevinus in Apparatu sacro, Baronii, Bellarmini, & Jacobi Billii censuras in Eusebium profert, monetque, Georgium Trapezuntium, Donatum Veronensem, & Sixtum Senensem a suspicione Arianismi Eusebium liberare tentassu; ac simplicitate nimia factum fuisse, ut quidam Latini Martyrographi eum inter sanctos retulerint. De Arianismo Eusebii consentit Petavius lib. i. de Trinitate cap. xi. & xii. §. v. adversus Petri Molinæi sententiam. Petavio succinit Card. Norisius in Dissertatione de v. Synodo cap. ultimo adversus Halloixii sententiam. Verumtamen Eusebii cultum atque sanctitatis memoriam vindicare conatus est Henricus Valesius in Præfatione ad Historiam Ecclesiasticam ejusdem Eusebii, ubi multa de illius cultu ex Martyrologiis. In Valesium paucis post annis insurrexit Franciscus Maria Florentinius, qui quum in apographis Hieronymiania ad hanc diem *Eusebii* nomen offendisset, nihil se de illius sanctitate credere posse testatur in Adnotationibus ad apocryphas epistolas Chromatii & Heliodori Episcoporum ad Hieronymum, pag. 64. *& seq.* ac in Adnotationibus ad hunc diem pag. 606. Censuit igitur, *Eusebium*, de quo Hieronymiana, non esse *Cæsariensem* in *Palæstina* Episcopum, sed *Cæsareæ* in *Cappadocia* Episcopum. In Florentinii sententiam abit Papebrochius hac die pag. 75. At Sollerius in Usuardum, hujusmodi sententiæ assentiri noluit, quum in quibusdam Hieronymianis apographis, apertissimis verbis *Eusebius Historiographus* designetur, prout ab Usuardo; quare statuit *Eusebii Cæsariensis* memoriam, septem & amplius sæculis, ex quo in Ecclesia occidentali Usuardi Martyrologium receptum fuit, celebratam fuisse. Ab Ecclesia Gallicana diu cultum Eusebium, tradit Janningus in Apologia pro Papebrochio, præfixa tom. i. Junii pag. xvii. *& seq.* Demum Tillemontius tom. vii. pag. 67. quæ in utramque partem apud veteres de Eusebio discussa sunt, expendens, æquiores ei Latinos fuisse existimat, quam Græcos, atque in eam propendet sententiam, ut ab Arianæ hæresis labe minime immunis Eusebius fuerit. Vide Montfauconium in Præliminaribus ad Eusebii commentaria in Psalmos cap. vii. ubi nævos Eusebii detegit. At novissime Remigius Ceillerius in magno opere de Scriptoribus Ecclesiasticis, Gallice edito, tom. iv. cap. viii. art. xx. pagin. 481. *& seq.* ab omni Arianæ hæreseos suspicione *Eusebium* vindicare conatur. Varie quoque inter heterodoxos & olim, atque ad nostram ferme ætatem de *Eusebii* fide pugnatum est, ac ut alios omittamus, Jo. Gerardus Vossius de Historicis Latinis lib. ii. cap. xvii. *Eusebium* Arianum fuisse, vel saltem illi excidisse Ario magis, quam Nicænæ Synodo convenientia, satis patere ex Demonstratione Evangelica monet. Jacobus Gothofredus in Dissertationibus ad Philostorgium lib. i. c. viii. pag. 28. 29. inter Arianos *Eusebium* recenset. Georgius Bullus in Defensione Nicænæ fidei sect. iii. pag. 231. pro *Eusebio* pugnat adversus Petavium. Item Willelmus Caveus in Vitis Patrum Ecclesiæ primitivæ, Anglice editis Londini an. 1683. Contra Caveum invectus est Jo. Clericus in Bibliotheca universali Historica tom. x. pag. 474. Hinc orta Cavei Dissertatio, qua iterum *Eusebium* ab Arianismi labe emaculare conatur, quam habes in ejusdem Cavei Historia Scriptorum Ecclesiasticorum litteraria pag. 34. At de his jam satis.

Addunt codices nostri hac die *Leufredum*, *Leufredi.* seu *Leutfredum* Abbatem, qui memoratur etiam ab Usuardo genuino, & ab aliis omnibus præteritur; quapropter unius Usuardi proprium esse duxit Sollerius. Fuit Abbas *Madriacensis*, non longe ab urbe *Ebroicensi*, ad *Arvam* fluvium. Obiit hac die an. 738. ac post mortem miraculis claruit, vide Mabillonium Annal. Bened. lib. xxi. §. xiv. & Bollandianos hac die pag. 104. *& seq.*

E. X. KA.

E. X. KALENDAS JULII. *22. Junii.*

IN Britannia, natale S. Albini martyris, qui tempore Diocletiani in Verelamio civitate, post verbera & tormenta acerba, capite plexus est: sed illo in terram cadente, oculi ejus, qui eum percussit, pariter in terram ceciderunt. Passus est cum eo etiam unus de militibus, eo quod eum ferire jussus, noluerit: divino utique perterritus miraculo, quia viderat B. martyrem sibi, dum ad coronam martyrii properaret, alveum amnis interpositi orando transmeabilem reddidisse. Quo in tempore, persecutio crudelis, Oceani limbum transgressa, etiam Aaron & Julium Britanniæ, cum aliis pluribus viris ac feminis, felici cruore damnavit. *Albini.*

Item in civitate Nola Campaniæ, natalis S. Paulini Episcopi & confessoris, qui se temporibus Wandalorum pro filio cujusdam viduæ in servitutem tradens, & terribili visione Regi eorum quis esset agnitus, reddita sibi omni captivitate civitatis suæ, & oneratis frumento navibus, cum ingenti gloria ex Africa ad propriam sedem reversus est. Claruit autem non solum eruditione, & copiosa vitæ sanctitate, sed etiam potentia adversus dæmones. *Paulini.* Gennad. de vir. illust. c. 22.

Ipso die, depositio beati Niceæ Romatianæ civitatis Episcopi. *Nicea.*

VARIA LECTIO. Ed. *In Britannia, natale sancti Albini*. Codices: *In Britannia, sancti Albani*. Ed. *in Verelamio*. Codices: *in Verolamio*. Verba *divino utique &c.* usque, *damnavit*, desiderantur in codicibus, in quibus post verbum *noluerit*, hæc sequuntur: *Ad cujus sepulcrum cum Germanus Autisiodorensium pontifex quodam tempore advenisset, oratione facta, illud revelli præcepit, ubi diversorum sanctorum reliquias, quas secum habebat, recondens, ipsius portaturus abstulit. Nam multa gentilium turba eadem die, ejus prædicatione ad fidem conversa est. Scriptum in historia Anglorum lib. 1. Apud Nolam Campaniæ natalis sancti Paulini &c.* ut in editis. Ed. *Wandalorum pro filio*. Codices: *Wandalorum, ut beatus Gregorius meminit, pro filio*. Ed. *non solum eruditione &c.* Codices: *non solum eruditione, sed & potentia adversum dæmones*.

Albini. ADNOTATIO. De *Albino*, seu *Albano* in Anglia martyre agunt hac die Hieronymiana, Beda cum elogio, Romanum parvum, Rabanus, Ado, Usuardus, & Notkerus. In his fere omnibus legitur: *Albani*. Augustanum habet: *Albani martyris cum* DCCCCLXXXVIII. Ita Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum Bedam describit. Longum item elogium ex historia Bedæ profert Martyrologium Fuldense. Agit item Ottobonianum, sed *Albinum*, pro *Albano* habet. Apographum Bedæ Palat. Vat. 833. pridie hujus diei: *passio Albani mart.* De ejus martyrio cum sociis, & Actis, deque illius distinctione ab *Albino*, seu *Albano* alio in Germania martyre Bollandiani hac die pag. 146. *& seq.* ac Tillemontius tom. IV. pag. 508. *& seq.* Habentur etiam hæc Acta in codice Reginæ Suecor. 523. pag. X12. & incipiunt: *Passio sancti Albani martyris. Anno incarnat. Domin.* CCLXXXVI. usque *miserunt*. Verolamium, celebris olim in Anglia urbs, e nomine hujus martyris *S. Albanus* postmodum dicta fuit. In Sacramentario Vat. 4772. sæculi XII. Missa habetur hac

hac die in natali *S. Albini martyris cum aliis multis*. Prima oratio hæc est. *Adesto, Deus, supplicationibus nostris, quas in sanctorum martyrum Albini cum DCCCCLXXX. novem, vel Paulini & Niceti Episcopi commemoratione deferimus, ut qui nostræ justitiæ fiduciam non habemus, eorum qui tibi placuerunt meritis & precibus adjuvemur*. In eodam Sacramentario pridie hujus diei habatur Missa in natali *S. Albani*, qua die de eo agunt varia Hagiologia, ut Rabanus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Richenovianſa, Auguſtanum, & Labbeanum, Kalandarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Est autem *Albanus*, martyr Moguntinus, qui ax Africa tempore Hunerici regis pulsus, martyr Moguntiæ obiisse An. D. 404. dicitur, ut habet Papebrochius haa die pag. 87. *& seq.* Vida atiam Mabillonium Annal. Bened. lib. XXVI. §. XXXIV. ubi de ejusdem basilica, ac de monasterio monachorum ibi. Quæ varo ad *Albanum*, ex Africa una cum *Theonesto* martyre pulsum, attinent, quæqua rei difficultatam pariunt, vide apud Ruinartium in Historia persecutionis Wandalicæ P. II. cap. IX. not. 24. pag. 543. 544.

Paulini. *Paulini*, insignis *Nolani* Episcopi celebritas agitur in primis hac dia a Hieronymiama, Romano parvo, Rabano, Adone nostro, Usuardo, Floro, Martyrologio Gellonensi, Fuldensi, Ottoboniano, Wandelberto, Hagiologio Francogallico, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviori, Martyrologio Reginæ Suecorum, & Kalendario Vat. 3806. In Hieronymiano Dacherii, quasi inter Auctaria *Paulinus* amandari videtur. De *Paulini* captivitate vide, quæ nuperis editoribus operum S. Gregorii Præfatione ad ejusdem Dialogos §. XII. probabiliora visa sunt. Vide etiam Dissertationem VII. pag. 141. intar opera S. Paulini novæ editionis. Hujusmodi captivitas fabulam sapit apud Pagium ad an. 431. n. LIV. *& seq.* quo anno *Paulinus* obiit. Dubius hæret de hac captivitate Tillemontius tom. XIV. pag. 733. *& seq.* Ruinartius quoque in Histor. Persecut. Wandalicæ P. II. cap. VI. pag. 474. in dubium Paulini captivitatem revocat. Vide Papebrochium hac die pag. 228. ubi tres *Paulinos*, Antistites *Nolanos* distinguit, ac eorum tertium, qui vivebat an. 535., sub *Trasimunda* rege captivum fuisse existimat, & de eo S. Gregorium in Dialogis meminisse. De translationa *S. Paulini* Romam, & ejus inventione an. 1712. Bollandiani in Appendice Junii pag. 228. Audisti jam, in Sacramentario Vat. 4772. In oratione Missæ S. *Albini* agi etiam de S. *Paulino*. His addare lubet, quod in Chronico Nicolai Trivetti ad A. D. 1156. apud Dacherium Spicilegii tom. VIII. pag. 440. legimus; nam ibi narrat, ao anno ob inundationem Tiberis, in quadam antiqua Ecclesiola, inventum fuisse sarcophagum, in quo corpus S. *Bartholomæi Apostoli, excepto corio, integrum, quod Beneventi dicitur remansisse &c. repertum etiam in Ecclesia corpus B. Paulini Nolani Episcopi*. Sed hac in re non prætereunda Dissertatio de corpore S. *Bartholomæi*, olim jussu Fr. Vincentii Mariæ Card. Ursini Archiepiscopi Beneventani, postea *Benedicti* XIII. Pont. Maximi edita.

S. *Nicetas*, aliis *Niceas*, *Nicias*, & *Nicetius*, *Romatianæ* civitatis Episcopus, S. *Paulino* Nolano perfamiliaris, colitur haa dia a Hieronymiania, deinde ab Adone, & Usuardo. *Niceti confessoris* meminit Augustanum. Labbeanum: *Niec Episcopi*. In Martyrologio Romano duo *Nicetæ* distinguuntur, alter *Dacorum* Episcopus, die VII. *Januarii*, alter *Nicææ* nomine, *Romatianæ* Episcopus, hac die XXII. *Junii*. Postremum hunc *Niceam*, seu *Nicetam*, de quo Gannadius de viris illustribus cap. XXII. Baronius in Notationibus hac die post multos laboras in perquirendo quænam civitas *Romatiana* nomine veniat; & *Romatianam* eandem esse ac Aquilejam, reputans, *Aquilejensem* Episcopum fecit, atque S. *Chromatii* successorem. Ad hunc *Nicetam* Aquilajensem, pridam Subdiaconum, ut habet S. Hiaronymus, axstara S. *Leonis* M. Epistolam. Varum hac in ra lapsum esse Baronium, detexit Holstenius in Animadversis ad Martyrologium Romanum, dia XXII. Junii pag. 80. primæ editionis, ax codice Gennadii admirandæ vatustatis, qui pridem in S. Andreæ de Valle in Urbe cœnobio, nunc in Vaticana asservatur, ibi enim cap. XXII. *Nicetas*, non *Niceas* legitur. Holstenium secutus est Florentinius in notis ad Martyrologium Hieronymianum haa dia pag. 620. ac demum Pagius in Critica Baroniana ad an. 396. n. IV. *& seq.* *Romatiana* fuit urbs *Daciæ mediterraneæ* sub Sardicansi metropoli in Mœsia superiori. In Antonini itinerario, *Remisiana*; in tabula Peutingeriana, *Romasiana*; & ab Hierocle *Rommessiana* dicitur, ut ab Holstenio, loco mamorato, & à Christophoro Cellario lib. II. cap. VIII. pag. 580. Geographiæ antiquæ est adnotatum. Sita fuit intar *Sardicam*, & *Naissum*. Concilio Chalcedonansi adfuit *Diogenianus* Episcopus *Romessianæ*. Ut autem agnoscas, hunc *Nicetam*, alium essa ab *Aquilejensi*, hæc animadverte. *Nicetas*, *Romatianæ* Episcopus erat ante A. D. 392. nempa ante *Bonosi* damnationem, ut apparet ex Epist. XXI. Innocentii I. *Nicetas* varo *Aquilejensis*, ad quem scribit S. *Leo* A. D. 458., nondum arat Episcopus an. 447., quo vivebat *Januarius* Antistes *Aquilejensis*, ad quam idem Leo scribit Epist. XIV. vulgatæ aditionis. *Nicetas*, Romatianæ Episcopus natus erat in *Dacia*, ut colligitur ex S. Paulino Poemate XVI. vers. 84. *& seq.* ubi habet: *Nicetæ.*

Ergo dux idem modo prosequatur
Te via, qua nunc properas revertens,
Ire Niceta, PATRIOQUE *reddat*
LIMINE *tutum*.

Et

Et paullo post:

Tu Philippæos Macedûmque per agros,
Per Tomitanam gradieris urbem,
Ibis & Scupos PATRIÆ *propinquos*
Dardanus hospes.

Demum vers. 319. eum hortatur, ut animo saltem eum Nolanis habitet:

Esto nobiscum, licet ad PATERNAM
Veneris urbem.

De *Bessis*, de quibus Paulinus, & Hieronymus, vide Baronium in Notationibus die VII. Januarii, & ad an. 396. num. XIV. *& seq.* Bis idem *Nicetas* ex Dacia *Nolam* profectus est ad S. Paulinum invisendum, nimirum an. 397. & an. 401. ut ostendit Fontaninus in Historia literaria Aquilejensi lib. IV. cap. V. §. V. adversus Pagii sententiam, qui ad an. 397. n. VI. *Nicetam* advenisse *Nolam* primum putavit an. 398. Forte vivebat adhuc an. 414., ut colligitur ex epistola *Innocentii* I. ad Episcopos Macedoniæ. Commendatur a Gennadio cap. XXII. ob eruditionem, nimirum ob opus de Gentilitatis erroribus, seu ob libros sex ab eo scriptos ad baptismum percipiendum, qui memorantur a Cassiodoro in libris de institutione divinarum scripturarum cap. XVI. Ei tribuitur epistola ad Susannam virginem lapsam, quæ hactenus Ambrosii nomine circumfertur. De *Chromatio* Aquilejensi, quem *Romanum* Episcopum appellatum quoque scribit Baronius, adeundus Quesnellus in notis ad S. Leonis epist. CXXIX. ad Nicetam Aquilejensem, & Pagius ad an. 396. n. VII. ubi id librariorum oscitantia factum esse docent. Quesnellus ibidem *Nicetam* Subdiaconum Aquilejensem, de quo Hieronymus epistol. VIII. al. XLII. alium esse a *Niceta* Episcopo Aquilejensi putat. Verum Fontaninus lib. III. c. IV. §. II. utriusque errata, ad *Romani* Episcopi nomen *Chromatio* tributum quod attinet, censoria virga refellit. Quum itaque vetera Martyrologia sileant die VII. *Januarii* de *Niceta*, *Romatianæ* Episcopo, & agant tantum die XXII. *Junii*, unum tantum *Nicetam*, seu *Nicetam* Dacorum Apostolum agnoscunt; hinc Bollandiani ad diem XXII. Junii pag. 244. *& seq.* Jo: Bollandi lapsum die VII. Januarii, qui Baronium secutus fuerat, emendant.

F. IX. KALENDAS JULII. — *23. Junii.*

VIGILIA sancti Joannis Baptistæ. *Vig. S. Jo. Baptistæ.*

Joannis. Eodem die, S. Joannis presbyteri, quem impius Julianus inauditum, via Salaria vetere, ante simulacrum Solis decollari præcepit. Cujus corpus a B. Concordio presbytero collectum, & sepultum est juxta concilia Martyrum.

Apud Brittanniam, S. Edeltrudis virginis & Reginæ, cujus corpus cum annis undecim esset sepultum, incorruptum inventum est. *Edeltrudis*

VARIA LECTIO. Ed: *Apud Brittanniam, S. Edeltrudis.* Cod. 511. *In Brittannia, natalis sanctæ Diltrudis.* Cod. 512. *Edeltrudis.* Cod. 514. *Ediltrudis.*

Vig. Jo. Baptistæ. ADNOTATIO. *Johannis Baptistæ* natalis solemni vigiliarum cultu in veterrimis Ecclesiæ fastis prævenitur; hinc & in Martyrologiis hæc *vigilia* adnotata, ut a Beda, Rabano, Adone, Usuardo, & Notkero, Martyrologio Augustano, Ottoboniano, & Kalendario Vat. 3806. Ante hos hujus vigiliæ meminit Gregorius Turonensis lib. X. c. XXXI. ubi de S. Perpetuo Turonensi. At Missarum solemniis hujusmodi vigilia peragebatur, ut patet ex libris Liturgicis S. R. E., nam Sacramentarium Gelasianum pag. 154. ad VIII. *Kal. Julii*, nimirum in nocte, quæ diei XXIV. *Junii* imminet, Missam habet *in vigilia Sancti Johannis Baptistæ*, ac mox aliam *in natali unde supra*, adeo ut duæ hic Missæ indicentur, una in *nocte*, alia in die ejusdem S. Johannis Baptistæ. Apertius Sacramentaria Gregoriana omnia, nam in his, videlicet in Sacramentario Reginæ Suecorum 337. & aliis Missa de hac vigilia figitur diei XXIII. *Junii*, & in Sacramentariis Menardi, & Angeli Rocchæ habetur Præfatio propria de hac vigilia, ubi commemoratur *solemne jejunium, quo Beati Johannis Baptistæ natalitia præveniantur.* Habetur hæc *vigilia* in Capitulari Epistolarum

VIII. sæculi, ad usum Ecclesiæ Mediolanensis. In Lectionario Lexoviensi §. LXII. pagin. 158. nulla mentio fit de vigilia *Nativitatis Sancti Johannis Baptistæ*, ad quem locum monet Mabillonius, nullam in eo Lectionario Missam designari *in vigilia S. Johannis Baptistæ*, nullam in vigilia Apostolorum Petri & Pauli, prout neque in Missali Gothico, seu Gallicano; in codice tamen regio, ex Gelasiano & Gregoriano conflato, tres Missas designari, nempe Missam *in vigilia*, aliam *in media nocte*, & aliam *in die*. Sed de his mox. Capitularia Evangeliorum vetustissima, tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 265. Evangelium exhibent hac die XXIII. Junii *in vigilia S. Johannis Baptistæ*. Solemni ergo ritu olim hæc *vigilia* celebrabatur, ac de ea meminit Hadrianus Papa I. in epistola ad Carolum M. de Imaginibus.

Johannis. *Johannes* presbyter & martyr, *Romæ, via Salaria*, colitur hac die a Romano parvo, his verbis: *Sancti Johannis presbyteri, via Salaria vetere sepulti*. Ado ex Actis, quæ interiere, ut monet Sollerius, suum elogium contexuit, quod brevius fecit Usuardus, totum transcripsit Notkerus. Alia Hagiologia silent. Juliani persecutione passus esse fertur. Quid significet vox illa *concilia martyrum*, fuse explicat Baronius in Notationibus hac die. Locus erat ubi multorum corpora martyrum quiescebant. In Notitia apud Eccardum, ubi de martyribus via Salaria sepultis, sermo est, hæc habes: *Inde non longe* (ab Ecclesia & cœmeterio S. Hermetis) *est in occidente Ecclesia S. Johannis martyris, ubi caput ejus in alio loco sub altare ponitur, in alio corpus*. Vide quæ de *Johanne* habet hac die Papebrochius in Actis pag. 482.

Ediltrudis ex Beda in Adonem transiit; deinde in Usuardum, & Notkerum. Agit & Martyrologium Reginæ Suecorum his verbis: *Britanniæ, sancta Ediltrudа virginis & reginæ, cujus corpus cum XVI. annis esset sepultum, incorruptum inventum est*. Meminit Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum. Appellatur autem *Etheldreda*, *Ethildrita*, seu *Edeldreda*. Bis nupsit, & in utroque conjugio virginitatem servavit. Ab *Egfrido* marito obtinuit, ut in monasterium *Coludiense* ingrederetur, & sacro velamine a S. *Wilfrido* Episcopo accepto, *Eliensis* monasterii ab ea constructi Abbatissa dicta est, demum obiit hac die an. 679. ut est apud Thomam Eliensem. Vide ejus Acta apud Mabillonium sæculo II. Benedictino, & apud Bollandianos hac die pag. 493. *& seq.* Confer etiam Baronium ad an. 671. n. VIII. *& seq.* Pagium in Critica ad an. 672. n. VIII. *& seq.* ac Mabillonium Annal. Benedictin. lib. XVI. §. LXXXVI. ad an. 679. *Ediltrudis*

---

24. *Junii.* *G. VIII. KALENDAS JULII.*

Nat. S. Jo: Baptistæ. NATIVITAS Præcursoris Domini. Vid. libell. de festivit. Apost.

VARIA LECTIO. *Nativitas &c.* Codices hic habent, quæ in libello de festivitatibus Apostolorum apud vulgatum Adonem leguntur. Ibi in ed. *tricesimo*. Codices: *Hic tricesimo*. Ed. *peccatorum*. Hinc in codicibus sequitur: *Augustoduno,*
Simplicii. *depositio Simplicii Episcopi & confessoris*. Deinde aliena manu, minus antiqua in co-
Agobardi, dice 511. *Eodem die susceperunt martyrium sanctus Agobardus, & sanctus Dagull-*
& Daguilberti. *bertus*. In codice 514. habetur in fine: *Ephesо, dormitio sancti Johannis Apostoli*. *Dormit. Jo: Apost.*

Nativ. S. Jo: Baptistæ. ADNOTATIO. Solemni semper ab antiquissimis usque temporibus apud omnes cultu habitus est hic dies *natali S. Jo: Baptistæ* dedicatus. Ut autem a Martyrologiis auspicemur, agunt de eo Hieronymiana, Beda, Ado, Rabanus, Usuardus, & cæteri Latinorum. His ergo omissis, ad rem Liturgicam accedamus. Missa in ejus *natali*, ut pridie hujus diei monuimus, in codice Gelasiano statuitur; deinde in Gregorianis omnibus, ac in aliis ritu Gothico, seu Gallicano exaratis libris. In Sacramentario Gregoriano Reginæ Suecorum 337. & in Ottoboniano hac die ita habetur: *Natalis sancti Johannis Baptistæ, in prima Missa*. Orat. *Concede &c.* Super Oblata. *Munera*. Ad Com: *Præsta*. Sequitur: *Item alia*. Ottobonianum habet: *Missa*. Orat. *Deus qui præsentem*: Super oblata. *Tua Domine*. Ad com. *Sumat*. His ferme convenit Sacramentarium Pamelii pag. 311. Sacramentarium quoque Palat. Vat. 495. easdem orationes in utraque Missa designat, ac in titulo prioris Missæ habet: *In prima Missa*, in titulo posterioris: *Ad Missam in die*. Sacramentarium Menardi post Missam de *vigilia S. Jo: Baptistæ* habet: *Prima Missa de nocte*; deinde ad diem XXIV. Junii: *Nat. S. Johannis Baptistæ*. In Missa de *vigilia*, & in *natali* ex-

exhibet Præfatiooes proprias. Orationes Missæ partim conveniont cum Sacramentariis Pamelii, & Reginæ Suecorum, partim discrepant. Sacramentarium Angeli Rocchæ convenit omnino cum Sacrameotario Menardi, sed abest a Sacramentario Angeli Rocchæ *prima Missa de nocte*. Præfatio vero, quæ in die nativitatis S. Jo: Baptistæ legitar apud Menardi, & Aogeli Rocchæ Sacramentaria, habetur etiam in Sacramentario Gallicano, & in Missali Gothico. Missale plenarium Vatican. 4770. primo Missam habet die XXIII. Junii in *vigilia*, deinde aliam Missam *mane prima*, postremo die XXIV. aliam Missam io *natali S. Johannis Baptistæ*. Amalarii ævo Missæ tres io hac celebritate dici consueverant. Ita enim ille lib. III. cap. XXXVIII. de officiis Ecclesiasticis: *Beatus Jo: Baptista legitur in Evangelio Lucæ repletus esse spiritu sancto ex utero matris. Quapropter in exordio lucis diei, quasi in exordio nativitatis sacrificium Deo offertur in honore ejus ad laudem creatoris, qui illum dignatus est honorare ex utero matris. Ideo autem* TRES MISSÆ *celebrantur in festivitate beati Johannis, quia tribus insignibus triumphis excellenter refulsit. Ad hoc enim venit, ut viam Domino præpararet exemplo suæ conversationis. Qui triumphus celebratur* IN VIGILIA EJUS. *Per baptismi ministerium claruit insignis. Hujus mysterii triumphus recolitur* IN PRIMA MISSA. *Nazaræus vero permansit ex utero matris. Hoc demum recolitur* SECUNDA MISSA IN DIE. Eadem ferme habet volgatos Alcuinus de divinis officiis cap. XXX. & vulgatus Ordo Romanus. De Missa S. *Jo. Evangelistæ*, & *Jo. Baptistæ*, *primo diluculo*, idem Amalarius lib. IV. cap. XL. Vide Radulphum Tungrensem cap. XXIII. Vide etiam Menardi notas io Sacramentarium hac die. Capitularia Evangeliorum, a nobis prolata tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 265. onum tantum Evangelium hac die in *natali S. Jo. Baptistæ* exhibent, quod quidem animadversione dignom censoit Fronto in notis ad suum Kalendarium. Unum forte & idem in his Missis Evangelium legebatur. At in Aotiphonario Gregoriano Cardinalis Gentilis, scripto A. D. 1071. Antiphonæ ad Iotroitom, & alia primum statuuntur *in vigilia S. Jo. Baptistæ*, deinde *in Missa mane prima*, postremo *in Missa majori*. Io codice Ottoboniano sæculi XIII. ad extremom, post Kalendariom ad usum Cisterciensiom monachorum, habetur iudiculus orationom Missæ per annom, quattuor laterculis dispositus, & ibi legitur: *In vigilia S. Johannis Baptistæ*. In laterculo alio. Oratio. *Præsta quæsumus omnipotens Deus* &c. *In die ad primam Missam*. Oratio: *Concede quæsumus* &c. *Ad Missam majorem*. Orat. *Deus qui præsentem diem* &c. At de Liturgico S. Jo. Baptistæ hac die culto apud Latinos jam satis.

Quo loco cooceptus, & io lucem editos *Joannes Baptista* sit, disquirit Papebrochius hac die pag. 703. Obscura est enim, ad locum quod attinet, Lucæ Evangelistæ narratio. In apographis Hieronymianis die XXIV. *Septembris* legitur: *In Matharnute castello, conceptio Johannis Baptistæ*. Hac die vero XXIV. Junii: *In provincia Palæstinæ, civitate Sebastæ, natalis sancti Johannis Baptistæ*. Fuit autem *Matharuns*, si Florentinio credimus in Exercitatione XIV. de loco conceptionis & nativitatis S. Jo. Baptistæ pag. 857. secundo quondam arx Judææ ab Hierosolymis, quam *Herodes Ascalonita* munierat. Notkerus hac die tradit, S. Jo. natum, ac nutritum fuisse in *Hebron civitate Juda*. Quæ sit *civitas Juda*, seu *Judaea*, de qua S. Lucas, non omnes consentiont. Hadrianus Relandus lib. III. de urbibus Palæstinæ pag. 870. natum esse conjicit *Jo. Baptistam* io urbe *Juta*, quæ fuit Tribus Judæ, nunc vicus prægrandis, decem & octo mille passibos ab *Eleutheropoli* distans. De hac locutum S. Lucam cap. I. 39. existimat, quod situs *regioni montanæ* conveniat. Vetus traditio, idem ait, *Bethzacharias* fuisse patriam *S. Jo. Baptistæ* fert, quæ loco non longe dissito ab eo, ubi *Juta* ab Eusebio statuitur, fuisse videtur. In epistola *ad Bibianum*, quæ S. Augustino tribuitur, quæque ex veteri codice S. Patri Carnutensis edita est a Mabillonio in Liturgia Gallicana pag. 458. *Joannes* VIII. *Kal. Octobris*, hoc est die XXIV. Septembris, *Angelo nuntiante conceptus*, & *Herodis funesti gladio trucidatus*, *a majoribus nostris traditur*. Sequitur ibi: *Est & præter nativitatem alia solemnitas Jo. Baptistæ, quarto scilicet Kal. Septembris, quando inventum legitur caput Dominici Præcursoris, quod ut opinor, decrevit ideo dispensatio Deitatis, ut quia in unda baptismatis, ministerium dumtaxat, quod ante faciem Christi prædicavit Ioannes, sacramentum mersionibus trinis, ideo trifariæ sollemniter reddat Ecclesia ejus laudes*. Sequitur in eadem epistola, a majoribus tradi, *Ioannem* in æquinoctio aotumni conceptom & passum, in solstitio æstivo natum. Vide quæ de *Inventione* capitis Jo. Baptistæ diximus die XXIV. *Februarii*, & quæ dicturi sumus de ejus *decollatione* die XXIX. *Augusti*, demum de illius *conceptione* die XXIV. *Septem.* Historia apocrypha de *Jo. Baptista* ab Hoeschelio primum edita an. 1587. exstat Græce ioter sporia Jo. Chrysostomi oovæ editionis tom. II. pag. 805. & MS. Bibli. Coislinianæ pag. 413. Vita & obitus Jo. Baptistæ, Græce scripta, memoratur a Lambecio lib. VIII. pag. 119. Vide Combefisium Bibliothecæ Concionatoriæ tom. VII. pag. 51. & *seq.* Varii item sermones, seu homiliæ Græce, in natalem S. Jo. Baptistæ recensentur, ut Theodori Studitæ, Latine apud Lipomanum, & Surium die XXIV. *Junii*. Huc pertinent homiliæ, quæ inter Acta martyrum in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 183. leguntur, ibi

 enim

enim titulus iste præponitur : *Incipiunt homelias (sic) in festivitate sancti Johannis Baptistæ, quod est* VIII. *Kal. Julii, Aurum de terra legere* &c.

Simplicii. Codices nostri recolunt hac die *Simplicium* Episcopum *Augustodunensem*, de quo silet vulgatus Ado, imo a Rosvveido in Adonianam Appendicem amandatus est ad diem XIX. *Novembris*, at agit de eo hac die Usuardus his tantum verbis : *Augustoduno, depositio Simplicii Episcopi*. Præivarant Hieronymiana, quæ habent : *In civitate Augustiduno, sancti Simplicii*. Agunt præterea Rabanus, Notkerus, Richenaviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. De *Simplicio* Augustodunensi Episcopo iterum agit Richenoviense die XIX. *Novembris*, item Labbeanum. Martyrologium Fuldense, & Kalendarium Vat. 3836. de eo agunt die XIX. *Novembris* tantum. Cur ergo a genuino Adone est eliminandus? Bis autem in quibusdam Martyrologiis coli putamus, ob aliquam illius translationem. De eo pluribus S. Gregorius Turonensis de gloria confess. cap. LXXV. LXXVI. LXXVII. Baronius in Notationibus monet, Simplicium interfuisse Concilio Agrippinensi A. D. 346.

Agobardi, & Daguiberti. Pro Adonianis *Agoadum*, seu *Agobardum* & *Daguibertum*, vel *Gilbertum* codices nostri non agnoscunt, bene quidem eorundem Auctaria. Habentur tamen in genuino Usuardo his verbis : *In territorio Parisiacensi, vico Cristoilo, passio sanctorum Agoadi & Gilberti, cum aliis innumeris promiscui sexus*. Emendanda sunt hac lectione nomina in nostris codicibus corrupta, licet in variis codicibus Usuardinis apud Sollerium legatur *Agoardus, Agovardus*, & *Agaladus* : & *Aglibertus, Agilbertus*, & *Glibertus*. Acta eorum dubia sunt, quæ Papebrochius hac die pag. 815. protulit, & æqua lance discussit. Incertum est quo tempore passi fuerint. Præter Usuardum, veteres alii Hagiographi de his silent.

Dormit. S. Jo: Ev. Unus ex codicibus nostris memorat hac die *dormitionem S. Jo: Evangelistæ*. Hieronymiana hac die habent : *Joannis Apostoli & Evangelistæ natalis*. Corbejense brevius ad diem XXIV. Maji : *In Epheso Joannis Apostoli*. Rabanus pro *natali* habet : *dormitatio*, Notkerus : *dormitio*. In aliis etiam Hagiographis hac die *Jo: Apostolus* recensetur. Richenoviense : *In Epheso, dormitio S. Johannis Evangelistæ*. Augustanum, & Labbeanum : *Ephesi, dormitio Joannis Apostoli*. Corbejense brevius : *Ephesi, S. Jo: Apostoli & Evangelistæ*. Cæterum de *Jo: Evangelista* agi consuevit jam tum a primis Ecclesiæ temporibus die XXVII. *Decembris*. Vide quæ ad eam diem diximus. Genuinus Usuardus de *Jo: Evangelista* hac die silet. Vide de *Johannis Evangelistæ* dormitione, *Ephesi*, & ejus ætate Baronium ad an. 101. n. 11. & *seq.* In codicibus, in quibus Acta martyrum continentur, extant etiam Acta, seu gesta *Jo: Apostoli*, suspecta illa quidem, & ex non idoneis fontibus derivata. In codice Reginæ Suecorum 523. pag. 56. habentur gesta *S. Johannis*, ac primum recensentur, quæ Romæ sub *Domitiano* passus est, deinde sequuntur gesta, quando idem *Johannes adsumptus est*. Incipiunt : *Cum esset annorum nonaginta & novem &c.* usque *exaltatus est*. In alio hujusmodi codice in tabulario Canonicorum Forojuliensium, variæ epochæ initio ejusdem codicis præmittuntur, hoc pacto : *Anno Cæsaris Augusti quadragesimo secundo, expletis secundum Hebraicam veritatem ab initio mundi annis tribus millibus nongentis quinquaginta duobus, Jesus Christus Dei filius mundum sua sacravit adventu. Tiberii autem Cæsaris octavo decimo anno passione sua mundum redemit. S. Johannes Apostolus sexagesimo nono anno post passionem Domini, ætatis autem suæ nonagesimo septimo, temporibus Trajani, Ephesi placida morte quievit*. Acta *S. Jo: Apostoli* Græce habes apud Lambecium lib. VIII. pag. 244. & ad calcem commentariorum Œcumenii, Veronæ editorum an. 1532., & Latine apud Surium die XXVII. *Decembris*, ac ad calcem Œcumenii, editionis Parisiensis an. 1631. Narratio apocrypha Græce extat apud eundem Lambecium lib. VIII. pag. 375. Vide Tillemontium tom. I. pag. 538. & *seq.*

---

25. Junii.

A. VII. KALENDAS JULII.

Sosipatris. APUD Pyrrhiberœam, S. Sosipatris, discipuli sancti Pauli Apostoli. Act. 20. Rom. 16.

Gallicani. Item apud Alexandriam, natale S. Gallicani martyris. Qui cum triumphalibus infulis sublimatus, acceptus esset Augusto Constantino & charissimus, filiam ejus sacratissimam virginem Constantiam sibi poscebat uxorem. Constantinus vero Augustus contristari cœpit, sciens filiam suam positam in sancto proposito facilius

De eo in gestis Jo: & Pauli 26. Junii.

facilius occidi posse, quam vinci. Quæ cum patris solicitudinem studio sanctitatis conaretur excludere, certa de Deo, dixit patri: Depone omnem solicitudinem tuam, & te daturum illi conjugem repromitte, ut si Scytharum superaverit gentem, victor simul & conjugem me accipiat. Facta sunt omnia sicut virgo disposuit; & veluti subarrationis loco dantur duo fratres eunuchi Joannes & Paulus ex latere Augustæ Gallicano, & duæ sorores, Gallicani filiæ, Attica & Artemia ipsi Augustæ traduntur: quas virgo ad Dominum convertit. Igitur Gallicanus a Scythica gente in Thraciarum Philippopoli urbe conclusus, metuens confligere cum eis, quod exigua illi esset militum manus, hostium vero esset innumerabilis multitudo, insistebat sacrificiis, & Martianas victimas offerebat. Quid multa? Ad ultimum crevit obsidio, & universi tribuni ejus ac milites se hostibus tradiderunt. Cumque cuperet fugiendi aditum reperire, Paulus & Joannes, ex quibus Præpositus unus, alter Primicerius erat Constantiæ Augustæ, dixerunt ei: Fac votum Deo cæli, quod si te liberaverit, Christianus fias, & eris victor melius quam fuisti. Mox ut votum ore prolatum est, apparuit illi juvenis statura excelsus, ferens in humeris crucem, dicens: Sume gladium tuum, & sequere me. Quem dum sequeretur, apparuerunt ei hinc & inde milites armati, confirmantes eum, & dicentes: Nos tibi præbemus officium: tu ingredere hostium castra, & dextra lævaque gladium tenens evaginatum, respice quousque venias ad Regem ipsorum. Quo cum pervenisset cum eis, prostratus Rex pedibus ipsius, postulavit nullum penitus ex suis occidi gladio. Quod Gallicanus nec fecit, nec jussit. Ita universæ Thraciæ liberatæ, & gens Scytharum tributaria facta est. Ipse vero ita Deo se devovit, ut etiam conjugio se promiserit abstinere. Revertens itaque Gallicanus, non prius ingressus est Romam, quam ad sacra beati Petri Apostoli limina perrexisset. Constantinus vero Imperator misit se in amplexus ejus, postquam cognovit omnia, quæ Christi pietate circa illum perfecta sunt; referens ei universa quæ gesta sunt circa filias ejus, quomodo sunt virgines Christo utiliter consecratæ. Tunc cum Augusto intrante palatium Gallicano, occurrit Helena cum filia Constantia, & filiabus ipsius Gallicani. Fundebantur lacrymæ gaudiis plenæ. Qui cum vellet privatus abscedere, rogatus ab Augusto Consul processit: & in fascibus positus, quinque millia servorum, liberos civesque Romanos fecit. Quibus prædia domosque donavit: cunctasque facultates suas, excepto jure filiarum, distrahi ac donari pauperibus jussit. Et se in Ostiensi urbe manenti cuidam sancto viro, Hilarino nomine,

nomine, fociavit. Cujus habitaculum ampliari fecit ad peregrinorum fufceptionem, quam ipfe plurimis impendebat. Huic adhæferunt multi ex fervis fuis, quos liberos fecit. Et divulgata eft fama ejus per totum orbem, ita ut ab Oriente & Occidente venientes, viderent virum ex Patritio exconfule, qui erat amiciffimus Augufto, lavantem pedes, ponentem menfam, aquam manibus effundentem, languentibus folicite miniftrantem, & exhibentem cetera fanctæ fervitutis officia. Hic primus in Oftienfi urbe extruxit ecclefiam, & ditavit officia clericorum. Huic fe fanctus levita Laurentius revelavit, adhortans eum, ut in ejus nomine ecclefiam fabricaret in porta, quæ nunc ufque Laurentia nuncupatur. Rogatus autem ut ibi levaretur Epifcopus non confenfit, fed ex fua voluntate ipfe qui ordinaretur elegit. Tantam namque ei gratiam contulit Deus, ut dæmonibus pleni, mox ut vifi fuiffent ab oculis ejus, protinus mundarentur: multaque in eo erant fanctitatis infignia. Sed cum a Conftantio Julianus, Cæfar factus effet, dedit legem, ut Chriftiani nihil in hoc fæculo poffiderent. Tunc Gallicanus habens in Oftienfi pago quatuor cafas, quarum penfiones his operibus, quibus diximus, miniftrabat; ita habere Deum meruit defenforem, ut quicumque ingrediebatur in eas malitiofe, aut ponere titulos fifci, aut exigere penfiones, ftatim a diabolo replebatur. Et quicumque actorum ejus effet exactor, leprofus fiebat. Tunc interrogata dæmonia dederunt refponfum, quod, nifi facrificare coactus fuiffet Gallicanus, exactores reddituum ejus ifta pericula non vitarent. Et quoniam nullus audebat convenire Gallicanum de hoc fcelere, mandavit ei Julianus Cæfar, dicens: Aut facrifica diis, aut difcede a finibus Italiæ. Qui ftatim relictis omnibus Alexandriam petiit, & ibi junctus eft Confefforibus Chrifti per continuum annum. Poft etiam feceffit in eremum, ibique a Rauciano comite templorum, cum cogeretur facrificare, & contemneret, percuffus gladio in corpore, Chrifti martyrem fecit, atque ita perrexit ad Dominum gaudens cum triumpho. Cui ftatim bafilicam conftruxerunt fui nominis: in qua exuberant beneficia Martyris ex eo, & nunc ufque in fæculum.

Luciæ & soc. Item Romæ, S. Luciæ virginis, cum aliis XXII.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Pyrrhiberæam &c.* Cod. 511. *Apud Birriberæam*. Cod. 512. & 514. *Apud Pyrriberæam civitatem, sancti Sosipatris discipuli sancti Pauli Apostoli. Apud Alexandriam sancti Gallicani martyris, qui &c.* Ed. *Attica, & Artemia*. Codices: *filiæ Artica, & Artemia*. Verba: *ita universæ Thraciæ*, usque *facta est*, desunt in codice 511. Ed. *ex Patritio exconsule*. Codices: *ex patricio & consule*. Ed. *fabricaret in porta, quæ nunc usque Laurentia*

tia nuncupatur. Codices: *fabricaret, que nunc usque Laurentia nuncupatur.* Ed. *Romæ, S. Luciæ virginis*. Cod. 511. *Romæ, natalis sanctæ Luceniæ* (codex 512. *Romæ via Salutaria* (pro *Salaria*) *natalis sanctæ Luciæ*, codex 514. *Romæ, via Salaria, natalis sanctæ Luciæ*) *virginis & martyris, cum aliis* XXII. *simul & Acejæ regis barbari*.

Philippi. „ Apud Cretam sancti Philippi Gortinensis Episcopi, qui magnis virtutibus & opti-
„ mis studiis præditus. Cætera desunt.

Translat. Eligii. Deinde in codice 511. tantum, aliena manu minus antiqua sequitur: *Ipso die, translatio sancti Eligii Episcopi & confessoris.*

Sosipatris. ADNOTATIO. *Sosipater*, memoratur io primis bae die, ut censet Sollerius, a Romano parvo, deinde ab Adone, & Usuardo, iisdem fere iu omnibus verbis. Henschenius in Sylloge Historico-eritica hac die pag. 4. falli existimat Romanum parvum iu nomioe *Sosipatris*, ae *Sopatrem Berœensem*, *Sosipatris* loco substituere debuisse. Tillemootius tameo tom. I. pag. 565. suspieatur, sub utroque nomine unum euodemque Pauli Apostoli discipulum venire. Baronius io Notatiooibus censet, hune *Sosipatrem Berœeasem*, eum esse, de quo Acta Apostolorum eap. x. & Paulus in epist. ad Rom. XVI. Hunc ex Origene in epist. ad Rom. *Thessolonicensem* Episcopum ordinatum fuisse, elieitur, licet Dorotheus in Synopsi, *Iconii* Episcopum sedisse affirmet. De eo Hippolytus iu libello de septuaginta duobus discipulis. Habetur etiam Dionysii Epistola ad Sosipatrum. Sed Hippolyti Thebanei de septuaginta duobus discipulis. & Dorothei opuscula iuter apocrypha enumeraotur. Quæ sit etiam apud Adonem, & Usuardum *Pyrrhiberooea*, seu *Pirriberoea*, obscurum est. *Pyrrha* fuit urbs io Eubœa insula, item Joniæ, & Lesbi. *Berœa*, seu *Berrhœa* fuit urba Macedoniæ, alia Thraciæ, & alia Syriæ.

Gallicani. *Gallicani* martyris elogium ductum est ab Adone ex Actis *SS. Jo: & Pauli*, & ab Usuardo brevissime contractum. Hujusmodi Acta cognita & perspecta fuisse, animadvertit Sollerius. Cæterum de eo, post Adonem & Usuardum, alii Martyrographi silent. Passus est in persecutione Juliani A. D. 362. Vide Baronium ad an. 330. n. XLIX. *& seq.* ubi de bello Scythico a *Gallicano* gesto, & de illius ad Christi fidem conversiooe, ubi Acta Gallicani ad trutinam revocat. Et de illius martyrio ad ao. 362. n. CCL. Bollandiani socii agunt hae die pag. 35. ex Actis SS. Joannis & Pauli. *Oviniæs Gallicanus*, præmooente Baronio iu Notationihus, consul fuit una cum L. Aurelio Symmacho A. D. 330.

Luciæ, & Acejæ. Illustriores in latereulo hujus diei martyres apud alios quoque Martyrolograghos recensiti, *Lucia*, seu *Luceja* virgo una cum *Aceja* rege sunt. Nonnulla enim apographa de his agunt pridie hujus diei, hac die, & postridie. Hieronymiana pridie hujus diei meminere *Festi & Luciæ cum sociis viginti duobus*. Hae die: *Lucejæ virginis, & Acejæ virginis*, sine sociis. Postridie: *Lucejæ virginis, & Diogenis*. Demum die prima Julii: *Lucejæ virginis, & Aacejæ regis*, cum sociis VIII. vel IX. Gellonense pridie hujus diei: *Romæ, Festi, Luciæ*. Hae die: *Bigati, Lamtaal, Acejæ regis, Luciæ virginis*. Martyrologium Fuldense agit hae die XXV. *Junii* tantummodo, & his verbis: *Romæ, natalis sanctæ Lucejæ virginis, & Aciæ regis barbari*. Usuardus genuinus hae die: *Romæ, sanctæ Luciæ virginis cum aliis viginti duobus*. Martyrologium Reginæ Suecorum hac die: *Romæ, natalis sanctorum Luciæ virginis, & Acejæ regis*. Ottobonianum hae die: *Romæ, Eucejæ virginis, & Acejæ regis de barbaris*. Richenoviense pridie hujus diei: *Romæ, Luciæ*. Hae die: *Et in Alexandria, Agathonis, Luciæ virginis*. Augustanum die XXIV.: *Romæ, Fistulæ* (*Festi*) *Lucejæ*. Die XXV.: *Accoræ* (*Aciæ*) *Luciæ*. Labbeanum pridie hujus diei: *Romæ, Festi, Lucciæ*. Hac vero die: *Acciæ, Luciæ virginis*. Corbejense brevius die *prima* Julii: *Romæ, Gali Papæ. Et natalis sanctorum Lucejæ virgin. & Aacejæ regis*. Coronidem imponat Wandelbertus his versiculis.

Septena Romam LUCEJA *exornat amore*
Scampia bis deno, & binæ martyre læta:* * an forte *Campia*.
De quibus Acejas socia collucet honore.

Licet autem hi martyres tanto Martyrologiorum suffragio insignes reddantur, eorum tamen oomina tam varie inflexa, dies quoque, quibus coluntur, tam varie recenseutur, ut tenebras potius, quam lucem nobis afferant. Ignoramus enim adhue quo tempore passi sint, quo loco, & an Romam translati, & quando, quis fuerit barbarus rex Acejas, quæ *Lucia*, seu *Luceja*, aut *Euceja* virgo: solum ex codicibus nostris percipimus, eos via Salaria cultos fuisse. Hæc etiam sedulo perpendit Sollerius in Usuardum hac die, & uberiorem disquisitionem de his polliceri videtur, interim nos amandat ad Florentinii notas, & ad Bollandianos socios hae die pag. 13. a quibus ex Actis hæc nomina innotescunt, nimirum *Luceja* virgo, *Auceas* rex, Romæ passi, item *Antoains, Herencus, Theodorus, Dionysius, Apolloains, Agamias, Pronicas, Cotens, Orion, Papicas, Satyrus, & Victor*.

Philippi. Codices nostri *Philippum* Gortinensem Episcopum

ſcopum iterum hac die celebrant, licet de eo egerint die XI. *Aprilis*. Alia etiam Haglologia ſemel ac iterum illum commemorant, ut ad eam diem adnotavimus.

Translat. S. Eligii. Inter Auctaria in uno ex noſtris codicibus additur hac die translatio *S. Eligii*. Ea habetur in codice Uſuardi Pratenſi extremo loco his verbis: *Item translatio ſancti Eligii Epiſcopi & confeſſoris*. Hæc a genuino Uſuardo expungenda eſſe duxit Sollerius; at Bouvillartius ab Uſuardo in autographo Pratenſi ita exaratum fuiſſe contendit, quia hæc translatio medio ſeptimo ſæculo facta fuit, & in Gallicanis Eccleſiis celebrata; inſuper conſentiunt alii plures Uſuardini codices. De *Eligio* vide quæ dicturi ſumus ad diem primam *Decembris*.

26. Junii.

B. VI. KALENDAS JULII.

Jo: & Pauli. ROMÆ, ſanctorum Joannis & Pauli fratrum natale. Quorum primus præpoſitus, ſecundus fuit primicerius Conſtantiæ virginis, filiæ Conſtantini. Qui cum omni die turmas Chriſtianorum recrearent ex his opibus, quas ſanctiſſima virgo Conſtantia reliquerat, pervenit hoc ad Julianum. Et miſit qui eos convenirent, dicens, debere ſibi eos adhærere. Illi vero reſponderunt inter alia: Pro iniquitate tua deſtitimus a tua ſalutatione, & a ſocietate Imperii tui noſmetipſos omnino ſubtraximus. Sumus enim nos non falſi, ſed veri Chriſtiani. Quibus Julianus mandavit: Conſiderare debetis, quia vos regia aula nutriti, non debetis deeſſe a latere meo, ut habeam vos primos in palatio meo. Quod ſi contemptus a vobis fuero, neceſſe mihi erit agere, ut contemni non poſſim. Paulus & Joannes dixerunt: Non tibi facimus hanc injuriam, ut præponamus tibi qualemcumque perſonam; Deum
Fol. 145. tibi præponimus, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia quæ in eis ſunt. Et ſcire te volumus, quia numquam ad ſalutationem tuam, numquam ad culturam, numquam ad palatium tuum veniemus. Quibus Julianus ait: Decem diebus vobis a me dantur induciæ: decima tranſacta die, ſponte ad me venientes, amicos vos habeam; non venientes vero, tamquam hoſtes publicos punio. Tunc ſancti viri Joannes & Paulus Chriſtianos ad ſe invitantes, ordinaverunt de omnibus quæ relinquere poterant, per totos decem dies inceſſanter die noctuque eleemoſynis inſiſtentes. Die vero undecima ſunt conſtricti intra ſuam domum. Miſſus namque eſt Terentianus campiductor ad eos cum militibus hora cœnandi. Qui ingreſſus, invenit eos orantes, & dixit eis: Dominus noſter Julianus ſtatunculum aureum Jovis ad vos miſit, ut adoretis illud, & thura incendatis. Quod ſi non feceritis, ambo modo gladio feriemini. Non enim decet vos intra aulam nutritos, ut publice occidamini. Joannes & Paulus dixerunt: Julianus ſi tuus eſt dominus, habeto partem cum eo: nobis autem Dominus alius non eſt, niſi unus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus, quem ille negare non timuit. Et quia ſemel a facie Dei projectus

ctus

ctus est, vult & alios secum in interitum devenire. Tunc Terentianus fecit fieri foveam intra domum eorum, ut fine strepitu famæ punirentur: & sic decollari, statimque involvi & reponi jussit; divulgans, quod jussu Cæsaris missi fuissent in exilium. Statim autem ut Julianus in bello Persarum interfectus est, Joviniano facto Christianissimo Imperatore, apertæ sunt ecclesiæ, & cœpit religio Christiana gaudere. Dæmones autem ex obsessis corporibus intra domum Joannis & Pauli ejiciebantur, confitentes sanctam passionem eorum, ita ut unicus filius Terentiani, qui eos decollaverat, veniret intra domum Sanctorum, & clamaret per os ejus dæmon, quod Paulus & Joannes incenderent eum. Tunc Terentianus veniens, prostravit se in faciem clamans, quod nesciens quid faceret homo paganissimus, jussionem Cæsaris adimplesset. Unde factum est, ut dato nomine suo, proximo die Paschæ perciperet gratiam Christi. Et assidue orans & flens ad locum illum erat, in quo Sanctorum corpora requiescunt, donec a Sanctis Dei filius ejus emundaretur. Et ab ipso Terentiano descripta est passio horum Martyrum. Passi sunt autem VI. Kal. Julii.

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ, sanctorum Joannis & Pauli fratrum &c.* Codices: *Romæ, Johannis & Pauli fratrum, quorum primus &c.* Verba: *sumus*, usque, *christiani*, desunt in nostris codicibus. Ed. *statunculum aureum &c.* Codices: *statunculam aureum &c. adoretis illam, & thura incendatis ei*. Ed. *Tunc Terentianus fecit fieri*. Codices: *Tunc Terentianus tertia hora noctis transacta fecit fieri &c.* Ed. *ad locum illum erat, in quo &c.* Codices: *ad locum ipsum, in quo corpora sanctorum requiescunt*.

Jo: & Pauli. ADNOTATIO. In Fastis se tabulis Latinorum omnibus vetustissimis *sanctorum Johannis & Pauli* fratrum, ac martyrum, Romæ passorum cultus hac die celeberrimus est. Eos recolunt hac die apographa Hieronymiana, Beda genuinus, eum brevi elogio, deinde Rabanus. Fusius ex Actis Ado & Notkerus, contractius ex Adone Usuardus. Agunt etiam Gellonense, Romanum parvum, Rhinoviense, Richenoviense, Florus, Wandelbertus, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Reginæ Suecorum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. In libris Liturgicis quoque omnibus hac die hi martyres celebrantur. Codex Sacramentorum Gelasianus pag. 155. pridie hujus diei Missam habet *in vigilia martyrum Johannis & Pauli*; hac vero die aliam Missam in eorundem *natali*. Prima oratio est: *Quæsumus omnipotens Deus &c.* Secreta: *Hostias altaribus &c.* Post com. *Sumpta munera*. Alia: *Cælesti munere &c.* Eadem Missa *in natali sanctorum germanorum Johannis & Pauli* habetur in Missali Gothico n. LXII. & prima oratio est: *Quæsumus omnipotens Deus &c.* prout in Gelasiano. Cæterum eædem orationes codicis Gelasiani leguntur hac die in Sacramentariis omnibus Gregorianis, scilicet in Sacramentario Reginæ Suecorum 337., Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vat. 495. & Vat. 4770. In Sacramentariis Menardi, Angeli Rocchæ, & Vat. 4770. habetur etiam de his martyribus Præfatio pecularis. Capitularia omnia Evangeliorum veterrima tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 266. Evangelium in horum martyrum natali hac die designant. Nomina quoque eorum in sacro Missæ Canone recitantur. Vetustissima est etiam in honorem eorundem martyrum extructa in Urbe Ecclesia, ubi iidem sancti martyres sepulti sunt, quæ *Pammachii titulus* antiquitus dicta est, de qua

post

post Baronium in Notationibus hac die, plerique alii, qui de Ecclesiis Urbis scripsere, & non multis ab hinc annis Rondininus. Unum aut alterum de ea non omittam. In veterrima descriptione regionum Urbis apud Mabillonium Analect. tom. IV. pag. 495. n. 47. de alia eorundem martyrum in monte Janiculo Ecclesia sic habetur: *In Janiculo ante Ecclesiam Johannis & Pauli*. Ibidem pag. 509. de alia item Ecclesia in Cœlio monte: *Fons sancti Petri, ubi est carcer ejus, sancti Johannis & Pauli, sancti Georgii, sancti Sergii*. Habetur etiam ibidem de eisdem Epigramma, quod Damaso Papæ tribuendum esse censet Mabillonius de Liturgia Gallicana pag. 279. Adde Notitiam ab Eccardo editam, ubi in indiculo Basilicarum quæ in Urbe sunt hæc leguntur: *Basilica quæ appellatur Johannis & Pauli, ubi ipsi ambo in uno tumulo jacent*. Denique alia Notitia apud Malmesburiensem: *Duodecima intra Urbem milliaria in monte cælio sunt martyres Johannes & Paulus in sua domo, quæ facta est Ecclesia post eorum martyrium, & Crispinus, & Crispinianus, & sancta Benedicta*. Papebrochius in Commentario prævio hac die, quum vidisset, in Sacramentario Gelasiano Missam pridie hujus diei denotari *in vigilia* horum martyrum, arbitratus est, eam Missam in Gregorianis præteritam fuisse, ne jejunium ea hebdomada sæpius ageretur, at in Missali plenario Vat. 4770. ea die XXV. *Junii* Missa habetur in vigilia sanctorum martyrum *Johannis & Pauli*. Passi sunt hac die in persecutione Juliani A.D. 362. Vide Baronium ad hunc annum n. CCLI. Acta post alios afferuntur a Bollandianis hac die pag. 159. *Pammachius*, patricii ordinis vir, quo nomine titulus, seu Ecclesia SS. Johannis & Pauli insignita fuit, Paulinæ maritus, & S. Paulæ nepos erat, ut colligitur ex Hieronymi epistolis XXVI. & XXVII. L. & LII. vulgatæ editionis. Vide de eo Baronium ad an. 390. n. XXXVIII. ad an. 398. n. VII. & *seq.* & præsertim n. XVIII. ubi de eodem titulo. Obiit *Pammachius* c. A. D. 410. qua de re idem Baronius ex Hieronymo ad an. 410. n. XXXI. & *seq.* & Pagius in Critica ad eum annum n. XVII.

---

27. *Junii.* *C. V. KALENDAS JULII.*

Crescentis. APUD Galatiam, beati Crescentis, discipuli S. Pauli Apostoli: qui ad Gallias transitum faciens, verbo prædicationis multos ad fidem Christi convertit. Viennæ civitate Galliarum per aliquot annos sedit, ibique Zachariam discipulum pro se Episcopum ordinavit. Rediens vero ad gentem, cui specialiter fuerat Episcopus datus, Galatas, usque ad beatum finem vitæ suæ in opere Domini confortavit. *Tim. 4.* *Ado in Chron. ao. 101.*

Symphorosa cum filiis. Apud Tiburtinam Italiæ civitatem, natale sanctæ Symphorosæ, beati Getulii martyris uxoris, cum septem filiis, Crescente, Juliano, Nemesio, Primitivo, Justino, Stacteo, Eugenio, cum quibus simul passa est sub Adriano Principe: qui ipsam Symphorosam jussit palmis cædi, deinde suspendi crinibus. Sed cum superari nullatenus posset, jussit eam alligato saxo in fluvium præcipitari. Cujus frater Eugenius curiæ principalis Tiburtinæ, colligens corpus ejus sepelivit. Mane autem facto, Imperator jussit septem figi stipites, ibique filios ejus ad trochleas extendi, & Crescentem in gutture transfigi; Julianum in pectore; Nemesium in corde; Primitivum in umbilico; Justinum per membra distentum scindi per singulos corporis nodos atque juncturas; Stacteum lanceis innumerabilibus, donec moreretur, in terra configi; Eugenium findi a pectore usque ad inferiores partes. Altera autem die Adrianus præcepit corpora eorum

eorum simul auferri, & projici in foveam altam. Et posuerunt pontifices sacrorum nomen loci illius, ad septem Biothanatos. Natale vero SS. Martyrum est v. Kal. Julii. Quorum corpora requiescunt via Tiburtina, miliario nono.

Eodem die Corduba in Hispaniis, natalis sanctorum Zoili & aliorum decem & novem. *Zoili & soc.*

Ipso die gesta septem dormientium. *VII. Dormient.*

VARIA LECTIO: Ed. *qui ad Gallias*. Codices: *qui per Gallias*. Verba: *Viennæ*, usque, *ordinavit*, desunt in nostris codicibus. Ed. *confortavit*. Codices: *conspiravit*. Ed. *Apud Tiburtinam Italiæ civitatem*. Cod. 511. *Apud Tiburtionem urbem Italiæ*. Cod. 512. 514. *Apud Tiburtinam urbem Italiæ*. Cætera, ut in editis.

Ed. *natalis sanctorum Zoili & aliorum decem & novem*. Codices: *natalis Zoili & aliorum* XVIII. *cujus corpus cum longo tempore, ubinam sepultum fuerit, latuisset, venerabili Episcopo ejusdem loci nomine Agapio, ex divina revelatione manifestatum est*.

Guddenæ. „ Cartagini, sanctæ Guddenæ martyris, quæ in confessione Christi, quater diversis temporibus eculei extensione vexata, & ungularum horrenda laceratione cruciata, carceris etiam squallore diutissime afflicta, novissime gladio cæsa est. In Oja monasterio, sancti Florentii confessoris. *Florentii.*

Desiderantur in nostris codicibus *gesta septem dormientium*. De *Guddena* vulgatus Ado agit die XVIII. *Julii*.

Crescentis. ADNOTATIO. De *Crescente*, si vere censuit Sollerius, ante alios agit hac die auctor Romani parvi, ex Rufino lib. III. cap. III. deinde ex Romano parvo Ado, Usuardus, & Notkerus. *Crescentis* hac die meminit Richenoviense, sed *Cordubæ* una cum aliis adscribit. Confuse cum aliis de eo agit Augustanum. *Cordubæ Hispaniæ* mixtim cum aliis illum tribuit Martyrologium Reginæ Suecorum. Fuldense habet: *Apud Galatiam B. Crescentis Episcopi, discipuli Pauli Apostoli, qui & in Galliam transitum faciens, multos ad fidem Christi convertit*. Hæc ad verbum ferme ex Usuardo transcripta sunt, addito tamen *Episcopi* nomine. Vulgatus Ado de *Crescente* agit die XXIX. *Decembris*. Plura de *Crescente* hac die Baronius in Notationibus, qui & disquirit de ejus Apostolatu in Gallia, & in Germania, & an Christi fidem *Viennensibus* in Gallia, itemque *Moguntinis* in Germania prædicaverit. Ea de re adeundi quoque Bollandiani socii hac die pag. 250. itemque recentiores rerum Gallicanarum Scriptores, inter quos Tillemontius tom. I. pag. 311. & 584.

Symphorosæ. De *Symphorosa*, & *filiis* non uno eodemque die agunt vetera Hagiographa. In plerisque eorum agitur hac die XXVII. *Junii*, in aliis die XVIII. & XXI. *Julii*. Hac die XXVII. *Junii* agunt Hieronymiana, licet Florentinio in notis pag. 627. difficillimum videatur, definire, utrum *septem germani*, filii sint *S. Symphorosæ*, an *S. Felicitatis*. Agunt rursus die XVIII. *Julii*, de quo mox. Romanum parvum hac die XXVII. *Junii* habet: *Apud Tiburtinam Italiæ, Symphorosæ cum* VII. *filiis*. Usuardus hos martyres hac item die ex Adone sumens, brevi elogio ita exornat: *Apud Tiburtinam urbem Italiæ, natalis sanctæ Symphorosæ cum septem filiis, Crescente, Juliano, Nemesio, Primitivo, Justino, Stacteo, Eugenio, quorum mater sub Adriano principe, ob insuperabilem constantiam, primo palmis cæsa, deinde crinibus suspensa, novissime saxo alligata in flumen est præcipitata. Filii autem stipitibus ad trocleas extensi, diversis mortis exitu martyrium compleverunt*. Rhinoviense, & Richenoviense, hac die: *Romæ, septem germanorum*, nullo eorundem nomine designato. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, natalis septem germanorum*. Ottobonianum hac die: *Et septem germanorum*. Die vero XVIII. *Julii*, agunt iterum apographa Hieronymiana. Lucense habet: *Romæ, via Tiburtina milliario, natalis sanctæ Symphorosæ matris* VII. *germanorum, quæ cum ipsis est passa. Nomina septem germanorum sunt hæc, Petri, Marcellini, Januarii, Dionysii, Simproni, Clementis, Germani, Herenei, quorum gesta habentur*. Epternacense: *Romæ, Senphorunsæ martyris*, VII. *germanorum, Petri*,

tri, *Marcelliani*, *Januarii*, *Dionisi*, *Simproni*, *Clementis*, *Germani*, & *Hirenei*. Corbejense: *Romæ, via Tiburtina milliario nono, natalis sanctæ Simphorosæ matris septem germanorum, quorum nomina hæc sunt, Petrus, Marcellianus, Januarius, Dionysius, Simporonius, Clemens, Germanus, Hirenei, Magni*. Gellonense eadem die habet: *Roma, Simphorosi*. Ea die Richenoviense: *Romæ, Semporosi*. Eadem die Augustanum: *Romæ, Symphorosæ cum* VII. *filiis*. Ea die Labbeanum: *Romæ, Sympherosæ cum* VII. *filiis*. Curbejense brevius ea die: *Romæ, via Tiburtina, milliario nono, natalis sanctorum Symphorosæ matris septem germanorum*. Martyrologium Reginæ Suecorum ea die iterum: *Romæ, Semporosæ matris cum* VII. *germanorum, idest Petri, Marcelliani, Januarii, Dionisii, Simpronii, Clementis, Germani*. Ea item die Martyrologium S. Maximini: *Romæ, via Tiburtina, natale sanctorum Symphorosæ*. Martyrologium S. Cyriaci eadem die: *Romæ, Symphorosæ matris* VII. *germanorum*. Ottobunianum eadem die XVIII. Julii, extremo loco, & aliena manu: *sanctæ Symphorosæ cum septem filiis SS.* Kalendarium Palat. Vat. 485. eadem die XVIII. Julii: *Natalis sanctæ Symphorosæ* VII. *germanorum* (subaudi *matris*.) Barberinianum agit hac item die, ut & Notkerus, apud quem hæc sunt filiorum nomina, *Petrus, Marcellianus, Januarius, Dionysius, Sympronius, Clemens, Hireneus*. Ad diem XXI. *Julii* agit Beda genuinus his verbis: *Et apud Tiburtinam urbem Italiæ, natale sanctæ Symphorosæ cum septem filiis, Crescente, Juliano, Nemesio, Primitivo, Justino, Stacteo, Eugenio, cum quibus simul passa est sub Adriano principe &c.* usque, *& posuerunt Pontifices nomen loci illius ad septem biothanatos*. Rabanus item agit die XXI. *Julii*, & nomina filiorum apud eum sunt: *Crescens, Julianus, Justinus, Stacteus, Eugenius*. Martyrologium Reginæ Suecorum agit ad diem XXI. *Julii*, his verbis: *Et apud Tiburtinam urbem Italiæ, natalis sanctæ Symphorosæ cum* VII. *filiis, Crescente, Juliano, Nemesio, Primitivo, Justino, Stacteo, Eugenio, cum quibus simul passa est*. Eodem die iterum Ottobonianum eadem habet, & post extremum verbum *passa est*, addit: *sub Adriano principe*. Martyrologium S. Cyriaci ad diem XXI. *Julii* Bedam exscribit, eademque die Bedam summatim exhibet Barberinianum. Meminit & hac die Kalendarium Vat. 3806. Martyrologium Fuldense agit tantum die XXI. Julii, & nomina filiorum in eo sunt: *Crescens, Lucianus, Nemesius, Primitivus, Lusciaus, Stacteus, Eugenius*. Vide quantum inter se dissentiant in horum martyrum nominibus exarandis veteres Martyrographi. De variis diebus, quibus de illis agunt, non est mirandum. Multum desudat Florentinius in notis ad diem XXVII. Junii, & ad XVIII. Julii, pag. 670. in horum martyrum nominibus secernendis ab aliis martyribus Cordubensibus, & VII. filiis sanctæ Felicitatis. Henschenius vero opinatur *septem germanos*, de quibus die XXVII. Junii Martyrologia, alios esse a septem filiis S. Symphorosæ. Florentinius Acta martyrii, licet antiquissima videantur, non eam tamen antiquitatem redolere suspicatur, quam præseferunt, quia meminere translationis eorundem sub *Stephano* Papa. Vide Adnotationes Rosvveidi ad Adonem die XXVII. Junii, Ludovicum de la Cerda in sacris Animadversionibus, & Petrum Paricellum in Differtatiune Nazariana cap. XXVII. neque prætermittas Baronii Notationes ad diem XVIII. *Julii*. De horum nominibus disquirunt Bollandiani socii die XVIII. *Julii* pag. 353. nec nodum solvunt, prout non solvit Tillemontius tom. II. pag. 596. Horum martyrum acta, tanquam genuina & sincera, inter selecta relata sunt a Ruinartio pag. 18. & Gallice a Tillemontio tom. II. pag. 241. descripta. In his hæc inter cætera leguntur: *Natalis vero sanctorum martyrum Christi beatæ Symphorosæ, & septem filiorum ejus, Crescentii, Juliani, Nemesii, Justini, Stractei, & Eugenii celebratur sub die* XV. *Kalend. Augusti. Eorum corpora requiescunt via Tiburtina milliario ab urbe octavo*. Apud Adonem habetur, eorum natalem celebrari die XXVII. *Junii*. Notitia apud Eccardum: *Ibi* (idest in cœmeterio sancti Laurentii extra muros) *Hereneus, Julianus, Primitivus, Tatteus, Nemesius, Eugenius, Justinus, Crescentianus, Romanus sunt sepulti, & S. Ciriaca, S. Sympherosa, & Justina cum multis martyribus sunt sepulti*. De veteri inscriptione, ubi corpora sanctæ *Symphorosæ, Zotici*, & filiorum sunt in Ecclesiam S. Angeli in furo piscium a Stephano Papa translata, Baronius in Notationibus ad diem XVIII. *Julii*. De martyrio autem eorum idem in Annalibus ad an. 138. num. IV. & *seq.* ubi de voce *Biothanatos*. Ruinartius martyrium refert c. A. D. 120. Antiquitus via Tiburtina, milliario ab Urbe nono Ecclesia visebatur, cujus vestigia supererant in prædio Maphæjorum, eo loco, ubi vulgo *a sette fratte*, quasi dixeris *ad septem fratres*, ut conjicit Aringhius lib. IV. cap. XVII. Romæ subterraneæ. Vide ibi, quæ de reliquiis seu corporibus Symphorosæ, & filiorum in Diaconia S. Angeli in foro piscium repertis adnotantur. Utrum *Symphorosa*, & *Felicitas* synonymæ fuerint, disquisivit Baronius ad an. 175. n. V. & deinde Bollandiani socii ad diem X. *Julii* pag. 7. n. 9. & ad XV. *Julii* pag. 352. n. 10. Mirum videri debet, cur in libris Liturgicis vetustioribus horum martyrum natalis non recolatur.

Zoilus martyr *Cordubensis* in Hispania cum *Zoili*, & sociis XVIII., iisdem ferme verbis, prout in *sbc.* codicibus nostris, demptis sociis, commemoratur a genuino Usuardo, qui habet: *Cordubæ*,

be, sancti Zoili martyris, cujus corpus cum longo tempore, abinam sepultum fuerit, latuisset, venerabili Episcopo ejusdem loci, nomine Agapio, ex divina revelatione manifestatum est. Sollerius ad hunc locum adnotat, recte ab Usuardo expunctos esse socios, de quibus Ado; utrumne recte id factum sit, aliorum erit judicium. De suo etiam addidisse putat Usuardum, quod divinitus *Zoili* corpus manifestatum fuerit, & hoc idem habent codices nostri Adoniani. Henschenius in Commentario hac die pag. 252. una cum aliorum martyrum turma conjungit *Zoilum*, deinde pag. 253. seorsim de ejus cultu, inventione, & translatione agit. Ante Bollandianos selecta quædam de *Zoilo*, ejusque cultu protulit Baronius in Notationibus hac die, ubi monet haberi Acta de illius inventione apud Surium, deque illius Ecclesia in Hispaniis, ex Eulogio lib. II. cap. VI. De eo Prudentius hymn. IV. & Breviarium Toletanum. Meminit Wandelbertus his versiculis:

Hesperiam quinto antistes martyrque Zoëlus,
Martyribus cumulat junctus denisque novemque.

En igitur *Zoilus* non cum XIX. sociis. *Antistitem* perperam a Wandelberto *Zoilum* dici, adnotant Bollandiani, & cum eis Sollerius. Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *Corduba Hispaniis, natalis sanctorum Crescentis, Juliani, Nemesii, & aliorum* XVIII.

VII. *Dorm.* De *septem dormientibus* omnino silent codices nostri. Ado vero vulgatus insueta enuntiandi formula nobis uti videtur, dum hac die ita præfert: *Ipso die gesta septem dormientium*. De his etiam hac die silet Usuardus genuinus, sed aliquot tantum ejus Auctaria; idem vero Usuardus genuinus agit ad diem XXVII. *Julii*, quo prælucente, se nescire præmonet Sollerius. Variis apud Græcos & Latinos de his agitur diebus. Græci eos celebrant die IV. *Augusti*, & XXII. *Octobris*. Latini vero partim hac die XXVII. *Junii*, partim die XXVII. *Julii* eos recolunt, ac item die X. *Augusti*, ut in apographo Hieronymiano Corbejensi, in quo de septem dormientibus eadem habentur, prout apud vulgatum Adonem hac die. Rabanus & Notkerus agunt pluribus ex Actis ad diem XXVII. *Junii*. Kalendarium Vat. 3806. hac item die habet: *In Epheso, revelatio sanctorum* VII. *dormientium*. Usuardus genuinus ad diem XXVII. *Julii* ita præfert: *Apud Ephesum, natalis sanctorum Maximiani, Malchi, Martiniani, & aliorum quatuor, quorum gesta habentur*. Ita ea die apographa nostra Adoniana. Sollerius ad hunc locum iterum repetit, se ignorare, quo duce, quo prævente septem hos fratres hac die Usuardus statuerit, in tanto Martyrologiorum & antiquiorum, & synchronorum silentio. Non omnia item Usuardus horum martyrum nomina recensuit, quæ primum descripta fuisse a Rabano censet Sollerius. Cæterum de his consulendus in primis est Baronius in Notationibus ad diem XXVII. *Julii*, ubi eorum hæc sunt nomina: *Maximianus, Malchus, Martinianus, Dionysius, Joannes, Serapion, & Constantinus*. Acta in quibusdam codicibus Gregorio Turonensi tribuuntur, quæ ad fidem MSS. collata, rursus edidit Ruinartius in Appendice Operum ejusdem Gregorii pag. 1270. Exstant & Acta Græca, quæ Metaphrastæ adscribit Baronius, & censet, hunc in primis putasse, hos sanctos a Decii temporibus usque ad extrema Theodosii junioris tempora in specu abditos, somno captos, ad annos fere ducentos re vera dormitasse. Inter Latinos suffragatur Gregorius Turonensis de gloria confess. cap. XCV. Sigebertus, & alii. Est autem & quorundam sententia, quemadmodum habet Baronius, ut re vera hi martyres sub Decio passi sint, & intra speluncam clausi, reseratoque demum specu, ii veluti redivivi apparuerint, atque ita ex consueto divinarum Scripturarum loquendi more, dormientes sint appellati. Acta varia horum septem dormientium proferuntur a Bollandianis ad diem XXVII. *Julii* pag. 375. *& seq.* Vide Photium Codic. 253. Lambecium l. VIII. p. 375. & Seorsum ad Theophanem Cerameum. Sed nuper erudito commentariolo multa illustria protulit V. C. Franciscus Victorius in Dissertatione de his septem dormientibus, Romæ an. 1741. edita, ubi plura ex domestici Musei gemma, quæ sæculo VIII. vetustior videtur, in qua horum dormientium icones cum singulorum nominibus insculptæ habentur. Nomina vero ibi hæc sunt. *Constantinus, & Maximianus*. Sequuntur: *Johannes, & Malchus*. Succedunt: *Martinianus & Serapio*, ac eorum medius *Danesius*. Hæc nomina omnino conveniunt cum his, quæ in Martyrologio Romano habentur, si pro *Danesio* legas *Dionysium*. Apud Græcos vero vocantur *Maximilianus, Jamblichus, Martinus, Johannes, Dionysius, Exacustadus, & Antoninus*. Alia item sunt nomina apud Gregorium Turonensem, nimirum *Clemens, Primus, Lætus, Theodorus, Gaudens, Cyriacus, & Innocentius*. Sed nomina, quæ in gemma Victoriana expressa sunt, habentur in codice Palat. Vat. 477. & Reginæ Suec. 712. quorum testimonia a Victorio proferuntur pag. 75. *& seq.* Ibi etiam *in Cælio monte apud Ephesum* spelunca, in quam Decii persecutione, se abdiderunt, nominatur. In gemma Victoriana hi dormientes, imberbes omnes sunt. Hinc in Menologio Basilii ad diem XXIII. *Octobris* legitur: *Commemoratio manifestationis sanctorum septem puerorum Ephesi*; quem locum illustrat Victorius cap. VI. Sed ad cultum, ac martyrii tempus, & ad dormitionis formulam in veteribus monumentis quod attinet, vide eandem Dissertationem.

Ad Adonianos nostros codices nos convertamus, in quibus hac die *Guddena* Carthagi- *Guddenæ.*

nen-

nensis martyr prænotatur, sed vulgatus Ado de ea agit die XVIII. *Julii*, idcirco nos quoque ad eam diem agemus.

Florentii. Sequitur in codicibus nostris *Florentius*, cujus translatio hac die agitur in quibusdam veteribus Hagiologiis. Hieronymianum Lucense inter Auctaria: *Et in insula Oin translatio corporis S. Florentii*. Ita apographum Corbejense. Desideratur in Epternacensi. Gellonense: *Oin, Florentii*. Martyrologium Fuldense: *In Oin monasterio, sancti Florentii confessoris*. Martyrologium Ottobonianum agit die XXX. *Decembris*, his verbis: *In Oia insula, natalis sancti Florentii*. Richenoviense ad diem XXX. *Decembris* habet tantum: *Florenti confessoris*. Corbejense brevius eadem die: *Oya insula, S. Florenti*. Silet ad diem XXVII. *Junii* Usuardus genuinus, sed die XXII. *Septembris* habet: *In Pago Pictavensi, sancti Florentii presbyteri & confessoris*. Ejus Auctaria ad diem XXVII. Junii: *Hoya monasterio, sancti Florentii confessoris*, vel: *Oya insula, translatio Florentii confessoris*. Duo in tabulis Ecclesiasticis celebres in Gallia sunt *Florentii*, alter *Glonnensis*, & alter *Hoyensis*, seu *Ovensis*, & *Oiensis*. Ex his quæ tradunt Sammarthani fratres in Gallia christiana primæ editionis, ubi de Abbatiis Galliarum p. 388. *Florentius Glonnensis*, frater fuit S. *Floriani* martyris in Norico, qui post fratris martyrium in Gallias profectus, Turonas pervenit, ubi ad montem qui *Glonna*, seu *Glomma* dicitur, in extremis Aquitaniæ partibus sito, nunc in Ducatu Andegavensi juxta Ligerim, monasticam vitam egit, ibique in pace migravit ad Dominum c. A. D. 390. die XXII. *Septembris*, annum agens CXXIII. sepultusque est in Ecclesia S. Petri, quam ipse construxerat. Locus exinde ab eremitis frequentari cœpit, donec monachorum cœnobium ibi conditum fuit, *S. Florentii*, seu *Glonnense* appellatum, cujus primus Abbas *S. Maurontius* memoratur. *Maurontius* obiit an. 675. sepultusque est in basilica Salvatoris prope *S. Florentium*, ut nos edocet Mabillonius Annal. Bened. lib. XVI. §. LIV. At *Florentius*, de quo codices nostri, alius est a memorato *Florentio*, in *Glonnensi* monte eremita; & colitur in Hieronymianis, Gellonensi, Richenoviensi, Labbeano, & Corbejensi breviori die XXX. *Decembris*, & *in Oia insula* enunciatur. Florentius senior nunquam ad *Oiam* insulam translatus fuisse legitur, sed *Trenorchium*; at *Florentius* junior ad *Oiam* insulam pertinet, in qua claruit, & mortuus est, & ex ea ob Normannorum clades in agrum Pictavensem ad monasterium *S. Savini* translatus fuit, qua de re Mabillonius sæculo III. Benedictino P. II. pag. 558. *Oia*, seu *Hoya*, & apud recentiores quosdam *Ove*, insula est in finibus Pictorum contra Rupellam, ab Oceani littore quatuor tantum milliariis distans, vulgo dicenda est *Isle d'Ieu*, uti docet Valesius in Notitia pag. 390. Antiquissimum fuit in ea insula monasterium, in quod se puer S. *Amandus* c. A. D. 612. recepit, uti testatur ejusdem Amandi vita apud Mabillonium sæculo II. Benedictino pag. 712. Vide ibi Mabillonii notas.

---

28. *Junii.*

D. IV. KALENDAS JULII.

Vig. Apost. Petri, & Pauli. VIGILIA Apostolorum Petri & Pauli.

Ipso die, natalis sancti Leonis Papæ. *Leon. Pap.*

Irenæi. Apud Lugdunum Galliæ, natale S. Irenei Episcopi. Qui, B. Photino prope nonagenario ob Christi martyrium coronato, in locum ejus successit. Quem etiam constat beatissimi Polycarpi sacerdotis & martyris fuisse discipulum & Apostolicorum temporum vicinum. Postea vero persecutione Severi cum omni fere civitatis suæ populo gloriose coronatur martyrio. Sepultus est a Zacharia Presbytero in crypta basilicæ B. Joannis Baptistæ sub altari. Cui ab uno latere Epipodius, ab altero Alexander martyr est tumulatus. Hujus cryptæ tam reverenda est claritas, ut meritum Martyrum signare credatur. *Hieron. de script. Eccl. c. 45. & Eus. l. 5. cap. 3. 4. 7. & 20. 26. Ruffin.*

Plutarchi, & soc. Eodem die apud Alexandriam, sanctorum Martyrum Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Herois, item Sereni, Potamiœnæ, Marcellæ, & catechumenæ * Heræ nomine, Baptismum martyrii *Euseb. l. 6. c. 4. Ruffin.* ** al. Rhais*

tyrii consecutæ. Inter quos præcipue emicuit Potamiœna virgo: quæ primo immensos & innumeros agones pro virginitate desudans, deinde etiam pro martyrio exquisita & inaudita tormenta perpessa, ad ultimum cum venerabili matre Marcella ignis suppliciis consumpta, e terris migravit ad cælum.

VARIA LECTIO. Ed: *natalis sancti Leonis Papæ*. Codices: *Leonis Papæ, qui merito excellentis ingenii, apud Romanos magnus Leo appellatur. Apud Lugdunum Galliæ, passio sancti Herenei Episcopi, quem constat beati Policarpi Episcopi fuisse discipulum, ut scribit Hieronymus, & Apostolorum tempore* (sic) *vicinum. Postea vero &c. glorioso coronatus est martyrio*. Verba: *sepultus est*, usque, *credatur*, desunt in nostris codicibus.

Ed. *eodem die apud Alexandriam &c.* Codices: *In Alexandria sanctorum martyrum Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Herois, Potamianæ, Marcellæ cum aliis tribus, inter quos præcipua &c.* Ed. *ignis suppliciis consumpta*. Codices: *igni consumpta est*. Deinde sequitur in codice 511. tantum: *Eodem die, natalis sanctæ Beatæ virginis.* *Beatæ.*

Vig. Apost. Petri, & Pauli. ADNOTATIO. Magna sane religione, & peculiari cultu in Romana Ecclesia vel ab antiquissimis temporibus hæc vigilia peragi consuevit. *Vigiliar. Apostolor. Petri & Pauli* meminit S. Gregorius hom. XXXVII. in Evang. Gregor. Turonen. lib. X. cap. XXXI. & Hadrianus I. in epistola ad Carolum M. Inter martyrologia a Beda primum cooptatam fuisse hanc vigiliam existimat Sollerius. Bedam secuti sunt Ado, Usuardus, Notkerus, Martyrologium Reginæ Suecorum, Ottobonianum, & Kalendarium Vat. 3806. At præstantiora sunt habenda, quæ in libris Liturgicis S.R.E. de hujusmodi vigilia sunt adnotata. Ritu Gelasiano *Vigilia Apostolorum Petri & Pauli* peragebatur XXIX. *Junii*, hoc est in nocte, quæ diem XXIX. *Junii* attingit; nam in codice Gelasiano pag. 156. habetur Missa *in vigilia Apostolorum Petri & Pauli*, ad III. *Kal. Jul.* & in prima oratione legitur: *Deus, qui nobis Beatorum Petri & Pauli natalitia gloriosa praire concedis &c.* In secunda oratione ad Secreta, *jejunium* in hac vigilia Apostolorum, quorum *solemnia* præveniuntur, aperte designatur. Ritu Gregoriano Missa de hac vigilia die XXVIII. Junii celebrabatur, ut apparet ex Sacramentario Reginæ Suecor. 337. Ibi enim ad XXVIII. Junii post Missam in natali *S. Leonis Papæ* sequitur alia Missa *in vigilia sancti Petri*; deinde *ad vigilias in nocte* habetur oratio: *Deus, qui Ecclesiam tuam &c.* usque *ditemur*. Hae item die Missa *in vigilia Apostolorum Petri & Pauli* habetur apud Pamelium pag. 315. Oratio *Deus, qui Ecclesiam tuam* ponitur ad *Vesperas*. In aliis codicibus, prout ibi monet Pamelius, legitur: *Ad matutinas, seu ad vigilias in nocte*. In Sacramentar. Palat. Vat. 495. ad XXVIII. *Junii* habetur Missa *in vigilia sancti Petri*, cum orationibus, & Præfatione, prout apud Pamelium. Sacramentarium Menardi præfert: *Vigilia sancti Petri & Pauli*; deinde hæc ibi adnotantur: *Quando Apostolicus duas Missas celebrat una die, inter eas non lavat os, nisi post officium. Sed absque intervallo, finita priore, incipitur altera.* Ad hunc locum Menardus not. 424. monet, olim hac die duas Missas peragi consuevisse, alteram de *S. Leone*, alteram de vigilia Apostolorum, & Pontificem aliquando duas, aliquando unam ea die celebrasse, & natali Apostolorum bis Missarum solemnia peregisse. In eodem Sacramentario Menardi prima Missæ oratio in vigilia Apostolorum: *Deus, qui nobis Apostolorum beatorum Petri & Pauli* &c. prout in Gelasiano. Habetur etiam Præfatio propria. Sequuntur orationes ad *Vesperos*, deinde ad *Matutinos* oratio: *Deus, qui Ecclesiam tuam* &c. quam Sacramentarium Reginæ Suecorum statuit: *Ad vigilias in nocte*. Sacramentarium Reginæ Suecorum convenit in his omnino cum Sacramentario Menardi. Missale plenarium Vat. 4770. duas hac die Missas præfigit, alteram in *natali S. Leonis Papæ*, alteram in *vigilia Apostolorum Petri & Pauli*. Capitularia quoque Evangeliorum tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 266. allata, duo Evangelia seorsim hac die designant, alterum *in translatione corporis B. Leonis Pontificis*, alterum *in vigilia Apostolorum Petri & Pauli*. In unam hæ duæ Missæ conflantur in libello Missali, ac divinorum officiorum de festivitatibus Apostolorum in codice Vat. 1272. seculi XI. desinentis, ubi pag. 18. ad diem XXVIII. *Junii*, hic titulus præfigitur: *Vigilia beati Petri Apostoli. Eodem die sancti Leonis Papæ.* Antiphona ad Introitum est: *Dicit Dominus Petro.*

Petro. Oratio: *Præsta, nos, omnipotens Deus* &c. Deinde sequitur alia: *Deus, qui beatum Leonem* &c. Epistola: *In diebus illis Petrus* &c. Evangelium: *Dixit Jesus Simoni Petro*. Secreta: *Munus* &c. Alia: *Annue* &c. Præfatio: *Vere* &c. *apud quem* &c. Oratio ad commun. *Quos* &c. deinde. *Deus, qui animæ* &c. Sequitur: *Ad Vesperas*. *Deus, qui Ecclesiam tuam*. Hic igitur una eademque Missa est de vigilia, & S. Leone. More vetusto de vigilia Apostolorum in Romana Ecclesia officium duplici vigilia persolvebatur, qua de re Amalarius de ordine Antiphonarii cap. XXIX. *Ex Romano Antiphonario*, inquit, *posui duas vigilias in nostro Antiphonario. Primam solet Apostolicus facere in initio noctis, quæ fit sine Invitatorio, quoniam ea hora non invitatur populus ad vigilias. Populus enim invitatur ad vigilias ea hora noctis, de qua dicebat David propheta: Praveni in maturitate & clamavi*. Vox *in maturitate* ab Amalario pro *media nocte* accipitur. In vetustis Romanis Ordinibus, ut in Ordine Romano XI. n. 67. *vigiliæ*, ubi de festivitate S. Petri, a Matutino distinguuntur. In his vigiliis Psalmi, & lectiones ponuntur; deinde subsequitur *Matutinum* cum Invitatorio, Psalmis, & lectionibus. At de his jam satis.

Leonis Papæ. S. *Leo* Pontifex, de quo nimis jejune vulgatus Ado, non est *Leo* hujus nominis II., ut putavit Rosvveidus, qui ad oram suæ Adonianæ editionis, hunc esse *Leonem* II. adnotavit, sed *Leo* Pontifex hujus nominis I. cognomento *Magnus*, prout ex nostris Adonianis codicibus patet, in quibus ad vulgatum Adonis textum additur; *qui merito excellentis ingenii, apud Romanos Magnus Leo appellatur*. Usuardus quoque genuinus hac die habet: *Et natalis beati Leonis Pontificis, atque Doctoris*. Ex hac *Doctoris* voce, de *Leone Magno* verba facere Usuardum, conjicit Sollerius ad hunc locum, idcirco perperam a Rosvveido ad Adonis oram, Leonem II. designari. Vide quæ ad diem XI. *Aprilis* diximus, ubi etiam quandonam de *S. Leone* II. agi hac die XXVIII. *Junii* cœperit, indigitavimus.

Irenæi. *Irenæus*, illustris Lugdunensis Ecclesiæ Antistes ac martyr, indicatur a Hieronymianis. Silent de eo Beda, & Romanum parvum. Elogium *Irenæi* in suo Martyrologio exhibet Florus, eleganter & breviter etiam Usuardus. Insuper agit Richenoviense his verbis: *Lugduni Galliæ, Herenei Episcopi cum aliis sex*. Meminere Augustanum, & Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Lugduni Galliis, natalis sancti Erenei Episcopi*. Martyrologium Fuldense: *Lugduno, natalis sancti Hirenei Episcopi, qui persecutione Severi post multa tormenta, inter quæ ab angelo meruit confortari, gloriosum martyrii accepit coronam*. Ottobonianum. *Lugduno Galliæ, natalis sancti Herenei Episcopi, & martyris, cum aliis VI*. De *Irenæo* Bollandiani socii hac die pag. 335. & *seq.* Consule etiam de illius Actis & martyrio Ruinartium pag. 59. & 708. ac Tillemontium tomo II. & tom. III. passim. Passus est Irenæus A.D. 202. Mitto recentiores alios, qui de illius rebus gestis, & operibus scripsere.

Plutarchi & soc. Alexandrini martyres, de quibus hac die Ado noster, his verbis a Romano parvo memorantur: *Alexandriæ, Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Heronis, Potamienæ, Marcellæ, & aliorum*. Usuardus genuinus habet: *Alexandriæ, sanctorum martyrum Plutarchi, Sereni, Heraclidis, Heronis, Potamienæ, Marcellæ cum aliis tribus, inter quos præcipue eminuit Potamiena virgo, quæ primo immensos & innumeros agones pro virginitate desudans, deinde etiam pro martyrio, exquisita & inaudita tormenta perpessa, ad ultimum igni consumpta est*. In vulgato Adone confusa sunt horum martyrum nomina, sed clare distincta in codicibus nostris, a quibus potius, non ab auctore Romani parvi, ut putat Sollerius, sumpsit nomina Usuardus. Confusa sunt etiam eorum nomina in Richenoviensi, Augustano, & Labbeano. Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *In Alexandria, natalis sancti Theodori cum aliis* XXVII. Acta ex Eusebio Rufini proferuntur a Bollandianis hac die pag. 355. Vide Ruinartium pag. 96. & 102. Passi sunt hi martyres c. A.D. 210.

Beatæ. *Beata*, de qua unus ex codicibus nostris hac die, colitur ab Usuardo genuino postridie hujus diei: *In territorio Senonico*, inquit, *Beatæ, virginis*. Sollerius ad hunc locum monet, a Bollandianis die XXIX. *Junii* pag. 492. *Beatam*, epitheton potius *Benedictæ* virginis, quam nomen alterius virginis censeri; sed dubium omne sustulit codex noster, qui de sancta *Beata* apertissime. deinde alio die de S. *Benedicta* agit. Vixisse *Beatam* c. A. D. 294. monet Castellanus in Martyrologio universali. Præter Adonianum codicem, & Usuardum, alia Hagiographa vetera de ea silent. Martyrologium Romanum die XXIX. *Junii*, loco *Beatæ*, habet *Benedictæ*.

29. *Junii.* **E. III. KALENDAS JULIAS.**

Vide lib. de fest. Apost.

ROMÆ, natalis sanctorum Petri & Pauli. *Petri & Pauli Apostolor.*

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ natalis* &c. Codices: *Romæ, Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli*. Deinde ea sequuntur, quæ habet vulgatus Ado in libello de festivitatibus Apostolorum hac die:

Petri & Pauli Apostolor. ADNOTATIO. Beatorum Apostolorum celebritas, & Romæ, & ubique gentium in Ecclesia catholica ab ipso eorum martyrio cultu solemni peracta fuit, ut ex veterum monumentis patet. Ex instituto nostro Hagiologia, & Kalendaria primum profeximus. Kalendarium Bucherianum hac die habet: *Petri in catacumbas, & Pauli Ostiense, Tusco & Basso conf.* Hieronymianum Lucense: *Romæ, natalis Petri & Pauli Apostolorum. Petri in Vaticano, Pauli via Hostiensi.* Eadem fere Rabanus, qui *uno eodemque die sub Nerone* passos esse scribit. Beda genuinus: *Romæ, natalis Apostolorum Petri & Pauli.* Usuardus genuinus; *Romæ, natalis beatorum Apostolorum Petri & Pauli, qui passi sunt sub Nerone Cæsare, Basso & Tusco consulibus. Quorum prior in eadem urbe juxta viam triumphalem totius orbis veneratione celebratur, sequens quoque in via Ostiensi sepultus, pari habetur honore.* Iisdem ferme verbis utitur ad extremum Notkerus, in cæteris Adonem sequitur, ut in libello de festivitatibus Apostolorum. Agunt præterea Gellonense, Romanum parvum, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense breviua, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, & alia. In Liturgicis quoque libris omnibus non modo Romano, sed Gallicano, Gothico, & Mozarabum ritu beatissimi Apostoli *Petrus & Paulus* cultu maximo celebrantur. In Gelasiano hoc die pag. 157. 158. duæ Missæ statuuntur, præter eam, quæ in nocte celebratur, altera nimirum inscribitur: *in natali sancti Petri proprie*, ubi prima oratio est: *Deus qui beato Petro Apostolo tuo collatis clavibus* &c. altera: *in natali Apostolorum Petri & Pauli*, in quo primo oratio: *Deus, qui hunc diem beatorum Apostolorum Petri & Pauli*, &c. Sequitur eo die alia: *in natali sancti Pauli proprie*. Thomasius in Præfatione ad codicem Gelasianum nos docet, huc facere Prudentium in hymno Apostolorum, dum habet:

Ibimus alterius qua fert via pontis Hadriani:
Lævam deinde fluminis petemus.
Transtiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos:
Mox huc recurrit, duplicatque vota.

Monet igitur Thomasius prisco mori respondere codicem Gelasianum, cum duas Missas separatim uno eodemque Apostolorum die præscribit, præter tertiam de utroque Apostolo communem in aliis Ecclesiis Urbis recitandam. Missale Gothicum pag. 363. Missam in natali *sanctorum Petri & Pauli*, item Sacramentarium Gallicanum pag. 343. habent. In Lectionario Luxoviensi pag. 159. Epistola præfigitur hac die *in festo sanctorum Petri & Pauli*, item in Lectionario ad usum Ecclesiæ Mediolanensis, de quo tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 230. In Gregorianis vero Sacramentariis omnibus una tantum Missa *in natali S. Petri* exstat, ut in codice Reginæ Suecorum 337., in Pameliano, & Palat. Vat. 495. Prima oratio in his est: *Deus, qui hodiernam diem*, ut in Gelasiano, in natali de utroque Apostolo. In Sacramentario Menardi Missa hac die inscribitur: *Natalis ejusdem Petri & Pauli*. Prima oratio est: *Deus, qui hodiernam diem* &c. Convenit Sacramentarium Angeli Rocchæ, paucis demptis, seu immutatis, ut in titulo; nam habet: *Natalis sanctorum Petri & Pauli*. Libellus item de festivitatibus Apostolorum in codice Vat. 1872. pag. 75. in titulo hac die præfert: *Natalis Apostolorum Petri & Pauli*. Antiphona ad Introitum: *Mihi autem*. Oratio: *Deus, qui hodiernam diem*. Epistola: *Misit Herodes*. Evangelium: *Venit Jesus*. Secreta: *Oblationes*. Præfatio de Apostolis. Ad complendum: *Quos cælesti*. Missale plenarium Vat. 4770. in titulo hujus diei præfert: *S. Petri Apostoli* tantum. Introitus: *Nunc scio*. De *S. Paulo*, die crastino. Ita habet Sacramentar. Vat. 4772. Capitularia Evangeliorum, tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 566. die XXIX. Junii Evangelium *in natali Apostolorum Petri & Pauli* designant; mitto Missalem, & Breviarium Mozarabum, Antiphonarium Gregorianum, & librum Comitis. Quod autem ad hujus diei celebritatem, ac splendidissimum cultum ubique gentium attinet, deque innumera finitimorum, & alienigenarum multitudine Romam certatim una etiam cum Episcopis ad bonum Apostolorum natalem diem celebrandum confluente, plura protulit Baronius in Notatio-

tionibus hac die. Unum tantum Leonis M. testimonium afferam in Sermone de natali eorundem Apostolorum de perocelebri toto terrarum orbe hac die solemnitate, dum habet: *Veruntamen hodierna festivitas, præter illam reverentiam, quam toto terrarum orbe promeruit, speciali & propria nostræ urbis exultatione veneranda est: ut ubi præcipuorum Apostolorum glorificatus est exitus, ibi in die martyrii eorum sit lætitiæ principatus.* Vetustissimus etiam mos fuit, imagines *Petri & Pauli* Apostolorum, religionis ergo effingere, easque in Ecclesiis affigere, inscriptis nominibus cujusque Apostoli, ac domi item asservari, ut elicitur ex Eusebio lib. VII. cap. XIV. ex Augustino de consensu Evangelistarum lib. I. cap. X. & ex Gregorio Turonensi in lib. de vitis Patrum cap. XII. ubi *iconicas Apostolorum* memorat. Quo loco, quo mortis genere, & quando martyrium fecerint beatissimi Apostoli *Petrus*, & *Paulus*, pluribus egit Baronius ad an. 69. n. I. *& seq.* existimatque, ambos una eademque die peremptos, Neronis jussu, *Capitone & Rufo* Coss. quod est juxta illius supputationem anno Christi 69. sed justiori calculo an. 67. quo anno *Capito & Rufus* consulatum gessere. At ad annum quod pertinet, Baronio adversatur Pagius in Critica ad an. 67. n. II. *& seqq.* qui censet, martyrium Apostolorum contigisse, *Nerone* Romæ præsente, ac *Nerva*, *& Vestino Coss.* qui consules fuerunt A. D. 65. Vide Tillemontium tom. I. pag. 108. *& seq.*

Quid est autem quod in Indiculo Bucheriano ad hanc diem in natali Apostolorum Petri & Pauli adnotatur: *Tusco & Basso Coss.* qui consules ab Adone, & Usuardo item repetuntur, quum a Neronis temporibus tam longe absint? Hæc ad translationem *Petri & Pauli* pertinere arbitrantur recentiores. Utrum antiquitus corpora Apostolorum e loco martyrii translata ad *catacumbas*, seu ad cœmeterium Callisti fuerint non uno Annalium loco disceptavit Baronius. Et quidem ad an. 221. n. III. in Panvinium succenset, quod in Zephirini Papæ vita addiderit, ab Elagabalo, ad agitandas elephantorum quadrigas, aliquot in Vaticano sepulchra diruta fuisse, inter quæ sacrum Apostoli Petri monumentum, cujus corpus una cum corpore Pauli translatum fuerit ad catacumbas, ibique manserit usque ad Cornelii Papæ tempora, qui utrumque sustulit, & Petri quidem in Vaticano, & Pauli via Ostiensi collocarit; his confutatis, censet ex auctoritate S. Gregorii lib. III. epist. XXX. vulgatæ editionis ad Constantinam scripta, paullo post martyrium eorundem Apostolorum, illorum corpora a Græcis furtim sublata, & ad catacumbas usque perlata, qui prodigiis territi, ab incœptis destiterunt: & fideles, re comperta, in pristina loca Apostolorum corpora retulere: ac Zephirini temporibus Petri corpus in Vaticano, & Pauli via Ostiensi exstitisse, digito veluti demonstrare Caii testimonium apud Eusebium lib. II. cap. XXIV. Pluribus inde ad translationem, quæ a Cornelio Papa facta esse dicitur, refellendam allatis, ita rem concludit: *His a nobis, tam certis rationibus, tam antiquiorum testimoniis stabilitis, aliquem refragari minime prohibemus: sed volumus esse liberum in re ambigua, ut lubet, unumquemque ex animi sui sententia opinari: at veri amantem perspicacis ingenii lectorem his nostris fauturum, minime dubitamus.* At ei refragati sunt Jo. Pearsonius in Annalibus Cyprianicis ad an. 258. n. 2. Bollandiani socii Aprilis tom. I. pag. XXVII. & die XXIX. Junii pag. 398. *& seq.* & in Analectis ad eam diem pag. 429. Pagius in Critica ad an. 67. num. IV. & ad an. 258. n. III. & IV. Tillemontius tom. I. pag. 107. *& seq.* ut alios omittamus, qui a *Sixto* Papa, non a Cornelio, ut ejus Isidoriana præfert Epistola, quam refellit Baronius, hujusmodi translationem factam fuisse putant. *In sanctorum Apostolorum catacumbas* epigramma scripsit S. Damasus, quod ex antiquarum Inscriptionum Smetiana collectione retulit Baronius ad an. 384. n. XXIII. & exstat inter ejus Carmina n. XXX. & in loco ad catacumbas, ubi quondam jacuerunt corpora Apostolorum, fuit insculptum. Multo ante Damasi & Prudentii ætatem, Petri Apostoli corpus in Vaticana, & Pauli in Basilica via Ostiensi colebatur. Prudentius apertissime in hymno Apostolorum.

Dividit ossa duum Tibris sacer ex utraque ripa,
Inter sacrata dum fluit sepulcra.

Vide interim quæ disputat Papebrochius ad diem XXIX. *Junii* pag. 471. §. XIX.

Acta Petri & Pauli, quæ Lini Papæ nomine circumferuntur, inter apocrypha amandat censura Gelasii, atque inter spuria, & interpolata rejiciunt Baronius, & alii. Ea pridem edita Latine apud Lipomanum, & Surium, & in Bibliotheca Patrum tom. II. pag. 67. *& seq.* editionis Lugdunensis, una cum Actis Græcis recusa habes apud Bollandianos hac die pag. 411. *& seq.* Aliquid ex hujusmodi interpolatis Actis præmittitur in Lectionario Luxoviensi pag. 159. in natali Apostolorum, vide ibi Mabillonii notas. Narrationem de Petro Apostolo initio mutilam memorat Lambecius lib. VIII. pag. 351. de ea Tillemontius tom. I. pag. 189. *& seq.* Acta B. Petri, Lini nomine inscripta, in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 8. incipiunt: *Licet plurimum* usque, *ex omni parte confirmata est.* Acta *Pauli*, ibidem pag. 19. incipiunt: *Post quidam* usque *præcipimus.*

Ad præstantissimum Baronium revertimur, qui ad Romanorum avitam religionem erga hos Apostolos quod attinet, testatur ævo etiam suo, in natali & per octavas eorundem Apostolorum, non solum eorum basilicas, sed & memorias, idest sacra loca, ubi *Petrus* &

Pau-

Paulus passi fuerant, a cœtu fidelium ardenti pietatis studio frequentari consuevisse. Ne vero hæc pietas in Romana urbe unquam tepesceret, BENEDICTUS XIV. PONT. MAX. pro sua erga eosdem Apostolos flagrantissima pietate, Apostolicis litteris A.D. 1743. *Kalendis Aprilis* editis decrevit, ut in pervigiliis ac in natali Apostolorum Petri & Pauli, Vesperis, ac solemniis sacrorum, more majorum in *basilica Vaticana* peractis, secunda post eorum natalem die Missarum solemnis, adstantibus Episcopis, qui Pontificio solio præsto sunt, in basilica S. *Pauli*, *via Ostiensi* agerentur. Tertia die in *Ecclesia S. Pudentianæ*, Protonotariis Apostolicis e numero assidentibus, eadem solemnia fierent. Quarta die eodem ritu in Diaconia *S. Mariæ in via lata*, intervenientibus Duodecemviris litibus judicandis, quos Auditores sacri Palatii Apostolici vocant. Quinta die sacrum solemniter fieret in *titulo Eudoxiæ*, idest in *Ecclesia S. Petri ad vincula*, eo convenientibus Apostolicæ Cameræ Clericis. Sexta die in *Ecclesia S. Petri in carcere*, ad Missarum solemne sacrificium, Referendariis Votantibus Signaturæ Justitiæ confluentibus. Septima die in Ecclesia *S. Petri in monte aureo*, sacris adstare Abbreviatores de Parco majori jussit. Octava vero die in *basilica Lateranensi*, sacrosanctum S.R.E. Cardinalium Senatum sacris Missarum mysteriis interesse mandavit, ac in Vesperis illius diei ad eandem basilicam Senatum Romanum accedere ad gratias immortali Deo agendas pro tot ab eisdem Apostolis collatis Romanorum civitati beneficiis, ac ob præstita patrocinia decrevit. Per eosdem vero infra octavam dies, supplicationes fieri per varias Romanæ urbis sodalitates voluit, & ab eis vicissim pomeridianis horis ad eam Ecclesiam, ubi eo mane solemne sacrum factum fuisset, religiose procedi, ac sodalibus Indulgentiarum præmia largitus est. Postremo decretum eodem an. 1743. die XVI. *Octobr.* edidit, quo *Petrum* Apostolorum Principem, & *Paulum* sacræ urbis præcipuos patronos declaravit, ac ita inscribi & imprimi in Kalendariis, & in libris divinorum officiorum ad usum Ecclesiarum Urbis præcepit, ut antiquum ipsius Urbis morem, de quo S. Leo M. S. Maximus Taurinensis, ac S. Venantius Fortunatus, renovaret.

F. PRIDIE KALENDAS JULII. *30. Junii.*

Vid libell. de fest. Ap. NATALIS & celebratio iterum sancti Pauli Apostoli. *Pauli Ap.*
Item natalis beatissimæ Lucinæ, discipulæ Apostolorum. *Lucinæ.*
Item Lemovico civitate, S. Martialis Episcopi & confessoris. *Martialis*

VARIA LECTIO. Ed. *Natalis & celebratio &c.* Codices hic habent, quæ vulgatus Ado in libello de festivitatibus Apostolorum. Ed. *Item natalis beatissimæ Lucinæ.* Codices: *Eodem die, natalis beatissimæ Lucinæ, quæ ab Apostolis baptizata & instructa est, quæ de facultatibus suis, necessitatibus sanctorum communicans, vincula & carceres eorum semper sublevare studuit, atque eorum sepulturis venerabiliter inservire. Quorum meritis & ipsa sociata, pretiosissimam mortem in confessione Christi adepta est, atria Jerusalem intrare; vota sua Domino persolvenda meruit; ac Romæ in cripta laudabili, quam ipsa ad condendum martyrum corpora construxerat, honorabiliter sepulta. Lemovigas* (*sic*) *sancti Marcialis Episcopi & confessoris, qui Romæ a beatis Apostolis ordinatus, primus illius urbi destinatur Episcopus, ubi multis clarus virtutibus, quievit in pace: cujus sepulcrum multis honoratur miraculis. Ipso die, sanctorum Corsici presbyteri, & Leonis diaconi.* *Corsici, & Leonis.* *Hostiani* *In territorio Vivariensi, sancti Hostiani presbyteri & confessoris, cujus gesta habentur.*

Pauli Ap. ADNOTATIO. De *Paulo* Apostolo seorsim iterum agunt hac die pleraque Hagiologia, & libri Liturgici. Desideratur quidem hæc celebritas in Hieronymianis, vacat & Beda genuinus hac die; sed ejus apographum in codice Palat. Vat. 834. habet hac die: *Natalis sancti Pauli Apostoli.* Usuardus Pratensis: *Commemoratio sancti Pauli Apostoli, quem cum beato Petro, cruce appenso, cælum, gladio necatum excepit, una, non tamen eadem die, sed evoluta anni tempore, ut vir disertus Arator scribit.* Usuardus Sollerii vero ita legit. *Commemoratio sancti Pauli Apostoli, quem cum beato Petro cruce appenso, cælum*

lum gladio necatum excepit. Verba, quæ in codice Pratensi sequuntur, putat Sollerius, ab antiquioribus Usuardi codicibus expuncta fuisse, & ab aliquo sciolo *Aratoris* testimonium additum fuisse. Ea tamen verba Usuardina esse, & in autographo pure, & primæva manu conscripta, contendit Bovvillartius. Notkerus: *Romæ, imo per totum orbem, festivitas sancti Pauli Apostoli*. Agnat præteres Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Pleraque alia Martyrologia silent. Si Micrologo cap. xv. & xLII. credimus, S. Gregorius M. *S. Paulo* celebritatem seorsim hac die peragi instituit. Certe quidem in Sacramentariis Gregorianis vetustioribus hac die xxx. *Junii* Missa habetur in *natali sancti Pauli*, ut in codice Reginæ Suecorum 337. in Sacramentariis Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palatin. Vat. 495. Vat. 1272. 4770. 4772. & aliis. Capitularia Evangeliorum, tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 267. die xxx. *Junii* præferent: *Ad sanctum Paulum*. Capitulare vero Marteoii habet: *Natalis sancti Pauli*. Capitulare Vatic. 5465. die xxix. *Junii* post natalem sancti Petri habet: *Eodem die vigilia sancti Pauli*; deinde sequitur: *Pridie Kal. Jul. natalis sancti Pauli*. Cur in hanc diem Pauli celebritas a Romanis Pontificibus translata fuerit, non alia de caussa id factum putat Baronius in Notationibus, nisi quia una eademque die sine magno intolerabilique labore in utraque basilica sacrorum solemnia de iisdem Apostolis peragi non poterant. De veterrima, ac celebri toto terrarum orbe basilica S. Pauli via Ostiensi, ubi idem Apostolus quiescit, ineptum esset agere. Ne videar illotis manibus abire, illud moneho, ita de ea haberi in Notitia ab Eccardo edita, ubi hæc legimus: *In parte australi civitatis, juxta viam Ostiensem, Paulus Apostolus corpore pausat, & Timotheus Episcopus, & martyr, de quo meminit liber Silvestri*. Mox: *Inde haud procul in meridiem monasterium est Aquæ Salviæ, ubi caput S. Anastasii est, & locus ubi decollatus est Paulus*. Uberiora qui cupiunt, adeant Bollandianos socios die xxix. Junii pag. 398. & seq. & in Appendice Junii p. 271. Vide quæ diximus ad diem xxv. Januarii.

Lucinæ. *Lucinæ* natalis colitur hac die post Adonem ab Usuardo, his verbis: *Romæ, natalis beatissimæ Lucinæ, discipulæ Apostolorum*. Adoni præluxisse Romanum parvum, existimat Sollerius. Romanum parvum habet: *Natalis Lucinæ, discipulæ Apostolorum*. Adonianum elogium, ut est in nostris codicibus, & in libello Adonis de festivitatibus Apostolorum, trascriptum fuit a Notkero. Ex Adoniano elogio de Lucina agit Baronius ad an. 69. n. xiv. De *Lucinæ* gestis, & an martyr fuerit, deque alia *Lucina* vide Papebrochium hac die pag. 533.

Martialis. *Martialis* Antistes *Lemovicensis* celebratur hac die a Hieronymianis, idest ab apographo Lucensi inter auctaris, & ab apographo Corbejensi. Agnat insuper Gellonense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Hagiologium Francogallicum, Wandalbertus, & Kalendarium Vat. 3806. Rabanus, & Notkerus apographa Hieronymiana imitantur. Usuardus vero ita habet: *Lemovicas civitate, sancti Martialis Episcopi cum duobus presbyteris Alpiniano, & Stratocliniano, quorum vita miraculorum signis admodum effulsit*. Varias lectiones ad hunc locum vide apud Sollerium in Usuardum. Eadem verba habentur in Hagiologio Francogallico, in quo *Stratodiniano* pro *Stratocliniano* legitur. In his Martyrologiis de *Martialis* Apostolatu nihil; de quo disquirit Papebrochius hac die, ubi pag. 535. & seq., eum non fuisse Apostolorum discipulum, contendit. Vide ibidem pag. 538. Dissertationem Jo: Cnrdesii de tempore missi in Aquitania *S. Martialis*, & pag. 544. Epistolam Petri de Marca de tempore prædicatæ primum in Galliis fidei, cum ipsius Papebrochii animadversionibus. Vide item Henschenium ad diem xxii. *Martii*, ubi de *S. Paulo Narbonensi*; ibi enim pag. 371. varia profert Martyrologia, nec aliquid voluit definire.

Corsici, & Leonis. *Corsici*, & *Leonis* natalis hac die memoratur a Hieronymianis, in quibus mixtim cum aliis occurrit *Leo subdiaconus*, non *diaconus*. In Usuardo Pratensi, & aliis apographis Usuardinis legitur: *In Italia, sancti Corsici presbyteri, & Leonis subdiaconi*. Usuardus Sollerii ita legit: *Ipso die, sancti Corsici presbyteri, & Leonis subdiaconi*. Augustanum, & Labbeanum habent: *Romæ, Timothei, Leonis, Pauli, Lemovicas, Ursici* (Labbeanum *Carsici*) *Martialis*. Sananda sunt, & *Corsicum*, ante Lemovicensem urbem transferendum. Corbejense brevius habet: *Romæ, natalis sanctorum Timothei, Zotici*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Africa, natalis sanctorum Timothei, Zotici, Itali, Gelati*. Ottobonianum: *In Africa natalis Zotici, Itali, Gelati, Gittea, Italiæ, Corsici presbyteri, & Leonis diaconi*. Ex imperitis librariorum nata est, ut vides, tanta corruptio. *Italiæ* nomen, non ad Italiam provinciam, sed ad virginem & martyrem referendum potius est, ac tota horum martyrum caterva *Africæ* adscribenda videtur. Consule Bollandianos hac die pag. 573.

Hostiani. *Hostianus*, seu *Ostianus* iisdem verbis, prout codices nostri præferunt, colitur hac die ab Usuardo genuino, demptis tantum: *cujus gesta habentur*, quæ leguntur in codice Usuardi Leodiensi, & in prima Bollandi editione. Vide de eo Bollandianos hac die pag. 578. incertum quo tempore vixerit. De Vivariensi orbe Gregorius Turonensis lib. x. cap. xxIII. Vide Valesium in Notitia pag. 245.

LITANIÆ


MARTYROLOGIUM
ADONIS
ARCHIEPISCOPI VIENNENSIS

AB HERIBERTO ROSWEIDO
SOCIETATIS JESU THEOLOGO
JAM PRIDEM AD MSS. EXEMPLARIA RECENSITUM,
Nunc ope Codicum BIBLIOTHECÆ VATICANÆ recognitum
& Adnotationibus illustratum

OPERA ET STUDIO
DOMINICI GEORGII
SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI
BENEDICTI XIV. P. M.
AB INTIMO SACELLO.

Accessere MARTYROLOGIA & KALENDARIA aliquot ex Vaticana & aliis Bibliothecis eruta, nunc primum in lucem edita.

PARS SECUNDA.



ROMÆ, MDCCXLV.

EX TYPOGRAPHIA PALLADIS
EXCUDEBANT NICOLAUS, ET MARCUS PALEARINI.
SUPERIORUM FACULTATE.

LITANIÆ INDICENDÆ.

MENSIS JULIUS.

Habet dies xxxi. Luna vero xxx.

G. KALENDIS JULII. *I. Julii.*



N Monte Hor, depositio Aaron sacerdotis primi. *Aaron.*

Eodem die, S. Monegundis virginis. *Monegundis.*

Et in territorio Lugdunensi, loco qui Vallis Vebronna nuncupatur, depositio viri Dei, beatissimi Domitiani Abbatis, qui primus illic eremiticam vitam exercuit, & plurimos sibi in Dei servitio aggregans, monasterium instituit, magnisque virtutibus & gloriosis miraculis valde clarus, collectus est ad Patres in senectute bona. *Domitiani Ab.*

Ado in Chron. an. 101. Viennæ, beati Martini, tertii ejusdem urbis Episcopi, ab Apostolis ad præfatam urbem missi. *Martini.*

VARIA LECTIO. Ed. *Eodem die, S. Monegundis virginis.* Cod. 511. 512. & 514. „ Turonis, natalis sanctæ Monegundis virginis, quæ vitæ sanctitate præ-
„ fulgens, etiam miraculis claruit. Et in territorio Lugdunensi &c.

Post verbum *In senectute bona*: sequitur in eisdem codicibus:

„ Eodem die, natalis sancti Carilepphi presbyteri, qui in loco qui Annisula nomina- *Carilefi.*
„ tur heremiticam vitam gerens, plurimorum postea extitit pater monachorum: ubi
„ etiam clarus miraculis, in pace quievit. Civitate Engolisma, depositio sancti Eparchii *Eparchii.*
„ Episcopi & confessoris, cujus & vita, & mors pretiosis miraculis commendatur. In
„ territorio Remensis civitatis, depositio sancti Teoderici presbyteri & confessoris, reli- *Teoderici.*
„ giosi & magnæ sanctitatis viri. Et in territorio Cameracensis urbis, portu qui Valentia-
„ nus dicitur, natalis sancti Salvii martyris, qui capitali sententia multatus, coronam *Salvii.*
„ meruit sempiternam.

Deest in codicibus natalis *S. Martini*, Episcopi Viennensis.

Aaron. ADNOTATIO. *Aaronis* in Ecclesia Latina cultus a vetustis usque temporibus, ut monet Sollerius, provenit; nam meminere de eo hac die quædam Hieronymiana apographa, Romanum parvum, Ado, Usuardus, Wandelbertus, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. Quæ ad *Aaron* pertinent ex divinis Scripturarum libris petenda sunt. Sed inter recentiores consule Bollandianos hac die pag. 7. *& seq.* & Calmetum in Dictionario Biblico.

Monegundis. De *Monegunde* virgine, Deo sacrata, plerique ex Martyrolographis agunt postridie hujus diei, nonnulla hac die. Postridie agunt apographa Hieronymiana, & Usuardus, varia tamen enunciationis formula. Usuardus Pratensis habet: *Turonis, depositio sanctæ Monegundis, Deo sacratæ.* Usuardus vero Sollerii habet *religiosæ*, pro *sacratæ*. In Martyrologio Romano legitur: *religiosæ feminæ*. Agunt præterea die II. *Julii* Rabanus, Florus, Augustanum, & Labbeanum, in quo: *Turonis, Monegundæ ancillæ Dei*. Hagiologium Francogallicum: *Turonis depositio sanctæ Monegundis religiosæ*. Barberinianum Martyrologium: *Turonis, depositio sanctæ Monegundæ virginis*. Agunt denique die II. *Julii* Martyrolo-

rologium Ottobonianum, & Kalendarium Vat. 3836. Die vero *prima* hujus post Adonem *Monegundem* recolit Notkerus his verbis: *Turanis, Monegundæ sanctissimæ feminæ, apud beatum Martinum inclusæ, sed miraculorum ostensione celeberrimæ*. Hæc elogio Flori de *Monegunde* accedunt. Ejus gesta ac prodigia brevibus complectitur Gregorius Turonensis de vitis Patrum cap. XIX. & de glor. confess. cap. XXIV. Fuit Carnotinæ urbis indigena. Matrimonio juncta est, deinde arctissime se recludens, asperrimum vitæ genus duxit, ac obiit c. A. D. 570. Vide de ea Bollandianos hac die pag. 309. *& seq.* Mabillonium sec. I. Bened. pag. 202. *& seq.*

Domitiani. *Domitianus* Abbas *Bebronnensis*, diœcesis Lugdunensis, ab Adone, Usuardo, & Notkero hac die memoratur. Ex illius vita, a Guisebenonc vulgata, discimus, *Domitianum* Romæ ortum, Philippo & Marcianilla nobilibus parentibus, in Licinense monasterium se recepisse, deinde ad torrentem *Bebronnam*, non longe a Jurensibus montibus secessisse, & sacris ibi ædiculis extructis, Bebronnensis monasterii fundamenta jecisse. Denique ibi pie sancteque obiit Kal. *Julii*. Incertum est quo anno obiecit. Floruit, *Eucheria* Episcopo Lugdunensi. Hæc raptim ex illius vita Mabillonius Annal. Bened. lib. VIII. §. XXVIII. ad an. 590. Vide Bollandianos hac die pag. 46. *& seq.*

Martini. *Martinus* Episcopus *Viennensis*, a vulgato Adone memoratus, a codicibus nostris omittitur, & præteritur etiam ab Usuardo genuino, Adonis, fido ut plurimum pedissequo, ex quo conjicimus, a sincero Adone esse prætermissum. Vide Bollandianos hac die pag. 14.

Carilefi. Codices nostri hac die recolunt *Carelefum*, seu *Carilefum*, de quo vulgatus Ado die VIII. *Junii*. Agunt vero hac die I. *Julii* apographum Hieronymianum Corbejense, Rabanus, Usuardus genuinus, Gellonense, Wandelbertus, Notkerus (qui *Arclefum* eum appellat) Martyrologium Fuldense, Barberinianum, & Kalendarium Vat. 3836. *Carilefus*, seu *Karilefus*, vulgo *S. Calais*, Arvernus presbyter & monachus, *Maximini* Miciacensis Abbatis discipulus, ab Avito Perticensi cum Daumero & Gallo secedens, in pagum Cenomanensem pervenit, atque in loco *Casa-Gajani* nuncupato, ad *Aninsulam* amnem, vernacule *Anille*, constitit, ibique monasterium condidit c. A. D. 537. quod postea ab conditoris nomine, vulgo *S. Calais* appellatum fuit. Obiit Carilefus *Kalendis Julii* c. A. D. 540. Ejus vitam edidit Mabillonius Sæculo I. Bened. pag. 642. ac item de eo meminit Annal. Bened. lib. III. §. XLIII. XLIV. Vitam quoque a Mabillonio editam, illustrant Bollandiani socii hac die pag. 85. *& seq.*

Eparchi. De *Eparcho* item codices nostri hac die agunt. *Eparchus* etiam memoratur a genuino Usuardo, ac multo ante celebratus est ab apographis Hieronymianis, in quibus *Episcopus* etiam dicitur. In Usuardo Pratensi legitur: *Civitate Engolisma, sancti Eparchi confessoris*. In Usuardo Sollerii; *Civitate Engolisma, sancti Eparchi monachi, & confessoris*. Gellonense hac die: *Ingolisma, Eparci Episcopi*. Augustanum: *Eparci Episcopi*. Labbeanum: *In Eclisma* (pro *Engolisma*) *Eparcii Episcopi*. Martyrologium Fuldense: *Ingolisma civitate, depositio sancti Eborchii Episcopi & confessoris*. Ottobonianum: *Egolisma civitate, depositio sancti Eparci Episcopi*. Miraberis profecto, quum videris, tot Martyrologia, & quidem vetustissima, *Episcopi* dignitate *Eparchum* donare, attamen *Episcopus* nunquam fuit, sed Abbas monasterii *Engolismensis*, quod ex ejus nomine *S. Eparchii*, vulgo *S. Cybar d'Angoulesme* fuit appellatum, ut ad ejus vitam sæculo I. Bened. pag. 267 & Annal. Bened. lib. VII. §. IX. *& seq.* docet Mabillonius, deinde Bollandiani socii hac die pag. 109. *& seq.* Obiit *Kal. Julii* c. A. D. 581.

Theoderici. Accedit in nostris codicibus *Theodericus* presbyter, de quo item genuinus Usuardus hac die. Ejus vitam edidit Mabillonius sæculo I. Bened. pag. 614. Fuit discipulus S. Remigii, ac cœnobium condidit prope *Remos* in monte *Hor*. Obiit *Kalendis Julii* A. D. 533. Vide Mabillonii Annales lib. VIII. §. XXVI. & Bollandianos hac die pag. 59.

Salvii. *Salvii*, de quo codices nostri, meminit die XXVI. *Junii* codex Usuardi Pratensis, his verbis: *In portu Valentianas, sancti Salvii Engolismæ civitatis Episcopi*. Sollerius in sua Usuardi editione *Salvium* die XXVI. *Junii* prætermisit, quia a monachis Pratensibus *Salvium* codici superinductum fuisse putavit, ut ex litura ipsius codicis apparet; at Bouvillartius in Observatione ad Usuardum Pratensem die XXVI. *Junii* pag. 105. quid de hac litura sentiendum sit, multis ostendit. Sollerius igitur *Salvium* posuit in sua Usuardina editione *Kalendis Juliis*, ubi ita legitur: *In portu Valencianas, sancti Salvii confessoris*. Ad diem XXVI. *Junii* agit ita Kalendarium Vat. 3806: *Et Valentianis, Sancti Salvi Episcopi & martyris*. Florus: *Ipso die* (XXVI. Junii) *passio sancti Salvii Episcopi & martyris*. Eadem die Wandelbertus:

Salvius & sanctus Scaldis tum littora visit.

Henschenius ad diem XXVI. *Junii* pag. 196. tres *Salvios* distinguit. *Salvius*, de quo agimus, illius sententia floruit sæculo VIII. circiter tempora *Caroli Martelli*, aut *Caroli Magni*. Incertum est, inquit ibi Henschenius, cujus Sedis *Salvius* Episcopus fuerit. Plura prosequitur ex Martyrologiis, quæ de illo agunt. Forte *Salvius* fuit Episcopus regionarius. Abest ejus nomen a serie Engolismensium Episcoporum in Gallia Christiana primæ editionis. De monasterio *S. Salvii* in vico *Valentianas* ad *Scaldim* meminit Eginhardus in historia translationis SS. Marcellini & Petri:

De

De hoc monasterio agit item Mabillonius Annal. Bened. lib. XXI. §. LXII. ad A.D. 741. qui, incertam adhuc esse scribit, num monasterium illud a *Carolo Martello*, an a *Carolo Magno* donis auctum fuerit. *Valentiana* tum *vicus*, & *villa* apud Eginhardum, & in veteribus Annalibus Francorum vocabatur, qua de re Valesius in Notitia pag. 582. Acta S. Salvii a coævo auctore scripta vulgavit Henschenius die XXVI. Junii pag. 198. In Martyrologio Romano de *Salvio* Episcopo *Engolismensi* & martyre una cum *Superio* agitur die XXVI. *Junii*; & ibi Baronius in Notationibus putat, ejus martyrium contigisse A. D. 801. ex Sigeberto. Sed non est adhuc exploratum, ut monet Mabillonius loco memorato, an sub *Carolo* M. martyrio affectus fuerit *Salvius*; neque ulla de Episcopatu *Engolismensi* exstant certa testimonia, idcirco parvi facienda Vincentii Bellovacensis, & S. Antonini auctoritas.

2. *Julii*.

A. VI. NONAS JULII.

Processi & Martiniani. ROMÆ, in cœmeterio Damasi, natalis sanctorum Processi & Martiniani, qui a beatis Apostolis Petro & Paulo baptizati & instructi sunt, quorum passio in libello Apostolorum supra notata est. *Vide lib. de fest. Apost.*

Militum. Eodem die, sanctorum trium Militum, qui cum beato Apostolo Paulo passi sunt.

Aristonis & soc. Item ipso die, sanctorum martyrum Aristonis, Crescentiani, Eutychiani, Urbani, Vitalis, Justi, Felicissimi, Felicis, Martiæ, & Symphorosæ: qui omnes apud Campaniam glorioso martyrio coronati sunt.

VARIA LECTIO. Ed. *Processi & Martiniani* &c. Codices nostri hic habent, prout in libello de festivitatibus Apostolorum. Ed: *Qui cum essent Magistriani Mello principi*. Cod. 511. *qui cum essent ministri Ammello principi, & viderent mirabilia, quæ per beatos* &c. Cod. 512. *qui cum essent magistri Animelli principis* &c. Cod. 514 *qui cum essent magistri Animello principi* &c.

Ed: *Eodem die, sanctorum trium* &c. Codices: *Item ipso die, sanctorum trium* &c. Ed: *Item ipso die, sanctorum martyrum* &c. Codices:

» Item sanctorum martyrum, Ariston, Crescentiani, Euticiani, Urbani, Vitalis,
» Justi, Felicissimi, Felicis, Marejæ, & Symphorosæ &c.

Processi & Martiniani. ADNOTATIO. In omnium Latinorum veteribus monumentis *Processus*, & *Martinianus* martyres, non uno tamen eodemque die, celebrantur. Ab apographis Hieronymianis, ac item a nonnullis aliis coluntur die XXXI. *Maji*, & quidem *via Aurelia*. Hac die vero II. *Julii* iterum Hieronymiana agunt. Apographum Lucense hac die habet: *Romæ, Damasi, Processi, & Martiniani*. Apographum Corbejense: *Romæ, Damasi, & militum duorum Processi, & Martiniani*. Florentinius hic subintelligendum esse censet *in cœmeterio Damasi*, quod apud Adonem legatur: *Romæ, in cœmiterio Damasi, Processi & Martiniani*. Agunt de his præterea hac die Beda genuinus, & Romanum parvum, in quo legitur: *In cœmeterio Damasi, Processi & Martiniani, ab Apostolis Petro & Paulo baptizatorum*. His succedunt Gellonense, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Rhinoviense iterum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Inquiritur a recentioribus, cur in veteribus tabulis *via Aurelia*, & *Damasi cœmeterium* memorentur. Una tantum antiquitus *via Aurelia* in honorem horum martyrum exstructa fuit Ecclesia, ubi iidem martyres sepulti fuerant. Notitia ab Eccardo edita, ita præfert; *Inde haud procul in sinistra manu juxta viam Aureliam, S. Processus, S. Martinus* (pro *Martinianus*). In Notitia veterrima regionum Urbis apud Mabillonium Analectorum tom. IV. pag. 501. n. 69. *S. Processus, & S. Martinianus inter viam Aureliam*,

liam, *&* *Portuensem* memorantur. Ibidem pag. 513. *Abdo*, *&* *Sennes*, *Pancratius*, *Processus*, *&* *Martinianus* recensentur. Alia Notitia apud Willelmum Malmesburiensem Ecclesiam *S. Pancratii* via Aurelia commemorat, & alteram Ecclesiam SS. *Processi*, & *Martiniani*. An vero alia eorundem martyrum sacra memoria exstiterit *via Ardeatina*, disquirit Florentinius in notis, & post eum Bollandiani socii hac die in commentario pag. 301. n. 7. sed hi putant, in veteribus Hagiolographis mendose legi *via Ardeatina*, pro *Aurelia*. Mendum inde forte natum, quod in plerisque Martyrologiis hac die *Damasus*, & *Melchiades* Romani Pontifices coluntur, ut in Gellonensi, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviore, & aliis. In Orationali apud Cardinalem Thomasium pag. XXXV. ex veteribus codicibus, ubi oratio de his martyribus ponitur, hic titulus inscriptus est: *Statio olim via Aurelia*. In eorundem martyrum basilica S. Gregorius homiliam XXXI. in Evangel. habuit. De hac eadem vetustissima basilica, *Urbano* VIII. Romano Pontifice, solo æquata, deque variis horum martyrum translationibus Aringhius lib. II. cap. XIV. ex quo Bollandiani, ut supra, qui Acta etiam expendunt. Hæc Acta habentur etiam in codice Reginæ Suecorum 583. pag. 214. & incipiunt: *Tempore, quo, usque, hodiernam diem &c.* Adeundus præterea Baronius ad an. 68. n. XXIV. & in Notationibus hac die II. *Julii*. Coluntur etiam hac die hi martyres in libris Liturgicis vetustissimis S.R.E., licet enim sileat codex Sacramentorum Gelasianus, Missa tamen *in natali sanctorum Processi*, *&* *Martiniani* habetur in Sacramentario Gregoriano Reginæ Suecorum 337. Ottoboniano, Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vatic. 495. & Vatic. 4770. Eædem sunt in omnibus orationes. Capitularia quoque Evangeliorum veterrima Evangelium in horum martyrum natali hac die exhibent, ut habes ex Capitularibus a nobis editis tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 267. De voce *Mellopriucipis* vide Rosvveidi notas in Adonem hac die.

Militum. *Militer tres* anonymi, qui cum *Paulo* passi *triam.* fuat, coluntur hac die primum, ut censet Sollerius, a Romano parvo, ex quo Ado, & inde Usuardus. Alia Hagiologia silent. Vide Baronium in Notationibus hac die, qui ex Actis S. Petri eorum nomina elici putat, & sunt *Longinus*, *Acestus*, *&* *Megistus*. Consule de his Bollandianos hac die.

Aristonis *& soc.* *Ariston* & socii in *Campania* martyres, a Romano parvo primum, Sollerii sententia, coluntur, deinde ad Adone, ex quo Usuardus. Romanum parvum habet: *Et Martyrum Aristonis*, *Crescentiani*, *Eutychiani*, *Urbani* *&* *aliorum*. Usuardus: *Item sanctorum martyrum Aristonis*, *Crescentiani*, *Euticiani*, *Urbani*, *Vitalis*, *Justi*, *Felicissimi*, *Felicis*, *Martiæ*, *&* *Symphorosæ*, *qui omnes apud Campaniam gloriosa martyrio coronati sunt*. Horum martyrum gesta in pervulgatis *S. Sebastiani* martyris Actis describi, monet Baronius in Notationibus hac die, ac ita præferunt Bollandiani socii in commentario prævio hac die pag. 300. *&* *seq.* præsertim pag. 302. §. III.

---

3. *Julii.* *B. V. NONAS JULII.*

Translat. S. Thomæ. APUD Edessam Mesopotamiæ, translatio corporis S. Thomæ Apostoli. Vid. lib. de fest. Apost.

Eulogii. Item ipso die apud Constantinopolim, natalis S. Eulogii. Euseb. l. 7. c. 28. Ruf.

Anatolii. Apud Laodiciam Syriæ, B. Anatolii Episcopi.

Gregorii mart. Item apud Neocæsaream Ponti, natalis S. Gregorii Episcopi & martyris, beati Athenodori Episcopi fratris. Qui Gregorius Episcopus, doctrina & miraculis clarissimus fuit. Denique quoddam stagnum erat in Ponti regionibus situm, piscibus copiosum, ex quorum captura prædivites redditus dominis præstabantur. Ista possessio duobus fratribus forte hæreditatis obvenerat: sed pecuniæ cupiditas, quæ pæne omnium corda mortalium superat, etiam fraternam necessitudinem violavit. Cædes ac bella movebantur, humanus sanguis pro piscibus fundebatur. Sed Dei providentia aliquando affuit: Gregorius videt prælia & mortes virorum

rum, furentesque germanos. Cumque honore adventus sui utræque partes paululum siluissent: Nolite, inquit, o filioli, rationabiles animas pro mutis animantibus violare, fraternam pacem quæstus cupiditate dissolvere, Dei leges, & naturæ pariter jura temerare: & una mecum ad oram stagni exitialis accedere, & ego jam vos per virtutem Domini ab omni certamine cruentæ contentionis absolvam. Et cum hæc dixisset, in conspectu omnium virgam quam tenebat in manu ad primas littoris undas defigit, & ipse positis genibus palmas tetendit ad cælum, atque Dominum supplicat. Simul ut orandi finem fecit, statim se unda subducens, & cursu velociore refugiens, a conspectu superno jussa discedere, abyssis suis redditur, & arentem campum germanis jam concordibus derelinquit. Sed & in hodiernum frugum ferax esse dicitur. Iterum in quodam loco ruris angusti, cum res posceret ecclesiam construi, rupes quædam vicini montis ex parte orientis objecta, ex alia vero præterfluens fluvius, spatium quantum ecclesiæ sufficeret, denegabat. Et cum alius omnino non esset locus ad construendam ecclesiam, ille fide plenus pernoctasse in oratione dicitur. Cumque plena fide ac devotione Dominum deposceret, ad lucem coeuntibns populis inventa est rupes importuna secessisse tantum, quantum spatii ad condendam quærebatur ecclesiam. Traduntur & hujus beati viri & alia quamplurima, quæ fidem & sanctitatem ipsius plurimum commendant. Sed & inter alia quæ luculentissime scripsit, etiam Catholicæ fidei expositionem breviter editam dereliquit. Unus Deus Pater Verbi viventis, sapientiæ subsistentis, & virtutis suæ & figuræ, perfectus perfecti genitor, pater filii unigeniti. Unus Dominus solus ex solo Deo, figura & imago Deitatis, verbum penetrans, sapientia comprehendens omnia, & virtus qua tota creatura fieri potuit. Filius verus veri, & invisibilis ex invisibili, incorruptibilis ex incorruptibili, immortalis ex immortali, sempiternus ex sempiterno. Unus Spiritus sanctus ex Deo substantiam habens. Et qui per Filium apparuit, imago Filii perfecti perfecta, viventium causa, sanctitas, sanctificationis præstatrix, per quem Deus solus super omnia, & in omnibus cognoscitur, & Filius per omnes. Trinitas perfecta, majestate, & sempiternitate, & regno minime dividitur neque abalienatur. Igitur neque factum quid, aut serviens in Trinitate, neque superinductum tamquam ante hoc quidem non subsistens, & quasi postea superingressum. Neque ita defuit umquam Filius Patri, neque Filio Spiritus sanctus, sed inconvertibilis & immutabilis eadem Trinitas semper manet.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Edessam Mesopotamiæ &c.* Codices 511. 512. & 514. *Apud Edessem Mesopotamiæ, passio sancti Thomæ Apostoli, qui translatus est* XII. *Kal. Jan. quando celebrior dies ejus agitur. Ipso die &c.* Ed. *Apud Neocæsaream Ponti*. Cod. 511. *Apud Gneocæsaream Ponti*. Cod. 512. 514. *Neocæsaream*.

Translat. S. Thomæ. ADNOTATIO. De translatione *sancti Thomæ* Apostoli ex India ad Edessam Syriæ civitatem agunt hac die apographa Hieronymiana. Agit Beda genuinus, ac item duo ejus apographa Palat. Vat. 833. 834. habent: *Translatio Thomæ Apostoli in Edissa, passus* (sic) *vero in India*. Agunt Romanum parvum, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Gellonense, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense breviua, Martyrologium Reginæ Suecorum. Fuldense, & Ottobonianum habent; *In India, passio sancti Thomæ Apostoli*. Agunt demum Martyrologium S. Cyriaci, Barberinianum, Kalendarium Vat. 3806. & alia. In his fere omnibus memoratur *translatio* hujus Apostoli ex India in urbem Edessæ, & ejus martyrium die XXI. *Decembris* fuisse scribunt. Cæterum antiquissimis etiam temporibus hæc dies III. *Julii* eidem Apostolo ardenti fidelium studio consecrata fuit, ut patet ex Socrate lib. IV. c. XIV. Sozomeno lib. VI. cap. XVIII. prout nos docet Baronius in Notationibus hac die. De *Thomæ* translatione Rufinus lib. II. cap. V. Gregorius Turonensis de gloria mart. cap. XXXI. & Venantius Fortunatus. Quandonam hæc translatio contigerit, non est satis exploratum. Bello Persico confecto ab Alexandro Severo Imp., *Thomæ* corpus ex India relatum fuisse fertur, qua de re Baronius ad an. 236. num. V. Sub sæculi IV. finem in Italiam *Thomæ* reliquiæ delatæ sunt; eas forte secum detulit S. Gaudentius Episcopus Brixiensis, ut ex ejus Sermone XVII. *Thomæ* item reliquiæ erant in æde sacra Nolana S. Felicis, uti testatur S. Paulinus Carmine XXIV. pag. 610. De Thomæ laudibus Gregorius Nazianzenus orat. XI. adversus Arianos, Ambrosius in Psalm. XLV. Hieronymus epist. CXLVIII. Chrysostomus in epist. ad Ebræos homil. XXVI. & alii. Variis diebus apographa Hieronymiana, & alia Hagiolographa de S. *Thoma* agunt, vide Florentinium in notis pag. 145. 146. 304. 574. 642. De reliquiis S. *Thomæ* in varias orbis partes, & in basilicam Ambrosianam translatis idem Florentinius pag. 148. 517. & 518. Vide Bollandianos die IX. *Maji* pag. 364. Græci in Menæia agunt die VI. *Octobris*. Quod attinet ad Thomæ cultum in Ecclesia Mediolanensi, ex Capitulari Epistolarum ad usum ejusdem Ecclesiæ, sæculo VIII. scripto, a Thomasio edito, & a nobis tom. II. de Liturgia Rom. Pont. recuso, post festum *SS. Petri & Pauli*, occurrit *S. Thomas Apostolus*, ex quo hæc dies translationi ejusdem Apostoli, solemni sacrorum cultu consecrata agnoscitur. In libris Liturgicis vetustissimis S. R. E. dies tantum XXI. *Decembris* solemniis sacrorum de S. Thoma Apostolo designata fuit. Missa in Gregorianis Sacramentariis vetustioribus de *translatione S. Thomæ* hac die desideratur, habetur tamen hac eadem die in Sacramentar. Vat. 4772. sæculi XII. quod usui fuit monasterio monachorum Aretino SS. Lucillæ & Floræ.

Eulogii. *Eulogius Constantinopolitanus* colitur hac die a Romano parvo, Adone, Usuardo, & Wandelberto, sine ulla sociorum cohorte, & absque ulla de martyrio mentione, quum Romanum Martyrologium de eo una cum sociis martyribus agat. Alia vetera Hagiologia silent. Agunt Græci hac die. Passus dicitur a Baronio in Notationibus hac die, persecutione *Valentis* Imperatoris.

Anatolii. *Anatolius* Antistes *Laodicenus* colitur item a Romano parvo, Adone, & Usuardo. Elogium ab Usuardo exaratum, ex Eusebio Rufini lib. VII. cap. XXVIII. decerptum esse existimat Sollerius. Usuardus autem ita habet: *In Laodicia Siriæ, sancti Anatholii Episcopi, qui non solum religiosis viris, sed & philosophis admiranda scripta dereliquit*. Fuit autem *Anatholius* ortu Alexandrinus, omni litterarum genere, & mathematicis disciplinis ornatus, Aristotelicam scholam Alexandriæ aperuit. Factus est episcopus Laodicenus in Syria post Eusebium c. A. D. 270. Scripsit libros X. Arithmeticorum, Canonem Paschalem, & Epistolam ad Vicbredam presbyterum, & alia, quæ intercidere; quæ memorantur ab Eusebio, & aliis. Fragmenta quædam illi tributa, edidit Fabricius Bibliothecæ Græcæ lib. IV. c. XXIX. tom. IV. pag. 295. De eo præter Eusebium Hieronymus de Scriptoribus Ecclesiasticis c. LXXIII. & in epistola ad Magnum, Nicephorus lib. VI. cap. XXXVI. Adi etiam Baronium, & recentiores alios, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis egerunt. *Anatholium* in Cæsariensi Episcopatu adjutorem sibi ascivit *Theotecnus* Episcopus Cæsareæ, uti memorato loco testatur Eusebius Rufini.

Gregorii. *Gregorii* Neocæsareæ in Ponto Episcopi meminisse primum hac die inter Martyrolographos Latinos Roman. parvum creditur, quod hæc tantum de eo habet: *Et Gregorii martyris*. Agit autem Ado brevi elogio ex Eusebio Rufini lib. VII. cap. XXVIII. & in nova Rufini editione cap. XXV. item ex Hieronymo de Scriptoribus Eccl. cap. LXV. Adonis elogium contraxit

traxit hac die Usuardus, & Martyrologium Fuldense. Auctaria Usuardi de Gregorio agunt die XVII. *Novembris*, qua die quoque Martyrologium Romanum. *Gregorius*, alias *Theodorus*, ut est apud Eusebium lib. VI. cap. XXX. nobilibus quidem parentibus, sed ethnicis, natus est Neocæsareæ Ponti: postquam liberalibus disciplinis operam dedit, per annos octo Origenis discipulus fuit, & ab eo ad Christi fidem adductus est. A *Phædimo* Episcopo Amaseno Neocæsareæ Episcopus dictus est, obiitque non ante A. D. 270. A Rufino primum *martyr*, ex quo in Martyrologia derivavit, sed late, ut diximus ad diem XIV. Januarii, hoc nomine sumpto, dicitur, ut etiam animadvertit Lambecius tom. II. Bibliothecæ Cæsareæ pag. 270. De eo plura Baronius in Annalibus & in Notationibus ad diem XVII. *Novembris*. De Patrum elogiis, & illius operibus abunde recentiores omnes, qui de Ecclesiasticis Scriptoribus egerunt. Confer, si lubet, Fabricium Bibliothecæ Græcæ tom. V. lib. V. cap. I. pag. 247. *& seq.*

C. IV. NONAS JULII. — *4. Julii.*

OSEÆ & Aggæi Prophetarum. — *Oseæ, & Aggæi.*

Greg. Tur. lib. 2. hist. Franc. c. 14. Turonis, translatio sancti Martini Episcopi, & ordinatio Episcopatus ejus, & dedicatio basilicæ ipsius. — *Translat. S. Martini*

Eodem die in Africa, natalis S. Jucundiani martyris in mare mersi. — *Jucundiani.*

Et in territorio Bituricæ civitatis, vico Justino, natalis S. Lauriani martyris: cujus caput Hispalim ad Hispanias deportatum est. — *Lauriani.*

Apud Sirmium, sanctorum martyrum Innocentii & Sabbatiæ, cum aliis triginta. — *Innocentii & Sabbatiæ.*

VARIA LECTIO. Ed. *vico Justino*. Codices: *vico Vestenno*. Codex 512. post verba: *in mare mersi*: addit: *Ipso die, sancti Odolrici confessoris.* — *Odelrici, seu Wodalrici.*

Oseæ, & Aggæi. ADNOTATIO. De *Osea*, & *Aggæo* prophetis, primum agit hac die Romanum parvum, deinde Ado, ex quo Usuardus *Oseam* tantum sumpsit. Apud alios siletur. Videsis de his prophetis Baronium in Notationibus, Calmeti Dictionarium Biblicum, & Bollandianos hac die pag. 5. De *Osea* Græci agunt die XVII. *Octobris*. De *Aggæo* die XVI. *Dec.*

Translat. S. Martini In antiquioribus Ecclesiasticis tabulis memoratur hac die *ordinatio*, & *translatio* sancti *Martini*, ac item in plerisque *dedicatio* ejus basilicæ. Agunt enim auctaria Hieronymiana apud Florentinium, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Barberinianum, & S. Cyriaci. Hæc autem *translatio*, & *dedicatio* novæ basilicæ in honorem *S. Martini* in civitate Turonica extructa, facta est a *S. Perpetuo* Antistite Turonensi, ritu maximo, coactaque Episcoporum Synodo, uti Gregorius Turonensis lib. II. cap. XII. Historiæ Francorum & lib. I. cap. VI. de miraculis ejusdem Martini testatur. Ibi idem Gregorius nos docet, die IV. *Julii ordinationem* Martini celebrari consuevisse, qua die translatio, ex visu cujusdam senis peracta fuit. Translationis annum innuit ipse Gregorius, dum habet, *Perpetuum* in Turonensem Antistitem electum *sexagesimo quarto* post Martini obitum anno, quod anno Christi 461. congruit; quo anno a Perpetuo Turonensis Synodus celebrata est; neque assentiuntur viri eruditi Baronio, qui ad an. 482. n. XLVII. Turonensem Synodum a *Perpetuo* celebratam fuisse an. 482. putavit. Nam ab eo Sirmondus in notis ad Concilium Turonense I. & in Præfatione ad Concilium Veneticum dissentit, ac statuit Concilium *Turonicum* I. celebratum fuisse, *Severino*, & *Dagalaifo Coss.* qui consules fuere A. D. 461. Sigebertus in Chronico *Martini* translationem ad an. 472. refert. Sed Cointius in Annalibus ad an. 498. n. XXIV. Sigebertum de secunda Martini translatione locutum existimat, quod an verum sit, alii viderint; nam

de prima potius, quam de altera verba facere Sigebertum, ex illius loco elicitur. In quibusdam Sacramentariis ad usum monasteriorum accommodatis habetur hac die Missa in *ordinatione S. Martini*, ita sane præfert Sacramentarium Vat. 4772. XII. fæculi, ad usum monasterii Aretini SS. Lucillæ, & Floræ. Vide de *S. Martini* translatione Bollandianos socios in Appendice Junii, tom. VI. pag. 133. *& seq.* ubi habes Janningi Disquisitionem de corpore S. Martini Juvavum translato.

Jucundiani. *Jucundianus* in *Africa* martyr colitur hac die ab apographis Hieronymianis, licet in apographo Lucensi, *Africæ* nomen reticeatur, ut & in Romano parvo. Colitur item ab Adone, Usuardo, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Martyrologio Reginæ Suecorum, (in quo *Succidiani* mendose legitur) & Ottoboniano. De *Jocundiano* breviter ex Hieronymianis agunt Bollandiani socii hac die p. 56.

Lauriani. *Laurianus* quoque in vetustis tabulis hac die celebris est. De eo agunt Hieronymiana apographa, ut censet Sollerius in Usuardum hac die adversus Florentinii sententiam. Agunt præterea Ado noster, Usuardus, Wandelbertus. Item Hagiologium Francogallicum, & Martyrologium Fuldense, quæ *Episcopi* titulum ei tribuunt, sed perperam Sollerii judicio. In Martyrologio Romano *Episcopi Hispalensis* nomen retentum est. De eo hac die quoque Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Ottobonianum, S. Cyriaci, & Barberinianum, in quibus *martyris* quidem vox habetur, sed *Episcopi* nomen desideratur. Vicus *Vestenus* in agro Bituricensi, vulgo est: *Vatan en Berry*, Passus esse dicitur A. D. 544. Vide Bollandianos hac die pag. 34. *& seq.* Ubi illius Acta, incerta, mutilata, & interpolata esse contendunt, neque a Cointio satis expurgata.

Innocentius & *Sabbatia* cum sociis martyribus *in Sirmio*, coluntur hac die in Hieronymianis, in quibus varius est sociorum numerus, ex librariorum oscitantia. Romanum parvum habet: *Apud Sirmium, Innocentii, Sabbatiæ, cum aliis* XXX. Ita Ado noster. Usuardus genuinus pro *Sabbatia*, habet *Sabastiæ*, mirante Sollerio. *Innocenti* tantum meminere Augustanum & Labbeanum, quem *Jucundiano* conjungunt. Barberinianum: *In Syrmia, Sabbatiæ, Innocent, cum aliis triginta*. Ottobonianum: *In Syrmia, Innocenti, Sabatiæ cum al.* XXX. Incertum est quo tempore passi sint. Vide de his Bollandianos hac die pag. 6. ubi ex Hieronymianis de iis agunt. *Innocentii & soc.*

Odolricus, de quo codex noster 512. est S. *Wodalricus* Antistes *Augustanus*, sanctorum albo adscriptus A. D. 993. quare ad genuinum Adonem non pertinet, sed ad illius Auctaria. Agunt item inter Auctaria hac die apographa Usuardi, Richenoviense, & Augustanum. Recte a Rosweido *Wodalricus* in Adonis Appendicem conjectus est. Baronius in Notationibus hac die vulgatum Bedam, & Adonem secutus, ab his de *Wodalrico* agi scripsit. Acta & gesta *Wodalrici* habes apud Mabillonium fæculi V. Bened. pag. 415. *& seq.* & apud Bollandianos hac die pag. 76. *& seq.* In Appendice Sacramentarii Palat. Vatic. 495. habetur Missa hac die in *natali S. Wodalrici*. Codex paullo postquam inter cælites relatus est *Wodalricus* scriptus est. Habetur etiam hac die in Sacramentar. Vat. 4772. fæculi XII. *Odalrici, seu Wodalrici.*

5. Julii. D. III. NONAS JULII.

Domitii. APUD Syriam, natalis sancti Domitii martyris, qui virtutibus suis multa incolis beneficia præstat.

Zoæ. Item Romæ, natalis sanctæ Zoæ uxoris beati Nicostrati martyris, quæ dum ad confessionem beati Petri Apostoli oraret, a paganis arctata, ducta est ad patronum regionis Naumachiæ: a quo primum in custodiam obscurissimam trusa & per dies sex omni solatio lucis & victus fraudata, septimo demum die a collo & a capillis in corpore suspensa, adhibito subter horribili fumo, in confessione Domini emisit spiritum.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Syriam, natalis sancti Domitii*. Codic. 511. 512. 514. *Apud Syriam, sancti Domicii martyris, qui &c.*

Domitii. ADNOTATIO. *Domitius* martyr *in Syria* memoratur primum hac die a Romano parvo his verbis: *In Syria, sancti Domitii martyris*. Aliquid ad hæc addit noster Ado, quem exscripsit Usuardus. Meminit Wandelbertus, alii silent. Elogium sumptum esse

esse censet Sollerius ex Gregorio Turonensi de glor. martyrum cap.1. De ejus martyrio Chronicon Alexandrinum apud Cangium pag.297. licet pro *Domitio*, ibi legatur *Dometius*. Vide Tillemontium tom. VII. pag. 422. & 744. qui inquirit, an hic *Domitius* sit ille *Dometius* monachus sub *Juliano* passus, qui in Romano Martyrologio colitur die VII. *Augusti*; de quo ea die Græci in Menologiis agunt. De *Domitio* exstant Acta Græca apud Bandurium inter antiquitates Constantinopolitanas p.647. Vide Bollandianos ad diem v. *Julii*. pag. 225. ubi Sollerii Disquisitio de pluribus synonymis sanctis in hunc unum verosimiliter conflandis.

Zoe elogium ex Actis *S. Sebastiani* adornavit hac die Ado noster, ab Usuardo contractius exaratum. Florus eum elogio agit pridie hujus. Romanum parvum ita hac die habet: *Romæ, natale Zoæ, uxoris Nicostrati*. Ex hoc fonte Adonem sumpsisse, existimat Sollerius. Meminere de *Zoe* hac die Wandelbertus, Augustanum, & Martyrologium Fuldense. Pauci Usuardi codices habent, ut monet Sollerius: *ad confessionem beati Petri*, de qua voce videsis Baronium in Notationibus ad diem VI. *Julii*, ubi de *S. Tranquillino* martyre. De *Zoe* ex Actis S. Sebastiani Bollandiani socii hac die pag.221. *& seq*. *Zoe*.

E. PRIDIE NONAS JULII. *6. Julii*.

NATALIS Isaiæ & Joel Prophetarum. *Isaiæ & Joel*.

Oct. Ap. Et Octavæ Apostolorum.

Et primus beati Apostoli Pauli ingressus in urbem Romam, anno secundo Neronis Imperii. Qui cum jam hæc loca & has provincias prædicando perlustrasset, ab Antiochia ipse cum Barnaba præmissus a Spiritu sancto, postquam jam in Arabia & Cilicia verbum Dei, aliisque provinciis annuntiaverat, pervenit Seleuciam, Cyprum, Salaminam, Paphos, Pergen Pamphyliæ, Antiochiam quæ est Pisidiæ, Iconium: inde ad civitates Lycaoniæ, Lystram, Derben, & universam in circuitu regionem. Inde revertentes Antiochiam Pisidiæ, devenerunt Pergen Pamphyliæ. Hinc Antiochiam, unde missi fuerant, revertuntur. Inde propter quæstionem Circumcisionis in Gentibus, Jerosolymam proficiscuntur. Deinde rursus Antiochiam redeunt. Unde cum inter eos dissentio propter Joannem, qui Marcus cognominatus est, accidisset: solus Paulus assumpto Silea, a fratribus gratiæ Dei traditus, has regiones & insulas peragravit prædicans, Syriam, Ciliciam, Derben, Lystram, Phrygiam, & Galatiam regionem, Mysiam, Troadam, Macedoniam, Samothraciam, Neapolim, Philippos, Amphipolim, Apolloniam, Thessalonicen, Beroen, Athenas, Corinthum. Et inde navigavit in Syriam, & venit Ephesum, & inde Cæsaream & Antiochiam, & Galatiæ regionem, & Phrygiam. Hinc cum vellet ire Jerosolymam, dixit ei Spiritus sanctus, ut reverteretur in Asiam. Et cum peragrasset superiores partes, Ephesum venit. Hinc profectus est in Macedoniam, & accessit Philippos, Troadam, Asson, Mitilenem, & contra Chium, Samon, * Trogylion, Miletum, Coum, Rhodum, Pataram. Et inde visa Cypro, & relicta ea ad sinistram, transfretavit in

Pauli in Urbem ingress.

Act. 13. Ibid. 14. Act. 14. Ibid. 15. Ibid. 16. Ibid. 17. Ibid. 18. Ibid. 19. Ibid. 20.

* Est in Græco, deest textui Latino.

in Syriam. Et inde venit Tyrum, Ptolemaidem, Cæsaream, Jerusalem: Ibi ligatur a Judæis, & traditur gentibus. Et inde destinatur ad Felicem præsidem Cæsaream. Hinc cum appellasset Cæsarem, Romam ad eumdem Cæsarem, quem appellavit, mittitur: & enavigavit Sidonem, Cyprum, cui juxta erat civitas Thalassa in insula Militene, Syracusas, Regium, Puteolos, Romam: & biennio in libera manens custodia, post hæc ad prædicandum dimittitur. Quo tempore credibile est eum ad Hispanias perrexisse, necdum Nerone in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ. Ibid. 21. Act. 27.

Tranquillini. Romæ, natalis sancti Tranquillini, patris martyrum Marci & Marcelliani, qui ad prædicationem beati Sebastiani credens in Dominum Jesum Christum, die Octavarum Apostolorum dum ad B. Pauli confessionem oraret, tentus a paganis ac lapidatus, martyrium consummavit. De eo in gestis sancti Sebast. 20. Jan.

Goaris. Eodem die, depositio beatissimi Goaris confessoris.

VARIA LECTIO. Ed. *natalis Isaiæ &c.* Codices 511. 512. & 514. *Apud Judæam, Isaiæ & Johel prophetarum, quorum primus sectus in duas partes occubuit, sepultusque est sub quercu Rogel juxta transitum aquarum. Romæ octavæ Apostolorum. Et natale sancti Tranquillini martyris, patris Marci & Marcelliani &c.*

Ed. *Eodem die depositio beatissimi &c.* Cod. 511. *In pago Thretarensi.* Cod. 512. *In pago Treverensi.* Cod. 514. *In pago Threcarensi, sancti Goaris presbyteri & confessoris.*

Deest in codicibus hac die *primus B. Pauli Apostoli* ingressus in urbem Romam.

Isaiæ & Joel. ADNOTATIO. *Isaias, & Joel* prophetæ celebrantur hac die a Romano parvo, ex quo Ado. Beda *Isaiæ* tantum meminit, ut Rabanus, Usuardus, Martyrologium S. Cyriaci, Barberinianum, Ottobonianum, & Kalendarium Vat. 3806. Codices nostri de *Isaia* eadem habent, quæ Usuardus genuinus, & *Joel* tantum addunt. *Joel* una cum *Esdra* recolitur ab Usuardo die XIII. *Julii*: qua die iterum Ado vulgatus, sed codices nostri silent. Vide quæ de *Isaia* Baronius in Notationibus ad diem VI. *Julii* monuit. Confer etiam, si lubet, Bollandianos hac die pag. 250. *& seq.* & Calmeti Dictionarium Biblicum.

Octav. Apostolor. *Octavæ*, seu *Octabæ* (ita veteres libri habent) *Apostolorum* hac die memorantur in tabulis omnibus Ecclesiasticis vetustissimis. Est autem dies octavus a natali Apostolorum *Petri & Pauli*. Agunt ergo Hieronymiana apographa, Beda genuinus, Romanum parvum, Gellonense, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Corbejense brevius, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Saumaximianum, S. Cyriaci, Barberinianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Nil autem antiquius hujusmodi *Octava*, inter *Octavas* sanctorum haberi putamus, in Romana Ecclesia præsertim. De ea enim octava sermonem habuit S. Leo Papa. Adde codicem Sacramentorum Gelasianum, qui pag. 160. *Pridie Non. Julii* Missam habet *in Octab. Apostolorum*. Prima oratio est: *Deus, cujus dextra*. Secreta: *Offerimus*. Præfatio: *Ut gregem tuum*. Post com. *Pignus æternæ*. In Sacramentariis etiam Gregorianis omnibus, cum iisdem ferme orationibus, parvulis immotatis, eadem Missa habetur, ut in codice Reginæ Suec. 337. Ottoboniano, Palat. Vat. 495. Vat. 4772., in Pamelii, Menardi, & Angeli Rocchæ Sacramentariis. Titulus in codice memorato Reginæ Suecorum, & Ottoboniano præfert: *In Octabas Apostolorum, ad sanctum Petrum*. Palat. Vat. 495. habet: *In Octabas Apostolorum, ad vincula*. Forte quia in titulo Eudoxiæ *S. Petri ad vincula* solemnia peragerentur. Vide Amalarium de hac *Octava* lib. IV. c. XXXIV. Capitularia Evangeliorum tom. III. de

de Liturgia Romani Pontificis pag. 267. Evangelium exhibent: *In Octabus Apostolorum*. Vide quæ ad hanc diem adnotanda censuit Fronto in suo Kalendario.

Pauli in urbem ingres. Vulgatus Ado hac item die pluribus agit de primo *S. Pauli* in urbem Romam adventu, de quo codices nostri silent, & paucis agit Usuardus genuinus, dum habet post octavas Apostolorum: *& primus B. Pauli Apostoli ingressus in urbem Romam, anno secundo Neronis imperii*. Præivisse Adoni, & Usuardo Romanum parvum censeri potest, dum ita præfert: *Et primus ingressus Apostoli Pauli in urbem Romam*. Apud alios siletur. De variis B. Pauli Apostoli itineribus, præter Baronium, & alios recentiores, consulendus Christophorus Cellarius in Dissertatione de ejusdem Apostoli itineribus, quæ exstat inter ejus Dissertationes Academicas, editionis Lipsiensis an. 1712. pag. 150.

Trunquillini. *Trunquillini* martyris elogium ex vulgatis Actis S. Sebastiani sumpsit Ado, quem fere ad verbum imitatur genuinus Usuardus. In primis de eo inter Martyrolographos meminit Romanum parvum, deinde Ado, Usuardus, Wandelbertus, & Martyrologium Fuldense. Fuit pater SS. *Marci & Marcelliani*, ut Acta perhibent. Passus est Diocletianea persecutione. De eo Bollandiani hac die pag. 263. 264. Passus esse dicitur A. D. 286.

Goaris. *Goaris* celebritas hac die memoratur in apographo Hieronymiano Dacherii his verbis: *Depositio sancti Goaris presbyteri & confessoris*. Romanum parvum habet: *Et natalis sancti Goaris confessoris*. Apographum Bedæ Palat. Vat. 834. *Et sancti Goari confessoris*. Agit Rabanus, plura ex Actis proferens. Hagiologium Francogallicum: *In pago Treverensi, sancti Goaris Episcopi & confessoris*. Martyrologium Fuldense: *Et sancti Goaris confessoris*. Augustanum: *S. Goari presbyteri & confessoris*. Corbjense brevius: *Gallia, depositio S. Gouris Episcopi & confessoris*. Kalendarium Palat. Vat. 485. *Et natalis sancti Goari confessoris*. Kalendarium Vat. 3806. *Et sancti Goaris confessoris*. Barberinianum: *Eodem die in Binga, natalis S. Goaris*. Hactenus vetera Hagiologia. At Sollerius de germana Adonis, & Usuardi lectione litem movit. Usuardus Pratensis habet: *In pago Maginensi, sancti Goaris presbyteri, & confessoris*. Sollerius vero in sua Usuardi editione ita legendum esse jubet: *In pago Treverensi, sancti Goaris presbyteri & confessoris*. Fatetur tamen in quibusdam Usuardi apographis legi *in pago Maginensi*, *Magniensi*, *Machinensi*, & in quibusdam *Trecarensi*. Codices nostri Adoniani variam lectionem præferunt, nam memorant *pagum Trevirensem*, *Threcarensem & Threturensem*. Codex Adonis Pratensis habet: *in pago Threcarensi*, ut Mabillonius sæculo II. Bened. pag. 275. testatur. Hinc perperam a Mabillonio id statui censet Sollerius. Mabillonium audiamus. *Threcarensis* pagi nomine, inquit ibi Mabillonius, intelligi videtur *Trichoria*, Germaniæ superioris regiuncula, in qua *S. Goaris* opidum positum est. *Goar* Aquitanus natu fuit, & ad presbyteratus ordinem evectus, in Germaniam secessit in finibus Trevirorum, & consedit in pago *Trigoria*, ad Wocharam fluviolum, paullo supra confluentes *Mosellæ*, *& Rheni*. Decessit *pridie Nonas Julii* A. D. 649. recusato pridem Episcopatu, a *Sigeberto* rege oblato. Ejus corpus *Agrippinus & Eusebius* sepulturæ mandarunt eo loco, qui postmodum miraculis illustratus, mutato nomine, *S. Goaris* appellationem suscepit, vulgo *S. Gouvey*, atque Prumiensibus monachis a *Pipino* rege concessus fuit. Hic locus tum intra Arduennam silvam in diœcesi Trevirensi, *cella S. Goaris* vocabatur. Provincia *Trigoria*, Rheno contigua, memoratur hac die in Actis *S. Goaris* apud Rabanum. Valesius in Notitia pag. 231. locum, in quem migravit S. Goar, *pagum Trigorium*, *& Trecurensem* appellatum scribit. Idem ibidem pag. 330. tradit, *Maginensem* pagum non semel in medii ævi monumentis obviam fieri, vulgo *Meylandt*, inter Mosellam & Rhenum in Treviris. Addit, huic pago nomen dedisse *Meginum*, vel *Megenam*, vernacule *Meyen*; quem locum ajunt proximum esse *Antunniaco*, *& Bedæ* vico, sive *Bidburgo*, a quo *Bedensis* pagus nomen accepit, ac esse in Trevirorum finibus opidulum, & *Magniacum* nuncupari. Ex his vides, neque in Adonianis, neque in Usuardinis codicibus quidpiam mendose scriptum esse. *S. Goaris* vitam scripsit Wandelbertus monachus Prumiensis A. D. 839. quam habes apud Mabillonium sæculo II. Bened. pag. 275. *& seq.* Idem Mabillonius Annal. Bened. lib. XIII. §. LXII. Wandelberto tribuit, quod tam celebris sit apud Martyrolographos *S. Goaris* memoria; illud etiam monet, apud illos *presbyteri* titulo exornari, ex more illius ævi, quo post *Episcopi* nomen, nihil illustrius erat, quam *presbyteri* nomine censeri. Consule, si lubet, Bollandianos hac die pag. 327. *& seq.*

F. NONIS

7. *Julii.* *F. NONIS JULII.*

Pantæni. APUD Alexandriam, natalis sancti Pantæni, viri Apostolici, & omni sapientia adornati, cujus tantum studii, & amoris erga verbum Dei fuit, ut etiam ad prædicandum Christi Evangelium omnibus gentibus, quæ in Orientis ultimis secessibus reconduntur, fidei & devotionis calore profectus sit, & usque ad Indiam citeriorem prædicando pervenerit. Ubi reperit Bartholomæum, de duodecim Apostolis, Adventum Domini Jesu juxta Matthæi Evangelium prædicasse. Quod Hebraicis litteris scriptum, revertens Alexandriam secum detulit: ubi præclaram & nobilem vitam beato fine conclusit. *Euseb. l. 5. c. 10. Hieron. de script. Eccl. cap. 36.*

Nicostrati, & soc. Romæ, natalis beatorum martyrum Nicostrati, Primiscrinii, Claudii, Commentariensis, Castorii, Victorini, Simphroniani, quos B. Sebastianus credere in Christum docuit, & sanctus Polycarpus presbyter baptizavit, qui cum corpora sanctorum per ora Tyberina requirunt, tenti sunt, & ad Urbis præfectum perducti. Erat judex Fabianus, qui eos hortabatur ad sacrificandum, per decem dies minis & blanditiis cum eis agens, & nullum penitus potuit commovere. Tunc fecit de eis suggestionem Imperatoribus: quique jusserunt eos tertio torqueri. Cumque nulla ratione compulsi cederent, jusserunt eos in mare præcipites dari. Immensis itaque arctati ponderibus, pelagi fluctibus dati sunt, ut in loco mundo inter aquas coronam martyrii celebrarent.

Evoldi. Apud Viennam, Evoldi Episcopi, cujus industria delatæ sunt reliquiæ sanctorum martyrum Thebæorum ad urbem Viennam.

V*ARIA LECTIO*. In codicibus 512. 514. deest natalis *Evoldi* Episcopi Viennensis.

Pantæni. A*DNOTATIO*. *Pantæni* elogium ab Adone ex Eusebio, & Hieronymo sumptum est. Dubius est Florentinius, an *Parthenus*, *Parmenas*, seu *Panthemus*, de quo hac die Hieronymiana, sit *Pantænus* Philosophus. Verosimillimum esse putat Sollerius, ibi de alio martyre agi. De *Pantæno* silent Beda, Florus, & Rabanus. Agit post Adonem Usuardus. Rhinoviense habet: *In Alexandria, Parmensi*; & extremo loco: *Et alibi, Partemi.* Consonat Richenoviense, nisi quod extremo loco habet insuper: *Alexandri, Pirmini*. Augustanum. *In Alexandria, Partenii*. Labbeanum: *Alexandri* (forte pro *Alexandria*, *Artemi*; deinde in fine: *Alibi, Parthemi, Pividii, Parmini*. Corbejense brevius: *In Alexandria, Parthenii, Eraclei*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Alexandria Parthenii, Appollonii, Publii, cum aliis numero* XVI. *Et alibi natalis sanctorum Partemii, Paterni, cum aliis numero* XIX. Ottobonianum. *In Alexandria, natalis Parteni, Eudomoni, Appollonii, Publii, Parmeni, & al.* XXV. Martyrologium S. Cyriaci: *In Alexan-*

xandria, *Partheni*, *Eraclei*, *cum aliis* XVIII. Barberinianum: *In Alexandria*, *Partheni*, *Eradii*, *Apollonii*, *cum aliis decem & octo*. *Et alibi*, *Alexandri*, *Partimini*. Hujusmodi Hagiologia constanter habent, *Parthenii*, apud *Alexandriam*, & alibi *Parmenii*, seu *Partemii*. Martyrologium Fuldense, & Wandelbertus apertis verbis *Pantænum* commemorant. *Pantænus*, ut habent recentiores, qui de Ecclesiasticis scriptoribus syntagmata ediderunt, patria Atheniensis, ex Stoico Philosophus christianus, & scholæ catecheticæ Alexandrinæ præfectus, cui Clemens Alexandrinus successisse dicitur. Dodvvellus ad fragmentum Philippi Sidetæ pag. 501. *& seq.* aliorum judicio, præter Eusebii ac veterum testimonia, *Pantænum* secta Pythagoreum facit, & post Clementem Alexandrinæ scholæ præsidem; nisi dicas, post suum ex India reditum, quò ad Christi fidem prædicandam a *Demetrio* Alexandrino Episcopo missus fuerat, iterum Alexandrinæ scholæ præfuisse. A Clemente Alexandrino Stromat. lib. I. pag. 274. *apis Sicula* dicitur, non quod Siculus natu esset, sed quia instar Siculæ apis ex Apostolicis & propheticis scriptis mel Siculum redoleret. Inter recentiores post Baronium & Labbeum, de *Pantæno* adeundi Halloixius inter vitas Patrum Orientis tom. II. pag. 839. Tillemontius tom. III. pag. 170. *& seq.* & alii. Vide Bollandianos hac die pag. 451. *& seq.*

Nicostrati & soc. An *Nicostratus* & socii martyres, iidem sint ac martyres *quatuor coronati*, de quibus ad VI. *Idus Novembris* vetera Hagiologia, an diversi, adhuc disceptatur. Baronius in Notationibus hac die, alios esse censet. Sollerius vero ad Usuardum hac die rem mature expendit, atque multa hinc inde ante oculos ponit. In primis se offert Romani parvi auctoritas, in quo hac die VII. *Julii* legitur: *Romæ*, *martyris Nicostrati primiscrinii*, *Claudii*, *Castorii*, *Victorini*, *Symphroniani*. Die vero VIII. *Novembris* habet: *Romæ*, *Claudii*, *Nicostrati*, *Symphroniani*, *Castorii*, *Simplicii*, *artificum insignissimorum*. Ex varietate nominum, & ex verbis postremis, ab iis, de quibus hac die apud Adonem & Usuardum agitur, distinguendos esse *quatuor coronatos* existimat Sollerius. Notkerus hac die VII. *Julii*, *Nicostrati* & sociorum nomina recitat. Horum postremum, *Symphronianum* dicit, & subinfert: *vel sicut in libro Sacramentorum continetur*, SIMPHRONIANI. Deinde habet: *quorum natalem sexto die Iduum Novembris eatenus nos celebrasse credimus*, *donec venerabilis pater Ado*, *alios & alios pro eis nobis honorandos insinuaret*, *de quibus suo loco*, *vita comite*, *differetur*. Sed quid in Martyrologio ad diem VIII. *Novembris* scripserit Notkerus, adhuc ignoratur, quia a die XXVI. *Octobris* Martyrologium illud mutilum est. Ado certe ad diem VIII. *Novembris* distinxit *Claudium*, *Nicostratum*, *Symphronianum*, *Castorium*, & *Simplicium a quatuor coronatis* martyribus, ut plenius ad eam diem dicemus. Acta Græca *Sebastiani* & sociorum, *Zoe*, *Tranquillini*, *Nicostrati*. *Claudii*. *Castoris*, *Tiburtii*, *Castalli*, seu *Castuli*, *Marcellini*, & *Marci*, Metaphraste auctore, habentur in Bibliotheca Cotelitiana pag. 213. Usuardus tum hac die, tum die VIII. *Novembris* Adonem imitatur. De *Primiscrinii* officio plura Baronius in Notationibus hac die; confer etiam Gutherium de officiis domus Augustæ lib. I. cap. XV. & XXII. & lib. III. cap. XVI. & Cangii Glossarium hoc verbo. De *Commentariensis* item muniis idem Baronius in Notationibus die II. *Febr.* & XXVII. *Martii*, Gutherius, ut supra lib. II. cap. XIII. & Cangius in Glossario.

Evoldus Antistes *Viennensis* a codicibus nostris omissus est; prout etiam omittitur a genuino Usuardo: sed illius Auctaria agunt pridie hujus diei. De eo Bollandiani, quem *Eoaldum* vocant, hac die pag. 484. Floruit c. An. D. 717. De ejus obitu nihil certi. *Evoldi.*

G. VIII. IDUS JULII. 8. *Julii.*

Rom. 16. 1. Cor. 16. Act. 18. APUD Asiam minorem, sancti Aquilæ, & Priscillæ uxoris ejus, de quibus in Actibus Apostolorum scribitur: apud quos beatus Paulus Apostolus, propter artificium (erant enim ejusdem artis, id est, scenopegiæ, cujus & Apostolus) morabatur & operabatur, postquam ipsi in Achajam ab urbe Roma venerunt. *Aquilæ & Priscillæ.*

In Palæstina, natalis sancti Procopii martyris, qui ab Scythopoli ductus Cæsaream, ad primam responsionum ejus confidentiam, irato judice Fabiano, capite cæsus est. *Procopii.*

VARIA LECTIO. Ed. *ad primam responsionum*. Codices 511. 512.& 514. *ad primam confessionum confidentiam*, *irato Judice Fabiano*, *capite cæsus est*. Sequitur in codicibus:

Jo:& Apri » Apud Eracleam sanctorum Johannis & Apri. Eodem die sancti Ciliani martyris. *Chiliani*;

Aquilæ & Priscillæ. ADNOTATIO. *Aquilæ*, & *Priscillæ* elogium ex Adone ita contraxit genuinus Usuardus: *Apud Asiam minorem*, *sancti Aquilæ & Priscillæ ejus uxoris*, *de quibus in Actibus Apostolorum scribitur*. Primitus de his agi a Romano parvo, putat Sollerius. Romani parvi enunciatio hæc est: *In Asia minore*, *Aquilæ & Priscillæ uxoris ejus*. Notkerus ad verbum Adonem describit. Alia Hagiologia silent. Vide quæ ad rationem Chronologicam de his disponendam protulit Tillemontius tom. I. pag. 246. *& seq.* De eorum cultu, elogiis, ac martyrio Bollandiani socii, hac die pag. 534. *& seq.* Passi dicuntur c. An. D. 65. aut 69.

Procopii. *Procopius* martyr colitur hac die in fastis omnibus vetustioribus, nimirum in Hieronymianis, Beda, Rabano, Adone, Usuardo, Notkero, Romano parvo, Wandelberto, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Martyrologio Regiuæ Suecorum, Fuldensi, Ottoboniano, S.Cyriaci, & Barberiniano. Ex Beda sumpsere Rabanus, & Ado, Usuardus ex Adone, Notkerus ex utrisque. Gellonense agit postridie hujus diei. Iterum agunt postridie Augustanum, & Labbeanum. An *Procopius*, de quo hac die vetera Martyrologia, distinguendus sit a *Procopio* inter martyres Palæstinæ ab Eusebio in libro de Martyribus Palæstinæ cap. I. celebrato, qui passus est die VII. *Junii*, disquirit Florentinius in notis hac die. Baronio in Notationibus duo *Procopii* distinguendi videntur, in quam sententiam non videtur discedere Sollerius in Usuardum hac die. Vide Ruinartium pag. 330. Acta Græca *Procopii* martyris, laudata a septima Synodo, non sunt Metaphrastæ, sed incerti auctoris, ut ab Allatio est adnotatum. Habentur alia ejusdem martyris Acta Græca, auctore Hesychio presbytero Hierosolymitano. Alia item incerti auctoris, Latine a Lipomano, & Surio, Metaphrastæ nomine edita, die VIII. *Julii*, habes quoque apud Bollandianos hac die VIII. *Julii* pag. 556. *& seq.* Vide de his Actis Bollandianos die XIX. *Maji* pag. 304. & Papebrochium in Responsionibus ad art. V. n. 29. *& seq.* ac Tillemontium tom. V. pag. 605. *& seq.* & iterum Bollandianos hac die VIII. *Julii* pag. 553. Passus esse fertur Diocletianea persecutione A. D. 303. De S. *Procopii* Ecclesia in urbe Byzantio a *Constantino* M. extructa Cangius in Constantinopoli christiana lib. IV. sect. VI. num. LXXXIII. pag. 33. & in notis ad Cinamum pag. 478. Ad Acta iterum redire cogimur. Henricus Valesius in notis ad Eusebium pag. 171. ex codice vetustissimo monasterii Musiacensis Acta *Procopii* martyris reperit, qui codex tunc erat apud Claudium Jolyum Canonicum Parisiensem. Initio Actorum tituli loco hæc habentur: *Passio sancti Procopii martyris*, *qui passus est sub Fabiano judice* IV. *Non. Augusti*. Prope finem vero legitur, Procopium capite cæsum fuisse *Desii septima Julii mensis*, *quæ Nonas Julias dicitur apud Latinos*. Alii codices, nimirum Corbejensis, & S. Germani legunt: *Dies erat septima Julii mensis*, *quæ* VII. *Idus Julii dicitur apud Latinos*. Omnes hæ chronologicæ notæ mendosæ sunt, ut adnotavit Valesius pag. 172. & Ruinartius p. 373. ubi hæc eadem Acta profert. Valesius mendum esse notat ex eo, quod in omnibus Martyrologiis natalis *Procopii* VIII. *Idus Julii* consignatus est, qua quidem die agunt etiam Græci in eorum Menæis. Id autem de omnibus Martyrologiis minime verum est, nam aliqua agunt etiam ad VII. *Idus Julii*. Duos hic etiam *Procopios* distinguit Valesius, alterum *Lectorem*, & *Exorcistam*, alterum *Ægypti Ducem*, & utrumque eodem ferme tempore passum. Duos item distinguit Ruinartius. Pro uno *Procopio* decertant Bollandiani socii hac die pag. 552. n. 7. *& seq.* In Actis Latinis illud animadversione dignum Valesio videtur, quod in Ecclesia Scythopolitana divinæ Scripturæ Græca lingua legebantur, quas Syriace populo Procopius exponebat, ut hæc in iis verba proferunt: *Ibi Ecclesiæ tria ministeria* (Procopius) *præbebat*: *unum in legendo officio*, *alterum in Syri interpretatione sermonis*, *& tertium adversus dæmones manus impositione consummans*. Judex in his Actis *Flavianus* appellatur.

Codices nostri hac die agunt de *Johanne* & *Apro* apud *Heracleam* Italiæ. Absunt hi a genuino Usuardo, at leguntur in Hieronymianis hac die, ut in apographo Lucensi, aliis quatuor sociis adjectis. Ita enim habet: *In Fraclea*, *Johannis*, *Apri*, *Antheologi*, *Glitherii*, *Perenthi*, *Stratonis*. Epternacense, & Corbejense eadem nomina habent, sed librariorum vitio corrupta. Richenoviense: *In Eraclia*, *Johannis*. Martyrologium Regiuæ Suecorum: *In Eraclea*, *natalis SS. Joan. Apri.* In Auctariis Usuardi hac die, ut in Centulensi: *Apud Heracleam sanctorum Johannis & Apri.* Editio ejusdem Usuardi Lubeco-Coloniensis: *Apud Eracleam*, *sanctorum Johannis & Primi confessorum*. Editio Grevensis: *Apud Eracleam*, *Jo:& Apri*

aleam, *Johannis & Primi*. Absunt hi a Romano Martyrologio Galesinii, & Baronii, habentur autem in Martyrologio Maurolyci, his verbis: *Heraclea*, *sanctorum Johannis & Apri confessorum*. Philippus Ferrarius in catalogo sanctorum, qui in Martyrologio Romano non sunt, hac die ita habet: *Amigdalariæ in Calabria*, *sanctorum confessorum Apri & Joannis*. Ad hæc notat, *Amigdalariam*, opidum esse in ora *Tarentini sinus* inter *Sibaris*, & *Sirmi* flumina, vulgo *Amendolara*, quæ a Strabone lib. VI. *Heracleopolis*, & a Ptolemæo *Heraclea*. dicta putatur. Utrumque, scilicet *Johannem & Apram presbyteros & confessores* ibi coli. De *Heraclea* supra fluminis *Siris* ostium Strabo & alii apud Cluverium Italiæ antiquæ lib. IV. cap. XIV. pag. 1273. eademque *Leuternia*, *Polium*, & *Heraclium* vocata dicitur. *Heraclia* inter *Cælianum* & *Vicesimum* occurrit in Antonini Itinerario, & in aliis tabulis itinerariis. Posita erat *Heraclea* in Lucania. Unde vero Auctaria Usuardi, & alii recentiores hauserint, *Johannem & Aprum*, *confessores* esse, non martyres, incompertum habeo. Si Hieronymiana apographa inspicimus, in censum martyrum venire videntur. Bollandiani socii hac die pag. 579. utrumque inter martyres enumerant, sed pro *Apro*, *Apriantum* scribunt.

Chiliani. Addunt insuper codices nostri hac die *Cilianum*, seu *Chilianum*, & *Kilianum* martyrem. Agit autem iisdem verbis Usuardus genuinus, sed quum a volgato Adone absit, dubitare non desinit Sollerius, a quo Usuardus acceperit, præsertim quia de *Chiliano* sileant Romanum parvum, Beda, & Florus. In Apographo Lucensi quidem legitur: *In Austria*, *passio sancti Kiliani*; at cum Florentinio consentit Sollerius, nimirum laciniam hanc esse ab antiquario Gallico interpositam. Agit igitur, fatente Sollerio, Rabanus his verbis: *In pago Austriæ*, *& castro nomine Wirzburg juxta Moin fluvium*, *sanctorum natale Chiliani martyris*, *& duorum sociorum ejus*, *qui ab Hibernia Scottorum insula venientes &c.* Duo apographa Bedæ sæculi IX. in Ecclesia Herbipolensi, edita ab Eccardo in fine tom. I. Franciæ orientalis, & ab eodem iterum adducta ibidem pag. 280. 282. hac die habent: *Natale S. Kiliani*. Alterum apographum eadem die: *Sanctus Chilianus Episcopus in castro Wireiburgo cum sociis suis Totmanno*, *& Colmano diacono sub Gozberto Duce martyrizatus*. Aliud Bedæ apographum in Biblioth. Palat. Vat. 834. hac item die primo loco habet: *Natalis sancti Cyliani Episcopi & martyris*. *Et natalis Procopii &c.* Notkerus: *In pago Austriæ*, *idest novæ Franciæ castro*, *imo civitate*, *ut Teutonico nomine prodit Wirzburg*, *juxta Moin fluvium sita*, *passio S. Chiliani primi ejusdem civitatis Episcopi*, *& duorum discipulorum ejus*, *Colonati scilicet presbyteri*, *& Totmani diaconi &c.* Martyrologium Fuldense, licet aliena manu, charactere tamen suppari habet: *In Germania*, *sancti Kiliani martyris*, *& sociorum ejus*. Kalendarium Palat. Vat. 485. *Natalis sancti Kyliani Episcopi & martyris*. Kalendar. Vat. 3806. prout in Martyrologio Fuldensi. Richenoviense: *Alibi natale sanctorum Chiliani Episcopi*, *Colmani presbyteri*, *Dotmani diaconi*. Augustanum: *Ciliani Episcopi & sociorum*. Hactenus Martyrologia, in quibus ex oscitantia multa emendatione digna esse vides. Acta *Chiliani* edidit an. 1598. Nicolaus Serarius, deinde ampliora vulgavit Canisius antiquarum Lectionum to. IV. pag. 628. *& seq.* ex quo Mabillonius sæculo II. Bened. pag. 991. & demum Bollandiani socii hac die pag. 599. *& seq.* *Chilianus*, seu *Kilianus*, aut *Kyllena*, & aliis varie inflexis nominibus appellatus, ut notavit Serarius, fuit natione Scottus ex Hibernia insula, & Romam commigratus, a *Conone* Romano Pontifice c. A. D. 686. Episcopus regionarius, sine ulla sede factus est. Tum in *Pr...uriam orientalem*, quam deinde *Franconiam* vocavere, perrexit, plurimos ibi ad christianam fidem adduxit, inter quos *Gozobertum*, regionis illius Ducem. Jussu *Geilæ* ipsius *Gozoberti* uxoris, incestuosæ, quod antea ipsius fratri nupta fuisset, clam *Kilianus* cum sociis VIII. *Idus Julii* c. An. D. 689. interemptus est. Non fuit Episcopus *Wirzburgensis*, ut inter primos scripsit Notkerus, ac deinde Sigebertus, & alii ex eo perperam; nam primus Wirzburgensium Episcopus est *Burchardus*, ut constat ex Epist CXXXII. S. Bonifacii ad Zachariam Romanum Pontificem, ac ostendunt Bollandiani socii hac die pag. 601. Eadem, ad Episcopalem sedem quod attinet, habet Jo. Georgius Eccardus Historiæ Franciæ Orientalis tom. I. pag. 273. qui mox pag. 280. & 282. de ejus martyrio agit, ac passum esse A. D. 687. scribit, nec esse perspicuum, qua die.

A. VII. IDUS JULII. *9. Julii.*

ROMÆ, ad Guttam jugiter manantem, sancti Zenonis, & aliorum decem millium ducentorum trium. *Zenonis cum decem mill. 203.*

In civitate Tyriæ, natalis SS. Anatoliæ & Audacis, sub Decio Imperatore. Quorum Anatolia cum multos in Piceno *Anatoliæ & Audacis.*

infirmos,

infirmos, lunaticos, ac dæmoniacos curasset, ducta est jubente Faustiniano ad civitatem Tyriæ, & diversis plagarum generibus vexata. Deinde cum serpente tota nocte inclusa, nihil læsa est: quin & ipsum Marsum, qui serpentem dimiserat, nomine Audacem, mane a suo serpente devorandum eripuit, & ad Christi martyrium convertit. Nam ipse post hæc ob confessionem veritatis in custodiam datus est. Ipsa quoque virgo Christi transverberata, cum staret extensis manibus in oratione, ita ut per dexterum latus gladius missus, per sinistrum exiret. Quæ passa est septimo Iduum Juliarum: sepulta autem mane a civibus Tyriensibus. Audax vero, quia de Oriente erat, ab uxore sua & filiis illuc translatus est.

Cyrilli. Eodem die, natalis sancti Cyrilli Episcopi, qui flammis injectus, illæsus evasit, ac stupore tanti miraculi a Judice dimissus. Cum rursus verbum Dei alacriter prædicaret, ac plures efficacius ad fidem Christi converteret, Judex pœnitentia ductus capite plecti eum jussit, atque optatum martyrii finem consummavit.

Bricii. In civitate Martulana, S. Bricii Episcopi & confessoris, qui sub judice Martiano, os lapide contusus est, & in equuleo crudelissime excruciatus, in Domini confessione perdurans, in carcerem trusus est. Nocte autem terræmotu gravi civitas concussa, inter alios plures, etiam Martianum occidit. Et Christi confessor ab Angelo sancto, & a beato Petro Apostolo visitatus, atque ad prædicandum Evangelium confortatus, magnas populorum credentium multitudines omnipotenti Deo lucrifaciens, quievit in pace. Cujus animam viderunt adstantes in specie columbæ niveæ cælo recipi.

Serapionis Item apud Ægyptum, S. Serapionis Episcopi & confessoris.

VARIA LECTIO. Ed. *ducentorum trium. In civitate Tyriæ &c.* Codices 511. 512. 514. *ducentorum & trium. Eodem die beati Cirilli Episcopi &c.* prout in editis. Post *Cyrillum* sequitur in codicibus: *In civitate* (cod. 511. *Tiriæ*, cod. 512. & 514. *Tyrus*) *natalis sanctorum Anatholiæ, & Audacis &c.* Ed. *cum multos in Piceno &c.* Codices: *cum mutos in Picena, infirmos, lunaticos, ac dæmoniacos curasset &c.* Ed. *ad civitatem Tyriæ.* Codices: *ad civitatem Tiriæ.* Ed. *quin & ipsum Marsum.* Codices: *quin & ipsum serpentarium nomine Audacem, mane a suo &c.* Ed. *per sinistrum exiret.* Post hæc in codicibus sequitur: *Sepulta est autem mane a civibus Tiriensis. Audax vero de custodia eductus, nec mora capitali sententia coronatus est: & quia de oriente erat, ab uxore sua & filiis illo translatus. In civitate Marculana, natalis sancti Bricii Episcopi & confessoris, qui &c.* Ed. *os lapide contusus est.* Codices: *postquam os lapide contusus est.* Post verba: *cælo recipi*, sequitur in codicibus: *Eodem die, depositio sancti patris nostri Effrem diaconi, magnarum virtum & excellentis ingenii viri.*

Ephrem. Deest in codicibus natalis S. *Serapionis* Episcopi.

ADNO-

Zenonis, & al. decem mill. ADNOTATIO. Ante Romanum parvum nullus inter Martyrolographos de *Zenone* & aliis martyribus Romanis, Sollerii opinione, meminit. Agit igitur hae die Romanum parvum his verbis: *Romæ ad Guttam jugiter manantem, Zenonis & aliorum x. m.*CCIII. Ex eo, ut putat Sollerius, sumpsit Ado, & ex Adone Usuardus. Alii, judice Solerio, silent. Rhinoviense & Richenoviense hae die habent: *In Thomis, Zenonis*. Augustanum, & Labbeanum *Zenonis*, mixtim cum aliis meminerunt. Corbejense brevius: *Et in Thomis, sanctorum Zenoni, Mina, Vitalis*. Ottobonianum: *Romæ* x. *mill.* ccc. *martyrum*. Locus *ad aquam jugiter manantem* explicatur a Baronio in Notationibus hae die, & est ad *Aquas Salvias*, tertio plus minus ab Urbe lapide, ubi sacræ ipsorum martyrum reliquiæ asservari dicuntur, & ipsa traditio ac vetera monumenta, hos martyres ibi martyrii coronam accepisse testantur. Conqueritur autem Baronius de secunda Usuardi per Molanum editione, in qua post verba *ad guttam jugiter manantem*, addita sunt: *quæ alias dicitur Ecclesia sanctæ Mariæ fontis olei Transtiberim*. Alia est, inquit Baronius, prorsus ratio de *fonte olei* ad *Transtiberim* posito. *Zenon*, adnotante Baronio ad an. 298. num. XVI. fuit Tribunus militum, cæteri legionarii milites fuerunt, qui lustrato exercitu, christiani reperti, ad opus thermarum Diocletianarum primum damnati, deinde absolutis thermis, quum constantes in fide Christi perstarent, capite extra portam Trigeminam, ad Aquas Salvias plexi sunt. Vide de his Bollandianos hae die pag. 687. ubi Baronium a Tillemontii tom. v. pag. 124. criminationibus tuentur.

Anatoliæ, & Audacis *Anatholia* & *Audax* coluntur hae die a Beda genuino, qui habet *Tyra*. Apographa Bedæ Palat. Vat. 833. 834. habent: *In civitate Tyra*. Romanum parvum: *In civitate Tyria, Anatoliæ & Audacis*. De *Anatholia* meminere postridie hujus diei Hieronymiana, & Gellonense. Agunt præterea ex Actis Ado noster, contractius Usuardus, qui habet *Tyro*, pro *Tyria* apud Adonem. Rabanus præfert *Tyra*, & Notkerus addidit: *non longe ab urbe Roma*. An de hac *Anatholia* a Hieronymianis agatur, disquirit Florentinius in notis hae die, & postridie, ubi in Hieronymianis cum *Victoria* in *Sabinis* conjungitur. *Anatholii*, Romæ, hac die IX. *Julii* una cum *Floriano* & aliis meminit Richenoviense. Augustanum, & Labbeanum legunt *Anatholiæ*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In civitate Tyre, natalis sanctorum Anatholiæ virginis & Audacis Marsi, qui uterque capitali sententia coronati sunt*. Martyrologium S. Cyriaci: *In civitate Tyre, natalis sanctorum Anatholia & Audacis &c.* prout apud Adonem. Eadem leguntur in Berberiniano. In his pro *Faustiniano* habetur *Festiano*, & *Festiniano*. Martyrologium Ottobonianum: *Natalis sanctorum Anatholiæ, & Audacis sub Decia passi*. Martyrologium Fuldense eadem fere quæ apud Adonem, & Usuardum, paucis immutatis, aut demptis. In Martyrologio Romano scriptum est: *In civitate Thora apud lacum Velinum*, ad quem locum Baronius monet, in aliis Martyrologiis lectum fuisse: *Tyri ad lacum Vulsinum*; sed pro *Tyra*, seu *Thurio*, vel *Thyra*, legendum esse *Thora* censet, quæ memoratur a Dionysio Halicarnassæo lib. I. & a *Reate* quadraginta stadiis distabat. Vetera monumenta de his martyribus exstare apud *Thoranensem* opidulum diœcesis Reatinæ se accepisse, tradit ibidem Baronius, qui subinde addit, horum Acta ex antiquis codicibus edita fuisse a Surio, & de iisdem martyribus ab Adelhmo in libro de laudibus virginitatis pluribus agi. Idem Baronius ad an. 253. n. XXIX. inter innumeram Romanorum martyrum multitudinem, qui per idem tempus passi sunt, nobilissimas virgines *Victoriam* & *Anatholiam* recenset, quæ *Thoram* ad lacum *Velinum* abductæ, post varia tormenta martyrii coronam hae die IX. Julii receperunt. De *Marsis* serpentum incantatoribus agitur apud Horatium Epodon libro Carmine IV. vers. 75. *nte vocata mens tua, Marsis redibit vocibus*. De Marsorum in serpentes vi ex veterum testimoniis Martius Phœbonius Historiæ Marsorum lib. I. cap. II. Vossius senior de Theologia gentili lib. IV. cap. XXI. In Missali plenario Vatic. 4770. ad diem x. Julii Missa habetur in *natali septem fratrum, & sanctæ Anatholiæ & Rufinæ*. Post Missam de septem fratribus, sequitur: *Eodem die, sanctæ Natoliæ* (sic) *& sanctæ Rufinæ*. Prima oratio: *Deus, qui nos hodie beatæ Anatholiæ &c.* Alia: *Indulgentiam nobis &c.* Alia: *Omnipotens &c. Da nobis in festivitate beatæ Rufinæ & Secundæ virginum tuarum &c.* Idem Missale in Canone ad: *Nobis quoque &c.* post *Anastasiam*, habet: *Euphemia, Victoria, Anatholia*. Vide Bollandianos hae die pag. 671. *& seq.* ubi Acta proferunt ex codice Bibliothecæ Cæsareæ.

De *Cyrillo* Episcopo & martyre agunt hac die Hieronymiana. Apographum Lucense, & Dacherianum habent: *Cyrilli Episcopi, igni traditi*, prætermisso martyrii loco. Florentinius in notis pag. 650. a Hieronymianis consulto martyrii locum præteritum fuisse putat, quia Notkerus habet, Cyrillum *Gortynæ* urbis in Creta Episcopum, igni in *Ægypto* traditum fuisse, quum id alia Hagiologia non referant. Beda genuinus silet. Romanum parvum ita præfert: *Cyrilli Episcopi & martyris*. Gellonense, Labbeanum, & S. Maximini: *Cyrilli Episcopi*. Ado vulgatus in elogio nihil de loco martyrii profert, prout & genuinus. Usuardus Adoni adhæret. Notkerus vero ita incipit: *In Ægypto, Cyrilli Episcopi, qui a Lucio duce flammis injectus &c.* ferme ut apud Adonem. Martyrologium Fuldense: *Eodem die Cirilli Episcopi, qui flammis injectus, inlæsus evasit*. *Cyrilli.*

sit, sed postea decollatus est. Ante Notkerum, *Ægyptum* designarant Florus, & Rabanus, ac *Decium Imperatorem*, & *Præsidem Lucium* nominarant. Kalendar. Vat. 3806.: *In Ægypto, passio sancti Cirilli Episcopi, Procopii, & sancti Effrem monachi*. Incertum esse adhuc, cujus urbis hic *Cyrillus* Episcopus fuerit, quo tempore vixerit, quo passus fuerit, tradunt Bollandiani socii hac die pag. 683. Menologium Basilii hac die de *Cyrillo* Cretæ Archiepiscopo, igni tradito, & capite cæso agit. Vide Acta Græca & Latina apud Bollandianos, ut supra, pag. 684. ac Tillemontium tom. III. pag. 715. suspicantem geminum *Cyrillum* in unum conflatum. In Martyrologio Romano ita exaratum est: *Gortynæ in Creta, sancti Cyrilli Episcopi, qui in persecutione Decii sub Lucio præside flammis injectus &c.* Baronius in Notationibus ad hunc locum pro uno *Cyrillo* Gortynensi Episcopo pugnat; alii *Romam* pro *Gortyna* Cyrillo adscribunt.

Bricii. *Brictius* memoratur pridie hujus diei a Romano parvo, hoc pacto: *Marulana civitate, Brictii Episcopi*. Elogium exaravit Ado, ex quo Usuardus delibavit, Notkerus vero ad verbum descripsit. Fuse de *Brictio* Henschenius in Actis S. Chrysopoliti die XII. *Maji*, & summatim Tillemontius tom. V. pag. 132. *Marulana*, seu *Martana*, aut *Maraluna* civitas in *Umbria*, nusquam apud veteres Geographos invenitur. Apographum Actorum *S. Brictii* in Ecclesia Spoletana hæc habet pag. 183. tom. III. *cœpit prædicare omnibus regionibus sub montana Matulana*. Litteræ *u* & *t* superposita est sigla *ur*, ex qua orta est *Marsula*, & *Martana*. In finibus Tudertinorum fuit olim *vicus Martis*, de quo veteres lapides apud Gruterum pag. CCCCXXIII. 1. MXXIX. 5. MXXXII. 1. MLXXXVII. 9. MXCIX. 5. in quibus VICANI VICI MARTIS TUDERT. Huc facit de cultu *Martis* apud Tudertes Sil. Italicus Punic. lib. IV. vers. 222.

Et Gradivicolam celso de colle Tudertem.

Idem lib. VIII. vers. 464.

... & haud parci Martem coluisse Tudertes.

In Itinerario Antonini legitur: *Ad Martis*, quo loci, ut sæpe in eo libello, subintelligitur *ad fanum*, scilicet *Martis*. Bollandiani hac die pag. 697. paucia de *Brictio* Martulæ in Umbrio Episcopo agunt, quia uberius de illo egerunt tom. I. *Julii* pag. 21. cap. III. P. I. in Tractatu præliminari de sanctis duodecim sociis, ubi recoli eum quidem in veteribus Martyrologiis, sed commenticia esse illius Acta contendunt.

De *Serapione* silent codices nostri, silet & genuinus Usuardus; idcirco Sollerius, dubitasse eundem Usuardum putavit, num ab Adone positus fuerit; & monet, ab Usuardo die XXI. *Martii* agi *de Serapione anachoreta*: die XXVI. *Octobris de Serapione Antiocheno*, & die XIV. *Novembris de Serapione Alexandrino*. De *Serapionibus* variis amandat ad Bollandianos die XXI. *Martii* pag. 260. Confer etiam, si lubet, de Serapionibus variis Bibliothecam Græcam Fabricii lib. V. cap. XXI. tom. VIII. pag. 192. Serapionis

Codices nostri extremo loco hac die iterum de *Ephrem* diacono agunt, & ante de eo cum vulgato Adone die I. *Februarii* egerunt. Nos ad eam diem nonnulla adnotavimus, sed Martyrologiorum testimonia prætermisimus, quia eorum pleraque agunt hoc die IX. *Julii*, ut Beda, Rabanus, Martyrologium, S. Cyriaci, Barberinianum, Fuldense, Ottobonianum iterum, & Kalendarium Vat. 3806. Bollandianis sociis, ut jam ad diem I. *Februarii* monuimus, initio prætermissorum ad diem IX. Julii pag. 667. negocium facessit apographum Usuardi Rosvveidianum, in quo legitur: *In Ægypto, S. Ephrem monachi*. Quis est igitur, inquiunt, hic *Ephrem Ægyptius*? An *Ephrem*, *Abrahami* eremitæ collega? Sed neque hic *Ægyptius* fuit, neque monachum in *Ægypto* egit. Satius est, ut mihi videtur, apographum illud, & alia Martyrologia ejusmodi mendi accusare, quam *Ephremum* alium, ab *Edesseno* diacono inquirere; nam ea emendate loqui videmus, quæ nobis *Ephremum diaconum*, excellentis ingenii virum hac die exhibent. Ephrem.

---

10. Julii. *B. VI. IDUS JULII.*

Sept. fratr. ROMÆ, septem fratrum filiorum sanctæ Felicitatis, id est, Januarii, Felicis, Philippi, Sylvani, Alexandri, Vitalis, & Martialis, sub præfecto Urbis Publio, tempore Antonini principis. Primum auditi, deinde per varios Judices, ut variis suppliciis laniarentur, missi. E quibus Januarius post verbera virgarum & carcerem, ad plumbatas occisus est. Felix, & Philippus fustibus mactati. Sylvanus præcipitio interemptus est. Alexander, Vitalis, & Martialis capitali sententia puniti.

Eodem

Eodem die in Africa, natalis SS. Januarii, Marini, Naboris, & Felicis, decollatorum: quorum corpora Mediolanum translata sunt. *Januarii, & soc.*

Romæ miliario decimo, natale SS. Rufinæ & Secundæ fororum, patre clarissimo genitarum Asterio, matre clarissima Aurelia, sub persecutione Valeriani & Gallieni, judicibus Junio Donato præfecto, & Archesilao comite. Harum virginum sponsi Armentarius & Verinus a fide Christianitatis recesserunt. Pro qua re volentes beatæ virgines declinare eorum persuasiones insanas, ad prædiolum suum, quod in Tusciæ partibus, videbantur habere, basternæ pergebant vehiculo. Quod audientes Armentarius & Verinus, comiti Archesilao suggesserunt, qua de causa Urbem fugerent. Tunc sceleratissimus Archesilaus cum militibus suis equestribus iter agens, sanctas Dei virgines in via Flaminia miliario decimoquarto comprehendens, atque revocans ad urbem Romam, Junio Donato præfecto obtulit. Qui jussit eas in custodias redigi a se invicem separatas, & in die tertia in secretarium duci. In quo Rufinam ingredi jubens, dixit ad eam: Cum sis nobilis nata, quid est quod ad ignobilitatem devoluta es? Et cupis esse captiva in vinculis, magis quam libera cum marito gaudere? Rufina respondit: Captivitas ista temporalis æternam captivitatem excludit, & vincula temporalia, perpetua vinculorum ligamenta dissolvunt. Præfectus dixit: Istas vanas fabulas & aniles abjice, & sacrifica diis immortalibus, ut possis tuo sponso cum gaudio perfrui, & usque ad senectutem cum gaudio deliciarum attingere. Rufina respondit: Duo sunt inutilia, quæ persuades, & unum dubium quod promittis. Nam dicis me debere idolis sacrificare, ut in æternum peream; & post hoc maritum accipere, ut gloriam virginitatis amittam. Post ista, duo contraria promittis, quod usque ad senectutem cum gaudio deliciarum attingam, cum de te ipso incertus sis, an ad diem crastinum attingas. Præses adduci jussit Secundam, ut Rufina soror ejus in conspectu ipsius flagellis cæderetur. Quæ cum vidisset sororem suam flagellis cædi, clamare cœpit ad Judicem. Quid est quod agis, sceleratissime, & regni cælorum invisor? quid est quod sororem meam glorificas, & me exhonoras? Dicit ei Præfectus: Ut video, insanior sorore tua es. Secunda respondit: Nec soror mea insana est, nec ego insanio, sed ambæ Christianæ sumus, & justum est ut simul cædamur, quia simul Christum Dominum confitemur. Et cum libere fidem veritatis faterentur, tunc jussit eas Præfectus in tenebroso loco includi, & fumum stercorum fieri. Cum hoc fuisset factum, fumus ille quasi *Rufinæ & Secundæ.*

quasi thymiama exhalabat, & obscuritas illa quasi die medio vincebatur. Iterum jussæ sunt inde tolli, & in suis balneis includi, atque in folio ardente & non temperato jactari. Ubi cum fuissent post duas horas ingressi qui eorum corpora tollerent, inveniunt intus folium frigidum & vaporatum. Quod audiens Præfectus, obstupuit, & jussit eas duci, & in medio Tiberis mitti, & uno saxo ligato in collo ambarum, præcipitari. Cum quo post dimidiam fere horam mersæ sunt: & quæ nudæ missæ fuerant, in superiore parte fluminis siccis vestibus apparuerunt indutæ, Christi gloriam decantantes. Quod cum fuisset Judici nuntiatum, dixit Præfectus Archesilao comiti: Istæ, quas mihi tradidisti, aut magica arte nos superant, aut vere in eis sanctitas regnat. Unde sicut eas mihi tradidisti, ita eas ego tibi reddo, ut tuo arbitrio, vel sententiam accipiant, vel evadant. Tunc Archesilaus jussit eas duci in silvam in via Cornelia, ab urbe Roma miliario decimo, in fundo, qui vocatur Buxo, & illic eas capite percuti, & sic earum inhumata corpora derelinqui. Sed Domini gratia non defuit in Christo credentibus, nec defunctis. Nam Plautilla matrona, in cujus prædio hoc factum est, vidit eas in visu sedentes gemmatas in thalamo, & dicentes sibi: Plautilla, desine a flagitiis idolorum, & ab incredulitate impia cessa, & credens in Christum, veni in rem tuam, & corpora nostra inveniens, ibi sepeli. Exurgens autem Plautilla, pervenit ad locum, & inveniens sanctarum virginum corpora, adoravit, & credidit, & fabricavit sepulcrum virginum ad laudem Domini Jesu Christi.

VARIA LECTIO. Ed. *idest, Januarii &c.* Codices 511. 512. & 514. *idest, Januarii, Felicis, Philippi, Alexandri, Vitalis, Silvani, Martialis &c.* Ed. *ad plumbatas.* Codices: *ad plumbatos.* Ed. *Sylvanus præcipitio interemptus est.* Codices: *Silvanus interemptus est.* Ed. *capitali sententia puniti.* Codices: *capitali sententia sunt puniti. In Africa natalis &c.* Ed. *Romæ milliario decimo &c.* Codices: *Item Romæ, natalis sanctarum virginum Rufinæ & Secundæ sororum, patre clarissimo Asterio genitæ, matre Aurelia, sub persecutione Valeriani, & Galieni. Harum virginum sponsi Armentarius &c.* Ed. *recesserunt.* Codices: *recesserant.* Ed. *Archesilao.* Codices: *Archisilao.* Ed. *Rufinæ respondit. Captivitas &c.* Codices: *Rufina respondit. Duo sunt inutilia &c.* Ed. *Nam Plautilla matrona.* Codices: *Denique Plautilla matrona.* Post extrema verba: *Domini Jesu Christi*, sequitur in codicibus: *In monasterio sancti Germani, dedicatio basilicæ sancti Aniani Episcopi.* *Dedic. Basilicæ S. Aniani.*

Sept. fratr. ADNOTATIO. *Septem fratres* martyres coluntur hac die in tabulis omnium Latinorum vetustissimis, ut in Kalendario Bucheriano, Hieronymianis, & aliis. Hagiologorum testimonia aliqua præteriri non possunt. In Bucheriano ad hanc diem legitur: *Felicis, & Philippi in Priscillæ: & Jordanorum, Martialis, Vitalis, Alexandri: & in Maximi, Silani (hunc Silanum, martyrem Novati* furati sunt) & in Prætextati, Januarii.* Apographum Hieronymianum Lucense *vi.* pridie hujus diei: *Romæ, natalis virginum, Flo-*

* *Novatiani.*

Floriani, *Faustini*, *Anatholiæ*, *Felicitatis*, *cum* VI. *presbyteris*, *Felicis*, *Philippi*, *Martialis*, *Vitalis*, *Alexandri*, *cum aliis* VI. &c. Hac vero die habet: *Natalis* VII. *germanorum*, *idest Felicis*, *Felippi*, *Maximi*, *Silvani*, *Prætextati*, *Proculi*, *& mil.* IIII. Utrobique *Januarius* reticetur. Florentinius in notis ad hunc diem pag. 652. conjicit, apographum Lucense quod edidit, Romanæ Ecclesiæ usui accommodatum fuisse, quod hos septem fratres, quia Romani erant, & Romæ passi fuerant, non indicato passionis loco, utpote superfluo, recenseat. Sed hujusmodi conjectura nullius momenti mihi videtur, nam Hieronymianum illud apographum passim *Romæ* martyrum natales designat. Quæ vero in Urbe solemnior celebritas, quam Petri & Pauli Apostolorum natalis? Atqui idem apographum die XXIX. *Junii* eorum festum diem, indicatis etiam locis celebritatis adsignat, nempe *Petri*, *in Vaticano*, *& Pauli*, *via Ostiensi*. Castigatiori manu exaratum est apographum Hieronymianum Dacherii, in quo hac die X. *Julii* ita habetur: *Romæ*, *Priscillæ*, *& natalis sanctorum septem germanorum*, *idest Felicis*, *Philippi*, *Vitalis*, *Martialis*, *Alexandri*, *Silani*, *Januarii*; *& militum quatuor*. Agunt cum elogio Beda, Rabanus, Ado noster, Usuardus, & Notkerus. Agunt nominibus eorum tantum commemoratis, aut generice, & alicubi mendose, Romanum parvum, Gellonense, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, S. Cyriaci, Barberinianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Ex his percipimus, hos septem fratres, fuisse filios *sanctæ Felicitatis*. Præter Martyrologia libri Liturgici affatim ostendunt, quanto in honore hi martyres in Romana Ecclesia olim haberentur. Deest quidem Missa in eorum natali in codice Gelasiano, sed habetur in Gregorianis vetustissimis. Codex Sacramentorum Reginæ Suecorum 337. & Ottobonianum in titulo hujus diei præferunt: *Natalis septem fratrum*. Sacramentarium Pamelii pag. 318. *Natale septem fratrum*, *filiorum sanctæ Felicitatis*. Sacramentarium Menardi, Angeli Rocchæ, & Palat. Vat. 495. prout Sacramentarium Reginæ Suecorum. Missam quoque de his habet Missale plenarium Vat. 4770. In orationibus ad Missam fere omnia conveniunt, præterquam quod apud Pamelium inter duos uncos, veluti auctaria, leguntur nomina *Felicis*, *Philippi*, *Vitalis*, *Martialis*, *Alexandri*, *Silani*, *atque Januarii*, ac item in Missali plenario Vaticano 4770. in quo additur etiam *beatissima Felicitas*. Sacramentaria Menardi & Angeli Rocchæ addunt Præfationem propriam, quæ a vetustioribus abest. Titulus in codice Sacramentorum vetustissimo, a Josepho Blanchino edito, hic est: VI. *Iduum Juliarum*, *natale sanctorum martyrum Felicis*, *Filippi in cœmeterio Priscillæ*, *Vitalis*, *Martialis*, *& Alexandri in cœmeterio Maximi*, *via Salaria*. *Et Januarii in cœmeterio Prætextati*, *via Appia*. In Capitularibus vero Evangeliorum vetustissimis, a nobis editis, & adductis tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 268. tria Evangelia (nisi excipias Capitulare Martenii, in quo unum tantum Evangelium) ac item tres Missæ in horum martyrum natali designantur, & quidem *via Appia*, ac *via Salaria*. Prima Missa *ad Aquilonem*, *via Salaria* dicebatur. Secunda ad *S. Alexandrum*. Tertia ad *S. Felicitatem*. Notitiæ vetustæ de sacris extra Urbem locis viam nobis ad hæc illustranda sternent. Descriptio regionum Urbis apud Mabillonium Analect. tom. IV. pag. 502. n. 7. in *via Appia* inter illos martyres, qui ibi colebantur, *Januarium* recenset, ac item pag. 513. Apertius Notitia ab Eccardo edita, in qua legitur: *Juxta eandem viam* (Appiam) *Ecclesia est multorum sanctorum*, *idest* JANUARII, *qui fuit de septem filiis* FELICITATIS, *major natu*, *Urbani*, *Agapiti* &c. Ibidem paullo inferius: *Juxta viam Salariam Ecclesia est sanctæ Felicitatis*, *ubi ipsa corpore jacet*: *ibi & Silanus filius ejus*, *unus de septem est sepultus*, *& Bonifacius cum multis sanctis ibi dormiunt*. *Juxta eandem viam S. Saturninus cum multis martyribus dormit*, *propeque ibi S.* ALEXANDER, *& S. Vitalis*, *sanctusque Martialis*, *qui sunt tres de septem filiis Felicitatis*, *cum multis martyribus jacent*. Consonat Willelmus Malmesburiensis. De *cœmeterio sanctæ Felicitatis via Salaria*, & de oratorio a Bonifacio Papa I. in eodem cœmeterio extructo, deque sepulcro ejusdem *Felicitatis*, *& sancti Silvani* exornato, deque sepultura ejusdem Pontificis *via Salaria juxta corpus sanctæ Felicitatis martyris*, liber Pontificalis in vita ejusdem Bonifacii Papæ, ac item de *cœmeterio S. Felicitatis*, & *Jordanorum*, *videlicet sanctorum Alexandri & Vitalis & Martialis martyrum* ab Hadriano I. restitutis, idem Pontificalis liber in vita ejusdem Hadriani. In *Symmacho* Papa idem liber, *basilicæ sanctæ Felicitatis*, ab eodem Symmacho restitutæ, meminit. Idem *Symmachus*, eodem Pontificali libro testante, *fecit cœmeterium Jordanorum in melius propter corpus sancti Alexandri*. Nunc intelligimus, ubi hi martyres sepulti essent, & ubi sacra statione hac die a Romano clero colerentur. Jo. Fronto in notis ad Kalendarium pag. 103. tres Missas in Capitularibus hac die præfigi admonet, unam ad *S. Felicitatem* propter *S. Silvanum* cum ea sepultum, aliam ad *S. Alexandrum* propter tres alios filios simul conditos, aliam *ad Aquilonem* propter alios *via Salaria* sepultos. Cardinalis Thomasius item in notis ad Capitularia Evangeliorum pag. 183. nos docet, priorem stationem designari *via Salaria*, propterea quia Capitularia primam Missam *ad Aquilonem* indicant. Harum martyrum Acta, ge-

genuina visa sunt Ruinartio, qui ea edidit pag. 21. Horum apographum habetur etiam in eodice Reginæ Suecorum 523. pag. 235. præfixo titulo: *Passio sanctorum septem Fratrum, sub die VI. Id. Jul. Temporibus Antonini* &c. Passi sunt sub Antonino Pio c. A. D. 150. De eorum reliquiis in varias regiones translatis Bollandiani socii hac die pag. 8. *& seq.* ubi Acta genuina cum MSS. codicibus collata, iterum ediderunt pag. 12. itemque Acta apocrypha, & analecta quædam de translatione *S. Alexandri* martyris in Abbatiam Ottenburanam, sub *Totone* Abbate, qui obiit An. D. 817. De *Felicitatis* & filiorum martyrio agit Ado infra ad diem XXIII. *Novembris*, quare ea die alia adnotabimus.

Januarii & sociorum. *Januarii*, & sociorum celebritas hac die recolitur a Hieronymianis, & aliis. Romanum parvum habet: *In Africa, Januarii, Marini, Nabaris, & Felicis*. Ado ad hæc addidit: *quorum corpora Mediolanum translata sunt*, quæ omittenda censuit Usuardus. Notkerus vero Usuardum transcripsit. Rhinoviense & Richenoviense postridie habent: *In Africa, Januarii & Marini*. Augustanum & Labbeanum ea die: *Africa, Martiani*: postea nonnullis interjectis, *Januarii* mixtim cum aliis meminere. Martyrologium Reginæ Suecorum eadem quoque die: *In Africa, natalis sancti Mariani*. De translatione sanctorum *Nabaris & Felicis* agit Ado die XII. hujus. De iis igitur ea die dicemus. Vide interim Tillemontium tom. V. pag. 267. *& seq.* & Bollandianos hac die pag. 31.

Rufinæ & Secundæ. *Rufinæ & Secundæ* martyrum elogium uberrimum ex Actis profert hac die Ado noster, ab Usuardo ex more in summam redactum, neque integre a Notkero transcriptum. Agit autem Romanum parvum his verbis: *Romæ, Rufinæ, & Secundæ*. Augustanum, & Labbeanum, *Rufinæ, & Secundæ* turmatim meminere. Martyrologium S. Cyriaci: *Et sanctorum Rufinæ & Secundæ*. Barberinianum: *Romæ passio*, deinde alio charactere, *S. Rufinæ & Secundæ*. Ottobonianum: *Et sanctæ Rufinæ*, tantum. Missale plenarium Vat. 4770. Missam hac die habet *in natali sanctæ Natoliæ, & sanctæ Rufinæ*. Est ibi oratio: *Omnipotens* &c. *da nobis in festivitate beatæ Rufinæ & Secundæ virginum, quarum* &c. Agit de eisdem sanctis virginibus & martyribus Adelhmus in libro de laudibus virginitatis. Acta a Mombritio, & Surio edita, antiquitatis encomin a Baronio ad ann. 260. num. VII. donantur. Præfectus Urbis *Junius Donatus*, a quo damnatæ sunt, præfuit Urbi, ex serie Præfectorum apud Cuspinianum, *Valeriano* IV. & *Gallieno* III. *Coss.* qui ex supputatione Baronii consules fuerunt A. D. 260. at juxta veram temporum rationem A. D. 257. De his Actis litem movent recentiores, & præsertim Tillemontius tom. IV. pag. 5. & 584. ac Bollandiani socii hac die pag. 28. Translatæ sunt olim in oratorium prope baptisterium Lateranense. De loco martyrii, deque Episcopatu SS. *Rufinæ & Secundæ* nonnulla diximus in Dissertatione de cathedra Episcopali Setina cap. XXIII. Vide Bollandianos hac die pag. 28. *& seq.*

Consecr. alt. S. Aniani. Apographa nostra Adonianæ addunt hac die dedicationem basilicæ *S. Aniani* Episcopi in monasterio *S. Germani*: quæ quidem an inter Auctaria Adonis rejicienda sit, ignoramus. De ea enim dedicatione Martyrologium Fuldense hac die ita habet: *In cœnobio sancti Germani Autissiodorensis, consecratio altaris sancti Aniani Episcopi, & confessoris*. Gellonense: *Consecratio altaris S. Aniani Episcopi*.

II. Julii. *C. V. IDUS JULII.*

Translat. S. Benedicti. *Hujus translationis fit mentio in vita S. Aigulphi 3. Septemb.* TRanslatio S. Benedicti abbatis. Postquam enim (sicut ipse vivens prædixerat) monasterium ejus a gentibus est vastatum, Domino revelante, repertum est corpus ejus, & in Gallias translatum, atque in territorio Aurelianensi, monasterio quod vocatur Floriacum, condigne sepultum. Translatum est pariter etiam corpus B. Scholasticæ virginis sororis ejus, atque in partibus Genomanensium, religiosorum devotione conditum. Cujus animam idem vir Dei e corpore egressam, vidit in columbæ specie cæli secreta penetrare: corpusque ejus secum in uno jussit poni sepulcro; ut quorum mens una semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret.

Eodem die in Armenia minore, civitate Nicopoli, natalis sancto-

sanctorum martyrum Januarii, & Pelagiae, qui in equuleo, ungulis, & testarum fragmentis diebus quatuor cruciati, martyrium impleverunt. *Januarii & Pelagiae*

Pontificale cap. 12. Romae in Vaticano, S. Pii Papae, qui sedit in Episcopatu annos octodecim. Sub hujus tempore Hermes librum scripsit, qui appellatur Pastor, quia in habitu Pastoris ei Angelus apparuit. *Pii Papae.*

VARIA LECTIO. Post verbum *impleverunt*, sequitur in codicibus 511. 512. 514.
„ In territorio Pictavensi, natalis sancti Savini Confessoris. Hic fuit ex discipulis *Savini.*
„ magni patris sancti Germani Episcopi. Tradunt enim, hunc eundem fuisse Savinum,
„ quem Mamertinus obvium se habuisse commemorat, quando cultui daemonum fre-
„ quentius insistebat: cujus praedicatione viam veritatis agnoscens, relinquens iter quod
„ ceperat, beatissimum Germanum expetiit, atque ab eo secundum quod ei sanctus Sa-
„ vinus promiserat, non solum animae, sed & corporis sospitatem percipere meruit.

Deest in codicibus natalis S. *Pii* Papae.

Translat. S. Benedicti. ADNOTATIO. Tanti fuit apud transalpinos, coenobitas praesertim, *S. Benedicti* e Casino monasterio in Gallias ad *Floriacense* coenobium, *translatio*, ut in vetera fere omnia Latinorum Hagiologia, & in ipsos libros Liturgicos, monasteriorum usui accommodatos, ea commigravit. Agunt enim de translatione *S. Benedicti* hac die Hieronyminiana Auctaria, ut apographum Lucense, his verbis: *In Gallia, Floriaco monasterio, adventus & exceptio corporis S. Benedicti Abbatis.* Silet Apographum Epternacense. Apographum Corbejense: *Et beatae memoriae Benedicti Abbatis.* Beda genuinus: *Depositio sancti Benedicti Abbatis.* Ita Gellonense. Florus: *Translatio corporis Benedicti Abbatis.* Rabanus: *Et depositio Benedicti Abbatis.* Usuardus genuinus: *Translatio sancti Benedicti Abbatis*, omissis aliis, praeter morem, quae ex Adone delibare solet. Eadem, quae Ado, habet apographum Usuardinum Rosvveidi. Fere ad verbum Adonem describit Notkerus, nonnulla adjiciens. Martyrologium Fuldense: *In Floriaco monasterio, depositio corporis sancti Benedicti Abbatis.* Hagiologium Francogallicum: *Translatio sancti Benedicti Abbatis.* Rhinoviense, sed alio charactere: *Depositio S. Benedicti Abbatis.* Richenoviense: *Translatio sancti Benedicti Abbatis.* Augustanum, & Labbeanum: *Et depositio sancti Benedicti Abbatis.* Corbejense brevius: *Et depositio Beatae memoriae Benedicti Abbatis.* Martyrologium Reginae Suecorum: *Et depositio sancti Benedicti Abbatis.* Ottobonianum: *In Floriaco monasterio, depositio sancti Abbatis Benedicti de translatione.* Martyrologium S. Maximini: *Natale sancti Benedicti Abbatis.* Martyrologium S. Cyriaci: *Depositio sancti Benedicti Abbatis.* Barberinianum: *In pagum Aurelianensem, inventio corporis sancti Benedicti Abbatis, & depositio ejusdem.* Kalendarium Palat. Vat. 485: *Et natalis sancti Benedicti Abbatis.* Palat. 39: *Translatio S. Benedicti confessoris.* Vat. 3806: *Floriaco, translatio S. Benedicti Abbatis.* Et ad diem IV. Decembris: *Et illatio corporis sancti Benedicti Floriaco.* Mabillonius Analect. tom. IV. pag. 451. aliquot Kalendaria recensent, in quibus de hac translatione agitur. Murense 600. annorum hac die: *Celebritas sancti Benedicti Abbatis.* Einsidlense eadem die: *Translatio sancti Benedicti.* His adde libros Liturgicos, qui in monachorum coenobiis antiquitus usui fuere. Sacramentarium Palat. 495. hac die Missam *S. Benedicti Abbatis* habet. Orationes vero ad Missam sunt eae, quae in die natalis ejus XXI. *Martii* in Missa dicuntur, nempe: *Intercessio &c.* Secreta: *Sacris altaribus &c.* Ad Com: *Protegat nos &c.* Palatinum item Sacramentarium 496. eandem Missam praefert. In Sacramentario Ratoldi, ut adnotavit Menardus not. 432. pridie hujus diei habetur Missa *de vigilia sancti Benedicti Abbatis*, & hac die *in natali sancti Benedicti*, prout habent Sacramentaria Remense, & Rodradi, sed in his duobus Missa est de communi unius Abbatis, scilicet orationes sunt: *Intercessio &c.* In codice vero Ratoldi legitur Missa cum orationibus, & Praefatione propriis, quas exscribit Menardus. In Missali quoque plenario Vat. 4770. hac die ita habetur: *Translatio B. Benedicti Abbatis. Lect. & Evangel. omnia require in natali ejusdem. Orat. Omnipotens &c. qui radiantibus beati Benedicti confessoris tui &c.* Habetur ibi etiam Praefatio propria. Sacramentarium Vat. 3548. Missam *in natali sancti Benedicti* habet *Pridie Nonas Decembris*, hoc est die IV. *Decembris*. Cur vero

Ttu hac

hac die? quia ea die exceptæ sunt in monasterio Floriacensi *sancti Benedicti* reliquiæ. Audi Martyrologium Gellonense, ad *Pridie Non.* Decembris: *Monasterio Floriacensi, a partibus Romæ adventus corporis sancti Benedicti*. Kalendarium Salemense apud Mabillonium loco memorato, ad *Prid. Non.* Decembris: *Benedicti Abbatis*. Quando igitur reliquiæ sancti Benedicti ad monasterium Floriacense delatæ fuerunt, *in oratorio sancti Petri* repositæ sunt; postmodum anno insequenti in majori basilica *depositæ* fuere v. *Idus Julii*. Hinc in nonnullis Hagiologiis hac die xi. *Julii*, *depositio* habetur. Antequam a Liturgicis libris discedamus, *translatio*, quæ & *natalis S. Benedicti*, post natalem septem fratrum designatur in Antiphonario Gregoriano editionis Romanæ, curante Angelo Roccha, & in alio Gregoriano Antiphonario ex codice Compendiensi in nova sancti Gregorii Operum editione Parisiensi.

Magna quidem animorum contentione inter ipsos Benedictinos monachos Gallos, & Italos de *sancti Benedicti translatione* jampridem disceptatum est. Ante hos Annalium parens Baronius ad ann. 664. numero xxiii. *& seq.* hujusmodi lapidem movit, invito quidem, dum ambages perspexit: *Sed refugit animus*, inquit, *tam densum controversiæ hujus spinetum adire, quod horret vel e longe spectare*. Denique pluribus ex conjectura productis, quæ pro Casinensibus de non sublato corpore *S. Benedicti*, & *S. Scholasticæ* sororis ejus, ac inde Floriacum translatis, ita rem claudit. *Utcumque sit; venerari fideles pie sanctequè corpus integrum, ubi tenuis tantum pulvisculus habeatur alicujus sancti, quod ejusdem sit virtutis, cujus & integrum corpus, docet Gregorius Nazianzenus in Julianum*. Plura de hac translatione protulit & discussit, nulli partium studio addictus Henschenius ad diem xxi. *Martii* pag. 299., postmodum Mabillonius sæculo II. Bened. pag. 337. *& seq.* qui ita diligenter ea de re egit, ut nihil desiderare queas, si monumenta, & veterum testimonia spectas. Italorum quoque, & præsertim Angeli a Nuce pro Casinatibus momenta expendit, at acrius urget pro Floriacensibus adversus Italos, Idem Analect. tom. iv. pag. 151. brevem narrationem de *sancti Benedicti* in Gallias *translatione* edidit, quam ex codice S. Emmerammi annorum plusquam nongentorum exscripsit; & alia ibi protulit pro eadem translatione. In Annalibus quoque S. Benedicti lib. xiv. §. xxix. ad an. 653. pro translatione corporis in Gallias decertat, ac lib. xvi. §. lxxxviii. obiter narrat, frustra tentasse Italos, ut in Casinense monasterium corpus illud referrent. Insuper lib. xx. §. xxxii. ad an. 720. ubi de instauratione Casinensis monasterii per *Petronacem* Abbatem, contendit adversus Pauli Warnefridi testimonium, S. Benedicti cineres a Saracenis ex defluxa carne reliquos, pro corpore fuisse acceptos. Et lib. xxii. §. xliii. *& seq.* ad an. 750. narrat, Casinenses, Zachariæ Romani Pontificis auctoritate implorata, Apostolicis ejusdem Pontificis litteras ad omnes Episcopos, & Presbyteros Francorum missis, corpus S. Benedicti a Floriacensibus repetiisse, sed modicam reliquiarum partem recepisse. Denique lib. xxvi. §. lxiii. in ea prorsus est sententia, ut Paulus Diaconus ineluctabile de translatione sancti Benedicti in Gallias testimonium in Historia Miscella reddiderit, ac miraculum illud, quod Leo Marsicanus Chron. Casin. lib. i. cap. xiii. *ad sacratissimum corpus sancti Benedicti* factum refert, accipiendum esse de ejus cineribus, qui post translationem in Gallias, superfuerant. Quod insuper ad veterum testimonia in Gallicanis medii ævi monumentis de hujusmodi translatione attinet, in diplomate *Gregorii* Papæ IV. apud Baluzium Miscellan. tom. II. pag. 146. pro monasterio Floriacensi, A.D. 834. dato, ab *Leodbodo* Abbate extructum fuisse cœnobium narratur, quod vocatur *Floriacus*, in pago Aurelianensi, & Ecclesiam in honorem Dei, & sanctæ genitricis Mariæ, necnon B. Principis Apostolorum Petri, *quodque revelatione divina per monachos ejusdem loci corpus sancti Benedicti fuerat allatum, ibique reverenter humatum, sicuti manifestissima constat historia*. Apud eundem Baluzium Miscellan. tom. i. pag. 409. exstat epistola Abbonis Abbatis Floriacensis ad *Leonem* Abbatem S. Bonifacii in urbe Roma, ut docet Mabillonius Annal. Bened. lib 21. §. xxiv. qua Abbo significat, *a Leone* sibi postulatum, *ut pretiosarum reliquiarum sancti Patris Benedicti insignia dirigentur, eo quod indubitatum penitus esset, sanctissimam ipsius corporis præsentiam a nobis retineri, ideoque velle enixius in honore illius oratorium construi*. Denique apud memoratum Baluzium Miscellan. tom. i. pag. 491. habetur catalogus Abbatum Floriacensium, ubi legitur: *Secundus Abbas Mummolus annis* xxx. *Et infra hos* xxx. *annos corpus patris Benedicti allatum est de Monte Cassino ab Aigulfo monacho anno* DCLX. *Incarnationis Domini, regis Clodovei temporibus, & filii Dagiberti*. Supersunt & Acta hujus translationis, quæ inter alios habes apud Bollandianos ad diem xxi. *Martii*, & apud Mabillonium sæculo II. Bened pag. 337. *& seq.* ac item in codice Reginæ Suecorum 586. pag. 73. Incipit prologus his verbis: *Cum cælestium sacramentorum limpidissimus speculator*, usque, *laudantes & benedicentes Dominum*. Item in codice ejusdem Reginæ 528. pag. 186. titulus, ac initium est: *Incipit adventus, & exceptio corporis sanctissimi confessoris Christi Benedicti. Cum diu gens Langobardorum &c.* usque, *propria indigerent libra. Præstante omnipotentia &c.* In tanta licet monumentorum phalange, qua pene obrui videmur, magni tamen Annalium paren-

parentis sententiæ prorsus adhærere habet, qua statuit, *reliquias* tantummodo, *non corpus* sancti Benedicti *Floriacum* delatas. Sed & ii qui tradunt, corpus sancti Benedicti in Floriacense cœnobium translatum, ut monet idem Baronius, de tempore hujus translationis minime consentiunt; nam cum habeant, id contigisse, *Clodoveo* Dagoberti filio Francorum rege, Baronius hoc refert ad an. 664. Pagius ad hunc annum num. XVII. & XVIII. eam alligat ad an. 654. Cointius ad an. 673. num. XLIII. anno eidem 673. eam adscribit. Alii anno 660. Mabillonius sæculo II. Bened. pag. 349. num. 4. annum 653. huic translationi assignat. Sed ad alia properemus.

Januarii & Pelagiæ *Januarius*, & *Pelagia* memorantur hac die a Hieronymianis, licet corruptis nominibus. Romanum parvum habet: *In Armenia minore, martyris Januarii*, omissa *Pelagia*. Usuardus verbo tenus Adonem sequitur, ac non longe abit Notkerus. Florus & Rabanus aliorum verborum circumlocutione utuntur; Meminit & Wandelbertus. De *Januario*, & *Mariano* in Africa agunt hac die Rhinoviense, & Richenoviense. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Africa natalis sancti Mariani. Et in Armenia minore, natalis sanctorum Januarii & Pelagiæ*. Ottobonianum: *In Armenia, natalis sanctorum Januarii, & Pelagiæ*. Martyrologium Fuldense fere ad verbum Usuardum describit. De his consule Bollandianos hac die pag. 188.

Pii Papæ. Silent codices nostri de *sancto Pio*, silet & genuinus Usuardus, quamobrem notat Sollerius, mirum esse ab eo præteritum, quia ab Adone tam disserte positus sit, & a Notkero in diem crastinam dilatus. At si Usuardus in Adoniano fonte, aut in castigatioribus codicibus *Pium* non invenit, nullo prorsus reatu eum omisit. Plura de *Pio* Baronius in Notationibus hac die, & in Annalibus, ac alii recentiores, sed consulendus præ ceteris post Bollandianos hac die pag. 178. Fontaninus in Historia Litteraria Aquilejensi lib. II. cap. III. & ibidem §. VI. de illius martyrio.

Addunt codices nostri hac die *Savinum* Episcopum, quem uberi elogio ornant. At Usuardus genuinus ita tantum de eo habet: *Item in territorio Pictavensi, sancti Sabini confessoris*. Sollerius ad hæc multa conjecturis prosequitur, an scilicet sit *Basinus*, de quo apographum Hieronymianum Lucense, an *Sabinus* Brixia oriundus, de quo Castellanus, denique hæc in Actis ad hanc diem expendanda dimisit. *Savini.* At in Actis apud Bollandianos socios hac die pag. 189. hæc eadem codicum nostrorum verba leguntur in codice Adonis in Morinis, & habentur in Martyrologio Nevelonis, & in Martyrologio Autissiodorensi, c. A. D. 1007. scripto, ubi sanctus *Sabinus*, discipulus sancti Germani fuisse dicitur, idcirco putant, Sabinum, vel Autissiodorensem Episcopum, vel *S. Germani* discipulum fuisse. Meminit Gellonense his verbis: *Pictavis, Sifini*. Quo anno obierit, incertum. Floruisse existimant sæculo Christi IV.

D. IV. IDUS JULII. 12. Julii.

Hermagoræ. APud Aquilejam, natalis S. Hermagoræ, primi ejusdem civitatis Episcopi, discipuli beati Marci Evangelistæ.

Nasonis. Act. 21. Apud Cyprum natalis beati * Nasonis, antiqui Christi discipuli. (* al. *Jasonis*, *vel Mnasonis*.)

Dii. Apud Cæsaream, S. Dii.

Translat. Naboris & Felicis. Mediolani, translatio SS. martyrum Naboris, & Felicis.

Pontific. cap. 3. *Cleti Pap.* Item eodem die, S. Cleti Papæ, qui Romæ sedit annos duodecim. Hic ex præcepto beati Petri Apostoli vigintiquinque presbyteros in urbe Roma ordinavit, sepultusque est juxta corpus beati Petri.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Aquilejam, natalis &c.* Codices 511. 512. 514. *Apud Aquilejam, natalis sancti Ermagoræ Episcopi, discipuli sancti Marci Evangelistæ, qui inter miracula sanitatum, & prædicationis instantiam, ac populo conversionem, plurima pœnarum genera expertus, ad ultimum cum Fortunato archidiacono suo capitali supplicio perpetuum meruit triumphum*. Ed. *Nasonis*. Ita & codices. Ed. *translatio sanctorum martyrum &c.* Codices: *translatio corporum sanctorum martyrum &c.*

Deest

Deest in codicibus hac die natalis *S. Cleti* Papæ, quia de eo egerunt die XXVI. *Aprilis*. In codicibus 512. 514. deest & *S. Dius*.

Hermagoræ. ADNOTATIO. Corruptis nominibus, ut monet Sollerius, colitur hac die in Hieronymianis *Hermagoras*, una cum *Fortunato*. Romanum parvum habet: *Aquilejæ, Hermagoræ Episcopi, discipuli sancti Marci*. Usuardus genuinus ad verbum *Hermagoræ* elogium, prout exstat in nostris codicibus, descripsit. Sollerius vero, quia hujusmodi elogium a vulgato Adone abesse vidit, pure Usuardinum esse pronunciavit. Meminit *Hermagoræ & Fortunati* hac die Wandelbertus. Agunt præterea alia Hagiologia, sed non omnia hac die, & aliqua *Hermagoram* prætereunt, ac *Fortunatum* memorant. Gellonense *Fortunati* tantum, hac die meminit. Rhinoviense, & Richenoviense hac die: *In Aquilegia, Furtunati*. Iterum ad x. Kal. *Sept.* habent: *In Aquilegia, Furtunati, Ermogenit*. Angustanum, & Labbeanum consonant cum Gellonensi. Et ad diem x. Kal. *Sept.*: *Fortunati, Abundi*. Barberinianum hac die XII. Julii: *In Aquileja, natalis sanctorum Fortunati & Armogeni*. Ottobonianum hac item die: *In Aquileja, natalis sanctorum Fortunati, Armigeri, & Tamasi*. Martyrologium Reginæ Suecorum postridie hujus diei: *In Aquileja, natalis sanctorum Fortunati, & Armagiri*. Quisque videt, corruptum fuisse in his Martyrologiis *Hermagoræ* nomen. In Missali plenario Vat. 4770. hac die XII. *Julii* habetur Missa in natali sancti *Fortunati*. Prima oratio hæc est: *Intervenientibus, Domine, sanctis martyribus tuis Hermacbora, & Fortunato, Ecclesiæ tuæ, quæsumus, voces placatus admitte, ut destructis adversitatibus universis, secura tibi serviat libertate*. Alia. *Deus, qui nos hodie beatorum martyrum tuorum Hermachorem* (sic) *& Fortunati &c.* Habetur ibi etiam Præfatio propria. Vulgata Acta habentur apud Mombritium, & Bollandianos hac die pag. 251. Vetera monumenta ex anaglypho, & pictis in pariete tabulis de sancto *Hermagora*, ac de sancto *Fortunato* vide apud Dominicum Bertolum in Antiquitatibus Aquilejensibus pag. 363. 364. 366. & 370. Passi dicuntur c. A. D. 70. hac die. Ibi etiam de eorum translatione ad Gradensem Ecclesiam.

Nasonis. *Nasonis* hac die meminit Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, & Notkerus. Alii silent. Hic autem censetur Rosvveido esse *Jason*, vel *Mnason* Cyprius, de quo Acta Apostolorum cap. XXI. Ita etiam post Henschenium ad diem XXV. *Junii* pag. 4. & *seq.* censet Sollerius in Usuardum hac die, ubi monet, *Jasonem* in Martyrologio nuncupari, de quo pluribus Baronius in Notationibus hac die. Consule interim Bollandianos hac die pag. 248. a quibus *Mnason* dicitur.

Dius a nostris codicibus præteritur, habetur tamen in vulgato Adone, & in genuino Usuardo, licet ab ipso Usuardo additum fuisse putet Bovvillartius post oblatum Carolo regi sui Martyrologii exemplum. Haberi in Hieronymianis putat Florentinius. Prætermissum tamen ab aliis Usuardi apographis vulgatis, nos monet Sollerius, ac ideo in Martyrologio Romano omissum. *Dii.*

Naboris, & *Felicis* translatio, de qua Ado noster hac die, non uno eodemque die apud Hagiologos refertur, atque cum *Nabore*, & *Felice* in Africa martyribus interdum confundunt. Gellonense hac die recte habet: *Mediolano, Naboris, & Felicis*. Ita Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Barberinianum Martyrologium. Fuldense hac die: *In Mediolano, natalis sanctorum Naboris, & Felicis, in quorum basilica sanctus Ambrosius corpora martyrum Gervasii, & Protasii, Domino revelante, invenit*. Ottobonianum hac die: *In Mediolano, passio sanctorum Naboris, & Felix*. Martyrologium Reginæ Suecorum agit die crastina, his verbis: *Mediolano, natalis sanctorum Naboris & Felicis*. Agit iterum die XIII. *Julii* Gellonense; iterum Augustanum, & Labbeanum. Martyrologium Ottobonianum de *Victore, Nabore, & Felice* agit *Prid. Idus Maii*, & XI. *Kal. Octob.* de *Victore* tantum. Vide quæ ad diem XII. *Junii* adnotavimus. De veterrimo horum martyrum cultu in Ecclesia Mediolanensi testimonium luculentum nobis exhibet Capitolare Epistolarum ad usum Ecclesiæ Mediolanensis, a nobis recusum tom. III. de liturgia Romani Pontificis pag. 230. Bollandiani socii ad diem X. *Julii* pag. 31. tradunt, martyres Afros *Naborem & Felicem* cum homonymis Laudensibus, seu Mediolanensibus cœptos esse confundi. Africanos a Mediolanensibus distinguit Baronius, & distinguere videtur Henschenius ad diem VII. *Maji* p. 238. num. 7. & pag. 290. De *Nabore & Felice*, Mediolani cultis, deque eorum distinctione ab Africanis, consule Bollandianos ad hanc diem XII. *Julii* pag. 280 *& seq.* *Naboris & Felicis.*

Cletus Pontifex a codicibus nostris omittitur, prout omissus est ab Usuardo, quia de illo egerunt ad diem XXVI. *Aprilis*, vide quæ ibi diximus. *Cleti.*

E. III. IDUS JULII. *13. Julii.*

ESdræ, & Joel Prophetarum. *Esdræ & Joel.*

Silea. Item natalis sancti * Sileæ Apostoli. ** al. Silæ. Vide lib. de fest. Apost.*

Eugenii, & soc. Apud Africam, natalis SS. confessorum Eugenii Carthaginensis Episcopi, fide, & virtutibus, ac miraculis gloriosi, & universi cleri Ecclesiæ ejusdem. Qui cæde, inediaque macerati, fere quingenti, vel eo amplius (inter quos quamplurimi erant lectores infantuli) gaudentes in Domino, procul exilio crudeli extrusi sunt. In quibus erant nobilissimi, archidiaconus nomine Salutaris, & Muritta secundus in officio ministrorum. Qui plurima pro confessione catholicâ perpessi supplicia, & tertio confessores effecti, gloriosæ in Christo perseverantiæ titulo illustrati sunt.

VARIA LECTIO. Ed. *Esdræ &c.* In codicibus 511. 512. 514. desunt *Esdra, & Joel* prophetæ, sed hac die incipiunt: *Natale sancti Sileæ Apostoli &c.* prout in libello de festivitatibus Apostolorum. Post *Sileam*, habent: *In Africa, natalis sanctorum confessorum Eugenii &c.* ut in editis. Ed. *vel eo amplius*. Codices: *vel amplius*. Post verbum *illustrati sunt*, sequitur in codicibus: *In Britannia minori, natalis sancti Turiani Episcopi, & confessoris, miræ simplicitatis, & innocentiæ viri.* *Turiani.* *In Antiochia, passio sanctæ Margaritæ virginis, quæ post multa genera tormentorum, cælestis palmæ triumphum a Domino percipere meruit.* *Margaritæ.* In codice tamen 511. ad elogium *S. Margaritæ* lineæ superinductæ sunt, ad indicandum, quod elogium sit delendum, atque initio in eam rem crucis signum expressum est. Cod. 514. post verbum *consummavit* de S. *Silea*, addit: *Romæ, depositio S. Anacleti Papæ.* *Anacleti.*

Esdræ & Joel. ADNOTATIO. De *Esdra, & Joel* prophetis silent hac die codices nostri, quia de *Isaia, & Joel* egerunt die VI. *Julii*, ut ibi adnotavimus. De *Joel* una cum *Esdra* iterum hac die Romanum parvum, & Usuardus; Notkerus *Joelem* omittit. Alii silent. Vide de *Joel, & Esdra* Bollandianos hac die pag. 475.

Silea. *Sileas*, seu *Silas*, seu mavis *Silvanus*, colitur forte primum ab Adone, deinde ab Usuardo. De ejus gestis Acta Apostolorum. Vide de eo Baronium in Notationibus hac die, & in Annalibus ad an. 51. num. LXIV. *& seq.*

Eugenii & soc. *Eugenius* Episcopus *Carthaginensis* & socii recensentur hac die a Romano parvo his verbis: *Et sanctorum confessorum Eugenii Episcopi, & universi cleri Ecclesiæ*. Adonis elogium ad verbum ferme ab Usuardo transcriptum est, deinde ab Notkero, paucis immutatis. De *Eugenio* tantum, agit hac die Martyrologium Fuldense. Plura de eo Victor Vitensis in Historia Persecutionis Wandalicæ lib. II. Baronius in Notationibus hac die, ad an. 480. num. V. an. 483. num. LXIX. *& seq.* ad an. 490. n. XI. & ad an. 495. n. XX. & XXV. quo anno obiisse putavit. Sed Pagius in Critica ad an. 495. num. VII. & VIII. in exilium iterum actum *Eugenium* putat A. D. 504. Kalendarium veterrimum Carthaginense *Nonis Januarii* habet: *Depositio sancti Deogratias, & Eugenii Episcoporum*. Quo loci *Eugenium* Carthaginensem Episcopum designari censet Pagius. Vide Ruinartium in Historiam Persecutionis Wandalicæ Victoris Vitensis pag. 506. *& seq.* & Tillemontium tom. XVI. pag. 492. *& seq.* pag. 541. & 800. Confer etiam Bollandianos hac die pag. 487. *& seq.* Obiit c. A.D. 505.

In codicibus nostris additur *Turianus*, a vulgato Adone præteritus, sed a genuino Usuardo eisdem verbis celebratus, quibus codices nostri utuntur. Sollerius, qui in vulgato Adone *Turianum* non viderat, hæc prefert, *Turianum* nimirum a solo Usuardo consignatum esse, qui forte sacrorum pignorum, de quibus in vita *S. Leufredi* die XXI. *Junii* pag. 112. *translationi* interfuit, quocirca dubitari non posse scribit, quin genuinum & simplicem Usuardi textum dederit, omisso *Anacleto*. In variis lectionibus monet, in quibusdam apographis *Turianum*, vulgo in Gallus *S. Turiaf*, *Turiani.*

riuſ, dici. Fuit Epiſcopus *Dolenſis*: quo vero tempore, incertum eſt. Cointius ad A. D. 749. ejus obitum ſtatuit. Bollandiani ſocii hac die pag. 615. rectius ſcribere Lobinæum in Hiſtoria Britannica tom. 1. pag. 75. tradunt, dum habet ignotum eſſe, quo tempore vixerit *Taruvint*, ſeu *Turianus*, & an fuerit monachus. *Britannia minor* eſt *Britannia ciſmarina*, vulgo *Bretagne*, de qua vide Valeſium in Notitia pag. 99.

Margaritæ. *S. Margaritæ* natalis; ſilente vulgato Adone, & Sollerii Uſuardo, celebratur hac die in apographo Bedæ Biblioth. Palat. Vat. 834. his verbis: *Sanctæ Margaritæ virginis*. Aliud Bedæ apographum ſæculi IX., accedentibus tamen alicubi aliquibus ſanctis, manu ſæculi XI. ut fatetur illius editor Eccardus, ad VIII. *Kal. Aug.* legit: *Natalis ſanctæ Margaretæ*. Rabanus vero die XIII. *Julii* habet: *In Antiochia, paſſio Margarethæ virginis, quam Olybrius conſtuprare volens, & a fide Chriſti avertere &c.* At idem Rabanus eadem propemodum refert die XVIII. *Junii* de S. *Marina*. Notkerus Rabanum ſequitur. Uſuardus Pratenſis, ut ad hanc diem XX. *Julii* admonet Bouvillartius, in autographo Carolino ſcripſerat: *Ipſo die ſanctæ Margaritæ virginis*; ſed conjicit, forte memoriter ab Uſuardo *Margaritæ* nomen poſitum fuiſſe, quod poſtea cultro delevit. His tamen conjecturis non acquieſcens, paulo poſt Uſuardum *Margaritam* codici additam ſuſpicatur, aut nodum inextricabilem eſſe, donec ex aliqua Bibliotheca prodeat codex ipſe, qui Carolo regi oblatus fuit. Contra vero Sollerius pridem ſtatuerat in Obſervatione ad Uſuardum die XX. *Julii*, *Margaritam* purum putum additamentum eſſe, ac in codice Pratenſi legi potius *ſanctæ Marinæ virginis, & martyris* nomen, quam *Margaritæ*. Candide tamen fatetur accuratiore diſquiſitione id indigere. Genuinus Uſuardus ad diem XVIII. *Junii* ita præfert: *Alexandriæ, paſſio ſanctæ Marinæ virginis*. Codex Pratenſis legit: *Mariæ*. Vide quæ ad eam diem monuimus. Wandelbertus ad diem XV. *Junii* hunc de *Margarita* verſiculum exaravit:

Margaritæ martyris ſplendore niteſcit.

Martyrologium Fuldenſe die XIII. *Julii* habet: *In Antiochia, paſſio ſanctæ Margaritæ virginis, & martyris*. Martyrologium ſancti Cyriaci ad diem XX. *Julii* ita legit: *Sanctæ Margaritæ virginis, & martyris*. Kalendarium Palat. Vat. 485. die XIII. *Julii*, ſed charactere minus antiquo: *Natalis ſanctæ Margaretæ virginis Chriſti*. Kalendarium Vat. 3806. eadem die: *Sanctæ Margaretæ virginis*. Meminit item hac die Kalendarium Palat. Vat. 499. His adde Sacramentarium Palat. Vat. 495. in quo hac die XIII. *Julii* ad Miſſam *in natali ſanctæ Margaritæ*, orationes propriæ de *ſancta Margarita virgine, & martyre* ponuntur. De ea pluribus Baronius in Notationibus ad diem XX. *Julii*, quam a *Marina virgine, & martyre Antiochiæ in Piſidia* in Menæis Græcorum die XVII. *Julii*, non diſtinguit. Bollandiani vero ſocii ad diem XVII. *Julii* pag. 278. agunt de *Marina* virgine, quæ virili monachorum habitu delituit, & de *Margarita* die XX. *Julii* pag. 24. *& ſeq.* ubi cenſent, diſtinguendam eſſe *Marinam*, *Alexandrinam virginem*, a *Margarita*, *Antiochiæ* paſſa: *Margaritæ* nomen ſæculo Chriſti VII. celebre erat in Anglia, ut cernere eſt in veterrimis Litaniis Anglicanis, editis a Mabillonio Analect. tom. II. pag. 669. ubi inter ſanctas virgines *Margareta* memoratur. Ibidem etiam pag. 684. in Litaniis, Caroli M. ætate uſitatis, inter nomina virginum *ſancta Marina* comparet. Acta *Margaritæ* apocrypha cum animadverſionibus, habes apud Bollandianos die XX. *Julii* pag. 33. *& ſeq.* Vide Tillemontium tom. XVI. pag. 467.

Anacleti. *Anacletus* Papa ab uno tantum ex codicibus noſtris additur, ſilentibus aliis, & vulgato Adone. Silet etiam de eo genuinus Uſuardus, ſed agunt ejus Auctaria, quorum aliqua habent *Anacletum*, aliqua *Cletum*. Inter recentiores diſceptatur, an ex albo Pontificum *Anacletus* expungendus ſit, qua de re inter cæteros Tillemontius tom. II. pag. 555. ubi *Anacletum* eundem eſſe ac *Cletum* contendit. Pro *Anacleto* a *Cleto* diverſo, ſtant Bollandiani hac die pag. 479. 480. Liber Pontificalis, Catalogi veteres Romanorum Pontificum fere omnes (nam in tribus vetuſtiſſimis a Mabillonio editis deſideratur) *Anacletum a Cleto* diſtinguunt. Baronius ad an. 69. num. XLI. *& ſeq.* *Anacletum* a *Cleto* ſejungit, veterum monumentorum auctoritate nixus, item ad an. 93. num. I. an. 103. num. II. & ad an. 112. num. I. Baronio adſtipulantur Bollandiani tom. II. Aprilis, Papebrochius in Propylæo, uterque Pagius, ſenior in Critica ad an. 110. num. IV., qui *Anacleti* obitum ſtatuit ad hunc annum, non vero hac die, quam ad aliquam illius tranſlationem referendam putat, & junior in Anacleti vita. Verum Tillemontius, ut diximus, Natalis Alexander ſæculo I. cap. IX., & Couſtantius in Epiſt. Rom. Pontificum pag. 4. & 5. & pag. 50. & in Appendice pag. 4. & alii recentiores unum tantum *Cletum*, ſeu *Anacletum* agnoſcunt, *Anacleto* expuncto. Vide de *Cleto* quæ diximus die XXVI. *Aprilis*. Vide etiam Blanchinum in notis ad Anaſtaſium ad Anacleti vitam, & ejus Chronologiam ibidem præfixam.

P. PRI-

F. PRIDIE IDUS JULII. 14. Julii.

Ado in Chron. an. 101. APUD Pontum, natalis sancti Phocæ Episcopi civitatis Sinopis, qui sub Trajano Imperatore, præfecto Africano, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Christo superavit. Cujus reliquiæ in basilica Apostolorum in Gallia, civitate Vienna habentur. Phoca.

VARIA LECTIO. Ed. *Trajano Imperatore &c.* Codices 511. 512. & 514. *Trajano Imperatore, carcerem &c.* Post verbum *superavit*, desiderantur in codicibus verba: *cujus reliquiæ &c.* sed sequitur in eisdem codicibus:
„ Alexandriæ, depositio sancti Heraclæ Antistitis, ob cujus opinionem celeberrimam Heraclæ.
„ commemorat se Africanus nobilis historiographus Alexandriam properasse.

Phoca. ADNOTATIO. De *Phoca* meminit hac die Romanum parvum his verbis: *Apud Pontum, Phocæ Episcopi civitatis Synopis.* Apographa Bedæ Palat. Vatic. 833. 834. hac die: *Sancti Focati Episcopi Ponti &c* prout apud genuinum Bedam. Agunt in primis Hieronymiana, *Foci*, vel *Focæ* Episcopi nomine. Agunt præterea Rabanus, Usuardus, Notkerus, & Wandelbertus. Usuardus ad verbum elogium Adonis, prout habent codices nostri, descripsit; nam *translationem* seu *depositionem* reliquiarum, quæ in vulgatis legitur, omisit. *Foci Episcopi* meminit hac die Richenoviense. *Phoci*, seu *Foci* tantum Augustanum, & Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum, & S. Cyriaci, ac Barberinianum fere ad verbum vulgati Adonis elogium transcribunt. Martyrologium S. Cyriaci, & Barberinianum: *Sancti Pocati Episcopi Ponti* habent. Ita Fuldense, omissa tamen *translatione* reliquiarum in Galliis. Ottobonianum mendose librarii vitio: *Natalis sancti Focati Episcopi, tempore Trajani Imperatoris, & Præfectus Africanus passus* [pro, *Præfecto Africano. passi*]. *Phocas* duos distinguit Baronius in Notationibus hac die, alterum *Antiochenum* martyrem, de quo die v. *Martii*, & alterum *Sinopes* Episcopum & martyrem, quod & præstitit Henschenius ad diem v. *Martii* pag. 366. & Florentinius in notis ad eam, & ad hanc diem, Baronium a criminationibus Combefisii purgat. Vide quæ de *Phoca* martyre *Antiocheno* ad diem v. *Martii* adnotavimus. Sed adeundus Ruinartius pag. 627. in admonitione in encomium sancti Asterii Episcopi Amaseni de S. martyre *Phoca*, ubi modeste opinionem Baronii expendit. Vide etiam Tillemontium t. v. pag. 581. *& seq*, & Bollandianos hac die p. 629. *& seq.* ubi tres *Phocas* distinguunt, & ibi pag. 639. Acta Græco-Latina ex codice Vatic. 797. proferunt.

Heraclæ meminit hac die Usuardus genuinus iisdem verbis, quæ in codicibus nostris prostant. Silere de eo Martyrologos omnes, præter Usuardum, putat Sollerius ad hanc diem, & idcirco primo apud Usuardum, locum inter sanctos obtinuisse, quod esse profecto mirandum censet, nec satis videt, cur hac die eum collocaverit, quum ex Historia Patriarcharum Alexandrinorum pag. 24. die IV. *Decembris* A. D. 264. obierit. De ejus laudibus Eusebius Rufini lib. VI. cap. XIX. & XXIII., & infra sæpius. Vixit in Episcopatu Alexandrino ab ann. 247. ad 264. Vide interim Bollandianos hac die pag. 645. *& seq.* Heraclæ.

G. IDIBUS JULII. 15. Julii.

Gennad. de vir. illust. cap. 1. NISIBI, natalis sancti Jacobi Episcopi, magnæ virtutis viri, ita ut ad ejus preces sæpe urbs discrimine liberata sit. Hic unus fuit ex numero Confessorum sub persecutione Maximiani, & eorum qui in Nicæna Synodo perversitatem Arii homousii oppositione damnaverunt: atque intra muros urbis suæ ex Jacobi.

 præ-

præcepto Imperatoris Constantini ad tutelam & munimentum sepultus, postea zelo Juliani apostatæ extra urbem elatus & conditus. Sed mox eadem civitas, tanti patroni orbata reliquiis, Persarum ditioni succubuit.

Eutropii, & soc. Romæ in Portu, Eutropii, Zosimæ, & Bonosæ sororum.

Philippi, & soc. Apud Alexandriam, natalis SS. Philippi, Zenonis, Marsei, & x. infantum.

Catulini, & soc. In Carthagine, Catulini diaconi, Januarii, Florenti, Juliæ, & Justæ, qui sunt positi in basilica Fausti.

VARIA LECTIO. Ed. *Maximiani*. Codices 511. 512. & 514. *Maximini*. Ed. *sepultus, postea zelo &c.* Codices: *sepultus civium, postea zelo &c.* Ed. *In Carthagine, Catulini &c.* Codices: *Apud Cartaginem, natalis sanctorum Catullini &c.* Post verba: *in basilica Fausti*, sequitur in codicibus: *Alexandriæ, sanctorum Philippi &c. Narsei & x. infantum.*

Deest in codicibus natalis *SS. Eutropii, Zosimæ*, & *Bonosæ*.

Jacobi. ADNOTATIO. *Jacobi* Episcopi *Nisibeni* natalis memoratur ab Hieronymianis, in quibus fabula potius, quam historia narratur, dum habetur: *qui in corpore multa signa fecit, & arcam Noe solus vidit in monte, nullus alius de his qui cum eo perrexerunt, videre est permissum.* Hæc ad fabulam amandat Sollerius in Usuardum hac die, & miratur, cur operam in his elucidandis Florentinius perdiderit. Post Hieronymiana agunt ex Gennadio Ado, Usuardus contracte, fusius Notkerus, qui addidit visionem ex Hieronymianis petitam. Meminit Wandelbertus, & mixtim cum aliis Augustanum, & Labbeanum. Martyrologium S. Cyriaci, prout in Hieronymianis. Ottobonianum: *Nisibi civitate, Jacobi Episcopi*. Martyrologium Fuldense eadem fere habet, quæ Hieronymiana. Acta ex Theodoreti Philotheo, Gentiano Herveto interprete, edidit ad hanc diem Surius. Plura, quæ ad ejus res gestas pertinent, tradidit Tillemontius tom. VII. pag. 260. Confer Bollandianos hac die pag. 28. & *seq.* Interfuit Concilio Niceno A. D. 325. & obiit c. A. D. 355. Incertum esse annum mortis tradunt Bollandiani pag. 40. & 41. ubi Acta, Theodoreto Cyri Episcopo auctore, recudunt.

Eutropii, & soc. *Eutropius* & socii, a codicibus nostris præteriti, coluntur hac die a Hieronymianis, licet perturbatis nominibus, a Romano parvo, vulgato Adone, & Usuardo genuino. *Bonosi* & *Zosimi* una cum aliis meminere Augustanum & Labbeanum. At *Bonosæ*, pro *Bonosi* legitur in Labbeano. Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *Romæ, natalis sanctorum Eutropi, Zozimæ, & Bonosæ sororum*. Acta eorum MSS. citat Baronius in Notationibus. Vide Bollandianos hac die pag. 18. 19. & *seq.* in Commentario prævio. Passi sunt sub *Severo*.

Philippi, & soc. *Philippus* & socii memorantur ab Adone, deinde ab Usuardo. Rhinoviense Pridie *Idus Julii*, & hac die: *In Alexandria, Philippi, Zenonis*. Ita utroque die Richenoviense; in quo die XV. hujus additur post *Zenonem*, *Nasei, Nicivis*. Augustanum, & Labbeanum hac die: *Alexandria, Philippi*, tantum. Corbejense brevius hac item die: *In Alexandria, natalis sanctorum Philippi, Zenonis*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Alexandria, natalis sanctorum Philippi, Zenonis, Nasei, & x. infantum*. Nihil præterea de his habetur apud Bollandianos hac die pag. 27.

Catulini, & soc. *Catulinus* martyr recensetur hac die in vetustissimo Kalendario Carthaginensi. Confusus una cum sociis in Hieronymianis. Richenoviense habet: *Et in Africa, civitate Carthagine, Catulini diaconi*. Augustanum & Labbeanum *Catulini* turmatim cum aliis aliarum regionum meminere. Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum: *Cartagine, natalis sancti Catulini diaconi*. De Sermone S. Augustini in horum martyrum laudem meminit Possidius in Indiculo cap. IX. Vide quæ de iis in medium afferant Bollandiani hac die pag. 27. qui nihil aliud, nisi quod in Martyrologiis legitur, adducunt.

A. XVII. KALENDAS AUGUSTI.

16. *Julii*.

De hoc in gestis Jo: & Pauli. 26. Junii. IN Ostia, natalis sancti Hilarini, qui sub persecutione Juliani, cum nollet sacrificare, fustibus cæsus, martyrium sumpsit. *Hilarini.*

Apud Antiochiam Syriæ, natalis sancti Eustachii Episcopi & confessoris, qui sub Constantio principe ob catholicam fidem in Trajanopolim civitatem Thraciæ pulsus exilio, ibidem requievit. *Eustachii Episcopi.*

VARIA LECTIO. Hac die codices cum editis conveniunt, nisi quod codex 514. post verbum *requievit* ad extremum, hæc addit: *In civitate Cæsarea, natalis sancti Mammetis*. *Mammetis*

Hilarini. ADNOTATIO. De *Hilarino* apud *Ostiam* martyre agunt hac die Hieronymiana, Beda, Rabanus, Ado, Usuardus, Rbinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, S. Cyriaci, & Barberinianum. In Sacramentario Vat. 4772. quod, ut alias diximus tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 529. fuit usui monachorum Aretini monasterii SS. *Floræ & Lucillæ*, mamoratur *Hylarianus* una cum *Laurentino & Pergentino* in Canone Missæ ad *infra actionem*, & in *Litania quina*, ibidem. Passus est in persecutione *Juliani* Imperatoris.

Eustachii. *Eustachius*, rectius *Eustathius* Antistes *Antiochenus*, celebratur hac die apud Latinos, nimirum a Romano parvo, Adone, Usuardo, & Notkero. An a Hieronymianis memoretur, ut censet Florentinius, definire non audet Sollerius. *Eustachium* tamen in codicibus constanter legi affirmat, & apud quosdam pro *Constantino Imperatore*; *Constantio Imperatore*, seu *Constancio principe*. Hieronymi de Scriptoribus Ecclesiasticis verba cap. LXXXV. ubi de *Eustathio* habet: *sub Constantio Principe pulsus est in exilium Trajanopolim Thraciarum, ubi usque hodie conditus est*, in codice Vat. 328. ita exarata sunt: *Floruit sub Constantino: & adversus dogma multa componens sub Constantino Principe pulsus est in exilium Trajanopoli* (sic) *Thraciarum, ubi usque hodie conditus est*. De eo pluribus hac die Baronius in Notationibus; sed & inter recentiores post Allatium Tillemontius tom. VII. pag. 21. *& seq.* & pag. 653. ubi de encomiis Patrum in Eustathium. Ex Sida Pamphyliæ natu fuit, ac Episcopus primum *Berrhoensis* in Syria Concilio Niceno interfuit, a quo Episcopus *Antiochenus* constitutus est, sed calumniis Arianorum impetitus, in ordinem redactus est a Synodo Antiochena c. A.D. 328. Obiit *Trajanopoli* Thraciæ in exilio c. An. D. 336. Colitur a Græcis die XXI. *Februarii*, & V. *Junii*; a Latinis vero die XVI. *Julii*. Confer, si lubet, de *Eustathio* ejusque scriptis Bibliothecam Græcam Fabricii lib. V. cap. XXI. tom. VIII. pag. 166. *& seq.* Sed in primis vide quid afferant Bollandiani hac die pag. 130. *& seq.* & in Patriarchis Antiochenis n. XXIV. Ante omnes legendus Leo Allatius in Eustachii Exahemeron, edit. Lugduni an. 1629.

Mammetis Quæ de *Mammete* adnuntiatio hac die in uno ex nostris codicibus legitur, quum alii codices, & vulgatus Ado de eo hac die sileant, & agant die XVII. *Augusti*, ideo ad eam diem adnotationi nostræ locum facimus.

B. XVI. KALENDAS AUGUSTI.

17. *Julii*.

IN Carthagine, natalis sanctorum matyrum Scillitanorum, id est Sperati, Narthali, Cythini, Bethurii, Felicis, Aquilini, Lethatii, Januariæ, Generosæ, Bessiæ, Donatæ, & Secundæ, sub Saturnino præfecto. Qui post primam Christi confessio- *Sperati & soc.*

fessionem in carcerem missi, & in ligno confixi, mane gladio decollati sunt. Horum reliquiæ cum ossibus beati Cypriani, & capite sancti Pantaleonis martyris, ex Africa in Gallias translatæ, venerantur Lugduni in basilica beatissimi Joannis Baptistæ.

VARIA LECTIO. Ed. *Scillitanorum, idest Sperati &c.* Codices 511. 512. & 514. *Schyllitanorum, idest Sperati, Narthali, Cathini, Beturii, Felicis, Aquilini, Letarii, Januariæ, Generosæ, Bassiæ, Donati, & Secundæ &c.* Ed. *decollati sunt*. Codices: *sunt decollati*. Deinde statim in codicibus sequitur:

Theodosii. „ Autisiodoro, depositio Theodosii Episcopi, qui cum rexisset Ecclesiam suam annos VIII. dies XXVIIII. tandem in pace quievit, & sepultus est in basilica sancti Germani Episcopi.

Deest in codicibus translatio reliquiarum martyrum *Scillitanorum*, ossium S. *Cypriani*, & capitis S. *Pantaleonis* ad basilicam Lugdunensem S. *Joannis*.

Sperati & soc. ADNOTATIO. *Speratus* & socii, celeberrimi *Scillitani* martyres coluntur hac die in Kalendario veterrimo Carthaginensi (& confuse in nominibus, & locis Hieronymianis) nullo horum nomine designato, sed his tantum verbis: XV... *Kal. Augustas: Sanctorum Scilitanorum*. Celebrantur nominibus propriis a genuino Beda, Romano parvo, Rabano, Adone nostro, Usuardo, Notkero, Martyrologio Foldensi, Reginæ Suecorum, Ottoboniano, Barberiniano, Gellonensi, Rhinoviensi, Richenoviensi, Angustano, Labbeano, Corbejensi, & Kalendario Vat. 3806. & aliis. In plerisque ex his librariorum vitio horum martyrum nomina corrupta sunt. Acta Proconsularia venerandæ antiquitatis, & auro cariora edidit Baronius ad an. 202. n. II. & seq. & ex variis codicibus Ruinartius pag. 77. & seq. præmissa iis erudita admonitione. Passi sunt, ut ibidem monet Ruinartius, A.D. 200. hac die XVII. *Julii*. Horum nomina in Actis Proconsularibus sunt; *Speratus, Narzales, Citinus, Vetarius, Donata, Secunda, Vestina, Felix, Acyllinus, Laetantius, Jannaria, Generosa*. Duodecim ergo numero fuerunt. Victor Vitensis in Historia Persecutionis Wandalicæ lib. I. cap. III. meminit basilicæ sanctorum martyrum *Scillitanoram*, *Carthagine*, in qua jampridem S. Augustinus Sermonem habuit, qui est CLV. novæ editionis. Ado vulgatus narrat, horum martyrum reliquias cum ossibus *Cypriani*, & capite *Pantaleonis* translatas fuisse in basilicam Lugdunensem S. *Joannis*, quæ verba desunt in nostris codicibus, & in genuino Usuardo. De Actis, & hac translatione agunt hac die Bollandiani pag. 210. Facta esse videtur A.D. 806. Vide Mabillonium Annalium Bened. lib. XXXVII. §. XCIV. ad an. 877. De his martyribus ex Actis agit etiam Tillemontius tom. III. pag. 131. & seq. Mirum videri debet, cur in Kalendario Vatic. 1806. & Palat. Vat. 486. *Speratus* vocetur *Episcopus*, quum nusquam appareat, eundem *Speratum* fuisse *Episcopum*.

Theodosii. *Theodosius* Episcopus *Autisiodorensis* a codicibus nostris additus, memoratur in apographis Hieronymianis, hac die his verbis: *Autisiodoro, depositio beati Theodori Episcopi*. Gellonense: *Autisiodoro, Theodosii*. Notkerus: *Autisiodoro, depositio beati Theodosii Episcopi*. Ita Martyrologium Reginæ Suecorum. Agit & Martyrologium Foldense, ubi librariorum vitio, annis XXVIIII. rexisse Ecclesiam dicitur. Floruit Christi sæculo VI. & Justiniano imperante obiit. De eo Hericus monachus in Historia Episcoporum Autisiodorensium. Reliqua vide apud Bollandianos socios hac die pag. 276. 277. Silet genuinus Usuardus, at agunt ejus Auctaria, & quum a Hieronymianis celebretur, genuino Adoni abjudicari non debet, & in Appendicem retrudi, ut fecit Rosvveidus.

---

18. Julii. C. XV. KALENDAS AUGUSTI.

Guddenis. APUD Carthaginem, natalis sanctæ Guddenes virginis: quæ * Plutiano & Zeta consulibus, jussu Rufini proconsulis, quater diversis temporibus equulei extensione vexata, & ungularum *al. Plautiano, & Geta.*

larum horrenda laceratione cruciata, carceris etiam squalore diutissime afflicta, novissime gladio cæsa est.

Arnulfi. Apud civitatem Metensium, S. Arnulphi Episcopi, qui sanctitate & miraculorum gratia illustris, cremiticam vitam diligens, beato fine quievit.

VARIA LECTIO. Deest in codicibus nostris hac die natalis S. *Guddenæ*, quia de ea egerunt die XXVII. *Junii*, quare *Arnulphum* Metensem solummodo commemorant, his verbis: *Apud civitatem Mettensium, natalis sancti* (cod. 512. & 514. *beati*) *Arnulphi Episcopi &c.* ut in editis.

Guddenis. ADNOTATIO. Codices nostri de *Guddene* virgine & martyre Carthaginensi egerunt die XXVII. *Junii*. Vulgatus vero Ado, & Usuardus genuinus agunt hac die XVIII. *Julii*. Alia Hagiologia non uno eodemque die agunt. Apographa Hieronymiana die XXVI. *Junii* habent: *In Africa, Gaudenti &c.* Gellonense eadem die: *Africa, Gaudentii &c.* Ita quoque ad eam diem Notkerus. Rhinoviense, & Richenoviense die XXV. *Junii* legunt: *Africa, Gaudentii &c.* Augustanum, & Labbeanum die XXVI. ejusdem mensis: *Africa, Gaudentii &c.* Usuardus genuinus hac die XVIII. *Julii* ad verbum codicum nostrorum elogium describit, addito tantum *Rufino Proconsule*, omissis etiam in nostris codicibus, *Plautiano & Geta Coss.* Agit hac die Romanum parvum, quod aliis praeluxisse Martyrographis censet Sollerius. Exstat S. Augustini Sermo habitus *in basilica majorum, in natali martyris Guddentis, v. Kal. Jul.* cujus tituli verba ad *Guddenem* virginem referunt. In nova Operum S. Augustini editione est Serm. CCXCIV. alias XIV. de verbis Apostoli, & ita inscribitur: *Sermo habitus in basilica Majorum, in natali martyris Guddentis, v. Kal. Julii.* Quem titulum editores ex veteri codice in monasterio Cisterciensium, Romæ ad S. Crucem in Hierusalem, se transcripsisse ferunt, & putant ad *Gaudentium*, non ad *Guddenem* pertinere. Ruinartius vero in Acta martyrum pag. 197. *Guddenem* legendum esse mallet, neque detrectat Tillemontius tom. III. pag. 125. Bollandiani socii hac die pag. 359. ex Martyrologiis de ea agunt. Si *Guddenes*, ut præfert vulgatus Ado, passa est *Plautiano & Geta Coss.*, id contigit An. D. 203. Africæ Proconsul A. D. 200. erat *Vigellius Saturninus*. Deinde A. D. 202. vel 203. *Hilarianus*, de quo Tertullianus ad Scapulam cap. III. An *Guddene* Hispana ortu esset, ut putant aliqui, disquirunt Bollandiani socii hac die. Acta hujus martyris extitisse olim, & quidem sincera, credit Sollerius, quæ postea periere.

Arnulfi. *Arnulfus* Antistes *Metensis* celebratur hac die ab Adone nostro, Rabano, & Notkero. Agunt etiam hac die Martyrologium Fuldense, Hagiologium Francogallicum, Augustanum, & Labbeanum. Usuardus genuinus, Kalendarium Vatic. 3806. Wandelbertus, & alii agunt die XVI. *Augusti*. *Arnulfus* aulæ splendorem solitudini postponens, in eremum *Vosagi* montis secessit c. A. D. 627. qua de re post Baronium ad an. 631. n. XI., Mabillonius Annal. Bened. lib. XI. §. LXII. Obiit die XVI. *Augusti* A. D. 640. ejusque translatio facta fuit die XVIII. *Julii*, ut idem Mabillonius ibidem lib. XII. §. I. monet; & addit, hunc annum *Arnulfi* morti assignasse ex Sigeberto, deficiente magis idonea auctoritate. Vide Pagium in Critica ad an. 640. n. XV. XVI. & ad an. 654. n. X. Acta edidit Mabillonius sæculo II. Bened. pag. 149. *& seq.* De S. *Arnulfi* die emortuali, deque die translationis ejus nonnulla scitu digna profert, ac nonnullorum castigat errores Petrus Franciscus Chiffletius in Dissertatione de annis Dagoberti cap. II. pag. 339. Censet igitur, *Arnulfi* secessum in *Vosagum* montem fuisse A. D. 634. vel 635., ejus obitum die XVI. *Augusti* A. D. 640., translationem die XVIII. *Julii* anni insequentis. Unum aut alterum addimus de *Arnulfi* die XVI. *Aug.* natali testimonium, nimirum apographum Bedæ Palat. Vat. 833. ad diem XVI. *Augusti* habet: *Natalis sancti Arnulfi*. Sacramentarium quoque Angeli Rocchæ ad eandem diem in Appendice Missam in *natali S. Arnulfi* designat.

19. Julii. D. XIV. KALENDAS AUGUSTI.

Epaphræ. NATALIS beati Epaphræ. Vid. libell. de fest. Ap.

Arsenii. Item eodem die, sancti Patris nostri Arsenii, de quo in Verbis seniorum refertur, quia propter redundationem lacrymarum tergendam, sudarium semper in sinu, vel in manu habuerit.

Justæ & Rufinæ. Eodem die Hispali apud Hispaniam, natalis SS. Justæ & Rufinæ: quæ a Diogeniano præside comprehensæ, equulei extensione & ungularum laniatione vexatæ sunt, dein trusæ sunt in carcerem, inedia & doloribus afflictæ. Post hæc jussit Præses, ut quocumque iret, ipsæ nudis pedibus sequerentur. Tandem Justa in carcere spiritum exhalavit. Corpus ejus in puteum projectum, & a Gabino Episcopo levatum, in Hispalensi cœmeterio conditum est. Rufinæ cervix confracta, & corpus ejus igni traditum: cujus reliquiæ a fidelibus curatæ sunt.

VARIA LECTIO. Ed. *Natalis beati Epaphræ*. Codices: *Natale* (cod. 512. & 514. *beati*) *Epaphræ, qui a beato Paulo Colossensis ordinatus Episcopus, claruit virtutibus, martyrii palmam pro ovibus sibi commendatis, virili agone percepit. Sepultus apud eandem urbem. Eodem die, natalis sancti patris nostri Arsenii &c.* Ed. *Eodem die, Hispali &c.* Codices: *Et apud Hispaniam, Hispali civitate, natalis sanctarum Justæ & Rufinæ &c.* Ed. *Gabino*. Codices: *Sabino*. Ed. *curatæ sunt.* Cod. 511. *scrutatæ sunt*. Codices 512. & 514. *curatæ sunt*. Deinde sequitur in codice 511. tantum, aliena manu sæculi circiter XIII.: *In Antiochia, passio sanctæ Margaritæ virginis, quæ per multa tormentorum genera, cælestis palmæ triumphum a Domino percipere meruit.* *Margaritæ.*

Epaphræ. ADNOTATIO. *Epaphras* colitur hac die ab Adone nostro brevi elogio, ab Usuardo verbatim descripto. Alii silent. Utrum ab Apostolo Paulo *Colossensis* Episcopus dictus sit, Sollerius certa nondum argumenta se reperisse fatetur, prout & Tillemontius tom. I. pag. 292. Vide quæ de eo adnotant Bollandiani hac die pag. 581. 582.

Arsenii. *Arsenius* monachus notior est apud veteres Martyrolographos; nam de eo hac die cum elogio agit Beda, ex quo Rabanus, Ado noster, Usuardus, Notkerus. Agunt item Wandelbertus, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, S. Cyriaci, Barberinianum, & Kalenderium Vatic. 3806. Græci agunt die VIII. *Maji*. Circumferuntur Acta Græca, incerto auctore, & inexploratum est, an Latina apud Lipomanum die VIII. *Maji*, & apud Surium die XIX. *Julii* ex hujusmodi Græcis Actis prodeant. Vide de his Tillemontium tom. XIV. pag. 676. *& seq.* ac Bollandianos hac die pag. 605. *& seq.* Amalarius lib. II. cap. XXIV. hæc citat ex Martyrologio Bedæ: *Ut in Martyrologio Bedæ legitur, quod pater noster Arsenius propter redundationem lacrymarum tergendam, sudarium semper in sinu, vel in manu habuerit.* Fuit *Arsenius* anachoreta in monte *Scethi* in Lybia. Fugit ex Scethi *Troen*, superioris Babylonis locum versus Memphim, quem bis incoluit. Secessit inde *Canopum*. Demum obiit c. A. D. 455. De eo in Vitis Patrum, apud Bollandianos, ut supra.

Justæ & Rufinæ. *Justæ & Rufinæ* primum meminisse videtur Romanum parvum, his verbis: *Hispali, SS. Justæ & Rufinæ*. Elogium ex Actis protulit Ado, ab Usuardo in epitomen redactum, prout & a Martyrologio Fuldensi. Utrum Hieronymiana de his martyribus hac die agant, ut putat Florentinius, incertum est apud Sollerium in Usuardum hac die. Richenoviense hac die habet: *In Spaniis, Justi*. Augustanum *Justi* meminit mixtim cum aliis. Labbeanum ita, sed pro *Justi*, legit *Justæ*. Barberinianum: *In Spania, natalis S. Justi*. Illustrior est horum mar-

martyrum memoria in veterrimo Breviario Mozarabum, seu Toletano, ubi hymnus in eorum laudem habetur. Item in libello orationum veterrimo Gothico-Hispano, edito a V. C. Josepho Blanchino inter Opera Cardinalis Thomasii pag. 125. ita habetur: *Incipiunt orationes in diem sanctarum Justæ & Rufinæ* XVI. *Kal. Aug.* Sequuntur ibi orationes. De horum cultu, templis, & reliquiis Bollandiani hac die pag. 583. Ibi etiam loca quædam vulgatorum apud Bellovacensem Actorum illustantur..

De *Margarita* vide quæ diximus ad diem XIII. *Julii*. *Margarita!*

E. XIII. KALENDAS AUGUSTI. *20. Julii.*

Act. 1. NATALIS beati Joseph, qui cognominatus est Justus: qui cum beato Matthia, ut numerum duodenum impleret, ab Apostolis statuitur. Sed Matthia locum Judæ proditoris implente, beatus Joseph nihilominus prædicationis & sanctitatis officio inserviens, multamque pro Christi fide persecutionem a Judæis sustinens, victoriosissimo fine in Judæa quievit. De quo (Eufeb. l. 3. cap. ult.) refertur, quod venenum biberit, & nihil ex hoc triste pertulerit, propter Domini fidem. *Joseph justi.*

Apud Damascum, natalis sanctorum Sabini, Maximini, Juliani, Macrobii, Cassii, Paulæ, cum aliis decem. *Sabini & soc.*

Victoris. VARIA LECTIO. Codices 511. 512. & 514. post extremum verbum *decem*, addunt: *In Thebaida, sancti Victoris. Civitate Corduba, sancti Pauli diaconi & martyris.* *Pauli.*

Josephi. ADNOTATIO. *Josephi* cognomento *Justi*, hac die meminere Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, Notkerus, & Martyrologium Fuldense. De hausto veneno, ex Eusebio Rufini lib. III. cap. XXVIII. sumptum esse putatur. Plura ex Baronio in Notationibus hac die, & ex Tillemontio tom. I. pag. 119. ac ex Bollandianis hac die pag. 22. 23. intelliges.

Sabini & soc. *Sabini* & sociorum apud *Damascum* natalia colitur hac die in Hieronymianis, licet aliquantisper discrepet apographum Epternacense (qua de re Florentinius) Adone, Usuardo, & Notkero. Rhinoviense habet: *Et in Damasco, Sabini*. Ita Richenoviense. Augustanum, & Labbeanum: *Africa, Sabini*. Corbejense brevius: *In Africa, natalis sanctorum Sabini, Luciani, Petri*. Ita Martyrologium Reginæ Suecorum, in quo additur: *cum aliis numero* XXIX. *In Tebaida, natalis sancti Victoris. Et in Damasco, natalis sanctorum Maximi, Juliani, Macrobi, & aliorum* XIV. Barberinianum: *In Africa, Sabini, Luciani, Amabilis. In Thebaida, nat. Victoris. In Damasco, nat. Maximi, Luciani, Macrobii, cum aliis decem*. Ottobonianum: *In Africa, natalis sanctorum Sabini, Amabilis, Respectati cum aliis* XXIII. *In Damasco, Macrobi, & Cassi cum aliis* X. Vide Bollandianos hac die pag. 45. qui de his ex Hieronymianis tantum agunt.

Victoris in Thebaide, de quo codices nostri, silente genuino Usuardo, sed tamen ejus Auctariis eum memorantibus, meminere aliquot apographa, nuper a nobis allata. Agunt Bollandiani socii hac die pag. 46. ex Hieronymianis. *Victoris.*

Paulus diaconus & martyr *Cordubensis* colitur hac die in codicibus nostris. Deletum fuisse ab Usuardo illius elogium in autographo Pratensi, censet Bovvillartius. Ibi legebatur: *Civitate Corduba, sancti Pauli Diaconi & martyris*. Contra vero Sollerius retinendum esse in genuino Usuardo memoratum *Pauli* elogium contendit. Passus est Paulus A. D. 851. De eo Eulogius in Memoriali lib. II. cap. VI. Agunt ex eodem Eulogio Bollandiani hac die pag. 89. *Pauli.*

F. XII.

21. Julii. *F. XII. KALENDAS AUGUSTI.*

Danielis. DANIELIS Prophetæ.

Praxedis. Romæ, natale S. Praxedis virginis. Hæc cum sorore sua Potentiana vel Pudentiana a sanctissimo patre Pudente, qui fuit edoctus in fide ab Apostolo Paulo, in omni castitate & lege divina erudita, post transitum parentis, vigiliis & orationibus atque jejuniis assidue vacans, omne patrimonium suum simul cum prædicta beata sorore in sustentatione pauperum & Christi sanctorum erogavit. In titulo vero, quem pater earum Pudens, nomine beati Pastoris dedicavit, una cum consilio B. Pii sedis Apostolicæ episcopi, fontem baptismi construere soror & ipsa studens, ut familia earum die sancto Paschæ baptizaretur. Quos ad nonagintasex numero manumissos, B. Pius aquis salutaribus abluit. Inde post innumera pietatis opera post multorum Martyrum sepulturas, (inter quos beatum Symmetrium presbyterum cum aliis XXII. apud titulum supradictum manibus suis sepelivit) qui per martyrii palmam ad regna cælorum transierant: eadem beatissima virgo migravit ad Dominum, coronam justitiæ receptura, XII. Kalend. Augusti. Sepulta in cœmeterio Priscillæ, via Salaria, juxta sororem suam atque sanctum patrem Pudentem posita.

Victoris. Eodem die in Galliis, civitate Massilia, natalis S. Victoris. Qui persecutione Diocletiani & Maximiani, cum esset miles, & nec militare, nec idolis sacrificare vellet, primum a tribuno suo Asterio in carcerem trusus, sed omni nocte ad consolandos & visitandos infirmos ab Angelo eductus est. Deinde jussu Eutychii præfecti, retortis brachiis, loris subtilibus ligatus, & pedibus fune constrictus, per mediam tractus est civitatem. Post hæc fustibus crudelissime cæsus, ac suspensus & taureis cruciatus, cum exhibuissent aram in qua sacrificaret, & eam nec respicere sustinens, de manu sacerdotis calce excussisset, pedem ei Præses jussit incidi. Ad ultimum in confessione persistens, missus est in molam pistoriam, in qua sparsum granum vertigine animalis macerari solet. Atque ita contritus, martyrium consummavit. Passi sunt cum eo tres milites, Alexander, Felicianus, & Longinus. Qui dum eum nocturno silentio in carcere custodirent, visitantibus illum Angelis sanctis, tanto claritatis fulgore obstupefacti, atque ad ejus genua provoluti, credentes in Christum, nocte eadem in mari baptizati sunt; & sequenti die, ante consummationem B. Martyris, gladio jugulati. Puer quoque Deutherius, qui dum ad sepulcrum ejus oraret, emisit & spiritum.

VARIA

VARIA LECTIO. Ed. *Danielis prophetæ*. Codices 511. 512. & 514. *Obitus Danihelis prophetæ. Romæ &c.* Ed. *Potentiana, vel Pudentiana &c.* Codices: *Potentiana a sanctissimo patre Pudente Apostolorum discipulo in omni castitate &c.* Ed. *una cum consilio B. Pii*, Cod. 511. *una cum filio beati Pii*. Cod. 512. & 514. ut in editis. Post verbum *posita*, sequitur in codicibus: *In civitate Massilia, natalis sancti Victoris &c.* Ed. *retortis brachiis*. Codices: *retro brachiis*. Post extremum verbum *emisit spiritum*, sequitur in codicibus:

Juliæ. „ Trecas, passio sanctæ Juliæ virginis & martyris, cujus sacrum corpus in territorio „ Meldorum in Ecclesia beatæ Dei genitricis Mariæ Jodemrensis monasterii est translatum, „ ubi honorifice veneratur humatum.

Danielis. ADNOTATIO. *Danielis* prophetæ meminere hac die Beda, Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Reginæ Succorum, Ottobonianum, S. Cyriaci, Barberinianum, & Kalendarium Vat. 3806. In Missali plenario Vat. 4770. ad diem XXVIII. Augusti Missa habetur de S. *Daniele*. Introitus est: *Da pacem, Domine*. Prima oratio: *Omnipotens sempiterne Deus, qui sedatis leonum cruentis faucibus, famulum tuum Danielem inlæsum conservare dignatus es, quique etiam dentibus eos ad devorandum tradidisti, qui prophetam tuum falsis assertionibus extinguere nitebantur: da ergo Ecclesiæ tuæ de tanto gaudere patrocinio, quem cœli participem esse fecisti. Qui vivis &c.* Ibi etiam habetur Præfatio propria. Acta a Metaphraste scripta, habes Latine apud Surium die XXI. *Julii*. Græce exstant in Bibliotheca Coisliniana pag. 212. Sed de his Actis apocryphis, & de cultu sacro *Danielis* adeundi Bollandiani hac die pag. 117. *& seq.* Cur autem festa dies de sanctis veteris testamenti apud occidentales raro, aut nunquam celebraretur, vide S. Bernardum epist. XCVIII. Belethum in rationali divinorum officiorum cap. CXXVIII. & Durandum in rationali divinorum offic. lib. VII. c. XX. & Disceptationem Francisci Antonii Grimaldi Episcopi Methonensis de negatione publici cultus S. Jobi.

Praxedis. Celeberrimus jam inde a priscis temporibus in Ecclesia Romana, & apud Latinos Hagiographos fuit hac die natalis *S. Praxedis*. De ea enim apographum Hieronymianum Corbejense habet: *Et natalis sanctæ Praxedis virginis*. Silet Rabanus, agunt Romanum parvum, Gellonense, Notkerus, Wandelbertus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Succorum, Fuldense, Ottobonianum, S. Cyriaci, Barberinianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. In libris quoque Liturgicis veterrimis, ut in libro Gradali Modoetiensi, edito a Thomasio pag. 265. responsorium Gradale *in natali* S. *Praxedis* habetur, ut & in Antiphonario Carnutensi, ibidem pag. 281. In Capitularibus Evangeliorum a nobis editis tom. III. de Liturgis Romani Pont. pag. 269. Evangelium *in natali S. Praxedis* hac die præfigitur. At orationes ad Missam in Sacramentariis vetustioribus Gregorianis, ut Reginæ Succorum, & Ottoboniano, Pamelii, Palat. Vat. 495. & Angeli Rocchæ desiderantur; quod Bollandiani socii mirantur. Forte petebantur ex communi Virginum. Habentur tamen in codice Ratoldi apud Menardum not. 432. ubi in prima oratione *martyr* appellatur *S. Praxedes*. Habentur etiam in Missali plenario Vat. 4770. sæculi XI. ubi prima oratio hæc est: *Omnipotens, sempiterne Deus, da nobis in festivitate beatæ Praxedis virginis & martyris congrua devotione gaudere, ut & potentiam tuam in ejus transitu laudemus, & provisum nobis percipiamus auxilium*. Item in Sacramentario Pal. Vatic. 496. sæculi XII. prima oratio est: *Sanctæ Praxedis, Domine, confessio veneranda conferat nobis piæ devotionis augmentum, quæ in tuo nomine perseverans, meruit inter choros virginum honorari*. In hac, & quæ ibi sequuntur orationibus, *virgo* tantum dicitur. De veterrimo in Urbe *S. Praxedis* titulo, deque ejus ex cœmeterio Priscillæ in eundem titulum translatione vide quæ diximus die XIX. *Maji*, ubi de *S. Pudentiana*. Acta, ex quibus Ado, & carptim Usuardus elogium proferunt, parum sincera videntur recentioribus, ac nos inter Tillemontio tom. II. pag. 615. De his Bollandiani ad diem XIX. *Maji*, qui neque hac die XXI. *Julii* pag. 130. n. 4. fidem solvere se potuisse fatentur, quod certa monumenta non acceperint.

Victoris. *Victor* martyr *Massiliensis*, de quo fuse Ado noster ex Actis, colitur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Rabano, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, & Labbeano, licet in his duobus corrupte. Martyrologium Reginæ Succorum habet: *Massilia, natalis sanctorum Victoris, Alexandri, Denteri*. Barberinianum: *In Massilia, natal. sanctorum Victoris, Alexandri, Feliciani, & Longini*. Fuldense *Victoris* tantum elogium profert, prout apud Usuardum, qui tamen socios milites ei addit, *Alexandrum, Felicianum, & Longinum*. Notkerus Adonem describit. Meminit & Hagiologium Francogallicum. Acta inter sincera, præmissa Admonitione, retulit Ruinartius

pag. 299. *& seq.* ubi passi feruntur, aut e. A. D. 290. vel 303. Vide Tillemontium tom. IV. pag. 549. *& seq.* item Bollandianos hac dia pag. 135. *& seq.* Consule etiam Annales Massilienses Guesnay pag. 131.

Juliæ. *Julia*, *Trecensis* virgo & martye a nostris codicibus tantum, & ab Usuardo genuino memoratur, his verbis: *Trecas*, *sancta Juliæ virginis & martyris*. Hinc Sollerius hujus martyris elogium pore Usuardinum esse censuit. Acta ex Camuzati fida pag. 381., apud Surium in concione scripta sunt, deinde edita iterum a Bollandianis hac die pag. 133. *Jotrense*, seu *Jodorense SS. Mariæ, Petri & Pauli eremitæ* monasterium, vulgo *Joavare* in diœcesi Meldensi; conditum fuit A. D. 634. ab *Adone*, Chlotarii & Dagoberti regum aulieo. Nihil vero apud veteres Martyeolographos de *Juliæ* translatione in monasterium *Jotrense*, nihil etiam ex vetustis monumentis apud Bollandianos. Editio Usuardi, cuente Molano, eadem verba refert, quæ in nostris codicibus leguntur. Passa est sub *Aureliano*.

---

22. *Julii.*

G. XI. KALENDAS AUGUSTI.

Mariæ Magdal. Syntyches. NATALIS sanctæ Mariæ Magdalenæ.

Et beatæ Syntyches, quæ Philippis dormit sepulta: de qua beatus Apostolus Paulus scribit Philippensibus: *Evodiam rogo: & Syntychen deprecor id ipsum sapere in Domino.* Vid. lib. de fest. Apost. Philipp. 4.

Platonis. Ancyra Galatiæ, natalis sancti Platonis martyris: cujus gesta habentur.

VARIA LECTIO. Ed. *natalis sanctæ Mariæ Magdalenæ*. Codices 511. 512. 514. *Natale sanctæ Mariæ Magdalenæ, de qua &c.* usque *meruit*, prout in libello de festivitatibus Apostolorum. Ed. *Et beatæ Syntyches*. Codices: *Et Synticen beatæ, quæ &c.* Post verbum extremo loco *gesta habentur*, sequitur in codicibus:

Wandregisili. „ Monasterio Fontinella, depositio sancti Wandregisili confessoris, cujus præclara „ gesta habentur.

Mariæ Magdal. ADNOTATIO. De *Maria Magdalena*, definiente Sollerio, primum agit hac die Romanum parvum, deinde Ado, Usuardus, & Wandelbertus. In Richenoviensi, alieno charactere, legitur hae die, extremo loco: *Et Maria Magdalenæ*. Ita in Augustano, sed non ad extremum. Martyrologium Reginæ Suecorum, S. Cyriaci, Barberinianum, & Fuldense habent primo loco: *Natalis sanctæ Mariæ Magdalenæ*. Hagiologium Franco-gallicum: *Apud Ephesum, sancta Mariæ Magdalenæ*. Ottobonianum: *Natalis Mariæ Magdalenæ*. Sollarius in Usuardum hac die animadvertit, *Mariam Bethaniæ*, sororem *Marthæ*, & *Lazari* in veteribus Martyeologiis distiogui a *Maria Magdalena*. De *Maria* sorore *Marthæ* agi in iis die XIX. *Januarii*, ut etiam agont apographa nostra Adoniana; quam in rem Grothusii sententiam profert, *Mariam* nimirum sororem *Marthæ*, aliam prorsus esse a *Maria Magdalena*, quæ celebratur hac die XXII. *Julii*, quam opinionem omnino eruditorum ætatis nostræ sententiæ accommodari, monet Sollerius, qui nos ad Tillemontium tom. II. pag. 28. amandat. Vide quid sentiant Bollandiani socii hac die pag. 187. *& seq.* In vetustioribus Sacramentariis deest hae die Missa in *natali S. Mariæ Magdalenæ*: habetur in Sacramentario Pamelii, sed inter Auctaria; ea occurrit in Sacramentariis sæculi XII. & deinceps. De ejus Actis apocryphis Baronius in Notationibus hae die.

Syntyches. *Syntyches* celebratur hac die a Romano parvo, Adone nostro, Usuardo, & Martyrologio Fuldensi. Alia Hagiologia de ea silent. Paucis quoque agunt de ea Bollandiani hac die p. 225. & 226.

Platonis. *Plato* martyr *Ancyræ* in *Galatia* colitur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Rabano, Adone, Usuardo, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, & Martyrologio Reginæ Suecorum. In quibusdam apographis corrupte legitur *Anquira Gallaciæ*, seu *Galliciæ*, pro *Ancyra Galatiæ*. In Martyrologiis etiam illius gesta memorantur, sed genuina interiere, nam quæ apud Surium hae die, ex officina Simeonis Metraphrastæ prodeunt. Passus est die XVIII. *Novembris*. De ejus laudibus Nilus, S. Jo. Chrysostomi discipulus, ac Theodorus Studita. De Ecclesia in illius hono-

rem

rem a Justiniano Imperatore extructa, vide inter cæteros hac die Bollandianos pag. 226. *& seq.*

Wandregisili. Codices nostri hac die etiam de S. *Wandregisilo* agunt. Memoratur in Hieronymianis apographis, licet antiquarii Gallici manu in apographo Lucensi additum fuisse putet Florentinius. Apographum igitur Lucense ita habet: *In Gallia, Fontanella monasterio, depositio beati Wandregisili Abbatis, & in eodem loco dedicatio basilicæ sancti Petri Apostoli, ubi ipse venerabilis pater requievit in corpore.* Apographum Corbejense inter Auctaria præfert: *Depositio Wandregisili Abbatis & confessoris.* Usuardus Sollerii habet: *In monasterio Fontinella, depositio sancti Wandregisili confessoris.* Non ambigit Sollerius, quin *Wandregisilus* vere Usuardinus sit, licet in Pratensi codice lituræ aliquæ conspiciantur, sed Bovvillartius affirmat, solam lituram esse ad verba: *in pago Rotomagensi*, cætera nitida esse. Silet de eo Gellonense, at agunt Martyrologium Fuldense, Hagiologium Francogallicum, & Wandelbertus. Obiit S. *Wandregisilus*, vulgo *S. Vandrille*, A. D. 667. die XXII. *Julii*. Vide ejus Acta apud Mabillonium sæculo II. Bened. pag. 525. ubi ex codice Adonis Sangermanensi citat elogium idem, de quo codices nostri. Acta ediderunt etiam Bollandiani hac die pag. 253. *& seq. Fontanella*, ut est apud Valesium in Notitia pag. 198. seu *parvus fons*, per antiphrasim, locus est in eremo Gemeticensi, agroque Rotomagensi. Ibi *Wandregisilus*, cognomine *Wando*, in pago Veroduaensi natus, monasterium ædificavit. Locum a *Clodoveo* juniore obtinuit. Ante secessum Wandregisilus tributorum exactor in agro Rotomagensi fuit.

A. X. KALENDAS AUGUSTI. *23. Julii.*

Vid. lib. de fest. Apost. APUD Ravennam, natale sancti Apollinaris Episcopi. Hic *Apollinaris.* Romæ ordinatus a beato Petro Apostolo, Ravennam directus est. Ubi cum pervenisset, non longe ab urbe Ravenna mansit apud quemdam militem Irenæum nomine, cujus filius erat cæcus. Quem ad se perductum, facto signo Crucis illuminavit, ac sic parentes illius postmodum baptizavit. Matronam vero cujusdam tribuni militum nomine Theclam, quæ plurimis annis gravissima tenebatur infirmitate, cum in nomine Domini nostri Jesu Christi, manum apprehendens ejus, de lecto sanatam erexisset, tribunum cum uxore eadem, & filios, ac familiam ipsorum in Christum credentes baptizavit. In cujus domo postmodum intra urbem Ravennam Missas & Baptismata agebat cum discipulis suis per duodecim annos. Ordinavit autem duos presbyteros, Adheretum, & Calocerum: Martianum vero nobilissimum virum, & Leucadium philosophum diaconos, & sex clericos statuit, cum quibus die noctuque psalmos canebat. Nuntiatumque est duci Saturnino. Qui producens eum, statuit ante pontifices Capitolii Ravennatis: a quibus nimia cæde mactatus, ejectusque ad mare, semivivus relinquitur. Quem discipuli ejus colligentes, adhibuerunt ei curam. Post menses sex Bonifacium nobilissimum virum, qui obmutuerat, sanaturus, ad domum ejus veniens, puellam immundum spiritum habentem, deinde Bonifacium, soluto vinculo linguæ ejus, sanavit. Ubi quingenti homines Christo crediderunt. Non post multos dies a paganis tentus, & diutissime fustibus cæsus est, ac nudis pedibus super prunas impositus, & inde ab urbe pulsus. Sed non longe a muro habebant Christiani tugurium, ubi

Missas faciebat, in mari vero baptizabat: ibique timentes Deum de facultatibus suis ministrabant ei. Post plurimos annos etiam ad Æmiliam perrexit verbum Domini prædicare, faciens multas virtutes in nomine Domini nostri Jesu Christi. Tempore quo reversus est, Rufi Patricii filiam a morte corporis suscitavit, quam Christo virginem firmavit, matre cum familia promiscui sexus trecentis quatuor baptizatis. Perventum est autem ad Cæsarem de beato viro, & quod domus Rufi Patricii obediret Christo. Et mittens Rufo successorem, scripsit Vicario Præfecto prætorii Massalino, ut aut diis inclinaret Apollinarem, aut longe in exilium traderetur. Quem accersitum Vicarius, post interrogationem exutum veste, virgis cædi fecit, & aqua bulliente plagas ejus infundi, & equuleo suspensum torqueri, ac saxo os ejus contundi, & cum gravissimo ferri pondere oneratum includi in carcere horrifico, atque in ligno extendi: ubi ab hominibus quidem negligitur, sed ab Angelo publice pascitur. Quarto die Judex de carcere productum, catenatum, in navi positum in exilium direxit. Tres autem viri cum do clero secuti sunt, qui & ministrabant ei. Mortuis vero omnibus tempestate maris & naufragio, ipse cum clericis & duobus militibus evasit, quos Christo ilico consecravit lotos aqua salutari. Et transitum faciens post Corinthum per Mysiam, leprosum cute mandatum in Christo lavit. Deinde ad ripam Danubii perveniens, multos fide sibi sociavit. Et quærentibus cum incredulis occidere, in partes Thraciæ descendit. Et cum ibi dies aliquot fecisset, & in templo Serapis, præsentia ipsius obticuisset dæmon, tandem rogatus spiritus responsum dedit: Quia discipulus Petri Apostoli Jesu Christi huc venit, & ligavit me. Hic nisi fuerit ab his locis expulsus, vobis dare responsa non possum. Inquisitus, inventus est beatus Apollinaris, & discussus, diutissime fustibus cæditur, & usque ad mare perductus a Rectore provinciæ, navi currenti ad Italiam cum suis hominibus superimponitur. Itaque post tertium annum Ravennam ingreditur: deinde post dies aliquot subita seditione orta in civitate, irruentibus paganis, ligatus ad forum perducitur: ibi cæsus ac vulneratus est. Exinde pontifices Capitolii egerunt, ut ad templum Apollinis duceretur. Quo cum pervenisset, data oratione, simulacrum solutum, & templum destructum est. Pagani hoc videntes, clamabant: Senex impius interficiatur. Et tradiderunt eum Judici, cui nomen erat Taurus, qui habebat filium naturaliter cæcum natum, quem in nomine Christi sanctus Apollinaris illuminavit, multis stupefactis, & conversis ad Dominum. Mansit autem in prædio Tauri præsidis annis quatuor. Erat enim ab urbe miliario

sexto,

sexto, ubi concurrebant Christiani, & docebantur ab eo. Et quacumque infirmitate quis detinebatur, ad eum perductus sanabatur. Igitur invidiosa relatio pontificum Capitolii cucurrit ad Cæsarem adversus B. Apollinarem. Qui mox edixit, ut si diis quis temerario ore injuriam inferret, aut satisfaciat, aut urbe privetur. Quæ jussio mox percurrit ad Demosthenem Patricium. Qui exquisitione missa, sanctum Apollinarem sibi exhiberi jubet: quem auditum tradidit in custodia cuidam Centurioni occulte Christiano, cogitans quibus cruciatibus eum perderet. Qui media nocte laxavit eum, ut fugeret. Cumque fuisset paganis cognitum, sequentes eum, non longe a porta apprehenderunt; & tam diu cæsus est, quousque æstimaretur mortuus. Exinde collectus est a discipulis, & perductus est in vicum, ubi leprosi morabantur, & septem dies supervixit; admonens semper Ecclesiam, ne a fide Christi discederet. Ita martyr gloriosissimus Apollinaris in laude Christi defunctus, sepultus est foris murum, & clausum in arca saxea sub terra corpus ejus missum est. Hic ab Antiochia secutus Apostolum Petrum, & ab urbe Roma ab eodem Apostolo missus Ravennam, rexit Ecclesiam annis viginti octo, mense uno, diebus quatuor. Passus ultimum martyrium sub Vespasiano Cæsare, & Demosthene Patricio, x. Kalendas Augusti.

VARIA LECTIO. Ed. *sancti Apollinaris*. Cod. 511. *Apollonaris*. Cod. 512. *Apollinaris*. Ed. *Irenæum*. Codices: *Hireneum*. Ed. *rexit Ecclesiam annis &c.* Cod. 511. *rexit Ecclesiam annos* XXVIII. *mens.* I. *Demostene patritio*, x. *Kalend. Aug.* Cod. 512. & 514. ut in editis.

Apollinaris.

ADNOTATIO. De *Apollinare* agunt hac die omnes Latinorum, nimirum apographa Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Gellonense, Ado fuse ex Actis, Usuardus contracte, Rabanus, Notkerus, Wandelbertus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbiense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, S. Cyriaci, Barberinianum, & alii. Nonnulla ex his Haginlogia Bedæ elogium describunt. At ejus cultus illustrior hac die in libris Liturgicis. Silet quidem codex Sacramentorum Gelasianus, & Sacramentaria Gregoriana vetustiora item silent; sed in vetustissimis Evangeliorum Capitularibus, de quibus nos tom. III. de Liturgia Romani Pont. pag. 469. Evangelium hac die in natali S. *Apollinaris* designatur. Quare dubitandum non est, quin Missa in illius natali, licet peculiares orationes in Sacramentariis adnotatæ non fuerint, celebrata sit, ex communi martyrum sumptis orationibus. In Capitulari quoque Epistolarum, sæculo VIII. scripto, ad usum Ecclesiæ Mediolanensis, de quo nos sæpe, Epistola habetur in natalis ejusdem *Apollinaris*. Liber Gradalis S. Gregorii ex codice vetustissimo basilicæ Modoetiensis apud Thomasium de antiquis libris Missarum: *In natali sancti Apollinaris*. Uulgatus liber Antiphonarius S. Gregorii: *Natalis S. Apollinaris*. Micrologus cap. XLIII. citat hujus diei officium ex Graduali S. Gregorii. Habetur etiam in Antiphonario Carnutensi, apud Thomasium, ubi supra. Missa de eo hac die cum propriis orationibus habetur in Sacramentario Palat. 495. sæculi decimi exeuntis. Prima oratio est: *Deus, qui salutarem*. Secreta: *Sacrificium nostrum*. Ad com. *Satiati sumus*. Item in Palat. Vat. 496. In Missali plenario Vatic. 4770. prima oratio est: *Deus, qui per sacram impositionis manum*. Est ibi etiam præfatio propria. Acta antiqua quidem esse, at non ex puris fontibus deriva

ta

ta censent recentiores, inter quos Tillemontius tom. II. pag. 102. *& seq.* ac Bollandiani ad hanc diem pag. 343. num. 83. 84. Num *martyr* dici possit, vide eosdem Bollandianos ibidem pag. 341. num. 76. Licet enim mortem gladio non subierit, quia tamen sæpe sanguinem fudit, & martyrii desiderio exarsit, merito *martyris titulo* donari posse *Apollinarem* existimant. *Confessor* a Petro Chrysologo serm. CXXXVIII. appellatur; apud S. Gregorium lib. V. Ep. XXXII. *martyr*. In litaniis ævo *Caroli* M. apud Mabillon. Analect. tom. II. pag. 683. inter *martyres* invocatur *Apollinaris* post S. *Timotheum*, ni forte sint Remenses martyres *Timotheus*; & *Apollinaris*. Item in aliis litaniis apud Martenium de antiqua disciplina in divinis officiis celebrandis pag. 630. recensetur inter martyres post S. *Protasium*. Demum in litaniis apud Thomasium de antiquis libris Missarum pag. 7. inter *confessores* post S. *Benedictum* occurrit. Vetustissimus est in Urbe S. *Apollinaris* titulus, ac alia basilica prope Vaticanum, de quibus sæpe liber Pontificalis in *Honorio* I. *Hadriano* I. & *Leone* III. Patrum elogia de Apollinare recensent Bollandiani hac die pag. 328. *& seq.*

---

24. *Julii.* B. IX. KALENDAS AUGUSTI.

Christinæ. EODEM die apud Italiam in Tyro, quæ est circa lacum Vulsinum, natale sanctæ Christinæ virginis: quæ in Christum credens, deos aureos Urbani patris sui Præfecti contrivit, & pauperibus distribuit. Ob hoc jubente patre, alapis afflicta, verberibus dilaniata, ferro onusta, in carcerem conjecta est. Post hoc cum diutissime & crudelissime dilaniaretur, de carnibus suis patri in faciem projecit. Cumque alligata rotæ, igni supposito, & fuso desuper oleo torreretur, erumpens flamma mille gentilium interfecit. Iterum carceri tradita, Angelo visitante, sanata est & refecta. Deinde cum magno saxi pondere in mare, idest in lacum Uulsinum jactata, Angelico præsidio liberata est. Quam successor patris ejus Dion multis iterum suppliciis afflixit. Sed orante illa, simulacrum Apollinis, quod adorare jubebatur, in favillam subito redactum est. Quo miraculo tria millia hominum ad fidem Christi conversa sunt. Novissime successor prædicti Julianus, post fornacem candentem, ubi quinque diebus illæsa permansit, post serpentes a venefico immissos, sed Christi fide superatos, post abscissionem linguæ, sagittis eam configi præcepit. Sicque martyrii cursum consummavit, anno ætatis suæ undecimo.

Vincentii. Romæ via Tiburtina, milliario XIX. natalis S. Vincentii.

Victoris. Apud Emeritam Hispaniæ civitatem, natalis sancti Victoris militaris, qui cum duobus fratribus Stercatio & Antinogeno diversis examinatus suppliciis, martyrium consummavit.

Nicetæ & Aquilæ. Eodem die, natalis sanctarum virginum Nicetæ & Aquilæ: quæ ad prædicationem sancti Christophori martyris, ad Christum conversæ, martyrii palmam capitis abscissione sumpserunt. De his in vita sancti Christophori 25. Julii.

Milit. LXXXIII. Et apud Amiterninam civitatem, Militum octoginta trium.

VA-

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. 514. hac die ita incipiunt: *Apud Emeritam civitatem Hispaniæ, natalis sancti Victoris* &c. usque *consummavit*: Deinde sequitur in eisdem codicibus: *In Italia civitate Tiro, quæ est circa lacum Vulsinum, natalis sanctæ Cristinæ virginis* &c. usque *ætatis suæ undecimo*. Post hæc in codicibus sequitur: *Eodem die, natalis sanctorum Nicetæ* (cod. 512. *Niceæ*) *&* *Aquilinæ* (cod. 514. *Aquilæ*) *qui* (sic) *beati Christophori prædicatione ad Christum conversæ, martyrii palmam capitis abscisione compleverunt*.

Deest in codicibus natalis S. *Vincentii* martyris via Tiburtina.

Christinæ. ADNOTATIO. *Christina* virgo & martyr colitur hac die a Hieronymianis, & aliis vetustioribus Hagiographia. Apographum Hieronymianum Lucense habet: *In Tyro civitate, natalis sanctæ Christinæ virginis*. Beda genuinus: *Natale sanctæ Christinæ virginis*. Romanum parvum: *Circa lacum Vulsinum in Italia, Christinæ virginis*. Gellonense: *Christinæ virginis*. Rabanus: *In Tyro civitate, natale sanctæ Christinæ virginis* &c. Ado noster imitatur Romanum parvum: *In Italia civitate Tyro, quæ est circa lacum Vulsinum, natalis sanctæ Christinæ virginis* &c. Usuardus: *In Italia, civitate Tyro, sanctæ Christinæ virginis* &c. Notkerus: *In Tuscia apud civitatem Tyrum, quæ est juxta Vulsinum, passio sanctæ Christinæ virginis* &c. Richenoviense: *Natale sanctæ Christinæ virginis*. Augustanum & Labbeanum: *Christinæ virginis*. Martyrologium Fuldense: *In Tyro civitate, natalis sanctæ Christinæ virginis* &c. Reginæ Suecorum: *In Tyro, natalis sanctæ Christinæ virginis*. Sanmaximianum: *Sanctæ Christinæ*, tantum. Barberinianum: *In Tyro civitate, natalis sanctæ Christinæ virginis*. Kalendarium Vat. 3806: *In Tyro civitate, natalis sanctæ Christinæ virginis*. Meminit & Wandelbertus. Agit & S. Adelhmus de laudibus virginitatis. In litaniis Anglicanis sæculo VII. usitatis, apud Mabillonium Analect. tom. II. pag. 672. inter nomina virginum S. *Christina* invocatur, ac item ibidem pag. 685. in litaniis Carolinis, ut in litaniis apud Menardum in Sacramentarium Gregorianum. Extremo loco inter sanctas virgines legitur *Christina* in litaniis apud Thomasium de antiquis libris Missarum pag. 7. De veterrimo igitur *Christinæ* cultu, deque perpetua apud Vulsinienses erga Christinam, uti tutelarem, religione, nihil testatius est. Quæstio adhuc inter eruditos pendet, quæ sit ista civitas *Tyrus*, de qua Baronius, Florentinius in Notationibus hac die, & Cluverius disceptarunt. *Tyrum* urbem, circa lacum Vulsiniensem olim fuisse, undis deinceps absorptam, ex Vulsiniensium traditione monet Baronius. Alii *Christinam* in civitate *Tyri* Phœniciæ ortam putant, ac *Vulsinii* passam. Multa Bollandiani socii hac die p. 495. *& seq.* de *Christina* disquirunt, præsertim de natali solo, de Actis, deque ejus cultu vetustissimo apud Græcos & Latinos, & eos refellunt, qui futilia de eadem virgine protulerunt. Interim nihil definire voluere pag. 497. de civitate *Tyro*, num scilicet sita esset circa lacum Vulsinum; & an *Christina* natu esset *Tyri* in *Phœnicia*, ut præferunt Græca elogia, & Acta quædam Latina, & inde Vulsinium translata. Acta Latina vulgata in codice Canonicorum Forojuliensium, initio & ad calcem, ita præferunt: *Passio beatæ Christinæ virginis. Erat quædam sancta & sacra puella de Tyro, nomine Christina spem Dei habens in custodienda virginitate*. In fine: *Completum est autem martyrium beatæ Christinæ* VIII. *Kal. Aug. in Tyro civitate: regnante vero Domino nostro* &c.

Vincentius martyr, qui in vulgatis hac die *Vincentii.* punitur, deest in nostris codicibus; habetur tamen in Romano parvo, Usuardo genuino, & pridie hujus diei in Hieronymianis. Ea die Rhinoviense, & Richenoviense: *Romæ Vincentii*. Romanum parvum hac die: *Romæ via Tiburtina, Vincentii*. Augustanum & Labbeanum agunt pridie hujus diei, ut Richenoviense. Eadem die Corbejense breviua: *Romæ via Tiburtina, miliario nonodecimo, natalis sancti Vincentii martyris*. Sanmaximianum die XXIII. *Julii*: *Romæ, via Tiburtina, natale sancti Vincenti*. Martyrologium S. Cyriaci eadem die: *Romæ Vincentii*. Ea quoque die Barberinianum: *Romæ, nat. S. Primitivæ, & S. Vincentii martyris*. Usuardus hac die XXIV. *Julii*: *Romæ via Tiburtina, natalis sancti Vincentii*. In plerisque vero die XXIII. *Julii* colitur. De eo agunt Bollandiani ad diem XXIV. *Julii* pag. 536. ex Martyrologiis.

Victoris apud Emeritam martyris meminit *Victoris.* hac die Romanum parvum. Corrupta pleraque alia Hagiologia sunt. Richenoviense habet: *Emeritæ, Capitonis, Sirvani*. Hieronymiana *Victorem* commiscent cum martyribus Amiterninis. Usuardus fere ad verbum Adonem imitatur; & contractius agit Martyrologium Fuldense. Vide Bollandianos hac die *pag.* 535.

Nicetam & *Aquilam* seu *Aquilinam* hac die *Nicetæ & Aquilæ.* Hagiographi nonnulli colunt. De his primum ex conjectura Sollerii meminit Florus die XXV. *Julii*; & ex opinione Castellani in Martyrologio universali Wandelbertus. Usuardus genuinus fere ad verbum codices nostros Adonianos sequitur: in plerisque aliis Hagiographia siletur. Vide Bollandiano hac die p. 492. *& seq.* ubi Acta Latina, & alia discutiunt. Passæ sunt sub *Decio*.

Ami-

Milit. LXXXIII. *Amiternini milites* coluntur quidem hac die in vetuſtioribus Hagiologiis, ſed mirum in modum corruptis nominibus, loco martyrii, & ab urbe Roma diſtantia, ut vix erui poſſe videantur ex tantis librariorum ſalebris. Agunt Hieronymiana. Rhinovienſe eorum exemplo habet: *In Armenia minore, natalis Sebaſti, Theogenis, Victoris, & aliorum* LXXX. *trium*. Ita Richenovienſe, ſed addit: *Alibi, natale Victurini, & Militaris*. Auguſtanum: *Victorini, Statiani, Militaris, Silvini, Chriſtinæ virginis*. Ita Labbeanum, quod loco *Silvini* habet *Silvani*. Corbejenſe brevius: *In Amin Termina civitate* (pro *Amiternina civitate*) *miliario octogeſimo tertio, natalis ſancti Victorini martyris*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Nmiternina* (pro *Amiternina*) *civitate, miliario* LXXXIV. *ab urbe Roma, natalis ſancti Victurini*. San-maximianum: *In Armenia civitate, milites* LXXIII. Martyrologium S. Cyriaci: *In A...rno*, (ſupple *Amiterno*) *ſancti Victorini martyris*. Barberinianum: *Romæ, nat. S. Victurini*. *In Arminia civitate, natalis ſanctorum Theonis, Victoris, Militonis*. Ottobonianum: *In Armenia civitate Sabacia, natalis Theozoni, Victoris, & Militaris*. Vide, in his fere omnia corrupta eſſe. Uſuardus germana fere ad verbum Adonem ſequitur. Rabanus *Victorinum*, & *Severinum* fratres hac die recolit. *Victorinum* Notkerus. De *Victorino* apud *Amiternum* martyrem agit Ado noſter ad diem XV. *Aprilis*, quare vide, quæ ibi adnotavimus. De *Victorino* martyre & aliis anonymis Amiterninis ex Martyrologiis agunt hac die Bollandiani pagin. 535.

---

25. Julii.

C. VII. KALENDAS AUGUSTI.

Jacobi Zebedæi. NATALIS beati Jacobi Zebedæi Apoſtoli. Vid. lib. de feſt. Apoſt.

Christoph. Eodem die in Lycia, civitate Samo, S. Chriſtophori, qui virgis ferreis attritus, & a flammis æſtuantis incendii Chriſti virtute ſalvatus, ad ultimum ſagittarum ictibus confoſſus, martyrium capitis obtruncatione complevit.

Cucufatis. In Hiſpaniis, civitate Barcinona, S. Cucufatis martyris, qui ex civitate Sillitana oriundus fuit, & Barcinonæ ſub Galerio proconſule, & Maximiano, & Rufino paſſus. Primo graviſſime tortus & cæſus, deinde catenis adſtrictus in craticula ſuperextenſus, aceto & ſinapi perfuſus, aſſari juſſus eſt. Cum vero ab igne & flammarum globis illæſus apparuiſſet, ex præcepto impii Judicis extra civitatem ductus, in ignem copioſum iterum projectus eſt. Quo divino nutu extincto, iterum ferro vinctus, in cuſtodia retruſus eſt, ubi divino ſplendore conſolatur. Iterum cardis ferreis & taureis crudeliſſime cæſus, in ultimo, dictata ſententia: Cucufatem rebellem principum, & diis ſacrificare nolentem, gladio feriri jubemus; VIII. miliario a Barcinona perductus, ferroque animadverſus, martyrium coſummavit. Cujus corpus a Chriſtianis cum reverentia ſepelitur. Unde poſtmodum translatum, non longe a Pariſiorum civitate, in eccleſia beatorum martyrum Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii, cum honore tumulatum eſt. Prudent. hymn. 4.

Germani. Eodem die Pariſiis, depoſitio S. Germani Epiſcopi.

Glodeſindis. Metis, natalis S. Glodeſindis virginis.

VARIA

VARIA LECTIO. Ed. *Natalis beati Jacobi &c.* Codices 511. 512. & 514. habent: *Natalis beati Jacobi, fratris Johannis Evangelistæ &c.* usque, *complevit*, ut in libello de festivitatibus Apostolorum. Post verbum *complevit*, sequitur in eisdem codicibus:

„ Civitate Barcinona, passio sancti Cucufatis martyris, qui pro fide Christi atrocissi-
„ ma tormentorum genera sub tribus expertus Judicibus, inter quæ gravissime cæsus usque
„ ad effusionem viscerum atque graticula (sic) superextentus, aceto & sinape perfusus,
„ assari jussus est. Novissime gladio victor migravit.

Deinde in iisdem codicibus: „ Parisius, translatio sancti Germani Episcopi & con- *Translat. S.Germani*
Demesii. „ fessoris. Romæ, Demesii diaconi, ob veritatis confessionem decollati.

Deest in codicibus hac die natalis *S. Christophori*, & sanctæ *Glodesindis*. Codex 512. ad oram alio charactere, minus antiquo: *Eodem die sancti Fredeberti Episcopi Engolisme.* *Fredeberti*

Jacobi: ADNOTATIO. *Jacobus Zebedæi* colitur hac die, Florentinii accedente sententia, a Hieronymiania. Apographum Lucense habet: *Passio sancti Jacobi Apostoli*. Corbejense pro *passio* habet *natalis*. Apographum Epternacense: *Hierosolymis, Jacobi Apostoli fratres* (pro *fratris*) *Joannis Evangelistæ*. Beda: *Natale Jacobi Apostoli Zebedæi*. Romanum parvum: *Jacobi Zebedæi Apostoli*. Gellonense, Rhinoviense, & Richenoviense: *Et passio S. Jacobi Apostoli, fratris Johannis*. Augustanom: *Passio Jacobi Apostoli*. Labbeanum addit: *fratris Johannis*. Corbejense brevius: *Natalis S. Jacobi Apostoli*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Natalis sancti Jacobi Apostoli, fratris beati Johannis*. Saomaximianum: *Natale sancti Jacobi, fratris sancti Joannis*. Martyrologium S. Cyriaci: *Natale S. Jacobi Apostoli Zebedæi*. Basberinianum: *Hierosolymæ, passio sancti Jacobi Apostoli Zebedæi, fratris Johannis Evangelistæ, qui decollatus est in civitate Hierosolymæ jussu Herodis, qui fuit nepos Herodis, filius Arebelai*. Fuldense: *Natalis sancti Jacobi Zebedæi Apostoli*. Ottobonianum: *Natalis sancti Jacobi Apostoli, fratris Johannis*. Agit insupar de eo die IX. *Septembris*. Kalendarium Palat. Vat. 485: *Natalis sancti Jacobi, fratris Johannis, & sancti Christophori*. Kalendarium Vat. 3806: *Sancti Jacobi fratris sancti Johannis Evangelistæ*. Hæc præmisimus aliis celebribus Hagiographis, ut Rabano, Wandelberto, Adoni, Usuardo, & Notkero. Rabanus habet: *Nativitas S. Jacobi Zebedæi Apostoli*. De Adonis elogio nihil proferimus, quia illud habes in libello de festivitatibus Apostolorum. Usuardus fere ad verbum Adonem describit. Eadem, quæ Ado & Usuardus, propemodus Notkarus, qui addit: *Nec immerito, quia ejus corporali præsentia & doctrina, atque signorum efficacia, iidem populi ad Christi fidem conversi referuntur. Ad quarum fidei confirmationem etiam beatissimus Apostolus Paulus se iturum esse pollicetur*. Hagiographi veteres fere omnes conveniunt, ut *Jacobus* frater sit *Johannis Evangelistæ*, ac *Zebedæus* appellatus fuerit, & *Herodis* Agrippæ jussu occisus. Hic & *major* est appellatus, & Jacobus Alphæi, minor. De veterrimo ejus cultu apud Latinos, & Græcos Hagiographos, nihil illustrius. De illius Liturgico cultu inquiramus. Olim die XXVII. *Decembris* simul cum S. *Johanne Evangelista* ritu Gallicano de *Jacobo* Missa agebatur, ut patet ex veterrimo Sacramentario Gallicano apud Mabillonium Musei Italici tom. I. P. II. pag. 293. ex Lectionario Lexoviensi num. XI. & ex Missali Gothico nom. VI. Idcirco in veterrimo Kalendario Carthaginensi die XXVII. *Decembris* legitur: *Sancti Johannis Baptistæ* (pro *Evangelistæ*) *& Jacobi Apostoli, quem Herodes occidit*. Deest Missa hac die XXV. Julii *in natali S. Jacobi* in Gelasiano, & in Sacramentariis vetustioribus Gregorianis, ut Reginæ Suecorum, & Ottoboniano. Silent etiam Capitularia Evangeliorum veterrima. Ex his unum tom. III. de Liturgia Romani pag. 269. ad oram, sed aliena manu minoris antiquitatis, Evangelium *in natali S. Jacobi* designat. Missa tamen *in natali S. Jacobi Apostoli* hac die habetur in Sacramentario Pamelii pag. 319. ubi prima oratio: *Esto* &c. Super oblata: *Oblationes populi*. Ad complendum: *Beati Apostoli tui* &c. Eædem orationes occurrunt hac die in Sacramentario Menardi, nonnullis tantum immutatis in oratione *ad complendum*. Additur in Menardiano Præfatio propria, & oratio super populum: *Solemnitatis Apostolicæ* &c. Consonant cum Menardiano Sacramentarium Palat. Vat. 495. & 496. ac Sacramentarium Angeli Rocchæ. Habetur etiam in libello de festivitatibus Apostolorum in codice Vat. 1274. & in Missali plenario Vat. 4770. ubi tamen hæc tantum adnotantur: *Lectionem & Evangelium omnia require in antea in Missa unius Apostoli*. De veterrimo ejus in Hispania cultu Baronius in Notationibus hac die. Passus est, ut habet Baronius ad an. 44. num. I. *& seq.* Hierosolymis, eodem anno Christi 44. juxta illius supputationem, qui est A.D. 42. De ejus translatione in Hispanias A.D. 816. præter Martyrographos, consules inter recentiores Baronium ad an. 816. Tillemontium tom. I. p. 347. & 599. not. VIII.

not. VIII. Mabillonium Annal. Bened. lib. XLI. §. XXXVIII. ad an. 906. & Pagium in Critica ad an. 882. num. IV. & vide quæ de eo, ejusque cultu, & Actis, ac translatione tradiderunt Bollandiani socii hac die pag. 5. *& seq.* Acta, auctore Niceta Paphlagone, Græce & Latine habes in Auctario Combefisii tom. I. pag. 347.

Christophori. *Christophorus* martyr præteritur a codicibus nostris, at colitur hac die ab apographis Hieronymianis, Romano parvo, Gellonensi, Rabano, Adone vulgato, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviore, Martyrologio Reginæ Suecorum, Fuldensi, Sanmaximiano, S. Cyriaci, Barberiniano, & Kalendario Vat. 3806. Martyrologium Ottobonianum & apographa Bedæ Palat. Vat. 833. 834. agunt die XXVIII. *Aprilis*. Agit item ea die Rabanus, & iterum hac die, Sollerius in Usuardum ad diem XXVIII. *Aprilis*, qua ratione ea die a Beda & aliis *Christophorus* celebretur, se divinare non posse, fassus est. Forte pertinet ad aliquam illius translationem. Græci agunt die IX. *Maji*. In plerisque ex memoratis Hagiographis mendose scriptus est martyrii locus. In quibusdam enim legitur *Amon* pro *Samon*, & in *Sicilia* pro *Lycia*. In vetustioribus Sacramentariis desideratur in Missa hujus diei de S. Jacobo commemoratio *S. Christophori*; habetur tamen in Sacramentario Palat. Vat. 496. sæculi XII. In litaniis Carolinis apud Mabillonium Analect. tom. II. pag. 683. inter sanctos martyres invocatur *sanctus Christophorus*. Indiculus reliquiarum in tabula marmorea in Diaconia S. Angeli in foro piscium A. D. 754. exaratus, ut ex epocha in eadem tabula, reliquias *S. Christophori* memorat. Acta mira corrupta esse censent recentiores omnes, de quibus Bollandiani socii hac die pag. 141. *& seq.* Incertum est etiam quæ sit urbs *Samon* in *Lycia*, nisi forte sit *Simena*, de qua Plinius lib. v. cap. XXVII. De gigantea S. Christophori statura Papebrochius in Ephemerides Græco-Moschas tom. I. Maii, pag. 26. Giganteam imaginem, per mysteria explicari facile posse, idem nos docet. Sed vide Molanum de sacris imaginibus lib. III. cap. XXVI.

Cucufatis. Inter insignes Hispanos martyres, de quibus Prudentius hymn. IV. enumeratur *Cucufas* Barcinonensis. De eo agunt hac die Ado noster, Usuardus ex eo, Martyrologium Fuldense, & Notkerus. Agit & hac die Florus, cæteri agunt die XVI. *Februarii*, ut Hieronymiana, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. Libellus orationum Gothico-Hispanus, editus a Blanchino, pag. 127. orationes de *festivitate S. Cucufatis*, mense Julio ponit. Acta martyrii pervulgata habentur apud Mombritium tom. I. pag. 200. Surium, & apud Bollandianos hac die pag. 151. Quæ de *Cucufate* certa sint, quæ dubia, expendit Tillemontius tom. v. pag. 58. & 609. De S. *Cucufatis* reliquiis apud Dionysianos Mabillon. Annal. Bened. lib. XXIII. §. XXV. & lib. XXIV. §. LXXV.

Germani translat. S. *Germani translatis*, non *depositis*, ut est in vulgato Adone, memoratur hac die post Adonem ab Usuardo, in quo legitur *translatis*, prout habent codices nostri; id autem animadvertit Sollerius, licet ex conjectura, quod in vulgato Adone errore typographi exaratum fuerit *depositis*, pro *translatis*. Facta est autem S. *Germani* Episcopi *Parisiensis* translatio corporis ex oratorio *S. Symphoriani* in basilicam S. *Vincentii* A. D. 754. hac die XXV. *Julii*, dum adhuc *Stephanus* Papa Parisiis in cœnobio Dionysiano moraretur. De hac translatione meminit Aimoinus lib. IV. cap. LXII. editionis Wechelianæ. Quamquam vero hæc desiderentur in editione Duchesnii, sinceriora tamen esse, quæ in vulgatis habentur, existimat Gerardus du Bois in Historia Ecclesiæ Parisiensis lib. v. cap. II. pag. 246. Normannorum metu S. *Germani* corpus A. D. 846. delatum fuit *Combas*; deinde an. 850. in suum cœnobium Parisiense relatum, qua de re idem du Bois lib. VII. cap. VIII. pag. 469.

Glodesindis, seu Clodesindis. *Glodesindis*, seu *Clodesindis* a codicibus nostris præteritur, prout a genuino Usuardo hac die. Quamobrem Sollerius suspicatur, vulgati Adonis textum claudicare, & ab Usuardo Clodesindem prætermissam, quod ab ejus ecgrapho Adoniano abfuerit; & revera a sinceprioribus ejus exemplaribus abest *Clodesindis*. De ea ejusque Actis genuinis Bollandiani hac die pag. 198. *& seq.* Obiit c. A. D. 608.

Demesii, seu Nemesii. *Demesius*, diaconus Romæ, forte est *Nemesius*, de quo ipse Ado, & alii vetustiores agunt die XXXI. *Octobris*, ex vulgatis Actis S. *Stephani* Papæ. Die insequenti agunt apographa nostra de *Simpronio*, & sociis ex eisdem Actis. *Via Latina*, ut ex Notitia apud Eccardum, sepulti erant prope S. Stephanum *Nemesius*, *Olympius*, *Simpronius*, *Theodolus*, *Superius*, *Obloteris*, & *Tiburticanus martyres*. De *Nemesio* igitur agemus ad XXXI. *Octobris*.

Frederberti. Auctarium unius ex codicibus nostris agit de S. *Fredeberto* Episcopo *Engolismensi*. Silent vetustiores Martyrolographi. Inter incerti temporis Episcopos statuitur in Gallia Christiana, nimirum post *Madalbertum*, & ante *Sidranium*. Hujus petitioni assensisse tradunt *Pipinum* in charta S. Hilarii Pictaviensis. De eo silent hac die Bollandiani.

D. VII. KALENDAS AUGUSTI. 26. *Julii*.

ROMÆ in Portu, natale sancti Hyacinthi, sub consulari Leontio, Luxurio primo civitatis Tarracinæ tradente. Qui missus in ignem, nullo modo lædi potuit: inde præcipitatus in validissimum torrentem, incolumis ejectus est ad littus. Nuntiatur hoc consulari Leontio, & misit spiculatorem eum militibus, ut eum comprehensum gladio ferirent. Tunc quædam matrona religiosa, nomine Julia, veniens nocte cum servis suis, collegit corpus ejus, & cum honore sepelivit in prædio suo juxa urbem Romam, VII. Kal. Augusti. *Hyacinthi*

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. & 514. hac die ita incipiunt. „ Natalis beati Herasti, qui Philippis a beato Paulo Apostolo Episcopus ordina- „ tus, ibi martyrio coronatus est. Romæ in portu, sancti Jacinti, sub consulari Leon- „ tio, qui missus in ignem &c. ut in editis. Ed. VII. *Kal. Aug.* Cod. 511. VI. *Kal. Aug.* Cod. 512. 514. VII. *Kal. Aug.* Post hæc sequitur in codicibus: *Romæ, via Latina sanctorum martyrum Simpronii, Olimpii, Theodoli, & Exuperiæ, qui ignibus conflagrati, ut in gestis Stephani Papæ legitur, martyrii palmam adepti sunt*: Deinde in codice 511. tantum, alio charactere, minus antiquo: *Parisius, sancti Marcelli Episcopi & confessoris*. *Herasti.* *Simpronii, & soc.* *Marcelli.*

Hyacinthi. ADNOTATIO. De *Hyacintho*, Hieronymianis, & Beda intacto, primum meminit Romanum parvum hac die, his verbis: *Romæ in Portu, sancti Hyacinthi martyris*. Ex eo agere Adonem putat Sollerius, & ex Adone Usuardum, & Notkerum. Pridie hujus diei *Acontii in Portu Romano* meminere Rhinoviense, & Richenoviense, in quo *Acontri*. Augustanum ea die: *Romæ, Aguntii*. Labbeanum: *Romæ, Acanthi*. Martyrologium Reginæ Suecorum eadem die: *Et in porto urbis Romæ, natalis sanctorum Aconti [Nonni]*. Ea quoque die Ottobonianum: *In porto urbis Romæ, natalis sancti Agontii*. Kalendarium Bucherianum die v. *Septembris* habet: *Aconti in porto, & Nonni, & Herculani, & Taurini*. De *Aconito*, seu *Aconte & Emerito in portu Romano* agunt Hieronymiana die XXV. *Julii*. De *Arontio & Emerito*, *Romæ* die XXVII. hujus Kalendarium Vatic. 3806. An forte in his omnibus mendum librarii est, & pro *Aconti*, legendum *Hyacinthi*? Agunt vero hac die XXVI. *Julii* ex Adone contracte Usuardus, & Martyrologium Fuldense. Acta habentur apud Surium, quæ expenduntur a Tillemontio tom. II. p. 573. & a Bollandianis hac die pag. 303. 304.

Herasti, seu Erasti. *Herastum*, sive *Erastum*, ab Adone suo eliminandum esse censuit Rosweydus, mirante Sollerio, propterea quia Usuardus genuinus de eo agit; & quidem eisdem verbis, prout in apographis nostris. De *Erasto* in Actibus Apostolorum cap. XIX. 22. & in Epistol. ad Rom. XVI. 23. & ad Tim. IV. 20. Pauca quæ de eo habentur, complectitur Tillemontius tom. I. pag. 113. Consule Bollandianos hac die pag. 297. 298.

Simpronius, Olimpius, Theodulus, & Exuperia martyres, de quibus codices nostri ex Actis S. Stephani Papæ, non uno eodemque die a Martyrologiis celebrantur. De his enim agit Florus postridie hujus diei, Romanum parvum die IV. *Decembris*, Usuardus hac die XXVI. *Julii*, & licet a vulgato Adone hac die absint, Sollerius tamen non dubitat, quin sua omnia Usuardus ab Adone acceperit. De horum martyrum corporibus, via Latina sepultis, meminimus pridie hujus diei, ubi de *S. Nemesio*. De his Bollandiani hac die pag. 402. *Simpronii, & soc.*

S. Marcelli Episcopi *Parisiensis* in uno ex nostris Auctariis hac die mentio, ad aliquam illius translationem pertinet. In apographo Usuardi Bigotiano pridie hujus diei habetur: *Civitate Parisius, translatio S. Marcelli Episcopi & confessoris*; ac pleraque alia Usuardi Auctaria de hujusmodi translatione agunt hac die XXVI. *Julii*. Natalis ejusdem apud genuinum Usuardum, & apographa nostra Adoniana celebratur *Kalendis Novembris*. *Marcelli translat.*

E. VI. KALENDAS AUGUSTI.

27. Julii.

Hermolai. APUD Nicomediam, natalis sancti Hermolai presbyteri, cujus doctrina beatus Pantaleon ad fidem conversus est. Qui tentus a Maximiano, capitali sententia ob confessionem Christi punitus est. *De eo in vita sancti Pantaleonis. 28. Julii.*

Simeonis. Eodem die, in Sicilia, sancti Simeonis monachi.

VARIA LECTIO. Ed. *Hermolai*. Cod. 511. *Ermelai*. Cod. 512. 514. ut in editis. Post verbum *punitus est*, sequitur in codicibus 511. 512. 514.
Maximiani & soc. „ Apud Ephesum, natalis sanctorum Meximiani, Mucii, Martiniani, & aliorum quatuor, quorum gesta habentur. *Hermolai, & soc.* Nicomediæ, beatorum martyrum Hermolai presbyteri, Herenempi, & Hermogadis fratrum, qui post multas poenas sibi illatas, capitali sententia ob confessionem Christi puniti sunt. *Simeonis.* Eodem die, in Sicilia beati Simeonis monachi. *Hetberii.* Autissiodoro, depositio Hetberii Episcopi.

Deinde in codice 511. tantum, alieno charactere, minus antiquo: *Eodem die, Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi.* *Transfigurat. Jesu Christi.*

Hermolai. ADNOTATIO. Apographa nostra hac die multum ab editis differunt, & cum genuino Usuardo magis conveniunt. Initio quidem agunt de *Hermolao*, seu *Ermelao*, prout etiam agit Romanum parvum, his verbis: *Nicomediæ, Hermslui prasbyteri*. Solus item celebratur hac die a Wandelberto, & Martyrologio Fuldensi: ab Usuardo vero una cum *Hernempo*, & *Hermogrute* fratribus. At codices nostri seorsim prius agunt de *Hermolao*, deinde iterum de *Hermolao* & fratribus. Hi in vulgatis Actis *S. Pantaleonis* commemorantur. Bollandiani hac die pag. 407. Acta spuria *S. Hermolai* proferunt; & in commentario prævio plura de illius cultu apud Græcos & Latinos habent.

Simeonis. *Simeonem* in *Sicilia* monachum celebrant hac die apographa Hieronymiana, Romanum parvum, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Notkerus, Gellonense, Richenoviense, Augustanum & Labbeanum. Mertyrologium Reginæ Suecorum, S. Cyriaci, Barberinianum, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485 & Vat. 3806. Apographa Bedæ Palat. Vatic. 833. 834.: *In Syria, Simeonis monachi*. In quibusdam ex his pro *Sicilia* legitur *Syria*, seu *Siria*. In Appendice Sacramentarii Gregoriani ab Angelo Roccha editi habetur hac die Missa in *natali S. Simeonis*. Expunctus fuit a Mertyrologio Romano, mirante Sollerio. De eo silent Bollandiani socii hac die, qui pridie hujus diei pag. 310. de *S. Simeone* stylita, hujus nominis tertio agunt.

Maximini & soc. *Maximianus*, & alii ex numero septem dormientium coluntur hac die in codicibus nostris, & a genuino Usuardo. Miretur tamen Sollerius, cur nullo duce, nullo præeunte, hos septem fratres hac die Usuardus collocaverit. Pro ducibus habuit apographa Adoniana; nam die XXVII. *Junii* de septem dormientibus silent. Nos tamen ea die cum vulgato Adone egimus, quare Lectorem eo amandamus.

Hetberii, seu Ætherii. *Hetberius*, seu *Ætherius* Episcopus Autissiodorensis, a vulgato Adone præteritus, sed a codicibus nostris, & a genuino Usuardo memoratus, colitur hac etiam die a Hieronymianis, Gellonensi, Rabano, Notkero, Mertyrologio Reginæ Suecorum, Ottoboniano, Labbeano, & Berberiniano. Sollerius existimat, ab Usuardo acceptum esse ex Hieronymianis; sed more suo, ex Adonianis apographis sumpsisse dicendum est. Agunt Bollandiani socii hac die pag. 446. Floruit Christi sæculo VI. ut putant Bollandiani. De eo Haricus monachus in Autissiodorensibus c. XVIII. ubi habet: *Fuit autem temporibus Benedicti Papæ, Imperatore Tiberio Constantino*.

Transfig. D.N.J.C. *Transfiguratio Domini nostri Jesu Christi* non uno eodemque die, neque ab omnibus olim celebrata fuit. Hac die adnotatur in uno ex Auctariis nostris; ac item die VI. *Augusti*. In Auctariis Usuardi apud Sollerium celebratur die XXVI. XXVII. *Julii*, & die VI. *Augusti*. Inter Auctaria die XXVIII. *Julii* visitur in Labbeano. Meminit vero Wandelbertus ad diem VI. *Augusti*. Sed & in apographo Hieronymiano Lucensi eadem die VI. *Augusti*: *Transfiguratio Domini* legitur. Græci agunt die VI. *Augusti*. Missale plenarium Vat. 4770. ad diem V. *Augusti* Missam habet *in vigilia Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi*:

& die

& die VI. Missam de eadem *Transfiguratione*, cum orationibus, & Præfationibus propriis utroque die. De orationibus Patrum in Transfigurationem Christi Baronius in Notationibus die *VI. Augusti*, qua a Martyrologio Romano celebratur. An Jo. Damasceni sit Sermo in Jesu Transfigurationem, vel Jo: Antiocheni, vide Lequienium in editione operum Damasceni tom. II. pag. 791. De aliis Pantaleonis Diaconi Constantinopolitani, & aliorum vide Bibliothecam Græcam Fabricii lib. V. cap. XXXII. tom. IX. pag. 88. 89. 90. & Combefisium Bibliothecæ Concionatoriæ tom. VII. pag. 583. *& seq.* & Bollandianos ad diem VI. *Augusti*. Intermissa aliquando apud Occidentales fuisse videtur hæc celebritas, quam *Callistus* III. restituit, ut in Notationibus monet Baronius; in quam rem non omittendam esse duximus adnotatiunculam, quam ad calcem Breviarii membranacei scripti A. D. 1465. juxta ritum Ecclesiæ Mediolanensis invenimus. Ponitur ibi Officium de *Transfiguratione Jesu Christi*, præmisso hoc titulo: *Incipit officium Transfigurationis Domini nostri Jesu Christi, institutum de novo per Santissimum Dominum nostrum Calixtum papam III. solemniter & dupliciter celebrandum*. Inde sequuntur omnia quæ ad hujus celebritatis officium pertinent, cum hymnis, antiphonis, lectionibus, & responsoriis, prout in hodierno officio. Post hæc legitur: *Calixtus dedit ad istud officium tantam Indulgentiam, quantam Urbanus Papa dedit ad officium Corporis Christi, & per cæteros: & fit officium duplex, celebraturque dictum officium Transfigurationis VIII. Id. Aug., idest sexto die*. In codice Reginæ Suecorum 849. sæculi XIV. habentur breves adhortationes in Evangelia per annum, & pag. 161. habetur *Evangelium in Transfiguratione Domini*. Hæc ibi. Sed hac de re luculenter Eminentissimus Cardinalis Lambertinus, nunc BENEDICTUS XIV. Pont. Max. in Libris de festis Domini nostri Jesu Christi §. DLXI. *& seq.* ubi de illius institutione ex vetustis monumentis, & ex Raynaldo ad an. 1457. n. 73. *& seq.* ac ex aliis uberrime plura profert.

F. V. KALENDAS AUGUSTI. *28. Julii.*

NICOMEDIÆ, passio sancti Pantaleonis. Qui cum jubente Maximiano artem disceret medicinæ, a presbytero Hermolao ad fidem Christi conversus, multa miracula fecit, patremque suum senatorem Eustorgium Christi fidei subjugavit. Ob quam causam tentus ab eodem Maximiano, equulei pœna & lampadarum exustione cruciatus (sed inter hæc Domino sibi apparente refrigeratus) tandem ictu gladii martyrium consummavit. *Pantaleonis.*

Eodem die, Lugduni sancti Peregrini presbyteri, cujus beatitudinem miraculorum gloria testatur. *Peregrini.*

VARIA LECTIO. Ed. *Nicomediæ, passio &c.* Codices 511. *Nicomediæ, natalis &c.* Cod. 512. 514. *Nichomediæ, passio &c.* Ed. *Eustorgium*. Cod. 511. *Eustorthium*.

Deinde in Codicibus 511. 512. 514. sequitur.

„ In Brittannia minori, Dolo monasterio, sancti Sansonis Episcopi & confessoris, *Sansonis.*
„ cujus beatitudinem miraculorum gloria testantur (sic). Mediolani, passio sanctorum
„ Nazarii & Celsi, quorum passiones adnotatæ sunt pridie Idus Junii, quando sacra *Nazarii,*
„ corpora eorum inventa sunt. *& Celsi.*

Deest in eisdem codicibus natalis S. *Peregrini*.

Pantaleonis. ADNOTATIO. Insignis est hac die apud veteres Martyrolographos *Pantaleonis* martyris memoria. Eum enim hac die celebrant Hieronymiana, Romanum parvum, Florus, Ado noster, & ex eo Usuardus, Wandelbertus, ac Notkerus, nonnullis immutatis

tis & interpolatis. Agunt præterea hac item die Gellonense, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Fuldense. Bedæ apographum, ab Eccardo editum: *In Colonia, Pantaleonis mart.* Ottobonianum agit die XXIII. *Aprilis.* Rabanus vero de *Pantaleone, Hermolao, Hermippo, & Hermocrate* agit die XVIII. *Februarii.* Qua de caussa, ignorat Sollerius. Quæ ad cultum, & ad varias *Pantaleonis* translationes pertinent, habes apud Bollandianos die XXVII. *Julii* pag. 397. & *seq.* *Bruno* Archiepiscopus *Coloniensis*, acceptis Roma reliquiis S. *Pantaleonis*, A. D. 956. monasterium in antiqua ejusdem martyris apud Coloniensem urbem Ecclesia condidit. Vide Mabillonium Annal. Bened. lib. XLV. §. XCVI. In Litaniis apud Martenium invocator S. *Pantaleon*. Acta pervulgata hujus martyris in duobus codicibus Canonicorum Forojuliensium ita præferunt: *Passio sancti Pantaleonis mart. In illis diebus, regnante impio Maximiano & iniquo, multi plurimique in hac vita despiciebantur* &c. In fine: *Acta sunt hæc in Nicomedia civitate, sub Maximiano Imperatore, sub die VIII. Kal. Ma... regnante Domino nostro Jesu Christo* &c. Acta Græca *Pantaleonis*, Metaphrastæ nomine inscripta, sed incerti auctoris, Latine leguntur apud Lipomanum, & Surium die XXVII. *Julii.* Elogium Græce habetur, auctore Niceta Rhetore, editum Parisiis an. 1608. cum notis a Federico Morello. De hujusmodi Actis & encomiis consule Tillemontium tom. V. pag. 642. & Bollandianos loco memorato pag. 400. *Pantaleon*, & *Panteleemon* synonyma sunt, ut in notis ad XXVIII. *Julii* monet Florentinius. Martyrologium Romanum agit die XXVII. *Julii*, forte, ut conjicit Sollerius, more Græcorum. De ejus cultu in Ecclesia orientali adeundi Bollandiani pag. 397. ut supra.

Peregrini. *Peregrinus* presbyter *Lugdunensis* præteritur a codicibus nostris hac die: sed agit Usuardus genuinus, item Augustanum. Quæ de *Peregrino* supersunt, habes hac die apud Bollandianos pag. 543. Floruisse dicitur initio sæculi III.

Sansonis. Sequitur in codicibus nostris hac die *Sanson*, & *Samson*, qui colitur a Hieronymianis, a genuino Usuardo, Gellonensi, Labbeano, S. Cyriaci, & Ottoboniano. Ejus Acta edidit Mabillonius Sæculo I. Bened. pag. 165. & *seq.* Usuardus igitur, non marte proprio, ut putat Sollerius, nec ex Hieronymianis elogium *Samsonis* accepit, sed ex apographis Adonianis. Obiit *Samson* Episcopus *Dolensis* in Armorica hac die c. A. D. 565. Locus, in quo constructum fuit a *Samsone* monasterium, appellatus fuit *Pentale*, seu *Pentaliense*, aut *Penitentiale* monasterium, secundum *Britannicæ linguæ idioma*, ut habet Baldricus Dolensis Antistes cap. VI. De *Dolo*, monasterio Britanniæ minoris, deinde Episcopali urbe, vulgo *Dol*, vide Valesium in Notitia pag. 175. De eo Bollandiani hac die pag. 568. & *seq.*

Nazarii & Celsi. De *Nazario* & *Celso* hac die item apographa nostra, postquam de *Celso* die VI. *Januarii*, & de *Nazario* ac *Celso* die XII. *Junii* egerunt. Hac vero die XXVIII. *Julii* iterum agunt Hieronymiana, & Augustanum. Labbeanum his addit *Gervasium* & *Protasium*, prout Gellonense, & Corbejense brevius. *Nazarii* & *Celsi* tantum meminit hac die Martyrologium Reginæ Suecorum, Sanmaximianum, S. Cyriaci, Barberinianum, Fuldense, & Ottobonianum. Prisco more in Ecclesia Mediolanensi de S. *Nazario* hac die etiam solemnia fiebant, ut patet ex veterrimo Lectionario, seu Capitulari Epistolarum ad usum Ecclesiæ Mediolanensis. De *Nazario* & *Celso*, vide quæ diximus ad diem XII. *Junii*; Consule Bollandianos ad hanc diem XXVIII. *Julii* pag. 503. & *seq.*

Innocentii Papæ. In vulgato Adone ad diem XII. *Martii* agitur de S. *Innocentio* Rom. Pont. qua die & nos egimus; sed & hac die, ut ibi diximus, de eo meminere & alia apographa, nimirum Usuardi Auctaria, & Kalendarium Vat. 3806. Martyrologium Fuldense die XII. *Martii* habet: *Et natale sancti Innocentii confessoris.* Hac die vero XXVIII. *Julii* præfert: *Eodem die natalis sancti Innocenti.* Gellonense meminit die XII. *Martii*; & die XXI. *Decembris* habet: *Innocentii Episcopi.* Martyrologium item Ottobonianum die XXI. *Decembris* habet: *Romæ depositio sancti Innocentii Episcopi.* Henschenius ad diem XII. *Martii* pag. 106. anceps hæret, num ea die in Martyrologiis agatur de S. *Innocentio* Papa, an tantummodo de *confessore*, seu *Episcopo*, & certiora postulat. Obiit S. *Innocentius* Romanus Pontifex A. D. 417. ante Pascha: nam dum hoc anno Pascha celebraretur, *Zosimus* ejus successor, Pontifex jam erat, ut patet ex ipsius Zosimi litteris, & ex epistola III. Paschasini, Lilybæi in Sicilia Episcopi ad S. *Leonem*. At Baronius diem obitus confert in diem XXVIII. *Julii*; Bollandiani in diem XXI. *Decembris*. Norisius vero recte Histor. Pelag. pag. 71. editionis primæ, & Pagius senior in Critica ad an. 417. n. V. & VI. quem sequitur Pagius junior in vita Innocentii I. §. ultimo. Bollandiani socii hac die pag. 548. & *seq.* pluribus de S. *Innocentio* Romano Pont. hujus nominis I. agunt; ubi de illius cultu, elogiis, & calumniis perperam ipsi impactis.

G. IV. KA-

G. IV. KALENDAS AUGUSTI. 29. Julii.

* Est Felix II. ROMÆ, via Aurelia, beati * Felicis Pontificis, sub Constantio filio Constantini. Idem Constantius Augustus, concilium hæreticorum, ac Valentis & Ursacii Arianorum approbans, quia & ipse Arianus erat, ab Eusebio Nicomediensi rebaptizatus, ejecit sanctum Felicem Urbis Episcopum de sede Episcopatus sui. Et facta est persecutio magna in clero, ita ut Presbyteri & Clerici plures necarentur, & martyrio coronarentur. Depositus sanctus ac beatissimus Papa Felix, habitavit in prædiolo suo, quod est via Portuensi. Et agentibus postmodum hæreticis, exinde levatus, ductus est ad civitatem, & capite truncato, martyrio coronatur IV. Idus Novembris. Exinde raptum corpus ejus a Presbyteris & Clericis, & sepultum in basilica, quam ipse construxit via Aurelia, quintodecimo Kalendas Decembris, in miliario secundo. Cujus natalis celebratur quarto Kalendas Augusti. Sedit autem in Episcopatu anno uno, mensibus tribus, diebus duobus. *Felicis Papæ. Pontificale cap. 37.*

De his in gestis sancti Anthimi 11. Maii. Item eodem die, natale sanctorum Martyrum Simplicii, Faustini, & Beatricis, temporibus Diocletiani & Maximiani: qui post multa ac diversa supplicia jussi sunt capitalem subire sententiam; & ligato saxo in collo eorum, jactari per pontem, qui vocatur Lapideus, in Tiberinis rheumatibus. Quorum corpora Dei nutu inventa sunt a beata sorore eorum Beatrice, & a beatis presbyteris Crispo & Joanne, & sepulta sunt in loco, qui appellatur Sextum Philippi, via Portuensi, quarto Kalendas Augusti. Beatrix autem soror Martyrum cum moraretur apud venerabilem Lucinam, factum est, ut quidam vicinus possessor Lucretius ambiret possessiunculam ejus. Pro hoc itaque fecit teneri sanctam Beatricem, & duci ad sacrificandum. Tunc beata Beatrix exclamavit: Christiana sum, non sacrifico dæmoniis. Ducta est itaque, & carcerali custodiæ mancipata. Cumque in Dei nomine libere ageret, fecit eam ambitiosus Lucretius præfocari noctu. Quam venerabilis Lucina juxta sanctos Martyres germanos ejus sepelivit, quarto Kalendas Augusti. Post hoc ingressus prædium Sanctorum Lucretius, dum ibi epularetur, quædam mulier infantulum lactabat. Qui infantulus coram omnibus in convivio vocem emisit: Audi Lucreti; occidisti, & invasisti, ecce datus es in possessionem inimici. Ad hanc vocem invasus est a maligno spiritu ibi in convivio, & per tres horas vexatus, emisit spiritum. *Simplicii, Faustini, & Beatricis.*

Lupi. Eodem die, depositio sancti Lupi Episcopi de Trecas. Qui cum *Greg. Tur. de glor. CC cap. 67. 68.*

cum Germano venit Britanniam, & quinquaginta duobus annis Sacerdotio functus est. Qui tempore Regis Attilæ, qui Galliam vastabat, (sicut in ejus hymno canitur: *Dum bella, cuncta perderent*) orando Trecas munivit.

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ via Aurelia &c.* Codices 511. 512. 514. *Romæ, via Aurelia, beati Felicis Pontificis sub Constantio, filio Constantini: Item &c.* Ed. *Cujus natalis celebratur quarto Kal. Aug. &c.* Codices: *cujus natalis celebratur* IIII. *Kal. Aug. quando sacrum corpus ejus mutatum est. Sedit autem &c.*

Felicis.

ADNOTATIO. In omnibus Latinorum Martyrologiis de natali S. *Felicis* hac die agitur. Meminere Hieronymiana, & apographum Lucense habet: *In Africa, natalis sancti Felicis*, præmisso prius natali sanctorum *Simplicii, Faustini, Beatricis, via Portuensi, milliario* VI. Epternacense: *Romæ, Philippi, Simplici, Biatricis*, &c. *In Africa, Felicis, & alibi Niceta*. Apographum Corbejense: *Via Portuensi, inibi ejusdem milliario septimo, natalis sanctorum Simplicii, Faustini, Beatricis. Magni, Donata. In Africa, natalis Felicis, Nitica, Postiniana, Philippi*. Beda: *Natale sanctorum Felicis, Simplicis, Faustini, & Beatricis*. Romanum parvum: *Romæ, Felicis Papæ & martyris sub Constantio. Et Simplicii, Faustini, & Beatricis*. Gellonense pridie hujus diei, *Simplicii, Faustini*, & *Beatricis*, mixtim cum aliis meminit. Idem hac die: *Romæ, Felicis, Simplicii, Faustini, Beatricis*. Die vero XXX. hujus: *Faustini, Viatricis*. Rhinoviense & Richenoviense ad diem XXIX. Julii: *Romæ, natalis sanctorum Felicis, Simplicis, Faustini & Viatricis. Et in Africa Felicis*. Augustanum: *Romæ, Felicis, Simplicii, Faustini, Beatricis*. Labbeanum ea habet, quæ Gellonense. Martyrologium Reginæ Suecorum Bandam sequitur. Ottobonianum: *Natalis sanctorum Felicis, Simplicii, Fausti, & Beatricis*. Kalendarium Palat. Vat. 485: *Natalis sanctorum Felicis, Simplicii, Faustini, Viatricis*. Martyrologium S. Maximini, pridie hujus diei: *Natale sanctorum Simplicii, Faustini, & Beatricis*. Hac vero die: *Natale sancti Felicis*. Barberinianum hac die XXIX. Julii: *Romæ, natalis sanctorum Felicis Papæ, Simplicii, Faustini, & Beatricis*. Kalendarium Vat. 3806: *In Africa, Felicis, Simplicii, Faustini, & Beatricis*. Ado noster apertissimis verbis de *Felice* Papa hujus nominis II. agit, quem summatim sequitur Usuardus. Paullo plura apud Rabanum & Notkerum leguntur, quæ nutare videntur, ut illa de Constantii rebaptismo per Eusebium Nicomediensem. Wandelbertus uno versiculo singulorum nomina complectitur, sed non distinguit de *Felice*, an Romanus Pontifex sit, an alius *Felix* martyr. Sic enim habet:

Felix, Simplicius, Faustinus, & alma Beatrix.

Ex tanta Hagiographorum serie nondum satis explicatum est, an de *Felice* in Africa martyre, an de *Felice* Papa I., an de hujus nominis II. agatur. Sed antequam penitius hujus controversiæ spinetum attingamus, vetera alia quæ de *Felice* agunt monumenta, in medium afferimus. In Anglicanis Litaniis vetustissimis, sæculo VII. usitatis, apud Mabillonium Analector. tom. II. pag. 670. 671. post S. *Sixtum* Pontificem succedit S. *Felix*, deinde *S. Beatrix*. Forte *Sixtus* est hujus nominis II. & *Felix* I. martyr. In aliis Litaniis apud Martenium in libris de divinis celebrandis officiis pag. 630. post SS. *Cosmam & Damianum* invocantur S. *Felix*, S. *Simplicius*, S. *Faustinus*, S. *Beatrix*. In Litaniis quoque apud Morinum in Appendice ad libros de Pœnitentia pag. 65. ex Sacramentario Tolosano ante annos octingentos exarato, post *Liberium*, & ante *Damasum* invocatur S. *Felix Apostolicus*, & *Confessor Christi*, ut etiam habes ex his Litaniis apud Frontonem in notis ad suum Kalendarium hac die. Liturgica addamus. Codex Sacramentorum Gelasianus pag. 161. die XXVIII. Missam habet *in natali sanctorum Simplici, Faustini, & Viatricis*. De *Felice* Papa & hac die, & alibi silet: Sacramentaria vero Gregoriana vetustiora, videlicet Reginæ Suecorum 337. & Ottobonianum, Missam habent hac die XXIX. *Julii in natali sanctorum Felicis, Simplicii, Faustini, & Beatricis*. Prima oratio est: *Infirmitatem &c. beati Felicis martyris tui atque Pontificis*. Super oblata: *Accepta sit*. Ad Com. *Spiritum &c. intercedente beato Felice martyre tuo &c.* Prætermittuntur orationes de SS. *Simplicio* & sociis. Sacramentarium Pamelii vero pag. 310. duas Missas præfigit ad diem XXIX. Julii, alteram *in natali S. Felicis Episcopi & martyris*. Prima oratio: *Infirmitatem &c.* prout in Sacra-

cramentario Reginæ Suecorum: alteram eadem die *in natali sanctorum Simplicii, Faustini, & Beatricis*, cum orationibus, prout in Gelasiano. Sacramentarium Menardi die xxix. *Julii* Missam exhibet *in natali S. Felicis* tantum, cum orationibus, ut supra apud Pamelium; nihil vero habet de S. *Simplicio* & sociis. At Menardus in nota 434. monet, in codice Rodradi legi: *S. Felicis, & Simplicii, Faustini, & Beatricis*, Missam tamen esse tantum de S. *Felice*, ut & in codice S. Eligii. Addit, in codice Remensi die xxviii. *Julii* haberi: *SS. Simplicii, Faustini*; in eorum tamen orationibus nomen *Sanctæ Beatricis* reperiri; ac postea in eodem codice sequi die xxix. *Julii*: *Natale S. Felicis* cum Missa, cujus prima oratio est: *S. Felicis, Domine, martyris tui confessio recensita conferat nobis piæ devotionis augmentum* &c. Super oblata: *Hostias pro commemoratione sancti Felicis* &c. Post com. *Repleti cibo potuque cælesti* &c. In codice Ratoldi, monente ibidem eodem Menardo, hac die xxix. *Julii* habetur: *Natale SS. Felicis, Simplicii, Faustini, Beatricis*, cum iisdem orationibus, quæ sunt in codice Remensi. Postea sequitur in eodem codice Ratoldi: *Item propria Missa sancti Felicis*, cujus oratio *super oblata* est ejusmodi: *Accepta sit in conspectu tuo, Domine, nostra devotio* &c. reliqua, ut in codice S. Eligii. Hæc apud Menardum. Sacramentarium Palat. Vat. 495. duas item Missas die xxix. *Julii* statuit, alteram in *natali sancti Felicis*, cum oratione *Infirmitatem* &c. & aliis, ut apud Pamelium, alteram eodem die: *Sanctorum Simplicii & sociorum ejus*, cum orationibus, prout in Gelasiano. Sacramentarium Angeli Roccha hac die xxix. *Julii* Missam designat *in Natale S. Felicis*, cum orationibus de Pontifice & martyre, ut supra apud Pamelium. De S. *Simplicio* & sociis filet. At in appendice ad calcem ad hanc diem xxix. *Julii* habetur: *natalis S. Felicis, Simplicii, Faustini, & Beatricis*. Orationes eædem sunt quæ in Gelasiano, addito tamen *Felicis* nomine, præterquam in oratione *super oblata*. Missale plenarium Vat. 4770. ad diem xxix. *Julii* Missam præfigit in *natali sancti Felicis martyris, & sanctorum Simplicii, Faustini, & Beatricis*. Hactenus Sacramentaria. Sequantur nunc Capitularia Evangeliorum veterrima, quæ nos attulimus tom. iii. de Liturgia Romani Pontificis pag. 270. fere omnia præferunt ad diem xxix. *Julii*: *Natalis sanctorum Felicis Papæ, Simplicii, Faustini, & Beatricis, via Portuense*. Idem titulus legitur die xxviii. *Julii* in Capitulari Martenii, a quo tamen abest nomen *Papæ*, & *via Portuense*. Kalendarium Allatii ad diem xxix. Julii habet: SS. *Felicis Papæ, Simplicii, Faustini, & Beatricis*. His addantur liber Gradalis S. Gregorii in basilica Modoetiensi, & & Antiphonarius Carnutensis, in quibus hic exstat titulus: *In natali sanctorum Faustini, Simplicii, & Beatricis*. In his *Felix* desideratur. Vulgatus vero Antiphonarius S. Gregorii apud Pamelium pag. 141. & in editione Angeli Rocchæ habet: *Natalis S. Felicis*. *Eodem die, natalis SS. Simplicii, Faustini, & Beatricis*. His ita præmissis, ad gravissimam inter recentiores controversiam accedimus, an scilicet de *Felice* Papa I., an vero de II., an vero de *Felice* in Africa *martyre* hac diè agatur. Apertissime de S. *Felice* II. agunt Ado, Usuardus, Romanum parvum, Rabanus, & Notkerus. *Via* quoque *Portuensis* in Capitularibus *Felicem* II. indigitare videtur; nam liber Pontificalis in *Liberio* habet, *Felicem* ab Episcopatu dejectum, habitasse in prædio suo, *via Portuensi*, atque ibi *in pace quievisse, quarto Kalendas Augusti*. In *Felice* vero narrat, eundem Felicem ob damnationem *Constantii*, capite obtruncatum fuisse, & quidem, ut emendandum putat Baronius ad an. 357. *n.* lviii., in civitate *Cære*, iv. *Idus Novembris*, ac inde in Urbem corpus ejus relatum, & primo ad Thermas Trajani occulte sepultum, postmodum a *Damaso* presbytero, & aliis clericis, in basilicam, quam ipse *via Aurelia* construxerat, sepultum. At adversus hæc pugnare videtur libellus precum Marcellini schismatici, qui octo post obitum *Constantii* annos supervixisse *Felicem* tradit, ac post *Liberii* reditum, eundem Felicem pulsum ex Urbe iterum fuisse: & *demum*, ut ibi legitur, *Valentiano & Valente Coss.*, quod est A.D. 365., *decimo Kalendas Decembris migravisse e vita*. Itaque non iv. *Kal. Augusti*, neque iv. *Idus Novembris*, sed die xxii. *Novembris Felix* decessit, & quidem an. 365., nihilque de nece illi illata. Quæcumque ergo in Martyrologiis de *Felice* II. ejusque martyrio leguntur, ex libro Pontificali sumpta sunt, eaque inter se pugnare videntur: & libellus schismaticorum ea quodammodo avertit. Quid vero? quod quædam Hagiographa *Felicem* in Africa martyrem hac die colunt. *Felix, Bun, & Regiola*, martyres Abitinenses memorantur in Kalendario Carthaginensi ad III. *Kal. Septembris*; sed Mabillonius ad hunc locum notat, diem martyrii ex Actis ignotum esse, adsignari vero post v. *Kal. Augusti*, quo die apud Augustinum in breviculo collationis diei tertiæ cap. xvii. celebrantur. Acta *Felicis* Episcopi *Thibarensis in Africa*, qui passus est iv. *Kal. Septemb.* habes apud Baronium ad an. 302. n. cxviii. & apud Ruinartium pag. 376. At liturgici S. R. E. libri ordinis Gregoriani de *Felice Pontifice & martyre* procul dubio hac die agunt, quare controversiæ cardo in eo est, utrum de *Felice* I., an de II. agant. Pro *Felice* II. pugnat Baronius ad an. 357. n. lviii. & *seq.* qui, licet antea in ea sententia esset, ut *Felix* iste a Martyrologio Romano esset expungendus, atque uberi lucubratione id ostendisset, eique eruditi in Urbe complures adstipularentur (viderat enim *Fe-*

licis ad Pontificatum ingressum illegitimum, invito ac reluctante *Liberio* sedere cœpisse, pugnantia inter se scripta, ac nutantia, libellum precum Marcellini, eum omissum ab Optato, & a S. Augustino in serie Pontificum Romanorum) sed quum casu quodam A.D. 1582., dum disceptaretur, an eradendus esset e Romano Martyrologio, aut saltem sine martyris elogio relinquendus, contigisset, ut in Diaconia SS. Cosmæ & Damiani sub altari in hypogæo ejusdem Diaconiæ sanctorum martyrum reliquiæ effoderentur in arca marmorea positæ, in cujus latere positum fuerat corpus S. Felicis, una cum lapideo laterculo, in quo hæc legebantur: CORPUS S. FELICIS PAPÆ ET MARTYRIS QUI DAMNAVIT CONSTANTIUM, hæc ad mutandam sententiam Baronium impulerunt, ac stilum repressit, cessitque Julio Antonio Cardinali Sanctorio, qui pro *Felice* pugnabat. Baronium deinde secuti sunt Bellarminus de Romano Pontifice lib. IV. cap. IX. Cardinalis Perronius in Responso ad regem Angliæ, Gretserus lib. IV. cap. IX. pro Bellarmino, Menardus in Sacramentar. Gregor. in notis pag. 178. Bollandiani socii tom. II. April. pag. 1000. n. 16. *& seq.* De hac eadem controversia Henschenius tom. I. *Aprilis* pag. XXXI. & Papebrochius in Conatu Historico Chronologico, ubi de *Felice* II. & in Responf. ad art. XI. n. 116. In utramque partem disserit Jo. Fronto in notis ad Kalendarium hac die, qui tamen quicquam temere haud immutandum censet. Legendus est Florentinius in notis hac die. Baronio succinit Pagius senior in Critica ad an. 357. n. XVI. XVII. qui ideo *martyrem* dici potuisse censet, quod multa pro Christo pertulerit. Pagius junior in hujus Felicis vita seniorem Pagium ad amussim sequitur. Adversantur his Christianus Lupus P. V. ad Dictatum Gregorii VII. Natalis Alexander Histor. Eccl. sæculi IV. Differt. XXXII. art. III. ac inter cæteros accerrimi sunt Tillemontius tom. IV. pag. 362. & 687. ac tom. VI. pag. 778. *& seq.* ac Petrus Coustantius in Epist. Romanorum Pontificum pag. 470. qui *Felicem* II. ex albo Romanorum Pontificum eradendum esse contendunt, ac unum *Felicem* hujus nominis primum & *martyrem* agnoscunt, eumque in libris Liturgicis memorari. In re tam difficili, tantisque involuta anfractibus, nihil proferre ausim, donec apertius innotescat, in libris vetustis Liturgicis de *Felice* II. potius agi, quam de I. Inclinat enim animus, ut de *Felice* I. magis, quem ut martyrem majores nostri coluerunt, quam de II. qui *confessor* potius, quam *martyr* dicendus esset. Bollandiani socii hac die pag. 43. *& seq.* Felicem I. Romanum Pontificem & martyrem agnoscunt, ac pluribus ejus cultum in Ecclesia ostendunt, & quæ adversus feruntur, solvere satagunt. Hos igitur consule.

Simplicius & socii *via Portuensi*, ut ex Martyrologiis & libris Liturgicis supra vidimus, illustres inter Romanos martyres sunt, licet non uno eodemque die culti. Ex Actis S. *Anthimi* apud Surium die XXXI. *Maji*, in nonnullis tamen corrigendis, locum de martyrio SS. *Simplicii* & sociorum profert Baronius ad an. 302. nu. CXIII. Rursus de iisdem Baronius in Notationibus hac die, ubi de iisdem Actis, & de basilica a Leone Papa juxta S. Bibianam in eorundem martyrum honorem exstructa. Affert etiam veterem de iis martyribus marmoream inscriptionem, tum in sacrario basilicæ S. Mariæ majoris asservatam, quæ sic habet: MARTYRES SIMPLICIUS, ET FAUSTINUS, QUI PASSI SUNT IN FLUVIUM (*sic*) TIBERA, ET POSITI SUNT IN COEMETERIUM GENEROSES SUPER FILIPPI. Superest etiam nunc eadem inscriptio, & apposita est tabulæ altaria illius ædiculæ, in qua statis diebus sacræ reliquiæ ostenduntur, in dextro ejusdem basilicæ latere prope aram maximam versus Sixti V. Sacellum. Antiquitus eorum corpora *via Portuensi* colebantur, ut est in Notitia apud Eccardum, ubi legitur: *Juxta viam vero Portuensem, quæ & ipsa in occidentali civitatis parte est, S. Abdon, & S. Sennes, S. Milex, & S. Vincentius, S. Polion, S. Julius, S. Pymeon, S. Felix, S. Simplicius, S. Faustinus, S. Beatricis dormiunt.* De horum sepulchris Aringhius lib. II. cap. XIX. De cultu, & Actis agunt Bollandiani socii hac die, pag. 34. *& seq.* — *Simplicii & soc.*

Lupus Antistes *Trecensis*, colitur hac die ab apographis Hieronymianis, licet inter Auctaria hæc referre velit Florentinius, a Beda cum elogio, Rabano, Gellonensi, Adone nostro, Usuardo, Wandelberto, Gellonensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviore, Martyrologio Reginæ Suecorum, S. Maximini, Ottoboniano, & Kalendario Vat. 3806. Vixit Lupus sæculo Christi quinto. Consule Bollandianos hac die pag. 51. *& seq.* ubi de ejus cultu & elogiis abunde, ac item de illius Actis, & gestis. — *Lupi.*

30. *Julii.* *A. III. KALENDAS AUGUSTI.*

Abdon & Sennes. ROMÆ, natale Abdon, & Sennes subregulorum, sub Decio Imperatore: quos Decius in Cordula civitate Persarum sibi præsentari jussit. Quibus & dixit: Sic stulti facti estis, ut non recor- — De his in Passione S. Laurentii 10. Aug.

recordemini, quia non colentes deos, traditi estis in manus Romanorum, & nostras? Cui beatus Abdon: Magis nos victores facti sumus, Deo favente, & Domino Jesu Christo, qui regnat in æternum. Jubente igitur Decio, vincti catenis, reclusi sunt in arcta custodia. Tunc dixit Abdon ad Sennen: Ecce gloria, quam semper speravimus. Post menses quatuor veniens Decius Romam, & adducens secum beatos Abdon, & Sennen catenis vinctos, jussit omnem Senatum convocari, & fecit conventum in Tellude cum Valeriano præfecto v. Kalendas Augusti, & jussit sibi præsentari Abdon, & Sennen maceratos diversis pœnis. Et dixit ad Senatum: Dii deæque tradiderunt hostes ferocissimos in manus nostras. Ecce inimici Reipublicæ, & Romani Imperii. Et introducti sunt ornati auro, & lapide pretioso, vincti catenis; omnisque Senatus mirari cœpit in adspectibus eorum. Et cum constanter Christum in conspectu eorum faterentur, Decius iratus jussit Valeriano præfecto, ut si non adorarent deum Solem, ferarum morsibus interirent. Qui denudavit eos, & duxit ante simulacrum Solis juxta amphitheatrum, ut sacrificarent. Verum illi contemnentes, exspuerunt in simulacrum Solis. Tunc Valerianus jussit, ut plumbatis cæderentur. Deinde introducti in amphitheatrum, & dimissi sunt eis leones duo, & ursi quatuor, qui rugientes venerunt ad pedes Sanctorum, & nullatenus recedentes custodiebant eos. Valerianus vero plenus furore, jussit gladiatores introire, & beatos Subregulos interficere, & ligare pedes eorum, & ante simulacrum Solis jactare: ubi jacuerunt corpora Sanctorum tribus diebus. Post triduum venit quidam Quirinus Christianus subdiaconus, qui manebat juxta amphitheatrum, & collegit noctu corpora, & recondidit in arca plumbea in domo sua tertio Kalendas Augusti, ubi latuerunt usque ad tempora Constantini. Tunc se referantes beati Martyres, levati sunt, & translati in cœmeterium Pontiani.

Maximæ, Donatillæ, & Secundæ.

Eodem die apud Africam, civitate Tuburbo Lucernariæ, natale sanctarum virginum Maximæ, Donatillæ, & Secundæ: quæ Persecutione Gallieni sub Anolino Judice passæ sunt. Qui interrogatione facta distulit audientiam, & beatas virgines, & sorores, Maximam, & Donatillam, ad civitatem Tuburbitanam perduci jussit, quibus nec panem nec aquam subministrari præcepit, sed aceto, & felle potari. Videns autem Beatissimarum fiduciam, exarsit in iram, & jussit ut urgerentur ambulare. Erat quædam puella in superioribus domus suæ constituta, annorum duodecim, nomine Secunda: cui dum multæ nuptiarum conditiones offeruntur, omnes contempsit, & unum Deum dilexit.

Hæc accenſa ſpiritu Dei, cum videret commartyres ſuas Maximam, Donatillam tranſeuntes, (fuit enim in ſuperioribus domus ejus mœnianum, ubi ſtabat) & ſanctarum virginum pulchritudinem fidei oculis conſideraret, cogitavit, & decrevit ad ſimilem gratiam pervenire. Et ne aliquis prohiberet honeſte deſcendere, ut impedimenta vitaret, nec opes, nec nationem ſuam contemplata eſt, nec patrem carnalem curavit: ſed relictis omnibus, unum auctorem caſtitatis Deum quæſivit, quem in æternum poſſedit, & tenuit. Cum ergo egrederentur beatæ Martyres, & procederent, Secunda feſtina clamabat poſt eas: Nolite me dimittere, veniam vobiſcum. Et ſimul cum illis civitatem Tuburbitanam ingreſſa eſt. Alia die hora tertia Anolinus proconſul pro tribunali conſedit, & Maximam, & Donatillam ſibi præſentari præcepit, & ad tormenta elidi. Et cum cæderentur, juſſit calcem ſuper plagas earum ſpargi, & fricari: deinde in equuleo extendi, & torqueri, & ſtativam ad bibendum offerri: deinde in craticulam, & ad carbones igneos ſterni, & prunas ardentes ſuper capita earum adjici: poſtmodum in theatro ad delubrum deponi, & ab omnibus conculcari. Tunc ex officio dictum eſt: Eſſe cum eis puellam aliam, nomine Secundam: quam ſuo judicio Anolinus proconſul applicari juſſit. Cumque adeſſet, ait: Chriſtiana es, an pagana? Secunda dixit: Chriſtiana ſum. Statim Anolinus ipſam cum Maxima, & Donatilla ad beſtias damnavit, & eas ferro vinctas ad ſpectaculum populi adduci præcepit. Quæ cum inducerentur, in media arena oſculatæ ſunt ſe invicem, ut martyrium pace complerent. Urſus autem ferociſſimus ac ſæviſſimus ilico eis laxatus, in manſuetudinem verſus, earum veſtigia linxit potius quam momordit. Iratus Anolinus, quia ſe furente, beſtias mites vidit, locutus cum concilio, ſententiam ex tabella recitavit: Maximam, Donatillam, & Secundam, in ſuperſtitione ſua perdurantes, quæ diverſas pœnas pertulerunt, & beſtiis objectæ ſunt, & Diis noſtris ſacrificare noluerunt, gladio animadverti placet. Maxima, Donatilla, & Secunda dixerunt: Deo gratias. Et conſummatæ ſunt tertio Kalendas Auguſti.

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ, natale Abdon, & Sennes*. Cod. 511. 512. 514. *Romæ Abdon, & Sennes ſubregulorum; quos Decius in Cordula civitate Perſarum &c.* Ed. *fecit conventum in Tellude*. Cod. 511. *fecit conventum in Tellure*.

Ed. *Eodem die apud Africam &c.* Cod. 511. 512. & 514. *Apud Africam, civitatem Lucernariæ (ſic), natalis ſanctarum virginum, Maximæ, Donatillæ, & Secundæ &c.* Ed. *civitatem Tuburbitanam*. Cod. 511. *civitatem Tiburtinam*.

Poſt

Post extremum verbum III. *Kal. Aug.* sequitur in codicibus 511. & 514.
„ Autissiodoro, depositio sancti Ursi Episcopi, qui rexit Ecclesiam suam annos VI.
„ menses IIII. Tandem plenus sanctitate quievit in pace. Sepultus juxta prædecessores honorifice in Ecclesia beati Germani Episcopi & confessoris. *Urs.*

Cod. 512. habet. „ Eodem die, vigilia S. Germani Episcopi, genere, & fide, & doctrina
„ atque miraculorum gloria clarissimi. Hic festivitatem sepulturæ habet Kal. Octobris,
„ quando & celebrior dies ejus agitur. Autisiodero, depositio, sancti Ursi &c. *ut supra.* *Vigil. sancti Germani.*

Abdon, & Sennes. ADNOTATIO. *Abdon & Sennen*, illustres Romæ martyres, hac die in omnium Latinorum tabulis celebrantur. Kalendarium Bucherianum hac die habet: *Abdon & Sennen in Pontiani, quod est ad ursum pileatum.* Agunt item hac die Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Rabanus, Florus, Gellonense, Ado noster fuse ex Actis, ex quo breviter Usuardus, fusius Notkerus. Meminere insuper Wandelbertus, Rhinovlense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, sancti Maximini, S. Cyriaci, Barberinianum, & Kalendarium Vat. 3806. In quibusdam ex his legitur *Cordula, & Cordula*, de qua Bollandiani socii die XV. & XXI. *Aprilis* pag. 375. & 846. Sacra solemnia de iis aguntur hac die in libris Liturgicis S. R. E. vetustissimis, ut in Gelasiano pag. 161. in Gregorianis omnibus, & Capitularibus Evangeliorum. Cœmeterium *Pontiani* fuit *via Portuensi*, & appellatum est *ad ursum pileatum*. Vide Aringhium lib. II. cap. XIX. Hujus *Pontiani* prædium, *ad ursum* dicebatur. De situ loci patet ex Anastasio in *Nicolao* I. ubi habet: *Necnon & cœmeterium eadem via* (Portuensi) *ad ursum pileatum, ubi corpora sanctorum Christi martyrum Abdon & Sennen requieverunt, jam in ruinis positum, pulchro ac mira restauravit honore.* Descriptio regionum Urbis apud Mabillonium Analectorum tom. IV. pag. 501. num. 69. *Inter Aurelia & Portuensis, sanctus Processus & Martinianus, & Pancratius, Abdo & Sennes.* Ibidem: *Item in dextera, Abdo & Sennes, Pancratii, Processi, & Martiniani &c.* Locum ex Notitia apud Eccardum, die superiori protulimus. In Notitia apud Willelmum Malmesburiensem legitur: XIII. *Porta Portuensis dicitur & via, ibi prope in Ecclesia sunt martyres, Felix, Alexander, Abdon & Sennes.* Invocantur in veterrimis Litaniis Anglicanis apud Mabillonium Analectorum tom. II. & in aliis apud Martenium. Acta castigationis indigere monet Baronius in Notationibus hac die. At de his, & horum martyrum cultu & Actis fuse Bollandiani socii hac die pag. 130. *& seq.*

Maxima & soc. *Maxima*, & aliæ Africanæ virgines coluntur hac die a Hieronymianis, his verbis: *In Africa, civitate Tuburtula Cæsariæ, natalis sanctorum Maximæ, Secundæ, Donatillæ, Rufi &c.* Non omnino in aliorum nominibus conveniunt omnia Hieronymiana apographa, de quibus erudite in notis Florentinius. Kalendarium Carthaginense hac die ita præfert: *Sanctarum Turbitanarum, & Septimiæ.* Romanum parvum habet: *Tuburbo Lucernariæ, Maximæ, Donatillæ, & Secundæ virginum.* Rhinoviense habet: *Et in Africa, Maximæ, Prisci, Paternici.* Ita Richenoviense, sed addit: *Justi.* Augustanum, & Labbeanum *Maximæ* meminere mixtim cum aliis. Martyrologium S. Cyriaci postridie hujus diei: *Et natale sanctorum Secundini, Maximæ.* Longum ex Actis elogium affertur ab Adone, ex quo delibavit Usuardus, paullo plura describens Notkerus. *Maxima, Donatilla, & Secunda* memorantur in Actis *sanctæ Crispinæ* martyris apud Ruinartium pag. 495. quæ passæ fuerant in Gallieni persecutione, & quidem *Tuburbi*, ut ibi monet Ruinartius, & vulgo *Tuburbitanæ* appellatæ; sed hæret ibi Ruinartius, an eædem sint in his Actis ac Tuburbitanæ virgines. Richenoviense ad diem *primam Martii* habet: *In Affrica, Leonis, Donatiæ, Fortuni, Donatillæ, Abundantii.* Ita fere ea die Augustanum, & Labbeanum, in quibus deest *Donatilla*, & pro *Donatiæ* legitur *Donati*, ut in Martyrologio Reginæ Suecorum. Confer Bollandianos socios hac die pag. 146.

De *Urso* Episcopo *Autisiodorensi*, a codicibus nostris addito, agunt hac die Auctaria Hieronymiana, Gellonense, Rabanus, Martyrologium Fuldense, Reginæ Suecorum, Notkerus, Hagiologium Francogallicum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, S. Maximini, Barberinianum, & Kalendarium Vat. 3806. Abest a genuino Usuardo, sed agunt ejus Auctaria. Immerito igitur in Appendicem Adonis conjectum esse a Rosvveido putamus, quum *Ursus* tot præcones habeat. Hericus monachus in Historia Episcoporum Autisiodorensium cap. XI. narrat, vixisse Ursum, temporibus *Johannis Papæ, atque Felicis.* De eo Bollandiani hac die pag. 148. Floruisse ferunt Christi sæculo VI. *Urs.*

De *vigilia sancti Germani* hac die plerique silent; verum meminere Usuardi Auctaria vetustiora, & Martyrologium Fuldense. Consule quæ die crastina dicturi sumus. *Vigil. sancti Germani.*

B. PRI-

31. *Julii.* B. *PRIDIE KALENDAS AUGUSTI.*

Fabii. CÆSAREÆ, passio sancti Fabii martyris. Qui cum ferre vexilla præsidalia recusaret, primum diebus aliquot in carcerem trusus est: deinde productus sistitur ante tribunal. Interrogatus semel & iterum, in Christi confessione perdurat: & mox a furibundo judice capitali sententia condemnatur. Post hæc, inhumatum corpus custodiri jubetur: quod post triduum reticulo insutum, in maris profunda, seorsum caput, seorsum cadaver immergitur. Sed Domini virtute rescisso reticulo, membra capiti revocantur, & scapulis cervix cum indiciis passionis adjungitur. Atque ita suæ integritati redditum corpus, unda blandiore ad * Cartenianum litus evectum, condigno cultu a Fidelibus tumulatum est.

* *Al.* Cartemianū, *vulgo* Casternitanū.

Autissiodori, sancti Germani Episcopi, & Confessoris. *Germani.*

Germani. V*ARIA LECTIO.* Codices 511. 512. & 514. hac die ita incipiunt. „ Apud Ravennam, Italiæ civitatem transitus sancti Germani viri Apostolici, „ doctoris Ecclesiæ mirabilis, & omni sapientia adornati. Qui multis virtutibus do„ ctrina, & continentia clarus, etiam Brittonum fidem per duas vices a Pelagiana „ hæresi defendit, atque exinde Ravennam pro pace Armoniacæ regionis obtinenda „ veniens, a Valentiniano, & Placidia gloriose susceptus est. Ubi inter cætera virtutum „ insignia, etiam cujusdam Volusiani viri nobilissimi adolescentem puerum a morte „ suscitavit. Atque tandem Domino sibi apparente, pretiosa morte temporalem vi„ tam relinquens, ætherea regna conscendit. Apud Cæsaream, passio &c. Ed. *ad Cartenianum litus.* Codices: *ad Cartemianum litus.*

Fabii. A*DNOTATIO.* De *Fabio* martyre silent hac die Hieronymiana, Beda, & ejus pedissequi Rabanus & Florus. Primum agit, judicio Sollerii, Romanum parvum his verbis: *Cæsareæ, Fabii martyris.* Ado fuse elogium ex Actis protulit, ex quo Usuardus, ac paullo liberius Notkerus. *Cæsarea* in *Mauritania* adscribitur ab Henschenio. Vide quæ habent Bollandiani socii hac die pag. 179.

Germani. Principe loco, & justo elogio hac die in codicibus nostris celebratur *Germanus* Antistes *Autissiodorensis*, solo nomine a vulgato Adone commendatus. Agunt autem hac die Hieronymiana, licet Florentinii judicio inter Auctaris, Beda postridie hujus diei, ut & Ottobonianum; & hac die Gellonense, Rabanus, Usuardus, & Notkerus Rabanum describens, sed addit: *Cujus tamen festivitas Calendis Octobris apud Gallicanas Ecclesias celebrior habetur.* Agunt præterea hac die Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, S. Maximini, S. Cyriaci, Fuldense, Hagiologium Francogallicum, & Kalendarium Vat. 3806. Vulgatus Ado fuse ex Actis agit die *prima Octobris*, & ad eam diem plerique alii Hagiographi. At in plerisque Martyrologiis hac die XXXI. *Julii* agitur de illius obitu, die vero *prima Octobris* de ejus translatione. Vide quæ ad eamdem diem dicturi sumus. Initio Missalis Gallicani veteris apud Thomasium pag. 433. *& seq.* habetur Missa S. *Germani* Episcopi, sed nihil de die, quo celebraretur, erui potest. Interim consule Bollandianos hac die pag. 184. *ac seq.* & Tillemontium tom. XV. pag. 1. *& seq.* Obiit A. D. 448. Illius gesta scripsit Constantius presbyter. Baronius ad an. 435. n. XXII. *Germani* obitum huic anno assignat, sed Pagius in Critica ad an. 435. n. XXXVI. obiisse *Germanum* an. 448. contendit.

LITA-

MENSIS AUGUSTUS

Habet dies XXXI. Luna vero XXIX.

C. KALENDIS AUGUSTI. *1. Aug.*

Ad S. Petrum ad vinc.



OMÆ, ad sanctum Petrum ad vincula.

Antiochiæ, natalis sanctorum Machabæorum. *2. Mach. 7.*

Eusebii. Apud Italiam, civitate Vercellis, beati Eusebii Episcopi & confessoris, qui ob confessionem fidei a Constantio principe Scythopolim, & inde Cappadociam relegatus, sub Juliano Imperatore ad Ecclesiam suam reversus est. Novissime persequentibus Arianis martyrium passus. *Hieron. de script. Eccles. c. 96.*

Apud Arabiam, civitate Philadelphia, SS. martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, Domitiani, Rufi, Menandri, una die coronatorum. *Cyrilli, & sociorum.*

In Hispaniis, civitate Gerunda, natalis sancti Felicis martyris, qui de Scillitana civitate oriundus, cum persecutiones in Hispaniis adversus Christianos agi cœpissent, ascensa mercatorum navi, amore martyrii ocyus accurrit. Et cum aliquandiu apud Barcinonam, Empurias, & Gerundam verbum Dei prædicans plurimos in fide confortasset, & fama ejus longe lateque crebresceret, jubente Daciano, repente a Rufino officiali tentus est. Cumque nomen Christi confidentissime fateretur, primo fustibus cæsus, & in ima carceris trusus, deinde manibus, pedibusque ligatis, negato cibo, & potu, in loco squalido projectus, post hoc etiam catenis gravioribus vinctus, per totas plateas ab indomitis mulis tractus, & pæne in frusta discerptus est. Deinde missus in carcerem, nocteque ab Angelo visitatus, atque sanatus, facto die ad certamina revocatus est. Tunc ungulis excoriatus, capite inverso ab hora tertia usque ad vesperam suspensus, nullum penitus sensit dolorem. Deinde in carcerem Rufinus eum trudi præcepit, ubi per totam noctem splendor copiosus effulsit. Sed & voces Angelorum psallentium auditæ sunt. Quod cum nuntiatum fuisset Rufino a custodibus, jussit eum manibus post tergum ligatis, in maris profundum mergi. Ibi continuo vincula ejus disrupta sunt, & Angelis sibi manum tenentibus, super undas deambulans, ad litus pervenit. Tunc Rufinus jussit iterum cutem ejus ungulis detrahi, ac deinde usque ad ossa laniari, & tam diu vulnera vulneribus instaurari, usque dum *Felicis. Greg. Turonen. de glor. mart. c. 96.*

dum invictum Christo spiritum reddidit. Corpus ejus Gerundæ in monumento, quod ipse sibi præparaverat, conditum est, Nonis Augusti.

Exuperii. VARIA LECTIO. Post natalem *Machabæorum* sequitur in codice 511. „ Apud castrum Corboilum, sancti Exuperii Episcopi & confessoris, admirandæ „ virtutis, & innocentiæ viri. Apud Italiam, civitate Verzellis sancti Eusebii Epi- „ scopi, & conf. (*supra conf. eadem manu scriptum est* mart.) Qui &c. ut in edi- „ tis. Cod. 512. Apud Italiam civitate Verzellis, natal. sancti Eusebii Episcopi, & „ martyris. Cod. 514. sancti Eusebii Episcopi, & conf. mart.

Post verba. *conditum est Non. Aug.* ad extremum in editis, sequitur in codicibus 511. 512. 514.

Spei, Fidei, & Caritatis, & Sapientiæ matris. „ Romæ sanctarum virginum Spei, Fidei, & Caritatis, & matris earum Sa- „ pientiæ, quæ sub Adriano principe martyrii coronam adeptæ sunt. Via Lavicana „ (Cod. 512. 514. Latina) sanctorum martyrum Boni presbyteri, Fausti, Mauri, „ cum aliis VII. qui in Stephani Papæ Actibus describuntur. *Boni & soc.*

Dedicat. S. Petri ad vinc. ADNOTATIO. Celebritas dedicationis Ecclesiæ *S. Petri ad vincula*, seu *tituli Eudoxiæ*, hac die Romæ ex veterrimo ritu agitur, cui alia *Machabæorum* copulatur. Eam apographa Hieronymiana his verbis commemorant: *Romæ, dedicatio prima Ecclesiæ a beato Petro constructa, & consecrata; Et absolutio ejus a vinculis*. Beda: *Ad S. Petrum ad vincula*. Romanum parvum, Ado, & Usuardus: *Romæ, ad sanctum Petrum ad vincula*. Rabanus, & Corbejense brevius eadem habent, quæ Hieronymiana, præter extrema verba: *Et absolutio ejus a vinculis*. Fusius Notkerus: *Romæ, statio ad S. Petrum ad vincula: quam Ecclesiam ipse primus in Europa primam construxit & consecravit: in qua postmodum catenæ, quibus apud Jerosolymam vinctus, & a quibus Angelica visitatione solutus est, fidelium cura positæ, expetuntur, & coluntur orbis quadripartiti veneratione, sicut etiam distichon antiquissimum de illis testatur*. Gellonense: *Roma ad vincula, catenas sancti Petri osculandas*. Richenoviense: *Ad vincula sancti Petri*. Augustanum: *Catena sancti Petri osculanda*. Labbeanum: *Roma ad vincula, catena S. Petri osculanda*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, sancti Petri Apostoli ad vincula*. Fuldense: *Romæ, festivitas sancti Petri Apostoli, quando liberatus est a vinculis*. Ottobonianum: *Ad vincula Edoxia* (sic), *Apostoli Petri obsculant* (sic) *populi catenas*. Kalendarium Vat. 3806: *Romæ, sancti Petri ad vincula*. Meminit & Wandelbertus. Hactenus Hagiologia; nunc Liturgica succedant. Deest Missa *ad sanctum Petrum ad vincula*, hac die in Gelasiano, sed habetur in Gregorianis vetustioribus, ut in Sacramentario Reginæ Suecorum 337. & Ottoboniano, Pamelii, Palat. Vat. 495. Menardi, Angeli Rocchæ, & Missali plenario Vat. 4770. in quo hic titulus ad hujus diei Missam præfigitur, barbare exaratus: *Sanctum Petrum* (supple *Ad*) *in vincula: catena ejus, & alii sancti*. Introitus: *Nunc scio*. Præfatio propria. In Sacramentario Menardi prima oratio est: *Deus, qui beatum Petrum*. Super oblata: *Suscipe, Domine*. Ad complendum: *Corporis sacri*. Consonant alia Sacramentaria. Menardus in notis ad hunc locum monet, in Codice Remensi in hujus diei titulo post lemma: *Ad sanctum Petrum ad vincula*, addi: *Et catena ejus osculantur ipso die*; & in Appendice Rodradi haberi: *Et catenas ejus osculando*, idest *osculantur*. In codice Ratoldi, ut idem monet, duplex Missa hac die legitur, altera *S. Petri*, altera *sanctorum Machabæorum*, sed Missa Machabæorum est in Appendice. In Capitularibus Evangeliorum veterrimis, tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 271. Evangelium: *Ad vincula* hac die designatur. Desideratur in Capitulari Martenii. Desideratur etiam hæc celebritas in libro Gradali Modoetiensi, & in Antiphonario Carnutensi; in Antiphonariis aliis Gregorianis habetur, licet in quibusdam codicibus absit, ut notat Pamelius pag. 142. Post Liturgica succedant vetera de basilica *S. Petri ad vincula, & tituli Eudoxiæ* monumenta, de qua re Baronius in Notationibus hac die, & in Annalibus ad an. 439. n. VII., ubi de basilica *S. Petri ad vincula*, ab eadem Augusta ædificata, & ad an. 532. n. VIII., & ad an. 544. n. II. ubi mentio de libris *Aratoris* S. R. E. Subdiaconi, *in Ecclesia S. Petri, quæ vocatur ad vincula*, coram Vigilio Papa recitatis. In Descriptione regionum

gionum Urbis apud Mabillonium Analect. tom. IV. pag. 507. de hujus Ecclesiæ situ ita habetur: *Iterum per Suburam. Thermæ Trajani ad vincula*. Ibidem pag. 511. *Sancta Maria antiqua, sancti Cosmæ & Damiani, Palatius Neronis, Ecclesia sancti Petri ad vincula, Arcus Titi & Vespasiani*. Ubi Ecclesia S. Martini nunc est, ibidem fuere *Thermæ Trajani*, ut patet ex antiqua inscriptione ibidem eruta, & a Montfauconio allata, Diarii Italici pag. 127. In Notitia apud Eccardum legitur: *Basilica, quæ appellatur vincula Petri, ubi habetur Catena, qua Petrus ligatus*. De prima a Beato Petro in Urbe constructa & dedicata Ecclesia, ut præferunt Hieronymiana, consulendus Florentinius in Exercitatione XI. pag. 697. *& seq.* Vide etiam de hujus diei celebritate Bollandianos hac die pag. 16. Cardinalis Thomasius in notis ad Capitulare Evangeliorum pag. 188. ex verbis S. Leonis M. in Sermone de laudibus Machabæorum existimat, a Sixto III. basilicam *S. Petri ad vincula* conditam & consecratam fuisse: profert præterea aliquot versus, qui olim in eadem Ecclesia extabant, a Floravante Martinello in Roma ethnico sacra pag. 284. edita qui sunt hujusmodi:

Hoc Domini templum PETRO *fuit ante dicatum*.
TERTIUS *Antistes* SIXTUS *sacraverat olim*.
Civili bello destructum post fuit ipsum:
EUDOXIA *quidem totum renovavit ibidem*.
PELAGIUS *rursus sacravit Papa beatus*,
Corpora sanctorum condens ibi Machabæorum.
Apposuit Petri pretiosa ligamina ferri,
Illustris mulier quæ detulit ab Hierusalem,
Et quibus est Petrus, Neronis tempore vinctus,
Augusti mensis celebrantur festa Calendis,
Huic accedenti purgantur crimina cuncta.

Circumfertur in quibusdam codicibus vulgaris quædam narratio, seu Sermo *de vinculis B. Petri*, cujus exordium in codice Reginæ Suecorum 523. sic se habet: *Notandum est, fratres Karissimi, qua de causa celebretur festivitas sancti Petri ad vincula, Kalendas Augustas* &c. usque, *beneficia largiente*. Exstat & alius Græce incerti auctoris, Latine apud Surium hac die, Chrysostomi nomine.

Machabæor. *Sanctorum Machabæorum* celebritas in fastis omnibus Latinorum & Græcorum insignis hac die est. Hieronymiana habent: *In Antiochia passio sanctorum Machabeorum* VI. [lege VII.] *fratrum cum matre sua, qui passi sunt, sub Antiocho rege*. Kalendarium Carthaginense hac die: *Machabeorum*. Agunt præterea Kalendarium Polemii Silvii, A. D. 448. scriptum, Beda, Romanum parvum, Gellonense, Ado noster, Usuardus, Notkerus, Wandelbertus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3086. Machabæi martyres ab Augustino celebrantur: hinc illius Sermones inter divina officia legendi selecti sunt, ut habetur in codice vetustissimo Vat. 3806. ubi pag. 1. legitur: *Incipit Sermo sancti Augustini de Sanctorum Machabeorum, Kal. Augustas. Gratias, dilectissimi, Deo nostro*, usque *angulari lapide*. Sequuntur alii ejusdem Sermones de eisdem. Vide novam S. Augustini editionem tom. V. P. II. Romæ hujusmodi celebritas impensiori studio cœpit Christi sæculo V. quando *Sixtus* Papa III. horum reliquias in Ecclesiam S. Petri ad vincula intulit, qua de re leguntur Sermones S. Leonis Magni, habiti *Kalendis Augusti* de laudibus Machabæorum in eadem Ecclesia. Missa *In natali Machabæorum* hac die exstat in codice Sacramentorum Gelasiano pag. 162. Prima oratio est: *Deus, qui in sanctis*. Secreta: *Fiant, Domine*. Post commun. *Cælesti munere*. In Sacramentario Gregoriano Pamelii post Missam *ad S. Petrum ad vincula*, eodem die variæ orationes in festo *sanctorum Machabæorum* designantur, quæ a Gelasiano diversæ sunt. In Sacramentario Reginæ Suecorum habentur tantum orationes ad *S. Petrum ad vincula*. In Palat. Vat. 495. omnia cum Pamelio conveniunt, nisi excipias, quod in Palatino tres tantum habentur orationes, nempe, *Fraterna* &c. *Iterata mysteria*, &, *Præsta*, ac in titulo hujus Missæ ponitur: *Eodem die Machabæorum martyrum*. Missale plenarium Vat. 4770. loco Missæ in natali Machabæorum habet: *Eodem die sanctæ Felicitatis, & sanctæ Justæ, & alii sancti*. In codice Remensi, & Ratoldi, ut jam prænotavimus ex Menardo, Missa de Machabæorum natali habetur. Capitularia Evangeliorum veterrima de his silent, nisi excipias Kalendarium, seu Capitulare Allatii, & Vat. 5465. in quibus legitur: *Eodem die Machabæorum*. Patrum de his elogia indicantur a Baronio in Notationibus hac die. In quibusdam Ecclesiis olim Acta quædam de his martyribus legebantur; nam in uno ex codicibus Canonicorum Forojuliensium habetur inter alia Sanctorum Acta: *Passio sanctorum martyrum Machabæorum*. Exordium est: *Ex illis diebus cum pro cultu venerandæ legis gentis Judaicæ ab impiis sæva persecutio ebulliret*, &c. usque: *Martyrizati sunt autem beatissimi martyres Dei unu cum venerabili matre sub rege Antiocho, die Kalendarum Augustarum: regnante* &c. Vide de his martyribus Bollandianos socios hac die pag. 5. *& seq.* ubi pluribus agunt de horum fratrum nominibus, ætate, martyrio, cultu vetustissimo, & encomiis Patrum, reliquiis, & Actis.

Eusebius inter Vercellenses Antistites clarissimus, hac die celebratur *confessoris* titulo in Hieronymianis. Beda habet, eum, *moventibus* Eusebii.

tibus persecutionem Arianis, martyrium passum. Romanum parvum: *Vercellis, Eusebii Episcopi*. Ado utrumque titulum exhibet, cujus elogium contrahit Usuardus. Notkerus, qua ratione martyrium fecerit, enarrat, dum habet: *& in pace Ecclesiæ, circum confessionis suæ consummavit*. Richenoviense: *Vercellis, Eusebii conf.* Martyrologium Reginæ Suecorum: *Vercellis, Eusebii Episcopi, qui moventibus persecutionem Arianis, sub Constantino principe martyrium passus est*. Ita Fuldense, sed recte pro *Constantino*, habet *Constantio*. Ottobonianum: *In Vercellis, Eusebii Episcopi, qui sub Constantio principe passus*. Supple, *est*. Agit etiam Wandelbertus. De Eusebio, ejusque præclaris gestis Baronius ad an. 311. n. XLII. an. 327. n. XX. 328. n. XXII. 354. n. VI. *& seq.* 356. n. V. *& seq.* 356. n. XC. *& seq.* 362. n. CLXVI. CCIII. *& seq.* CCXXXVI. & ad ejus obitum quod attinet an. 371. n. CXVI. Cur a majoribus *confessor* dicatur, & an *martyr* dicendus sit, ibidem an. 371. n. CXVII. CXIX. & in Notationibus hac die. Vide quæ de titulo *confessoris*, & *martyris* ad diem XIV. *Januarii* prænotavimus. Agunt raptim de eo Bollandiani hac die pag. 3. in prætermissis, plenius acturi die XVI. *Decembris*. Adeundus & Tillemontius tom. VII. pag. 529. *& seq.*

Cyrilli & soc.

Cyrilli & sociorum apud *Philadelphiam in Arabia* natalis recolitur hac die a Hieronymianis. Romanum parvum habet: *Philadelphia, martyrum Cyrilli, Aquilæ, Petri, & aliorum*. Agunt præterea Ado noster, Usuardus, & Notkerus. Apud alios siletur. Vide quæ de his ex Martyrologiis habent Bollandiani hac die pag. 29.

Felicis.

Felix martyr *Gerundensis*, de quo Prudentius hymno IV., colitur hac die a Hieronymianis, Floro, Adone nostro, Usuardo, Notkero. Ado elogium ex Actis sumpsit, ex quo Notkerus. Forte agunt postridie hujus diei Rhinoviense, & Richenoviense, ubi habent: *Et in Verona, Felicis*. Vide an emendandum sit: *in Gerunda*. Augustanum, & Labbeanum *Kalendis Augusti* habent: *Gerunda, Felicissimi* (ita Augustanum, Labbeanum vero *Felici*) *martyris*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Gerunda, passio sancti Felicis martyris*. Paullo uberius Martyrologium Fuldense ex Adonis elogio. Memoratur hac die in libello orationum Gothico-Hispano, edito a Blanchino, ubi titulus hic est: *Incipiunt orationes in diem sancti Felicis ad Vesperum, Completuria. Kalendis Augusti*. Dies ergo hæc recte a Martyrographis adnotatur, licet subdubitare videatur Florentinius in notis pag. 697. Acta, quæ vidit Ruinartius, ut monet pag. 517., aliquatenus depravata videntur. Vide Bollandianos hac die pag. 22. *& seq.* qui & Acta proferunt. Passus est A. D. 304.

Exuperii.

Exuperius Episcopus ab uno ex codicibus nostris additur. De eo pleraque Hagiologia silent, & agunt solummodo Usuardi Auctaria hac die. *Exuperius* fuit Episcopus *Bajocensis*; cujus corpus translatum fuit in castrum *Corbolium*, seu *Corboilum* ad confluentes *Sequanæ*, & *Exonæ*. De *S. Exuperio* ejusque cultu in castro *Corboilo*, vulgo *Corbeil*, deque Comitibus Corboilensibus plura Gerardus Dubois in Historia Ecclesiæ Parisiensis lib. XII. cap. I. & cap. VIII. §. IV. & V. pag. 81. 82. Vide etiam Bollandianos hac die pag. 52. *& seq.* ubi de ejus cultu, & translatione Corbolium. Floruisse ferunt sæculo Christi V.

Spei, & soc.

Sanctarum virginum *Spei* & sororum una cum matre natalis, hac die recolitur a codicibus nostris, & ab Usuardo. Sollerius, silente de his vulgato Adone, se ignorare fassus est, unde Usuardus has virgines accersiverit, quæ antiquioribus Martyrographis omnibus incompertæ sunt. In apographis Adonianis incognitæ non sunt, ac iisdem pene verbis enunciantur, prout ab Usuardo. *Nicomediæ* passas refert Notkerus ad diem XXIII. *Junii*; qua ratione, nos ignoramus. Usuardi Auctaria ex editione Greveni, ea die XXIII. *Junii* exhibent tres sorores, nimirum *Pistim, Elpim*, & cum matre earum *Agape*, *Nicomediæ* passas. Alia ejusdem Usuardi Auctaria agunt die *prima Julii*, sed *Romæ*, non *Nicomediæ* earum martyrium designant. Eadem die *prima Julii* de his agit Kalendarium Vat. 3806. Kalendarium marmoreum in vestibulo Ecclesiæ S. Silvestri in capite in Urbe, ubi natales sanctorum ibi quiescentium recensentur, ad diem XXX. *Septembris* habet: *Natalis sanctarum Sophiæ viduæ, & Pistis, Helpis, & Agape*. Eadem die XXX. *Septembris* de iis agit Martyrologium Ottobonianum. In veterrimo Indiculo de *olea sanctorum martyrum, qui Romæ in corpore quiescebant*, a Mabillonio in Appendice de cultu sanctorum ignotorum edito, inter ampullas olei, quas S. Gregorius M. *Theodelindæ* Langobardorum reginæ dono misit, enumeratur in eo Indiculo oleum *sanctæ Sophiæ cum tres filias suas*. Deinde ibi mox, oleum *sanctæ Spei, sanctæ Sapientiæ, sanctæ Fidis, sanctæ Caritatis*. Acta vulgata Metaphrastæ adscribuntur. Græce exstant apud Lambecium lib. VIII. p. 241. Latine apud Lipomanum, & apud Surium die I. *Augusti*. De his Actis nonnulla præmonet Baronius in Notationibus hac die. In codice Canonicorum Forojuliensium hujusmodi Acta ita incipiunt: *Passio sanctarum martyrum Christi Sapientiæ matris, & trium filiarum ejus, Fidei, Spei, & Charitatis. Cum jam perfecti sermonis seminatio esset in universa quæ sub cælo est terra* &c. In fine: *Consummatæ sunt autem sanctæ Dei virgines Fides, Spes, & Charitas, earumque mater Sapientia apud Romam, pridie Kalendarum Augusti, sub Adriano Imperatore. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*. Bollandiani Commentarium criticum de his ediderunt hac die pag. 16. *& seq.* ubi de earum cultu apud Græcos æque ac Latinos variis diebus, de nominibus, genere, pa-

triæ,

ria, ætate, reliquiis, & Actis disquirunt.

Boni, & soc. *Boni* & sociorum natalis memoratur hac die ab Usuardo, & Floro, silentibus aliis. Gellonensis hac die habet. *Item Fausti, Bonosi, Mauri, Calumniosi, Johannis, Exuperantii, Casti, Cyrilli, Honorati, Theodosii, Basilii.* Horum nomina ex vulgatis Actis S. Stephani Papæ, ut ipsumet Adonis apographum præfert. Bollandiani ex iisdem Actis nonnulla de his hac die pag. 20. proferunt.

D. IIII. NONAS AUGUSTI. *2. Aug.*

Pontificale c. 24. ROMÆ, in cœmeterio Callisti, natale sancti Stephani Papæ, & martyris, sub Valeriano & Gallieno Imperatoribus. *Stephani Papæ.* Qui, cum persecutio sæva grassaretur, beatus Stephanus congregato universo clero suo, hortabatur eos, ut pro Christo coronam martyrii alacriter susciperent. Ordinaverat autem tres Presbyteros, & septem Diaconos, & clericos sexdecim, cum quibus de regno Dei assidue docebat. Divina autem gratia procurante, occurrebant multi ex gentilibus, & honesti viri, ut baptizarentur ab eo. Inter quos Nemesius tribunus cum omni domo sua, filiaque ipsius nomine Lucilla, quæ cæca, per beatum Stephanum illuminata fuerat, & Olympius alter tribunus cum uxore sua Exuperia, & filio Theodulo, & quotquot crediderunt in domo Olympii, qui postea gloriosa confessione martyrium meruerunt. Celebrabat autem Missas atque concilia per cryptas martyrum. Factum est autem, ut Valerianus & Gallienus persecutores nominis Christi, summo requirerent studio beatum Stephanum, ut eum, & clericos ejus diversis afficerent pœnis. Miserunt itaque multitudinem militum, & tenuerunt eum cum multitudine Clericorum, Presbyterorum, & Diaconorum. Qui veniens ad tribunal Valeriani, solus introivit. Cui Valerianus: Tu es Stephanus, qui Rempublicam conaris evertere; & persuasionibus atque hortationibus malis populum a Deorum recedere suades cultura? Beatus Stephanus dixit: Ego quidem non everto Rempublicam, sed hortor, ut derelictis dæmoniis, quæ adorantur in idolis, ad Deum vivum, & verum redeant, creatorem cœli, & terræ, & cognoscant Christum Jesum filium Dei Deum esse, qui cum Patre, & Spiritu sancto solus est sempiternus, ut non pereant cum diabolo in interitum sempiternum. Tunc Valerianus jussit eum duci ad templum Martis, & ibidem dictata sententia capite truncari, si non acquiesceret adorare nefandi Martis simulacrum. Perductus beatus Stephanus a militibus foras muros Appiæ portæ ad templum, levatis oculis ad cælum, dixit: Domine Deus pater Domini mei Jesu Christi, qui turrim confusionis Babyloniæ destruxisti, destrue nunc & hunc locum, ubi diabolica superstitione per idolorum

 cultu-

culturam animæ pereunt populorum. Et ſtatim facto fragore tonitrui cum terroribus coruſcationum, corruit maxima pars templi, & milites pavefacti fugerunt. Beatus vero Stephanus perrexit cum omnibus Chriſtianis ad cœmeterium ſanctæ Lucinæ, & multis eos conſolatos ſermonibus, obtulit pro eis ſacrificium Deo Omnipotenti. Quæ geſta audiens Valerianus, miſit plurimos militum, qui beatum Stephanum punirent. Qui venientes invenerunt ſacrificium Deo offerentem. Quem intrepidum, & conſtantem ante altaris ſolemnia, & cœpta perficientem, in eodem loco in ſua decollaverunt ſede ſub die IV. Nonarum Auguſtarum. Cujus corpus Chriſtiani populi ſepelierunt in eadem crypta cum ipſa ſede, ubi adſtans ſanguis ejus effuſus eſt in loco, qui appellatur hodie cœmeterium Calliſti. Sedit autem in Epiſcopatu annos VII. menſes V. dies duos.

Theodota cum fil. Eodem die, natale ſanctæ Theodotæ cum tribus filiis ſuis in provincia Bithyniæ, urbe Nicæa, tempore Diocletiani, ſub conſulari Nicetio, & comite Leocadio. Qui hanc per multos dies blandimentis, & terroribus cogere voluit, ut ejus conjugio necteretur. Sed cum ſancta femina nullo modo conſentiret, ferro vinctam cum filiis conſulari Bithyniæ Nicetio deſtinavit. At ille filium ejus primogenitum Evodium Chriſtum fiducialiter confitentem, in conſpectu matris fecit fuſtibus cædi. Cui mater pia clamabat: Noli fili timere iſta verbera, per ipſa enim ad æterna Chriſti gaudia pertinges. Tunc conſularis Nicetius juſſit cuidam Hirtaco, ut apprehendens beatam Theodoten, prius illi illuderet, & poſtmodum inter publicas meretrices conſtitueret. Quam ille volens tenere, de naribus ejus cœpit ſanguis vehementer effluere. Qui clamans dixit Nicetio: Stat juxta eam juvenis pulcher, auratis veſtibus indutus, ex cujus manu pugnum accepi in naribus. Conſularis ergo Nicetius juſſit ignem copioſum accendi, & beatam Theodoten cum tribus filiis ſuis immitti. Quæ gratias referens Deo, dicebat: Benedictum nomen pietatis tuæ, Domine, qui me nec in iſto ſæculo a filiis meis ſeparaſti, nec in tui nominis confeſſione disjungi paſſus es, nec in martyrio dividi permiſiſti. Conſummata eſt igitur cum tribus filiis ſuis ſancta Theodota ſub die quarto Nonarum Auguſtarum.

Stephani Papæ. ADNOTATIO. In faſtis omnibus, cum Latinorum, tum etiam Græcorum *S. Stephanus* Papa & martyr, celebris hac die habetur. Colitur in primis in Kalendario Bucheriano inter depoſitiones Epiſcoporum, hic verbis: IV. *Non. Aug. Stephani, in Calliſti.* Agunt præterea apographa Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Rabanus. Ado pluribus ex Actis, breviſſime Uſuardus, fuſius ex Adone Notkerus. Memoratur a Wandel.

delberto, Rhinovienſi, Richenovienſi, Auguſtano, & Labbeano, Corbejenſi breviore, Martyrologio Reginæ Suecorum, Fuldenſi, Ottoboniano, Kalendar. Palat. Vatic. 485. & Vatic. 3806. In libris quoque Liturgicis omnibus Gregoriani ritus Miſſa habetur hac die in natali *S. Stephani*. In codice Sacramentorum a Joſepho Blanchino edito hic titulus ad III. *Non. Auguſti* præfigitur: *Natale S. Steffani in cœmeterio Calliſti, via Appia*. Capitularia Evangeliorum præferunt: *Natale ſancti Stephani Pontificis, via Latina*. Fronto emendandum putat, ac legendum: *via Appia*, quia S. *Stephanus* colitur *in cœmeterio Calliſti*. Vetera tamen nonnulla monumenta *via Latina* Stephanum Pontificem recolunt, & Notitia apud Eccardum, ubi: *via Latina cum toto clero ſuo*, ſepultus eſſe dicitur. *Cœmeterium Calliſti* erat quidem ad *Appiam viam*. Circumferuntur *Stephani* Acta, quæ licet antiqua, inter genuina tamen non cenſentur. Earum partem recitat Baronius ad an. 260. n. IV. *& ſeq.* Græce etiam eadem Acta & ampliora habentur, quæ Baronius Metaphraſtæ tribuit; alia Græce ex codice undecimi ſæculi protulit Bandurius ad antiquitates Conſtantinopolitanas pag. 646. 647. Eadem contracte ex MSS. citantur a Lambecio lib. VIII. pag. 228. Vulgata Acta leguntur etiam in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 228. Horum exordium eſt: *Paſſio ſancti Stephani Epiſcopi & martyris, quæ eſt quarta Nonarum Auguſtarum. Temporibus Valeriani & Juliani &c.* Acta Latina expenduntur a Tillemontio tom. IV. pag. 592. & 595. item a Bollandianis hac die pag. 124. Paſſus eſt ex recentiorum ſententia A. D. 257. *Valeriano* IV. *& Gallieno* III. *Coſſ.* die *ſecunda Auguſti*. De illius cultu & geſtis, reliquiis & translationibus iidem ſocii ibidem in Commentario prævio pag. 112. *& ſeq.*

Theodota. *Theodota* martyr cum filiis colitur hac die ab apographis Hieronymianis Lucenſi, & Corbejenſi his verbis: *Et in Cæſarea Mauritaniæ, Theodotæ & ſeptem filiorum ejus, quorum geſta habentur*. Hæc minime accommodantur *Theodotæ*, *Nicææ in Bithynia* martyri, de qua hac die Beda, Romanum parvum, Ado noſter, Uſuardus, Richenovienſe, Auguſtanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldenſe, & Ottobonianum. Acta Græca, auctore incerto ante Metaphraſten, laudantur a Bandurio ad antiquitates Conſtantinopolitanas pag. 648. Acta quædam hujus *Theodotæ* inter ſpuria rejicit Ruinartius p. 420. De ea agi cenſet Baronius in Actis S. Anaſtaſiæ, ac nobile templum in illius honorem erectum Conſtantinopoli fuiſſe a Juſtiniano Imperatore. Bollandiani hac die pag. 147. *& ſeq.* pluribus de S. *Theodota* & filiis martyribus, ſcilicet de cultu apud Græcos & Latinos, elogiis, æde ſacra, & Actis agunt. Diſcutiunt Acta a Combefiſio edita, & illuſtrant. Paſſa eſt ſub Diocletiano.

E. III. NONAS AUGUSTI. 3. *Aug.*

Act. 5. 22. Jn: 3. 19. Gennad. de vir. illuſtr. c. 46. *Invent. S. Stephan.*

JEROSOLYMIS, inventio corporis beatiſſimi Stephani protomartyris, & ſanctorum Gamalielis, Nicodemi, & Abibon, ſicut revelatum eſt a Domino beato presbytero Luciano, ſeptimo Honorii principis anno. Nam dum quieſceret in baſilica baptiſterii in ſtratu ſuo, die ſexta feria illuceſcente, circa horam tertiam noctis, dum adhuc pervigilaret, tamquam in exceſſu mentis effectus, vidit virum ſenem, ſtatura procerum, vultu decorum, prolixa barba, in veſtitu candido, amictum pallio, in cujus ſummitatibus erant tamquam aureæ cruces contextæ: calceatum caligis, in ſuperficie deauratis, & manu tenebat virgam auream, de qua tangens eum, dixit, ſe eſſe Gamalielem, qui nutrivit Apoſtolum Paulum, & inter alia dixit ei: Summa cum diligentia noſtros patefacito tumulos, quia indecenter deſpecto loco reconditi ſumus. Et cum interrogaſſet, qui eſſent cum eo: Unus eſt, inquit, domnus Stephanus, a Judæis pro fide Christi Jeroſolymis lapidibus oppreſſus torrentis: juſſu-

jussuque Sacerdotum relictus extra portam, via, quæ mittit Cedar, bestiis ac avibus devorandus. Sed hoc omnino prohibuit ille, cui illæsam idem Martyr fidem servavit. Quo facto, rarescente Judæorum perfidia, convocans adscivi mihi religiosorum virorum turbam, conventumque fidelium: ac blandiens, suadensque, affatus sum ita: Obsecro vos, fratres carissimi, ut neminem revereamini, colligentes sanctum pignus beati Stephani, deferte villulæ nostræ, quam nomine suo nominaverat Caphargamala, quæ vigesimosecundo lapide ab urbe Jerosolyma distat: & more solito, solemni eum funere sepelite. Quod &
Jo. 3. factum est. Ille vero, qui hujus locello jacet contiguus, ipse est Nicodemus nepos meus, qui ut renasceretur ex aqua, & Spiritu sancto, a Salvatore audivit: qui a Petro mox, & Joanne est baptizatus. Pro quo postmodum indignati principes Sacerdotum, subtracto ei principatus honore, conabantur eum tradere morti. Sed nostri gratiam, nostræque propinquitatis jure repressi, non fecerunt. Veruntamen expulsum foras urbem, diripuerunt omnem supellectilem ejus, multisque afficientes plagis, semivivum reliquerunt. Ego nimirum & hunc collegi, & curam ei adhiberi præcepi. Qui paululum fuit instanti superstes vita, ad optatam & ipse quietem migravit: quem exhibitis funeris exequiis, ad protomartyris pedes jussi tradere sepulturæ. Ille autem tertius, qui mecum quiescendi possidet locum, ipse est Abibas filius meus, qui mecum Christo Jesu, vigesimum agens annum ætatis suæ, una credidit, & a præfatis Apostolis æterni fontis unda perfusus. Is dum esset legis doctrina plene eruditus, templo Dei cum Paulo sedulo vacans, divina meditando præcepta, ab illo vitio, cui se genus maxime subdere solet humanum, protectione tuente superna, extitit liber, & in hoc castitatis proposito pausavit in pace: cum quibus & ego jaceo. Conjux quoque mea Ethna, & Selemias primogenitus noster, nolentes credere Christo, sed religionis unitati, & fidei derogantes, in possessione Capharselemia sunt tumulati. Verumtamen quo nos repositi sumus, cum fodere cœperis, inanes eorum reperies tumulos, quia nobiscum non fuerunt digni tumulari. Cumque venerabilis Presbyter prædictum virum sciscitaretur: Ubi vos, inquiens, inveniemus, Domine? Ait ille: In agello nostro, qui Syriace Delamgabriea, necnon Debatthalia vocatur, id est, virorum Dei, seu beatorum possessio. Quæ visio consimilis ei iterum, iterumque apparuit. Surgens autem venerabilis Presbyter, perrexit in civitatem ad Antistitem Joannem, de quo per visionem monitus fuerat. Cum-

que

que illi, cleroque ejus particulatim visionis seriem retulisset, ille, lacrymis præ gaudio fusis, benedixit Dominum. Reque veraciter ut erat per omnia comperta, beatus Episcopus sub omni celeritate ad fratres, & coepiscopos vicinarum urbium misit. Qui cum occurrissent, & locum præsignatum fodere cœpissent, terræ motu statim facto, immensi odoris suavitas tanta exinde respersa est, quantam nullorum ætas hominum tunc temporis meminerat sensisse: ita ut putarent se præsentes in amœnitate paradisi sitos. Et in ipsa hora de suavitatis odore LXXIII. animæ sunt curatæ a diversis infirmitatibus. Aderant tunc temporis testes miraculorum cum beato Joanne, Eustominus Sebastenus, & Eleutherius Jerichontinus pontifices, cum clericorum sanctissimo comitatu. Qui osculantes beati Stephani pignus, locumque claudentes, cum gaudio ad propria sunt reversi. Post paucos autem dies corpus protomartyris Stephani in Sion ad sanctam Ecclesiam, ubi archidiaconus fuerat ordinatus, VII. Kal. Januarii cum psalmis, & hymnis detulerunt. Tunc temporis cum prolixæ siccitatis esset immensitas, sufficiens supernæ pietatis pluvia descendit, quæ sitientem largius terram madefaciens irrigavit. Quod meritis beati martyris Stephani nullus ambigit periclitanti populo concessum fuisse. Hanc revelationem Lucianus Presbyter Græco sermone ad omnium Ecclesiarum personam descripsit, quam Avitus presbyter Hispanus in Latinum vertit, & per Orosium presbyterum Occidentalibus dedit: qui etiam simul reliquias beati Stephani primus Occidenti detulit, ubi ad memorias sancti Martyris innumera miracula facta sunt. De quibus plurima beatus Augustinus in libris de civitate Dei memorat.

[Margin: Extat t.10. S.Augustini. — Sigebert. in Chron. an. 418. — August. de civit. Dei lib.22.c.8.]

Constantinopoli, natalis sancti Hermelli martyris. *Hermelli.*

VARIA LECTIO. Ed. *Luciano, septimo Honorii &c.* Codices. *Luciano. Septimo namque Honorii principis anno &c.* Post extrema verba in fine, *Dei memorat*, sequitur in nostris Codicibus:

„ Romæ, via Appia, natalis sancti Tarsicii martyris, qui dum deferret quadam die Christi corporis sacramenta, & nec vellet ea discutientibus prodere paganis, tamdiu est fustibus, ac lapidibus maceratus ab eis, quousque exhalaret spiritum. *Tarsicii.*

Deest in nostris codicibus hanc die natalis *sancti Hermelli* martyris.

Invent. S.Steph. ADNOTATIO. De *S. Stephani protomartyris inventione* Hieronymiana apographa agunt pridie hujus diei, & iterum hac die. Apographum Lucense pridie hujus diei habet: *In Antiochia, natalis reliquiarum protomartyris Stephani & diaconi, qui Jerosolymis est lapidatus, ex revelatione Luciani presbyteri, corpusculus ejus Jerosolymis est translatus.* Apographum Corbejense ea item die: *In Antiochio, natalis reliquiarum Stephani protomartyris & diaconi, qui Hierosolymis est translatus ex revelatione Luciani presby-*

presbyteri. Hee die vero *tertia Augusti* apographum Lucense iterum agit his verbis: *In Jerosolymis, inventio corporis beatissimi Stephani primi martyris, & sanctorum Gamaliélis, Nicbodemi, & Abibon*. Esdem leguotur hee die in epogrepho Corbejeofi. Putat Florentinius in notis psg. 721. a librariis transpositam hujusmodi celebritetem fuisse; & *Antiorbiæ* die *secunda Augusti* natalem reliquiarum, die vero *tertia* translationem *Hierosolymam* recoli. Utraque die agit Corbejense brevius. Die II. *Augusti* habet: *In Antiochia natalis reliquiarum Stephani primi protomartyris & diacani, qui Hierosolymis est translatus ex revelatiane Luciani presbyteri corpusculum ejus*. Die vero *tertia Augusti* habet: *Hierosolymis, inventia corporis beatissimi Stephani protomartyris, & sanctorum Gamalielis, Nicomedi, & Abibonis*. Rabenus utramque celebritatem diei *tertiæ Augusti* alliget, his verbis: *In Antiochia S. Stephani protomartyris, ubi baberi dicitur unus de lapidibus, quibus in brachia percussus est, & multas ex eo virtutes sanitatum fieri. Eodem die in Hierosolymis inventio corporis ejusdem beatissimi Stephani martyris, & sanctorum Gamalielis, & Nicodemi*. Romanum parvum, Ado, Usuardus, Wsodelbertus, Martyrologium Fuldense, Reginæ Succorum, & Kalendarium Vetic. 3806. ad diem II. *Augusti*, de *inventione* corporis S. *Stephani*, & aliorum tantummodo egunt. Gellonense hac die habet solummodo: *Stephani*. Rhinoviense die II. Augusti: *In Antiochia, Stephani*. Richenoviense hae die: *In Ancona, Stephani*. Mox: *Hierasolymis, inventio corporis sancti Stepani primi martyris*. Augustanum hae die, postquam *Stephani* mixtim com aliis meminit, alio charactere habet: *Inventio corporis sancti Stephani protomart. Gamelielis, Nicodemi*. Labbeanum *Stephani* meminit confuse cum aliis. Notkerus reliquiarum natelem apud *Antiochiam*, diei *secundæ Augusti* affigit, postridie vero inventionem recolit, atque multa de suo addit. Qua die hæc inventio facta sit, disquirunt recentiores, qui ex Lucieni epistola factam fuisse putant mense Decembri. De hac ioventione pluribus Baronius io Notetiooibus hac die, qui censet antiqoitus hac die celebrari consuevisse *Stephani* protomertyris in Aneonitana urbe solemnitatem, propteres quis in Martyrologio S. Cyrieci, & in vulgato Beda id memoretur, & Aoconam unum ex lepidibus, quo percussus est, translatum fuisse S. Augustini Sermones tradaot. Celebriorem deinde solemnitatem evasisse, postquam inventio corporis ejusdem protomartyris huic diei illigata fuit. Variæ hujus inventionis, ac deportationis reliquiarum narretiones Græce, & Latine hebentur, & in Appendice operum Augustioi editioois Beoedictin. tom. VII. pag. 3.27. & 670. Confer Tillemont. to. II. pag. 1. *& seq.* & pag. 462. Vide Combefisium Bibliothecæ Concionatoriæ tom. VII. pag. 573. *& seq.* Bollsodlani de his agent die XXVI. *Decembris*, ut spondent in prætermissis hae die. Cootigit hæc inventio A.D. 415. de qua Baronius ed enm annum oum. 1. *& seq.* In libris Liturgicis vetustioribus Missa hec die *de inventiane S. Stephani* desideratur, ea tamen habetur in Sacramentario Aogeli Rocchæ in Appendice, hae die; ubi prims orstio: *Deus omnipotens*. Secreta: *Præsta quæsumus*. Ad complendum: *Supplices te rogamus*.

Hermelli; *Hermellus* Constaotinopolitanus mertyr desideratur hae die in nostris codicibus; memorstur, sed subobscure, ut notat Florentinius, in Hieronymianis; aperte a Romeno psrvo. Hucne spectant Ottobonisni Martyrologii verbe, in quo hae die habetur: *In Constantinopoli, sancti Arilli*? Coofer Bollandianos hae die pag. 212.

Tarsicii; De *Tarsicio* agit vulgatus Ado die XV. *Aug.* qusre & oos ea die agemus.

---

4. *Aug.*

F. PRIDIE NONAS AUGUSTI.

Aristarchi NATALIS beati Aristarchi, discipuli S. Pauli Apostoli. Vid. lib. de fest. Apost.

Tertullini Item Romæ in crypta Arenaria, natale Tertullini martyris, quem beatus Pontifex Stephanus baptizavit, & in albis presbyterum consecravit: cui inter cetera monita, hoc præcipue commendavit: Frater, inquit, cura sit tibi diversorum requirere sanctorum corpora Martyrum. Qui post biduum ordinationis suæ tentus a Marco præfecto, eductus est ad Valerianum Imperatorem. Quem ille extensum mactari fustibus jussit. Cumque impie cæderetur, clamabat: Gratias ago tibi, Domine Jesu Christe, qui me non separasti a Domino meo Olympio servo tuo, qui De hoc in vita S. Stephani Papæ. 2. Aug.

qui me præcessit martyrio consummato. Cumque inter cædes hoc diceret, jussit Valerianus lateribus ejus ignem supponi. Cumque lætus & constans perseveraret, diceretque: Fac miser, quod facis, celerius, ut me de hoc incendio, licet peccatorem, tamen pro ejus nomine, Christo offeras sacrificium: jussit Valerianus elevari eum, & tradi præfecto Sapricio. Qui primo jussit os ejus lapidibus conquassari, deinde extendi eum in equuleo, & nervis diutius torqueri, deinde ignibus concremari. Cumque perseveranter Spiritus sancti gratia roboratus, Christum Dominum fateretur, mandavit hoc factum Valeriano tyranno. Cui Valerianus remandavit, ut data sententia ejus caput abscideretur. Tunc Sapricius depositum de equuleo, jussit duci via Latina, in secundo miliario, & ibidem decollari. Cujus corpus S. Stephanus pontifex colligens cum clericis, & hymnis redditis Deo, sepelivit in eodem loco in crypta Arenaria, secundo Kalend. Augusti. Ubi concursus solemnis fit II. Nonas Augusti.

Apud Lugdunum, adventus corporis sancti Justi Episcopi de eremo. Qui cum aliquot annis in eremo Angelis proximam egisset vitam, & dignus adesset finis tantis laboribus, regnum scandens cælorum, beato lucro promeruit. Cujus sanctum corpusculum, venerabilium civium Lugduni urbis cura requisitum, a remotis terræ partibus cum alacritate & religione reportavit, atque in urbe sacerdotii sui sepelivit. *Justi.*

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. & 514. hac die ita incipiunt: *Romæ, ad sanctum Laurentium, natalis sancti Justini presbyteri &c.* ut in vulgato Adone XV. *Kal. Octobris*. Deinde in codicibus sequitur: *Eodem die, beati Aristarchi &c.* prout apud vulgatum Adonem in libello de festivitatibus Apostolorum, Post verba: *coronatus quievit*, sequitur in codicibus: *Romæ in cripta arenaria. beati Tertuliani* (sic) *martyris &c.* prout in editis. *Justini.*

Deest in codicibus hac die natalis *S. Justi* Episcopi.

Aristarchi ADNOTATIO. *Aristarchi*, præter ea quæ in sacris litteris habentur, meminere hac die Romanum parvum, Ado, Usuardus, & Notkerus, silentibus cæteris. De eo inter recentiores Tillemontius tom. I. & præsertim pag. 571. ubi Græcorum de *Aristarcho* elogia expendit. Confer Bollandianos hac die pag. 313. & *seq.*

Tertulliani. *Tertulliani* martyris elogium ex Actis S. Stephani ab Adone sumptum, brevibus verbis ab Usuardo hac die contractum est. Ante Romanum parvum nullus Hagiologus de eo meminit. De eo Florus agit die XXX. *Julii*, & in quibusdam Usuardi Auctariis die XXX. & XXXI. *Julii*. Passus est *Tertullianus* A. D. 257. Vide Bollandianos hac die pag. 316. in Commentario Historico. Illius cœmeterium detectum fuit A. D. 1687. de quo Fabretus in Syntagmate antiquarum Inscriptionum pagin. 547. Aliquando *Tertullianus* dicitur. In Notitia apud Eccardum, ubi de martyribus *via Latina* quiescentibus, ita legitur: *Et juxta eandem viam, Tertulliani est basilica, ubi ipse cum multis martyribus jacet.*

De *Justo* Episcopo silent hac die codices nostri; silet & genuinus Usuardus, licet de eo agant apographa Hieronymiana. Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *Lugduno Gal-* *Justi.*

 liæ,

liæ, adventus corporis sancti Justi Episcopi de eremo. Vide ea de re Bollandianos hac die pag. 313. in Prætermissis, ubi de eo se acturos promittunt die II. *Septembris*.

Justini. De *Justino* presbytero, de quo hac die codices nostri, hac item die agunt Gellonense, Wandelbertus, Usuardi Auctaria, Martyrologium Fuldense, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Corbejense brevius, & Kalendarium Vat. 3806. In his aliquando *Justus*, & *Justa* scribitur. Vulgatus Ado, & Usuardus de eo agunt XV. *Kal. Octobris*, quare vide quæ ad eam diem dictori sumus. Frustra itaque in Appendicem Adonianam hac die projicitur a Rosvveido.

5. Aug. *G. NONIS AUGUSTI.*

Afræ. APUD Provinciam Rhætiæ, civitate Augustana, natalis sanctæ Afræ martyris. Quæ cum esset pagana & meretrix, per doctrinam sancti Narcissi Episcopi ad fidem conversa, & cum omni domo sua baptizata, pro confessione Domini igni tradita est.

Cassiani. Augustoduni, natalis sancti Cassiani Episcopi. Greg. Turonen. de glor. conf. c. 79.

VARIA LECTIO. Codices nostri hac die ita incipiunt.

Cassiani. „ Augustuduno, natalis sancti Cassiani Episcopi & confessoris, ad cujus sepulcrum cum quodam tempore sanctus Germanus advenisset, mirabile dictu! post orationem more solito fusam, vocans eum ex sepulcro ait ei: Quid hic agis, frater Cassiane? At ille e tumulo: Dulci in pace, quiete potior, & adventum Redemptoris expecto. Cui sanctus Germanus: Quiesce per longum, in Christo frater, tempore (sic), ut divinæ tubæ cantum atque oblati clangoris sonitum, atque sacræ resurrectionis gloriam percipere mereamur, & pro nobis, & pro hac plebe intercede ad Dominum Jesum Christum. *Memmii*. Catalaunis, natalis sancti Memmii Episcopi, qui Romæ a sancto Clemente ordinatus, primus ejusdem urbis destinatur Episcopus. Ubi fidelissime completo officii sui ministerio, virtutibus clarus, quievit in pace. *Osualdi*. Eodem die, natalis sancti Osualdi Anglorum regis & martyris, cujus gloriosos actus venerabilis presbyter Beda in gestis ejusdem gentis commemorat.

Sequitur deinde in codice 511. tantum.

Hyonii. „ Apud castrum Corboiacum, passio sancti Hyonii martyris, qui post multos, quos pro Christo sustinuit, agones, capitis abscisione martyrium complevit. Apud provinciam Retiam, civitate Augustana, natalis &c. ut in editis.

Afræ. ADNOTATIO. In plerisque Latinorum hac die fastis colitur *Afra* martyr *Augustana*, ut in Romano parvo, Rhinoviensi, Martyrologio Reginæ Suecorum, & Ottoboniano (in utrisque legitur: *passio sancti Afri*). Apographum Hieronymianum Lucense, hac die: *In civitate Augustæ, passio sancti Afri*. Apographum Corbejense legit: *sanctæ Afræ*. Rursus die VI. *Augusti* Hieronymiana post *milites centum & sexaginta duos* præferunt: *Et passio sanctæ Afræ*. Iterum apographum Lucense, licet inter Auctaria, Florentinii judicio, ad diem VII. hujus habet: *In provincia Retia, civitate Augusta, natalis sanctorum Africæ & Valeriæ*. Apographum Corbejense legit: *Afri*. Denique in iisdem Hieronymianis de *Afra* Augustana Florentinius in notis pag. 739. agi censet VII. *Idus Octobris*, quia ibi legitur: *In provincia Creta* (forte pro *Retia*) *Civitate Augusta, natalis sanctæ Afræ martyris*. Agunt autem de *Afra* hac die V. *Augusti* Ado noster, Usuardus, & Rabanus. Die VII. hujus agit Richenoviense, & Kalendarium Vat. 3806. Augustanum ad diem VI. *Augusti* habet: *Vigilia S. Afræ mart.* Die vero VII. [alio charactere: *Apud Augustam Vindelic.*] *S. Afræ martyris*. Gellonense die VI. hujus. *Donatiani confessoris, Afræ martyris*. Die vero VII. post *S. Donatum confessorem*, habet: *Afræ*. Kalendarium Palat. Vat. 485. die VII. hujus

jus post *S. Donatum*, sed charactere non æqua vetusto, addit: *Et sanctæ Afræ virginis*. Florus, & Wandelbertus agunt die VII. *Augusti*. Notkerus die v. Augusti agit de S. *Afro* martyre, & die VII. de *sancta Afra*. In Litaniis Anglicanis post S. *Susannam* invocatur *sancta Appra*, deinde S. *Columba*. Item in Litaniis ex Floriacensi codice annorum nongentorum post sanctam *Radegundem* invocatur *sancta Afra*, deinde S. *Columba*. In Sacramentario Palat. Vat. 496. habetur Missa: *Sanctæ Afræ martyris*. Exstant & Acta martyrii, quæ post Surium, castigatiora edidit Marcus Velserus, deinde Ruinartius pag. 501. ac postremum Bollandiani socii hac die. Adeundus & Tillemontius tom. v. pag. 270. *& seq.* Passa est, judicio Ruinartii, c. A. D. 304. Baronius ad annum 303. n. cxxv. huic anno Afræ martyrium alligavit, rectius anno insequenti consignaturus, ut Ruinartio visum est. Ad variam dierum, qua *Afra* colitur, rationem, audiendus est Velserus in Commentario ad Acta S. *Afræ* num. 56. ubi monet, diem martyrii coli, *Augustæ* die VII. *Augusti*, consentientibus Beda, & Wandelberto, *Romæ* die v. *Augusti*, suffragantibus Adone, Usuardo, & Maurolyco. Recte quemque suam consuetudinem sequi. Die v. *Augusti* in civitate *Augusta* de S. *Afra* patruo agi, de quo præter sancti viri nomen, reliqua incerta esse. Illustre de *Afra* testimonium exhibet Venantius Fortunatus in vita S. Martini lib. IV. a Baronio in Notationibus hac die v. Augusti prolatum. De *Afra* ejusque cultu, & Actis agunt uberrime hac die Bollandiani pag. 39. *& seq.* ac item de *Afro* pag. 37.

Cassiani. *Cassiani* elogium a codicibus nostris prolatum, ex Floro magna ex parte sumptum est. Agunt apographa Hieronymiana, licet inter Auctaria amandare velit Florentinius. Libellus Bedæ apud Martenium tom. VI. collectionis amplissimæ Anecdotorum, hac die habet: SS. *Mimmii, & Cassiani Episcoporum*. De *Cassiano* Episcopo præterea agunt hac die Gellonense, Notkerus, Wandelbertus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Autissiodorense, & Stabulense apud Martenium loco memorato, & Kalendarium Vat. 3806. Vide Gregorium Turonensem de gloria confess. cap. LXXIV. qui scribit, *Cassianum* successisse S. *Reticio Augustodunensi* Episcopo. Obiit anno XX. Episcopatus. *Reticius* subscripsit Arelatensi Concilio A. D. 314. Sed annus mortis ejus incertus. *Cassiano* successit *Egemonius*, huic *Simplicius*, qui Agrippinensi Concilio A. D. 346. interfuit. Reliqua vide apud Bollandianos hac die pag. 59. *& seq.*

Memmii. De *Memmio* Episcopo *Catalaunensi*, de quo codices nostri, agunt item apographa Hieronymiana hac die, sed inter Auctaria rejecta a Florentinio, aliter opinante Sollerio; agunt præterea Gellonense, Usuardus, Rabanus, Wandelbertus, Notkerus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Hagiologium Francogallicum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Apographa Bedæ Palat. Vat. 833. & 834. item de eo agunt hac die. Alterum habet: *Sancti Oswaldi regis, & sancti Mimmi Episcopi*. Alterum: *Natalis sancti Mimmi Episcopi & confessoris*. De eo Gregorius Turonensis in libris de gloria confess. cap. LXVI. De ejus missione in Gallias a S. *Petro*, vetus auctor, qui sæculo VII. floruisse dicitur, quod habet etiam Flodoardus. Almannus monachus Altivillaris, qui sæculo IX. vixit, hujusmodi missionem ad sæculum IX. revocat. De ejus sepulchro, præter Gregorium Turonensem, agit Theudoinus præpositus Catalaunensis in epistola ad Almannum monachum Altivillarensem, qui elevatum S. *Memmii* corpus A. D. 868. fuisse scribit, Caroli regis jussu. Vide etiam Bollandianos hac die p. 4. *& seq.* Sollerius, indicta caussa, *Memmium* in Appendicem Adonianam conjectum fuisse a Rosvveido monet, & recte quidem monet. Varie *Memmii* nomen a Martyrologiis, seu a barbaris illorum descriptoribus, inflectitur. Scribunt enim *Mismii*, *Mimmi*, *& Misini*. Vulgo S. *Menge* appellatur. *Catalaunum*, olim *Noviomagum*, nunc vulgo *Chalons en Champagne* dicitur, de qua Valesius in Notitia p. 137.

Oswaldi regis natalis, de quo item codices nostri, hac die colitur ab Usuardo genuino, ab uno ex apographis Bedæ, supra allato, a Wandelberto, Richenoviensi, Kalendario Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Paullo liberius a Sollerio scribitur, a nullo alio antiquo Martyrologo, præterquam ab Usuardo, & Wandelberto de *Oswaldo* agi. Quid si Usuardus elogium ex Adonianis apographis exscripsit? nam eisdem ferme verbis utitur, prout in nostris codicibus. De illius rebus gestis Beda in Historia Ecclesiastica gentis Anglorum lib. III. cap. I. VII., & IX. Fuit rex Anglorum *Nordanhymbrorum*: regnavit annis *novem*. *Occisus est*, inquit Beda, *commisso gravi prælio, ab eadem pagana gente, paganoque rege Merciorum, a quo & prædecessor ejus Eduinus peremptus fuerat, in loco qui lingua Anglorum nuncupatur Maserfelth, anno ætatis suæ trigesimo octavo, die quinta mensis Augusti*. Est autem martyrii annus, æræ Christianæ 642. De eo fuse agit Michael Alfordius in Annalibus Ecclesiasticis Anglo-Saxonicis ad A. D. 642. n. X. *& seq.* Ejus reliquiæ identidem translatæ feruntur ob imminentes in Angliam hostium incursiones, donec ab *Adamo* Morinorum Episcopo in Belgium allatæ, in cœnobio S. Winoci repositæ sunt. Quandonam Missa in honorem S. *Oswaldi* celebrari cœperit, agit Beda lib. IV. cap. XIV. Vide, si lubet, Bollandianos hac die pag. 83. ubi pluribus de illius gestis & Actis.

Hyonii, seu Jonii. Unus ex nostris codicibus meminit hac die *Hyonii*, seu *Jonii martyris*, de quo silent vetustiores Martyrologi; & in Usuardi Au-

ctariis de eo tantum agit hac die editio Monerati. Agit & Galesinii Martyrologium, sed a Romano Martyrologio deinde expunctus fuit, postea restitutus. Agunt etiam Ferrarius, & Saussayus. Gerardus Dubois in Historia Eccl. Paris. lib. I. cap. v. pag. 28. quemadmodum existimat, *Dionysium* Parisiensem Antistitem passum fuisse A. D. 278., ita eodem tempore martyrium subjisse putat in vico *Cristoliensi* S. *Agobardum*, & *Aglibertum*, quibus accenset *Jonium* martyrem, in *pago Castrensi* prope *Parisios* martyrio affectum, cujus corpus in basilica S. *Mariæ apud Corbolium* asservari tradunt tabulæ Ecclesiæ Parisiensis, ejusque natalem hac die v. *Augusti* recolunt. Vide Acta apud Mombritium, & ex codice Bodecensi apud Bollandianos socios hac die pag. 13. *& seq.* Meminit Vincentius in Speculo lib. x. cap. xxII. Passus esse dicitur c. A. D. 287. a Bollandianis. De eo agit Martyrologium Romanum die xxII. *Septembris*.

6. Aug. *A. VIII. IDUS AUGUSTI.*

Sixti. ROMÆ via Appia in cœmeterio Callisti, natale sancti Sixti Episcopi & martyris.

De his in vita S. Laurentii 10. Aug. Et in cœmeterio Prætextati, sanctorum Felicissimi, & Agapiti, diaconorum ejusdem, sub Decio Imperatore, Valeriano præfecto: qui tenuit beatissimum senem Sixtum Episcopum Romanum cum omni clero suo, & reclusit eos in custodia publica, & fuerunt ibi clausi multis diebus. Factum est autem, ut Decius Cæsar, & Valerianus juberent sibi beatum Sixtum Episcopum, cum clero suo præsentari noctu intra civitatem in Tellude. Cui Decius Cæsar dixit: Scis, cur tentus, & conventione publica nobis præsentatus es? Respondit Sixtus: Scio, & bene scio. Decius dixit: Ergo si scis, fac ut universi sciant, & tu vivas, & clerus tuus augeatur. Beatus Sixtus respondit: Vere feci & facio, ut clerus meus augeatur. Cui Decius: Ergo sacrifica Diis immortalibus, & esto princeps Sacerdotum. Ad hoc sanctus Episcopus: Ego semper sacrificavi, & sacrifico Deo Patri omnipotenti, & Domino Jesu Christo filio ejus, & Spiritui Sancto, hostiam puram, & immaculatam. Tunc ex præcepto Decii duxerunt eum milites ad templum Martis, ut sacrificiis coinquinaretur. Sed contemnentem sacrificare, recluserunt eum in custodia privata, cum duobus diaconibus Felicissimo, & Agapito. Cumque duceretur, his verbis beatus eum Laurentius archidiaconus cœpit compellare: Quo progrederis sine filio pater? Quo Sacerdos sancte sine diacono properas? Tu nunquam sine ministro sacrificium offerre consueveras. Quid in me ergo displicuit tibi, pater? Num degenerem probasti? Experire certe utrum idoneum ministrum elegeris. Cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem; cui consummandorum consortium Sacramentorum credidisti, huic sanguinis tui consortium negas? Vide ne periclitetur judicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abjectio discipuli, detrimentum magistri est. Quid quod illustrius præstantes viri discipulorum certaminibus, *Felicissimi & Agapiti.*

minibus, quam suis vincunt? Denique Abraham filium obtulit, Gen. 22.
Petrus Stephanum præmisit. Et tu pater ostende in filio virtutem tuam, offer quem erudisti, ut securus judicii tui comitatu nobili pervenias ad coronam. Tunc beatus Sixtus ait: Non ego te derelinquo, fili, nec desero, sed majora tibi debentur certamina. Nos quasi senes levioris pugnæ cursum recipimus, te quasi juvenem gloriosior manet de tyranno triumphus. Mox venies, flere desiste, post triduum me sequeris. Inter Sacerdotem, & Levitam hic medius numerus decet. Non erat tuum sub magistro vincere, quasi adjutorem quæreres. Quid consortium passionis meæ expetis? Totam tibi hereditatem dimitto. Quid præsentiam meam requiris? Elias Eliseum reliquit, & virtutem non 4. Reg. 2.
abstulit. Et dixit beatus Sixtus ad beatum Laurentium: Accipe facultates Ecclesiæ vel thesauros, & divide pauperibus quibus tibi videbitur. Accepta potestate beatus Laurentius cœpit per regiones curiose quærere, ubicumque sancti clerici vel pauperes essent absconsi, & portans thesauros, prout cuique opus erat, ministrabat. Igitur post hoc B. Sixtus reducitur in Telludem, ut audiretur, & cum eo diaconi Felicissimus & Agapitus. Et sedente Decio ac Valeriano, præsentatus est beatus Sixtus. Ad quem Decius iracundia plenus: Nos, inquit, consulimus senectuti tuæ, audi præcepta nostra, & sacrifica. Respondit beatus Sixtus: Miser tu tibi consule, & noli blasphemare, sed age pœnitentiam de sanguine Sanctorum, quem effudisti. Tunc monente Valeriano, jussit Decius ut ducerentur ad templum Martis, &, si nollent sacrificare, in eodem loco capite truncarentur. Educti ergo foras murum portæ Appiæ, dixit beatus Sixtus ad templum Martis: Destruat te Christus Filius Dei vivi. Cumque respondissent omnes Christiani, Amen, subito cecidit aliqua pars templi, & comminuta est. Tunc beatus Laurentius cœpit clamare: Non me derelinquas pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi, quos tradidisti mihi. Milites autem audientes de thesauris, tenuerunt beatum Laurentium Archidiaconum: sanctos vero Sixtum, Felicissimum, & Agapitum duxerunt in clivum Martis ante templum, & ibi decollati sunt octavo Idus Augusti. Noctu autem venerunt clerici, & maxima pars Christianorum, & collegerunt corpora Sanctorum, & sepelierunt beatum Sixtum in crypta in cœmeterio Callisti in eadem via. Sanctos vero Felicissimum & Agapitum martyres sepelierunt in cœmeterio Prætextati. Decollati autem sunt cum eis & alii quatuor, ut in gestis Pontificalibus legitur, Januarius, Magnus, Vincentius, & Stephanus

Cypr. ep. 82. nus subdiaconi. Passus & cum eis beatus Quartus, ut scribit beatus Cyprianus. Hic beatus Sixtus apud Athenas natus & doctus, prius quidem philosophus, postea Christi discipulus fuit. Sedit in Episcopatu anno uno, mensibus decem, diebus viginti tribus.

Eulogius lib. 2. c. 1. Eodem die in Hispaniis, civitate Compluto, sanctorum Justi & Pastoris fratrum. Qui cum adhuc pueri litteris imbuerentur, projectis in schola tabulis, sponte ad martyrium cucurrerunt: & mox a Daciano teneri jussi, cum se mutuis exhortationibus constantissime roborarent, extra civitatem producti, & in Campo laudabili, a carnificibus jugulati sunt. Ubi etiam in basilica sui nominis quiescunt. *Justi & Pastoris.*

Sixti & soc. VARIA LECTIO. Codices hac die ita habent: „ Romæ, natalis sancti Sixti Episcopi. Qui beatus vir apud Athenas natus & doctus, prius quidem philosophus, postea vero Christi discipulus fuit. Qui post multos, quos perpessus est pro fide Christi, agones, decollatus est ex præcepto Decii, & cum eo Felicissimus & Agapitus Diaconi. Passi sunt autem cum eis & alii IIII. idest Januarius, Magnus, Vincentius, Stephanus Subdiaconi, ut in gestis Pontificalibus legitur. Passus cum eis & beatus Quartus, ut scribit beatus Cyprianus.

Deinde in codice 511. tantum, alio charactere minus antiquo, legitur: *Eodem die* *Transfigura*. *D.N. J. C.* *transfiguratio Domini nostri Jesu Christi ante Petrum, & Jacobum, & Johannem fratrem ejus in monte Thabor.*

Deest in codicibus hac die natalis *SS. Justi & Pastoris*.

Sixti Papæ. ADNOTATIO. *Sixtus* Pontifex & martyr hujus nominis II. una cum *Felicissimo*, & *Agapito* sociisque aliis in tabulis omnium Latinorum vetustioribus hac die celebratur. Kalendarium Bucherianum habet: *Systi, in Callisti, & Pratextati* (supple *cœmeterio*) *Agapiti, Felicissimi*: Kalendarium Carthaginense hac die: *Sancti Systi Episcopi & martyris, Romæ*. Apographum Hieronymianum Lucense, & Corbejense: *Romæ in cimiterio Calisti via Appia, natalis Xisti Episcopi, Felicis* (Corbejense *Felicissimi*) *& Agapiti, Donatiani, Faustini* (Corbejense *Fausti*) *Prætextati, Laurenti, Eppoliti*. Beda, ex quo alii fere omnes acceperunt: *Romæ, S. Xysti Episcopi, Felicissimi, & Agapiti diaconorum: qui decollati sunt sub Decio. Decollati sunt cum eo & alii quatuor subdiaconi, Januarius, Magnus, Vincentius, & Stephanus, ut in gestis Pontificalibus legitur*. Agunt præterea de *Sixto*, *Felicissimo*, & *Agapito* Romanum parvum, Gellonense, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum (in quo quatuor subdiaconi adduntur) Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Wandelbertus, & alii: Rabanus, prout & codices nostri Adoniani, ex quibus forte Usuardus, & Martyrologium Reginæ Suecorum Bedam imitantur. Longe plura de his ex Actis profert Notkerus, quemadmodum & vulgatus Ado. *Quartus* a Beda præteritur, de quo S. Cyprianus. Sed & in libris Liturgicis Latinorum vetustissimis Missarum solemnia de *Sixto*, sociisque hac die prænotantur. In codice Sacramentorum Gelasiano pag. 162. Missa hac die *in natali sancti Syxti* habetur, De SS. *Felicissimo* & *Agapito* desideratur. Item in Missali Gothico pag. 367. *Missa in natale S. Sixti Papæ urbis Romæ* præfigitur. In Gregorianis vero Sacramentariis vetustioribus, ut in Reginæ Suecorum, & Ottoboniano die v. *Augusti* duæ Missæ statuuntur, altera *in natali sancti Xysti Episcopi*, altera eodem die *in natali sancti Felicissimi & Agapiti*. Alia vero Sacramentaria, ut Pamelii, Angeli Rocchæ, Menardi Palat. Vat. 495. & Vat. 4770. duas de his Missas die VI. *Augusti* præfigunt. In Gregorianis fere omnibus eædem orationes leguntur, cum alia precationis formula ad uvam benedicendam, de cujus benedictionis ritu vetustissimo Menardus in Sacramentar. not. 439. 440. In Sacramentario ex codice vetustissimo Veronensi a v. c. Josepho Blanchino edito, Missæ VII.

ſe vii. pag. xxxv. ad viii. *Idus Augusti*. *In natali sancti Xysti in cœmeterio Callisti, & Felicissimi & Agapiti, in cœmeterio Prætextati, via Appia*. Deiode sequitur: *In natali sanctorum Felicissimi & Agapiti*. Ponitur ibi alia de eia Missa. Capitularia Evangeliorum veterrima tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 271. unum tantum Evaogelium *in natali sanctorum Sixti, Felicissimi, & Agabiti* designant, & horum aliqua diem v. aliqua diem vi. *Augusti* præfigunt. Capitulare Martenii agit die vi. Augusti, & In titulo habet: *Natale S. Xysti Episcopi*, aliis prætermissis. Celebrem S. *Sixti* Papæ natalem fuisse in Africa S. Augustini ævo, ex ipsomet Augustino Tractatu xxvii. in Johannem discimus. In codice Vat. 3836. litteris quadratis exarato, in quo Augustini & aliorum Sermones in natalibus sanctorum inter divina officia legendi continentur, pag. 22. hæc prænotantur: *Incipiunt Sermones sancti Augustini de natali sancti Xysti. Scriptum est quartadecima lectione post sancti Laurentii martyris*. Duæ antiquitus in honorem S. *Sixti* extructæ Ecclesiæ celebres fuere, altera in Urbe, altera extra mœnia, & utraque ad *Appiam viam*. Quæ extra mœnia ponitur, illa est, ubi decollatus est. Vide Descriptionem vetustam regionum Urbis apud Mabillonium Analect. tom. iv. pag. 502. nu. 70. 72. & pag. 514. 513. ubi utraque Ecclesia distinguitur. De *Sixti* Ecclesia extra mœnia, ubi ille sepultus, Notitia edita ab Eccardo. De titulo S. *Sixti* in Synodo Romana sub S. Gregorio M., & lib. iv. Dialog. cap. xvi., liber Pontificalis in *Hadriano* I. *Leone* III. *Gregorio* iv. De cœmeterio S. Sixti vide Aringhium lib. III. cap. xv. De Illius reliquiis a Gregorio M. In Angliam missis, adeundus Michael Alfordius in Annalibus Ecclesiæ Anglosaxonicæ ad an. 601., & ad varias ejusdem translationes quod attinet, denique de cultu & aliis vide Bollandianos hac die pag. 124. & *seq*. Illius Acta & sociorum una cum Actis vulgatis S. Laurentii commiscentur. Ea in codice Reginæ Suecorum 528. pag. 100. ita inscribuntur: *Incipit passio sanctorum Syxti, Laurentii, & sancti Ypoliti. In tempore illo Decius Cæsar, & Valerianus præpositus jusserunt* &c. in fine: *Et sepelierunt beatum Sixtum Episcopum & martyrem in cripta in cimiterio Calisti in eadem via. Sanctos vero Felicissimum & Agapitum martyres sepelierunt in cymiterio Prætextati, sub die octavo Id. Augustas*. Plura de *Sixto* & sociis Baronius ad an. 261. n. 1. & *seq*. ex Patrum & aliorum elogiis. Passus est *Sixtus* die vi. *Augusti*, ut patet ex S. Cypriano, & an. 258. ex recentiorum sententia. Huic Pontifici a nonnullis adscriptus libellus sententiarum, qui *Sixti* Pytagorici est; ac novissime, nimirum an. 1725. has sententias eidem *Sixto* Pontifici conatus est vindicare inter heterodoxos Urbanus Godefridus Siberus, sed hujusmodi commenta atque errata refellit Fontaninus in Historia litteraria Aquilejensi lib. v. cap. viii., neque Siberi sententiæ adstipulatur Jo: Albertus Fabricius Biblioth. Græcæ tom. xiii. lib. vi. cap. x. pag. 645. & *seq*.

De *Felicissimo* & *Agapito* nihil nunc superest dicendum, quia de iis hactenus una cum S. *Sixto* egimus. Eorum elogium ab vulgato Adone ex Actis sumptum est. Codices nostri paucis rem complectuntur. De his Bollandiani, ut supra. *Felicissimi & Agapiti*.

Justus & *Paster*, celebres in Hispaniis martyres, a codicibus nostris prætereuntur hac die, & aguot die xxv. *Augusti*. Silent autem de his Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Gellonense, Rabanus, & alii. Agunt autem Usuardus, Ado vulgatus, Florus, Notkerus, & Kalendarium Vat. 3806. Martyrologium Fuldense agit die xxv. *Augusti*. Sollerius in Usuardum hac die, apud antiquiores de his martyribus nihil se reperire scribit, neque ullo modo verisimile esse, Adonem ex Floro elogium accepisse, sed potius existimat ex Actis apud Surium sumpsisse. Videant alii, quanti hæc sit facienda conjectura, præsertim quia *Justi* & *Pastoris* elogium a codicibus Adonianis absit. Cæterum de *Justo* & *Pastore* martyribus Complutensibus meminit Prudentius hymn. iv. & Breviarium Mozarabum, & libellus precum Gothico-Hispanus apud Blanchinum inter opera Card. Thomasii novæ editionis pag 130. Seculo ix. Florebat monasterium *SS. Justi* & *Pastoris* in jugis Cordubensibus, loco *Rojanus* appellato. Ibi A. D. 825. *Abderames* Maurorum in Hispania rex in christianos sæviens, nonnullos monachos ejusdem monasterii martyrio affecit. Vide Mabillon. Annal. Bened. lib. xxxiv. §. xl. De *Justo* & *Pastore* Bollandiani hac die pag. 143. & *seq*. *Justi & Pastoris*.

In Auctariis unius ex codicibus nostris hac die agitur de *Transfiguratione Domini*. Alia quoque Hagingrapha agunt, ut Ottobonianum, in quo habetur: *In Galilea, Transfiguratio Domini*. Ad oram codicis Usuardi Pratensis hac die legitur: *In monte Thabor, Transfiguratio Domini Jesu*. Nos de hac celebritate egimus ad diem xxvii. *Julii*, quare vide quæ ibi adnotavimus. *Transfigurat. D. N. J. C.*

B. VII. IDUS AUGUSTI. 7. Aug.

Greg. dial. lib. 1. c. 7. APud Tusciam, civitate Aretio, natalis sancti Donati Episcopi & martyris: qui nutritus a sancto Pigmenio presbytero, in titulo beati Pastoris eruditus est, non solum in divinis, *Donati*.
verum

verum in humanis litteris sufficientissime. Cum quo & Julianus crevit, & Subdiaconus ordinatus, rejecto postmodum gradu inutilis factus, ad Imperium adspiravit. Quo tempore beatum Pigmenium Romæ in custodia mancipavit, & sanctos patrem & matrem Donati gladio occidit. Donatus vero Lector fuga petiit civitatem Aretium, & habitavit cum Hilarino gloriosissimo monacho, serviens Deo continuis orationibus & jejuniis. Factum est, ut mulier nomine Surana gentilis & pagana, capta oculis, & corde vere cæca, cum unico filio suo Herculeo nomine cellam beati Hilarini, cum quo beatus vir habitabat, requireret: quam fide Christi instructam, ad beatum Satyrum Episcopum Hilarinus & Donatus perduxerunt. Qui fidem ipsius ut accepit, gratias Deo agens, indixit ei jejunium, ut humiliaretur in cilicio, & cinere. Et sic deinde catechizavit eam, & baptizavit tam ipsam quam filium ejus. Et mox aperti sunt oculi Suranæ, cœpitque clamare: Vere Deus Christus est, qui illuminavit oculos meos. Quod factum audiens Apronianus, non multo post attulit filium suum dæmoniacum ad beatum Donatum. Quo orante simul cum Satyro Episcopo, & Hilarino, expulsus dæmon puerum sanum reliquit. Sed & non longo tempore post vir quidam Eustasius, rector Tusciæ, & exactor fisci, dum occupatus alicubi teneretur, supervenientibus hostibus, uxor ipsius Euphrosyna pecuniam fisci abscondit, & paucis diebus succedentibus, absente adhuc viro, defungitur. Rediens autem postmodum vir ejus, invenit uxorem suam mortuam, & pecuniam fisci sibi celari. Qua de re non parum tristis, simul pro requisita pecunia, cum etiam a principibus curiæ supplicia ipsi meditarentur, fugiens idem Eustasius, venit ad beatum Satyrum, & Donatum, & indicavit eis anxietatem animi sui. Stans itaque Donatus super sepulchrum uxoris ipsius, voce magna clamavit: Euphrosyna, per Christum crucifixum te conjuro, ut dicas nobis quid factum sit de pecunia fisci, quia vir tuus pro ea ab exactoribus valde affligitur. Quæ mox de sepulcro respondit: In ingressu domus suffossa latet pecunia, quam quæritis. Recepta igitur est pecunia, liberato Eustasio ab impositione calumniæ. Verum recepto beato Satyro cum patribus suis, ejus loco sacerdotium beatus Donatus suscepit. Cumque die quadam Missas celebrasset populo, & de corpore Christi ac sanguine ipsius populus venerabiliter recrearetur: Diaconus quidam nomine Antimus tradebat sacrum sanguinem Christi, & subito paganorum impulsu cecidit, & sanctum calicem comminuit. Unde valde tristis tam ipse quam populus Christi efficitur. Cujus tristitiam Dominus

minus per beatum ilico Donatum relevavit. Nam collecta sunt fragmenta Dominici calicis, & beato viro allata. Quæ flens ille suscipiens, oratione facta vas in pristinam formam restauravit. Quo signo perculsi pagani, simul cum Christianis, deitatem Christi confessi sunt, ac circiter septuagintanovem animæ in Christum credentes, per baptismum salvatæ sunt. Multis ergo signis Dominus glorificans sanctum suum, ad coronam martyrii provexit. Denique tentus tempore Juliani Imperatoris a Quadratiano Augustali, simul & cum eo Hilarinus vir Dei, jubetur idolis sacrificare. Cui fideliter reluctanti, jussit Quadratianus os lapidibus contundi: Hilarinum vero monachum in conspectu ejus tamdiu fustibus cædi, donec spiritum emitteret: deinde beatum Donatum in custodia recludi. Ubi cum innumera miracula Dominus per servum suum operaretur, misit Quadratianus, & gladio percussit, VII. Idus Augusti. Cujus corpus Christiani juxta civitatem cum veneratione sepelierunt. Martyris vero Hilarini ossa in Ostia civitate tumulata servantur.

Romæ, SS. martyrum Petri, Julianæ cum aliis decem & octo. *Petri, Juliani, & soc.*

al. Fausti. Apud Mediolanum, S. * Faustini tempore Aurelii Commodi martyrizati. *Faustini.*

VARIA LECTIO. Cod. 512. & 514. hac die ita incipiunt: *Octavæ sancti Germani, Inter Episcopos nobilissimi, in divinis scripturis adprime eruditi, sed & omnibus virtutibus adornati. Apud Tusciam &c.* Ed. *Apud Mediolanum, sancti Faustini*. Ita codices nostri. *Octava S.Germ.*

Deest in codicibus 511. 512. 514. hac die natalis SS. martyrum *Petri & Julianæ cum aliis decem*.

Donati. ADNOTATIO. *Donati* Episcopi *Aretini* natalia hac die in vetustioribus Ecclesiasticis monumentis celebratur. Agunt enim de eo Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Gellonense, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Notkarus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Hieronymiana & alii eum *Episcopum & confessorem* dicunt. Beda & alii *Episcopum & martyrem*. Angitur Florentinius in notis pag. 737. num *martyr*, an *confessor*, *Donatus* dicendus sit. *Confessor* dicitur ex prisco Ecclesiæ usu, & *martyr* lato modo. Celebris est illius cultus hac die in libris Liturgicis; nam in codice Sacramentorum Gelasiano pag. 162. habetur hac die Missa in *natali sancti Donati*. In orationibus ibidem *confessor & Episcopus* dicitur. Desideratur Missa in ejusdem natali in Sacramentario Reginæ Suecorum 137. & Pamelii, Angeli Rocchæ, & Menardi, qui tamen not. 440. monet haberi in codice Remensi. Missa hac die in natali *sancti Donati Episcopi* habetur etiam in Sacramentario Palatin. Vatic. 495. Prima oratio est: *Deus tuorum gloria sacerdotum, præsta quæsumus, ut sancti confessoris & Episcopi tui Donati, cujus festa gerimus, sentiamus auxilium. Per*. In Sacramentario Palat. Vatic. 496. eadem oratio habetur, sed ad *confessoris* nomen suprascriptum est *martyris*, ab eodem librario, qui codicem scripsit. Missa item hac die præfigitur in Missali plenario Vat. 4770. ubi in orationibus *confessor & Episcopus* dicitur. Capitulare Evangeliorum Vat. 7107. tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 272. ad oram Evangelium in die S. *Donati* indigitat. In vetustissimis vero monumentis Ecclesiæ Aretinæ *confessor & martyr* appellatur: ut in Diplo-

mate *Luitprandi* Langobardorum regis Ao. D.715.dato, apud Guidonem de Grandis in Appendice monumentorum de Pandectis Florentinis, ubi ita legitur: *Flavius Luitprandus, præcellens Rex sanctæ Catholicæ Aretinæ Ecclesiæ, in qua corpus Christi confessoris & martyris requiescit Donati &c.* Acta, Baronio judice in Notationibus hac die, castigatione indigent. Olim sincerissima fuisse putat, ex quibus fracti calicis sumpsit exemplum S. Gregorius lib. I. Dialog. cap. VII. Hæc expendunt Bollandiani hac die pag. 188. 189. Decessit *Donatus* c. An. D. 362.

Petri & Juliani. De *Petro & Juliano* sociisque, Romæ martyribus silent hac die codices nostri, silet & genuinus Usuardus. Martyrologium Reginæ Suecorum, hac die habet: *Romæ, passio sanctorum XXV. Martyrum*. Ottobonianum: *Romæ, XXV. mart.* Vide quid de his collegere Bollandiani, hac die pag. 187.

Faustini. *Faustini*, seu *Fausti* apud *Mediolanum* martyris pridie hujus diei meminisse videntur Hieronymiana, quæ meminere etiam hac die. *Fausti* item hac die natalem recolit Romanum parvum. *Faustini* vero Ado noster, Rabanus, Usuardus, Notkerus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum. Vide Bollandianos hac die pag. 184. *Faustum* militem, sub Aurelio Commodo, Mediolani passum legit Martyrologium Romanum.

Octav. S. Germani. In duobus ex nostris codicibus hac die *octavæ S. Germani* Autisiodorensis memorantur. De eisdem *octavis* meminit etiam Martyrologium Fuldense hac die.

---

8. Aug.

C. VI. IDUS AUGUSTI.

Cyriaci. ROMÆ via Ostiensi, miliario septimo, * natale S. Cyriaci martyris. Postquam Maximinus Augustus jussit, ut omnes, qui erant in custodia, una cum Cyriaco diacono capite truncarentur, & promiscui sexus numero viginti & unus decollati via Salaria intra thermas Salustii foras muros essent, eorum corpora collegit noctu Joannes presbyter, & sepelivit in eadem via sub die septimo Kalendarum Aprilium. Post dies vero octo, veniens B. Marcellus Episcopus cum Lucina matrona Christianissima, corpora Sanctorum condivit cum aromatibus & linteaminibus, deinde sustulit ea, & transtulit in prædium suum via Ostiensi, miliario ab urbe Roma septimo: & manu sua recondidit in sarcophagis lapideis, cum quibus & B. Cyriacum, octavo die mensis Augusti. Carpasius vero vicarius petiit domum beati Cyriaci, quam donaverat ei Diocletianus Augustus: & eam statim Maximinus Augustus concessit, & ingressus in eam invenit locum ubi S. Cyriacus fontem ædificaverat, quem consecraverat S. Marcellus Episcopus, ubi venientes ad fidem baptizabat S. Cyriacus. In quo loco Carpasius balneum sibi statuit. Et dum lavissent & epulas exhibuissent Carpasius & novemdecim pariter cum ipso, ac deriderent fidem Christianam, subito ceciderunt, & mortui sunt. Beatorum autem Martyrum passiones, id est Cyriaci, Largi, & Smaragdi, suis locis in præsenti Kalendario notatæ sunt XVII. Kalendas Aprilis, sub Maximino Augusto & Carpasio vicario.

* Translatio ejus Cyriaco & sociis ejus habetur in gestis Marcelli Papæ. 16. Jan.

Severi. Apud Viennam, Galliæ urbem, natalis sancti Severi presbyteri & confessoris: qui, ut ejus gesta testantur, natione Indus, fide Christi fervens, causa Evangelii prædicandi, laboriosissima

riosissima peregrinatione suscepta, etiam ad præfatam urbem deveniens, ingentem paganorum multitudinem verbo & miraculis ad fidem Christi convertit. Dumque in pace quievisset, conditus in basilica S. Stephani, signis clarus, mira fidelium veneratione colitur.

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. & 514. ita habent:

„ Romæ, sancti Ciriaci martyris, qui passus est XVII. Kal. April. sed postea beatus Marcellus Episcopus pariter cum beata Lucina transtulit in prædium suum sacrum corpus ejus, pariterque sociorum ipsius, via Ostiensi, miliario ab Urbe VII. & manu sua recondidit cum aromatibus in sarcofagis lapideis VIII. die mensis Augusti, quando & celebrem eisdem Pontifex statuit festivitatem. Vienna, natalis sancti Severi presbyteri (*cod.* 511. hinc nacione indutus, *cod.* 512. 514. Hic natione Indiis) fide Christi fervens, causa Evangelii prædicandi, laboriosissima peregrinatione suscepta, & com (sic) ad præfatam urbem deveniens, ingentem paganorum multitudinem verbo & miraculis ad fidem Christi convertit. Cumque in pace quievisset, conditus est in basilica sancti Stephani, ubi signis clarus, mira fidelium veneratione colitur.

Sequitur in codice 511. tantum, sed alieno charactere, minus antiquo, & erasis e codice aliis litteris: *Ipso die, natalis sancti Justini Episcopi & martyris.* *Justini.*

Cyriaci. ADNOTATIO. De *Cyriaco*, postquam Ado, & alii egerunt die XVI. *Martii*, iterum agunt hac die. Kalendarium Bucherianum ad VI. *Idus Augusti* habet: *Ballistaria* [forte legendum: *Via Salaria*] *Cyriaci, Largi, Crescentiani, Memmiæ, Julianæ, & Smaragdi*. Apographa Hieronymiana hac die: *Secundini, Severiani, Carpofori, Victorini, Albani* (Corbejense *Albini*). *Et in via salutari* (Corbejense *Salaria*) *Hesteasi, Cyrici, Largi, Crescentiani, Memmiæ, Julianæ, Griacitis, & Smeragdi, Secundini, Albani, Victorini, Faustini, Donatæ, Felicis*. Hi omnes simul decem & octo numero sunt. Beda genuinus: *Natalis sancti Cyriaci*, tantum. Romanum parvum: *Romæ, via Ostiensi, Cyriaci martyris cum aliis* XXI., *quando* VIII. *die mensis Augusti reconditi sunt*. Gellonense, Augustanum, & Labbeanum: *Romæ, Secundini, Ciriaci, Nazari, Agapæ virginis, Severiani, Victorini, Largi. Alibi, Metrotæ* [al. *Metrodoræ*] *virginis*. Rhinoviense, & Richenoviense mixtim cum aliis *Cyriaci & Largi* meminere. Martyrologium Reginæ Suecorum, alio charactere habet: *Eodem die, sancti Cyriaci martyris*. Martyrologium Fuldense: *Romæ, commemoratio sancti Cyriaci martyris, sociorumque ejus*. Ottobonianum: *Natalis sancti Cyriaci martyris*, tantum. Rabanus in elogio hac die, *Cyriacum* passum scribit cum aliis *viginti & uno*. Usuardus vero hac item die commemorat *Cyriacum* diaconum, *Largum, & Smaragdum* cum aliis *viginti*. Notkerus plura ex Actis profert: *Cyriacum, Largum, & Smaragdum* passos esse cum aliis *viginti* narrat, quorum corpora *via Salaria* sepulta XVIII. *Kal. Aprilis*, deinde a *Lucina* in prædium suum *via Ostiensi*, milliario ab Urbe *septimo*, die VIII. *Augusti* relata fuerint. Agunt de *Cyriaco* item hac die Wandelbertus, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. *Cyriaci, Largi, Crescentiani*, & aliorum nomina celebrant die X. Augusti Rhinoviense, & Richenoviense. Mira est in veteribus Hagiographis perturbatio in nominibus horum martyrum enuntiandis. Hieronymiana alios martyres cum eis commiscent, ac eos præsertim, de quibus pridie hujus diei Kalendarium Bucherianum ita præfert: *Secundi, Carpophori, Victorini, & Severiani. Albano, & Ostiense*. Variæ antiquitus in honorem S. *Cyriaci* in Urbe, & extra sacræ memoriæ apud veteres offenduntur. De Ecclesia S. *Cyriaci* ab *Honorio* I. *via Ostiensi* ædificata, meminit liber Pontificalis in vita, & in *Paschali* I. & in *Benedicto* III. Fuit & in Urbe titulus S. *Cyriaci, in thermis* appellatus, de quo idem auctor in *Hadriano* I. & *Benedicto* III. De basilica S. *Cyriaci* martyris agit idem Pontificalis liber in *Leone* III. *Paschali* I. & *Gregorio* IV. Statio olim feria III. post Dominicam V. Quadragesimæ ad S. *Quiriacum* assignata erat; apud Mabillonium in libello Stationum additur: *in thermis*. Ea solo æquata, Statio illa die translata est ad Diaconiam S. *Mariæ in via lata*, &

ad S. *Quiriacum* prope forum *Nervæ*. Non longe ab eadem Diaconia S. *Mariæ in via lata*, fuit olim Ecclesia & monasterium Sanctimonialium, S. *Cyriaci* martyris, & S. *Nicolai* confessoris nominibus insignitum, *post medium seculum* Christi decimum institutum, ut innuit Mabillonius Annal Bened. lib. LVII. §. LXV. quod postmodum in eandem Diaconiam coaluit. In vetustioribus illius monasterii monumentis, in eadem Diaconia asservatis, A. D. 972. die XIV. *Junii* memoratur *Agatha religiosa ancilla Dei & Abbatissa venerabilis monasterii sancti Christi martyris Cyriaci atque Nicolai confessoris*. In descriptione pervetusta regionum Urbis, ab eodem Mabillonio tom. IV. Analectorum edita, non semel S. *Cyriaci* Ecclesiæ occurrunt, ut pag. 506. 509. inter S. *Hadrianum*, & *Forum* Romanum. Item pag. 507. in *thermis Diocletiani*. Hujus vestigia exstabant in vinea Carthusianorum ad Diocletianeas thermas, ut nos docet Famianus Nardinus lib. IV. cap. VII. veteris Romæ. Invocatur S. *Cyriacus* post sanctos *Felicissimum & Agapitum* in vetustis Litaniis ex codice Floriacensi. In libris quoque Liturgicis Gregoriani ritus Missa prænotatur hac die in natali S. Cyriaci, ut in Sacramentario Reginæ Suecorum, & aliis. Apud Pamelium orationes hæ designantur: *Deus, qui nos annua beati Cyriaci martyris* &c. Secreta: *Accepta sit*. Alia: *Suscipe, Domine*. Post com. *Refecti*. Alia: *Quæsumus, Domine*. In Sacramentario Menardi, & Angeli Rocchæ habentur tantum orationes: *Deus, qui nos annua*. *Suscipe, Domine*. Et: *Quæsumus, Domine*. In Sacramentario Palat. Vat. 495. *Deus, qui nos annua*. *Accepta sit*. *Refecti*. Nunc in his orationibus adduntur nomina *Largi*, *& Smaragdi*. Capitularia Evangeliorum tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 272. hac die Evangelium: *Nihil opertum* &c. in *natali* S. *Cyriaci* habent, aliud legitur hodie in Missali Romano. Acta *Cyriaci* & sociorum nonnihil corrupta esse monet Baronius ad annum 298. n. XIII. & ad an. 309. num. VI. Vide quid de his habeant Bollandiani hac die p. 327. *& seq.* De *Cyriaco* vide item Baronium in Notationibus hac die, & Sollarium in Usuardum. Confer etiam quæ ad diem XVI. *Martii* adnotavimus.

Severi. *Severi* presbyteri elogium breviter contractum est ab Usuardo, deinde fere ad verbum ex Adone a Notkero acceptum. Alii silent. Floruit sæculo Christi V. De eo Bollandiani silent hac die. Martyrologium Romanum agit hac die, ubi nonnulla Baronius de eo in Notationibus ex Adone in chronico ad A. D. 452.

Justini. *Justinus* Episcopus & martyr, de quo in Auctariis hac die, memoratur in Auctariis Usuardi, sed *martyr* tantum, non *Episcopus* & martyr dicitur. In editione Muncrati post textum legitur: *Ipso die, sancti Justini martyris, cujus corpus requiescit in magna Ecclesia beatæ virginis de Parisius*. De eo nihil hac die in Martyrologio Romano. Bollandiani hac die pag. 385. in prætermissis de *Justino* martyre die I. *Augusti* se egisse monent, ubi pag. 30. pluribus de illius cultu, & elogiia commentaria edidere.

---

9. *Aug.* *D. V. IDUS AUGUSTI.*

Vigilia S. Laur. VIgilia sancti Laurentii.

Romani. Eodem die, Romæ, sancti Romani militis, qui confessione sancti Laurentii compunctus petiit ab eo baptizari: & mox jubente Decio, cum fustibus exhibitus ac decollatus est. De hoc in vita sancti Laurentii 10. Aug.

VARIA LECTIO. Codex 512. post verbum: *decollatus est*, habet: *Eodem die Lemovicensis* (sic) *in vico brivia, natalis sancti Martini martyris.* *Martini.*

Vigil. S. Laur. ADNOTATIO. *Vigilia S. Laurentii* celebratur hac die a Beda, Romano parvo, Adone, Usuardo, Augustano, Martyrologio Reginæ Suecorum, & Ottoboniano. In libris quoque Liturgicis vetustissimis hac die Missa *in vigilia S. Laurentii* prænotatur, ut in Gelasiano pag. 163. una cum Præfatione propria, in Gregorianis, & in Capitularibus Evangeliorum. Cur *vigiliæ S. Laurentii* peculiari præ ceteris martyribus cultu agantur, nonnulla ex conjectura affert Baronius in Notationibus hac die.

Romani. *Romanus* miles, *Romæ* passus, colitur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Rabano, Adone nostro, Usuardo, Wandelberto, Notkero, Martyrologio Reginæ Suecorum, Fuldensi, Ottoboniano, & Kalendario Vat. 3806. Silent Gellonense, Rhinoviense, Labbeanum, & Cor-

& Curbejense brevius. Augustanum alio charactere habet: *Romæ, natalis sancti Romani.* De illius martyrio in Actis S. Laurentii, ex quibus Bollandiani hac die pag. 408. *& seq.* De S. *Romano* Antiocheno martyre Ruinartius pag. 378. *& seq.*

Martial. *Martianus* martyr, de quo unum ex nostris apographis, præteritur hac die a genuino Usuardo, habetur tamen in ejus Auctariis, his verbis: *Apud Brivam, sancti Martini martyris.* Richenoviense: *In urbe Lemovicas, Martini.* Augustanum: *In Brivensem* (pro *In Brivense*) *Martini.* Labbeanum: *In Brivense, Martini.* Præteritur a Romano Martyrologio. Agunt de eo hac die Bollandiani socii pag. 412. *Briva Curretia* in Lemovicis, vulgo *Brive la Gaillarde* dicitur. De ea Valesius in Notitia pag. 100.

E. IV. IDUS AUGUSTI. *10. Aug.*

ROMÆ, Natale sancti Laurentii Archidiaconi, & martyris *Laurentii.* sub Decio. Cui beatus Sixtus omnes facultates Ecclesiæ & thesauros, pergens ad coronam martyrii, tradidit. Hic veniens in Cælium montem, ubi erat quædam vidua, in viduitate trigintaduos annos habens, in cujus domo multi Christiani, & presbyteri, & clerici absconsi manebant, tulit vestes, & thesauros Ecclesiæ, & cœpit erogare, & pedes omnium Christianorum lavare. Ad cujus pedes Cyriaca vidua cadens: Per Christum, inquit, te conjuro, ut manus tuas ponas super caput meum, quia multas infirmitates capitis patior. Beatus Laurentius, facto signo Crucis, posuit manus super caput viduæ, & linteum, de quo extergebat pedes sanctorum. Transiens autem in vicum, qui dicitur Canarius, invenit multos Christianos in domo Narcissi Christiani congregatos, & lavit pedes omnium, & dedit eis de thesauro. Erat in eadem domo homo cæcus, nomine Crescentio, qui cœpit rogare beatum Diaconem, ut poneret manum suam super oculos ejus. Tunc beatus Laurentius lacrymans dixit: Dominus noster Jesus Christus, qui aperuit oculos cæci nati, ipse te illuminet: & facto signo Crucis, aperti sunt oculi ejus. *Joan. 9.* Cum jam ergo duceretur beatus Sixtus cum duobus Diaconibus, ut martyrium suum consummaret, & beatus Laurentius clamaret adveniens, non me derelinquas, Pater sancte, quia thesauros tuos jam expendi, quos tradidisti mihi, tentus est a militibus, & traditus Parthenio tribuno. Qui nuntiavit Decio, quod Laurentius, qui haberet thesauros reconditos, Archidiaconus Sixti in custodia teneretur. Qui gavisus, fecit eum sibi præsentari, & auditum, tradidit Valeriano præfecto: qui & ipse dedit eum in custodiam cuidam Hippolyto: & Hippolytus reclusit eum cum multis. Erat autem ibi homo, Lucillus nomine, cæcus, ad quem sanctus Laurentius: Crede, inquit, in filium Dei Dominum Jesum Christum, & baptizare, & illuminabit te: Respondit Lucillus: Ego semper desideravi baptizari in nomine Domini Jesu Christi. Tunc beatus Laurentius

tius catechizavit eum, & accepta aqua baptizavit, & illuminati sunt oculi ejus. Hoc factum audientes multi cæci veniebant ad beatum Laurentium, & ponebat manum suam super oculos eorum, & illuminabantur. Videns hoc Hippolytus, credidit, & catechizatus atque baptizatus est. Itaque ex mandato adductus est beatus Laurentius ante conspectum Valeriani, qui dixit beato Laurentio: Jam depone pertinaciam, & da thesauros, quos apud te cognovimus esse reconditos. Cui sanctus Laurentius: Da mihi inducias biduo aut triduo, & proferam tibi thesauros. Ab eadem die cœpit colligere cæcos, & claudos, debiles, & pauperes, & abscondit eos in domo Hippolyti. Valerianus autem nuntiaverat Decio, quia promisisset, datis sibi induciis, Laurentius thesauros. Completis igitur tribus diebus, præsentavit se in palatio Salustiano. Et dixit ei Decius: Ubi sunt thesauri, quos pollicitus es præsentare? Beatus Laurentius collectam multitudinem pauperum introduxit in palatium, & voce magna dixit: Ecce isti sunt thesauri æterni, qui nunquam diminuuntur, nec decrescunt: qui in singulis aspergitur, & in omnibus invenitur. Valerianus præfectus dixit: Quid varias per multa? Sacrifica diis, & obliviscere artes magicas, in quibus confidis. Cui cum dixisset B. Laurentius; Quare vos coarctat diabolus, ut Christianis dicatis, sacrificate dæmoniis? Decius iratus jussit eum expoliari, & cædi cum scorpionibus. Qui cum cæderetur, dicebat: Ego quidem gratias ago Deo meo, qui me dignatus est conjungere servis suis: tu miser torqueris insania tua, & furore tuo. Tunc Decius, Levate (inquit) eum, & date ante conspectum ejus omne genus tormentorum. Et allatæ sunt laminæ ferreæ, & lecti, & plumbati, & cardi. Post vinctus catenis, ductus est beatus Laurentius in palatium Tiberii, ut ibi gestis audiretur. Et sedit Decius pro tribunali in basilica Jovis. Et præsentato Laurentio cum dixisset, Sacrifica diis, & noli confidere in thesauris, quos habes absconditos: beatus Laurentius libere respondit: Vere & confido, & securus sum de thesauris meis. Unde iracundia plenus Decius, jussit eum nudum fustibus cædi. Qui cum cæderetur, clamabat ad Cæsarem: Ecce miser vel modo cognosce, quia triumpho de thesauris Christi, & non sentio tormenta tua. Adhuc Decius fustes augere, & dare ad latera ejus laminas ardentes jubet. Beatus vero Laurentius dixit: Domine Jesu Christe, Deus de Deo, miserere mihi servo tuo: quia accusatus non negavi; interrogatus, te Dominum Jesum Christum confessus sum. Et cum diutissime cum plumbatis cæderetur, dixit: Domine Jesu Christe, qui pro nostra salute digna-

dignatus es formam servi accipere, ut nos a servitio dæmonum liberares, accipe spiritum meum. Et audita est vox: Adhuc multa certamina tibi debentur. Porro extensus in catasta, & scorpionibus gravissime cæsus est: qui subridens, & gratias agens, dicebat: Benedictus es, Domine Deus, Pater Domini nostri Jesu Christi, qui nobis donasti misericordiam, quam meriti non sumus. Sed tu, Domine, propter tuam pietatem da nobis gratiam, ut cognoscant omnes circumstantes, quia tu consolaris servos tuos. Tunc unus ex militibus nomine Romanus credidit Domino Jesu Christo, & dixit beato Laurentio: Video ante te hominem pulcherrimum stantem cum linteo, & extergentem membra tua: adjuro te per Christum, qui tibi misit Angelum suum, ne me derelinquas. Levatus igitur beatus martyr de catasta, & solutus, redditus est Hippolyto tantum in palatio. Veniens autem Romanus afferens aquam, misit se ad pedes beati Laurentii, ut baptizaretur, qui benedicta aqua, baptizavit eum. Quod factum audiens Decius jussit eum sibi exhiberi cum fustibus. Non interrogatus, cæpit clamare, Christianus sum. Et jubente Decio eductus foras muros portæ Salariæ, decollatus est quinto Idus Augusti. Cujus corpus noctu collegit Justinus Presbyter, & sepelivit in crypta in agro Verano. Decius autem Cæsar pergit noctu ad thermas juxta palatium Salusti: & exhibitus est ei iterum sanctus Laurentius, & allata sunt omnia genera tormentorum; plumbatæ, fustes, laminæ, ungues, lecti, batuli, & dixit beato martyri: Jam depone perfidiam artis magicæ, & dic nobis generositatem tuam. Cui beatus Laurentius: Quantum ad genus, Hispanus sum, eruditus ac nutritus Romæ, & a cunabulis Christianus, eruditus omnem legem sanctam, & divinam. Et Decius: Sacrifica diis; nam nox ista expendetur in te cum suppliciis. Mea, inquit Laurentius, nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. Et cum cæderetur lapidibus os ejus, ridebat, & confortabatur, ac dicebat: Gratias tibi ago, Christe, quia tu es Deus omnium rerum. Allatus est autem lectus cum tribus costis: & exspoliatus beatus Laurentius vestimentis suis, extentus est in cratem ferream: & allati sunt batuli cum prunis, & miserunt sub cratem ferream. Qui cum furcis ferreis coarctaretur desuper, dixit Decio: Ego me obtuli sacrificium Deo in odorem suavitatis: quia sacrificium Deo est spiritus contribulatus. Carnifices tamen urgentes, ministrabant, carbones mittentes subter cratem, & desuper comprimentes eum furcis ferreis. Sanctus Laurentius dixit: Disce miser, quanta est virtus Dei mei. Nam carbones tui mihi refrige-

frigerium præstant, tibi æternum supplicium: quia ipse Dominus novit, quod accusatus, non negavi, interrogatus, Christum confessus sum, assatus gratias ago. Et vultu pulcherrimo dicebat: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, qui me confortare dignatus es. Et elevans oculos suos in Decium, dixit: Ecce miser, assasti unam partem, regyra aliam, & manduca. Gratias igitur agens, & glorificans Deum, dixit: Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia januas tuas ingredi merui: & emisit spiritum. Mane autem primo adhuc crepusculo, rapuit corpus ejus Hippolytus, & condivit cum linteis, & aromatibus. & hoc factum mandavit Justino presbytero: Tunc beatus Justinus, & Hippolytus plorantes, & multum tristes tulerunt corpus beati martyris, & venerunt in via Tiburtina, in prædium matronæ viduæ Cyriacæ in agro Verano, ad quam ipse martyr fuerat noctu, cui & linteum dedit, unde pedes sanctorum exterserat, & illud ibi jam hora vespertina sepelierunt, IV. Idus Augusti. Et jejunaverunt agentes vigilias noctis triduo, cum multitudine Christianorum. Beatus autem Justinus presbyter obtulit sacrificium laudis, & participati sunt omnes.

Claudii, & soc. Eodem die Romæ, Militum CLXV. tunc passi sunt Claudius, Severus, Crescentio, & Romanus, ipso die, quo beatus Laurentius, post tertium diem passionis sancti Sixti.

V*ARIA LECTIO*. Codex 511. 512. 514. hac die ita habent:
„ Romæ, natalis sancti Laurentii, qui post plurima tormenta carceris, verberum diversorum, laminarum ardentium, ad ultimum in craticula ferrea assatus, gloriosum, & omni laude dignissimum complevit martyrium. Eodem die, Romæ militum CLXV.

Quæ aliter in editis leguntur, in codicibus desiderantur.

Laurentii. A*DNOTATIO*. In fastis omnibus Latinorum, ac etiam Græcorum hac die celeberrimus *sanctus Laurentius* martyr colitur. Agunt enim Kalendarium Bucherianum, Polemeius Silvius, Carthaginense, Hieronymiana, Beda, Romanum parvum, Gellonense, Rabanus, Ado, Usuardus, Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Rhinoviense, Richenovicense, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense brevius, ac ceteri omnes. Codices nostri elogium Bedæ fere ad verbum descripserunt, omisso *Decii* nomine. In libris quoque Liturgicis vetustissimis ubique gentium apud occidentales Missarum solemnia *in natali sancti Laurentii* prænotantur, ut in Gelasiano pag. 164. In Missali Gothico pag. 368. & in Missali ac Breviario Muzarabum, & in Sacramentario Blanchini pag. XXXVI. Item in Capitulari Epistolarum ad usum Ecclesiæ Mediolanensis. In Sacramentariis Gregorianis, & in Capitularibus Evangeliorum tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag 272. duæ Missæ in hac celebritate statuuntur, quarum altera *prima Missa*, seu *Missa mane prima*, altera *Missa publica* dicitur. De duabus hisce Missis adeundus Menardus in notis. Sed consulendus in primis Baronius in Notationibus hac die, & ad annum. VI. & *seq.* Basilicam *sancto Laurentio* martyri, *via Tiburtina*, fecisse dicitur *Constantinus* Augustus, in libro Pontificali in Vita sancti Silvestri. *Sixtus* III., eodem Pontificali libro teste, sepultus est *via Tiburtina*, *juxta corpus*

corpus beati Laurentii. *Hilarus* item Papa, ex eodem libro, sepultus est ad *sanctum Laurentium in crypta, juxta corpus beati Episcopi Sixti*. Notitia edita ab Eccardo ita habet: *Et prope eandem viam* (Tiburtinam) *Ecclesia est sancti Laurentii major, in qua corpus ejus primum fuerat humatum, & ibi basilica nova miræ pulchritudinis, ubi ipse modo requiescit.* Sed & de *sancti Laurentii* cœmeterio adeundus Aringhius. Plures olim & adhuc etiam in honorem sancti Laurentii intra Urbem visuntor Ecclesiæ, de quibus frustra esset agere. Ad Acta quod pertinet, de iis erudite inter recentiores Ruinartius pag. 180. & *seq.* ubi Actorum loco hymnum Prudentii affert. Acta Græca ex codice pervetusto laudantur a Lambecio lib. VIII. pag. 121. & 124. Acta Latina a nonnullis depravata sunt, de quibus Baronius, ac Norisius Differt. III. de Epochis Syro-Macedonum pag. 394. editionis Lipsiensis. Hæc Acta prænotantur in codice Reginæ Suecorum 528. pag. 100. quorum exordium est: *Incipit passio sancti Laurentii martyris. Tempore, quo Decius &c.* usque, *& partecipati sunt omnes.* Vide de his Bollandianos, & de celeberrimo toto terrarum orbe Laurentii cultu, hac die pag. 485. & *seq.* In codice Vat. 3836. seculi VIII. pag. 22. & *seq.* habentur varii sancti Augustini *de sancto Laurentio* Sermones, qui inter divina officia legebantur.

Martyres CLXV. *Romæ*, coluntur hac die a Romano parvo, & Usuardo. Notkerus habet *centum & quinquaginta quinque*. Codices nostri ea prætereunt, quæ vulgatus Ado subjicit, quemadmodum & ab Usuardo prætereuntur; de quibus plura disquirens Sollarius, nonnulla ex conjectura animadvertit. *Martyrum* CLXV.

A. III. IDUS AUGUSTI. 11. *Aug.*

De his in gestis sancti Sebast. 20. Jan.

ROMÆ, inter duas lauros, natalis sancti Tiburtii martyris, filii Chromatii urbis præfecti, quem erudierunt in fide B. Sebastianus, & sanctus Tranquillinus, ac gloriosus presbyter Polycarpus, qui ipsum sacro fonte Baptismatis innovavit, & familiam ejus promiscui sexus mille quadringentos cum eo pariter baptizavit. Hujus etenim filius Tiburtius, cum propter immanitatem persecutionis idem pater ejus, & ingens multitudo Christianorum cum illo in Campaniam ex consilio Pontificis Caii perrexisset, amore martyrii flagrans resedit in urbe Roma. Et cum jejuniis, & orationibus ibi cum beato Cajo Papa occuparetur, quadam die transiens occurrit homini, qui de alto lapsus fuerat, & ita caput, & omnia membra quassaverat, ut de sola sepultura ejus ageretur. Juxta quem ipse accessit, & cœpit dicere super vulnera ejus lente orationem Dominicam, & Symbolum: & ita factus est homo solidatis membris incolumis, quasi nihil mali contigisset ei. Tunc apprehendens parentes ejus, segregavit eos a turbis, & indicavit eis virtutem nominis Christi: & videns animum eorum fixum fortiter in timore Domini, perduxit eos ad Cajum Papam. Qui juvenem sanatum Deo gratias referentem, & parentes ejus pariter baptizavit. Interea dum procella persecutionis graviter inundaret, junxit se quidam simulata fide beato Cajo. Porro hic apostata extiterat, & erat fraudolentus in omni sermone, & callidus in omni commissu. Qui dum a beato Tiburtio viro scholasticissimo, & nobili, & sancto, frequenter argueretur, quod capillos su- *Tiburtii.*

per apicem frontis tonsoris arte componeret, & quod assidue pasceret, & ludendo pranderet, quod libentius feminarum se adspectibus daret, quod a jejuniis, & orationibus se tolleret, quod somno deditus non interesset pervigil in hymnis Dei: dum, inquam, pro his a beato Tiburtio acrius argueretur, simulabat se æquanimiter monitionem accipere, & egit arte quatenus orantem sanctum Tiburtium pagani comprehenderent, in qua comprehensione seipsum fecit teneri, & simul duci ad secretarium Judicis. At ubi introducti sunt, Fabianus dixit ad eum, qui se arte tradiderat: Quis diceris? Ille respondit: Torquatus. Quid profiteris? Christianus sum, inquit. Fabianus dixit: Ignoras quod jusserunt invictissimi Principes, ut qui sacrificare diis noluerint, diversis suppliciis macerentur? Torquatus ait: Hic magister meus est, & ipse me semper docuit: quod hunc videro facere, necesse est ut hoc faciam. Fabianus conversus ad Tiburtium ait: Audisti quid Torquatus asserit? Sanctus Tiburtius respondit: Torquatus diu est quod se Christanum esse mentitur; virtus enim ipsa nominis sancti, graviter fert & moleste, suum nomen non a suis moribus usurpari. Revera enim, vir illustrissime, hoc Christianum vocabulum divinæ virtutis est, sectatorum scilicet Christi, qui vere philosophati sunt, qui vere Christiani dicti sunt, qui ad obterendas libidines fortiter militarunt. Ne credas, vir illustrissime, hunc esse Christianum, qui in lenocinio sui moliendo capitis * fibras omittit, qui tonsorem diligit, qui in scapulis molliter gestit, qui fluxum gressum improbo nisu distendit, qui viros negligenter agit, feminas diligentius intuetur. Nunquam tales pestes Christus dignatus est habere servos. Verum hic quoniam me se imitaturum asserit, hic in tuo conspectu probabis eum mentitum. Hic enim qualis semper fuerit, nunc evidenter ostendet. Fabianus dixit: Consultius facies, si saluti tuæ consulens, Principum decreta non contemnas. Tiburtius respondit: Ego saluti meæ melius non consulo, quam ut deos deasque contemnens, unum Deum Jesum Christum confitear. Torquatus adjecit: Non solum ipse Christianus crudelis est, verum etiam multis persuadet, & decipit, ac cum suis sociis, cum quibus magicas artes exercet, diu noctuque incantationibus occupatur. Sanctus Tiburtius dixit: *Falsus testis non erit impunitus*: iste quem vides, vir illustrissime, malitiæ suæ curis æstuans, ad nihil aliud Christianis est junctus, nisi ut cogitaret, quomodo se nobis quasi Christianum ostenderet, & quomodo aliis se fidelissimum mentiretur. Reprehendebam tamen in eo Cyclopæam edacitatem, emersum vino putorem, & sepul-

* *Al.* vibras committit, *vulgo*, fimbrias admittit.

Prov. 19.

ſepultam divini nominis ſanctitatem. Ebrius patiebatur ſitim, & eſuriem vomens, nec ut Chriſtianus, ſed ut Antonianus quondam ille conviva, manducabat, bibebat, vomebat: & nunc Chriſtianos arguit, Chriſtianos accuſat, in nos mitem Judicem incitat, gladium nolenti Judici porrigit, & ut dæmoniis cervices noſtras inclinemus, hortatur. Videmus votum tuum, videmus cruenta conſilia, & ſcelerata arte verborum venena tui pectoris intuemur. Accingere nunc, o ſceleratiſſime, utere carnificis officio, vendica tibi & ipſius Judicis vocem, applica eculeos, appende Chriſtianos, damna, percute, incende, bene nos accipis. Si exilium minaris; hoc philoſophantibus totus eſt mundus. Si ſupplicium; evadimus mundi carcerem. Si ignes; majora his incendia in cupiditatibus vincimus. Decerne quidquid libet. Omnis nobis vilis eſt pœna, ubi pura comes eſt conſcientia. Poſt hæc Fabianus, cum veriſſime juvenis ſanctiſſimus Chriſtum confiteretur, juſſit ante pedes ejus carbones ardentes effundi, dicens ad eum: Elige tibi unum de duobus, aut thura in iſtis carbonibus adjice, aut pedibus ſuper eos nudis incede. Ille autem faciens ſignum crucis conſtanter ſuper eos nuda ingreſſus eſt planta, & cœpit dicere: Depone infidelitatem, & diſce quia hic ſolus eſt Deus, quem confitemur creaturis omnibus dominari: Nam mihi in nomine Domini mei Jeſu Chriſti videtur, quod ſuper roſeos flores ingrediar, quia creatura ipſa creatoris famulatur imperio. Cui Fabianus: Quis ignorat artem magicam vos docuiſſe Chriſtum veſtrum? Obmuteſce infelix, exclamat Tiburtius, & noli auribus meis hanc injuriam facere, ut audiam te rabido ore latrantem mellifluum nomen & ſanctum nominare. Iratus Fabianus dictavit ſententiam, ut gladio animadverteretur. Ductus autem in via Lavicana tertio miliaro ab urbe, uno ictu gladii percuſſus abſceſſit. In eodem autem loco a quodam parente Chriſtiano ſepultus eſt 111. Idus Auguſti.

Eodem die Romæ, natale ſanctæ Suſannæ virginis & martyris, ſub Diocletiano, & Maximiano Auguſtis, judice Macedonio. Fuit autem filia glorioſi presbyteri & martyris Gabinii, fratris Gaii Epiſcopi & martyris, nobili ſatis orta progenie, quam pater nutriverat, & divinis litteris imbuerat. Audiens itaque Diocletianus de puella, quod pulchritudine, & ſapientia præcelleret, miſit ad Gabinium quemdam qui erat ex genere ejus conſobrinum ſuum, nomine Claudium, & petivit eam Auguſto Maximino filio ſuo in conjugem. Veniens denique Gabinius ad filiam ſuam Suſannam, rogavit intereſſe Gajum Epiſcopum urbis, avunculum ejus, & narravit eis quomodo Diocletianus Au- *Suſanna.*

guſtus direxiſſet Claudium conſobrinum eorum, ut Suſannam ſuo filio Maximino in conjugem peteret. Quæ Spiritu ſancto corroborata, conjugium hujuſmodi reſpuit. Et reſpondens patri, & avunculo, dixit: Pater, ſcio quia de ore tuo ſum erudita, ut caſtitatem ſtudeam ſervare, & pudicitiam Domino Jeſu Chriſto exhibere: in ejus ergo timore jam conſtituta, nunquam coinquinabor virili commixtione, ſed cui me ſemel tradidiſti, ipſi ſervio, & in ipſo confido. Ipſe enim novit conſcientiam meam. Proinde Claudius ipſe reſpondens ei, & aperiens votum Diocletiani, cum nullo modo ejus animum potuiſſet inclinare, ut conjungeretur Maximino filio ejus, ſed inſuper eruditus, & inſtructus in via Dei a beatis Gajo, & Gabinio, pœnitentiam de ſanguine, quem effuderat, popoſciſſet, baptizatus eſt una cum uxore ſua nomine Præpedigna, & filiis Alexandro, & Cutia, & intantum in fide convaluit, ut omnes facultates ſuas venderet, & pauperibus Chriſtianis erogaret: & quoſcumque adire poterat, qui in cuſtodia tenebantur, victu, & veſtimentis relevabat, mittens ſe ad pedes ſingulorum, atque orationis gratiam ab eis tantum exoptans. Interea dum poſt menſem unum & dies ſexdecim requiritur a Diocletiano, & reſponſum eſt ei quod ægritudine teneretur, miſitque fratrem ejus ad eum nomine Maximum, comitem rei privatæ, ut viſitaret eum, & ageret cum illo de puella Suſanna. Veniens igitur Maximus invenit Claudium in cilicio orantem, & obſtupuit: cumque rem pro qua venerat per ordinem enarraſſet, perduxit eum Claudius ad domum beati Gabinii, & diligenter ei beatus Gabinius, & ſanctus Gajus viam Domini expoſuerunt. Unde compunctus credidit Maximus, & baptizatus eſt. Ab eadem vero die cœpit facultatem ſuam vendere per quemdam amicum ſuum nomine Thraſonem Chriſtianiſſimum togatum, qui occultus Chriſtianus erat, quem ante multos annos beatus Gajus baptizaverat. Qui circumiens nocturnis horis vicos, & carceres, pauperibus Chriſtianis neceſſaria miniſtrabat, & geſta eorum colligebat, memoriaſque exornabat. Poſt dies xv. nota facta ſunt omnia Diocletiano, & miſit Julium, qui Claudium, & Maximum, Præpedignam, & Alexandrum, atque Cutiam puniret. Gabinium vero, & Suſannam vinculis conſtringeret. Et poſt dies LV. juſſit Diocletianus ut beata Suſanna adduceretur ad Serenam uxorem ſuam, quæ occulte Chriſtiana erat. Cum itaque hymnis, & orationibus cum ea vacaret, & die noctuque in laude Dei pſalmos recineret, nuntiatum eſt hoc Diocletiano. Tunc idem dixit Maximino filio ſuo, ut revocaretur Suſanna ad patris ſui Gabinii

binii domum, & ibi abuteretur ea, ut ipsi liberet. Ipsa vero nocte postquam revocata est, ingressus Maximinus in domum, ubi orabat Susanna, vidit nimiam claritatem super ipsam, & extimuit, & cursim rediit ad palatium. Diocletianus vero hoc arti magicæ deputans, misit Macedonium, qui eam constringeret infra domum ejus, ut sacrificaret. Qui dum vellet eam flectere, ut diis immolaret, expolians eam cœpit fustibus cædere. Beata vero Susanna dicebat: Gloria, tibi Domine; sicque beata virgo permanens in confessione Domini, gladio percussa est intra domum suam, & spiritum incontaminatum Deo reddidit. Ejus corpus collegit Serena Augusta noctu, & manibus suis cum linteaminibus, & aromatibus ornavit, & posuit juxta corpora sanctorum in cœmeterio Alexandri in arenario, in crypta, juxta sanctum Alexandrum, tertio Idus Augusti. Sanguinem vero Martyris, qui effusus fuerat in loco domus suæ, velamine detersit, & posuit in capsa argentea in palatio suo, ubi die noctuque furtivis orationibus semetipsam Domino effundebat. Passa est autem tertio Idus Augusti.

VARIA LECTIO. Post extremum verbum: III. *Idus Augusti*, sequitur in codicibus 511. 512. 514.

„ Cameraco, natalis sancti Gaugerici Episcopi, qui vita, & sanctitate conspi- *Gaugerici.*
„ cuus extitit, & clarus miraculis, in pace quievit. In civitate Ebroicas, natalis san-
„ cti Taurini Episcopi, quem beatus Dionisius ordinavit, & eidem urbi destinavit Epi- *Taurini.*
„ scopum. Ubi glorioso coronatus martyrio, multis miraculis fulget.

Tiburtii, & Susannæ. ADNOTATIO. *Tiburtii, & Susannæ* martyrum natalia celebratur hac die a Hieronymianis, quæ eas cum *Valeriano*, & *Cæcilia* commiscent, prout animadvertit Florentinius pag. 747. Agunt autem de his & cæteri Latinorum, nimirum Beda, Romanum parvum, Rabanus, Ado, Usuardus, Notkerus, Wandelbertus. Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *Romæ, sancti Tiburtii mart. Et in eadem urbe, juxta duas domos Diocletianas, natalis sanctæ Susannæ.* Fuldense *Tiburtii* tantum meminit. Ottobonianum, *Tiburtii, & Susannæ*. Rhinoviense, & Richenoviense: *Romæ, natalis sancti Tiburtii, Susannæ, Valeriani, & Cæciliæ virginis*. Ita quoque Augustanum, & Labbeanum. Mendose *Tiburtium* eum alio *Tiburtio*, de quo in Actis S. Cæciliæ, confundunt. Corbejense breviter habet tantummodo: *Natalis sancti Tiburti*. Item Kalendarium Palat. Vat. 485. Kalendarium vero Vat. 3806. *Tiburtii*, & *Susannæ* meminit. At celebrior est eorum cultus in libris Liturgicis. Missa enim in *natali sancti Tiburtii* habetur hac die pag. 167. in Codice Gelasiano. Prima oratio est: *Omnipotens*. Secreta: *Respice*. Post com. *Prosit nobis*. Habetur etiam in Gregorianis omnibus, nimirum Reginæ Suecorum, Menardi, Pamelii, Angeli Rocchæ, Palat. Vat. 495. & in Missali plenario Vat. 4770. in quo titulus est: *In natali sancti Tiburtii, & sanctæ Susannæ*. Ibi etiam legitur Præfatio propria. In eisdem Gregorianis orationes hæ sunt: *Beati Tiburtii*. Super oblata: *Adeste, Domine*. Ad com. *Sumpsimus, Domine*. Capitularia Evangeliorum tom. III. de Liturgia Roman. Pont. pag. 272. 273. duo Evangelia hac die recitanda præscribunt, alterum In *natali sancti Tiburtii*, alterum *in natali sanctæ Susannæ*. Acta *Tiburtii* ex vulgatis *sancti Sebastiani* Actis petuntur. Exstant etiam seorsim, & nos ea vidimus in codicibus Canonicorum Forojuliensium. Horum exordium est: *Passio S. Tiburtii martyris. Insidiabantur infideles fidelibus, & inique furore christianum non poterant nomen audire. Interea &c.* De *S. Susanna* ejusque Actis plura Baronius ad an. 294. 295. sed hujusmodi Acta valde

valde corrupta, & in pluribus commenticia censet Pagius in Critica, & item recentiores, inter quos Tillemontius tom. IV. pag. 760. Vide de utriusque Actis Bollandianos hac die pag. 629. Ceterum vetustissimus in Urbe est titulus *S. Susannæ*, de quo Baronius in Notationibus hac die, & Fronto in notis ad Kalendarium, ubi ex libro Pontificali in Sergio Papa, monet, hunc S. *Susannæ* titulum, *ad duas domos* vocari. Vide de hoc item titulo Nicolaum Alemannum de parietinis Lateranensibus pag. 5. 10. 11. ut alios omittamus.

Gaugerici. *Gaugericus* Episcopus, vulgo S. *Gery*, memoratur hac die a genuino Usuardo, & in vulgatis Adonis exemplaribus apud Mosandrum de eo hac die agebatur. A Rosvveido vero in Appendicem amandatus est, ac recte, ut Sollerius opinatur. Quam recte tamen, non video; nam aguut de *Gaugerico* hac die Hieronymiana, quæ an ab aliis interpolata sint, non disputandum esse judicat Sollerius. Elogium Rabani ex Actis sumptum videtur. Meminere præterea *Gaurici* (pro *Gaugerici*) *Episcopi* Augustanum, & Labbeanum. Corbejense brevius habet: *In Cameraco, civitate in Gallia, natalis S. Ganderici Episcopi & confessoris*. Martyrologium Fuldense: *Camaraco civitate, natalis sancti Gaugerici Episcopi & confessoris*. Meminit Wandelbertus, & Kalendarium Vat. 3806. Itaque, aut ego fallor, neque Usuardus suum de *Gaugerico* Elogium ex Hieronymianis sumpsit, sed ex Adonianis apographis, neque in Appendicem Adonianam, tot aliis veteribus monumentis fidem præbentibus, detrudendus est. Floruit sæculo Christi VI. & obiit c. A. D. 594. Ejus gesta recitat Surius hac die, & habentur apud Bollandianos hac die pag. 664. & *seq.* ubi de illius cultu, & reliquiis.

Taurini meminit Usuardus genuinus his verbis: *Apud castellum Ebroas, sancti Taurini Episcopi*. Agit & Florus; alii silent. In Usuardi Auctariis apud Sollerium, ut in Antuerpiensi, & aliis ipsummet Elogium de *Taurino*, prout in nostris Codicibus, habetur. Sollerius tamen existimat, Usuardum accepisse ab aliquo apographo Corbejensi, ne studiose a *confessoris*, seu *martyris* titulo abstinuisse. Acta suspecta sunt, de quibus Bollandiani hac die pag. 637. & *seq.* *Ebrois* ab Usuardo, *castellum* nuncupatur; ab apographis nostris *civitas* dicitur. Olim urbs illius tractus princeps, *Mediolanum Aulercorum* vocabatur, & populi regionis hujus, *Aulerci Eburovices* in Gallia Lugdunensi, seu *Eburovices*, & contracte *Ebroici* appellati. Notitiæ civitatum Galliæ in provincia Lugdunensi secunda habent: *Civitas Ebroicorum*. Item: *Civitas Evaticorum*, idest *Ebroicum*, vulgo *Evreux*. Apud Ordericum Vitalem occurrit *Ebraica urbs*, & sæpius *Ebroas*, pro *Ebroicis*. In Capitularibus Caroli M. *pagus Ebroicinus* memoratur. Hæc ex Valesio in Notitia p. 66. *Taurini.*

---

12. Aug. *G. PRIDIE IDUS AUGUSTI.*

Eupli. IN Sicilia, civitate Catanensi, natale sancti Eupli Diaconi, Diocletiano & Maximiano Augustis. Cum enim esset extra velum secretarii beatus Euplus, Christianum se confessus, intromissus est, jubente Calvisiano consulari, in auditorium. Et cum ibi fidem suam profiteretur, Calvisianus dixit: Torqueatur Euplus, quousque confiteatur deos veros omnipotentes, Martem, Apollinem, & Asclepium. Beatus Euplus respondit: Bene dixisti, Calvisiane, ut adorarem Trinitatem inseparabilem, unum Deum. Audiens Calvisianus putavit eum de Diis suis dixisse, & gaudio repletus, ait: Ergo sacrifica. Cui beatus martyr: Ego sacrifico & immolo me ipsum Patri, & Filio, & Spiritui sancto. Audiens hoc impius Judex, commotus ira, jussit eum amplius torqueri. Et ultimo dedit sententiam, dicens: Jubemus Euplum justo judicio nostro gladio interfici. Beatus vero Euplus gratias egit Domino nostro Jesu Christo. Et cum duceretur, repletus Spiritu sancto canebat: Magna est gloria tua Domine in servis tuis, quos ad te vocare dignatus es. Flectens itaque genua sua,

fini-

finita oratione paravit cervicem, & decollatus est quarto Idus Augusti. Sepultum est corpus ejus conditum aromatibus, in loco venerabili Catanensis civitatis II. Idus Augusti.

Hilaria. Eodem die, sanctæ Hilariæ, matris sanctæ Afræ martyris, quæ cum ad sepulcrum illius excubaret, ibidem pro fide Christi a persecutoribus igni tradita est cum Digna, & Eumenia, & Euprepia, quæ fuerant puellæ sanctæ Afræ. *De his in vita sanctæ Afræ 5. August.*

In Syria, natalis sanctorum Macarii & Juliani. *Macarii & Juliani.*

VARIA LECTIO. Ed: *In Sicilia, civitate Catanensi.* Cod. 511. 514. *In Sicilia, civitate Cathena*, codex 512. *Cathinas.* Ed: *& Euprepia* &c. Codices usque, *Euprepia*, deinde cæteris omissis, habent: *Civitate Falare, passio Graciani, & Felicissimæ virg. quorum ora pro Christo lapidibus contusa, dehinc gladio percussi, optatam martyrii suscepere coronam.* *Graciani & Felicissima.*

Deest in codicibus 511. 512. & 514. natalis SS. *Macarii & Juliani.*

Eupli. ADNOTATIO. *Euplus* Diaconus & martyr in Siciliæ urbe Catina, colitur hac die a Hieronymianis, Beda, Romano parvo, Rabano, Adone nostro, Usuardo, Wandelberto, Notkero, Martyrologio Fuldensi, Rhinoviensi, & Richenoviensi, ubi forte mendose *Eupoli*. Augustanum, & Labbeanum habent: *Romæ, Eupli, Leuci* &c. Iterum die XIII. Augusti: *Eupli levitæ martyris* meminere. Corbejense brevius: *In Sicilia, civitate Cathenas, natalis sanctorum Eupoli, Vetiæ, Veneriæ.* Agit cum elogio Martyrologium Reginæ Suecorum. Meminit Ottobonianum, & Kalendarium Vat. 3806. In Capitularibus Evangeliorum veterrimis tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 273. Evangelium hac die in *natali S. Eupli* præfigitur. A Sacramentariis vero Gregorianis Missa abest. Forte sumebatur ex communi martyrum. Acta genuina post Surianam editionem vulgavit ex codicibus Baronius ad an. 303. n. CXLVI. ex quibus, ac ex aliis codicibus inter selecta retulit Ruinartius pag. 438. *& seq.* Vide quid insuper proferant Bollandiani hac die pag. 710. *& seq.* Cur Romæ celebris cultu fuerit, docebit Baronius in Notationibus hac die, ubi de Oratorio *S. Eupli, via Ostiensi* prope Basilicam S. Pauli, a Theodoro Papa extructo, & ab *Hadriano* I. instaurato. Ibi etiam de ejusdem martyris reliquiis, ex S. Gregorio. Passus est A. D. 304. judicio Ruinartii, non anno 303. ut putat Baronius.

Hilaria. *Hilaria*, sanctæ *Afræ* mater, celebratur hac die ab Adone nostro primum, judice Sollerio, deinde ab Usuardo, cujus elogium ad verbum ex Adone sumptum censet. At lis magna est de genuino Usuardi textu, quia in codice Pratensi post verba: *cum Digna, & Eumenia, & Euprepia*, legendum contendit Bovvillartius: *Eodem die passi sunt Romæ sub Præfecto Pertinace, Quiriacus, Largis* &c. Sollerius vero post *Euprepia*, legit: *Passi sunt item eodem die in præfata civitate Quiriacus, Largis* &c. Sed hæc nihil ad nostrum textum. Satis est monuisse, in apographis nostris post *Euprepiam*, nihil addi, quod eæ fuerint *S. Afræ* puellæ. In Actis tamen *S. Afræ, Digna, Eunomia, & Eutropia*, S. Afræ ancillæ memorantur, quæ a S. *Narcisso* Episcopo baptizatæ fuerunt. In his etiam mentio *Hilariæ*, ejusdem *Afræ* matris. Vide de ea & sociis Bollandianos hac die pag. 700. *& seq.*

Macarii & Juliani. *Macarius & Julianus* prætereuntur hac die ab apographis nostris, celebrantur tamen *in Syria* a genuino Usuardo, a Hieronymianis, Romano parvo, Notkero, Rhinoviensi, in quo *monachi* nomen *Macario* additur; & mixtim cum aliis ab Augustano, & Labbeano. Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *In Istria* (pro *Syria*) *natalis sancti Juliani*. Ottobonianum: *In Syria, vico Magaroto, natalis sancti Macarii*. Nihil de tempore quo vixerunt. Vide Bollandianos hac die pag. 200.

Graciani seu Graciliani, & Felicissimæ. *Gratianus*, seu *Gracilianus*, & *Felicissima* martyres adduntur a codicibus nostris, de quibus ita hac die Usuardus genuinus: *Item urbe Falari, passio Graciliani, & Felicissimæ virginis: quorum ora primum pro Christo lapidibus contusa, dehinc gladio percussi, optatam martyrii suscepere coronam.* Vide hic eadem fere verba, quæ in nostris apographis leguntur. Sollerius ad hunc locum, se nescire prorsus fatetur, unde elogium Usuardus acceperit, ac non aliunde, quam ex

Actis

Actis, conjicit. Habes fontem hujus elogii in apographia Adonisnis. Acta horum martyrum contemnuntur a Tillemontio tom. v. pag. 126. De his vide Bollandianos ad diem xv. *Maji* pag. 458. ubi de *S. Euticio*, & hac die pag. 725. & *seq.* Urbs autem, in qua hi martyres passi sunt, ab antiquioribus Latinorum, *Falerii*, & *Faleri* plurium numero dicta est, nempe a Livio lib. v. cap. xxviii. lib. x. cap. xiv. & lib. xxi. cap. 1. Dionysius lib. 1. *Falerium* habet. Sita fuit in Etruria, & ejus agri incolæ *Falisci* dicti sunt. Illius situm detexit Famianus Nardinus in antiquo Vejo P. II. cap. iv. pag. 151. & *seq.* Fuit autem via Amerina, quinque mille passus ultra *Nepete*, ejusque rudera adhuc visuntur. De illius situ etiam aliqua habet Holstenius in Italiam Cluverii pag. 57. Alia hujus nominis urbs in Piceno fuit, quæ *Faleria*, & *Falaria* dicta est. Vetus lapis apud Gruterum pag. MLXXXII. ubi leguntur *Decuriones Faleriensium ex Piceno*. Baronius in Notationibus hac die, monet, non *Falari*, sed *Faleriæ* legendum esse ex monumentis civitatis Castellanæ, ad quam translata sunt horum martyrum corpora. Cæterum medio ævo, *Phalaris*, & *Faleris*, corrupto vetusto vocabulo, dicebatur. De Episcopis *Falaritana* Ecclesiæ in Tuscia nos egimus in Dissertatione de Cathedra Episcopali Setina cap. XXXIX. pag. 451.

---

13. *Aug.* *A. IDIBUS AUGUSTI.*

Hippolyti. ROMÆ, S. Hippolyti martyris, sub Decio Imperatore, Valeriano præfecto. Hunc beatum Hippolytum vicarium sanctus Laurentius, cum apud eum esset in custodia, baptizavit. Qui de sanctis exequiis martyris, post tertium diem ad domum suam rediens, dedit pacem omnibus servis suis, & ancillis, & communicavit de sacrificio altaris beati Laurentii martyris. Et posita mensa, priusquam cibum sumeret, venerunt milites, & tenuerunt, & perduxerunt ad Decium. Quem ut vidit, subridens dixit ei: Numquid & tu magus effectus es, quia corpus Laurentii abstulisse diceris? Sanctus Hippolytus respondit: Hoc feci non quasi magus, sed quasi Christianus. Decius furore repletus, jussit, ut cum lapidibus os ejus contunderetur. Et expoliavit eum veste, qua induebatur habitu Christiano, & dixit ei: Sacrifica, & vives: sin aliter, peries per tormenta sicut Laurentius. Sanctus Hippolytus dixit: Exemplum merear beati Laurentii martyris fieri, quem tu miser ausus fuisti ore polluto nominare. Extensus igitur, fustibus & cardis diu cæsus est, donec cædentes deficerent. Inde levatus est a terra, & jussit eum Decius vestiri militari veste, qua gentilis utebatur, & dixit ei: Recole militiam, & esto noster amicus, & in conspectu nostro utere militia pristina, quam semper habuisti. Cumque beatus martyr dixisset: Militia mea hæc est, Christianum firmum militare, unde cupio ad celerem palmam cum fructu venire; iracundia plenus Decius, dixit Valeriano: Accipe omnes facultates ejus, & interfice eum crudeli examinatione. Valerianus itaque, exquisita omni facultate ejus, invenit in domo Hippolyti omnem familiam Christianam, quam conspectui suo præsentari fecit. Et jussit beatum Hippolytum foras muros por-

De his in gestis sancti Laurentii 10. Aug.

tæ

tæ Tiburtinæ cum familia sua duci. Beatus vero Hippolytus confortabat omnes dicens: Fratres, nolite metuere, quia ego, & vos unum Deum habemus. Et decollati sunt promiscui sexns numero XIX. Beatus vero Hippolytus ligatus pedes ad colla indomitorum equorum, sic per carduetum & tribulos tractus emisit spiritum. Nocte venit beatus Justinus Presbyter, & collegit corpora, & sepelivit in campo eodem juxta Nympham, ad latus agri Verani, Idibus Augusti.

Eodem die, natale sanctæ Concordiæ, nutricis ejusdem beati Hippolyti. Cum Valerianus ad familiam B. Hippolyti sibi præsentatam dixisset: Considerate ætates vestras, ne simul pereatis cum Hippolyto domino vestro. Respondit beata Concordia: Nos desideramus potius cum domino nostro pudice mori, quam impudice vivere. Ad hoc Valerianus: Genus, inquit, servorum nisi cum suppliciis non emendatur. Et jussit ut beata Concordia cum plumbatis cæderetur. Et cum cæderetur, emisit spiritum, corpusque ejus est in cloacam projectum. Cumque diu quæreret illud sanctus Justinus, & non inveniret, ita tristis reddidit, ut non cessarent flere oculi ejus. Tertiodecimo vero die post passionem sancti Hippolyti, venit quidam miles Porphyrius nomine, ad Irenæum Cloacarium, qui occulte Christianus erat, & dicit ei: Si secretum possis custodire, divulgabo arti tuæ multum ad quæstum. Ante hos dies jussit Valerianus præfectus in conspectu suo quamdam creditariam Hippolyti plumbatis deficere, & corpus ejus in cloacam jactari. Hæc in in vestibus suis spero quod margaritas habet absconsas, vel aurum. Audiens hæc Irenæus, intimavit secreto beato Justino presbytero. Qui flectens genua gratias egit Deo. Porphyrius autem noctu veniens cum Irenæo, invenit corpus sanctum, sed in vestimentis nihil invenerunt. Beatus autem Irenæus vocavit ad se quemdam Christianum Abundium nomine, & tulerunt corpus ejus, & perduxerunt ad beatum Justinum. Qui gratias agens Deo, illud suscepit, & juxta corpora martyrum Hippolyti, & aliorum sepelivit, octavo Kalendas Septembris. *Concordiæ*

Eodem die in Foro Syllæ, natale sancti Cassiani, qui cum adorare idola noluisset, interrogatus a persecutore, quid artis haberet; respondit, quia pueros notas doceret. Et mox spoliatis vestibus, ac manibus post terga revinctis statuitur in medio. Vocatisque pueris, quibus docendo exosus fuerat factus, data est facultas eum perimendi. At illi quantum doluerant discentes, tantum se ulcisci gaudentes, alii eum tabulis, ac buxis feriebant, alii stylis vulnerabant. Quorum quanto infir- *Cassiani.*

mior erat manus, tanto graviorem martyrii pœnam dilata morte faciebat. Scripsit Prudentius Poeta.

Prudent. hymn. 9.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. ita habent:
„ Romæ, beati Ypoliti martyris, qui pro confessionis gloria ligatus pedes ad „ colla indomitorum equorum, super cardetum & tribulos tractus, emisit spiritum. „ Passa etiam Concordia nutrix ejus, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martyrizavit; „ & alii XVIII. de domo ejus, quæ (sic) simul decollati sunt. Eodem die, Foro Sil- „ le (sic) natalis sancti Cassiani, qui cum adorare idola noluisset, vocatis pueris, „ quibus docendo exosus fuerat, data est facultas eum perimendi. Quorum quanto „ infirmior erat manus, tanto graviorem martyrii pœnam, dilata morte, faciebat. „ Pictavis, sanctæ Radegundis reginæ, cujus vita virtutibus, & miraculis late claruit.

Radegundis.

Hippolyti & Concordiæ.

ADNOTATIO. *Hyppolitus, Romæ* martyr, simul cum *Cogcordia* colitur hac die a vetustioribus Latinorum. Kalendarium Bucherianum hac die habet: *Hippolyti in Tiburtina. & Pontiani in Collisti.* Kalendarium Carthaginense: *Sancti Hippoliti.* Apographum Hieronymianum Epternacense: *Romæ, Hippolyti, Pontiani Episcopi, Luciani, Cælestis, Cassiani.* Lucense: *Romæ, natalis santiorum Tpoliti martyris. Pontiani Episcopi. Luciani. Cornilii. Cassiani. Calesti cum sociis eorum.* Apographum Corbejense: *Romæ, natalis SS. Hippolyti martyris, Pontiani Episcopi, Cornelii, Cassiani, Cælesti cum sociis eorum.* Agit Beda cum brevi elogio ex Actis. Fusius ex iisdem Ado vulgatus, & contracte apographa nostra Adoniana, quorum verba usurpat Usuardus genuinus. Non est igitur, cur Sollerius scribat, elegantius Adonis elogium ab Usuardo contrahi non potuisse. Romanum parvum habet: *Romæ, Hippolyti martyris cum familia sua, & S. Concordiæ nutricis ejus.* Gellonense: *Romæ, Ippoliti mart. Luciani. Pontiani.* Rabanus: *Romæ, S. Hippolyti, qui tempore Decii, ligatus pedibus ad colla indomitorum equorum, sic per carduos ac tribulos tractus, emisit spiritum, & Concordiæ nutricis ejus, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martyrizavit; & aliorum* XIX. *de domo ejus simul decollati sunt.* Notkerus vulgatum Adonem sequitur, errans in numero eorum de familia, qui cum Hippolyto passi sunt. Wandelbertus ita cecinit:

> *Idibus Hippolytum comitem Laurentius astris*
> *Pro Christi pariti recipit certamine passum.*

Rhinoviense, & Richenoviense: *Romæ, Tpoliti mart. Pontiani Episcopi, Luciani, Calisti.* Richenoviense *Tppoliti* meminit, una cum Sixto Papa, *Laurentio* & aliis, die VI. *Augusti.* Item die XI. *Septembris* habet: *In portu Romano, Ingenui, & Tppoliti.* Augustanum, & Labbeanum: *Romæ, Tpoliti martyris, Luciani, Pontiani.* Eadem de *Tpolo*, seu *Tpolito* martyre una cum aliis LXV. seu CLXV. militibus die VI. *Augusti* meminere. Corbejense brevius: *Romæ, natalis S. Hippolyti martyris,* sociis omissis. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, natalis S. Tppolyti martyris, & Concordiæ nutricis ejus, quæ ante ipsum plumbatis cæsa martyrizavit, & aliorum* XIX. *de domo ejus, qui simul decollati sunt.* Fuldense: *Roma, passio sancti Tpoliti martyris,* tantum. Ottobonianum: *Romæ, natalis sancti Tpoliti martyris, & Concordiæ nutricis ejus, & aliorum* XVIII. *de domo ejus.* Kalendarium Palat. Vatic. 485: *Natalis sancti Tppoliti martyris.* Palat. 39. addit: *cum sociis suis.* Kalendar. Vat. 3806: *Romæ, sanctorum martyrum Tpoliti, Cassiani.* Hactenus Hagiologia, quæ *Hippolytum,* Romæ martyrem hac die colunt. In libris quoque Liturgicis vetustissimis *Hippolytus* martyr hac die celebratur. Codex Sacramentorum Gelasianus pag. 167. Missam habet *in natali sancti Tpoliti.* Prima oratio est: *Sancti Tpoliti martyris, Domine.* Secreta: *Præsta nobis, quæsumus Domine &c.* Post com. *Sumptis, Domine, &c. ut intercedente beato martyre tuo Tpolito &c.* Missale Gothicum pag. 369. Missam *S. Tppoliti martyris* præfert. Ibi in collectionibus, seu orationibus *martyr* semper dicitur. In Immolatione Missæ, seu in Præfatione, *tyrannicis obsequiis occupatus,* deinde *socius Laurentii* prædicatur: *Qui spiritali ardore succensus, dum unigenitum filium tuum Dominum nostrum coram potestatibus veraciter confitetur, pœnis subjicitur, vinculis inligatur, cardis configitur, equorum ferocitate disjungitur: & adepta palma martyrii, vita perpetua cum lucratore & magistro Laurentio coronatur.* Sacramentaria Gregoriana omnia vetustiora Missam hac die in *natali sancti Tppoliti* exhibent.

Prima

Prima oratio est: *Da nobis*. Secreta: *Respice*. Ad com. *Sacramentorum*. In Missali plenario Vat. 4770. habetur etiam Præfatio propria. Palat. Vat. 496. habet: *in natali S. Hippolyti & soc. ejus*. Sacramentarium a Blanchino editum Missas duas pag. xxviii. *Idibus Augusti in natali sanctorum Hyppolyti, & Pontiani* præfert. Agitur de *Hippolyto* ad iii. *Idus Augusti* in libello orationum Gothico-Hispano, ab eodem Blanchino edito, inter opera Cardinalis Thomasii pag. 131. Orationes etiam habentur in Missali & Breviario Mozarabum. Capitularia quoque Evangeliorum tom. iii. de Liturgia Romani Pont. p. 273. Evangelium designant *in natali sancti Ypoliti*, ut & Capitulare Epistolarum ad usum Ecclesiæ Mediolanensis, ibid. p. 230. Epistolam *in sancti Ypoliti* natali. Nihil igitur celebrius in Ecclesia catholica de veterrimo cultu *S. Hippolyti martyris* hac die. Acta permixta sunt cum vulgatis S. Laurentii Actis, quæ habentur etiam in codice Reginæ Suecorum 528. pag. 106. post Acta *SS. Sixti & Laurentii*. Ita vero exordiuntur: *Incipit passio sancti Ypoliti: Post tertium gloriosissimi Laurentii certaminis diem &c.* usque: *quam vincere male &c.* Seorsim etiam habentur in codice Canonicorum Forojuliensium. Horum exordium est: *Passio sancti Ypoliti martyris Christi. Consumata igitur passione beati Laurentii, & sepulto corpore ejus &c.* De Actis Græcis *S. Laurentii, Sixti Papæ, & Hippolyti Tribuni*, jam diximus, ea haberi in codice sæculi ix. & memorari a Lambecio to. viii. pag. 121. & 124. Celeberrimus est hymnus xi. Prudentii de *S. Hippolyto* martyre. Baronius tamen in Notationibus ad diem xxx. *Januarii*, ac xiii. & xxii. *Augusti*, & ad an. 255. num. xxxiv. monet, tres *Hippolytos* plane diversos, in unum eundemque *Hippolytum*, immerito a Prudentio confari; nimirum, militem, presbyterum, & Episcopum. De his tribus *Hippolytis* seorsim agunt vetera Hagiologia. De *Hippolyto* presbytero Antiocheno & martyre die xxx. *Januarii*. De *Hippolyto* milite, Romæ, sub *Valeriano* passo, die xiii. *Augusti*. De *Hippolyto* Episcopo *Portuensi*, doctrina clarissimo, sub *Alexandro* aquis demerso, die xxii. *Augusti*. Verum Ruinartius in Admonitione ad Prudentii hymnum pag. 155. *& seq.* adversus communem recentiorum opinionem de tribus Hippolytis in unum a Prudentio confusis, contendit, nullo antiquorum testimonio comprobari posse, id a Prudentio factum, quare in hoc Prudentii hymno non alium *Hippolytum* agnoscit, præter Portuensem martyrem celeberrimum. Fatetur tamen alios esse *Hippolytos* martyres, nimirum *Hippolytum* Episcopum, de quo Eusebius, Hieronymus, & alii; *Hippolytum* alterum Antiochenæ Ecclesiæ presbyterum; & *Hippolytum* militem, qui a S. Laurentio ad Christi fidem conversus, triduo post cum *Concordia* sua nutrice, & aliis novemdecim ex sua ipsius familia passus sit. De hoc agi in libris Liturgicis. Quamobrem existimat, duplicem *Hippolytum Idibus Augusti* recoli, unum a Prudentio celebratum, alterum beati *Laurentii* socium, cui nonnulla ex alterius Actis attributa sunt. In antiquioribus Kalendariis, & Martyrologiis, librisque Liturgicis Gelasiani, & Gregoriani ritus *Hippolytum* martyrem hac die celebrari sine ulla sociorum mentione, aut aliqua nota, quæ ipsum S. *Laurentii* socium, aut alterum fuisse demonstrent. *Hippolytus* Portuensis martyr passus est, judicio Ruinartii c. A. D. 253. schismate Novati fervente. A Ruinartii sententia recedunt recentiores illi, qui Prudentium commentariis illustrarunt, nimirum Chamillardus, & Christophorus Cellarius. Ruinartio adstipulari videtur Sollerius in Usuardum die xxx. Januarii, ut ad eam diem prænotavimus, & apertius idem Sollerius ad hanc diem xiii. *Augusti*, ubi docet, a Martyrographis duos *Hippolytos* hac die confundi, dum *Concordia* nutrix nominatur; ac illustrem & celebratum martyrem, eum esse de quo die xxx. *Januarii*, eundemque verosimillime, qui a Prudentio celebratur, Novatiano schismati aliquando adhærentem. Vide Tillemontium tom. iii. pag. 675. Patetur tamen, se alium *Hippolytum*, Laurentii socium agnoscere. Bollandiani de Actis *Hippolyti* disquirunt hac die pag. 12. & ibi in Commentario prævio pag. 4. *& seq.* pluribus agunt de *Hippolytis* synonymis, de cultu, reliquiis, & translatione in Gallias. Indicii aliquid est pro illorum sententia, qui *Hippolytum* martyrem, alium a Laurentii socio agnoscunt, & a Novati schismate ad bonam frugem reversum statuunt, quod in Sacramentario apud Blanchinum, & in quibusdam Martyrologiis una cum *Pontiano* Papa copuletur. De quo hac die agunt Hieronymiana, & alia, sed ad illius translationem pertinere arbitrantur recentiores. Baronius ad an. 261. n. x. martyrium *Hippolyti* militis una cum *Concordia* nutrice ejus, triduo post S. *Laurentii* martyrium assignat. *Hippolytum* alium civem Romanum cum sociis, sub *Stephano* Papa martyrem facit ad an. 259. n. viii. *& seq.* De his in Romano Martyrologio iv. *Non. Decembris*. Quod autem ad *Hippolyti*, S. Laurentii socii sacra monumenta pertinent, Baronius in Notationibus ad hanc diem xiii. *Augusti* meminit Ecclesiæ S. *Hippolyti* non longe a basilica S. *Laurentii* in agro Verano positæ, illiusque vestigia inter vineta tum exstare dicebantur, In Notationibus vero ad diem xxii. Augusti, & ad an. 224. n. x. meminit, ex agro Verano, inter antiqua rudera effossum fuisse; antiquum *Hippolyti* Portuensis Episcopi monumentum, in Vaticanam bibliothecam delatum. De veteri Ecclesia S. *Hippolyti* in agro Verano, haud procul a S. Laurentii basilica,

silica, hæc habet Notitia apud Eccardum: *Inde in Boream sursum in monte basilica sancti Hippolyti est, ubi ipse cum familia sua tota XVIIII. martyres, jacet. Career ibi est, in quo fuit Laurentius. Ibi est Trifonia uxor Decii Cæsaris, & Cyrilla filia ejus: inter utrasque Concordia, & S. Genesens, & multi martyres ibi sunt.* Sed & eruditum commentarium de S. *Hippolyto* Portuensi expectamus ab amico nostro Constantino Ruggerio, ubi plura de Hippolytis illustrabantur. Vide quæ diximus ad diem XXX. *Januarii*, & quæ infra dicemus ad diem XXIII. *Augusti*.

Concordia. De *Concordia*, præter ea, quæ supra attulimus, nihil apud veteres Hagiographos invenitur.

Cassiani. *Cassianus* martyr hac die, una cum *Hippolyto* copulatur. *Romæ* tribuitur a Beda, & Rabano. Romanum parvum habet: *in Foro Syllæ, Cassiani*. Rhinoviense ad diem XI. hujus. *In Foro Cornelii, passio sancti Cassiani*. Augustanum hac die: *Cassiani martyris*, tantum. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Eodem die natalis sancti Cassiani martyris, cujus passionem Prudentius poeta versibus explicavit*. Ottobonianum: *Eodem die, natalis sancti Cassiani*, tantum. Martyrologium Autissiodorense apud Martenium tom. VI. collect. amplissimæ Anecdot: *Forosillæ, natale S. Cassiani martyris*. Kalendarium Stabulense, ibidem: *SS. Martyrum Hippolyti & Cassiani*. Libellus Bedæ, ibidem: *S. Hippolyti & Cassiani martyrum*. Actorum loco, quæ quidem suspecta habeantur, Ruinartius inter sincera pag. 593. hymnum IX. Prudentii de martyrio S. Cassiani adlegit. Incertum est, quo sono passus fuerit. De necia ejus genere vide Baronium in Notationibus hac die. Vide etiam de *Cassiano* Tillamontium tom. V. pag. 531. & 794. ac Bollandianos ad hanc diem pag. 16. *& seq.*

Radegundis. *Radegundis* Regina Francorum, de qua vulgatus Ado silet, in apographis nostris habetur, & colitur hac die a Hieronymianis Auctariis, a Rabano, Floro, Usuardo, Wandalberto, Notkero, Rhinoviensi, Richenuviensi, & Augustano. Labbeanum agit die XI. hujus, & item hac die. De ea quoque hac die Martyrologium Fuldense, & Hagiologium Francogallicum. Usuardus genuinus iisdem verbis *Radegundem* celebrat, ac in apographis nostris leguntur; & licet in vulgato Adone desideretur, suspicatur tamen Sollerius ab Adone eam recoli, quanquam in Appendicem a Rosvveido rejecta sit. Sollerii conjecturas abunde confirmant codices nostri, in quibus etiam verba illa: *cujus vita* &c. habentur, quæ una cum ipsius Radegundis elogio ab ipsomet Usuardo deleta esse ex autographo Pratensi affirmat Bovvillartius pag. 132. & ab æquali manu eidem codici elogium hujus reginæ adjectam. *Radegundis*, Berthariі Turingorum regis filia, captivitatis fato, adhuc infans Chlothario, tum Suessionum regi obtigit, & apud *Attejas* educata, eidem regi nupsit, a quo secedens A. D. 544., a S. *Medardo* Episcopo apud *Noviomagum Diacona*, idest *Abbatissa* consecrata est, deinde Pictavos versus pergens, ad *cellam S. Jumeris*, & ad cellam *Datdonis* Abbatis dona contulit: demum in agro Pictavensi duo monasteria condidit, alterum virginum, cui *S. Crucis* nomen fuit, alterum virorum in urbe Turonensi. In eodem *S. Crucis* monasterio sancte obiit *Idibus Augusti A.* D. 587. Ejus vitam ac res gestas litteris tradiderunt Venantius Fortunatus, & Baudonivis monacha. Horum Actorum exemplum edidit ad hanc diem Surius, deinde novis curis Mabillonius Sæculo I. Benedictino. Vide de illius rebus gestis & obitu eundem Mabillonium Annal. Bened. lib. V. §. XXI. *& seq.* & lib. VII. §. XXXIX. *& seq.* Bollandiani hac die pag. 67. *& seq.* Acta proferunt & illustrant, ac in Commentario prævio pag. 46. *& seq.* de illius cultu & gestis multa disquirunt.

---

14. Aug. *B. XIX. KALENDAS SEPTEMBRIS.*

Vigilia Assumpt. VIGILIA Assumptionis sanctæ Mariæ.

Eusebii. Eodem die, natale sancti Eusebii presbyteri & confessoris: Qui præsente Constantio cum fidem catholicam constantissime defenderet, & Liberium Papam doleret Arianæ perfidiæ consensisse, ab irato Constantio Imperatore Ariano, includitur in quodam cubiculo domus suæ, habente in latitudine pedes quatuor: ubi multis diebus in oratione constanter perseveravit: Et nonodecimo Kalendas Septembris, post menses septem, adhuc tamen inclusus, dormitionem accepit. Cujus corpus collegerunt Gregorius

rius & Orosius presbyteri, & sepelierunt in crypta, juxta corpus B. Sixti martyris & Episcopi, via Appia in cœmeterio Calixti. Ubi & titulum ipsius scribentes posuerunt ita: *Eusebio homini Dei*. Audiens autem Constantius, quod Gregorius & Orosius sepelissent corpus beati Eusebii, in eadem crypta, ubi illum condiderant, præcepit vivum includi Gregorium. Hunc semivivum noctu Orosius presbyter excepit inde. Et post paulum defunctum, juxta corpus sancti Eusebii presbyteri sepelivit. Factaque est gravissima persecutio in catholica Ecclesia ab Arianis, sedem Apostolicam tunc tenente Liberio.

VARIA LECTIO. Post verba: *tenente Liberio*, ad extremum, sequitur in codicibus 511. 512. 514.

» Apud Aquilejam passio sanctorum Felicis & Fortunati fratrum, qui primum in *Felicis &*
» eculea (sic) suspensi, ardentibus lampadibus circa latera appositis, sed mox psallentibus *Fortunati.*
» martyribus, extinctis. Inde per ventrem serventi oleo superfusi, ad ultimum cum
» in confessione Christi durarent, capite truncantur.

Vigil. Assumpt. B. Virg. ADNOTATIO. De *vigilia Assumptionis beatæ Virginis* primam ab Adone agi censet Sollerius in Usuardum hac die; & ex Adone, quo potissimum tempore saltem in Galliis hæc vigilia celebrari cœpit, ad alios Martyrolographos promanasse, nimirum ad Usuardum, & Notkerum; nam qui præcesserunt, ut Hieronymiani auctor, Beda, Romanum parvum, Florus, Rabanus, & Wandelbertus de hac vigilia silent. Itaque præter Adonem, Usuardum, & Notkerum, agit Martyrologium Ottobonianum. Recentiores, inter quos Jo: Fronto in notis ad Kalendarium hac die, ante *Leonem* IV. Romanum Pontificem vigiliam hujusmodi non fuisse institutam censent, licet Baronius Nicolai I. testimonium in Respon. ad Bulargos de *jejunio* hac die in Notationibus die crastina afferat. Et revera libri Liturgici vetustiores Missam habent hac die post alteram Missam S. Eusebii: *In vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ*, nimirum Sacramentaria Reginæ Suecorum, Ottobonianum, Pamelii, Menardi, Angeli Roccha, Palat. Vat. 495. & alia. In Palat. Vatic. 495. *in vigilia sanctæ Mariæ*, prima oratio est: *Veneranda nobis*. Secreta: *Deus, qui virginalem*. Ad com. *Subveniat*. Abest quidem hæc Missa a codice Gelasiano, & a codice Remensi apud Menardum, sed habetur in Sacramentariis Reginæ Suecorum, & Ottoboniano, quæ *Hadriani* I. ævo exarata censentur. Desideratur tamen hæc vigilia in Capitularibus Evangeliorum Frontoniano & aliis tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 274. ex quo conjiciendum est sæculo Christi VIII. nondum apud omnes eam obtinuisse. Jejunium ante solemnitatem *Assumptionis* Beatæ *Mariæ* cum aliis aliarum festivitatum jejuniis commemorans *Nicolaus* I. in Consultatione ad Bulgaros cap. IV. antiquitus susceptum esse, se teneri a S. R. E. docet. S. Petrus Damianus quoque lib. VI. epist. XXXV. morem hujus vigiliæ celebrandæ, *antiquitus tenuisse* tradit.

Eusebii presbyteri & confessoris natalia colitur hac die a Hieronymianis. Apographum Lucense habet: *In Verbera Syriæ, natalis sancti Eusebii, Tituli, Conditoris*. Corbejense: *Natalis sanctorum Eusebii, Conditoris, Prospolami, Casti, Candidi*. Legendum in his puto: *Natalis sancti Eusebii, tituli conditoris*; nam veterrimus hujus *Eusebii* titulus in urbe est. Id etiam censebat Florentinius pag. 754. sed Notkero inhærens, depravatam lectionem amplecti maluit. Agit de Eusebio Rabanus, & Adoni consentit, nisi quis aliqua ex Actis apocryphis habet, prout & Notkerus, qui *Eusebium* Episcopum facit, & alium alibi *Eusebium*, *tituli conditorem* ad extremum celebrat. Usuardus Adonis elogium in pauca contrahit. Agit autem Beda genuinus, Romanum parvum, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, & Kalendarium Vatic. 3806. In libris quoque Liturgicis Gregorianis omnibus Missa habetur hac die *in natali sancti Eusebii presbyteri*. Item in Capitularibus omnibus Evangeliorum tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 274. Evangelium *in natali san-* *Eusebii.*

cti

cti Eusebii præfigitur. Apud Hagiographos *sacerdos*, aut *presbyter*, & *confessor* vocatur. Acta illius, ut apocrypha, in dubium semper revocata fuere. Vide Baronium ad an. 357. n. LVII. ubi vetus epigramma de *Eusebio* exhibet, quod ad hunc Eusebium presbyterum pertinere arbitratur. Coustantius vero in epist. Romanorum Pontificum pag. 318. una cum Tillemontio, ad *Eusebium* Romanum Pontificem pertinere judicant, ut monuimus in notis in Pagium ad an. 312. n. XXII. Acta post Mombritium vulgavit Baluzius Miscellan. tom. II. pag. 141. Ea castigatione indigere, monet Tilemontius tom. VI. pag 776. Vide Bollandianos hac die pag. 166. Exstat in Urbe veterrimus *S. Eusebii* titulus in Esquiliis, de quo Baronius in Notationibus hac die, & alii. In Capitularibus Evangeliorum tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 242. ad diem XXII. *Januarii* designatur: *Statio in basilica Eusebii juxta Merulana*. Statio quoque in his præfigitur *ad sanctum Eusebium* feria VI. hebdomadæ IV. in Quadragesima. In elogio Adonis, *Eusebium* sepultum fuisse juxta corpus B. *Sixti* martyris habetur. Idem quoque legitur in Notitia ab Eccardo edita: *Et juxta eandem viam* (Appiam) *Ecclesia est S. Sixti Papæ, ubi ipse dormit. Ubi quoque Cæcilia virgo pausat, & ibi S. Tarsicius, & S. Gerefinus in uno tumulo jacent, & ibi* S. EUSEBIUS, *& S. Colocerus, & S. Parthenius per singuli jacent: &* DCCC. *martyres ibidem requiescunt*. Baronius vero in Notationibus hac die, *Eusebii, Orosii, Paulini*, & aliorum corpora in ejusdem basilica, prout ex veteribus monumentis, asservari scribit. De ejus cultu & gestis Bollandiani hac die pag. 166. *& seq.*

Felicis & Fortunati. *Felix & Fortunatus* fratres, de quibus die XI. *Junii*, iterum ab apographis nostris hac die recensentur; iterum etiam hac die a Hieronymianis, a Martyrologio Reginæ Suecorum, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Notkero, & Auctariis Usuardi, quorum aliqua habent: *In Vincentia civitate*. Apographa Hieronymiana agunt item die XIV. Maji, & habent: *Apud Aquilegiam, sanctorum martyrum Felicis & Fortunati fratrum*. Kalendarium Vat. 3806. *Felicis & Fortunati* meminit ad XIV. *Kal. Septembris*. Vulgata Acta apud Mombritium, & apud Bollandianos die XI. *Junii* pag. 462. horum martyrium collocant ad diem XIV. *Maji*, sed in vetustis lectionibus apud Vicetinos, ut iidem socii ibidem monent, XVIII. *Kalendas Septembris* passi dicuntur, ut legendum XIX. *Kalend. Septemb.* iidem qui supra Bollandiani socii pag. 460. animadvertunt. In Actis quæ ex codice Canonicorum Forojuliensium indigitavimus ad diem XI. *Junii*, legitur *nonodecimo Kalendas Septembris*. At Andreas Dandulus in Chronico lib. IV. cap. VII. P. VII. pag. 39. *Pridie Idus Maji*, hos martyres decollatos esse scribit. Traduot autem S. *Fortunati caput* & S. *Felicis corpus*, incensa Aquileja a Langogardis A.D. 590., in *Gradensem* insulam fuisse delata. In Chronico Gradensi apud Ughellum Italiæ sacræ tom. V. novæ editionis, ex quo Anonymus in Disceptatione Italice scripta de Translationibus SS. Felicis & Fortunati, Venetiis edita an. 1718. cujus auctor esse fertur Josephus Soffiettus, tum Clodiensis, nunc Adriensis Episcopus, *Primogenius*, qui ex Subdiacono regionario S. R. E. ab *Honorio* Pontifice, narrante Dandulo, lib. VI. cap. VII. P. III. *Gradensis* Patriarcha constitutus fuerat, visu monitus, corpora B. *Hermacoræ*, & *S. Felicis & Fortunati*, sita uno miliario ab urbe Gradensi, in Gradensem civitatem adduxisse dicitur. In Chronico Danduli tamen S. *Hermacoræ* corpus tantum Gradum translatum legitur. Idem Dandulus lib. IX. cap. II. P. XV. pag. 258. narrat, *Orbonem* Urseolum Ducem Venetorum c. A.D. 1024. ad oppugnandam Gradensem urbem profectum, eam in Venetorum potestatem redegisse, ibique *Hermacoræ*, & *Fortunati*, ac item *Fortunati & Felicis*, & aliorum sanctorum corpora inventa. Fere eadem habet Chronicon apud Ughellum tom. V. pag. 1109. novæ editionis. Deinde addit diploma *Ordelaphi Phaleri* Ducis Venetorum de translatione Episcopatus Metamaucensis ad Fossam Clodiam, A.D. 1110. die X. *Aprilis*, Indictione *tertia* datum, ubi *corpus S. Felicis martyris*, & *caput S. Fortunati* translatum Clodiam fuisse, & quidem die XIV. *Maji* perhibetur. Similia refert Dandulus lib. IX. cap. XI. P. IX. pag. 263. Habes igitur, cur in veteribus Hagiographis, variis diebus *Felix & Fortunatus* colantur.

15. *Aug.* *C. XVIII. KALENDAS SEPTEMBRIS.*

Dormit. S. Mariæ. SANCTÆ Mariæ Dormitio.

Tharsitii. De hoc in gestis Stephani Pap. 2. Aug. Eodem die, sancti Tharsitii acolythi & martyris. Quem pagani cum invenissent Christi corporis sacramenta portantem, cœperunt discutere quod gereret. At ille indignum judicans porcis (Vid. lib. de fest. Apost. 8. Sept. in ejus natali.)

porcis prodere margaritas, tam diu fustibus ac lapidibus mactatus est, quousque exhalaret spiritum. Et revoluto ejus corpore, sacrilegi discussores nihil potuerunt in ejus manibus vestimentisque inveniri sacramentorum Christi. Christiani autem collegerunt corpus martyris, & sepelierunt in cœmeterio Calixti via Appia.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. & 514. Ita habent: *Sanctæ Mariæ dormitio, vel assumptio. Eodem die sancti Tarsicii &c.* ut in editis. Post extrema verba via *Appia*, sequitur in eisdem codicibus:

Eusebii. „ Item natalis sancti Eusebii, qui a Præside Palæstinæ provinciæ pro fide Christi „ tentus, primum æculeo (sic) tortus, post capite plexus, martyrii pœna perpe„ tua suscepit sempiterna (cod. 512. 514. præmia.)

Dorm. vel Assumpt. S. Mariæ. ADNOTATIO. In Latinorum omnium Ecclesiasticis tabulis, ac in libris Liturgicis omnibus, licet non æque apud omnes una eademque die, celebritas *Assumptionis* Deiparæ virginis recolitur. In horum autem monumentis hæ voces *assumptio, depositio, dormitio, pausatio, & solemnia de pausatione* occurrunt. Actum agam, & quoniam decet profiteri, per quem profeceris, ex lectissimis Animadversionibus Eminentiss. Lambertini, nunc BENEDICTI XIV. Pont. Max. de festis Beatæ Virginis P. II. §. XCVIII. *& seq.* fere singula, quæ nunc in rem afferam, me delibasse fateor. Hieronymiana apographa agunt die XVIII. *Januarii*, & hac die XV. *Augusti*. Lucense Florentinii ad diem XVIII. *Januarii* habet: *Depositio sanctæ ac gloriosæ beatæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi*. Ad diem XV. *Augusti* præfert: *Assumptio sanctæ Mariæ*. Vide adnotata a Florentinio pag. 754. 755. & ejus Exercitationem p. 263. *& seq.* Apographum Epternacense silet ad XV. *Augusti*. Die vero XVIII. Januarii: *Adsumptio sanctæ Mariæ*. Hieronymianum vetus æri incisum apud Bollandianos, eadem die XVIII. Januarii habet: *Depositio sanctæ Mariæ*. Apographum Hieronymianum Dacherii ad XV. *Augusti*: *Et Assumptio sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi*. Beda genuinus die XV. *Augusti*: *Sanctæ Mariæ dormitio*. Ita apographum Bedæ Palat. Vat. 833. Aliud ibidem n. 834. apographum habet: *Adsumptio sanctæ Mariæ matris Domini nostri*. Romanum parvum eadem die: *Dormitio sanctæ Mariæ virginis*. Gellonense ea die: *Assumptio sanctæ Mariæ matris Domini*. Rabanus ea item die: *Assumptio sanctæ Mariæ*. Vulgatus Ado, in libello de festivitate Apostolorum, ubi de Nativitate beatæ Mariæ ad VIII. *Septemb.* & ex eo Usuardus ad XV. *Augusti* ita præferunt: *Dormitio sanctæ Dei genitricis Mariæ, cujus sacratissimum corpus etsi non inveniatur super terram, tamen pia mater Ecclesia venerabilem ejus memoriam sic festivam agit, ut pro conditione carnis eam migrasse non dubitet. Quo autem illud venerabile Spiritus sancti templum nutu & consilio divino occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quam aliquod frivolum & apocrifum inde tenendo docere*. Codices nostri Adoniani ad hunc diem, tantummodo habent: *Sanctæ Mariæ dormitio, vel assumptio*. Notkerus Balbulus ad XV. *Augusti*: ASSUMPTIO *B. Mariæ genitricis Dei. Pro quo nomine cum in cæterum Sanctorum transitu*, DEPOSITIO, *vel* DORMITIO, *aut certe* NATALE *dici soleat, quod venerabilis pater Gregorius Turonicus Episcopus in libro miraculorum de eadem Assumptione sentiat, libet ad auctoritatem legentium commemorando proferre &c.* Vide Ruinartii notas ad lib. I. cap. IV. Gregorii Turonensis de gloria Martyrum. Wandelbertus ad hanc diem ita canit:

Octava & decima, mundi lux flosque Maria,
Angelico comitatu choro petit æthera virgo.

Cæterum *Assumptio sanctæ Mariæ*, vel *sanctæ Dei genitricis* ad diem XV. *Augusti* legitur in Martyrologiis Reginæ Suecorum, Fuldensi, Ottoboniano, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviori, Kalendario Palat. Vat. 485. Vat. 3806. & in aliis apud Martenium in novo thesauro Anecdot. tom. III. & in amplissima collectione Anecdot. tom. VI. ac item apud alios. Hactenus Hagiologia. In libris Liturgicis, ut in codice Gelasiano pag. 168. Missa hac die XV. *Augusti* habetur: *In Adsumptione sanctæ Mariæ*. Prima oratio est: *Deus, qui salutis æternæ B. Mariæ virginitate fœcunda &c.* Alia: *Omnipotens sempiterne Deus, qui terrenis &c.* Secreta: *Accipe munera*. Post com. *Cælesti munere satiati*. Missale Gothicum pag. 290.

ante

ante natalem *S. Agnetis* Missam habet: *In Adsumptione sanctæ Mariæ matris Domini nostri*. Sacramentarium Gallicanum apud Mabillonium Musei Italici tom. I. P. II. pag. 290. post Missam in *cathedra S. Petri* habet antiqua manu, ut ibi monet Mabillonius: *In Missa sanctæ Mariæ*. Ibid. pag. 299. legitur: *Missa in sanctæ Mariæ solemnitate*; & pag. 300. *Missa in Adsumptione sanctæ Mariæ*. Lectionarium Luxoviense apud eundem Mabillonium de Liturgia Gallicana lib. II. pag. 118. ante festum *cathedræ* S. Petri habet: *Legenda in festivitate sanctæ Mariæ*. Vide ibi Mabillonium, qui de *Assumptione B. Mariæ* hic agi censet, cujus festum diem mense *Januario* ante Carolum M. celebratum fuisse ex Gregorio Turonensi lib. I. de gloria Martyr. cap. IX. existimat, & in mensem *Augustum* translatum, quum Galli ordinem Gregorianum susceperunt, ut elicitur ex Capitularibus Caroli M. lib. I. cap. CLVIII. & ex Annalibus Bertinianis ad an. 862. Post liturgicos, qui Gregorianum ritum præcesserunt, Gregoriana ipsa proferamus. In Sacramentario Reginæ Suecorum 337. ad diem XV. *Augusti* Missa habetur præfixo titulo: *Adsumptio sanctæ Mariæ*. Prima oratio hæc est: *Veneranda nobis, Domine, hujus est diei festivitas, in qua sancta Dei genitrix mortem subiit temporalem, nec tamen mortis nexibus deprimi potuit, quia filium tuum Dominum nostrum de te genuit incarnatum*. Sequitur ibi: *Alia ad Missam: Famulorum &c.* Super oblata: *Subveniat*. Ad complendum: *Mensæ cælestis*. Eadem habent Sacramentaria Pamelii, Menardi, & Angeli Rocchæ, in quorum postremis habetur Præfatio propria: *Et te in veneratione &c.* Sacramentarium Palat. Vat. 495. hac die ita præfert: *Pausatio sanctæ Mariæ*. Prima oratio est: *Famulorum &c.* Sequitur: *Item ad Missam. Magna est, Domine, apud clementiam tuam Dei genitricis oratio, quam idcirco de præsenti sæculo transtulisti, ut pro peccatis nostris apud te fiducialiter intercedat. Per.* Oblat: *Concede, misericors Deus &c.* Ad com. *Mensæ cælestis participes &c.* Oratio: *Veneranda* ibi ponitur in vigilia ejusdem Dei genitricis. Capitularia Evangeliorum tom. II. de Liturgia Rom. Pont. p. 274. hac die ita præferunt: *Solemnia de pausatione sanctæ Mariæ*, & duo hac die exhibent Evangelia. Capitulare Reginæ Suecorum n. 4. & Martenii tom. V. novi thesauri Anecdot. habent: *Assumptio sanctæ Mariæ*. Ex hactenus allatis voces *depositionis*, *assumptionis*, *dormitionis*, & *pausationis* audisti. Nosti autem quantæ inter Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Parisiensis concertationes an. 1668. ob Usuardi textum exortæ fuerint, & quanta animorum contentione inter *Claudium Jolium*, *Nicolaum Advocatum Bilialdum*, & *Jacobum Gaudinum*, scriptis editis ultro se lacessentes: quibus ut Judex & arbiter sese immiscuit Jo. Launojus, qui: *Judicium de controversia super exscribenda Parisiensis Ecclesiæ Martyrologio exorta*, edidit, *Lauduni* an. 1670. ac iterum, *Parisiis* an. 1671. cui *Bilialdus* repetitas Vindicias pro Assumptione corporali B. Mariæ Virginis, editas Parisiis an. 1672. opposuit. Jolyus in libello, cui titulus: *Traditio antiqua Ecclesiæ Franciæ* &c. pag. 36. *& seq.* existimat, *dormitionem* idem esse, ac *migrationem*, & *mortem*, & pag. 40. scribit, *assumptionis* vocabulum sumi aliquando pro *natali*, seu *depositione* sanctorum, ut in veteribus Martyrologiis de SS. *Philippo Apostolo*, ac de *Jo. Evangelista* legitur. De voce *pausationis* nonnulla profert ex Commodiano Rigaltii Jo. Fronto in notis ad Kalendarium hac die. In monumentis etiam medii ævi verbo *pauso*, ubi de sanctis martyribus agitur, pro *quiesco*, aut *dormio* accipitur. Vide Cangium in Glossario, verbo, *pausa*, *pausare*, *pausatorium*, & *pausatio*. Sed ad has voces *pausatio* &c. ubi de *Assumptione* B. Virginis quod attinet, vide Apologiam pro venerabili viro Josepho Maria Cardinali Thomasio, Italice non multis ab hinc annis editam cap. VII. pag. 97. *& seq.* cap. VIII. §. VII. pag. 138. *& seq.* In vulgatum Adonem, & Usuardum succenset Baronius ad an. 48. n. XV. & XVI. Ibi paullo ante n. IV. *& seq.* ac deinceps plura ex Patribus de eadem Assumptione, ac item in Notationibus hac die. Ubi de scriptis apocryphis quæ circumferuntur, censura legitur. Inter recentiores hac de re adeundus Tillemontius tom. I. pag. 475. & not. XIV. XV. & Sollerius ad Usuardum hac die. De elogiis vero Græcorum in *dormitionem*, & *assumptionem B. Mariæ* habes eorum elenchum apud Fabricium Bibliothecæ Græcæ tom. IX. pag. 116. In cod. Vat. 3836. sæculi VIII. in quo Patrum lectiones pro divinis officiis recitandæ continentur, pag. 61. legitur: *Incipit sermo sancti Antipatri patris nostri ad Matutinum in Adsumptione sanctæ Mariæ. Lectio* I. *Iterum nos sancta*, usque *magnitudo cum patre &c.* Nullus adhuc de hoc sermone, an Antipatri sit, nos docuit. Ibidem pag. 70. habetur: *Procli CPolitani Homilia in sanctæ Dei genitricis Mariæ. Lect.* VII. *Virginalis hodie*, usque *in aliis habentur*. De hac Homilia Fabricius Biblioth. Græcæ tom. VIII. pag. 601. Lucem primam vidit una cum Actis Ephesinæ Synodi, Theodoro Peltano S. J. interprete, *Ingolstadii* an. 1570. Deinde alibi in variis conciliorum editionibus. Edita etiam ab Elmenhorstio inter Procli opuscula pag. 52. & a Vincentio Riccardo in Proclo pag. 673. qui aliam interpretationem Dionysii exigui, ut opinatur, e MS. Vaticano vulgavit.

Tharsicii, seu *Tarsicii* natalis hac die agitur a Romano parvo, Adone nostro, ex quo Usuardus, & Notkerus. Codices nostri de eo etiam egerunt die III. *Augusti*, qua die agunt nonnulla Usuardi Auctaria. Forte quia in Actis S. Stephani Papæ celebratur, & postridie *Tarsicii*.

die illius diei alicubi celebratur. Alii de eo silent. Instar omnium est Carmen XXXV. S. Damasi Papæ. De *Eucharistiæ* delatione, quæ in illius elogio memoratur, plura erudite Baronius in Notationibus hac die. Vide etiam, si lubet, quæ de Eucharistia Christifidelibus in manibus tradita, & ab iis domum delata, lib. IV. de Liturgia Roman. Pont. cap. XIX. pag. 171. & *seq.* diximus. De *Tarsicio* Tillemontius tom. IV. pag. 32. & socii Bollandiani hac die pag. 201.

Eusebii. De *Eusebio* in Palæstina martyre, de quo codices nostri, nihil hac die apud veteres Hagiographos reperitur, nisi in Auctariis Usuardi, in quibus legitur: *In Palæstina, sancti Eusebii martyris*, &, in quibusdam editionibus additur: *presbyteri & martyris, pro Christo decollati*. Castellanus in Martyrologio universali pag. 701. in addendis ad diem XV. *Augusti* monet, ea die loco *Eusebii* confessoris Romæ, legendum esse: *In Syria, sancti Eusebii martyris*, ut habent Hieronymiana; sed corruptam esse Hieronymianorum lectionem, ibi ostendimus. Bollandiani ad diem XIV. *Augusti* pag. 149. *Eusebium* in *Gandara Syriæ*, ex Hieronymianis agnoscunt; & pag. 150. eadem die *Eusebium* alterum in Palæstina martyrem sub Maximino statuunt, qui a nostris codicibus colitur hac die XV. *Augusti*. Acta ex codice S. Audoeni apud Martenium in thesauro Anecdot. tom. III. pag. 1649. proferunt.

D. XVII. KALENDAS SEPTEMBRIS. *16. Aug.*

Cassiod. l. 5. cap. 33. Hist. Trip. IN Nicæa Bithyniæ, natalis sancti Ursatii confessoris sub Licinio persecutore, qui, derelicta militia, solitariam vitam in quadam turre præfatæ urbis egit: tantisque virtutibus claruit, ut & dæmones expulisse, & ingentem draconem orando interemisse legatur. Scriptum in libro quinto historiæ Ecclesiasticæ tripartitæ. *Ursatii.*

Romæ, sanctæ Serenæ, uxoris quondam Diocletiani Augusti. *Serenæ.*

VARIA LECTIO. Ed. *In Nicæa Bithyniæ &c.* Cod. 511. habet: *In Cæsarea Bithyniæ, natalis sancti Ursacii &c.* Post extrema verba *Diocletiani Augusti*, sequitur in codice 511.

„ Eodem die, Verziaco monasterio, exceptio corporis almi Ragnoberti Episcopi Bajocensis civitatis. *Ragnoberti.*

Ursacii. ADNOTATIO. *Ursacium*, alii *Arsacium*, hac die celebrant Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, & Notkerus, silentibus Hieronymianis, & aliis vetustioribus. Fons, ex quo sumpsit elogium Ado, ab ipsomet Adone indicatur. Cassiodorus in Historia Tripartita accepit ex Sozomeno lib. IV. cap. XVI. Agit insuper de eo Martyrologium Fuldense, quod Usuardum & Adonem exscribere solet. Claruit in *Licinii* persecutione, quæ fuit A. D. 320. ut post Pagium censet Ruinartius in Acta martyrum pag. 582. Vide Bollandianos hac die pag. 270. & *seq.* ubi de ejus cultu, martyrio, vitæ genere, & Actis. Passus esse ab iis dicitur A. D. 358. In Martyrologio Romano *Arsacius* appellatur.

Serenæ. *Serena* celebratur hac die a Romano parvo, Adone, Usuardo, Notkero, & Martyrologio Fuldensi. Baronius in Notationibus monet, de ea agi in Actis S. *Susannæ*, in rebus gestis S. *Marcelli* Papæ, aliisque martyrum Actis, sed apud profanos scriptores nihil de ea haberi; quia Diocletiani gesta obscurissima sunt. De *Serena* idem ad an. 295. n. IV. & VIII. Sed vide Pagium in Critica ad an. 295. n. II. & *seq.* qui *Serenam* nunquam Diocletiano nuptam fuisse docet; sed martyrium Diocletiani jussu subiisse fatetur ad an. 295. n. II. Vide Bollandianos hac die pag. 263.

Ragnoberti translat. *Ragnoberti* translatio in *Verziacense* monasterium, de quo hac die in uno ex nostris codicibus, incerti temporis est, neque adhuc nobis manifesta. *Veziliacense*, postea *Verziliacense*, *Varsiliacense*, & *Virgiliacense* monasterium conditum fuit A. D. 867. ex Mabillonio Annal. Bened. lib. XXXVI. §. LXXIV.

De hoc monasterio Hericus monachus in Historia Episcoporum Autisiodorensium c. xliv. & seq. *Varziacum* castrum, eodem Herico teste, vel a S. Germani Episcopi Autisiodorensis temporibus nobilem basilicam habuit. Apud Bollandianos ad diem xvi. *Maji* pag. 625. aliquid de S. Ragnoberti translatione *Varziacum* attingitur ex Breviario Prioratus S. Ragnoberti, ubi ea translatio celebratur die xvi. *Augusti*, & in Episcopatu Æduensi die xxvi. *Martii*, & xii. *Augusti*. Vide quæ de Ragnoberto, ejusque translatione sæculo ix., diximus ad diem xxv. *Martii*. Martyrologium Romanum de *Ragnoberto* filet.

E. XVI. KALENDAS SEPTEMBRIS.

17. Aug.

Liberati & soc. APUD Africam, natale sanctorum martyrum, Liberati abbatis, Bonifacii Diaconi, Servi, & Rustici subdiaconorum, Rogati, & Septimii monachorum, & Maximi pueri. Qui persecutione Wandalica jussu crudelissimi, atque impiissimi Regis Hunnerici, de territorio Capsensis civitatis, ex habitaculo monasterii abstracti, atque ad urbem Carthaginensem perducti sunt. Ubi pro confessione Catholicæ fidei, & unici Baptismatis defensione, primo carcerali custodiæ mancipati, & crudelibus ferri ponderibus arctati, tenebrosis deputati sunt locis. Ubi cum die, ac nocte Christianum populum in fidei constantia roborassent, jussit Tyrannus furore succensus, navem lignorum manipulis adimpleri, atque omnes pariter alligatos, in pelago, igne supposito, adcremari. Cum autem pro voluntate infandi Regis, vel crudelium ministrorum, extensis eorum manibus, & pedibus elevatis, lignis ignis fuisset injectus, statim imperio divino videntibus cunctis extinctus est: & dum sæpius renovaretur, iterum atque iterum extinguebantur globi flammarum. Unde magis Tyrannus furore simul, & pudore repletus, jussit eos remorum vectibus enecari, & ita singulos in modum canum cerebris comminutis, perimi. Sicque speciosum cursum certaminis sui, coronante Domino, perfecerunt. Corpora eorum in mare jactata, sub eadem hora illæsa littoribus reddita, a Christiano populo reverenter sublata, præeunte clero cum hymnis solemnibus condita sunt in monasterio contiguo basilicæ, quæ dicitur Celerinæ. Scribit beatus Victor Africanus Episcopus in historia ejusdem Wandalicæ persecutionis, quam & ipse cum ceteris sustinuit, & fideli, atque illustri stylo digessit.

Victor. African. l. 3.

Mammetis. Apud Cæsaream Cappadociæ, natalis sancti Mammetis martyris, qui passus est imperante Aureliano, sub Alexandro præside.

Liberati & soc. ADNOTATIO. *Liberati* & sociorum meminere hac die in primis Romanum parvum, Ado, Usuardus, & Notkerus. Ceteri silent. Ado horum elogium ex Victore Africano Episcopo in Historia persecutionis Wandalicæ se sumpsisse testatur. Utrum id verum sit nec ne, disquirit Ruinartius in sua Historia persecutionis Wandalicæ pag. 94. ubi de mar-

martyrii tempore, loco, atque genere multa profert, ac item in notis pag. 209. Vide insuper Bollandianos hac die pag. 454. *& seq.* Passi dicuntur A. D. 483.

Mammetis *Mammes*, seu *Mamas*, & *Mamma* martyr, insignis est tum apud Latinos, tum apud Græcos. Agunt de eo in primis hac die Hieronymiana, in quibus *monachus* appellatur. Agunt præterea Beda, Romanum parvum, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Notkerus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, & Kalendarium Vatic. 3806. Unus ex nostris Adonianis codicibus de *Mammete* agit die XVI. *Julii*. Fere in his omnibus *monachus & martyr* dicitur. Unusne, an duo *Mammetes* sint distinguendi, disquirit Florentinius in notis hac die, & post eum Ruinartius, qui in Acta martyrum pag. 276. *& seq.* Patrum elogia, nimirum Gregorii Nasianzeni, & Basilii de *Mamante* martyre profert, quem *pastorem* fuisse ajunt. Ibi etiam ex Sozomeno lib. III. cap. III. de basilica ejusdem martyris apud Cæsaream. Item de alia apud Constantinopolim, de qua Cangius in Constantinopoli Christiana lib. IV. sectione XII. n. 3. De ejus in Galliis cultu in Ecclesia Lingonensi idem Ruinartius ibidem. De eo Græci agunt die II. *Septembris*. Denique statuit Ruinartius martyrium *Mamantis*, se ad annum circiter 274. cum vulgatis auctoribus referre, donec certiora proferantur: & hunc *Mamantem* distinguendum esse ab alio *Mamanta* martyre, quem Græci colunt die XXIX. *Julii*. De utriusque *Mamantis* Ecclesia apud Constantinopolim Cangius in Constantinopoli Christiana lib. IV. sect. VI. n. 60. Baronius in Notationibus hac die Patrum elogia de *Mamante* martyre, cultum, & Acta indigitat ex Metaphraste. Celebrem etiam ejus memoriam Romæ fuisse putat, quod S. Gregorius M. homiliam XXXV. in Evangelium, die natali ipsius, in ejusdem martyris basilica habuerit. De illius etiam illustri martyrio in Annal. ad an. 275. n. VIII. In Ecclesia quoque Mediolanensi, ut patet ex veterrimo Capitulari ad usum illius Ecclesiæ, de quo nos sæpius, illius natalis colebatur. Missale plenarium Vatic. 4770. illius celebritatem una cum festo Assumptionis B. Mariæ conjungere videtur; nam ad eam diem hic ibi legitur titulus: *Romæ, Adsumptio sanctæ Dei genitricis virginis Mariæ Dominæ nostræ. In Cæsarea sanctæ Mammæ*. Acta Græca Metaphrastæ tribuuntur ab omnibus, sed habentur etiam alia Acta Græca incerti auctoris, & alia indicantur a Lambecio lib. VIII. pag. 221. Ex Metaphraste Latine habentur apud Lipomanum die II. *Septembris*, & Surium die XVII. *Augusti*. Nos Acta hujus martyris Latina vidimus in codice Canonicorum Forojuliensium, quæ ita exordiuntur: *Vita & legenda sancti Mamæ martyris. In diebus illis. Cum primitus ab Aureliano Imperatore persecutio Christianis orta esset, secretum* (pro *decretum*) *exivit in universo orbe, ut Christiani ydolis* (pro *idolis*) *sacrificarent*. Paullo aliter habetur apud Mombritium tom. II. ubi Acta sic incipiunt: *Passio S. Mammetis mart. Cum primitus ab Aureliano persecutore Christianorum per universum mundum missum esset &c.* In cæteris consule Bollandianos hac die pag. 423. *& seq.*

F. XV. KALENDAS SEPTEMBRIS. 18. *Aug.*

Agapiti. APUD Prænestinam civitatem, miliario ab urbe trigesimo-tertio, natalis sancti Agapiti martyris, sub Aureliano Imperatore, præside Antiocho. Cum esset annorum quindecim, & amore Christi martyrio ferveret, jussu Imperatoris tentus, & primo nervis crudis diu cæsus est, deinde præsidi ut impelleretur sacrificare traditus. Qui in durissimo, atque obscurissimo carcere eum reclusit, & per quatuor dies cibum omnem negavit: inde de carcere exhibitus est præsidi: qui prunas ardentes super caput ejus jussit imponi. Et cum gratias Deo Martyr ageret, flagellis est cæsus, & nudus suspensus, capite deorsum verso, acri subter fumo facto. Et cum diceret præsidi: Sapientia tua, & vanitas tua in fumo laborat: iterum flagellis cæditur a quatuor sibi invicem succedentibus: deinde bullientem aquam super ventrem ejus ministri diaboli effude-

 runt,

runt, & maxillas ejus confregerunt. Interea judex de tribunali ſuo cadens, collectus a miniſtris in lecto reclinatur, & ſentiens Dei virtutem in Martyre, poſt modicum triſtem animam emiſit. De beato vero Agapito renuntiatum eſt Imperatori: qui beatum virum juſſit leonibus ſubjici, ſed manſuetæ factæ feræ, pedibus martyris ad lambendum ſe inclinaverunt. Hoc videntes ſceleris miniſtri, tulerunt de medio ſanctum martyrem, & venerunt contra civitatem Præneſtinam, ubi ſunt duæ columnæ, & ibi eum gladio percuſſerunt, ſub die quintodecimo Kal. Sept. Corpus ejus noctu ſublatum eſt a Chriſtianis, & poſitum miliario primo a civitate in agro, in ſarcophago novo, nutu divino ibi invento.

Joan. & Criſpi. Eodem die Romæ, in Sexto Philippi, natale beatorum presbyterorum Joannis, & Criſpi, qui perſecutione Diocletiani, & Maximiani multa ſanctorum corpora officioſiſſime ſepelierunt. Quorum meritis & ipſi poſtmodum ſociati, gaudia vitæ meruerunt.

VARIA LECTIO. Poſt extremum verbum *meruerunt*, ſequitur in codicibus 511. 512. 514.

Maſſecandidæ. „ Apud Cartaginem paſſio ſanctorum Maſſecandidæ, qui paſsi ſunt tempo„ re Galieni, & Valeriani. In quorum laudibus extant Omeliæ beati Auguſtini Epi„ ſcopi, quorum paſſiones require v111. Kal. Septemb. tamen ſciendum quia xv. Kal. „ paſſi ſunt. *Martini Papæ.* Eodem die natalis ſancti Martini Papæ, qui ob catholicam fidem ab „ Imperatore Conſtantio hæretico per Teodorum de Eccleſia raptus, ac perductus „ Conſtantinopolim, apud Cerſonam (ſic) provincia Liciæ exilio relegatus, ibi„ dem vitam finivit. Ubi uſque hodie multis miraculis fulget.

Agapiti. ADNOTATIO. *Agapiti* apud Præneſtinam urbem martyris natalis colitur hac die a Hieronymianis, Beda, Romano parvo, Rabano, Adone, Uſuardo, Wandelberto, & Notkero. Rhinovienſe, & Richenovienſe hac die habent: *Romæ, Agapiti*. Ita Auguſtanum. Labbeanum primo loco *Agapiti* meminit, deinde alios commiſcet. Corbejenſe brevius: *Priſtina* (pro *Præneſtina*) *civitate, miliario ab Urbe trigeſimo tertio, natalis S. Agapiti*. Agunt præterea Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldenſe, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vatic. 3806. in quorum pleriſque corruptum eſt *Præneſtinæ* civitatis nomen. At illuſtrior eſt hujus martyris cultus, quo in libris Liturgicis S. R. E. vetuſtiſſimis celebratur; nam in codice Gelaſiano pag. 168. Miſſa hac die *in natali ſancti Agapiti* ſtatuitur. Prima ibi oratio eſt: *Sancti martyris Agapiti merita*. Secreta. *Munera tibi*. Poſt com. *Sumpti ſacrificii*. In Gregorianis etiam Sacramentariis omnibus Miſſa de eodem martyre hac die habetur, in quibus prima oratio: *Lætetur Eccleſia*. Secreta: *Suſcipe, Domine*. Ad com: *Satiaſti Domine*. In quibuſdam, ut in Miſſali plenar. Vat. 4770. habetur Præfatio propria. Capitularia quoque Evangeliorum veterrima tomo 111. de Liturgia Rom. Poot. pag. 274. Evangelium in ejuſdem natali habent. De Eccleſia S. *Agapiti, via Tiburtina* meminit Notitia apud Eccardum, ſed, ni fallor, eſt S. *Agapiti* diaconi, qui una cum *Sixto* Papa paſſus eſt. Acta corrupta ſunt, de quibus Bollandiani hac die pag. 524. Horum exemplum nos vidimus in codice Canonicorum Forojulienſium, quorum exordium, præmiſſo titulo: *In feſto S. Agapiti martyris*, ita eſt: *Sub rege Antiocho pagano erat quidam puer nomine Agapitus, timens Dominum. Hic omnibus fuit* &c. Eadem apud Mombritium. Habentur etiam hujus Acta in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 219.

pag. 219. quorum initio hic titulus inscriptus est: *Passio sancti Agapiti martyris sub die quinto decimo Kalendas Septembris*.

Joann. & Crispi. *Joannis*, & *Crispi* presbyterorum, ac martyrum Romæ, primum meminit, opinione Sollerii, Romanum parvum, deinde Ado, & ex eo Usuardus. Ad Aringhium Romæ subter. lib. II. cap. xx. pag. 365. nos amandat Sollerius, ubi verba *in sexto Philippi* explicantur. De his Bollandiani hac die pag. 545. ex Martyrologiis. Passi sunt sob Diocletiano.

De martyribus, qui *Massa candida* nuncupantur, in vulgatis Adonis exemplaribus agitur ad diem XXIV. *Augusti*, quare ea die nos quoque adnotationes nostras dabimus. *Massa candida.*

De *Martino* Papa vulgatus item Ado agit die x. *Novembris*. Nos quoque in eam diem adnotationes nostras differimus. *Martini Papæ.*

G. XIV. KALENDAS SEPTEMBRIS. 19. *Aug.*

NATalis sancti Magni, seu sancti Andreæ martyris, cum sociis suis duobus millibus quingentis nonaginta septem. *Magni, & Andreæ cum soc.*

In Galliis, pago Sigisterico, in monte, qui dicitur Jura, natale sancti Donati Presbyteri. Qui ab ipsis infantiæ rudimentis mira Dei gratia præditus, ex urbe Aurelianensi ad præfatum locum, ut soli Christo vacaret, adveniens, anachoreticam illic vitam multis annis exegit, tanta miraculorum gloria clarus, ut inter cetera gesta magnifica etiam draconem immanem atque terribilem suis exinde orationibus effugatum extingueret. Cumque dies vocationis ejus instaret, adveniente sancto abbate Mario, cui ita fuerat revelatum, inter verba orationis migravit ad Christum. Sepultusque est ab eodem patre in loco suo. *Donati.*

De his in vita sancti Eusebii 25. Aug. Romæ, natale beati Julii Senatoris & martyris, sub Commodo Imperatore, judice Vitellio. Hunc docuerunt beati martyres Eusebius, Vincentius, Peregrinus, & Pontianus. Per quorum manus etiam facultates suas pauperibus distribuens, a beato Rufino Presbytero Baptismi gratiam percepit. Quod audiens Commodus, iratus jussit eum teneri, & cuidam Vitellio magistro peditum tradi, ut omnes facultates ejus requireret, & ad sacrificandum impelleret. Qui conjecit eum in carcerem, & post triduum catenis vinctum fecit sibi præsentari. Et auditum jussit tam diu fustibus cædi, donec emitteret spiritum. Cujus corpus collegerunt noctu B. Eusebius, Pontianus, Peregrinus, atque Innocentius, & sepelierunt in cœmeterio Calepodii sub die XIV. Kalend. Septembr. *Julii Senatoris.*

VARIA LECTIO. Ed: *Natalis sancti Magni, seu &c.* Codices 511. 512. 514. *Natalis sancti Magni, seu sancti Andreæ martyrum cum sociis suis duobus milibus* D. XCVII. (supra scriptum est *quingentis nonaginta septem*) Ed. *In Galliis, pago Sigisterico*. Ed. 514. *In Galliis, pago Agisterico*. Cod. 512. & 514. ut in editis.

Post extremum verbum XIV. *Kal. Septembr.* sequitur in eisdem codicibus.

Mariani. „ In territorio Bituricensi, natale sancti Mariani (cod. 514. Marini) confess-

cur

„ cujus gesta habentur. Cod. 512. ad oram aliena manu habet: *Dedicatio sancti* „ *Petri Eugolismæ Sedis*.

Magni, Andreæ, & soc.

ADNOTATIO. *Magnus*, & *Andreas* cum aliis martyribus sociis coluntur hac die in fastis omnibus vetustioribus, sed corruptis, aut confusis nominibus, & locis. Agunt apographa Hieronymiana, sed ob amanuensium culpam, inter se non conveniunt. Aphograpum Lucense habet hac die: *In Alexandria sancti Orionis confessoris*, tantum. Die vero XVII. hujus: *In Alexandria, natalis sanctorum Orionis, item Mammetis, Emili, Disri, Mammillæ cum sociis suis*. *Magnum* præterit. Epternacense hac die XIX. Augusti: *In Alexandria, Orionis*, deinde: *In Fabriteria, Magni*. Corbejense hac die: *In Alexandria, natalis sancti Orionis cum sociis*. Extremo loco: *Et natalis sancti Magni martyris*. Beda genuinus: *Natale sancti Magni* [seu] *sancti Andreæ cum sociis suis duobus millibus quingentis nonaginta septem*. Romanum parvum: *Sancti Magni, seu Andreæ martyris cum sociis suis duobus millibus* DXCVII. Gellonense: *Magni martyris*, tantum. Rabanus: *Natale sancti Magni, seu Andreæ martyris cum sociis suis duobus millibus quingentis nonaginta septem*. Eadem habent vulgatus Ado, & Usuardus. Florus: *In Alexandria, natale sancti Magni, & S. Andreæ martyrum*. Wandelbertus ita canit:

Magnus & Andreas quarta denaque coruscant.

Richenoviense: *In Alexandria, sancti Orionis*. De *Magno* silet. Augustanum & Labbeanum: *Magni mart. Orionis*. At Augustanum post *Marianum* addit: *Andreæ sociorumque ejus*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Natalis sancti Magni, & sancti Andreæ mar. cum sociis suis duo. mil. quingentorum* XC. *&* VII. *Ponto in Amasica civitate, natalis sanctorum Philionis, Rufini, & aliorum* V. *& in territorio Bituricæ civitatis natalis sancti Mariani*. Fuldense: *Natalis sanctorum Magni & Andreæ mar. cum aliis duobus millibus* DXCVII. Ottobonianum: *Natalis sancti Magni mar. & sancti Andreæ mar. cum sociis suis duobus militibus* (pro *millibus*) *&* DXC. *&* VI. *mart*. Kalendarium Vat. 3806. *In Alexandria, sancti Magni mart. Felicis & Fortunati*. Consule nunc nostrorum codicum verba. Ex tanta Martyrologiorum per librarios depravatione factum est, ut non solum dubium inter recentiores sit, quo loco *Magnus* & socii passi sint, sed etiam, num *Magnus* & *Andreas* unum & idem sint, an in duos sint distinguendi. Inter hos Menardus in notis ad Sacramentarium existimat, *Magnum* martyrem, & *Andream* esse synonymos, ita ut unus & idem sit *Magnus*, qui & *Andreas*, ductus auctoritate Adonis, Rabani, & Usuardi, in quibus particulam *seu* hoc loco pro conjunctione *&* non esse accipiendam, prout passim in medii ævi monumentis, contendit. Ad Sacramentaria provocat, in quibus de *Magno* tantum Missa habetur, ac item nonnulla Kalendaria profert, ubi *Magnus* tantummodo, aut cum sociis recensetur, *Andrea* prætermisso. Nunc velim conferas monumenta, quæ produximus, in quibus aperte *Magnus* ab *Andrea* distinguitur, ac duo diversi nominis martyres dicuntur, & postea tuam proferas sententiam. A Menardi opinione abire non videtur Florentinius in notis hac die. Sollerius ad Usuardum hac die putat, a Martyrolographis melius scribi potuisse: *Magni Andreæ*, more Græcorum; ex quo *Magnum* hujus nominis martyrem respuere videtur, & unum *Andream* agnoscere. Atqui *Magnus* hujus nominis *martyr* hac die die cum Missa colitur in codice Gelasiano pag. 169. Prima oratio: *Adesto, Domine*. Secreta: *Grata tibi sint munera*. Post com: *Tua Sancta sumentes*. Abest quidem *Magni* Missa a Sacramentariis Reginæ Suecorum, Pamelii, & aliis, sed habetur hac die *in natali sancti Magni mart*. cum iisdem orationibus, prout in Gelasiano, præter orationem ad *Secreta*, quæ est: *Præsta nobis*, in Sacramentario Palat. Vat. 495. & 496. & in Appendice Sacramentarii Gregoriani ab Angelo Roccha editi. Martyrologium Romanum hac die de *Magno* habet: *Anagniæ, sancti Magni Episcopi & martyris, qui in persecutione Decii necatus est*. In Notationibus Baronius, Acta Magni se ex Ecclesia Anagnina accepisse scribit, ac de eo mentionem fieri in Actis sanctæ *Secundinæ*, sub Decio passæ, quæ Anagniæ colitur die XV. *Januarii*. Paullo ante in eodem Romano Martyrologio eadem die XIX. Augusti de *Andrea* agitur. De S. *Magni* Actis, ejusque translationibus, & de illius cultu apud Anagniam urbem in Hernicis consulendus anonymus auctor, & Ecclesiæ Anagninæ Canonicus in erudito commentario, qui nuper, idest an. 1743. *Æsii* in Piceno prodiit, cui titulus: *Acta passionis atque translationis S. Magni Episcopi Tranensis ac martyris, ex pervetustis codicibus, tum Casinensi, tum Anagninæ basilicæ cathedralis, in qua corpus ejus requiescit, notis illustrata*. De *Magno* adeundus quoque Tillemontius tom. III. pag. 705. Bollandiani hac die pag. 701. *& seq.* agunt pluribus de S. *Magno* Episcopo in Italia, & pag. 717. de S. *Magno* martyre in Cappadocia. Fuisse *Magnum* olim in Ecclesiam S. Michaelis Archangeli prope Vaticanum translatum, ex veteri quodam monumento tradunt nonnulli; adi Bollandianos hac die pag. 710. §. IV. qui eam explodunt translationem.

Andreæ, *Andreæ* martyris, ac Tribuni militum Acta ex Metaphraste recitat Baronius ad an. 301. n. V. *& seq.* quæ germana esse putat, ac

ac *Andream* passum esse una cum sociis hac die xix. Augusti, qua a Græcis & Latinis colitur, ibi monet. Fabricius tom. ix. Bibliothecæ Græcæ pag. 54. refert, hæc Acta Græce incerti auctoris esse, sed Metaphraste antiquioris, de quibus Lambecius lib. viii. pag. 201. *& seq.* & Bandurius ad antiquitates CPolitanas pag. 647. Vide Tillemontium tom. v. pag. 588. & Bollandianos hac die pag. 7eo. *& seq.*

Donati. *Donatum* ab Adone primum in Martyrologicos fastos relatum putat Sollerius, a quo sumpsit hac die elogium Usuardus. Ejus Acta proferunt Bollandiani hac die pag. 715. Floruit c. A. D. 535..

Julii. *Julii*. Senatoris Romani & martyris primum meminit, ut Sollerius censet, Romanum parvum, deinde Ado, postmodum Usuardus. Passus est sub *Commodo* c. A. D. 190. De illius Actis, ut & de Actis *S. Eusebii*, quæ apud Mombritium, & Surium habentur, meminit Baronius ad an. 192. n. iii. *& seq.* & in Notationibus hac die, existimatque esse *Julium Proculum* Senatorem, quem e Commodo interfectum esse scribit Lampridius in Commodo cap. vii. Nonnulla in his Actis carpit Tillemontius tom. iii. pag. 59. Vide de his Bollandianos hac die pag. 700. De S. *Julio* via Aurelia sepulto Notitia apud Eccardum. Vide Aringhium in Roma subterranea.

Mariani. *Marianum* addunt codices nostri, quem hac die recolunt Hieronymianæ Auctariæ, ut vult Florentinius, verum meminit apographum Epternacense vetustissimum. Apographum Lucense: *Biturio, Vicovillanno, depositio sancti Mariani confessoris*. Ita Corbejense, præter quam initio, ubi habet: *In Biturico, vico Villanno.* Epternacense: *In Baturico civitate, sancti Mariani*. Agunt præterea Gellonense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Martyrologium Reginæ Suecorum. Gellonense habet: *Bituricis, Marinæ martyris*, mendose, quia aliæ lectio præfert *Mariani*. Augustanum quoque titulum *martyris* ei tribuit. In aliis *confessor* dicitur. De eo Gregorius Turonensis in libr. de gloriæ confess. cap. lxxxi. ubi narrat, *Marianum*, simulac ex hac vita migravit, delatum fuisse ad vicum *Evaunensem*, vulgo *Evaun* in diœcesi nunc Lemovicensi, ibique sepultum esse, & a Biturica plebe excultum. *Tetradius* Episcopus *Bituricensis* in ejus honorem basilicam ædificasse fertur. Hinc Ruinartius in notis ad hunc Gregorii locum conjicit, *Marianum* floruisse sub *Clodovæo* I., nam *Tetradius* interfuit Concilio Agathensi A. D. 506. & Aurelianensi I. A. D. 511. Gregorius Turonensis appellat *Marianum*, *confessorem Dei*; ideo mendum cubat in Martyrologiis, in quibus *martyr* vocatur. De vico *Vellauno*, seu *Villauno* in agro Bituricensi vide apud Valesium in Notitia Galliarum verb. *Velaunii*. *Mariani* vitam, præmonentibus Florentinio, & Sollerio in notis hac die, edidit Labbeus Bibliothecæ novæ MSS. tom. ii. pag. 41e. quam haud sinceram suspicatur Sollerius. In diœcesi Bituricensi coli dicitur die xix. *Septembris*. Acta alia proferunt Bollandiani ad hanc diem xix. *Augusti* pag. 734.

A. XIII. KALENDAS SEPTEMBRIS. 20. *Aug.*

NATALE Samuelis prophetæ. Cujus sacra ossa Imperator Arcadius de Judæa transtulit in Thraciam, portantibus Episcopis, & omnium ecclesiarum populis tanta lætitia occurrentibus, quasi præsentem viventemque cernerent atque susciperent: ut de Palæstina usque Chalcedonem jungerentur populorum examina, & in Christi laudes una voce resonarent. Scribit S. Hieronymus in libro contra Vigilantium. *Samuelis prophetæ.* *Hier. contra Vigilant. cap. 2.*

Eodem die, beati Porphyrii hominis Dei, qui sanctum martyrem Agapitum erudivit in fide & doctrina Christi. *Porphyrii.*

Philiberti. VARIA LECTIO. Deest in nostris codicibus *natale*, ubi de *Samuele* propheta. Post extremum verbum *doctrina Christi* sequitur in nostris codicibus. „ Herio insula, sancti Philiberti Abbatis, qui post militiam temporalem, Christi „ tyrocinio mancipatus, monasteriorum extitit fundator devotus.

Samuelis prophetæ. ADNOTATIO. *Samuelis* prophetæ memoriam celebrant hac die Beda, Rabanus, Romanum parvum, Ado, Usuardus, Wandelbertus, & Martyrologium Ottobonianum. A Græcis colitur item hac die. Celeberrime habetur illius translatio, quando

scilicet

scilicet ejus ossa ex Palæstina Constantinopolim A.D. 406. delata sunt. Qua de re Hieronymus adversus Vigilantium, & Chronicon Alexandrinum pag. 308. ubi narrat, *Arcadio Augusto* VI. *& Probo Coss.* idest A. D. 406. *Samuelis* reliquias Constantinopolim allatas esse *ad* XIV. *Kal. Junii*, *praeuntibus Arcadio Augusto*, *& Anthemio Præfecto Prætorio & Exconsule*, *Æmiano Præfecto Urbi*, ac universo Senatu, easque ad aliquod tempus in magna Ecclesia depositas. Eadem ad temporis notam quod attinet, refert Theodorus Lector lib. II. collect. pag. 468., discrepat in die, quia id accidisse XII. *Kal. Julii*, hoc est die XX. *Junii* narrat, & Chronicon Alexandrinum statuit diem XIX. *Maji*. Vide quid sentiat Tillemontius in Arcadii Augusti vita tom. V. pag. 789. Samuelis prophetæ elogium Græce recensetur apud Lambecium lib. VIII. pag. 502. Cætera de illius cultu, & translationibus vide apud Bollandianos hac die pag. 6. *& seq.*

Porphyrii. De *Porphyrio*, de quo Acta S. *Agapiti* Prænestini, nullus Martyrologus Romano parvo antiquior agit. Romano parvo succinunt, Sollerii judicio, Ado, & Usuardus. Cætera ignorantur. Vide quæ de eo habent Bollandiani hac die pag. 26.

Philiberti. *Philibertus*, qui in codicibus nostris additur, non uno eodemque die a Martyrographis colitur. Hac die agunt Hieronymiana Auctaria, ut censet Florentinius, Rabanus, Florus, Usuardus, Gellonense, Hagiologium Francogallicum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, & Corbejense brevius. Die vero XX. *Julii* agunt Wandelbertus, & Kalendarium Vat. 3836. Meminit *Philiberti* ad diem XX. *Augusti* apographum Bedæ Palat. Vat. 834. Emendaodum esse Wandelbertum putat Mabillonius sæculo II. Benedictino in observationibus præviis ad ejusdem Philiberti vitam pag. 816. quod *Philibertum* recolat ad diem XX. *Julii*. *Philiberti* nomen, inquit ibidem Mabillonius, duobus modis effingitur; alii *Filibertum*, alii *Philibertum* scribunt. Recentiores quidam etymologiam sumunt a Græca lingua; at a Gallica potius; seu Germanica derivanda est. *Philibertus* fuit primum *Resbaci* monachus, deinde monasterium *Gemeticense*, vulgo *Jumieges*, decem passuum millibus infra Rotomagum, ad *Sequanam* A. D. 655. condidit. Nec diu post, nempe an. 674. monasterium *Heriense*, seu *Herense*, vulgo *Hermontier* in insula maris Pictonici, permissu Ansoaldi Pictavorum in Aquitania Episcopi, instituit, evocatis eò e Gemetico monachis. Demum ibidem obiit A. D. 684. die XX. *Augusti*. Vide Mabillon. Annal. Bened. lib. XVII. §. XXXIX. De *Herio* insula, vulgo *Heis*, Valesius in Notitia p. 245. 246. Translatio ejusdem S. *Filiberti* ex monasterio *Herensi* in *Deense*, vulgo *Dee* ad Badunieum fluvium in pago Herbadilico, A. D. 836. die VIII. *Junii* facta est. Variæ subinde ex eo loco translationes factæ sunt ob Sarracenorum incursiones, qua de re Mabillonius sæculo IV. Bened. P. I. pag. 537. *& seq.* Sollerius quum apud vulgarum Adonem elogium *Philiberti* abesse vidisset, & apud genuinum Usuardum haberi, putat, eundem Usuardum elogium proprio marte exarasse; num id verum sit, apographa nostra Adoniana edocent., ex quibus ad verbum Usuardus elogium transcripsisse videtur. Confer Bollandianos hac die pag. 66. *& seq.*

XI. *Aug.* *B. XII. KALENDAS SEPTEMBRIS.*

Privati. IN territorio civitatis Gavalitanæ, vico Minatensi, natalis sancti Privati Episcopi & martyris, qui passus est sub persecutione Valeriani, & Gallieni. *Greg. Tur. lib. I. hist. Fran. c. 34.*

Eodem die, natalis sanctorum martyrum Bonosi, & Maximiani, quorum gesta habentur. *Bonosi & Maximiani.*

Anastasii. Et in civitate Salona, natalis Anastasii martyris. Qui cum videret S. Agapitum inter tormenta fortius Christum confitentem, exclamavit: Magnus est Deus, & non est alius præter eum. Erat autem Cornicularius miles. Ad quem Præses: Sicut video, inquit, seductus es. De quo Præses Imperatori Aureliano renuntiavit. Qui mox perire illum jubet. Et ita martyr factus migravit ad Dominum.

VARIA

VARIA LECTIO. Ed. *vico Minatensi*. Cod. 511. *vico Mimimatensi*. Cod. 512. 514. *vico Mimatensi*.

Privati. ADNOTATIO. *Privati* martyris & *Gavalitani* Episcopi natalia agitur hac die a Hieronymianis, qua de re Florentinias, a Rabano, Floro, Adone nostro, Usuardo, Wandelberto, Augusteno, Labbeano, Mertyrologio Reginæ Suecorum, Fuldensi, Ottoboniano, Hagiologio Francogallico, & Kalendario Vat. 3806. De illius cultu Venantius Fortunetus, Gregorius Turonensis, & alii apud Jo: Savaronem de Ecclesiis Claromontanis, ac elii recentiores. Acta habentur apud Mombritium, & Surium. Illorum exemplum in codice Reginæ Suecorum 528. pag. 109. ita incipit: *Passio sancti Privati martyris* XII. *Kal. Septembr. Valeriani & Galli temporibus* &c. usque, *dignatur aperari*. Consule de his Tillemontium tom. IV. pag. ee1. & 651. item Bollandianos hac die pag. 433. & *seq.* ubi plura de illius cultu.

Bonosi & Maximiani. *Bonosus & Maximianus* martyres, coluntur hac die ab Adone primum, ut sentit Sollerius, sileatibus de hie cæteris antiquioribus Martyrolographis. Post Adonem sequitur Usuardus. Cæteri inde silent. Acta, quæ memoras Ado, & a Baronio in Notationibus desiderari scribitur, forte fortuna reperte, edidit Ruinartius pag. 664. ec illustravit. In Actorum titulo hæc leguntur: *Passio sanctorum* BONOSI & MAXIMILIANI *militum de numero Herculianorum seniorum, sub Juliano Imperatore, & Juliano Comite ejus, sub die* XII. *Kalendas Octobris*. Ruinartius in Admonitione prævie enimadvertit, diem XII. *Kal. Octobris* mortis diem non esse, quia *Julianus* Comes, a quo hi martyres fuerunt interrogati, morbo correptus est post diem XXII. *Octobris*, & initio anni sequentis 363. ut habet Ammianus, interlit. Quare conjicit, horum martyrum coronam, seu martyrii diem ad mensem *Decembris* anni 362. esse revocandam. Vide Tillemontium tom. VII. pag. 406. 739. & Bollandianos hac die pag. 425. & *seq.*

Anastasii Salonitani martyris celebritas agitur hac die a Romano parvo, Adone nostro, & Usuardo. A cæteris hac die præteritur. Sed iterum apographa nostra agunt die exvi. *Augusti*, que die de eo agunt Hieronymiana, Gellonense, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense breviue. Martyrologium Ottobonianum, ea die habet: *In civitate Scalona* (pro *Salona*) *natalis sancti Anasii* (pro *Anastasii*) *martyris, qui fallo fuit*. Baronius ad ad an. e75. n. v. *Agapitum*, qui colitur hac die exi. *Augusti*, Cornicularium fuisse putat, & post *S. Agapitum*, Præneste sub *Aureliano* Imp. mertyrium subiisse. Verum, nisi nos vetera Martyrologia fallunt, *Salonæ* in Dalmatia passus est, neque Cornicularius fuit. Passus dicitur sub *Aureliano* Imperstore, & in Usuardi textu legitur *Aurelio* Imperature. Gravior quoque dubitatio est, num *Anastasius*, qui in Actis S. Agapiti *Cornicularius miles* dicitur, distinguendus sit ab alio *Anastasio* Salonitano mertyre, de quo Hieronymiena & alia ad diem XXVI. *Augusti*. Distinguendum esse putat Sollerius in Usuardum hac die. Vide quæ de *Anastasio* attigimus ad diem XI. *Aprilis*. Sed consule Bollendianos ad hanc diem pag. 407. De *Cornicularis* plura Baronius in Notationibus. Vide Cangium in Glossario hoc verbo, ut alios prætermittemus. *Anastasii*

C. XI. KALENDAS SEPTEMBRIS. 22. *Aug.*

ROMÆ, via Ostiensi in cœmeterio ejusdem, natalis sancti *Timothei.*
Timothei. Qui Antiochia veniens Romam, sub Melchiade Papa, susceptus est. Quique cum annum totum, & aliquot menses ibi prædicans, multos ad fidem Christi convertisset, tentus a Tarquinio Urbis præfecto, & longa carceris custodia maceratus, cum sacrificare idolis noluisset, tertio cæsus, & gravissimis suppliciis attrectatus, ad ultimum decollatus, & juxta beatum Apostolum Paulum sepultus est. Scriptum invenitur
31. Decem. in historia sancti Silvestri.

Eodem die Augustoduni, natalis sancti Symphoriani. Qui *Symphoriani.*
tempore Aureliani Imperatoris, sub Heraclio consulari, cum ido-

idolis sacrificare nollet, primo verberibus affectus, dein carceri mancipatus, ad ultimum cæso capite martyrium consummavit.

Martialis & soc. In portu Romano, natalis sanctorum peregrinorum martyrum, Martialis, Epicteti, Saturnini, Aprilis, & Felicis, cum sociis eorum.

Antonii mart. Item Romæ, natale beati Antonii martyris, qui cum esset carnifex, vidit stantem juvenem cum spongia, & detergentem latera sanctorum martyrum Eusebii, Pontiani, Peregrini, atque Vincentii, cum suspensi in eculeo cæderentur: & mox clamare cœpit: Vere Deus Christus, quem hi prædicant. Fugiens occulte, a Rufino Presbytero baptizatus est. Et reversus ad Vitellium, cum se Christianum libere fateretur, capitis sententia damnatus, via Aurelia, juxta formam Trajanam, undecimo Kalendas Septembris sepultus est. *De his in vita S. Eusebii 25. Aug.*

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ via Ostiensi &c.* Cod. 511. 512. 514. *Romæ, natalis sancti Tymothei mar. qui &c.* Ed. *& juxta beatum Apostolum Paulum sepultus est.* Codices memorati: *& sepultus juxta beatum Paulum Apostolum, pro eo quem habuerat ejusdem nominis discipulum. Apud Augustodunum natalis sancti Simphoriani &c.*

Timothei. ADNOTATIO. De *Timotheo* martyre, *Romæ* sepulto, agunt hac die Hieronymiana his verbis: *Romæ, via Ostense in cimiteria ejusdem, sancti Timothei, discipuli Pauli Apostoli.* An recte *Pauli Apostoli discipulus* dicatur, expendit Florentinius in notis. Kalendarium Bucherianum ad hanc diem habet: *Timothei, Ostiense.* Item *Timothei* meminit Kalendarium Carthaginense. Agunt præterea Beda, Rabanus, Gellonense, Romanum parvum, Ado noster, Wandelbertus, Rhinoviense, Richenoviense, in quibus ut & in Corbejensi breviore, *discipulus Pauli Apostoli* vocatur, Augustanum, & Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum cum uberi elogio, Fuldense, Ottobonianum, & Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. In Gregorianis Sacramentariis vetustioribus Missa hac die statuitur *in natali sancti Timothei*, nimirum in Sacramentario Reginæ Suecorum, Ottoboniano, & aliis. In Sacramentario Palat. 495. titulus hic est: *Nat. sancti Timothei. Simphoriani.* Prima oratio est: *Auxilium.* Secreta: *Accepta.* Ad com. *Divini muneris.* In Missali plenar. Vat. 4770. hæc præmittuntur hujus diei Missæ post Missam de S. Agapito: *Inde Timotheus undecimus capit ordine digna, atque Symphorianus. Eodem die octava sanctæ Mariæ.* Introitus: *Salus autem.* Orationes sunt, prima de *sancto Timotheo*, secunda de *Octava Assumptionis.* Præfatio de *sancto Timotheo.* Capitularia item Evangeliorum tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 274. Evangelium præscribunt hac die *in natali sancti Timothei, ad beatum Paulum Apostolum.* Earum aliqua postrema hæc verba omittunt. De Timothei corpore ad beatum Paulum sepulto hæc habet Notitia apud Eccardum: *In parte australi civitatis juxta viam Ostensem* (sic) *Paulus Apostolus corpore pausat, & Timotheus Episcopus & martyr, de quo meminit liber Silvestri, ibidem dormit.* Plura de *Timotheo* ejusque Actis Baronius in Notationibus hac die, & ad ann. 311. num. LVIII. *& seq.* ubi, quomodo martyr sub Constantino dicatur, rationem reddit. In fastis apud Cuspinianum, ut monet Baronius, passus dicitur *Timotheus* consulatu VI. *Constantii, & Maximiani* VI. X. *Kal. Julias*, quod est A.D. 306. sed id falsum esse, docet in Notationibus idem Baronius. *Timothei, & Apollinaris* Acta leguntur in codice Reginæ Suecorum 528. pag. 112. quorum exordium est post titulum: *Item in eadem die* XI. *Kal. Sept. Passio sanctorum martyrum Timothei & Apollinaris. Tempore illo, agente Lampadio Præside &c.* usque, *curati sunt in nomine Domini &c.* Sed Martyrologium Reginæ Suecorum hos martyres Remensi urbi tribuit; habet enim die crastina: *Remis civitate, sanctorum Timothei, & Apollinaris.* De *Timothei* Actis vide Tillemontium tom. II. pag. 618. & Bollandianos hac die pag. 530. *& seq.*

Symphoriani. *Symphorianus* martyr *Augustodunensis*, hac die

die colitur a Hieronymianis, Beda, Gellonensi, Rabano, Floro, Adone, Usuardo, & Wandelberto. Richenoviense habet: *Augustiduas, passio sancti Medardi & Symphoriani martyrum*. Eadem ferme Augustanum, & Labbeanum. Corbejense brevius: *Et Symphoriani martyris*. Meminit Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. In Missali Gothico pag. 371. Missa habetur in natali sancti *Symphoriani martyris*. Acta post Mombritium, & Surium ex codicibus MSS. edidit, & illustravit, ac genuina censuit Ruinartius pag. 69. Horum Actorum exempla nos vidimus in codice Canonicorum Forojuliensium, quæ ita exordiuntur: *Passio sancti Symphoriani martyris. Tempore Aureliani Principis cum adversus christianos dira persecutionis procella detonaret &c.* Aliud exemplum in codice Reginæ Suecorum 528. pag. 3. ita exorditur: *Incipit passio sancti Symphoriani martyris sub die* VIIII. (sic) *Kal. Septembris. Sub Aureliano Principe*, usque, *ingressus, cui est honor &c.* Hæc magis accedunt editioni Ruinartii, qui hunc martyrem passum esse c. A. D. 180. putat. Vide Tillemontium tom. III. pag. 43. 609. & Bollandianos hac die.

Martialis & soc. — *Martialis* & socii martyres in portu Romano coluntur hac die a Hieronymianis, licet corruptis nominibus, a Romano parvo, Adone, & Usuardo. *Martialis* meminere Augustanum, & Labbeanum. De his mentio in Actis sancti Hippolyti Episcopi. Vide quid de his habent Bollandiani hac die pag. 513. 514.

Antonii mart. — *Antonius* martyr, qui & *Antoninus*, a Romano parvo colitur hac die, deinde ab Adone, & Usuardo. Ejus elogium ex Actis sancti Eusebii die XXV. *Augusti* sumptum est. De his Actis censuram tulit Tillemontius tom. III. pag. 59. Vide Bollandianorum sententiam hac die pag. 498.

D. X. KALENDAS SEPTEMBRIS.

23. Aug.

NATALIS sanctorum martyrum Donati, Restituti, Valeriani, Fructuosæ, cum aliis duodecim, qui præclarissimo confessionis honore apud Antiochiam coronati sunt. *Donati & soc.*

Eodem die, beati Theonæ apud Alexandriam, venerabilis & vere Deo digni, qui beatum Petrum Episcopum, post & martyrem, nutrivit, in omni puritate & animi virtutibus clari. *Theonæ.* (Euseb. l. 7. Eccl. hist. cap. ult.)

Eodem die beati Zachæi Episcopi, qui quartus a Jacobo Jerosolymorum ecclesiam clarissime rexit. *Zachæi.*

Lugduno Galliæ, natalis sanctorum martyrum Minervii & Eleazari cum filiis octo, quorum corpora in crypta, quæ urbi ab Occidente imminet, condita habentur. *Minervii & Eleazari.*

In Portu urbis Romæ, natalis sancti Hippolyti, Quiriaci, & Archillai. *Hippolyti, & soc.*

Eodem die, natalis sanctorum Timothei & Apollinaris, qui apud Remensium urbem consummato martyrio cælestia regna meruerunt. *Timothei & Apollinaris.* (Greg. Tor. de gloria Martyrum cap. 55.)

VARIA LECTIO. Post verbum *meruerunt*, sequitur in Codicibus 511. 512. 514.

„ In Licia, civitate Ægea, sanctorum Claudii, Asterii, & Neonis, qui post „ acerba tormenta cruci affixi sunt. *Claudii & soc.*

Deinde in Codice 511. tantum, sequitur:

„ Eodem die sancti Ursini martyris. *Ursini.*

Donati & soc. — ADNOTATIO. *Donatus* & socii ab Adone primum, inter Martyrographos, ut putat Sollerius, hac die coluntur, & ex Adone ab Usuardo. Ex quo fonte acceperit Ado, adhuc inquiritur, inquit idem Sollerius. In uno ex codicibus Canonicorum Foro-

Forojulicusium ante Acta *S. Symphorioni* habentur Acta, seu *Passio S. Donati & sociorum ejus*; ac ita exordiuntur: *In diebus illis, regnantibus Diocletiono & Maximiano Imperatoribus, decreverunt, ut immensis persecutionibus Christionos persequerentur* &c. De his vide Bollandianos hac die pag. 590.

Theonæ. *Theona*, seu *Theonos* Alexandrinus Episcopus, ex Eusebii Historia elogio celebratur a Romano parvo primum, sententia Sollerii, mox Adone, deinde ab Usuardo. Consulendi de eo idem Sollerius in Chronologia Patriarcharom Alexandrinorum, Renaudotius, & Lequicuius. Sedit ab A. D. 300. ad 311. Vide etiam Bollandianos hac die pag. 579. & *seq.* De Ecclesia in illius honorem Alexandriæ Epiphanius hæresi LXIX.

Zachæi. *Zachæus*, vel *Zacharios* Episcopus *Hierosolymitanus* memoratur primum, Sollerii suffragio, a Romano parvo, deinde ab Adone, & Usuardo, silentibus aliis. Tam Ado, quam Usuardus, qui Adonem describit, *Zachæum* quartum a *Jacobo* Episcopum statuunt. Ex Eusebio Rufini lib. IV. cap. V. *Zachæi* nomen a Romano parvo acceptum fuisse putat Sollerius. Vixit *Zachæus* in Episcopatu post *Justum*, seu *Judam* ab A. D. 111. sed incertum quamdiu sederit. Vide Papebrochium in serie Chronologica Episcoporum Hierosolymitanorum, & Bollandianus hac die pag. 555. Vixit non diu post annum Christi CXI.

Minervii & Eleazari. *Minervius*, & *Eleazar* apud *Lugdunum* martyres ab Adone in Martyrologicas tabulas relati esse primum putantur, ex quo sumpsit Usuardus. Meminit *Minervi*, *Lugduno Galliæ*, Richenoviense. Augustanum, Labbeanum, & Martyrologium Reginæ Suecorum *Minervium* & *Eleozarum* hac die recolont. Consule de illorum cultu & Actis Bollandianos hac die pag. 561. & *seq.*

Hippolyti. *Hippolytus* Episcopus, & martyr, hac die colitur a Hieronymianis, quæ ita habent: *Et in Porto urbis Romæ, notolis sancti Ypolyti, qui dicitur Nonnur, cum sociis suis.* Romanum parvum: *Romæ, Hippolyti, Quiriaci, & Arebilloi.* Ado & Usuardus habent: *In portu Romano.* Martyrologium Ottobonianum hac die: *In portu Romano, notalis sancti Ypolyti, qui dicitur Nonnus, cum sociis suis.* Martyrologium Reginæ Suecorum agit pridie hujus diei his verbis: *In porto Romano, natalis sancti Hippoliti*, sociis prætermissis. Martyrologium quoque Romanum unum *Hippolytum* in Portu Romano, sociis prætermissis, recolit pridie hujus diei, nempe die XXII. *Augusti*. Plura ibi Baronius in Notationibus de S. *Hippolyto*, quem antequam in Italiam adventaret, Metropolitanum Arabiæ fuisse putat, deinde Portuensem ad ostia Tiberina Episcopum, ibi demum de illius summa doctrina, & Actis. Diversum ab *Hippolyto*, qui & *Nonnus*, esse censet. Quæ in Actis emendanda sint, monet. Agit præterea de illius memoria in Portu Romano, & de marmoreo ejus simulacro, una cum cyclo Paschali annorum sexdecim in agro Verano effosso. Sollerius in Usuardum hac die permulta discutienda de *Hippolyto* a Bollandianis sociis ad hanc diem proponit, nimirum, an *Hippolytus* tantum in *portu Romano* passus sit, & duo alii socii, *Ostiæ*, an pridie colendus, an *Nonnus* appellandus, an *Martialis*, & alii sint hesterni, & an *Hippolytus* fuerit celebris ille doctrina, & eruditione clarus. Permulta de *Hippolyto* Portuensi Episcopo collegit Fabricius Bibliothecæ Græcæ tom. V. pag. 203. & *seq.* ubi de Canone Paschali illiusque illustratoribus, ac de illius operibus ibid. & tom. IX. pag. 389. & tom. XIII. pag. 761. 806. Seorsim vero idem Fabricios Hippolyti opera edidit, *Homburgi* an. 1716. 1718. ubi multis de eo disceptavit. Tillemontius de *Hippolyti* Episcopi rebus gestis & scriptis diligenter egit tom. III. pag. 238. & *seq.* Bollandiani hac die pag. 504. & *seq.* *Hippolytum* Episcopum in *Portu Romano* ab aliis ejusdem nominis martyribus distinguunt.

Timothei & Apollinaris. *Timotheus* & *Apollinaris* apud Remensem urbem celebrantur hac die a Hieronymianis, licet inter Auctaria a Florentinio amandentur. De his etiam agunt Florus, & post Adonem, Usuardus, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Puldense, & Kalendarium Vat. 3806. In Augustano & Labbeano *Timotheus* cum *Sidonio Apollinari* Arvernensi commiscetur. Acta ex codice Reginæ Suecorum pridie hujus diei laudavimus, quæ, licet librarii vitio ad XI. *Kal. Septemb.* & Acta *Symphoriani* ad VIIII. *Kal.* adscribantur, ad *Timotheum* & *Apollinorem* pertinent. Habentur hujusmodi Acta apud Surium, quæ expenduntur a Bollandianis hac die pag. 573. & *seq.*

Claudii & soc. Codices nostri hac die celebrant *Claudium* & socios in *Ægeo* urbe martyres. Agunt de his Hieronymiana. Apographum Lucense habet: *In provincio Liciæ, natalis sanctorum Egios, Claudi, Steri, Neonis.* Corbejense: *In provincio Ciliciæ, natalis sanctorum Agiæ, Cloudi, Asterii, Neonis. Domnini cum sociis eorum.* Epternacense: *In provincio Cicilia, civitote Ægea, Cloudi, Asteri, Neonis, Domninæ.* Florus hac die: *Et in civitate Egear, passio sanctorum Cloudii, Asteril, Neonir, qui sub Lysia Præside passi sunt.* Celebrantur cum elogio ex Actis a Rabano. Agit Usuardus iisdem verbis, prout in codicibus nostris. Non accepit igitur elogium a Hieronymianis Usuardus, ut censet Sollerius. In Usuardo Pratensi, ut admonet Bovvillartius, ita legitur: *Apud Liciam, civitate Egea, sanctorum martyrum Claudii, Asterii, Neonis, Domninæ, & Theonillæ, qui sub Lisia præside variis pœnis excruciati atque interempti sunt.* Kalendarium Vat. 3806. *In civitate Agea, passio sanctorum Timothei, Apollinaris, Claudii, Aste-*

Asterii, *& Neonis*. Confundit *Timotheum* & *Apollinarem*, cum aliis apud *Ægeam* martyribus. Acta germana vulgavit Ruinartius pag. 279. In his *Claudius*, *Asterius*, & *Neon* fratres simul cruci affixi x. *Kal. Septembris*, *Augusto*, & *Aristobulo Coss.* hoc est A.D. 285. die XXIII. *Augusti*, & *Domnina*, ac *Theonilla* postea martyrio affectæ dicuntur. Apud aliquos Martyrolographos in horum martyrum elogio, & in Actis *Ægea*, Liciæ provinciæ civitas dicitur. Cæterum fuit & *Ægea* urbs Episcopalis in *Cilicia* sub Anazarbo metropoli, aliquando *Ægæ*, numero plurium a Latinis, & quandoque a Græcis, sed illius nomine in tres syllabas diviso, ac interdum in duas contracto. De ea Lucanus lib. III. vers. 225. Plinius lib. v. cap. XXVII. Strabo lib. XIV. pag. 676. Ptolemæus lib. v. cap VIII. Stephanus de urbibus, & Philostratus lib. 1. cap. v. Error in Hieronymiana librariorum vitio irrepsit, ut admonet Florentinius, dum *Egias* pro martyre, non pro nomine urbis scribitur. Vide Bollandianos hac die pag. 567. *& seq.*

Ursinus martyr abest hac die a Martyrolographis vetustioribus. Agunt quædam Usuardi Auctaria apud Sollerium postridie hujus diei. *Ursini* martyris meminit Molanus in additationibus die XIII. *Decembris*. Hunc aliqui *Ursicinum* Ravennatem Antistitem esse putant. *Ursini.*

E. IX. KALENDAS SEPTEMBRIS. 24. *Aug.*

Vide lib. de fest. Apost. Prudent. hymn. 13.

IN India, natalis beati Bartholomæi Apostoli. *Bartholomæi Apost.*

Eodem die apud Carthaginem, sanctorum martyrum Massæ candidæ, qui passi sunt tempore Valeriani, & Gallieni. Fecerunt enim, inter alia supplicia tunc a Præside clibanum calcis accensum, & in ora illius prunas cum thure exhibitas, & Præsidem dixisse Christianis: Eligite de duobus unum, aut thura super his carbonibus offerte Jovi, aut in calcem demergimini. Tunc trecenti viri fide armati, se ictu rapidissimo Christum Dei filium Deum fatentes, jecerunt in ignem, & inter vapores calcis pulverei sunt demersi, ex quo etiam candidatus ille exercitus beatorum, Massa candida meruit nuncupari. *Massæ candidæ.*

VARIA LECTIO. Ed. *In India, natalis &c.* Codices 511. 512. 514.
„ In India, beati Bartolomæi Apostoli, qui apud Indiam Christi Evangelium
„ prædicans, decollatione martyrium complevit. Hujus Apostoli sacratissimum cor-
„ pus primum ad Insulam Lipparis, quæ Siciliæ vicina est, deinde Beneventum trans-
„ latum, pia fidelium veneratione celebratur. Eodem die apud Carthaginem &c.

Post verba extremo loco: *meruit nuncupari*, sequitur in eisdem codicibus: *Romæ, natalis sancti Genesii mart. qui cum esset in urbe magister mimithemeiæ ar. is &c.* ut apud vulgatum Adonem die crastina. In codicibus post verba *promeruit* VIIII. *Kal. Septembr.* sequitur: *Civitate Rotomago, natalis sancti Audoeni Episcopi & confessoris, qui sæculum salubriter despiciens, sanctitatis merito Episcopii adeptus est honorem. In territorio Neverneusi, natalis sanctorum confessorum Patricii abbatis, & Geldardi presbyteri, qui veræ religionis studiosissimi amatores, etiam miraculis claruerunt.* *Genesii. Audoeni. Patricii, Geldardi.*

Bartholomæi. ADNOTATIO. *Bartholomæus* apud Indos Apostolus, colitur hac die a Hieronymianis, Beda, Romano parvo, Rabano, Adone, Usuardo, Wandelberto, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviore, Martyrologio Reginæ Sue.

oe Succorum, Fuldensi, Kalendario Vat. 3806. & a cæteris Latinorum. Martyrologium Ottobonianum agit postridie hujus diei, ac item ad diem XVII. *Junii*, qua die olim celebrabatur ejus *translatio* ad insulam Liparitanam. Die XIII. *Junii* agunt de *Bartholomæo in Persida* apographa Hieronymiana. Adeundus itaque Florentinius ad utrumque diem. Agunt eadem die XIII. *Junii* Rhinoviense, Richeoovienfe, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense brevius. In Libris Liturgicis ritus Gregoriani Missa *in natali sancti Bartholomæi Apostoli* desideratur in Sacramentario Reginæ Suecorum 337. & Ottoboniano. At habetur hac die in Sacramentariis Menardi, Pamelii, Angeli Roccbæ, Palat. Vat. 495. 496. Orationes in Palat. 495. hæ sunt, nimirum prima: *Omnipotens sempiterne Deus, qui hujus diei &c.* Secreta: *Beati Apostoli*. Ad com: *Sumpsimus*. Alia: *Protege*. In libello de festivitatibus Apostolorum in codice Vat. 1272. sæculi XI. in quo Missæ & Acta in festis Apostolorum recitanda habentur, hæc inter *Bartholomæi* gesta leguntur, ubi de illius translatione agitur, præmisso titulo: XV. *Kal. Jul. translatio sancti Bartholomæi Apostol. Exientes denique ad terram ingenti cum honore Beneventum duxerunt sanctum Apostoli corpus atque in altaris condiderunt anno ab incarnatione Domini octingentesimo tricesimo novo, vicesimo quinto videlicet die mensis Octobris. Cujus prior quidem ex Indorum parte trasvectio in Lyparitanam insulam celebratur VIII. Kalendarum Septembris. Dormitionis vero ejus festiva celebritas colitur, ut præmissum est, quintodecimo Calendarum Julii. Sicque ter in anno ejus sacratissima digne celebratur festivitas*. Deinde sequitur: *Eodem die ad Missam*, ibique Missa habetur cum Introitu, Epistola, & Evangelio, ac orationibus, & cæteris in Missa ea die dicendis. Orationes sunt, prout in Palat. Vat. 495. Ea autem narratio de translatione sancti Bartholomæi sumpta est ex Sermone Theodori Studitæ, quem Latine vertisse dicitur Anastasius Bibliothecarius, & habetur apud Dacherium Spicilegii tom. III. pag. 13. & *seq.* Ex codicis memorati 1272. verbis conjectura Pagii in Critica ad an. 840. numero XII. XIII. luculenter confirmatur, qui censet *Bartholomæi* translationem ex *Lipari Beneventum*, non A. D. 840. ut putavit Baronius, sed A. D. 839. contigisse, & librariorum mendo in Anastasii versione legi: *anno ab incarnatione Domini octingentesimo nono*, quum legi debeat: *octingentesimo trigesimo nono*. In Missali plenario Vat. 4770. Missa de sancto Bartholomæo designatur, sed barbaris atque obscuris hisce verbis: *Octavas fortiter sanctus Bartholomæus. Officium require de Apostolis*. Ibi tamen adnotatur Præfatio propria. Ex his conjicimus, Missam de communi Apostolorum in hujuscemodi libro Liturgico designari die XXV. *Augusti* in festo sancti Bartholomæi. In Capitularibus Evangeliorum nonnullis tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 275. desideratur die XXIV. & XXV. *Augusti* Evangelium in natali *sancti Bartholomæi*. Habetur tamen ad oram codicis 7016. Vaticani, ubi indicatur Evangelium: *Facta est contentio*, & habetur in Capitulari Vat. 5465. ad diem XXV. *Augusti*, præmisso hoc titulo: *Nat. sancti Genesii, & sancti Bartholomæi Apostoli*. Selectiora porro de *sancto Bartholomæo* Apostolo, nimirum de variis quibus apud Græcos celebratur diebus, de Patrum elogiis, de cultu, de martyrii genere, ac de translationibus variis habes apud Baronium in Notationibus, & ad annum 41. num. XV. 44. num. XXXIV. 840. num. XIII. ad an. 948. num. I. & ad an. 1000. De variis Sermonibus, seu elogiis adeundus Combefisius in Auctario novissimo tom. I. pag. 392. & in Bibliotheca Concionatoria tom. VII. pag. 749. & *seq.* Surius ad diem XXI. *Augusti*, ubi Sermo Josephi Bryennii. De Historia martyrii, de qua Gregorius Turonensis lib. I. cap. XXXIV. de gloria martyrum, consulendus Tillemontius tom. I. pag. 381. & *seq.* & 649.

Quod vero pertinet ad ejus translationem Benevento Romam, lege Dissertationem Fr. Vincentii Mariæ Ordinis Prædicatorum S. R. E. Cardinalis Ursini, Archiepiscopi Beneventani, postea Benedicti XIII. Pont. Maximi de sancti Bartholomæi Apostoli reliquiis Benevento vindicatis, quam habes in Synodico Beneventano pag. 56. & *seq.* Vulgata Bartholomæi Acta Latine habentur apud Mombritium, Surium, & alios, ac incipiunt apud Mombritium: *Indiæ tres esse &c.* usque *migravit ad Deum*. In codice Canonicorum Forojuliensium, ita initio habent: *Incipit passio sancti Bartholomæi Apostoli & martyris Domini nostri Jesu Christi. Indiæ tres ab Historiographis asseruntur. Prima est India, quæ ad Æthiopiam mittit. Secunda, quæ ad Medos. Tertia, quæ finem facit. Nam ex uno latere tenebrarum regionem gerit, ex alio latere mare oceanum. In hanc &c.* Sed uberrimis commentariis Bollandiani socii die XXV. *Augusti* pag. 7. & *seq.* de *Bartholomæi* Apostoli martyrio, cultu, Actis, & translationibus egere, quare hi sunt consulendi.

Codices nostri de martyribus *Massæ candidæ* in Africa, semel ac iterum agunt, ac primum die XVIII. *Augusti*, qua coluntur a Kalendario Carthaginensi, a Hieronymianis, Gellonensi, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, & Martyrologio Reginæ Suecorum. Hac die vero XXIV. *Augusti* iterum agunt apographa nostra, Usuardus genuinus, & Romanum parvum. Passi sunt hi martyres, Cypriani tempore, hoc est A. D. 258. De his, eorumque numero, & de *Massa candida* post Baronium in Notationibus hac die, & ad an. 261. num. XLVIII. XLIX. & Florenti-

Massæ candidæ.

rentiuium item in notis die XXIV. *Augusti*, Ruinartiua in Acta martyrum pag. 199. & 518. *Tercenti* fuisse dicuntur, cui numero adstipulari videtur Prudentius hymn. XIII., Ado, Usuardus, & Augustini Sermo in Appendice Augustiniana novæ editionis 317. Plures quam *centum*, & *quinquaginta* dicuntur ab Augustino Enarratione in Psalm. XLIX. De nomine *Massæ candidæ* sanctus Augustinus Sermone 306. de eorum natali hæc habet: *Massa ob numeri multitudinem, candida ob causæ fulgorem*. Idem Sermone 311. qui est tertius in natali sancti Cypriani, hos martyres, *Uticensem massam candidam vocat*, ex quo nonnulli putant, eos *Uticæ*, non *Carthagine* passos. At Martyrologia vetustiora *apud Carthaginem* eos martyrii palmam adeptos ferunt, quibus favere videtur Prudentius hymno XIII. & Augustinus Enarratione in Psalmum CXLIV. quam habuit *Uticæ in basilica Massæ candidæ*. At consule recentiores de his, nimirum Tillemontium tom. IV. pag. 175. & 640. In codice Vat. 3836. sæculi VIII. inter varios Augustini Sermones in divinis officiis recitandos, habentur ibi pag. 15. & *seq.* aliquot *Augustini* nomine inscripti Sermones de *Massa candida*, & *in natali sanctæ Massæ candidæ*. Vide quæ novissime de his martyribus monuere Bollandiani ad diem XXIV. Augusti pag. 761. & *seq.*

Codices Adoniani post martyres *Massæ candidæ* subjiciunt hac die *Genesium* mimum, sed vetustiora pleraque Hagiologia, & vulgatus Ado de eo agunt die crastina, quare vide quæ postridie dicturi sumus. *Genesii.*

Andoeni. Sequitur in his hac die *Audoenus* Episcopus *Rotomagensis*, de quo hac item die apographa Hieronymiana Lucense, & Corbejense, Martyrologium Gellonense, apographum Bedæ in basilica Vaticana, Florus, Usuardus, Wandelbertus, Richenoviense, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, & Kalendarium Vat. 3806. In his *Rotomagensis* civitas plerumque corrupte legitur, nimirum *Rodomus*, *Rodomagus*, *Rotomacus*, & his similia. De varia illius nomenclatura barbaris temporibus, Valesius in Notitia pag. 482. Sollerius quum vidisset in tot veteribus Hagiographis hac die *Audoenum* coli, & a Mosandro Adoni adjudicatum, a Rosvveido vero expunctum, problema esse putat, uter melius fecerit, sed elogium Usuardi proprium esse judicat. Utrum vero Usuardi proprium sit, quum illud idem in codicibus nostris legatur, eruditorum sententiæ subdimus. Obiit *Audoenus* in villa regia *Clipiaco*, vulgo *Clichy*, A. D. 683. ut ostendit Mabillonius Annal. Bened. lib. XVII. §. XXXIII. & *seq.* Vide etiam de illius obitu Cointium ad annum 683. & 687. Cætera de illius cultu & Actis vide apud Bollandianos hac die pag. 794. & *seq.*

Patricii Abbatis, de quo codices nostri, in civitate seu agro *Nivernensi* meminere hac die Hieronymiana, Gellonense, Usuardus, Martyrologium Fuldense, Reginæ Suecorum, Ottobonianum, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Hagiologium Francogallium, & Kalendarium Vat. 3806. Vixit sæculo Christi VI. & vulgo *S. Parriz* in Galliis dicitur. Vide de eo Bollandianos hac die pag. 781. & *seq.* *Patricii Ab.*

Gildardus item a codicibus nostris celebratus, hac die in memoratis nuper Hagiographia fere omnibus, si genuinum Usuardum excipias, colitur. Variant quidem in nomine, & in designatione loci. In Ottoboniano legitur: *Edue civit. vica teruidonensis, depositio ebtadi presbyteri & confessoris*. An forte est *sanctus Gildardus*? Agunt item Auctaria Usuardi. Vide quæ de eo congesserunt Bollandiani hac die pag. 840. 841. Incertum est quo tempore vixerit. Forte, ut monent Bollandiani, floruit sæculo VII. *Gildardi.*

F. VIII. KALENDAS SEPTEMBRIS. 25. *Aug.*

ROMÆ, natale sancti Genesii martyris: qui prius in Urbe * mimus Themelæ artis magister fuit. Et quadam die cum vellet Diocletiano Imperatori, cui Christiani, utpote sævissimo, exosi erant, de mysteriis Christianæ observantiæ ludum exhibere, & hujus rei gratia spectante Imperatore & omni populo, in medio theatri, quasi ægrotus decumbens se posceret baptizari, mimum in hæc verba proposuit: Eja nostri, gravem me sentio, levem me fieri volo. Illi responderunt: quomodo te levem facimus, si gravis es? Numquid nos fabri sumus, & ad runci- *Genesii Mar.*

* Male in MS. *mimithemelæ.*

runcinam te missuri sumus? Hæc verba exhibuerunt populo risum. Genesius iterum: Vesani, Christianus desidero mori. Quare? inquiunt. Quibus Genesius: Ut in illa die veluti fugitivus in Deo inveniar. Evocato autem Presbytero, & Exorcista, repente a Deo inspiratus credidit. Nam illi juxta lectum ipsius quasi ægrotantis eum resedissent, dicunt ei: Quid ad nos misisti, filiole? Genesius autem non simulate, ac ficte, sed ex puro corde respondit: Quia accipere cupio gratiam Christi, per quam renatus liberer a ruina iniquitatum mearum. Cumque Sacramentorum mysteria complessent, & indutus esset vestibus albis, veluti per ludum a militibus raptus, & ad similitudinem sanctorum martyrum de Christi discutiendus nomine Imperatori fuisset exhibitus, stans in editiori loco ita concionatus est: Audi, Imperator, & omnis exercitus, sapientes, & populi hujus urbis. Ego quotiescumque Christianum vel nominatum audivi, exhorrui, & in confessione permanentibus insultavi. Ego etiam parentes meos, & affines causa nominis Christiani execratus sum, & in tanta derisione habui Christianos, ut mysteria eorum diligenti examinatione perquirerem, & ex eorum sanctificatione ludum vobis exhibere vellem. At ubi me aqua nudum tetigit, & interrogatus, credere me respondi; vidi super me manum cælitus venientem, & Angelos Dei radiantes juxta me stetisse, qui omnia peccata, quæ ab infantia feci, recitarunt de libro, quem mox in ipsa aqua laverunt, in qua ego in conspectu vestro perfusus sum, & mihi candidiorem nive postmodum ostenderunt. Nunc igitur, inclyte Imperator, & vos omnes populi, qui de his mysteriis nescitis, mecum credite Deum verum esse Christum, hunc esse lumen, hunc esse veritatem, hunc esse pietatem, & per ipsum vos ad indulgentiam posse pertingere. Ad hæc Imperator Diocletianus vehementissime indignatus, statim eum fustibus crudelissime cæsum, Plutiano præfecto tradidit ad sacrificia compellendum: a quo in equuleo suspensus, & ungularum diutissima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus; cum in fide persisteret, dicens: Non est Rex præter illum, quem ego vidi, & adoro, & colo, pro cujus cultura si millies occidar, ipse ero ut cœpi: Christum mihi de ore, Christum mihi de corde auferre tormenta non poterunt: valde etenim pœniteo, quod ante nomen sanctum, & in hominibus sanctis exhorrui, & satis tardius ad adorandum verum Regem superbus miles accessi. Martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit octavo Kalendas Septembris.

Greg. Tur. de gloria Martyrum cap. 68.

Genesii Arelat.

Ipso eodemque, natalis sancti Genesii Arelatensis, qui ante

te tribunal Judicis exceptoris functus officio, cum impia, quibus Christiani puniri jubebantur, edicta nollet excipere, projectis in publico tabulis, se Christianum esse testatus, abscessit. Et post modicum intervallum deprehensus ab apparitoribus, atque in ripa fluminis Rhodani decollatus, martyrii gloriam proprio cruore baptizatus accepit.

Eodem die Romæ, natale sanctorum quatuor martyrum, *Eusebii & soc.* Eusebii, Pontiani, Peregrini, atque Vincentii, imperante Commodo, Vitellio judice. Hi primo facultates suas omnes pauperibus dispersserunt, ac deinde prædicationibus suis Julium quoque senatorem, & omnem domum ejus ad fidem Christi conversos, per beatum Rufinum Presbyterum, ad Baptismi gratiam perduxerunt. Qui non multo post martyr factus, ab iisdem etiam sepultus est. Pro quo maxime ipsi a Vitellio tenti, & in equuleo levati, nervis quoque distenti, ac deinde fustibus cæsi sunt: quibus, & flammæ ad latera eorum postmodum appositæ. Sed cum in laude Christi fidelissime persisterent, tandem depositi ab equuleo sunt. Et cum nihilominus in confessione Christi permanerent, iratus Vitellius, Eusebio jussit linguam radicitus abscidi: quam tamen beatus Faustus colligens, in sinu suo abscondit, & fugit. Præcisa lingua clamabat Eusebius: Gloria tibi, Domine Jesu Christe, qui dignatus es me cum servis tuis ad gloriam connumerare. Reclusi in carcerem eum hymnis Dei die noctuque personarent, venit quidam jam quatuor annis cæcus sacerdos Capitolii, nomine Lupulus, ad eos; & credens, illuminatus, Baptismi gratiam percepit. Hoc factum custos carceris Simplicius nomine videns, & ipse rejectis idolis baptizatus est. Quæ gesta, Vitellius Commodo cum renuntiasset, ille jussit eos puniri. Et post triduum de carcere educti, ad Petram sceleratam, plumbatis usque ad emissionem spiritus mactati sunt. Quorum corpora collegit beatus Rufinus Presbyter, & sepelivit ab urbe Roma miliario sexto, inter viam Aureliam, & Triumphalem, octavo Kalendas Septembris. Sed multo post *Sigebertus Chron. anno 865.* tempore beatorum martyrum Eusebii, & Pontiani (largitione Papæ Nicolai) membra ad Gallias translata, in monasteriis sancto Apostolo Petro voto religioso collatis, reverenter tumulata venerantur.

VARIA LECTIO. De *Genesio* mimo codices Adoniani 511. 512. 514. agunt pridie hujus diei. Agunt autem memorati codices hac die primum de sanctis martyribus *Eusebio*, *Pontiano*, *Peregrino*, & *Vincentio*, deinde de *S. Genesio* Arelatensi, demum de sanctis *Justo*, & *Pastore*, prout apud vulgatum Adonem *Justi & Pastoris.* die VI. *Augusti*.

Genesii.

ADNOTATIO. *Genesii*, mimi appellati, & martyris Romæ, cultus celeberrimus est in tabulis omnibus Ecclesiasticis veterrimis, in quibus tamen, aut pridie hujus diei, aut hac die colitur. Agunt autem de eo pridie hujus diei apographa Hieronymiana. An ea die agat Kalendarium Carthaginense certo agnosci non potest, quia dies Kalendarum præ nimia vetustate evanuere. Post S. *Timotheum*, & ante III. Kal. *Septembris* ita habet ... *Kal. Sept. sancti Genesii mimi*. Kalendarium Vat. 3806. agit die XXIV. *Augusti*, ut & Martyrologium Fuldense, in quo longum elogium ex Adone acceptum. Eadem die XXIV. agunt codices nostri, Florus, Wandelbertus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Martyrologium Reginæ Suecorum. Alii vero agunt die XXV. *Augusti*, nimirum Ado vulgatus, Romanum parvum, Rabanus, Usuardus, apographum Bedæ Palat. Vatic. 833. Capitularia quoque Evangeliorum omnia ad diem XXV. *Augusti*, tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 275. Evangelium die XXV. *Augusti* in natali S. *Genesii* designant; excipias tamen Capitulare Vatic. 5465. in quo agitur pridie hujus diei una cum S. Bartholomæo Apostolo. Colitur etiam in Capitulari Epistolarum vetustissimo ad usum Ecclesiæ Mediolanensis. Missa a Sacramentariis Gregorianis abest, quia, ut puto, orationes a communi martyrum sumebantur. Romæ sepultus erat, ut reor, in cœmeterio Cyriacæ, quod elicitur ex notitia apud Eccardum, ubi inter martyres ibi sepultos memoratur S. *Genesius*. In Codice Vat. 3836. sæculi VIII. qui usui fuit in divinis officiis recitandis, pag. 244. habetur Sermo S. Augustini nomine *de natali sancti Genesii*. Incipit: *Cum frequenter* &c. usque *gloriæ celebrare*. Acta, veluti germana & sincera ex variis codicibus edidit Ruinartius pag. 283. & censet passum fuisse *Genesium* c. A. D. 286. Baronius vero illius martyrium confert ad an. 303. ut habet in Annalibus ad eum annum num. CXVIII. Sed citius accidisse judicat Ruinartius. Acta in codice Canonicorum Forojuliensium ita incipiunt: *Imperante Diocletiano, per quatuor annos persecutio Ecclesiarum erat, & maxime omnes Episcopi, Sacerdotes persecutionem patiebantur &c.* Ex Actis elogium de *Genesio* scripsit Tillemontius tom. IV. pag. 418. *& seq.* Omnia complexi sunt de Actis, & cultu Bollandiani hac die pag. 119. *& seq.* Vox illa in elogio & in Actis: *mimithemelæ artis*, ut adnotavit Ruinartius, e Græco profluit fonte, ac significabat eos, qui ex editiore loco, seu theatri pulpito gestis ridiculis, aut saltibus adstantes oblectabant.

Genesius alter *Arelatensis* martyr, colitur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Floro, Adone, Usuardo, Wandelberto, Rhinoviensi, & Richenoviensi. In Augustano & Labbeano hac die habetur: *Romæ*, *Genesii martyris*; pridie vero: *Genesii martyris*. Forte librariorum oscitantia, alteruter ex his Genesiis loco suo motus est. Meminit hac die *Genesii Arelatensis* Martyrologium Reginæ *Suecorum*, itemque Ottobonianum, Fuldense, & Kalendarium Vatic. 3806. Gregorii Turonensis & aliorum de eo elogia indigitavit Baronius in Notationibus hac die, & inde Ruinartius, qui Acta, ut ille censuit, genuina, edidit pag. 603. Incertum est, inquit Ruinartius, quo tempore passus sit. Vide eundem Ruinartium p. 517. ad Prudentii hym. IV. Baronius A. D. 303. martyrium *Genesii* fuisse putat. De *Genesio* consule etiam inter recentiores Tillemontium tom. V. pag. 569. & Bollandianos hac die pag. 123. *& seq.* — *Genesii.*

Eusebius, & socii martyres coluntur hac die a Romano parvo his verbis: *Romæ*, *quatuor martyrum Eusebii*, *Pontiani*, *Peregrini*, *& Vincentii*. Plura in elogio Ado ex Actis, & brevissime ex iis Usuardus. Agit & Martyrologium Fuldense. Nondum liquet de horum Actorum fide, eaque severiori calculo expendit Tillemontius tom. III. pag. 59. & novissime sententiam dicunt Bollandiani ad hanc diem pag. 111. *& seq.* Passi sunt sub *Commodo*. — *Eusebii & soc.*

Codices nostri agunt hac die de SS. *Justo*, & *Pastore*, de quibus vulgatus Ado supra ad diem VI. *Augusti*. Vide ergo quæ ibi adnotavimus. — *Justi & Pastoris.*

---

26. Aug.

G. VII. KALENDAS SEPTEMBRIS.

Zephyrini. ROMÆ, sancti Zephyrini Papæ, qui rexit Ecclesiam annos octo, menses septem, dies decem. — Pontificale cap. 16.

Irenæi & Abundii. Item natalis sanctorum Irenæi, & Abundii, Romæ: quos Deciana persecutione jussit Valerianus incloacari, eo quod corpus beatæ Concordiæ in cloacam missum levaverunt. Et ipsorum quoque corpora levavit Justinus Presbyter, & sepelivit in crypta juxta beatum Laurentium. — De his in gestis sancti Laur. 10. Aug.

Apud

Apud Victimilium castrum Italiæ, natalis beati Secundi martyris, viri spectabilis, & Ducis ex legione sanctorum Thebæorum, qui ante beatum Mauritium & ceteros, post vincula & carceres, martyrium capitis abscisione complevit. *Secundi*

Apud urbem Italiæ, quæ Bergamis dicitur, natalis sancti Alexandri martyris, sub Maximiano Cæsare: qui cum esset miles unus ex legione Thebæorum, Christianus factus est. Audiens hoc Maximianus post dies quindecim, mittens accersivit eum, dicens ei: Pro nulla re alia evocavi te, nisi ut sacrifices. Comperi enim te derelinquentem deos nostros, Christianum esse factum. Et hoc dicens, petiit sibi mensam. Eaque apposita, & linteamine cooperta, cœpit agere cum beato Alexandro, ut sacrificaret. Sanctus Alexander in cœlum adspiciens, dixit: Atque utinam tantam mihi Deus gratiam daret, qui cuncta per Jesum Christum postulantibus præstat, ut possem, & tuam voluntatem ad Dei agnitionem convertere, & vanissimam incredulitatem a te avertere. Sed tu quidem insanabile habes malum; ex vetustate huic vanitati adhærens, credere non vis. Me autem vocavit ille, qui ex gentibus ad suam gratiam olim vocare promisit. Parce consiliis tuis diabolicis, plange, & cognosce actus tuos malos, & crede in Deum vivum, qui fecit omnia. Tunc Maximianus ad tantam ejus fiduciam commotus, jussit adstantibus, ut de apposito sacrificio invito ei offerrent, applicitis armatis e contra: at ille beatissimus, confundens regiam iniquitatem, & ejus præcepta fide armatus contemnens, calce mensam percussit, evertens eam cum omnibus suprapositis. Iracundia repletus Maximianus, jussit tradi uni ex ministris. Qui evaginato gladio, stetit stupidus, ferire non audens. Cui Maximianus: Adhuc stas male miles? At ille respondit: Caput ejus sicut mons est ante me, unde totus contremisco. Tunc Maximianus tradidit eum aliis ut occideretur. Gaudio itaque repletus martyr, aquam petiit, & manus suas lavit, flectensque genua, & cervicem in terra humilians, oratione fusa ad Dominum, animadversus est. Post aliquot dies quædam matrona castissima, nomine Gratia, collegit corpus ejus, & posuit illud in prædiolo suo, non longe a muro civitatis Pergamensis. Cujus passio completa est VII. Kalendas Septembris. *Alexandri mart.*

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. hac die ita incipiunt: *Romæ natalis sanctorum Hirenei, & Abundii*. Ed. *Apud urbem Italiæ, quæ Bergamis &c.* Cod. 511. *Apud urbem Italiæ, qui Pergamus* (cod. 512. 514. *Bergamis*) *dicitur, natalis sancti Alexandri &c.*

Post extrema verba VII. *Kal Septembris*, sequitur in memoratis codicibus:

Anastasii. „ Civitate Salona, passio sancti Anastasii martyris, cujus actus supra notati sunt „ XII. Kal. Septembr. Autissiodoro, depositio beati Eleutherii Episcopi.

Eleutherii. Deest in eisdem codicibus natalis sancti *Zephyrini* Papæ.

Zephyrini Papæ. ADNOTATIO. *Zephyrinus* Pontifex Romanus, de quo codices nostri silent, colitur hac die a Romano parvo, vulgato Adone, & Usuardo. Hieronymiana de eo agunt die XX. *Decembris*, itemque ea die Rabanus, & Wandelbertus. Obitus diem XX. *Decembris* esse censet Papebrochius. Pagius vero senior in Critica, & junior in vita sedisse putant Zephyrinum ex die VII. mensis *Augusti* an. 197. usque ad diem XII. *Julii* an. 217. Vide Tillemontium tom. III. pag. 236. *& seq.* Constantium in epist. Rom. Pontific. pag. 107. ac Bollandianos ad hanc diem pag. 783. *& seq.* Si codicibus nostris fides, nihil Usuardus ex Adone sumpsit, quia *Zephyrinum* silentio præteriit.

Irenæi & Abundii. De *Irenæo & Abundio* agunt die XXIII. hujus apographa Hieronymiana, qua die etiam *Abundi*, una cum *Cyriaco* (forte *Cyriaca*) & *Innocentio*, apud *Romam* meminere Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum. Hac die vero XXVI. *Augusti* de *Irenæo & Abundio* agunt Beda cum elogio, Romanum parvum, Rabanus, Ado ex Beda, & ex Adone & Beda contracte Usuardus, Wandelbertus, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, & Kalendarium Vat. 3806. Pro verbo *incloacari*, quod apud Bedam, & vulgatum Adonem legitur, *in cloaca necari* posuit Rabanus. Codices nostri: *In cloaca jactari*. Eorum gesta ex vulgatis Sancti Laurentii Actis petuntur. Passi sunt igitur A. D. 258. In Notitia apud Eccardum, ubi de Ecclesia S. Laurentii extra muros sermo est, hæc leguntur: *Ibi quoque sub eodem altare Abundus est depositus, & foris in portien lapis est, qui aliquando in collo ejusdem Abundi pendebat, in puteum missi: ibi Hereneus, Julianus &c.* Vide de Actis, & cultu Bollandianos hac die pag. 790.

Secundi. *Secundus*, martyr ex legione *Thebæa*, apud *Albintimelium*, seu *Intemelium* Liguriæ urbem, celebratur hac die a Romano parvo, Adone, & Usuardo. De illius Actis, cultu, & translatione inter cæteros Bollandiani socii hac die pag. 792. *& seq.*

De *Alexandro* martyre apud *Bergomensem* civitatem agunt hac die Romanum parvum, Ado cum elogio ex Actis, & contractius ex eo Usuardus. Miles in elogio Adonis fuisse dicitur legionis Thebææ. Acta edidit Mombritius tom. I. pag. 24. quorum exordium, præmisso lemmate: *Passio S. Alexandri martyris*, ita se habet: *Facto Alexandro Christiano &c.* usque VII. *Kal. Septembr. sub Maximiano Imp. regnante &c.* In codice Canonicorum Forojuliensium horum Actorum exordium aliter habet; nam prologus ei præmittitur, hoc pacto: *Prologus de sancto Alexandro martyre. Cum omnium beatorum Christi martyrum triumphos &c.* Post prologum hæc sequuntur: *Incipit passio sancti Alexandri martyris. Tempore itaque Maximiani Cæsaris, exardescente diabolo contra catholicam fidem &c.* De Actis martyrum legionis Thebææ Ruinartius pag. 285. Tillemontius tom. IV. pag. 431. *& seq.* Sed vide de Actis martyrii, & cultu S. *Alexandri* Bollandianos ad hanc diem pag. 798. *& seq.* A Baronio ad an. 295. n. XVI. *Secundi*, & *Alexandri* martyrium confertur in annum 295. A Bergomatibus uti præcipuus urbis patronus *Alexander* colitur, ac in illius honorem Ecclesia cathedralis ejusdem urbis extructa est. Vide Ughellum in Bergomatibus tom. VI. novæ editionis. *Alexandri.*

Iterum a codicibus nostris memoratur hac die *Anastasius* martyr Salonitanus, de quo egerunt die XXI. *Augusti*. Vide quæ ibi adnotavimus. *Anastasii.*

De *Eleutherio* Episcopo *Autisiodori*, de quo codices nostri, agunt hac die Hieronymiana, Gellonense, Augustanum, & Labbeanum, Usuardus genuinus, & alii. Silet vulgatus Ado, quapropter Sollerius censuit, Usuardum ex aliquo codice Hieronymiano accepisse. A Martyrologio Romano præteritur. Obiit *Eleutherius* A. D. 561. XVI. *Kal. Augusti*, ut putat Cointius ad an. 561. n. II. sed vide Bollandianos socios ad diem XVI. Augusti pag. 299. *Eleutherii.*

---

27. Aug.

A. VI. KALENDAS SEPTEMBRIS.

Rufi. APUD Capuam, natalis sancti Rufi martyris, quem docuit & baptizavit beatus Apollinaris, Petri Apostoli discipulus, cum esset idem Rufus patriciæ dignitatis. De hoc in vita Apollinaris. 23. Julii.

Tomis,

Tomis, natalis sanctorum martyrum, Marcellini tribuni, & uxoris ejus Manneæ, & filii ipsius Joannis, & Serapionis clerici, & Petri militis. *Marcellini, Manneæ & aliorum.*

Gennad. de viris illust. c. 86. In Galliis, civitate Arelatensi, sancti Cæsarii Episcopi & confessoris, miræ sanctitatis & pietatis & studii viri. *Cæsarii.*

Apud Augustodunum, sancti Syagrii Episcopi & confessoris. *Syagrii.*

VARIA LECTIO. Post verba *Petri militis* sequitur in codicibus 511. 512. & 514.

„ Arelato, natalis sancti Cæsarii Episcopi & confessoris, miræ sanctitatis viri, „ doctrina atque miraculis celeberrimi. Eodem die, natalis sanctorum Georgii dia- „ coni, Aurelii, Felicis, Nataliæ, & Liliosæ. Quorum primus Bethleemita & miræ ab- „ stinentiæ monachus, ab Jerosolymis Cordubæ adveniens cum reliquis ex eadem ur- „ be claro germine ortis, diu obtatum meruit assequi martyrium. Augustuduno, de- „ positio sancti Siagrii Episcopi & confessoris. *Georgii & soc.*

Rufi. ADNOTATIO. *Rufus* Capuæ martyr, quem beati Apollinaris discipulum fuisse ferunt, colitur hac die a Hieronymianis *Rufini* nomine, Romano parvo, Adone, Usuardo, Wandelberto, Notkero, Kalendario Pal. Vat. 485., & Kalendario Vat. 3806. Rhinoviense, & Richenoviense habent: *In Campania, Rufi.* Agunt Augustanum, Labbeanum, & Martyrologium Fuldense. Celebrior olim in vetustissimis libris Liturgicis S. R. E. illius cultus; nam codex Sacramentorum Gelasianus pag. 169. Missam habet hac die *in natali Ruffi* martyris. Prima oratio est: *Adesto, Domine.* Secreta: *Intercessio.* Post com. *Sumentes gaudia.* In Gregorianis vetustioribus hæc Missa desideratur; habetur tamen in Sacramentario Palat. Vat. 495. ubi prima oratio est: *Adesto, Domine.* Secreta: *Oblatis, Domine.* Ad com. *Cælestibus.* Acta ex S. *Apollinaris* gestis sumuntur, ea vide apud Bollandianos hac die pag. 16. *& seq.* ubi disquirunt, an Episcopus fuerit, & ibi de nupera eorum elevatione A. D. 1719. De *patricia dignitate*, qua *Rufus* ornatus dicitur, plura Baronius in Notationibus hac die.

Marcellini & soc. Tomitani martyres *Marcellinus* & socii coluntur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Adone, Usuardo, & Notkero. Rhinoviense habet: *In Alexandria, civitate Thomis, Marcellini.* Richenoviense: *In civitate Thomis, Marcellini.* Augustanum, & Labbeanum *Marcellinum* memorant, sed glomeratim cum aliis hujus diei martyribus. Fuldense ita habet: *Natalis sanctorum martyrum Marcellini tribuni & uxoris ejus Mennæ, & filii ejus Johannis, & Serapionis Clerici, & Petri militis.* Ottobonianum: *In Tumu civitate, natalis sancti Marcellini tribuni, & Mannæ uxoris ejus, & filiis* (sic) *Johannem, & Serapionem clericos, & Petri militis.* Vide de his Bollandianos hac die pag. 12. *& seq.*

Cæsarii. *Cæsarius* Antistes *Arelatensis* vetustiorum, ac recentiorum elogiis summe celebratus, in tabulis Ecclesiasticis colitur hac die, nimirum in Hieronymianis Auctariis, si Florentinium sequi volumus, a Rabano, Floro, Adone, Usuardo, Notkero, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviori, Martyrologio Regiæ Suecorum, Fuldensi, & aliis. De illius rebus gestis & laudibus cuncta congessere Bollandiani hac die pag. 50. *& seq.* quos vide. Ante hos Acta edidit Mabillonius sæculo I. Bened. p. 658. *& seq.* Obiit A. D. 542. & Galliæ Christianæ nuperi editores in Arelatensibus n. xx. ejus summatim gesta referunt, ac illius scripta indigitant.

Syagrii. De *Syagrio* Episcopo *Augustodunensi* fere omnia, quæ de S. *Cæsario*, Hagiologia hac die etiam agunt. De eo rebusque illius gestis Bollandiani hac die pag. 84. *& seq.* Obiit c. A. D. 600. ut habent nuperi Galliæ Christianæ editores in Augustodunensibus n. xix. ubi ejus præclara gesta complectuntur.

Georgii & soc. *Georgius* diaconus & socii martyres, qui in apographis nostris adduntur, ab Usuardo genuino hac item die celebrantur; sed silente vulgato Adone, Sollerius putat, hos martyres puros putos Usuardinos esse, ex Hispaniensi messe collectos. De his Eulogius lib. II. cap. x. qui passos esse VI. *Kal. Augusti* scribit, qua die in Martyrologio Romano coluntur. Passi sunt A. D. 852. Vide de his Bollandianos socios ad diem XXVII. *Julii* pag. 450. *& seq.*

B. V. KA-

28. Aug. B. V. KALENDAS SEPTEMBRIS.

Hermetis. ROMÆ, natale beatissimi Hermetis martyris. Hunc illustrissimum virum beatus Alexander Pontifex, & martyr, cum esset Præfectus urbis Romæ, baptizavit cum uxore, & filiis, ac sorore Theodora, cumque eo pariter mille ducentos quinquaginta servos ejus, uxores quoque, & filios eorum, prius ingenuitate illis concessa. Et non multo post ab Aureliano Imperatore trusus in carcerem, beato etiam Alexandro in custodia posito, Tribuno Quirino commendatur. Qui dixit ad beatum Hermem: Quæ ratio est, vir illustris, ut vice sacra judicans, non solum ad istam injuriam te redigi velis, verum etiam præfecturæ honore expoliatum, in vinculis te tamquam privatum trudi æquanimiter feras? Sanctus Hermes ait: Ego præfecturam non perdidi, sed mutavi. Nam dignitas terrena a terris tollitur, ac mutatur; dignitas vero cælestis æterna sublimitate subsistit. Dicit ei Quirinus: Miror, te prudentem virum ad tantam stultitiam devenisse, ut credas extra istam vitam te aliquid habiturum, postquam cineres humani corporis ita ad nihilum redigantur, ut nec ossa ipsa subsistant. Cui beatus Hermes: Et ego ante hos annos illam deridebam, & istam carnalem vitam utilem esse dicebam. Et Quirinus: Fac & me probare, ut si ita est, sicut tu credidisti, & ego credam. Beatus Hermes dixit: Sanctus Alexander, qui habetur in vinculis, hæc me docuit. Audiens hæc Quirinus, cœpit maledicere Alexandro, & dixit ad Hermem: Ego te rogavi dicens, fac me probare juste te credidisse, & tu mihi nominasti hominem magum, quem in vinculis habeo, & in carceris ima inclusum. Si verum est ergo quod dicis, vado ad eum ipse, & triplicabo illi vincula, & custodes, si potuerit hora cœnandi ad te venire, credam quæ docuerit. Ivit, triplicavit vincula, custodes apposuit. Primo igitur noctis initio venit puer, qui videbatur esse non amplius quam quinque annorum, ferens faculam ardentem in carcere, & flectens genua sua cum beato Alexandro oravit, dicens orationem Dominicam, & apprehendens manum ejus eduxit per fenestram, & perduxit eum ad beatum Hermem in domum Quirini. Quirinus factum hoc ut vidit, exterritus est. Cui post alia beatus Hermes dixit: Ecce nos vides in unum, quos custodiis mancipasti. Causa, cur ego sancto Alexandro crediderim, ista est. Unicus cum mihi esset filius in nimio languore positus, qui adhuc ambulabat ad litterarum studia, hicque in Capitolium cum esset ductus a me, & matre sua, & sacrificassemus diis, & Pontifici-

De his in vita sancti Alexandri 3. Maji.

tificibus præmia dedissemus, mortuus est. Tunc increpare me cœpit nutrix ejus, dicens: Si eum ad limina sancti Petri duxisses, & credidisses Christo, filium tuum incolumem haberes. Cui ego respondi: Dum tu ipsa cæca sis facta, & non sis curata, quomodo filium meum reddet incolumem? Si ante istos, inquit, quinque annos credidissem Christo, redditi mihi essent oculi. Cui dixi: Vade, & crede: & si tibi oculos aperuerit Alexander, credam, quod & mihi reddat filium meum. Abiit ad ipsum cæca, & ecce reversa est ad me sana, imponensque humeris suis filium meum mortuum, cucurrit, & jactavit eum ante pedes beati Alexandri. At ille, oratione facta, resuscitavit eum. Ego confestim misi me ad pedes ejus, & rogavi me fieri Christianum. Patrimonium vero matris ejus ipsi contuli: aliquanta etiam de meo addidi. Cetera vero aut pauperibus erogavi, aut servis meis, qui mecum facti sunt Christiani, dedi. Hæc & his similia cum egisset circa Quirinum beatus Hermes, credidit Quirinus cum omni domo sua, & baptizatus est. Aurelianus cuncta hæc audiens, dictavit in ultimo sententiam, ut beatus Hermes gladio puniretur. Qui decollatus, a beata sorore sua Theodora collectus, in Salaria vetere non longe ab urbe Roma, sub die quinto mense Septembrio sepultus est.

Ipso die in Africa, depositio sancti Augustini Episcopi. Ex *Augustini.* provincia ergo hic Africana, civitate Tagastensi, de numero Curialium parentibus honestis & Christianis progenitus, alitusque est ac nutritus eorum cura, ac diligentia, impensisque, sæcularibus artibus eruditus apprime, omnibus videlicet disciplinis imbutus, quas liberales vocant. Nam & Grammaticam prius in sua civitate, & Rhetoricam in Africæ capite Carthagine postea docuit: consequenti etiam tempore trans mare in Roma, & apud Mediolanum. In qua urbe tunc Episcopatum administrabat acceptissimus Deo, & in optimis viris præclarissimus sacerdos Ambrosius. Hujus interea verbi Dei prædicatoris frequentissimis in Ecclesia disputationibus adstans in populo, intendebat suspensus atque affixus. Et factum est divina præstante opitulatione, ut per illum talem tantumque Antistitem Ambrosium, & doctrinam salutarem Ecclesiæ Catholicæ, & divina perciperet Sacramenta. Moxque, & intimis cordis medullis, spem omnem quam habebat in sæculo, dereliquit. Jam vero non uxorem, non filios carnis, non divitias, non honores sæculi quærens, Deo cum suis servire statuit. Unde cum his, qui eidem adhærebant, Deo vivebat, jejuniis, orationibus, bonis operibus, in lege Domini meditans die, ac nocte. Et de his, quæ sibi Deus cogitanti atque

ti atque oranti intellecta revelavit, & præsentes, & absentes sermonibus, ac libris docebat. Factumque est, ut ordinaretur Presbyter in Ecclesia Hipponensi, omnibus id uno consensu, & desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio, & clamore flagitantibus. Mox sibi monasterium intra Ecclesiam instituit, & cum Dei servis vivere cœpit secundum modum, & regulam sub sanctis Apostolis constitutam: maxime ut nemo quidquam proprium in illa societate haberet, sed essent omnia communia, & distribueretur unicuique sicut opus erat. Interjecto autem tempore, sancto Episcopo Valerio id agente, omnibus gratulantibus, atque id fieri ingenti desiderio clamantibus, Episcopatum suscipere, suo vivente Episcopo, coactus est. Atque ita factum est, ut Episcopus multo instantius, ac ferventius majore auctoritate verbum salutis externæ, alacriter pullulanti atque crescenti Domini Ecclesiæ, prædicaret. Vixit in clericatu, vel Episcopatu annis ferme quadraginta, ætatis vero illius anni septuaginta sex. Verbum Dei usque ad extremam ægritudinem imprætermisse, alacriter, & fortiter, sana mente sanoque consilio in Ecclesia prædicavit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro adspectu atque auditu, & adstantibus, & videntibus, & orantibus fratribus, obdormivit cum patribus suis, enutritus in senectute bona. Testamentum nullum fecit, quia unde faceret, pauper Dei non habebat. Tertio obsidionis mense (nam civitas ejus quatuordecim mensibus conclusa & obsessa est a Wandalis, Alanis, aliisque commixtis gentibus) decubuit febribus, & illa ultima exercitatur ægritudine. Hic beatus Episcopus spiritu divino tactus, in sancta Ecclesia Catholica ad instructionem animarum fecit libros, tractatus, epistolas, numero mille triginta, exceptis qui numerari non possunt, quia nec numerum designavit eorum. Hujus corpus venerabile, primo de sua civitate propter barbaros Sardiniam translatum, nuper a Leutprando Rege Longobardorum, dato magno pretio, Ticinis relatum, & honorifice conditum est.

Juliani. Brivate, natale sancti Juliani martyris. Qui tempore persecutionis hortatu beati Ferreoli, cujus in militia comes erat, ex Viennensi urbe clandestino discessu ad præfatum Avernæ urbis territorium commigravit. Ubi ab insequentibus persecutoribus tentus, desecto gutture, morte horribili necatus est. *Greg. Tur. de gloria Martyrum lib. 2. per totum.*

Alexandri Constantinopoli, sancti Alexandri Episcopi & confessoris, gloriosi senis: cujus virtute orationis Arius divino judicio condemnatus, crepuit medius, & effusa sunt viscera ejus. Dormivit vero idem beatus Pontifex, vitæ suæ anno nonagesimo octavo, Episcopatus trigesimo tertio.

Eodem

* al. Viviani. Greg. Tur. de gloria Conf. cap. 58.

Eodem die apud Santonas, S. * Bibiani Episcopi, & confessoris. *Bibiani.*

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. hac die ita exordiuntur:
„ Romæ, passio sancti Hermetis martyris, quem Alexander, cum esset præfe-
„ ctus urbe (sic) Romæ baptizavit cum uxore, & filiis, ac sorore Theodora, quem-
„ que Aurelianus jussit carcerali custodia mancipari: ac deinde gladio puniri. Cujus
„ corpus collegit beata Theodora, & sepelivit v. Kal. Septembr. Constantinopolim,
„ sancti Alexandri Episcopi gloriosi. *Cætera, ut in editis.*

Ed. *Ipso die in Africa &c.* Codices nostri: *In Africa, civitate Yppona &c.* Ed. *Sancti Bibiani.* Cod. 511. 514. *Sancti Vibiani.* Cod. 512. *Sancti Bibiani Episcopi, & confessoris, cujus gesta habentur.*

Hermetis. ADNOTATIO. *Hermetis* martyris natalis in tabulis omnibus celeberrimus hac die est, ac item apud quosdam diebus superioribus. Agit de eo hac die in primis Kalendarium Bucherianum his verbis: *Hermetis in Basilla, Salaria vetere.* Apographa Hieronymiana habent: *Romæ, via Salaria in cimiteria, natalis sanctorum Hermetis, Basilei, Heliæ, Stephani diaconi.* Agunt hac die Beda, Romanum parvum, Florus, Rabanus, Ado, Usuardus, Notkerus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palatin. Vatic. 485. & Vat. 3806. In libris quoque Liturgicis vetustissimis, ut in Gelasiano pag. 169. Missa hac die habetur *in natali sancti Hermis.* Prima oratio est: *Sancti nos*, Secreta: *Munera nostra.* Post com: *Exultet.* In Gregorianis item omnibus Sacramentariis vetustioribus, ut in Reginæ Suecorum, Ottoboniano, & aliis Missa celebratur hac die in natali *S. Hermetis*, in quibus, ut in Palat. 495. hæ sunt orationes: *Deus qui beatum Hermetem.* Super oblata: *Sacrificium.* Ad com: *Repleti, Domine.* Capitularia quoque Evangeliorum tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 275. Evangelium hac die legendum *in natali sancti Hermes* designant. Passus est *Hermes* c. A. D. 116. Illius cœmeterium *via Salaria veteri* celebre fuit, de quo Aringus lib. IV. c. XXXIV. In Notitia apud Eccardum hæc de *Hermete* ejusque basilica & cœmeterio habentur, ubi de martyribus *via Salaria* quiescentibus sermo est: *Et inde in occidentem tendentibus apparet & basilica sancti Hermes, ubi ipse martyr jacet. Ibi sunt S. Crispus, & Herculanus &c.* Plura de ejus cultu, Actis, & elogiis vide apud Bollandianos hac die p. 142. *& seq.*

Augustini. *Augustini*, magni Ecclesiæ Doctoris, in *Africa depositio*, seu natalis a Latinis omnibus antiquioribus hac die celebratur, nimirum a Kalendario Carthaginensi, in quo habetur: *Depositio Restituti, & Augustini Episcopi.* Celebratur item hac die a Hieronymianis, Beda, Romano parvo, Gellonensi, Rabano, Adone, Usuardo, Wandelberto, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviori, Martyrologio Reginæ Suecorum, Fuldensi, Kalendario Palat. Vat. 485. Vatic. 3806. & aliis. In nonnullis ex his, loci designatio est *Africa*, in nonnullis habetur: *In Africa, Hippone regio.* Decessit Augustinus *Hippone* A. D. 430. ut inter recentiores statuunt editores Operum ejusdem Augustini in nova Parisiensi editione tom. X. pag. 491. & Tillemontius tom. XIII. pag. 493. Ex Africa in Sardiniam, *Trasimundo* Wandalorum rege sæviente, Augustini corpus translatum fuit A. D. 504. testibus Beda in Chronico, & in Martyrologio, Adone, Usuardo, & aliis hac die, ac demum Paullo Diacono lib. VI. de gestis Langobardorum cap. XLVIII. Sigeberto, & Mariano Scoto in Chronico. Ex Sardinia demum, curante summo studio *Luitprando* Langobardorum rege, in Ticinensem urbem S. Augustini corpus, magno pretio redemptum, translatum fuit, atque in Ecclesia *S. Petri in cælo aureo* collocatum, testantibus iisdem qui supra, & aliis. Quo potissimum anno id contigerit, disceptatum est inter eruditos viros. Baronius in Notationibus hac die, & die XXVIII. *Februarii*, nihil certi de translationis hujus anno statuit; & ad an. 725. n. 1. *& seq. Augustini translationem* ex Sardinia *Ticinum* eo anno 725. factam fuisse contendit. Tillemontius tom. XIII. not. XCV. pag. 1047. incertum esse hujus translationis annum putat, atque inter an. 717. & 725. assignandum. Mabillonius Musei Italici tom. I. pag. 219. ex diplomate *Liutprandi regis* monachis *S. Petri* in cælo aureo concesso, quod

in Chronico apud Canonicos regulares *Ticini* vidit, ubi diploma illud hæc notas Chronologicas præfert: *Datum* IV. *Non. Aprilis, regni Liutprandi primo, Indict.* X. & ibi habetur, *sanctum & venerabilem Augustinum* in monasterium *S. Petri in cela aures* ab eodem *Liutprando* adductum fuisse, conjicit hujusmodi translationem anno Incarnationis Dominicæ 712. contigisse. At postea mutata sententia in Annalibus Benedictinis lib. XX. §. LIII. ad an. 722. eam retulit, ac mendosum esse Liutprandi diploma censuit. Sed ad annum hujus translationis quod attinet, & ad exortas de Augustini corpore concertationes, vide clarissimum Fontaninum in Disquisitione de corpore S. Augustini, Hipponensis Episcopi, Ticini reperto, edita Romæ an. 1728. Exstant autem de corpore S. Augustini in Ecclesia S. Petri in cælo aureo Apostolicæ *Benedicti* XIII. litteræ, anno 1728. X. *Kal. Octob.* datæ. At rem Liturgicam, qua impensius sancti viri coluntur, pene omiseramus. In Gregorianis Sacramentariis fere omnibus, nimirum Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vatic. 495. & aliis Missa hac die habetur in natali *sancti Augustini*, & quidem ante Missam *S. Hermetis*. Prima oratio est: *Adesto*. Super oblata: *Sancti confessoris*. Ad com. *Ut nobis*. Deest quidem hæc Missa in Sacramentario Pamelii, Reginæ Suecorum 337. & Ottoboniano, in quibus hac die Missa de *S. Hermete* tantum præscribitur, sed in Reginæ Suecorum ad calcem inter Præfationes habetur Præfatio propria *in Natali S. Augustini*. In Capitularibus autem Evangeliorum veterrimis deest Evangelium in *natali S. Augustini*, quia ex vetusto more de *S. Hermete* tantum agant. Antiquitus etiam inter divina officia Acta quædam de S. Augustino legebantur, id colligo ex Actis sanctorum in codice Canonicorum Forojuliensium, ubi ante decollationem S. Jo: Baptistæ hæc leguntur: *Incipit vita & conversatio beati Augustini. Augustinus doctor egregius in Provincia Africana in civitate Cartaginensi ortus &c.* Sed vide quæ de Augustino, ejusque cultu, & translationibus congessere Bollandiani hac die pag. 213. *& seq.*

De *Juliano* apud *Brivatem*, vulgo *Brioude* in Arvernis, agunt hac die Hieronymiana Gellonense, Usuardus ex Adone, & Notkerus. Item Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, & Kalendarium Vatic. 3806. De eo Gregorius Turonensis, Sidonius Apollinaris lib. VII. epist. I. Venantius Fortunatus lib. VIII. Carmine IV. & alii. Vide Bollandianos hac die pag. 169. *& seq.* Passus est c. A. D. 304. De vico *Brivate* vide Valesium in Notitia Galliarum pag. 101. Acta expenduntur a Bollandianis, & a Tillemontio tom. V. pag. 279. *& seq.* & pag. 696. Juliani.

De *Alexandro* Constantinopolitano Episcopo agit Romanum parvum hac die, & etiam in Hieronymianis agitur, nisi librariorum mendo, aliter sentiendum sit; deinde Ado, & Usuardus, & Martyrologium Fuldense, silentibus aliis. Græci agunt in Menologiis III. *Kal. Septembris*. De ejus laudibus Baronius in Notationibus hac die, & in Annalibus ad an. 340. n. XV. XVI. Sed accurate Bollandiani socii die IV. *Junii* in commentario de Metrophane, & in Appendice ad diem VII. *Junii*, ubi de *Paulo* Episcopo Constantinopolitano. Sedisse dicitur ab an. 317. ad 340. ut habent iidem Bollandiani tom. I. *Junii* pag. 387. *& seq.* Alexandri

Bibianus, seu *Vibianus* Episcopus *Santonensis* colitur hac die in Auctariis Hieronymianis, licet corrupte; nam habent: *In Constantinopoli, natalis sanctorum Alexandri Episcopi, & Viviani Episcopi*. Ecce Byzantium ex Gallia, librarii vitio translatum *Bibianum*. Hujusmodi lapsum sanat Florentinius in notis. Agunt præterea de *Bibiano* Gellonense, Florus, & post Adonem Usuardus, Notkerus, Wandelbertus, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Kalendarium Vatic. 3806. De eo post Sammarthanos in Gallia Christiana tom. II. pag. 1055. novæ editionis, Bollandiani socii hac die pag. 461. *& seq.* ubi plura de ejus cultu, Actis, & scriptis. Floruit circa medium sæculum Christi quintum. Bibiani.

---

29. *Aug.* *C. IV. KALENDAS SEPTEMBRIS.*

Sabinæ. ROMÆ in Aventino in oppido Vindinensi ad arcum Faustini, natale beatissimæ, & illustrissimæ Sabinæ martyris, quæ fuit uxor præclarissimi quondam Valentini, & filia Herodis Metallarii, quæ passa est Adriano imperante, sub præfecto Helpidio. Hanc beata virgo Seraphia, cum in domo ejus conversaretur,

retur, persuasit in fide Domini nostri Jesu Christi. Quæ postmodum eamdem virginem usque ad locum passionis secuta est. Et cum ei præses Berillus diceret: Quid tibi ipsa derogas, aut quare temetipsam vilem reddis, aut quare non consideras quæ es, aut cujus filia es? Conjunxisti enim te Christianis, & oblita es natales tuos, & memoriam tanti viri, cujus fuisti, & deorum, quorum iram vereor ne incurras. Revertere magis ad domum tuam & dimitte hanc nefandam, quæ maleficiis te & plures demutavit a deorum cultura. Beata Sabina respondit: Illius sanctæ puellæ, de qua dicis, maleficiis utinam & tu suadereris, sicuti & ego suasa sum, ut ab immundis recederes idolis, & verum & certissimum agnosceres Deum, qui bonos ad æternam vocat vitam, & malos in pœnam relinquit perpetuam. Quod Præses audiens, reveritus illam dimisit. Ut vero beata Seraphia gloriosissimo martyrio coronata est, illustrissima Sabina colligens reliquias ejus, celebratis venerabilibus exequiis, ut thesaurum sempiternum, vel pretiosam margaritam reposuit in monumento suo, quod ipsa sibi cum summo studio & ornatu fecerat. Deinde interpositis aliquot diebus, comprehensa Judici Helpidio præsentatur. Quam ille videns, Tu es, inquit, Sabina uxor quondam Valentini illustrissimæ memoriæ, & filia Herodis? Cui sancta matrona respondit: Ego sum, & gratias ago Domino meo Jesu Christo, qui me peccatricem per sanctam famulam suam Seraphiam de multis sordibus & potestate dæmonum liberare dignatus est. Commotus postmodum Præfectus, cum videret in confessione Christi constantiam ejus, dictavit sententiam, dicens: Sabinam diis inobedientem, dominos quoque & Augustos nostros blasphemantem, gladio percuti decrevimus, atque omnes facultates ejus publicis titulis præsignari. Passa est autem beata famula Christi Sabina quarto Kalendas Septembris: & a Christianis sublatum corpus ejus sepultum est in monumento, ubi ipsa venerabiliter reposuerat magistram fidei suæ virginem Seraphiam, ad arcum Faustini, juxta aream Vindiciani, in oppido Vindinensi.

Vide lib. de fest. Apost. Item hic ante 24. Febr.

Eodem die veneratur decollatio sancti Joannis Baptistæ, qui primo in Samaria est conditus, nunc in Alexandria. Porro caput de Jerosolymis ad Phœniciæ urbem Emesam delatum est.

Decollat. Jo: Baptista.

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ in Aventino &c.* Cod. 511. 512. 514. *Romæ ad arcum Faustini, beatissimæ Sabinæ martyris, quæ &c.* Sequitur in codicibus nostris hac die elogium *de decollatione S. Joan. Baptistæ*, prout apud vulgatum Adonem in libello de festivitatibus Apostolorum, & die XXIV. *Februarii*. In codice 512.

ce 512. post verbum *celebrari*, quod extremo loco in vulgato Adone die xxiv. Februarii legitur, hæc sequuntur: *Constat namque, quia imminente festivitate Paschali fuerit, sicut in Evangello patet, decollatus, & anno post hunc sequente, cum denuo tempus Paschale rediret, mysterium Dominicæ passionis esse completum*. In
Mederici. codice 511. post verbum *celebrari*, sequitur: *Parisius, depositio sancti Mederici presbyteri*.

Sabinæ. ADNOTATIO. *Sabinam* virginem & martyrem hac die recolunt vetustæ omnium Latinorum tabulæ. Agit apographum Hieronymianum Corbejense his verbis: *Passio sanctæ Sabinæ martyris*. Agit & Beda. Romanum parvum habet: *Romæ, ad arcam Faustini, Sabinæ martyris*. Gellonense: *Romæ, Sabiani* [pro *Sabinæ*] *martyris*. Agunt præterea Rabanus, Ado, Usuardus contracte ex Adone, Notkerus, Wandelbertus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, & Kalendarium Vatic. 3806. In libris quoque Liturgicis ritus Gregoriani Missa hac die *in natali sanctæ Sabinæ* habetur, ut in Sacramentario Reginæ Suecorum, Ottoboniano, Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vatic. 495. & aliis. Prima oratio est: *Deus, qui inter cætera*. Super oblata: *Hostias*. Ad com: *Divini muneris*. Capitularia denique Evangeliorum omnia tom. iii. de Liturgia Rom. Pontificis pag. 275. Evangelium hac die exhibent *in natali sanctæ Savinæ*. Ejus elogium ex Actis S. Seraphiæ ab Adone sumptum, monet Sollerius. Pluribus de ea hac die Baronius, & Florentinius in Notationibus. De vetustissima in illius honorem in Urbe Ecclesia Baronius ad an. 432. num. xxxvii., & alii recentiores. De Statione, *feria* iv. ante Dominicam I. Quadragesimæ vetusti Romani Ordines, & Capitularia Evangeliorum veterrima. De ejus cultu & Actis Bollandiani hac die pag. 496. *& seq.*

In tabulis Latinorum omnium hac die cele-
Decollat. Jo. Baptistæ. bratur *decollatio* Præcursoris Domini. Apographum Hieronymianum Lucense habet: *Civitate Sebastia, natalis sancti Johannis Baptistæ, & aliorum natalis sanctorum* DCCCC. Agit & Beda genuinus; desideratur tamen in apographo Palat. Vat. 833. Romanum parvum: *Eo die veneratur decollatio sancti Johannis Baptistæ*. Gellonense: *Passio S. Johannis Baptistæ*. Rabanus: *Eadem die celebratur decollatio sancti Johannis Baptistæ, qui primo in Samaria conditus, nunc in Alexandria: porro caput de Hierasolymis ad Phœnicis ur-*
* Edessam. *bem Emissam* * *delatum est*. Usuardus ita habet: *Decollatio, vel potius inventio capitis, beatissimi Joannis Baptistæ: Siquidem decollationem ejus circa solemnitatem Paschalem evenisse ex Evangelica comprobatur lectione, quæ tamen hic festiva recolitur, quando caput ejusdem secundo repertum est in Emessa civitate, atque in Ecclesia conditum*. Hæc eadem de tempore, quo capite cæsus est *Joannes*, leguntur in uno ex nostris Adonianis apographis. Notkerus Rabanum exscribit. Rhinoviense habet: *In Emissa civitate, decollatio sancti Johannis Baptistæ*. Richenoviense: *In Emissa, civitate Feniciæ provinciæ, decollatio sancti Johannis Baptistæ, & aliorum octingentorum mart.* Augustanum & Labbeanum: *Passio sancti Johannis Baptistæ*. Corbejense brevius postridie hujus diei: *In Provincia Palæstinæ Sebastia, natalis S. Joannis Baptistæ. Et alibi, natalis sanctorum nongentorum, qui eodem die passi sunt*. Martyrologium Reginæ Suecorum hac die xxix. Augusti: *Eadem die, decollatio sancti Joannis Baptistæ, qui primo in Samaria conditus, nunc in Alexandria: porro caput de Hierasolymis ad Phœnicem urbem Emissam delatum*. Fuldense: *Passio sancti Johannis Baptistæ*. Ottobonianum: *Eodem die, decollatio sancti Johannis Baptistæ*. Kalendarium Pal. Vat. 485. *Passio sancti Johannis Baptistæ*. Kalendarium Vatic. 3806. *Et decollatio sancti Johannis Baptistæ*. Vulgatus Ado die xxiv. *Februarii*, postquam de inventione capitis S. Jo. Baptistæ sub *Martiano* verba fecit, hæc habet: *Et propterea quod in libro Sacramentorum natale* iiii. *Kalendarum Septembrium die notatum est, & in Martyrologio, quod Eusebii & Hieronymi vocabulis insignitum est, legitur*, „ Quarto Kalendas Septembris in Emesa ci„ vitate Phœniciæ, natale sancti Johannis „ Baptistæ, quo die decollatus: *non specialiter ipsum diem decollationis ejus, sed diem potius, quo caput ejus in eadem Emesa civitate repertum, atque in Ecclesia conditum designat*. Hæc Ado. Baronius ea de re pluribus, & Bollandiani tom. iv. Junii pag. 711. *& seq.* Vide quæ diximus ad diem xxiv. *Februarii*, & xxiv. *Junii*. Vide etiam Tillemontium tom. I. & tom. II. pag. 714., & Sollerium in Usuardum hac die. Apud Gregorium Turonensem lib. x. Histor. Franc. cap. xxxi. *natalis S. Jo. Baptistæ* designatur ante *cathedram S. Petri*, & *passio* ante festum Apostolorum *Petri & Pauli*. In Sacramentario Gallicano pag. 342. post Missam in nativitate S. Johannis Baptistæ subsequitur: *Missa in sancti Johannis passione* ante natalem Apostolorum

lorum *Petri*, *&* *Pauli*. In Lectionario Lexoviensi num. LXIV. pag. 160. post festum Apostolorum *Petri* & *Pauli* designantur lectiones *in passione S. Joannis Baptistæ*. In Missali Gothico etiam ou. LVII. habetur: *Missa in diem Passionis S. Johannis Baptistæ & martyris* ante Missam S. *Sixti* Papæ, & S. *Laurentii* martyria. Ritu tamen S. R. E. veterrimo in libris Liturgicis hac die XXIX. *Augusti* de sancti Johannis Baptistæ *decollatione*, seu *passione* solemnia peraguntur. Codex Sacramentorum Gelasianus pag. 170. ad hanc diem Missam *in die passionis sancti Johannis Baptistæ* præfigit. Prima oratio est: *Sancti Johannis Baptistæ & martyris tui*. Alia: *Perpetua nos*. Secreta: *Munera tibi*. Post com: *Conferat nobis*. Desideratur in Gregoriano Reginæ Suecorum, ut habetur in Ottoboniano, Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, & aliis. In Palat. Vat. 495. orationes sunt, prout in Gelasiano. In Missali plenario Vatic. 4770. habetur Præfatio propria. Capitularia quoque Evangeliorum tom. I. de Liturgia Romani Pontificis p. 275. 276. partim hac die XXIX. *Augusti*, partim die XXX. hujus Evangelium in *decollatione S. Johannis Baptistæ* exhibent, cui conjungunt depositionem *Helisæi prophetæ*, de quo Hagiographi die XIV. *Junii*. In Capitulari demum Epistolarum ad usum Ecclesiæ Mediolanensis, licet die non præstituto, hoc tamen mense, post S. *Genesium* recensetur *decollatio S. Johannis*. In divinis officiis olim hac die legebatur Sermo Jo: Chrysostomo tributus. Id colligo ex codice Canonicorum Forojuliensium, in quo martyrum & sanctorum Acta collecta sunt. Ibi post Acta S. Augustini legitur: *In decollatione sancti Johannis Baptistæ. Sermo beati Johannis Episcopi. Hodie nobis, fratres Karissimi, interitus* &c. Habetur alius in decollationem S. Jo: Baptistæ Sermo Anatholii Episcopi Thessalonicensis, judicio Allatii, sed ex fide codicis IX. sæculi apud Banducium ad antiquitates CPolitanas pag. 649. Jo: Chrysostomi, & alius ipsius Chrysostomi nomine inscriptus apud Lipomanum tom. VI. pag. 205. Alia encomia collegit Combefisius Bibliothecæ Concionatoriæ tom. VII. pag. 780. *& seq.*

Medericus apud *Parisios presbyter* additur ab uno ex nostris apographis Adonianis. Agit de eo hac die Usuardus genuinus iisdem verbis, prout in apographo nostro. Codex Usuardi Pratensis, addit *presbyteri*, *& monachi*. Sollerius, a nullo alio Usuardum *Mederici* elogium sumpsisse decernit. Vide de eo Mabillonium Sæculo III. Bened. P. I. pag. 8. & Annal. Bened. lib. XVIII. §. LXXI. Confer etiam Gerardum Dubois in Historia Ecclesiæ Parisiensis lib. IV. cap. VIII. §. V. pag. 217. Obiit an. 700. hac die in suburbana apud Parisios S. Petri cellula, & illius corpus a *Gozelino* Episcopo Parisiensi elevatum fuit an. 884. ac decentius collocatum. De eo ejusque Actis Bollandiani hac die pag. 518. *& seq.* *Mederici.*

D. III. KALENDAS SEPTEMBRIS. *30. Aug.*

ROMÆ, via Ostiensi, miliario secundo ab Urbe, natale beatissimorum martyrum Felicis & Adaucti, sub Diocletiano & Maximiano Imperatoribus, Præfecto & Judice Dracco. *Felicis & Adaucti.* Fuere autem duo fratres nomine, & opere Felices, ambo Presbyteri. Horum senior Felix ex jussione Imperatorum cum ad secretarium Judicis esset perductus juxta templum Serapis, dum cogeretur ad sacrificandum, exsufflavit in faciem statuæ æreæ, & statim cecidit. Item ductus ad Mercurii statuam in aliam ædiculam, simili modo in illam exsufflavit, & mox cecidit. Item ad simulacrum Dianæ, quod pari modo dejecit. Reductus ad Præfectum imponitur equuleo, & inquisitus quibus hæc maleficiis fecisset, B. Felix respondit: Non maleficiis diaboli, sed beneficiis omnipotentis Dei hoc egi. Furore itaque accensus Præfectus, jussit eum duci extra Urbem via Ostiensi, quia illic arbor excelsissima stabat dæmonibus consecrata, juxta quam erat templum, ut ibi ad sacrificandum impelleretur. Quo perductus, oratione

tione facta, dixit ad arborem: Præcipio tibi in nomine Domini mei Jesu Christi, ut radicitus corruas, & templum ac simulacrum, vel aram ejus funditus comminuas, ut amplius cultu tuo animæ non decipiantur. Quæ statim ad verba ipsius ita eversa est, ut & templum ac simulacrum comminueret, & quod fuerat, non pareret. Quod cum nuntiatum fuisset Præfecto, statim jussit eum decollari, & corpus ejus inhumatum canibus, & lupis derelinqui. Data sententia, obvius fuit ei quidam vir Christianus, hominibus quidem absconsus, Deo vero manifestus. Hic cum didicisset, quod B. Felix duci fuisset jussus, cœpit clamare & dicere: Et ego ex eadem lege sum, & ipsum, quem hic sanctus Presbyter confitetur, Dominum Jesum Christum colo. Mox & ipse ab officio Præfecti comprehensus, pariter dato sibi osculo, cum beato Felice decollatus est. Hujus nomen quia non invenerunt Christiani, postmodum Adauctum eum appellaverunt, quod sancto martyri Felici auctus sit ad coronam, ipsique pro fidei confessione corona martyrii aucta. Christiani itaque noctu venientes, in eodem loco ubi arbor steterat, quæ cadens, nimiam terræ altitudinem aperuerat, eos sepelierunt. Quorum corpora volentes pagani exinde effodere, quicumque manus apposuerunt, a diabolo correpti sunt. Ubi postea pacis tempore basilica fabricata, & martyrum memoria digne exculta. Compleverunt autem martyrium suum III. Kalendas Septembris.

VARIA LECTIO. Ed. *miliario secundo ab Urbe, natalis beatissimorum &c.* Cod. 511. 512. 514. *miliario secundo ab Urbe, beatissimorum martyrum Felicis, & Adaucti.* Cod. 514. *Audacti.*

Felicis & Adaucti. ADNOTATIO. *Felicis, & Adaucti martyrum natalis*, Romæ olim impensiori studio cultus, in tabulis omnibus Latinorum veterrimis memoratur, licet ab eorum quibusdam *Felix*, in Africa Episcopus & martyr, cum *Felice* & socio commisceatur. Agunt autem de his hac die Hieronymiana his verbis: *Romæ, natale sanctorum Gaudentiæ virginis cum reliquis tribus; & natalis sanctorum Felicis, & Audacti.* Beda genuinus ita habet: *In Venusia civitate Apuliæ, natale sanctorum Felicis Episcopi Tubzocensis, & Audacti, Januarii presbyteri, & Fortunatiani, & Septimini Lectorum, qui temporibus Diocletiani in sua civitate tenti a Magnelliano curatore, inde multis diu vinculis & carceribus macerati & in Africa, & in Sicilia, tandem in occisione gladii consummati sunt. Felix quinquaginta annorum virgo obiit.* Eadem pridie hujus diei de *Felice* Episcopo habet Rabanus. Hac vero die agit de sanctis *Felice & Audacto*, Romæ celebribus. Martyrologium Reginæ Suecorum ad verbum Bedæ elogium describit, usque *a Magnelliano curatore*, *Januario* tamen prætermisso, deinde hæc interpolat, seu prosequitur: XVIII. *Kal. Julii, inde multis diu vinculis & carceribus macerati, & in Africa, & in Sicilia, tandem gladio consummati sunt. Felix LVI. annorum virgo obiit.* Gellonense habet: *Romæ, Gaudentiæ, Felicis, Audacti mar.* Romanum parvum: *Via Ostiensi, Felicis, & Audacti martyrum.* Usuardus in pauca Adonem contrahit, his verbis: *Romæ via Ostiensi, passio beati Felicis presbyteri*

teri sub Diocletiana & Maximiano Imperatoribus, qui post equulei vexationem, data sententia, cum ad decollandum duceretur, obviar ei fuit quidam christianus: hic dum se christianum sponte profiteretur, mox cum eodem pariter decollatus est. Hujus nomen ignorantes christiani, Adauctum eum appellaverunt, quod sancto Felici auctus sit ad coronam. Notkerus: *Romæ via Ostiensi, Felicis & Adaucti martyrum*; reliqua ex Actis prosequitur. Meminit Wandelbertus hoc versiculo:

Terna cum Felice pio præcellet Adauctus.

Rhinoviense hac die: *Romæ, natalis sanctorum Felicis & Audacti*. Ita Richenoviense, in quo tamen *Adaucti* legitur. Augustanum: *Romæ, Felicis, & Adaucti martyrum*. Ita Labbeanum, in quo *Audacti*. Corbejense brevius pridie hujus diei: *Romæ sancti Felicis*, tantum. Martyrologium Fuldense eadem fere quæ apud Usuardum. Ottobonianum: *In Venusia, civitate Epulia* (sic) *natalis sancti Felicis Episcopi civitate Buzocense* (sic) *Audacti, & Januarii presbyterorum, Fortunati, & Septimini Lectorum, tempore Diocletiani passi*. Kalendarium Palat. Vat. 485.: *Natalis sanctorum Felicis, & Audacti*. Kalendarium Vat. 3806. *In Apuleja* (sic) *passio sanctorum Felicis, & Audacti*. Hactenus Hagiologia. De *Felice* Episcopo & sociis Ado & Usuardus agunt die XXIV. *Octobris*, iisdem pene Bedæ verbis. Attamen Ruinartius pag. 374. in Admonitione ad Acta sancti *Felicis* Episcopi & martyris diem XXX. *Augusti* præferendam esse censet. Vellem igitur, ut *Felix & Adauctus* Romani martyres, a *Felice* & sociis distinguantur, licet a nonnullis Hagiographis hac die XXX. *Augusti* colantur. *Felix* Romanus *presbyter* est, *Felix* alius *Africanus* Episcopus. Hic *Venusiæ*, ille *Romæ* cum socio passus. Pro Romanis martyribus *Felice & Adaucto* abunde esse potest sancti Damasi carmen XXIV. de iisdem martyribus, quod ex veterum epigrammatum collectione habes apud Baronium ad an. 384. numero XXIV. His adde libros Liturgicos vetustissimos S.R.E. in quibus hac die, ut in Sacramentariis Gregorianis, nempe Reginæ Suecorum Missa *in natali Sanctorum Felicis & Adaucti*, seu ut in Ottoboniano *Felicissimi & Audacti*, habetur; ac item in Menardi, Pamelii, Angeli Rocchæ, Palat. Vat. 495. Sacramentariis, & Missali plenario Vat. 4770. In Palat. Vat. 495. Oratio prima hæc est: *Majestatem tuam*. Secreta: *Hostias*. Ad com. *Repleti*. Ita quoque in Missali plenar. Vat. 4770. in quo insuper habetur Præfatio propria. In Sacramentario pervetusto a Blanchino edito habentur pag. XXXVIII. ad III. *Kal. Septembris* Missæ VII. in *natali sanctorum Adaucti & Felicis*. Capitularia demum Evangeliorum tom. III. de Liturgia Rom. Pontificis pag. 275. partim die XXIX. partim die XXX. Augusti natalem *sanctorum Felicis & Adaucti*, seu *Audacti* habent. *Audacti*, pro *Adaucti* in veteribus codicibus per metathesin scribi monent Jo. Fronto, & Jo: Baptista Sollerius. Eorum basilica, seu memoria exstabat olim via *Ostiensi*. De ea ita Eccardi Notitia: *Prope quoque basilicæ Pauli Ecclesia sanctæ Teclæ est, ubi ipsa corpore jacet. Et non longe inde Ecclesia sancti Felicis, ubi ipse dormit, cum quo quando ad cælum migravit, pariter properabat Adauctus, & ambo requiescunt in uno loco*. Descriptio regionum Urbis apud Mabillonium tom. IV. Analector. ita præfert: *Inde ad portam Ostiensis* (sic), *inde per posticam usque ad Ecclesiam Mennæ, & de Mennæ usque ad sanctum Paulum, inde ad sanctum Felicem, & Adauctum, & Emeritam*. Detecta fuit A. D. 1720. secus viam, quæ a sancto Sebastiano ad sancti Pauli basilicam ducit, prope cœmeterium Callisti parva quædam ædicula, in qua inscriptio seu lemma quoddam inventum est, his litteris inscriptum: *Sanctorum Felicis, Adjuacti, & Emeritæ*. Sed proh dolor! imperitiane artificum, an incuria quadam præsidum dixerim, factum est, ut solo statim jam venerandum antiquitatis monumentum æquatum sit. Inter lectiones in divinis officiis recitandas in codice Vat. 3836. sæculi VIII. pag. 846. habentur duo sancti Augustini nomine inscripti sermones *de natali sanctorum Felicis, & Adaucti, via hostense* (sic) *pro Ostiensi*. Horum alter incipit: *Beatum martyrem inter suspendia fortem &c.* usque *innocentem*. Alter incipit: *Felix dies inclinata &c.* usque *in eis sunt*. Circumferuntur eorum Acta, quorum exordium in codice Canonicorum Forojuliensium est: *Passio sanctorum Felicis & Adaucti martyrum. Cum fervor Diocletiani & Maximiani sanctos Dei diversis pœnis interficeret &c.* Hujusmodi Acta Italice transtulit V. C. Franciscus Valesius piæ memoriæ, atque eruditis adnotationibus ornavit, ediditque Romæ an. 1733. Vide ea, si lubet, ubi plura de his martyribus illustrantur. Bollandiani socii hac agunt die pag. 545. *& seq.* De *Felice* in Africa Episcopo, de *Audacto* & sociis vide quæ dicturi sumus ad diem XXIV. *Octobris*.

E. PRIDIE KALENDAS SEPTEMBRIS. 31. *Aug.*

De hoc in vita S. Maximi Episcopi Mog. 18. Nov. TREVERIS, natalis sancti Paulini Episcopi & confessoris: *Paulini.*
qui tempore Arianæ infestationis, a Constantio Imperatore, ob Catholicam fidem exilio relegatus, & usque ad mortem,

tem, etiam extra Christianum nomen, mutando exilia fatigatus, ad ultimum apud Phrygiam defunctus, beatæ passionis coronam percepit a Domino.

Aristidis. Eodem die apud Athenas, beati Aristidis, fide sapientiaque clarissimi. Qui Adriano Principi de religione Christiana libros obtulit, & quod Christus Jesus solus esset Deus, præsente ipso Imperatore, luculentissime peroravit. Hieron. de Script. Eccl. cap. 20.

Optati. VARIA LETIO. Post verbum *peroravit* extremo hac die loco, sequitur in codicibus 511. 512. 514. *Autissiodoro, sancti Optati Episcopi & confessoris.*

Paulini. ADNOTATIO. *Paulinus* Episcopus *Trevirensis* colitor hac die a Hieronymianis, & iterum ab eisdem die IV. *Novembris*, a Gellonensi hac die, a Rabano, Adone nostro, Wandelberto, Notkero, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, & Labbeano. Corbejense brevius habet: *Treviris, depositio S. Paulini Episcopi & confessoris. Hic in exilio requievit.* De eo iterum agit die IV. *Septembris*. Martyrologium Reginæ Suecorum fere ad verbum Rabanum exscribit. Fuldense: *Treviris, natalis sancti Paulini Episcopi, qui cum a Constantio Principe Arriano pro fide catholica exilio fuisset damnatus, ibidem quievit.* Ottobonianum: *Treveris, depositio sancti Paulini Episcopi & confessoris.* Meminit & hac die Hagiologium Francogallicum, & Kalendarium Vatic. 3806. Usuardus genuinus fere ad verbum Adonem imitatur, neque ab Usuardo longe discedit Notkerus, nisi quod, mendo forte librarii, pro *apud Phrygiam*, ut in Adone & Usuardo legitur, *apud Africam* habet. Paulini exilium Sollerius adversus Florentinii opinationes figit ad an. 353. & obitum ad an. 358. Ea de re Baronius in Annalibus ad an. 353. n. XXII. & ad an. 359. num. CXXIII. De eo item in Notationibus hac die. Vide Brovverum in Annalibus Trevirensibus lib. IV. §. XCVI. & seq. & Bollandianos hac die pag. 668. & seq.

Aristidis. De *Aristide* primum agit, ut videtur Sollerio, Romanum parvum his verbis: *Apud Athenas, Aristidis, qui Adriano Principi de religione christiana libros obtulit.* Hæc sumpta sunt ex Eusebio Rufini lib. IV. cap. III. & ex Hieronymo de Scriptoribus Eccl. cap. XX. Aliena autem a vero, animadvertit insuper Sollerius, ea sunt quæ apud Adonem leguntur, nimirum *Aristidem* coram eodem Imperatore, quod Christus Jesus solus esset Deus, luculentissime perorasse. Usuardus ad verbum Adonem describit, neque ab his nisi leviter discrepat Notkerus; quare lapsus in singulis notandus est, de *Aristide* coram *Adriano* perorante. De *Aristidis* Apologia præter Eusebium in Historia & in Chronico, Hieronymum de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XX. & in epist. LXXXIV. ad Magnum, meminit Syncellus pag. 348. Ado & Usuardus die III. *Octobris*. Inter recentiores autem vide Labbeum, Tillemontium, & alios qui de Scriptoribus Ecclesiasticis agunt, ac demum novam S. Justini martyris editionem Parisiensem, & Bollandianos socios hac die pag. 650.

Optati. De S. *Optato* Episcopo *Antisiodorensi* hac die a codicibus nostris memorato, agunt apographa Hieronymiana, Gellonense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Martyrologium Reginæ Suecorum. Sollerius, quod a vulgato Adone *Optatus* absit, ex Hieronymianis ab Usuardo Optati elogium acceptum fuisse docet. Martyrologium Ottobonianum de *Optato* hac die silet, sed ad diem II. *Maji* agit de *translatione* sanctorum confessorum *Optati* Episcopi, *Memori*, & *Sanctini* presbyterorum. De *Optato* Hericus monachus in Historia Episcoporum Antisiodorensium cap. XIV. Illius obitus in annum Christi 531. confertur a Cointio ad hunc annum num. XIX. Vide Bollandianos socios hac die pag. 680. & seq.

LITANIÆ

LITANIÆ INDICENDÆ.

MENSIS SEPTEMBER

Habet dies xxx. Luna vero xxx.

F. KALENDIS SEPTEMBRIS. *1. Septem.*



Esu Nave, & Gedeon Prophetarum. *Jesu, & Gedeon Prophet.*
Apud Capuam, via Aquaria, natalis sancti Prisci martyris, qui unus fuit de illis antiquis Christi discipulis. *Prisci.*
Eodem die, natalis Annæ prophetissæ. *Annæ prophetissæ.*
Vide lib. de fest. Apost. Item eodem die apud Senonas, beati Lupi Episcopi, sanctitate, & signis miraculorum illustrissimi. *Lupi.*
Item apud Cæsaream Cappadociæ, beati Longini militis, & martyris, quem tradunt illum esse, qui lancea latus Domini Jesu Christi pendentis in Cruce aperuit. *Longini.* (Jo: 19.) Hic postmodum baptizatus ab Apostolis, cum apud Cappadociam sanctitate præcipuus degeret, tandem ab Octavio Præside comprehensus, post confessionem fidei, lingua abscisa, & dentibus excussis, capite truncatus est. Simul cum eo coronatus est Aphrodisius commentariensis, cui & Præses linguam abscidi jusserat: quique post abscisionem expedite Christum clara voce loquebatur. *Aphrodisii.*

VARIA LECTIO: Cod 511. 512. & 514: hac die ita habent.
„ Natale beatissimæ Annæ Prophetissæ, filiæ Phanuel, cujus sanctitatem Evan- *Annæ prophet.*
„ gelicus sermo prodit. Hæc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo an-
„ nis VII. a virginitate sua: & hæc vidua usque ad annos LXXXIIII. quæ non discede-
„ bat de templo, jejuniis & orationibus serviens die ac nocte. Eodem die Jesu Nave,
Jesu & Gedeon proph. „ & Gedeon prophetarum. Apud Capuam, via Aquaria, natalis sancti Prisci marty- *Prisci.*
„ ris, qui unus fuit de antiquis Christi discipulis. Senones, beati Lupi Episcopi, san- *Lupi.*
„ ctitate, & signis miraculorum illustrissimi, de quo fertur, quia quodam die dum
„ adstaret præsente clero, sacris altaribus, lapsa est cælitus gemma in ejus sancto
„ calice. Cinomannis, natalis sancti Victoris Episcopi, cujus gesta præclara sanctitate *Victoris.*
„ & miraculis habentur.
Sequitur deinde in codice 511. tantum:
Translat. Lazari. „ Augustoduno, translatio sancti Lazari martyris, quem Dominus suscitavit. Ibidem alio charactere minus antiquo sequitur: *Provinciæ, natalis sancti Egidii abbatis.* *Ægidii.*
Cod. 512. post verba *habentur*, de *S. Victore*, ita prosequitur: *Eodem die, in Gotia sancti Egidii, cujus vita virtutibus, & miraculis plena refulsit.* De Egidio silet cod. 514.
Deest in memoratis codicibus hac die natalis *S. Longini* militis, sed agunt die XXII. *Novembris.*

Jesu Nave, & Gedeonis. ADNOTATIO. *Jesu Nave*, & *Gedeon* prophetæ coluntur hac die a Romano parvo, ex quo Sollerii sententia in Adonem translati sunt, deinde in Usuardum & Notkerum. Alia Hagiologia silent. De his inter recentiores adeundus Baronius in Notationibus hac die, & Calmetus in Dictionario Biblico, verbo *Josue*, ut alios prætermittamus.

Prisci. *Priscus* apud *Capuam* Campaniæ urbem martyr, in fastis omnibus vetustioribus celebris hac die est. De eo agunt Hieronymiana, Romanum parvum, Bedæ apographum Palat. Vat. 834., Gellonense, Ado, Usuardus, Wandelbertus, Notkerus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. Vat. 3806. & alii. Item in libris Liturgicis vetustissimis, ut in codice Gelasiano pag. 170. Missa hac die habetur *in natali sancti Prisci*. Prima oratio est: *Omnipotens sempiterne Deus, fortitudo certantium & martyrum palma*. Secreta: *Ejus tibi precibus*. Post com: *Præsta quæsumus*. Eædem orationes hac die habentur in Sacramentario Gregoriano Palat. Vat. 495. In aliis Sacramentariis Missa de *S. Prisco* omittitur. Confer Michaelem Monachum in Sanctuario Capuano. In Hieronymianis, & aliis habetur: *In Capua aquaria, natalis sancti Prisci*. Castigatius apud Adonem, Usuardum, & alios legitur: *Apud Capuam, via Aquaria*. De *via Aquaria* Florentinius in notis ad hunc locum. De viis Capuanorum vide Ciceronis orationem secundam de lege agraria contra Rullum.

Annæ prophetissæ. *Anna* prophetissa inter Martyrolographos primum occurrit apud Adonem, deinde ex eo apud Usuardum. Alii vetustiores inter Latinos silent. De ea Lucas in Evangelio cap. II. Ambrosius, seu quis alius in libro de viduis, & Hieronymus epist. xx. ad Forism. Græci agunt die xxviii. *Augusti*. De illius cultu ex Græcorum & Latinorum Hagiologiis Calmetus, verbo *Anna* filia *Phanuel*.

Lupi. *Lupus* Episcopus *Senonensis* celebratur hac die ab apographis Hieronymianis, seu, ut Florentinio placet, ab ejus Auctariis, a Gellonensi, Adone, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Augustano, Labbeano, Martyrologio Reginæ Suecorum, Fuldensi, Hagiologio Francogallico, & Kalendario Vat. 3806. In vulgato Adone deest narratio de gemma cælitus delapsa, sed habetur in nostris codicibus Adonianis, quare ex Adoniano aliquo apographo adoptata est ab Usuardo, qui eam totidem verbis refert; hinc Sollerii divinatio corruit, putantis Adonem latuisse *Lupi* Acta, quæ Usuardus viderit. Acta *Lupi* a Surio hac die ex MS. Codice, mutato stylo, vulgata sunt, sed minus sincera videntur Sollerio, idcirco emendatiora a Bollandianis vulganda esse pollicetur. In exilium per vim pulsus est a Chlothario, ubi Regni Burgundiæ imperium est assecutus, demum ab exilio redux, c. A. D. 623. obiit, &, uti testamento jusserat, in stillicidio basilicæ S. Columbæ, ad hujus martyris pedes sepultus est. Ea de re Baronius ad an. 615. num. xiii. xiv. Pagius ad eum an. num. xiii. item Baronius ad an. 631. num. iii. *& seq.* Pagius ibidem num. iv. Mabillonius Annal. Bened. lib. xi. §. xv. & xl. & alii recentiores. SS. *Columbæ* virginis, & *Lupi* Episcopi corpora translata fuerunt a Wenilone Senonensi Archiepiscopo A. D. 853. x. *Kal. Augusti*, ut habet Cyclus Paschalis, a nobis editus ad calcem tom. xiv. Annalium Baronii, editionis Lucensis. *Senonensis* urbs medio ævo, barbare *Sennis* indeclinate dicebatur. Antiquitus *Senones* Galliarum populi provinciæ Lugdunensi quartæ nomen dedere. Horum fines longissime patuere. Urbes in his quondam *Agendicum* caput gentis, vulgo *Sens*, *Autissiodorum*, & aliæ. Vide Valesium in Notitia Galliarum pag. 514.

Longini. *Longinus* miles & martyr præteritur a codicibus nostris Adonianis, tum hac die, tum xv. *Martii*, qua colitur ab Usuardo, & aliis. Kalendis Septembris de eo agit Romanum parvum his verbis: *Apud Cæsaream Cappadociæ, Longini militis & martyris, qui latus Domini in cruce aperuit*. In Hieronymianis *Longinus* memoratur die xv. *Martii*, & quidem in *Cappadocia*, sed non patet, an sit ille qui latus Domini aperuit. Eadem die agunt Rabanus, & Notkerus, quorum postremus agit iterum hac die *prima Septembris*. Usuardus genuinus ad xv. *Martii* habet: *In Cæsarea Cappadociæ, passio sancti Longini, qui latus Domini lancea perforavit, ut in gestis ejusdem invenitur*. Richenoviense ea die: *In Cappadocia, Longini*. Meminere ea die *Longini* Augustanum, & Labbeanum. Eadem quoque die Corbejense brevius: *In Cappadocia, S. Longini martyris*. Martyrologium Reginæ Suecorum ad eam diem: *In Cappadocia, natalis sancti Longini*. Ita Ottobonianum ea die, a quo iterum de *Longino*, Cæsareæ in Cappadocia martyre agitur ad diem xxiii. *Octobris*. In eodem iterum de *Longino* agitur die xxii. *Novembris*, qua die quoque de eo agunt apographa nostra. Ad diem vero II. *Decembris* agit Kalendarium Vat. 3806. ubi, *Capuæ*, Longinum recolit, nisi librarii vitio id factum sit, ne legi debeat: *In Cappadocia*. Ea etiam die II. *Decembris* agunt aliqua Usuardi Auctaria. Apographa vero nostra Adoniana agunt die xxii. *Novembris*. Acta varia Græca, & Latina, auctore Hesychio presbytero, edita & recusa a Bollandianis fuere ad xv. *Martii* pag. 386. & 736. Ibi multa a Papebrochio in Commentario prævio pag. 376. *& seq.* disquiruntur de *Longini Centurionis* patria, gestis, cultu, & sociis, reliquiis, translationibus, ac fabulosis historiis, sed noluit definire, quam fidem Acta mereantur; nullius fidei esse videntur recentiori-

tioribus nonnullis, præsertim Tillemontio tomo I. pag. 453. & 477. Acta etiam Græce incerti auctoris habentur, & alia Simeonis Metaphrastæ, quæ Latine edidit Lipomanus ad diem XVI. *Octobris*, & Surius ad diem XV. *Martii*. Acta Latina in codice Canonicorum Forojuliensium ita incipiunt: *Quidam Longinus nomine fuit in diebus Domini nostri Jesu Christi militans Centurio, qui illo tempore Cruci Domini assistens, percussit lancea latus Domini* &c. In fine: *Accipiens autem præses corpus sancti Longini & involvens linteis mundis cum aromatibus optimo loco sepelivit, & credens in Christo permanebat cum prædicatoribus fidei glorificantes & benedicentes Dominum nostrum Jesum Christum, qui vivit, & regnat &c.*

Victoris. De *Victore* Episcopo *Cenomanensi*, de quo apographa nostra Adoniana, agunt hac die Auctaria Hieronymiana, Martyrologium Gellonense, Rabanus, Florus, Usuardus, Augustanum, licet corrupte habeat *Auctoris*, pro *Victoris*, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldense, Ottobonianum, Hagiologium Francogallicum, & Kalendarium Vat. 3806. Sollerius in Usuardum hac die ignorat, ex quo fonte Usuardus suum de Victore elogium acceperit. Si Ado sincerus agnoscitur, ex eo accepit. Acta indicantur in nostris Adonianis apographis. Ad Chronologiam & gesta Episcoporum Cenomanensium quod attinet, Sollerius nos amandat ad Henschenium die XVI. *Aprilis* pag. 415. & *seq.* ad Papebrochium die XIX. *Junii* pag. 854. & *seq.* ad Mabillonium Analectorum tom. III. pag. 46. & *seq.* ac ad Tillemontium tom. IV. pag. 730. & *seq.* Floruit *Victor* sæculo Christi V. & obiit A. D. 463.

Lazari translat. *Lazari* martyris translatio, quæ *Augustoduni*, ut habet antiquior codex e nostris Adonianis, celebratur, in aliis vetustioribus Martyrologiis præteritur. Agunt autem hac die nonnulla Usuardi Auctaria, & in Bizunticensi apud Sollerium habetur: *Augustoduni, exceptio corporis sancti Lazari, quem Dominus Jesus suscitavit a mortuis.* De *Lazaro* vulgatus Ado, & alii agunt die XVII. *Decembris*. Utrum *martyr* fuerit, disquiremus ad eam diem. Quando hæc translatio *Augustodunum* contigerit, vide si lubet, quæ habet Jo. Launojus in Dissertatione de commenticio Lazari, & Maximini, Magdalenæ, & Marthæ in Provinciam appulsu cap. VIII. pag. 93. quanquam sit caute legendus, tum ob non sanam doctrinam, tum ob insensum de hujusmodi, aliisque rebus sacris insectandi studium.

Ægidium Abbatem apud Gallos, vulgo S. *Gilles* recolunt hac die Auctaria nostra Adoniana, de quo silent vetustiora Hagiologia. Memoratur tamen in apographo Hieronymiano Corbejense, & in Auctariis Usuardi non infimæ vetustatis, & codici Pratensi manu antiqua additus est. Floruit Christi sæculo VI. Ejus Acta manuscripta se habuisse monet Baronius in Notationibus hac die, quorum exordium est: *Sanctus Ægidius natione Græcus* &c. Ea vidimus nos quoque in codice Canonicorum Forojuliensium, & incipiunt a prologo hoc pacto: *Incipit prologus de sancto Ægidio confessore. Sanctorum quidem, ac propensiori cultu reverentiæ venerandorum gesta patrum* &c. Post prologum: *Incipit legenda sancti Ægidii confessoris. Sanctus Ægidius natione Græcus a præclaris parentibus originem duxit* &c. Mabillonius in indiculo prætermissorum sæculo I. varia Ægidii Acta commemorat. In Auctariis nostrorum codicum colitur in *Provincia*, & in *Gozia*, quibus nominibus Galliæ Narbonensis pars designatur. *Provinciæ* nomen inditum fuisse dicitur ipsimet Galliæ Narbonensi, quod esset Romana provincia, & Italiæ propior. *Provinciam* passim appellat Gregorius Turonensis. Vide Valesium in Notitia pag. 457. Eadem *Septimania*, ac item *Gotia* in monumentis Francorum apud Duchesnium tom. I. Scriptor. Franc. pag. 27. & tom. II. pag. 7. appellatur. Ea de re Valesius in Notitia pag. 515. Demum *Occitaniæ* nomen obtinuit, ut habet idem Valesius, *quod Vascones, Gothi, sive Septimani, Provinciales, Delfinates, aliique linguæ tortæ populi, præcipue Gothi pro*: ita, utique, *oc dicere consueverunt; idest* hoc. *Ceteri Franciæ incolæ*, oui. Ex more igitur pronunciandi particulam illam natum est *Occitaniæ*, vulgo *Languedoc* nomen. Vide Fontaninum de eloquentia Italica lib. II. cap. V. pag. 123. 124. & cap. XXX. & Martinerium in Dictionario Geographico, verbo *Languedoc*.

Ægidii.

G. IV. NONAS SEPTEMBRIS. 2. Sept.

NATALE sancti Justi Lugdunensis Episcopi, miræ sancti- Justi. tatis & prophetici spiritus viri. Hic clam Episcopatum suum relinquens, ascensa nave, comitante se uno tantum puero, qui officio Lector in Ecclesia erat, nomine Viatore, pervenit ad Ægyptum. Ubi per aliquot annos, sanctis monachis,

cælum tantum spectantibus consociatus, humilitate ac sanctitate vitæ incomparabilis vixit. Cursu itaque temporis consummato, ipse quoque virtutibus consummatus, repositam sibi coronam justitiæ percepturus, migravit ad Dominum pride Idus Octobris. Corpus ejus a religiosis civibus Lugdunum cum ossibus beati Viatoris ministri ejus relatum, & condigno cultu in basilica beatorum septem fratrum Machabæorum & martyrum gloriosissimorum conditum est quarto Nonas Septembris.

Helpidii. Eodem die, beati Helpidii Episcopi apud præfatam urbem venerabilis depositio. Cujus sacrum corpus honorifice sepultum in ipsa eademque Ecclesia, ubi sancti confessoris Justi tumulata sunt sacratissima membra, quiescit.

Antonini. Apud Apamiam, beati Antonini martyris.

VARIA LECTIO. Post verbum *Antonini martyris*, sequitur in codicibus 511. 512. 514. *qui ab infidelibus ob confessionem in frustru* (sic) *discertus, & juxta eandem civitatem in fluvium partes corporis ejus projectæ sunt.*

Justi. ADNOTATIO. *Justus* Antistes *Lugdunensis* post *Irenæum*, colitur hac die ab apographis Hieronymianis, licet additionem quandam præseferre Florentioio videantur, a Gellonensi, Floro, Rabano, Wandelberto, Notkero, Augustano, & Labbeano. Corbejense brevius habet: *Lugduni Galliæ, depositio sancti Justi, & dedicatio passi* (pro *basilicæ*) *ipsius*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Lugduni Galliæ, depositio sancti Justi Episcopi & confessoris*. Kalendarium Vatic. 3806 hac die: *Et sancti Justi Lugdunensis Episcopi*. Usuardus, Adonis elogium paucis complectitur. Martyrologium Fuldense peculiare elogium habet. Ado monet, *Justum* in cælum migrasse *pridie Idus Octobris*, & Lugdunum translatum esse IV. *Non. Septembris*. Illius autem translationem hac die II. *Septembris* recolunt etiam Rabanus, Usuardus, Hagiologium Francogallicum, & Notkerus, sed Notkerus iterum eamdem translationem repetit ad diem XIV. *Octobris*, qua die ex hac vita *Justum* migrasse scribit. Agit de *Justo* die XIV. *Octobris* Richenoviense. Iterum Augustanum, & Labbeanum ea die. Consule eruditam Sollerii Observationem in Usuardum hac die II. *Septembris*, ubi quid de S. Justi Actis, a Surio editis sentiendum sit, suo loco Bollandianos socios acturos esse monet; interim consulendos esse jubet Baronium in Notationibus, Severtium, Hermantium in Ambrosii vita, ac Tillemontium tom. VIII. pag. 546. *& seq.* & pag. 798. Incertum est, quo anno obierit, prout pleraque ex ejus gestis obscura sunt, ut expendunt nuperi Galliæ Christianæ editores in Lugdunensibus §. XIII. tom. IV. pag. 15. *& seq.* Interfuit, ut Gallorum legatus, Concilio Aquilejensi A. D. 381. Quater in anno colitur in Martyrologio Gallicano, nimirum die XIV. *Julii*, qua ejus *ordinatio*; II. *Septembris*, qua illius *natalis*; II. *Octobris*, qua ejus *translatio*; die vero V. *Augusti*, qua *dedicatio* illius Ecclesiæ, *Lugduni* celebratur. Apud Adonem die IV. *Augusti*, adventus illius corporis Lugdunum recolitur.

Helpidii, seu Elpidii. *Helpidius*, seu *Elpidius* item Antistes *Lugdunensis* ab uno tantum Adone colitur, ut censet Sollerius, ex quo Usuardus, & Notkerus. Apud alios vetustiores siletur. A nuperis Galliæ Christianæ editoribus §. XVII. in Lugdunensibus, statuitur inter *Antiochum*, & *Sicarium*. De his incertum est, quo tempore potissimum vixerint, num sæculo IV. jam elapso, an V. initio.

Antonini. *Antoninus*, insignis apud *Apameam* martyr, in tabulis omnibus Latinorum vetustioribus colitur, sed amanuensium forte vitio fit, ut alio quam hoc die statuatur, aut in *Antonium* commutetur, aut *Antonini* varii pro uno habeantur. Apographa Hieronymiana hac die habent: *In partibus Appamiæ, natalis sanctorum Anthimi & Antonini*. Postridie vero: *In regione Appamiæ, vico Apreacvits, sub Constantio Imperatore, provinciæ Syriæ, natalis sanctorum Antonini pueri ann. XX. & Arosti Episcopi, cujus gesta habentur*. Romanum parvum hac die II. Septembris: *Apud Apamiam, Antonini martyris*. Rabanus die III. Septembris: *In Alexandria*

xandria, *Aristippi Episcopi*, & *in Syria Antonini pueri annorum* xx. Notkerus die II. Septembris: *Apud Apamiam*, *beati Antonii martyris*. Hagiologium Francogallicum die II. Septembris: *In Apamia*, *sancti Antonii martyris*. Die vero III. Septembris Gellonense habet: *Aristonippi*, *Antonini*, *Eufemiæ*, *Syrici*, *Aresti*, *Johannis*, *Lucæ*. Ea die Richenoviense: *In Syria*, *Antonini & Aristonis Episcopi*. Eadem die Augustanum, & Labbeanum: *Aristonippi*, *Antonini*. Item ea die Corbejense brevius: *In Alexandria*, *natalis sancti Aristonippi Episcopi*. *Provincia Syriæ*, *natalis sanctorum Antoni pueri*, *Aresti Episcopi*. Ea die Martyrologium Reginæ Suecorum: *In provincia Syriæ*, *sub Constantio Imperatore*, *passio sancti Antonini adolescentis annorum* xx. & *Aresti Episcopi*, *cujus gesta habentur*. Fuldense die II. Septembris: *Eodem die apud Pamiam* (sic) *civitatem*, *passio sancti Antonini martyris*. Ottobonianum die II. Septembris: *In partibus Appamiæ*, *Antoni*, & *Antonini*. Die vero tertia hujus: *In Alexandria*, *natalis sancti Aristonippi Episcopi*. *In Syria regione Appamia*, *vico aprega*, *natalis Antonini pueri anni* xx. *vinctum* (sic) *sub Constantio Imperatore*. *Et Aresti Episcopi*. Kalendarium Vat. 3806. die III. Septembris: *Sancti Antonii martyris*. Tanta in his Martyrologiis varietas, nonnisi summo studio ac labore conciliari, atque illustrari potest. Multum studii attulit Florentinius in notis ad utramque diem, ubi disputat, an unus & idem sit *Antoninus*, qui utroque die colitur, an in *Aquitania*, *Syria*, & *Capuæ* passus sit, an *Antoninus* ab *Antonino* sit distinguendus; & an *Antoninus* cum aliis martyribus apud *Capuam*, de quibus Ado, & alii die crastina, eidem Capuanæ urbi sit adscribendus. Ante Florentinium Baronius in Notationibus ad diem II. Septembris censet, *Antoninum*, urbi Apamiensi in Gallia esse tribuendum, ex verbis Romani Martyrologii, in quo habetur: *Pamiæ*, *in Gallia*, *sancti Antonini martyris*, *cujus reliquiæ in Ecclesia Palentina magna veneratione asservantur*. Die vero crastina habet: *Capuæ*, *sanctorum martyrum Aristæi Episcopi*, & *Antonini pueri*; ad quem locum admonet, horum Acta excidisse, & in Ecclesia Capuana de *Antonino* tantum agi, *Aristæo* omisso; atque conjecturis adducitur, ob frequentes bellorum clades, illius nobilissimæ Ecclesiæ monumenta periisse. Alia via abit Chiffletius, alia Tillemontius tom. IV. pag. 464. & 720. *Antonini* martyris Acta die II. *Septembris* edidit Mombritius tom. I. p. 33. Ea incipiunt: *Sanctus Antoninus Apamia opido* &c. usque. *Hujus passio recolitur* IV. *Non. Sept.* Acta martyrum in duobus Codicibus Canonicorum Forojuliensium *Antonini* gesta habent, præmisso prologo, qui est hujusmodi: *Incipit prologus de sancto Antonino martyre*. *Quæcumque de sanctorum ac beatorum martyrum mirabilibus recitanda sunt: atque de ipsorum passionibus gloriosa meritorum virtutumque sunt insignium declaranda* &c. Post prologum sequitur: *Passio sancti Antonini*. *Igitur cum reverentissimus puer Antoninus Appamiæ oppido extitit oriundus*, *nobili quidem genere*, *sed nobilior sanctitate*, usque: & *anima in cælo suscepta cum ipso lætatur in gloria*. Ad hæc in altero codicum adduntur nonnulla carmina, quæ ad *Antonini* gesta pertinent. *Apamia* in Galliis, vulgo *Pamiers*, pervetusta habetur in honorem S. *Antonini* martyris Ecclesia; sed olim opido nomen aliud fuisse dicitur, nimirum *Fredelasium*, aut *Fredelacum*. Vide Valesium in Notitia. Acta Antonini pueri minus genuina ac sincera a recentioribus putantur.

A. III. NONAS SEPTEMBRIS. 3. *Sept.*

Vide lib. de fest. A. post. NATALIS sanctæ Phœbes. *Phœbes.*

Romæ, passio & natalis beatæ Seraphiæ virginis, sub *Seraphia.* Adriano imperatore, judice Berillo. Hæc Antiochena genere, cum in domo Sabinæ præclarissimæ feminæ apud Urbem commaneret, rapta ab officio Præsidis, exhibita est in conspectu ipsius. Cui Præses dixit: Sacrifica diis immortalibus, quibus sacrificant domini Imperatores. Beata Seraphia respondit: Timeo & colo omnipotentem Deum, qui fecit cælum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Nam dii quos jubes adorare, non sunt dii, sed sunt dæmonia, & ideo non licet mihi adorare eos, quia

quia Christiana sum. Cumque perseverantissime fidem veritatis prosequeretur, jussit eam Præses duobus juvenibus lascivis tradi, ut ei nocturno furto insultarent. A quibus perductam in cubiculum obscurissimum, cum vellent eam tangere, subito terræmotus factus est magnus, cecideruntque exanimes in terram, membris omnibus resoluti. Diluculo autem cum venissent a Præside missi, qui requirerent, seu de juvenibus, seu de virgine; ingressi invenerunt Sanctam Dei orantem, juvenes vero impudicos velut mortuos terræ prostratos. Itaque ad rei factum cum plurimi concurrerent, iterum Præses jussit pro tribunali eam sibi adduci. Et imperante Præside deportati sunt iidem juvenes, & positi ante conspectum ipsius. Ad quos beata virgo, facta oratione, accedens, tetigit illos, dicens: In nomine Domini mei Jesu Christi erigite vos in statu vestro. Ad cujus vocem mox illi steterunt super pedes suos. Quos Præses interrogavit: Quid faciendo hæc mulier dementes vos fecit, & resolutos? Ingressus est, inquiunt, quidam juvenis decorus, miræque magnitudinis, qui totus splendebat sicut Sol, stansque inter nos & puellam hanc, tremore, & defectione claritate sua concussit. Præses ad beatam Seraphiam conversus, Sacrifica diis, inquit, ne morte plectaris. Cui virgo: Non facio voluntatem patris tui Satanæ, quia Christiana sum. Tunc Præses jussit lampades ardentes lateribus ejus apponi. Sed statim qui eas tenebant, ceciderunt retrorsum. Præses vero iterum beatæ virgini dixit: Biothanata & malefica, audi imperiale præceptum, sacrifica diis immortalibus, & libera te de cruciatibus, & morte. Beata Seraphia hoc illi reddidit: Biothanati, & malefici vos estis, qui negatis Deum vivum, & verum, & dæmonia adorando, cum ipsis pariter estis morituri: Deo autem immortali ego memetipsam offero sacrificium, si me dignatur suscipere, licet peccatricem, tamen Christianam. Tunc fustibus cæditur: & ecce subito terræmotus factus est magnus. Et excussa de fuste, de quo cædebatur virgo, astella exilivit in oculum Præsidis, quem post dolorem luscum fecit. Et iratus dictavit sententiam: Seraphiam imperialis præcepti contemptricem, & in tantis maleficiis deprehensam, gladio percuti jubemus. Passa est autem quarto Kalendas Augusti, & sepulta juxta arcam Vindiciani in monumento illustris martyris Sabinæ, II. Kalendas Augusti. Compositum vero, & ornatum est venerabile sarcophagum ambarum, & locus orationis condigne dedicatus tertio Nonas Septembris, quando & memoria passionis ejus celebrior agitur.

Apud

Apud Capuam, natalis sanctorum maryrum, Antonini pueri annorum viginti, & Aristæi Episcopi, quorum gesta habentur. *Antonini & Aristæi.*

Eodem die depositio sancti Remacli Episcopi, & confessoris. *Remacli.*

Et beatissimi Mansueti confessoris, atque Pontificis Tullensis. *Mansueti.*

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. incipiunt *Natalis sanctæ Feben, de qua &c.* prout apud vulgatum Adonem in libello de festivitatibus Apostolorum. Deest in memoratis codicibus hac die natalis *S. Remacli*, & natalis *S. Mansueti*. Cætera conveniunt:

Phœbes. ANOTATIO. *Phœbe* primum colitur ab Adone, deinde ab Usuardo. Alii de ea silent. Elogium ab Adone ex Pauli Apostoli ad Romanos Epistola concinnatum est. Vide inter recentiores Tillemontium tom. I. pag. 244. & 266. & Calmetum in Dictionario, hoc verbo.

Seraphiæ, seu Serapiæ. *Seraphia*, seu *Serapia* celebratur longo elogio ex Actis hac die ab Adone. Prælvissa Adoni putat Sollerius Romanum parvum, in quo legitur: *Romæ, Seraphiæ virginis, IV. Kal. Augusti passæ, II. Kal. sepultæ; II. Nonas Septembris memoria passionis ejus celebrior.* Usuardus summatim ex Adone sumpsit, ac item Notkerus. Agit hac die Martyrologium Fuldense. In aliis vetustis desideratur. Acta habentur apud Surium, sed sub limam revocantur a recentioribus. Vide de his Tillemontium tom. II. pag. 246. *& seq.* & 597.

Antonini & Aristæi. De *Antonino puero, & Aristæo* Episcopo, qui apud *Capuam* martyres ab Adone, & Usuardo statuuntur, recole quæ ex vetustis Hagiographis pridie adduximus. Tabulæ vetustæ aliquot hac die, *Antoninum* puerum, & *Arestum*, uti vocant, Episcopum, *Apameæ in Syria*, adscribunt. Aliæ *Aristippum Alexandriæ, & Antoninum in Syria*. Aliæ *Aristonippum, Alexandriæ* colunt, & *Antoninum* puerum in *Syria*, & vicum apud Apameam denotant: die vero superiori *Antonium*, & *Antoninum* in partibus *Apameæ* celebrant. Castellanus nihil dubitat, quin *Antoninus*, de quo hic agimus, idem sit ac is, de quo pridie hujus diei. Sollerius in Usuardum hac die maturiore indagine opus esse monet ad hæc illustranda, nec inter recentiores deesse scribit, qui ex quatuor *Antoninis*, nimirum *Appamiensi Syro, Appamiensi Gallo, Capuano, & Placentino* unum cooptant. Wandelbertus *Antoninum puerum, & Aristæum* hac die recolit duobus hisce versiculis:

Ternis Antonine puer, martyrque triumphas,
Tunc & Aristæus Antistes de morte beatus.

Remacli, & Mansueti. *Remaclus, & Mansuetus* desiderantur in nostris codicibus. Desiderantur etiam in genuino Usuardo. Quamobrem Sollerius, licet in vulgatis editionibus Mosandri, & Rosvveidi eos legisset, tamen, an vere Adoniani sint, dubitat. *Remaclus* prætermittur a Romano Martyrologio. Ex Abbate Solemniacensi factus est Episcopus Trajectensis ad Mosam, post *S. Amandum*. *Congedunensis, & Malmundariensis, & Stabulensis* cœnobiorum conditor habetur. Incertæ sedis Episcopus primus creatus fuisse creditur, & in veteribus diplomatibus vocatur *Episcopus abbas*. Electus est *Tungrorum*, seu *Trajectensium* Episcopus A. D. 652. Episcopatum dimisit A. D. 662. & in *Stabulense* monasterium secessit, ibique obiit A. D. 664. Ita Mabillonius Annal. Bened. lib. XIII. §. LII. LIII. LV. lib. XIV. §. XVIII. lib. XV. §. XXII. & XLIII. Idem Acta S. *Remacli* edidit sæculo II. Bened. pag. 489. *& seq.*

Mansueti. *Mansuetus* in vulgata Tullensium Episcoporum serie est *S. Apri*, qui primus Tullensi sedi præfuit, successor. Hujus vitam precibus *Gerardi* Tullensis Episcopi scripsit Adso Abbas Dervensis, ut habetur in miraculis S. Bercharii apud Mabillonium sæculo II. Bened. pag. 849.

B. PRIDIE NONAS SEPTEMBRIS. *4. Sept.*

Moysis prophetæ. MOysis prophetæ.

Et apud Ancyram Galatiæ, natalis sanctorum martyrum trium puerorum, Rufini, Silvani, & Vitalicæ. *Rufini, Silvani, & Vitalicæ.*

Ca-

Greg. Tur. de gloria Mart. c. 53. Cabilonæ, natale fancti Marcelli, qui temporibus Antonini Veri, ex numero quinquaginta Martyrum, qui Lugduni in ergastulum trusi fuerant cum Valeriano, patefactis custodiæ, cui mancipati erant, divinitus claustris, aufugit. Et cum Latinum quemdam, a quo hospitio susceptus fuerat, cum omni domo sua ad fidem Christi convertisset, Cabilonensium expetens civitatem, Priscum quemdam præsidem, diis suis immolantem incurrit. Cumque ab eo ad prophanum convivium fuisset invitatus, & ipse hujusmodi execrans epulas, omnes, qui aderant, cur idolis deservirent, libera increpatione corriperet: inaudito crudelitatis genere, defodiri cum cingulo tenus erectum Præses jussit. Sicque fanctus Dei Martyr tertio die in Dei amore & laudibus perseverans, in secundo ab oppido Cabilonensi miliario, incontaminatum reddidit spiritum. *Marcelli.*

Moysis. ADNOTATIO. *Moyses* propheta inter Martyrolographos colitur primum, censente Sollerio, apud Romanum parvum, deinde ab Adone, postmodum ab Usuardo. Celebratur etiam a Waodelberto, & Martyrologio Ottoboniano. Agunt de eo hac die Græci: item divinarum Scripturarum interpretes veteres ac recentiores ex Patrum aliorumque testimoniis. Confer quæ de eo summatim protulit Calmetus in Dictionario, hoc verbo.

Rufini & soc. De *Rufino* & sociis agunt hac die Hieronymiana, Romanum parvum, Ado, Usuardus, Notkerus, & alii. Gellonense: *Rufini*, *Maximi*, *Bonifacii*. Rhinoviense habet: *In Ancyra Galatiæ*, *Marcellæ*, *Helpidii*, *Marcelli*. Ita Richeooviense, in quo *Antonii*, pro *Marcelli* habentur. Augustanum, & Labbeanum mixtim eum aliis: *Rufini*, & *Sylvani* meminere. Corbejense brevius: *In Ancyra Galaciæ*, *natalis sanctorum Rufini*. Cæteros prætermittit. Martyrologium Reginæ Suecorum: *In Ancyra Galatiæ*, *natalis sanctorum Silvani*, *Marcelli*, *Maximi cum aliis* XIV. Ottobonianum: *In Ancyra Galileæ* (pro *Galatiæ*), *natalis sanctorum Rufini*, *Silvani*, *Marcelli*. Sollerius in Usuardum hac die, nodos varios ex Martyrologiis exoriri mouet; eur feilicet a Hieronymianis septemdecim numero martyres efferantur, ac tres tantommodo nominentur; cur a quibusdam *pueri* dicantur, & in Hieronymianis id reticeatur; cur demum *Vitaliæ* in *Vitalici* nomen mutatum sit. Optandum est, ut lucem his afferant Bollandiani socii ad hanc diem.

Marcelli. *Marcelli* martyris apud *Cabilonensem* urbem, vulgo *Challon sur Saone*, natalis hac die agitur a Hieronymianis, Gellonensi, Rabano, Floro, Adone, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviori, Martyrologio Reginæ Suecorum, Fuldensi, Ottoboniano, Hagiologio Francogallico, & Kalendario Vat. 3806. Flori, Rabani, & Adonis elogia, ut animadvertit Sollerius, inter se diversa sunt. Acta a recentioribus omnino non probantur. Ea suo loco discutient Bollandiani. In Martyrologiis fere omnibus, nuper memoratis pessime corruptum est *Cabilonensis* urbis nomen. Sane quidem Valesius in Notitia Galliarum pag. 110. monet, non aliam esse urbem, cujus nomen pejus acceptum sit, aut a Scriptoribus sæpius magisque mutatum, aut si mavis, corruptum fuerit. Scribitur enim *Cabilonnum*, *Cavillonum*, *Cabalodunum*, *Cabillo*, *Cabillonus*, *Cavallonum*, *Cavillonum*, & alia hujusmodi. De sancti *Marcelli* basilica, ejusque monasterio Gregorius Turonensis de gloria mart. cap. LIII. & Fredegarius in Chronico cap. I. Origo monasterii S. *Marcelli* in A. D. 579. confertur a Mabillonio Annal. Bened. lib. VI. §. LXXVI. *Marcelli* martyrium a Baronio ad an. 179. n. XXXVI. huic anno assignatur. Idem in Notationibus hac die de *Marcelli* celebritate agi a Gregorio Turonensi lib. IX. cap. III. & de gloria mart. cap. LIII. tradit. Acta habentur apud Surium hac die.

C. Nonis

C. NONIS SEPTEMBRIS. 5. Sept.

IN suburbano Romæ, natale beati Victorini martyris. Fuerunt autem duo fratres, Victorinus, & Severinus. Hi post utriusque parentis obitum se invicem pædagogantes, pari custodia se mutuis obsequiis æmulantes, germanitatis vinculo probabiles, Deo se ipsos hostiam vivam obtulerunt. Cumque intantum excrevissent, ut sua omnia perfectionis intuitu relinquerent, & vendentes res suas, censum earum pauperibus erogassent, Deo expeditius servituri, nudi facultatibus omnibus remanserunt. Alter itaque serviens alteri, mutua vice, & æmula charitate serviebat. Imperium libertas. Nil deerat illis, cum nihil haberent. Igitur Victorinus spirans altius, & idipsum, quod sibi parebant, imperfectum computans, nec satis sibi factum, si alteri liceret in altero, aut alter alteri servitium exhiberet: eremum ingreditur, seditque in specu excelsæ rupis, quam subter fluentis aquæ geminum sinuarat abruptum, uni tantum hospitium viro, ut sedens somnum caperet: vel si reciperet alterum, stans oraret. Texerat ostiolum vimine: assiduus in lectione, & oratione manebat. Cernit interim invidus omnis boni profectum viri, & ferre non valens, simulat se puellam, & ante fores viri gementia verba ingeminat: Heu, inquit, me miseram, silvis, errore, & tenebris vagam. Locus non agnoscitur, iter quæritur. Quisquis es loci hujus incola, cælum undique, & silvæ famam virtutum tuarum opusque ferunt: eripe me a frendentibus apris, eripe a sævientibus lupis, & rictibus ursorum. Quod victura sum, tuum erit: si moriar, tuum. Satis superque sufficiat operiri limine tuo. Non longum quæro habitaculum, unius tantum noctis hospes ero. Reserat Victorinus cellam, & hostem, dum miseretur, secum includit. Vix horæ spatium intercesserat, dum inter molimina, & assiduum corporis motum protenso pede tetigit hominem Dei, & velut compungens vulnere, noxio calore succendit. Addit igniculum dulcedo sermonis, urget facinus solitudo. Quid moror? Facit casum columna arboris, alta radice quæ diu fundata steterat. Furtivus amor scelus perficit. Exclamat jam victor Victorini diabolus; Quid agis, inquit, vir perfectissime, cui etiam frater gravis fuit? Jam jungeris alteri qui recessisti a tuo? Quid agis, qui novum dogma silvis constituens, suadebas scopulis castitatem? Hæc jactans, ex oculis decepti velut fumus evanuit. At is, qui ceciderat, velut exanguis jacuit. In se autem aliquando reversus, silvas deseruit, ad fratrem Severinum

repedavit: pudore diu vocem ſupprimens, tandem cauſam facti expoſuit, ipſe pœnam ſibi ſtatuens. Findens namque arborem, manuſque per fiſſuram inſerens, præduratam cuneis peſſulans, cicatricem arboris claudit. Sed mox Severinus factum pœnamque fratris Epiſcopo ſuo nuntiat. Ille veniens, primum eum ſolvere tentat: ſed ut repugnantem vidit, orat, benedicit, conſolatur, diſcedit. Vir autem Domini, qui ſe graviſſima pœnitentia damnaverat, Dominica tantum die modicum panis, & aquæ coactus a fratre percipiebat, qui etiam ſe ſimili cibo, & jejunio macerabat. Igitur in hujuſmodi conſtrictione triennium volvitur, cumque jam omnes pœne moviſſet ejus in Chriſto imitanda humilitas, Epiſcopus civitatis rediens, vix agere potuit, ut ſeſe a pœna, quam ille memor tremendi judicii ſe damnaverat, abſumptis pœne carnibus, permitteret reſolvi. Quantæ autem ſanctitatis poſtea fuerit, quamque potens in miraculis, non facile lingua alicujus explicabit. Electus deinde ab univerſo populo, Amiterninæ urbis ſacerdotium adipiſcitur. Inde poſtmodum ſub Imperatore Nerva, cum aliis Dei ſervis Eutyche, & Marone, ab Aureliano judice primo relegatus in ſexageſimo miliario ab Urbe via Salaria: deinde apud eum locum, qui Cotilias appellatur, ubi putentes aquæ manant, & ſulphureæ, in ipſis capite deorſum per horas tres ſuſpenſum teneri, ab impio judice juſſum eſt. Quod cum per triduum pro Chriſti nomine paſſus fuiſſet, glorioſe coronatus migravit ad Dominum. Cumque una die juſſu Aureliani corpus ejus inhumatum jacuiſſet, venerunt Amiternenſes populi Chriſtiani, & rapientes in ſuum territorium tranſtulerunt, & honorifica ſepultura condiderunt Nonis Septembris.

Herculani. Item Romæ in Portu, natalis ſancti Herculani.

Capuæ, natalis ſanctorum martyrum Quinti, Arcontii, & Donati. *Quinti, Arcontii, & Donati.*

Bertini Ab. VARIA LECTIO. Poſt *Herculani* nomen, ſeu ut cod. 511. 512. 514. *Herculiani*, ſequitur in eiſdem codicibus: *Eodem die, natalis ſancti Bertini Abbatis, magnæ ſanctitatis, & ignocentiæ* (ſic) *viri*.

Deeſt in memoratis codicibus hac die natalis SS. *Quinti, Arcontii, & Donati*.

Victorini. ADNOTATIO. Colitur quidem hac die in plerifque Latinorum tabulis *Victorinus* martyr, ſed ad locum martyrii quod attinet, is non æque in omnibus deſignatur, & ab aliis de eo aliis diebus agitur. *Romæ* illius celebritatem recolunt Romanum parvum, & Uſuardus. In *ſuburbano Romæ* Ado, & Notkerus. In his *Amiterninus* Epiſcopus, & ad *aquas Cutilias* martyrio coronatus fuiſſe dicitur. At proferamus in primis aliquot Hagiographorum teſtimonia. Romanum parvum hac die: *Romæ, Victorini martyris, fratris*

fratris Severini, qui post miram pœnitudinem Amiterninæ urbis Episcopus & martyr factus est. Usuardus hac die habet: *Romæ, beati Victorini martyris, qui sanctitate & miraculis præclarus, sacerdotium Amiterninæ urbis, totius populi electione adipiscitur. Inde postmodum, sub Imperatore Nerva, jussus est suspendi capite deorsum, in loco, ubi putentes & sulphureæ emanant aquæ, quod cum per triduum pro nomine Christi passus fuisset, gloriose coronatus, victor migravit ad Dominum*. Hæc summatim ex Adone Usuardus, qui tamen *Severini* fratrem esse Victorinum omisit, & pro *suburbano Romæ*, scripsit *Romæ*. Sollerius ad hunc Usuardi locum censet, Usuardum ex duce suo Adone ea decerpsisse, quæ aptiore elogio texendo judicavit; cæterum suspectum esse fontem, ex quo primum hausit Usuardus. Martyrologium Fuldense hac die fere ad verbum Usuardum describit, omissis tamen, quæ ad Amiterninam sedem illi delatam pertinent. Silent autem de *Victorino* hac die Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Reginæ Suecorum, & Ottobonianum. Baronius in Notationibus ad VIII. *Junii*, & ad hanc diem, erroris Adonem & alios redarguit, qui duos *Victorinos* in unum confundunt; alter enim, qui in Martyrologio Romano die VIII. *Junii* colitur, est S. *Severini* Septempedani frater, alter qui hac die V. *Septembris* est *Victorinus* Episcopus *Amiterninus*, de quo in Actis SS. *Nerei* & *Achillei* die XII. *Maji*, & in Actis S. *Maronis* die XV. *Aprilis*. De *Victorino* ad *aquas Cutilias* sub *Trajano* necari jusso, idem Baronius ad an. 100. n. XII. Aliter tamen videtur Castellano in Martyrologio universali ad hanc diem V. *Septembris*, qui censet, *Victorinum*, qui hac die colitur, in pace quievisse, ac alium esse a *Victorino* martyre apud *aquas Cutilias* passo, & *Amiterni* sepulto. At Usuardum & alios Castellanus adversarios habet, qui *Victorinum* Episcopum & martyrem apud *aquas Cutilias* coronatum celebrant. Sollerius ad Usuardum cursim notat, *Victorinum*, de quo in Actis SS. *Nerei* & *Achillei*, martyrii genere cum *Victorino*, de quo hac die agitur, convenire; eundemque esse, qui cum Marone & Eutychete colitur die XV. *Aprilis*, & ad Henschenium ea die pag. 374. n. 5. amandat. Quæ quidem cum Baronii sententia congruunt. Utrum Acta fuerint interpolata, & an commenticii aliquid in his sit, adeundus est commentarius ad Acta S. *Victorini* Episcopi *Amiternini* & martyris a Jo. Marangonio nuper editus, atque propediem sententiam de iis proferent Bollandiani socii ad hanc diem. De aquis Cutiliis Baronius ex Plinio lib. II. cap. XCV. & lib. III. cap. XII. item lib. XXXI. cap. VI. De his Varro lib. IV. de ling. Latina, Strabo lib. V. pag. 228. & alii apud Cluverium Italiæ antiquæ lib. II. pag. 688. De reliquiis sanctorum martyrum *Eutychetis*, seu *Eutychii*, & *Victorini*, ac *Maronis* a *Teoderica* Metens Episcopo, *Amiterni* acceptis, permissu *Albrici* Episcopi Marsorum, præter Sigebertum in Chronico ad an. 969., pluribus agit Anonymus coævus in brevi Historiola apud Dacherium Spicileg. tom. V. pag. 139. ad an. 970.

Herculani, seu *Herculiani in portu Romano* natalis, cui socii alii adduntur, agitur hac die in tabulis vetustissimis Latinorum. Kalendarium Bucherianum hac die habet: *Aconti in Porto, & Nonni, & Herculani, & Taurini*. Hieronymiana: *In portu Romano, sanctorum Taurini, Herculiani, Aristiosi*. Romanum parvum: *Romæ, Herculani*. Gellonense: *Taurini, Quinti, Ingenui, Herculiani, Arconti*. Rabanus: *In portu Romæ, natale Taurini, Ercolani*. Ado & Usuardus eadem habent. Notkerus: *Item Romæ, sancti Herculani*. Rhinoviense, & Richenoviense: *In portu Romano, Taurrini, Quinti, Ingennini, Herculani, Arguntii*. Labbeanum: *Arconti*. Corbejense brevius: *In portu Romano, natalis sancti Saturnini*. Martyrologium Reginæ Suecorum: *Romæ, natalis sanctorum Taurini, Arestosii*. De *Herculano* silet. Ottobonianum habet: *In portu Romano, natalis sanctorum Taurinii, Ercolani, Arristosi*. Kalendarium Vat. 3806. *Quinti, Ingenui, Taurini, Acentii* (pro *Acontii*, seu *Arconti*) *Erculani*. Hieronymiana de *Nonno*, & *Acontio* agunt die XXV. *Julii*. Item eadem die *Acontii in portu Romano* meminit Rhinoviense. *Acontri*, & *Nonni* Richenoviense. *Nonni* Labbeanum. *Aconti* & *Nonni* Martyrologium Reginæ Suecorum. *Agontii* tantum Ottobonianum ad memoratam diem XXV. *Julii*. De *Nonno* & *Acontio* ex Hieronymianis agunt Bollandiani socii ad diem XXV. *Julii*. *Herculani*

Quintus, *Arcontius*, & *Donatus* martyres de quibus apographa nostra silent, *Capuæ* adscribuntur a vulgato Adone, & aliis. Hieronymiana habent: *Et in Capua Campaniæ, natalis sanctorum Quinti, Arconti* .... Rabanus: *Et in Campania, Quinti*. Usuardus, ut apud vulgatum Adonem. Notkerus: *Capuæ, Quinti, Acontii, & Donati, Eutychetis, & Maronis*. Richenoviense: *Et in Capua, Quinti, Arconti. In Ægypto, Taurini*. In turma martyrum in Labbeano & Augustano occurrunt hac die *Quintus* & *Arcontius*. Mendose in Martyrologio Reginæ Suecorum legitur: *In Capua Campaniæ, natalis sanctorum Ferreoli, & Ferrutionis*. *Donatum*, & *Arcontium*, *Capuæ* recolit Wandelbertus hoc versiculo: *Quinti, & soc.*

Donatus Capuam, pariterque Arcontius ornant.

De *Portuensibus*, & *Capuanis* martyribus plura in notis Florentinius, quem vide.

Bertinus, seu *Berthinus* Abbas, de quo apographa nostra, præmonente Sollario, colitur has *Bertini.*

hac die primum a Floro his verbis: *Eodem die depositio sancti Bertini confessoris & monachi, qui in divinis rebus prudens, & in malis simplex, virtutibus claruit divinis*. Usuardus Pratensis habet: *In pago Taruenensi, sancti Bertini Abbatis*. Sollerio hæc lectio non placuit; quare in sua Usuardi editione ita legendum jussit: *Eodem die sancti Bertini Abbatis*. Quæ expuncta, & quæ restituta sint ab ipso Usuardo in codice Pratensi, docet Bovvillartius ad hunc locum. A Floro sumpsisse Usuardum potius, quam ab aliis, censet Sollerius, quia ab Adonis exemplaribus *Bertinum* abesse vidit. Sed his missis, *Bertinus* fuit primus Abbas monasterii *Sithiensis* apud Belgas, auctore S. *Audomaro* Taruanensi Episcopo, conditi A. D. 647. Qua de re Mabillonius Annal. Bened. lib. XIII. §. XLIX. & lib. XV. §. I. Demum prope centenarius operi cessit, & Abbatiam *Sithiensem* regendam *Rigoberto* dimisit, ut soli Deo vacaret, ut narrat ibidem Mabillonius lib. XVIII. §. LXIX. ad A. D. 700. Obiit plenus dierum, nimirum anno ætatis centesimo duodecimo, v. *Idus Septembris*, Christi an. 709. sepultusque est in oratorio S. Martini, ut habet Mabillonius lib. XIX. §. XLV. Acta illius edidit idem Mabillonius sæcul. III. Bened. P. I. pag. 104. *& seq.* In diplomate *Childerici* regis, pro monasterio Sithiensi an. 743. dato, *sancti confessoris* nomine primum donatur, ut monet in memoratis Annalibus Mabillonius lib. XXI. §. LXXVI.

6. *Sept.*

D. VIII. IDUS SEPTEMBRIS.

Zacharia. ZACHARIÆ Prophetæ.

Onesiphori Item natalis sancti Onesiphori, Apostolorum discipuli. Vid. lib. de fest. Apost.

Donatiani & soc. Et apud Africam beatissimorum confessorum & Episcoporum Donatiani, Presidii, Mansueti, Germani, Fuscoli, qui persecutione Wandalica apud Africam jussu Hunnerici Regis Ariani, pro assertione Catholicæ veritatis, durissime fustibus cæsi, & exilio damnati sunt. Inter quos etiam Episcopum nomine Lætum, strenuum ac doctissimum virum, post diuturnos carceris squalores, incendio concremavit. Tunc etiam decreto publico per diversas provincias executores dirigens, Episcopis quasi ad Concilium Carthagine congregatis, una die universas Ecclesias Africæ clausit, universamque substantiam Episcoporum & Ecclesiarum, suis Episcopis condonavit. Vict. Africanus l. 2.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514 ita incipiunt: „ Obitus Zachariæ prophetæ, qui de Chaldæa senex in patriam reversus, juxta „ Aggæum prophetam jacet conditus. Eodem die, natalis sancti Onesiphori. Cætera prosequuntur, ut in libello de festivitatibus Apostolorum. Deinde habent: *Apud Africam beatissimorum &c.* prout in editis.

Zacharia. ADNOTATIO. *Zacharias* propheta colitur hac die a Beda, Rabano, Romano parvo, Adone, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Martyrologio Reginæ Suecorum, & Ottoboniano. Græci agunt pridie hujus. Usuardus genuinus iisdem verbis agit prout in apographis nostris Adonianis. Ado vulgatus nomen *Zachariæ* tantummodo profert, quapropter Sollerius existimat, proprii aliquid Usuardum addidisse. Cætera, quæ ad cultum *Zachariæ* Pontificis & prophetæ, & corporis ejus inventionem pertinent, vide apud Baronium ad an. 415. n. LVI. *& seq.* & in Notationibus hac die. Habetur illius encomium Græce auctore

auctore Cosme Vastierio. Vide Calmetum in Dictionario, hoc verbo.

Onesiphori *Onesiphorus* celebratur hac die e Romano parvo, Adone, Notkero, & Martyrologio Fuldensi. Ab Usuardo præteritur; cur vero, Sollerius aliis divinandum relinquit. Habetur tamen in ejus Auctariis. Græci in Menologio agunt die XXIX. *Aprilis*, & VI. *Octobris*, ac tradunt, eum fuisse *Colophonis* Episcopum. Dorotheus vero *Coroniæ* Episcopum eum facit.

Donationi & soc. *Donatianus* & socii in persecutione Wandalica Huonerici regis confessores insignes, coluntur hac die e Romano parvo, Adone, Usuardo, & Notkero. Cæteri de his hac die silent. Elogium ab Adone sumptum esse ex Victore Vitensi lib. II. de persecutione Wandalica cap. XVI. recentiores tradunt. Passi sunt A. D. 484. Vide Ruinartii notas in Victorem Vitensem lib. II. cap. XVI. n. 93.

E. VII. IDUS SEPTEMBRIS. *7. Sept.*

Joannis. NATALIS beati Joannis apud Nicomediam, sub Diocletiano Imperatore. Qui de nobilibus ortus, honore & dignitate illustris, ut vidit adversus cultores Dei in foro crudelia edicta pendere, calore nimio fidei ignitus, publice populo inspectante injecta manu, librum iniquæ legis detraxit, ac minutatim discerpsit, Augusto Diocletiano in eadem urbe simul cum Maximiano Cæsare constituto. Ad quos cum relatum esset religiosi & illustris viri factum, continuo omni in eum crudelitatis genere desævientes, ne hoc quidem efficere quiverunt, ut eum mœstum aliquis videret in pœnis: sed læto atque hilari vultu, cum jam viscera in suppliciis defecissent, spiritus tamen lætabatur in vultu. Ex quo tortores sui gravius cruciabantur, quod omnia suppliciorum genera consumebant in eum, quem ne tristem quidem ex his reddere poterant. *Euseb. l. 8. cap. 5.*

VARIA LECTIO. Ed: *Natalis beati Joannis* &c. Cod. 511. 512. 514. *Apud Nichomediam, natalis beati Johannis sub Diocletiano* &c. Post extremum verbum *poterant*, sequitur in eisdem codicibus.

„ Apud Alesiam, quæ olim fortissima civitas a Julio Cæsare fuerat destructa, „ natalis sanctæ Reginæ virginis, quæ sub Olibrio proconsule, pro fide Christi publi- *Reginæ.* „ ce virgis cæsa: post carcerem & eculei extensionem, post turpissimam denudatio- „ nem, & ignis exustionem: tandem capitali sententia jussa est finiri. Sieque spiri- „ tus cælestia petens, truncus corporis terræ hærens. Fiunt loco ejus sepulturæ cre- „ berrima miracula. Aurelianis, depositio beati Evurtii Episcopi, qui primo sanctæ *Evurtii.* „ Romanæ Ecclesiæ subdiaconus, dein divino munere per columbam est præfatæ ur- „ bis, ut ipse eligeretur (sic) designaretur (pro *designatus*) Episcopus: ubi postea „ multis clarus virtutibus & miraculis in pace quievit. Parisius, vico Novegente, „ natalis sancti Chlodaldi (cod. 512. 514. *Clodoaldi*) presbyteri & confessoris. *Chlodaldi.* „ Hic regali cum esset ortus prosapia, divino cultu se mancipavit, atque terrenum „ despiciens, cæleste consecutus, multis usque hodie miraculis fulget.

Johannis. ADNOTATIO. *Johannes* martyr, hac die primum, ut videtur Sollerio, ab auctore Romani parvi colitur, qui arbitratu suo hanc etiam diem delegit. Eum celebrat his verbis: *Joannis martyris, qui Nicomediæ sub Diocletiano, librum iniquæ legis minutatim discerpsit*. Ado elogium sumpsit ex Eusebio Rufini lib. VIII. cap. V. Contracte ex Ado-

Adone Uſuardus, & Notkerus. Hujus nomen non prodit Lactantius de mortibus perſecutorum cap. XIII. neque Euſebius. Papebrochius in Commentario prævio ad Acta S. *Georgii* die XXIII. Aprilis §. IV. *Georgio* tribuit, quæ *Johanni* adſcribuntur. Aliter opinatur Baluzius in notis ad Lactantium, cui aſſentiri videtur Ruinartius ad Acta martyrum pag. 319.

Vulgatus Ado de uno tantum *Johanne* martyre hac die agit, expunctis ceteris a Roſvveido, qui in editione Moſandri legebantur, nimirum *Evertio*, *Regina*, & *Clodaldo*; ac Roſvveido aſſentitur Sollerius, quia Notkerus Adonis perpetuus deſcriptor, hos quoque omiſit; at veterum Hagiographorum teſtimonia audiamus. *Reginæ.* Agunt autem de *Regina* virgine & martyre hac die Martyrologium Gellonenſe, Rabanus, Uſuardus, Martyrologium Fuldenſe, Ottobonianum, Hagiologium Francogallicum, Richenovienſe, Auguſtanum, Labbeanum, & Kalend. Vat. 3806. Ecquid ergo Uſuardus ex vulgatis Actis potius, quam Adonianis apographis elogium ſumpſiſſe dicendus eſt, quum Adonianum elogium cum Uſuardi elogio maxime conveniat? Ecquid a Roſvveido in Appendicem detruditur? Acta vulgata ſunt a Mombritio, quæ licet interpolata ſint, proinde tamen ab Adone genuino, & ab aliis *Regina* non eſt eliminanda. *Alexia* in Æduis rectius *Aleſia* urbs, a Cæſare in Commentariis ſæpe memorata, nunc eſſe creditur vulgo *Aliſe*, ubi in honorem S. *Reginæ* extructa olim fuit Eccleſia. Illius corpus A. D. 864. translatum fuiſſe de *Aleſia civitate* ad *Flaviniacum caſtrum*, ſeu *cœnobium*, *Ægilo* Abbate, poſtmodum Senonum Archiepiſcopo, narrat Hugo Flaviniacenſis in Chronico pag. 121. Ea de re Mabillonius Annal. Bened. lib. XXXVI. §. XV. In monumentis medii ævi, *Aleſia* dicitur *pagus Aleſienſis*. Vide Valeſium in Notitia pag. 11. 12. & Martinerium in Dictionario Geographico, verbo *Aliſe*.

Evurtii, ſeu Evortii. *Evurtius* quoque, ſeu *Evortius*, & *Eortius* in Appendicem amandatur a Roſvveido, quum de eo hac die agant Auctaria Hieronymiana, Rabanus, Uſuardus eodem ferme ut in noſtris Adonianis apographis elogio, Hagiologium Francogallicum, Wandelbertus, Gellonenſe, Richenovienſe, Auguſtanum, Labbeanum, Martyrologium Reginæ Suecorum, Fuldenſe, Ottobonianum, & Kalendarium Vat. 3806. Videant alii, an recte Roſvveidus a genuino Adone expunxerit. Leguntur illius Acta in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 167. quorum exordium poſt titulum: *Incipit vita ſancti Evurtii Epiſcopi & confeſſoris*, ita ſe habet: *Deſiminnus vir beatiſſimus Eccleſiæ Aurelianenſis, Dei nutu tum temporis Præſul* &c. uſque: *Exceſſit ergo Evurtius temporaliter VII. Idus Septembris, florente* &c. In alio ejuſdem Reginæ codice 528. pag. 255. aliter hæc Acta incipiunt, nimirum ab his verbis: *Sicut mercedis eſt*, uſque *fratribus*; deinceps codex mutilus eſt. Inter feſtos dies refertur in Capitulari Walterii Aurelianenſis c. A. D. 871. edito.

Tertius hac die in Appendicem conjectus eſt *Clodoaldus*, ſeu *Chlodoldus*. *Chlodoaldi.* De eo quoque agunt hac die Auctaria Hieronymiana, Rabanus, Wandelbertus, Martyrologium Gellonenſe, Hagiologium Francogallicum, Richenovienſe, Auguſtanum, Labbeanum, Martyrologium Fuldenſe, Ottobonianum, & Kalendarium Vat. 3806. Hic eſt *Chlodovei* regis nepos, *Chlodomiri* filius, ex impia fratrum per patruos nece ſervatus. Obiit c. A.D. 560. die VII. *Septembris*, quo ejus feſtivitas celebratur. Condidit monaſterium in vico *Novientum*, tertio a Pariſienſi urbe lapide. Loco nunc nomen vulgo eſt S. *Cloud*. Vitam ejus ex MS. codice S. Germani edidit Mabillonius ſæculo I. Bened. pag. 134. Ibi *habitum ſacræ religionis* ſuſcepiſſe dicitur a S. *Severino* Abbate, qui alius eſt a *Severino* Agaunenſi Abbate, ut animadvertit Ruinartius ad Gregorii Toronenſis lib. III. cap. XVIII. Hiſtoriæ Francorum, ubi de *Chlodoaldo* meminit. Vide etiam de eodem *Chlodoaldo* Mabillonium Annal. Bened. lib. III. §. XL. ad ano. 534. & lib. XII. §. III.

---

8. *Sept.*

F. VI. IDUS SEPTEMBRIS.

Nativit. B. Virgin. NATIVITAS ſanctæ Dei Genitricis. Vide lib. de feſt. Apoſt.

Adriani & ſoc. Eodem die apud Nicomediam, natale ſancti Adriani martyris cum aliis XXIII. Maximianus cum graviſſime perſequeretur Chriſtianos, apud Antiochiam oblati ſunt ei quidam Chriſtiani, fide ac religione inſigniſſimi: quos ille poſt veritatis confeſſionem extenſos, lignis, & nervis crudis cædi juſſit, ac deinde lapidibus ora ipſorum contundi, & linguas eorum præcidi. Hæc

Hæc omnia cernens Adrianus, qui erat prior officii, dixit ad eos: Adjuro vos per Deum vestrum, pro quo hæc patimini, dicite mihi in veritate, quæ est remuneratio vestra, quam expectatis pro his tormentis? Videtur enim mihi magna, & mirifica esse. Cui XXIII. martyres dixerunt: Expectamus quod nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit; inenarrabile bonum, quod præparavit Deus his, qui diligunt eum. Audiens hæc Adrianus, statim exiliens stetit in medio eorum, & dixit his qui gerebant exceptoris officium: Annotate confessionem meam cum his sanctis, & athletis Dei, quia & ego Christianus sum. Post non multum spatium cum audisset Maximianus nomen ejus recitari inter nomina sanctorum Martyrum, evocato ad se dixit ei: Insanis Adriane? Numquid & tu vis tam male perire? Adrianus respondit: Non insanio, sed de multa insania ad sanam mentem revertor. Cumque perseveranter quæ sunt fidei, & veritatis prosequeretur, furore repletus Maximianus, jussit, eum ferro vinctum cum reliquis sanctis Martyribus ad carcerem pertrahi. Erat autem juvenis annorum viginti octo. Et fama celeriter currente, didicit uxor illius Natalia cuncta, quæ circa Adrianum maritum provenerant. Et gaudio plena, quia erat mulier Christianissima, cucurrit ad carcerem, procidensque ad pedes viri sui, osculabatur vincula ejus, dicens illi: Beatus es, domine meus Adriane, quia invenisti divitias, quas tibi non dimiserunt parentes tui. Vere jam securus pergis ad Christum, bene recondens in ipso divitias, quas invenies in tempore necessitatis, ubi de pœnis damnatorum neminem quisquam liberabit: non pater filium, non mater filiam, non divitiæ transeuntes, non ulla servorum ambitio, & patrimonii amplitudo, ad extremum nec amicus amicum. Omnes enim tunc propria sarcina comitabitur. Tu domine meus, tecum habens Christum, in quo omnia tua reposuisti, perge fiducialiter; perge, ne timeas, ut percipias promissa ipsius. Non revocet te ullus intuitus rerum velut umbra transeuntium, non affines, non parentum gemitus, non pulchritudo ipsa corporis tui, exsecra seductorum adulationes amicorum: non te terreant species tormentorum. Horum qui tecum sunt martyrum constantiam, & patientiam adspice, his solis intende. Hæc postquam gloriosissima femina prosecuta est, singulorum martyrum vincula deosculans: Rogo vos, inquit, servi Christi, confortate hunc Adrianum beatissimis monitis, & lucrificate animam ejus in Christo. Vos sitis ei patres, per vos nascatur æternæ vitæ. Ad quam beatus Adrianus dixit: Perge nunc soror mea

Isaiæ 64. 1. Cor. 2.

mea in domum tuam, & cum agnovero fieri interrogationem nostram, accersam te, ut videas finem rei. Post aliquot dies cum quæstio immineret, beatus Adrianus dato pretio custodibus, & datis fidejussoribus, perrexit ad domum suam, vocare beatam Nataliam. Cumque pergeret, vidit eum qui bene illum noverat, & præcurrens domum, nuntiavit eum venire. Quod uxor audiens, primo non credidit. Quis, inquit, potuit eum absolvere de vinculis illis? Non mihi contingat, ut absolvatur, nequando separetur a sanctis illis. Et cum puer domesticus superveniens affirmaret eum dimissum, suspicata illa, quod martyrium refugisset, contristata flebat amarissime. Et eum jam videre Adrianum inciperet, projecit quæ erant in manibus, & accurrens clausit ostium domus, clamans, & dicens: Longe efficiatur a me hic qui corruit, & mentitus est Domino Deo suo. Non loquatur mihi, nec audiam linguam, quæ dolose egit in conspectu Factoris sui. Et conversa dicit in eum: O sine Deo præ omnibus hominibus, quis te coegit apprehendere opus, quod non potuisti perficere? Quis te separavit a sanctis, aut quis te seduxit, ut recederes a conventu pacis, vel repausationis? Dic mihi, quare in fugam conversus es, antequam fieret pugna? Quare projecisti arma antequam videres hostem tibi repugnantem? Quomodo vulneratus es, necdum emissa sagitta? Quid faciam infelicissima, quæ conjuncta sum impio? Non est mihi concessum, ut vocarer uxor martyris, sed ut dicerer coniunx transgressoris. Ad horam fuit exultatio mea, & ecce per sæcula erit opprobrium meum. Cui beatus Adrianus pro foribus stans dicebat: Aperi mihi, soror mea Natalia, quia non sicut tu æstimas, effugi martyrium. Veni autem propterea, quia instat tempus quæstionis nostræ, ut sicut promisi præsens fias. At illa non credens: Vide, inquit, quomodo me seducit transgressor? Ecce quomodo mentitur alter Judas? Recedas a me homo: nam ante meipsam interficiam, quam tibi socier. Cumque beatissimus Martyr de zelo piæ coniugis lætus, sermonibus suis ei satisfaceret, & nisi citius aperiret, moras se facere non posse assereret, tandem ei illa aperiens, provolvitur pedibus ejus. Inde vero citius exeuntes, properabant ad confessionem, ut in numero coronatorum Adrianus inveniretur. Cumque adhuc essent in via, dixit beatus Adrianus: Soror mea dic, quomodo ordinasti substantiam tuam? Cui illa, noli, inquit, domine meus, noli memorare, quæ sunt mundi hujus, ne attrahant animum tuum: auferantur ab animo tuo omnia corruptibilia, solummodo illa festina videre, quæ reposita sunt tibi, & sanctis, cum qui-

bus

bus ambula in via Dei. Completa itaque die ut produceretur, exhibiti sunt beatissimi maroyres in conspectu Maximiani, putrefactis ita jam carnibus eorum præ acerbitate tormentorum, ut vermes de ulceribus eorum scaturirent. Natalia vero applicans se beato Adriano, dicebat: Vide Domine meus, ut solummodo ad Deum fiat mens tua; nec tuum cor in aliquo trepidet, dum videris tormenta tibi proposita. Labor quidem nunc modicus, sed in sæcula sæculorum æterna repausatio. Maximianus respiciens Adrianum, ait: Adhuc tu permanes in insania? Beatus martyr respondit: Pro hac amentia, & insania paratus sum hanc vitam finire. Iratus post piam confessionem ipsius tyrannus, jussit eum tam crudeliter invicem sibi succedentibus flagellatoribus cædi, donec apertis costis viscera patefierent. Iterum constrictus ferro in carcerem mittitur. Et cum aliquibus diebus cum reliquis sanctis Dei clausus ibi fuisset, tandem reductus, simul & cum eo alii, quos immensitas pœnarum pœne absumpserat, sistitur Maximiano. Quos ille jam videns irrevocabiles, jussit ut vecte magno ferreo confringerentur tibiæ ipsorum. Confractis itaque cruribus, ac pedibus incisis, insuper beato Adriano manu incisa, orantes & gratias agentes Domino, emiserunt spiritum. Corpora eorum jussit tyrannus incendi. Sed subito factæ sunt coruscationes, tonitrua, ac pluviæ, & extinctus est ignis. Plurimique de apparitoribus fulminibus percussi, pauci fuga vix evaserunt. Accurrentes interea Christiani, rapuerunt ex igne jam extincto reliquias Martyrum, & ascensis navibus fugerunt, perveneruntque Byzantium, & reverenti honore sepelierunt eas ibi. Non longo post tempore beati Adriani corpus Romam etiam translatum, honorabili quoque templo exornatum est. Natalia vero ipsa de Nicomedia sanctorum martyrum amore Byzantium enavigans, post paucos dies adventus sui, dormitionem accepit in Domino; & juxta sanctorum corpora sepulta est Kalendis Decembris. Passio horum martyrum sexto Idus Septembris celebratur.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. hac die ita habent: „Nativitas sanctæ Dei genitricis & perpetuæ Virginis Mariæ, quam Spiritus sanctus custodivit, & electam sanctificavit, ut ex utero illius nasceretur homo Deus altissimus. „Romæ festivitas sepulturæ sancti Adriani martyris, qui apud Nichomediam cum aliis „XXIII. passus est IIII. Non. Mar. Maximianus cum gravissime &c. *prout in editis*, Verba vero in fine, nempe: *Passio horum martyrum* VI. *Id. Septembr. celebratur*, desunt in nostris codicibus.

Nativit. B. Virginis. *ADNOTATIO*. Deiparæ Virginis *Mariæ nativitas* colitur hac die a Hieronymianis, Beda, Gellonensi, Romano parvo, Rabano, Adone, Usuardo, Wandelberto, Notkero, Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviori, Marty-

Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Kalendario Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. ut alia Hagiologia recentiora transeamus. Apographum Hieronymianum Epternacense *Nativitatem Deiparæ* collocat ad diem XVI. *Augusti*, quod conjecturis se non assequi fatetur Sollerius ad VIII. diem Septembris. Fere omnia quæ citavimus Latinorum Hagiologia ita hac die hujusmodi celebritatem describunt: *Nativitas sanctæ Mariæ matris Domini*. Adonianum in codicibus nostris elogium discrepat a vulgato Adone, qui in libello de festivitatibus Apostolorum aliter habet. Desideratur hoc festum, quemadmodum *Purificatio*, *Adnuntiatio*, & *Assumptio*, in Kalendario Bucheriano. Græci in Menologiis de Beatæ Virginis Nativitate agunt hac die. Hagiologiis libri Liturgici S. R. E. accedunt Codex Sacramentorum Gelasianus pag. 171. Missam habet hac die: *In Nativitate sanctæ Mariæ*. Prima oratio est: *Adjuvet nos*. Secreta: *Suscipe, Domine*. Post com: *Adesto*. Item alia: *Sumptis, Domine*. In Sacramentario Gregoriano Reginæ Succurum 337. & Ottoboniano Missa item hac die in *Nativitate sanctæ Mariæ* habetur, & in Ottoboniano additur: *& sancti Adriani*. Præmittitur oratio ad collectam: *Supplicationes servorum* &c. Deinde orationes ad Missam hæ sunt: *Famulis tuis, Domine, cælestis*. Secreta: *Unigeniti*. Ad com: *Sumpsimus*. Missam de eadem Nativitate habent cætera omnia Gregoriana Sacramentaria, ut Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vat. 495. 496. & Missale plenarium Vat. 4770. in quo in hujus diei titulo hæc prænotantur: *Nativitas sanctæ Mariæ. Collecta ad sanctum Adrianum. Exurge, Domine*. Habetur ibi etiam Præfatio propria. Capitularia Evangeliorum veterrima tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 277. Evangelium hac die *in Nativitate sanctæ Mariæ* designant. Frontonianum hujusmodi celebritatem die IX. *Septembris* statuit; sed amanuensis vitio id adscribendum puto; nam alia omnia Capitularia diem VIII. statuunt. Desideratur hæc celebritas in Lectionario, seu Capitulari Epistolarum ad usum Ecclesiæ Mediolanensis veterrimo. De origine hujus festi inter recentiores summo studio disquisitum est. Baronius in Notationibus hac die, postquam illorum opinionem, qui Augustini ætate hujusmodi solemnitatem, ex adscripto Augustino Sermone improbavit; quo potissimum tempore instituta fuerit, quidquam certi affirmare non audet. Ex Ecclesiasticis tamen Historiis colligi censet, a Concilii Ephesini temporibus, post damnatam Nestorii hæresim, ad supremum *Dei genitricis* titulum magis magisque amplificandum, hujusmodi celebritatis cultum in orbe christiano sensim increbuisse; eo tamen tempore institutam fuisse affirmare non præsumit, cum constet, inquit, Gallicanam Ecclesiam, temporibus Caroli M. & Ludovici Pii, eam ignorasse, ut liquet ex Concilio Moguntino A. D. 813. cap. XXXVI. in quo inter Deiparæ festivitates *Assumptio*, & *Purificatio* tantum recensentur; & item Capitularibus Ludovici Pii. Constare tamen, eam satis antiquam esse. Hic autem a præstantissimo Baronio veniam peto, ac illius pace dixerim, Nativitatis Deiparæ solemnitatem in Galliis ante *Ludovicum Pium*, & forte ante *Carolum* M. non fuisse ignotam. Quod enim ex Concilio Moguntino, & ex Capitularibus affert, ad festivos dies, qui in Galliarum, & Germaniæ regnis agebantur, pertinere est exploratum, non vero ad sanctorum natales, qui per annum in divinis officiis celebrantur. *Laurentius*, *Cyprianus*, & alii celebriores martyres, minime tunc ignoti erant Gallicanæ Ecclesiæ, qui tamen in illius Ecclesiæ libris Liturgicis coluntur. Rectius dixerimus, Ludovici Pii ævo, nondum in Galliis inter festivos dies fuisse relatam, quod tamen eodem sæculo sensim obtinere cœpit, & per Gallias propagari. Certe quidem in Ecclesia Aurelianensi, inter festos dies c. A. D. 871. enumerabatur, ut patet ex Capitulari Walterii Aurelianensis Antistitis cap. XXI. At in Capitulari ejusmodi alicujus Ecclesiæ Gallicanæ, quod nos offendimus in codice pervetusto Bibliothecæ Ottobonianæ Nativitas Deiparæ inter festivos dies desideratur. Accipe quid ibi cap. XXX. de festis diebus per annum statuatur: *Festivitates vero per anni circulum debetis celebrare. Dies Dominica ad vesperam religiosissime celebretur. Natale Domini usque in mediam hebdomadam, & Octabas Natalis Domini, & Epiphania*. IV. *Non. Febr. Purificationem sanctæ Mariæ. Vigilia Paschæ. Pascha Domini usque in mediam hebdomadam, & Octabas ipsius Paschæ. Tres dies Rogationum. Ascensionem Domini. Vigilia Pentecostes. Pentecostem usque in mediam hebdomadam*. VIII. *Kal. Jul. festivitatem sancti Johannis Baptistæ*. III. *Kal. Julii festivitatem Apostolorum Petri & Pauli*. XVIII. *Kalend. Septembris Assumptionem sanctæ Mariæ*. III. *Kal. Octobris festivitatem sancti Michaelis Archangeli. Kal. Octobris festivitatem sanctorum Germani & Remigii. Kal. Novembris festivitatem omnium Sanctorum*. III. *Id. Novembr. festivitatem S. Martini. Pridie Kal. Decemb. festivitatem S. Andreæ Apostoli. Et in unaquaque Parochia festivitatem* (sic) *illius Sancti, qui ibidem requiescit, ab omnibus celebretur. Amen*. Desideratur festum *Nativitatis beatæ Virginis*, licet hujusmodi Capitulare editum sit Ludovici Pii extremis annis, aut eo jam vita sublato; nam memoratur festivitas omnium Sanctorum, quæ nonnisi *Gregorii* IV. hortatu in Galliis celebrari cœpit, ut ad diem I. *Novembris* ostendemus. Quod vero Capitulare memoratum ad aliquam Galliarum Ecclesiam spectet, ex festivitatibus SS. *Germani*, & *Remigii*, ibidem constitutis, patet. Cæterum ad eam Liturgicam quod pertinet, in

Galliis post acceptam Romanæ Ecclesiæ Liturgiam, in divinis mysteriis de *Nativitate B. Virginis* hac die agi consuevisse, ex codice Sacramentorum Turonensi, ultra octingentos abhinc annos scripto colligimus, de quo Martenius cap. XXXIV. num: II. de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis, & ex Sacramentario Menardi. Hæc ausi sumus, petita a Baronio venia, de solemnitate Nativitatis B. Mariæ in Galliis propagatione, aut origine proferre. Jo: Fronto in notis ad Kalendarium inter additamenta rejicit id, quod de hac solemnitate in Galliis celebranda refertur in statutis Synodalibus Sonnatii Episcopi Remensis cap. XX. A. D. 630. editis, quæ quidem posterius ævum sapere, censuere Labbeus, & alii. Itaque hujus diei celebritatem demonstrari censet Fronto ex verbis libri Pontificalis in vita Sergii Papæ, ubi de hujus Pontificis decretis hæc habet: *Constituit, ut diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis, Dormitionis sanctæ Dei genitricis semperque virginis, & sancti Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant, litania exeat a S. Adriano, & ad S. Mariam populus occurrat*. Mendose antea interpungebantur hæc verba; nam ut apud Baronium ad an. 710. num. VII. legitur, hæc erat interpunctio: *Constituit etiam, ut diebus Annunciationis, Domini Nativitatis, & Dormitionis* &c. Quare Rosvveidus, quem carpit Fronto, de *Nativitate Domini* hunc locum interpretatur. Recte autem accipitur apud vulgatum Alcuinum in libris de divinis officiis, cujus locum affert Baronius ad an. 701. num. III. Statuit itaque Fronto, festivitatem de Nativitate Beatæ Virginis, nondum in Gallis, aut Germania A. D. 813. celebrari consuevisse, secus vero Romæ fuisse, tum ex allato libri Pontificalis loco in vita Sergii, tum ex Martyrologiis sæculi IX. & ex Sacramentariis, atque Evangeliorum Capitularibus. Florentinius in notis ad hanc diem pag. 817. in ea sententia est, ut nulla de *Nativitate Deiparæ* vetustior memoria in Ecclesia Latina occurrat, quam in Sacramentario Gregoriano, & in vulgato Ordine Romano. Mabillonius lib. II. de Liturgia Gallicana num. 9. monet a S. *Bonifacio* Moguntino Antistite inter festivitatum numerum additam fuisse *Assumptionem sanctæ Mariæ* die XV. *Augusti*, & *Nativitatem* ejusdem die VIII. *Septembris*, ut ex illius Statutis, Spicilegii tom. IX. pag. 67. apparet. Idcirco in Germaniæ provincia satis præclara ante sæculum Christi IX. hujusmodi solemnitas celebrari cœpit. Pagius junior in vita Sergii I. n. XXV. & in vita Innocentii IV. num. XVIII. censet, celebritatem *Nativitatis Beatæ Virginis* sæculo Christi septimo agi consuevisse. Statuta S. Bonifacii commemorat, ac item Statuta Adalardi Abbatis Corbejensis lib. II. cap. II. Spicilegii tom. IV. pag. 12. Ibidem Pagius disquirit de institutione *Octavæ Nativitatis Beatæ Mariæ*, quam quidem non institutam fuisse in Concilio Lugdunensi ab *Innocentio* IV., ut quidam putant, ille censet, sed ab eo Pontifice constitutum fuisse: *ut octava beatæ Virginis ab omnibus clericis & religiosis annuatim solemniter celebraretur*. Ita habet, inquit, auctor compilationis Chronologicæ Jo: Pistorii. Addit, longe antea in quibusdam Ecclesiis hujusmodi *octavam* celebratam fuisse, quum Gaufredus Prior Voisiensis, qui A. D. 1180. florebat, in Chronico cap. XLII. ubi de Pontio Abbate Cluniacensi, & de Petro item Abbate Cluniacensi ab *Innocentio* II. Romam evocatis, scribat, in monasterio Voisiensi tunc *octavam* Nativitatis B. Mariæ institutam fuisse: *Amlardus*, inquit, *Voisias deveniens in octavis Dei genitricis, ejusdem Nativitatis octavas ibidem instituit agi*. Censet igitur Pagius, id tantum instituisse Innocentium IV. sacro approbante Concilio, ut per totam Ecclesiam a clero, & religiosis viris solemni ritu hæc octava celebraretur. Acta Vaticana Lugdunensis Concilii habent: *Constituit* (Pontifex) *tertiam sessionem, & peractis officiis ut in prima, post multa dicta hinc inde & audita, antequam ad festum accederetur Nativitatis beatæ Virginis gloriosæ; ordinavit* OCTAVAM, *sacro Concilio approbante*. In utramque sententiam opiniones refert Raynaldus ad an. 1245. n. 53. 54. Recentiorum omnium de origine hujus solemnitatis, deque octava B. Virginis sententias expendit Eminentiss. Lambertinus, seu BENEDICTUS XIV. Pont. Max. de Festis Beatæ Virginis P. II. §. CXXVII *& seq.*, ubi plura de hac celebritate, illius origine, ac octava. Eum vide. Sacratissimæ Mariæ virginis natalis dies a Baronio in Apparatu §. XLVIII. ad A. V. C. 737. *C. Furnio, & C. Junio Silano Coss.* figitur, ac in urbe *Nazareth* editam fuisse prodit. A Baronii opinione non discedit Pagius in Apparatu §. CXXIV. qui de Christi geneologia nos amandat ad Dissertationem Petri de Marca de Stemmate Christi. At de his multa apud nostræ ætatis Scriptores. Patrum elogia *in Nativitatem* B. Mariæ circumferuntur, quæ a Baronio in Notationibus hac die memorantur, ut ex Codice Græco Bibliothecæ Sfortianæ Jo: Chrysostomi nomine inscriptus Sermo, S. Procli, Jo: Damasceni, Jacobi monachi, & Andreæ Cretensis. De his, verisque eorum auctoribus Auctarium novum, & novissimum Combefisii tom. I. pag. 437. 1289. 1305. & 1605. & inter Opera Jo: Damasceni editionis Lequienii tom. II. pag. 841. Horum omnium elenchum habes in Bibliotheca Græca Fabricii tom. IX. pag. 111. 112.

De S. *Adriano Nicomediensi*, & sociis martyribus codices nostri Adoniani semel ac iterum agunt, nimirum ad diem IV. *Martii*, ut ibi monuimus, & hac die, qua illius celebritatem Romæ haberi solitam commemorant. Agunt autem *de Adriano*, & sociis triginta tribus, die IV. *Martii*, quæ dies natalis, seu mar- *Adriani, & soc.*

tyrii eorum censetur ab Adone nostro, & aliis, Hieronymiana, Beda genuinus, Gellonense, (in quo tamen legitur: *Adriani Romani Episcopi ordinatio*) Richenoviense, Augustanum, Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum ea die habet: *Nicomedia, passio sanctorum Adriani cum aliis* XXXIV. Fuldense: *Et in Nicomedia, passio sancti Adriani mar. cum aliis* XXX. *tribus, quorum miræ passiones leguntur*. Kalendarium Vat. 3806. ea die: *Nicomedia, Adriani mar. cum sociis suis*. Rabanus eadem die: *Nicomedia, passio sanctorum Adriani cum aliis numero* XXXIII. De emendando sociorum numero apud Rabanum & alios vide Florentinium in notis pag. 361. De *Adriano* & sociis ad diem IV. *Martii* silet genuinus Usuardus, agunt tamen ea die ejus Auctaria; silent Romanum parvum, Notkerus, Martyrologium Ottobonianum, Corbejense brevius, & alia. Iterum die VIII. *Septembris* de *Adriano* agunt apographa Hieronymiana; quæ post annunciationem Nativitatis B. Mariæ virginis habent: *Et natalis sancti Adriani*. Beda genuinus: *Eodem die in Nicomedia, natale S. Adriani martyris cum aliis viginti tribus*. Gellonense: *Roma, Adriani martyr*. Rabanus: *Et in Nicomedia, sancti Adriani martyris cum aliis* XXIII. Usuardus genuinus, & Notkerus *Adriani* & sociorum martyrum natalem hac die apud Nicomediam recolunt. Aliter habent codices nostri Adoniani, qui hac die celebritatem *Adriani* apud urbem Romam agi tradunt. Huc facere videtur Wandelbertus uno illo versiculo:

Martyr & Adrianus Romam tum sanguine comit.

Romanum parvum hac die: *Et Adriani martyris cum* XXXIII. *martyribus*. Rhinoviense, & Richenoviense ad hanc diem VIII. *Septembris* habet: *Romæ, Adriani*. Augustanum, & Labbeanum: *Roma, Adriani mart.* Corbejense brevius: *Et S. Adriani*, tantum. Fuldense: *Eodem die, natalis sancti Adriani mart.* Ottobonianum: *In Nicomedia, natalis sancti Adriani mart. cum aliis* XXIII. Kalendarium Vat. 3806. hac item die: *Sancti Adriani mart.* Certe quidem in Romana Ecclesia, postquam *Adriani* martyris reliquiæ Byzantio Romam delatæ fuere, & Basilica in ejusdem martyris honorem ibidem erecta fuit, die VIII. *Septembris* de *Adriano* jam inde a vetustis temporibus agi cœptum est. De S. *Adriani* martyris Diaconia in Urbe ab Honorio I. condita, liber Pontificalis in vita, & in Hadriano I. Leone III. Gregorio IV. & Leone IV. ubi modo *basilica*, modo *Ecclesia*, & modo *Diaconia* appellatur. Quod vero dies VIII. *Septembris* ad *Adrianum* martyrem recolendum in Ecclesia Romana statuta fuerit, patet ex ejusdem Ecclesiæ Liturgicis libris, nimirum ex Sacramentariis Gregorianis vetustioribus omnibus, in quibus die VIII. *Septembris* post Missam in *Nativitate B. Mariæ Virginis*, habetur eodem die alia Missa S. *Adriani*. Item in Capitularibus omnibus Evangeliorum, in quaque die Evangelium *in natali sancti Adriani* designatur. Non est igitur, cur Baronius in Notationibus ad hanc diem VIII. *Septembris* Adonem, & alios erroris coarguat, perinde ac si diem martyrii ad VIII. *Septembris* statuerint, non vero illius translationis, quum ex Adonianis nostris codicibus, & ex aliis veterum monumentis Romana de *Adriano* celebritas recolatur. Græci, ut monet Baronius ad diem IV. *Martii*, de eo agunt die XXVI. *Augusti*. Ibi Baronius *Adriani* & sociorum Acta martyrii, quæ apud Surium, & Mombritium habentur, veluti germana agnoscit. Eorum apographa nos jamdudum vidimus in duobus codicibus Canonicorum Forojuliensium. Horum exordium est: *Factum est autem in sæcula, interrogatione Maximiani, ingrederentur persecutores Nicomediarum civitatem*, usque: *serviebant soli Domino: cui* &c. Paullo aliter, & emendatius legitur in codice Reginæ Suecorum 528. pag. 116. ubi habetur: *Incipit passio sancti Adriani martyris cum sociis suis* XXIII. *qua est* VI. *Idus Septembris. Factum est secunda interrogatione tyranni Maximini*, usque: *Christo Domino serviant: cui est honor* &c. Eadem ferme in hujusmodi Actis habentur apud Mombritium, & Surium. Apud recentiores ætatis nostræ criticos in dubium revocantur Adriani Acta, præsertim a Tillemontio tom. V. pag. 641. & 818. Circumferuntur & Acta Græca, quæ habentur apud Lambecium tom. VIII. p. 214. & apud Bandurium ex codice sæculi IX. in notis ad antiquitates Constantinopolitanas p. 648. Passi feruntur hi martyres c. A.D. 303. persecutione Diocletianea. De eorum martyrio meminit Baronius ad an. 311. n. XVII.

---

9. *Sept.*

G. V. IDUS SEPTEMBRIS.

Dorothei, & Gorgonii.

PASSIO beatorum martyrum Dorothei & Gorgonii, apud Nicomediam, sub Diocletiano Imperatore. Horum prior Dorotheus magister in officiis, quæ intra palatium exhibebantur, erat cubiculi regii præpositus, habens secum officio, fide, & magnanimitate parem Gorgonium. Quorum institutionibus optimis

Euseb. l. 8. cap. 6.

timis omnes pœne cubiculi ministri in fide Dei vigilanter & libere persistebant. Hi denique cum viderent quemdam Martyrem crudelibus atque immanibus suppliciis cruciari, constanter & libere ajunt: Cur Imperator in hoc solo punis sententiam, quæ in nobis omnibus viget? Ut quid in illo crimen ducitur, quod a nobis omnibus confitetur? Hæc nobis fides, hic cultus, & unanimis eademque sententia. Quos ille cum in medium nihilominus venire jussisset, jussit eos appendi, & flagellis toto corpore laniari, & visceribus jam pelle nudatis, jubentur aceto & sale perfundi. Cumque etiam hoc tormenti genus constanter & fortiter tolerassent, craticula prunis subterstrata poni jubetur in medio, ibique quod reliquum fuerat in verberibus absumpti corporis superponi, & non ad subitum, sed sensim paulatimque succendi. Ad ultimum laqueo appensos, jussit necari. Interjecto tempore beatus Gorgonius Romam transfertur, positusque est venerabiliter via Latina inter duas lauros. Compleverunt autem martyrium suum quinto Idus Septembris.

In Sabinis miliario ab Urbe tricesimo, natalis sanctorum Hyacinthi, Alexandri, Tiburtii. *Hyacinthi & soc.*

VARIA LECTIO. Ed. *Passio beatorum &c.* Cod. 511. 512. 514.: *Apud Nichomediam, passio sanctorum Dorothei & Gorgonii martyrum sub Diocliciano Imperatore. Horum &c.* usque, *via Latina inter duas lauros*. Deinde sequitur in eisdem codicibus:

„ Eadem die, natalis sancti Audomari Tarvvannensis Episcopi, cujus gloriosa „ conversatio, miraculorum præconio conlaudatur. *Audomari*

Deest in memoratis codicibus hac die natalis S. *Hyacinthi* & sociorum.

Gorgonii, & Dorothei. ADNOTATIO. De *Gorgonio*, Romæ culto, agit hac die in primis Kalendarium Bocherianum his verbis: *Gorgonii in Labicana*. Agunt item apographa Hieronymiana, hoc pacto: *Romæ, via Labicana inter duos lauros, in cœmeterio ejusdem, natalis Gorgoni*. Beda genuinus hac die: *Natale S. Gregorii*, amanuensis vitio, ut censet Sollerius, pro *Gorgonii*; & quidem pervetustum Bedæ apographum Palat. Vatic. 834. habet: *Nat. S. Gorgonii martyris*. Aliud ibi apographum n. 833. *Sancti Gordiani*, mendose. Rabanus hac die: *Romæ Gorgonii martyris*. Gellonense: *Romæ Gorgonii*. Romanum parvum: *Nicomediæ, Dorothei & Gorgonii martyris, quorum unus, Gorgonius, Romam transfertur*. Gellonense hac item die: *Romæ, Gorgonii*. Ita habent Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense brevius. Martyrologium Fuldense: *Romæ, natalis sancti Gorgonii mart.* deinde addit: *Eodem die, passio sanctorum Dorothei, & Gorgoni, apud Nicomediam*, &c. in fine, horum socium fuisse *Petrum*, scribit. Duos itaque *Gorgonios* distinguit. Ottobonianum: *Romæ, natalis sancti Gorgoni*. Ado elogium ex Eusebio Rufini lib. VIII. cap. VI. & ex Actis descripsit. Adonem contraxit Usuardus, & paullo aliter Notkerus. Agit etiam Wandelbertus, qui & de *Gorgonii* in Gallias translatione meminit. Agunt autem de *Dorotheo*, *Gorgonio*, *Petro*, & alia apographa Hieronymiana die XII. *Martii*; qua die Ado quoque de his meminit, dum *Petrum* martyrem, eorum socium recolit. Die vero XI. *Martii* Martyrologium Reginæ Suecorum habet: *Nicomediæ, Eunuchi & Gorgonii*. Hinc Sollerius minus opportune *Gorgonium* & *Dorotheum* a Romano parvo, Adone, & aliis die IX. *Sept.* coli existimat, quod ex Hieronymia-

miania appareat, eos ipsos esse qui cum *Migdonio*, *Petro*, aliisque die XII. *Martii* memorantur. Num id vere proferat Sollerius, aliorum erit discutere. Interim id certo scimus, ex Kalendario Bucheriano, & aliis, *Gorgonium* antiquitus, Romæ, via Labicana impensiori studio a majoribus die IX. *Septembris* cultum fuisse. Instar omnium nobis sit Carmen XIV. S. Damasi Papæ de S. *Gorgonio*, & codex Sacramentorum Gelasianus, in quo pag. 171. Missa hac die habetur in natali S. *Gorgoni*. Prima ibi oratio: *Sanctus, Domine, Gorgonius*. Secreta: *Grata sit tibi*. Post com: *Familiam tuam*. Deest quidem hæc Missa in quibusdam Gregoriania vetustioribus, ut in Reginæ Suecorum, & Ottoboniano, sed habetur in aliis, ut in Sacramentario Menardi, Angeli Rocchæ, & Palat. Vatic. 495. in quo eædem orationes ac in Gelasiano. Desideratur autem *Gorgonius* hac die in Capitularibus Evangeliorum, sed forte illius Evangelium ex communi martyrum petebatur. De *Gorgonio*, ejusque martyrio nihil illustrius esse potest, quam Eusebii lib. VIII. cap. VI. testimonium, quod eruditia commentariolis ornat Ruinartius in Actis martyrum selectis pag. 219. 320. ac Tillemontius tom. V. pag. 180. *& seq.* De *Dorotheis* variis vide Fabricium Bibliothecæ Græcæ tom. VI. pag. 145. De *Dorotheo*, & *Gorgonio*, nos monet Baronius In Notationibus hac die, mentionem fieri apud Metaphrasten in Actis SS. *Indes & Domnæ*, ac viginti millium martyrum *Nicomediæ*; Latine apud Lipomanum, & apud Surium die XXVI. *Decembris*. Græce recensentur in Bibliotheca Coisliniana pag. 213. Quod vero ad celebrem *Gorgonii* in cœmeteriis Urbis via Lavicana memoriam attinet, vide Aringhium lib. IV. cap. VI. De illius corpore ibidem, Notitia edita ab Eccardo ita habet: *Ibi sancti isti dormiunt, Petrus Marcellinus*, SS. XXX. *milites, Gorgonius, Geminianus* &c. *Gorgonii* reliquiæ, licet corpus appellent, dono *Pauli* I. Rom. Pont. ad preces Crodegangi Episcopi Metensis, una cum *Naboris*, & *Nazarii* reliquiis A. D. 765. in Germaniam translatæ fuere. Et S. *Gorgonii* quidem in *Gorziensi*; S. *Naboris* in *Hilariaco*; & S. *Nazarii* in *Lauresbamensi* monasteriis collocatæ. Exstat ea de re longa narratio monachi Gorziensis, qui sæculo X. vivebat, quam edidit Mabillonius sæculo III. Bened. pag. 214. *& seq.* De hujusmodi translatione agunt Rabanus, & Notkerus ad diem XII. *Junii*, Annales Fuldenses, & Francorum apud Duchesnium tom. II. pag. 8. Sigebertus, Marianus Scotus, & alii, sed post Mabillonium loco memorato, & in Annalibus S. Benedicti lib. XXIV. §. V. ad an. 765., adeundi Cointii Annales ad an. 765. n. XIV., nec prætereundi Baronius ad an. 764. n. 1., Pagius ad eum annum n. I., Bollandiani socii ad diem XI. *Martii* pag. 56. qui *Gorgonium* Nicomediensem martyrem, alium esse ab eo arbitrantur, qui in Germaniam translatus est. Num vero *Gorgonius*, Romæ celebris, de quo Ado & alii die XII. *Septembris*, sit idem ac *Nicomediensis*, dubitat ipsemet Florentinius in notis pag. 820. Cæterum, quod reliquiæ tantum *Gorgonii* a *Paulo* I. Romano Pontifice dono datæ fuerint, patet ex Anastasio in vita *Gregorii* IV., ubi habet, hunc Pontificem ex sacris cœmeteriis aliqua sanctorum martyrum corpora in basilicam Vaticanam transtulisse, inter quæ S. *Gorgonii* corpus enumerat.

Hyacinthi & soc. Prætereuntur a codicibus nostris hac die *Hyacinthus* & socii in *Sabinis* martyres, de quibus agunt Hieronymiana, Romanum parvum, Rabanus, Usuardus genuinus, Rhinoviense, Richenoviense, confuse Augustanum, & Labbeanum.

Audomari. In codicibus nostris additur *Audomarus* Episcopus *Tarvanensis* in Morinis. De eo hac die agit Florus, genuinus Usuardus, & Kalendarium Vatic. 3806. Corbejense brevius agit die II. *Novembris*, his verbis: *Sitio monasterio, depositio S. Audomari Episcopi*. Sollerius in Usuardum hac die censet, *Audomarum*, seu *Automarum* ab Usuardo collocatum, nullam ei facem præferente Floro, & Adone, *Audomarus* a Mosandro in Adonianam Appendicem die I. *Novembris* collocatur; num id recte factum fuerit, alii judicabunt. Fuit autem Episcopus *Tervanensis*, seu *Tarvanensis*, quæ urbs in Notitiis *civitas Morinorum* appellatur, vulgo *Terovanne*. Vide Valesium in Notitia pag. 545. De illius obitu & sepultura in *Sithiensi* beatæ Mariæ basilica A. D. 667. die IX. *Septembris* Mabillonius Annal. Benedict. lib. XV. §. LVII. Habentur illius Acta apud Surium hac die IX. *Septembris*, sed emendatiora apud Mabillonium sæculo III. Benedictino pag. 559. *& seq.*

---

10. Sept.

A. IV. IDUS SEPTEMBRIS.

Nemesiani & soc. APUD Africam, natalis sanctorum Episcoporum Nemesiani, Felicis, Lucii.

Felicis & soc. Item Felicis, Litei, Poliani, Victoris, Jaderis, & Dativi: qui sub Decio & Valeriano exurgente persecutionis rabie, ad primam

primam confeſſionis Chriſti conſtantiam graviter fuſtibus cæſi; deinde compedibus vincti, & ad fodienda metalla deputati, glorioſæ confeſſionis agonem conſummaverunt. Quorum etiam exemplum ſecuta multiplex plebis portio, cum eis confeſſa pariter eſt & coronata. Extat epiſtola beati Cypriani ad ipſos, & de ipſis ſcripta.

Cypr. epiſtola 77.

Eodem die in Chalcedona, natalis ſanctorum Soſtenis & Victoris: qui, cum beata Euphemia ſub Priſco conſule pro Chriſti nomine decertaret, apertis ſibi divinitus oculis, viderunt circa illam Angelorum præſidia, ſanctarumque Virginum chorum. Atque hoc viſo ad Chriſtum converſi, ob inſuperabilem fidei confeſſionem truſi in carcerem, & inde producti, ad ſtipites religati ſunt: quibus primum urſi, ac deinde ferociſſimus leo, dimiſſi, cum in nullo eos læderent, miſit Proconſul ad deferendam cupam, in qua eos pariter concremaret. Illi vero interea incumbentes orationi, vocati de cælo, datoque ſibi mutuo pacis oſculo, ſpiritum emiſerunt

De his in vit. ſanctæ Euphemiæ 16. Sept. — *Soſtenis & Victoris.*

VARIA LECTIO. Cod. 511 512. 514. hac die incipiunt: „ Romæ, depoſitio ſancti Hilarii Papæ, per quem Victorinus ordinem Pa- „ ſchalem conſcripſit. Apud Africam &c. ut in editis. Ed: *Eodem die in Chalcedona &c.* Codices memorati: *In Calcedonia, natalis ſanctorum Soſtenis* &c. prout in editis.

Hilari Papa.

Nemeſiani, Felicis & ſoc.

ADNOTATIO. *Nemeſianus & Felix* Epiſcopi cum aliis ſeptem Præſulibus Africanis, ſub *Decio & Valeriano* paſſis, celebrantur hae die a Romano parvo, Adone noſtro, & Uſuardo. De his idem Ado ex S. Cypriani epiſt. LXXVII. novæ editionis, Baronius in Notationibus hae die, & ad an. 260. num. XLIII. Tillemontius tom. IV. pag. 171. & 640. Sollerius in Uſuardum hae die, & alii recentiores. Non uno eodemque die, loco, & anno paſſi ſunt. De eorum ſedibus Caſtellanus in Martyrologio univerſali hae die.

Soſtenis, & Victoris.

Soſthenes & Victor memorantur hae die a Romano parvo, Adone, Uſuardo, Notkero, Wandelberto, & Martyrologio Fuldenſi, ſilentibus aliis. Eorum elogium ex Actis quibuſdam S. Euphemiæ Chalcedonenſis ſumptum eſt. Eorum martyrium Baronius ad an. 311. num. XVIII. in eundem annum 311. conferre videtur.

Hilari.

Principe loco codices noſtri Adoniani hae die *Hilarum*, ſeu ut hi & alii habent, *Hilarium* Romanum Pontificem colunt, prout recolunt apographa Hieronymiana, Gellonenſe, Rabanus, in quo eadem propemodum verba ac in noſtris codicibus, Uſuardus, Richenovienſe, Auguſtanum, Labbeanum, Corbejenſe brevius, Fuldenſe, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 499. Kalendarium Pal. Vat. 485. de eo agit die XXI. *Februarii*, ad quam diem amandandum eſſe putat Caſtellanus ex Papebrochii ſupputatione in Propylæo. A Moſandro Adoni adſcribitur *Hilarus*, a Roſvveido in Appendicem rejicitur. Dubius hæret Sollerius, utrum *Hilarus*, Adonianus ſit. Ego vero nullus dubito, quin *Hilarus* ab ipſo Roſvveido, ut vere Adonianus agnoſceretur, ſi Hieronymiana, & alia vetuſta Hagiologia præ oculis habuiſſet. Obiit S. *Hilarus* ex ſupputatione Antonii Pagii in Critica Baroniana ad an. 467. num. III. A. D. 468. die XXI. *Februarii*, ut habent etiam, ad diem emortualem quod attinet, aliqua Kalendaria apud Bollandianos ad eam diem; non vero die X. *Septembris* A. D. 467. ut habet Baronius ad an. 467. n. IV. quæ dies potius illius tranſlationis eſt. Vide Pagium juniorem in Vita Hilari §. XIII. Blanchinum in

in Chrooologia ad Aoastasium, ac Tillemontium tom. xv. Baronii sententiam de anno obitus *Hilari* tuetur Papebrochius in Propylæo, qui die tameo xxi. *Februarii* obiisse *Hilarum* censet.

B. III. *IDUS SEPTEMBRIS.* 11. *Sept.*

Proti & Hyacinthi. ROMÆ via Salaria vetere, in cœmeterio Basillæ, natale sanctorum Proti & Hyacinthi, qui erant eunuchi beatæ Eugeniæ virginis, cum qua ab Heleno Episcopo baptizati, aliquanto tempore divinis solum eruditionibus vacantes, in sancto proposito perstiterunt: atque in servorum Dei monasterio mira humilitate conversati sunt: & hoc apud Ægyptum. Inde cum beatissima virgine Romam reversi, sub Gallieno Imperatore, quod essent Christiani, comprehensi, coguntur sacrificare. Sed non consentientes, dirissime verberantur. Cumque Deo fidem servantes gauderent, pariter decollantur tertio Idus Septembris. Post hæc tenetur sancta Eugenia, & jubetur a præfecto urbis Nicetio, Dianæ sacrificia exhibere. Quæ stans ante templum, extensis manibus fudit orationem. Qua orante, ita simulacrum Dianæ comminutum est, ut sola pulveris ejus indicia remanerent. Sed magicis artibus hoc reputantes, ingenti saxo circa scapulas ejus constricto, Tiberi eam præcipitem dederunt. Quomodo autem agonem passionis suæ compleverit, breviter supra notatum est VIII. Kalendas Januarii. *De his in gestis sanctæ Eugeniæ 25. Decem.*

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ via Salaria* &c. Cod. 511. 512. 514. *Romæ in cimiterio Basillæ, natalis sanctorum Proti & Jacinti* &c. usque *tertio Idus Septembris*. Cætera, quæ in editis leguntur, in his codicibus desiderantur, in quibus post III. *Idus Septembris* sequitur.

Patientis. „ Lugduno, depositio sancti Pacientis Episcopi, cujus hortatu Constantius presbyter vitam beatissimi Germani Episcopi virtutibus plenam, nobilissimo stilo conscripsit.

Proti & Hyacinthi. ADNOTATIO. Celeberrimi prisco in Urbe cultu & quidem in *Basillæ* cœmeterio sunt martyres *Protus & Hyacinthus*, in veterrimis etiam Ecclesiasticis tabulis memorati. Agunt enim de his hac die Kalendarium Bucherianum, Hieronymiana, Beda genuinus, Gellonense, Romanum parvum, Rabanus, Florus, Ado, Usuardus, Waodelbertus, Notkerus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum. Hieronymiana apographa: *Romæ, natalis Protini, Sanctini, Ypoliti*. Corbejense brevius habet: *Roma via Salaria veteri* (in cimiterio) *Basillæ, natalis sanctorum Proti & Jacinti*. Fuldense: *Romæ, natalis sanctorum Proti & Jacinthi martyrum*. Agunt insuper Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat.485. Vat.3806. & alii Latinorum. Adde libros Liturgicos Gregoriani ritus vetustissimos, nimirum Sacramentarium Gregorianum Reginæ Suecorum, & reliqua Sacramentaria Gregoriana; item Capitolaria Evangeliorum omnium. Locus dormitionis, seu sepulturæ eorum in cœmeterio *Basillæ* via *Salaria veteri* insignis etiam ob eorum cultum olim fuit, a S. Damaso Papa Carmine XXVII. de *SS. Proto & Hyacin-*

eiatbs illuſtratus, quod una cum aliis in Gruteriana collectione habetur pag. MCLXXII. & in deſcriptione veterrima regionum Urbis apud Mabillonium Analectorum tom. IV. pag. 501. ubi etiam aliud epigramma habetur de ſepulchro ſancti martyris *Hyacinthi a Leopardo* presbytero ornato; & pag. 513. in via *Pinciana* inter martyrum corpora ibi quieſcentia, *Protus* & *Hyacinthus* enumerantur, prout in notitia apud Eccardum, & Willelmum Malmesburienſem. De horum martyrum cœmeterio Aringhius lib. IV. cap. XXXIV. Acta horum martyrum eadem ſunt atque Acta *S. Eugeniæ* virginis & martyris, de quo die XXV. *Decembris*. Qua fide ſcripta ſint, Baronius in Notationibus ea die, Papebrochius, & alii. Ado vulgatus ex his Actis ſuum de his martyribus elogium ſumpſit, cui aliqua etiam de *S. Eugenia* addit. Noſtri vero codices, ea quæ ad *Eugeniam* pertinent, prætermiſere. Ea Acta in duobus codicibus Canonicorum Forojulienſium, prout & in vulgatis, ita habent: *Hic incipit paſſio ſanctorum martyrum Proti & Jacinthi, & ſanctæ Eugeniæ. Septimo conſulatu ſuo Commodus Imperator* &c. Idem eſt initium Actorum *S. Eugeniæ* in codice Reginæ Suecorum 523. pag 97., nimirum: *Septimo conſulatus ſui anno Commodus* &c. ut jam monuimus ad diem XXV. *Decembris*.

Codices noſtri hoc die addunt *Patientem* Epiſcopum *Lugdunenſem*, de quo ſilet quidem genuinus Uſuardus, & agunt tantummodo illius Auctario die XI. & XII. hujus. At non ſilent alia pervetuſta, nimirum Gellonenſe, Auguſtanum, Labbeanum, Fuldenſe, & Ottobonianum. A Roſvveido in Adonianam Appendicem detruditur, quod haud recte nobis videtur. De eo ejuſque geſtis Baronius in Notationibus hac die, & ad an. 475. num. XXX. & *ſeq.* & alii recentiores, qui de Lugdunenſibus Epiſcopis ſcripſere. Obiit c. A.D. 489. ſeu 491., ut Bailleto placet. *Patientis.*

C. PRIDIE IDUS SEPTEMBRIS. 12. *Sept.*

APUD Ticinum urbem, quæ & Papia dicitur, natale ſanctorum Syri & Eventii. Qui a beato Hermagora Aquilejenſi pontifice, diſcipulo ſancti Marci Evangeliſtæ, ad præfatam urbem directi, primi illic Chriſti Evangelium prædicantes, & magnis virtutibus ac miraculis coruſcantes, etiam vicinas urbes, Veronenſem ſcilicet, Bryxenam, & Laudenſem divinis operibus illuſtrarunt. Sicque in Pontificali honore, fundata & confirmata fide credentium populorum, glorioſo fine quieverunt in pace. *Syri & Eventii.*

VARIA LECTIO. Ed: *Apud Ticinum &c.* Cod. 511. 512. 514. *Apud urbem Ticinum, quæ & Papia dicitur, natalis ſanctorum confeſſorum Syri & Iventii, qui* &c. prout in editis. Cod. 512. poſt verbum *in pace* extremo loco addit: *Ipſo die, ſancti Reverentii confeſſoris.* *Reverentii.*

Syri & Eventii. ADNOTATIO. De *Syro* in *Pamphilia* agunt pridie Hieronymiana. Romanum parvum hoc die habet: *Ticini, confeſſoris Syri & Eventii, diſcipulorum Hermagoræ, Aquilejenſis primi Epiſcopi*. Rabanus ex Hieronymianis ſumpſit, & pro *Pamphilia* habet *Pamalia*. Ex hoc fonte accepiſſe Adonem putat Sollerius, ex quo Uſuardus, & Notkerus. Wandelbertus ita cecinit:

Martyr mox pridie celſus petit æthera Syrus.

Martyris titulus *Syro* datus, *Syro* Ticinenſi minime convenire videtur Sollerio. Martyrologium Fuldenſe bis de *Syro* agit, nimirum die XVII. *Maji* his verbis: *Papiæ, natalis ſancti Siri Epiſcopi & confeſſoris*. Iterum hac die XII. *Septembris*, una cum *Eventio*, ubi habet: *Apud urbem Papiam, natalis ſanctorum confeſſorum Syri, & Iventii, qui a beato Hermagora Aquilejenſi Epiſcopo, diſcipulo ſancti Marci Evangeliſtæ, ad præfatam urbem directi, primi illic Chriſti Evangelium prædicantes, & magnis virtutibus ac miraculis coruſcantes, glorioſo fine quieverunt in pace*. De his eorumque Actis conſulendus Baronius

in Notationibua hac die, Bollandus die VIII. *Pebruarii*, ubi de *Juventio*, Tillemontius tom. II. pag. 561. & Sollerius ad Usnardum, qui plura de his a Bollandianis suo loco tradenda inooit.

Reverentii. *Reverentius* ab ono ex nostria codicibus additua, deest apud veteres Hagiographos, sed habetur tantum in Usoardo Grevenii; & in Normannorum eivitate *Bojocensi* recolitur. De eo inter recentiores Martyrographos Sanssayus, Bailletoa, & Castellaooa hac die. Incertum est, quo tempore vixerit.

---

13. Sept. D. *IDIBUS SEPTEMBRIS.*

Philippi Episcopi. APUD Ægyptum, civitate Alexandria, natale beati Philippi Episcopi & martyris: qui Præfectus primum fuit, deinde baptismi gratia sanctificatus, Episcopii dignitatem, suffragium ferentibus Christianis populis, assequitur. Et sub Volusiano & Gallieno Imperatoribus, dirigitur Perennius Præfectus Alexandriam: cui imperatum est, ut Philippum occideret. Sed cum hoc implere non posset, quia omnis populus civitatis Philippo veluti quibusdam vinculis amoris videbatur adstrictus, immisit quosdam in ecclesiam, qui se fingerent Christianos. Quique ingredientes, percusserunt eum in oratione constitutum. Sepultus modo est in Nitria, basilica condigna Martyri supra corpus ejus fabricata. Sedit autem in Episcopatu anno uno, mensibus tribus. Passus est Idibus Septembris. *De eo in passione sanctæ Eugeniæ 25. Dec.*

Amati Ab. Item sancti Amati presbyteri, Abbatis monasterii S. Romerici: qui miræ abstinentiæ, & anachoreticæ vitæ sectator, virtutum & miraculorum gratia illustrem conversationem duxit.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Ægyptum* &c. Cod. 511. 512. & 514. *Apud Ægyptum, civitate Alexandria, beati Philippi Episcopi & mart. patris sanctæ Eugeniæ virginis, qui præfectus* &c. ut in editis. Ed. *Item sancti Amati* &c. Codices: *Eodem die, sancti Amati* &c. Post extremum verbum *duxit*, sequitur in *Maurilionis.* memoratis codicibus. *Andegavis, depositio sancti Maurilionis Episcopi & confessoris, qui & vitæ sanctitatis* (sic) *conspicuus extitit, & multis virtutibus floruit.*

Philippi. ADNOTATIO. De *Philippo S. Eugeniæ* patre, eoque Episcopo & martyre, primos, ot Sollerio videtur, meminit auctor Romani parvi hac die, & hia verbia: *In Alexandrio, Philippi Episcopi & martyris; qui primum Præfectus fuit*. Inde agit Ado, qui ex Actia apocryphia ejosdem *Eugeniæ Alexandrinum* Episcopum *Philippum* statuit: quem sane errorem Baronins in Notatinnibua hac die multis refellit, quum neque Eusebius, & alii, qui de Alexandrinia Episcopia egere, hunc Philippum inter Alexandrinos Episcopos referant; ac falsum esse contendit, qood in eisdem Actia legitor, *Philippum, Volusiano & Gallieno* imperantibua, martyrium sobiisse, sed potius *Septimio Severo & Antonino* cjus filio Augustia. Succioit Sollerioa to Usuardum hac die. Adonem imitati sunt Usuardua, & Notkerus, quibua adde Martyrologium Fuldense. Alii Hagiographi sileot, sed hac die de *Theodolo* in Alexandria Episcopo meminere. In Romano Martyrologio editionia anni 1583. in *Philippi* elogio legebatur, eum passum esse *tempore Galli, & Volusiani Imperatorum*, qoæ verba delenda esse monet Barooius in Notatiooibua MSS. ad oram

oram illius editionis, quæ in Bibliotheca Casanatensi asservatur. Ibi enim ita adnotavit: *Nisi hæc verba demantur, tota plane de eo historia corruit, multaque alia repugnant, ut hæc dici non possint.*

Amati. Ado primus, ut censet Sollerius, inter Hagiographos egit de *S. Amato* Abbate, quem ad apicem secuti sunt Usuardus, & Notkerus. *Amati* meminit Wandelbertus, cæteris silentibus. Illius Acta ad fidem codicum emendata edidit, & illustravit Mabillonius sæculo II. Benedictino pag. 129. *& seq.* Fuit primum monachus Agauni, S. Romaricum convertit, & Habendense, seu Romaricense monasterium instituit, denique ibi sancte obiit A. D. 627. die XIII. *Septembris*, ut censet idem Mabillonius, ubi supra, & in Annalibus S. Benedicti lib. XI. §. LXI.

Codices nostri addunt *Maurilionem* Episcopum *Andegavensem*, ut Adonianum a Mosandro agnitum, sed in Appendicem a Rosvveido rejectum. At de eo agunt Hieronymiana, Rabanus, Gellonense, Usuardus, Hagiologium Francogallicum, Richenoviense, Labbeanum, Fuldense, & Ottobonianum. Cur ergo Adonianus non erit? Floruit Christi sæculo V. & obiit c. A. D. 440. Vide de eo ejusque Acta, apud Mombritium, & Surium, item Baronium in Notationibus hac die. Vitam, auctore forte Fortunato, edidit Surius hac die. *Maurilionis.*

---

14. *Sept.* *E. XVIII. KALENDAS OCTOBRIS.*

Pontificale cap. 22. ROMÆ via Appia in cœmeterio Callisti, natale sancti Cornelii Episcopi: qui sub persecutione Decii cum presbyteris, & diaconibus Centumcellis exilio deputatur. Ad quem confortandum multi Christianorum veniebant. Quo tempore beatus *Cyprian. epist. 34.* Cyprianus scripsit ei de Celerino lectore, quanta pro fide, & confessione Christi sustinuerit. Decius Cæsar, audito quod multi ei scriberent, & de beato Cypriano, rogavit eum sibi exhiberi. Exhibitus Decio interroganti, cur a Cypriano contra Rempublicam litteras accepisset, respondit: Ego de corona Domini litteras accepi, non contra Rempublicam. Iratus Decius, jussit ut os ejus cum plumbatis cæderetur, deinde ad templum Martis, ut sacrificaret, duceretur. Quod si contempsisset, illic capite puniretur. Cumque duceretur, unus ex militibus nomine Cerealis rogare cœpit beatum Papam, ut visitaret uxorem ejus, quæ annis quinque paralytica jacebat. Ingressus autem domum ejus, tenuit manum Salustiæ, & erexit eam, dicens: In nomine Jesu Christi Nazareni surge, & sta super pedes tuos. Quæ protinus erexit se clamans, & dicens: Vere Christus est Dei filius. Et dixit beato Cornelio: Baptiza me, per Christum te conjuro; & currens implevit vas aqua, & attulit ei. Tunc miserunt se omnes milites ad pedes ejus orantes se baptizari. Quos ut baptizavit, obtulit pro eis sacrificium laudis, & participati sunt omnes corpore, & sanguine Domini nostri Jesu Christi. Audiens hæc Decius, mittens tenuit omnes eos, & jussit ut cum beato Cornelio ducerentur ad sacrificandum, & si nollent parere, capite plecterentur. Ducti autem foras muros portæ Appiæ, expuentes in templum, decollati sunt una cum beatissimo Papa *Cornelii Papæ.*

numero viginti unus. Sed & Cerealis cum uxore sua Salustia sub die XVIII. Kalendas Octobris. Eadem vero nocte venit beata Lucina cum clericis, & familia sua, & rapuit martyrum corpora, & sepelivit ea in agro suo in crypta, in cœmeterio Callisti. Hujus beatæ Lucinæ rogatu idem beatus Cornelius corpora Apostolorum de Catacumbis levavit noctu; & posuit, Pauli quidem via Ostiensi, ubi decollatus est, Petri autem juxta locum ubi crucifixus est, inter corpora sanctorum Episcoporum, in templo Apollinis, in monte aureo, in Vaticano Palatii Neroniani, III. Kalendas Julias.

Cypriani. Item apud Africam, natalis beati Cypriani Episcopi, Valeriano, & Gallieno Imperatoribus, Galerio Maximo proconsule. Qui agentibus, & elaborantibus gentilibus comprehensus est ex præcepto Aspasii Paterni consulis, & in exilium in civitate Corubitana missus est. Habitavitque ibi suspensa ad cælum mente, tantum ad calcandas passiones hujus temporis amore Christi animatus. Quò conveniebant ad eum plures egregii clarissimi ordinis, & sanguinis, sed & fæculari nobilitate gloriosi: qui propter amicitiam ejus antiquam, secessum subinde suaderent, & ne parum esset nuda suadela, etiam loca, in quæ secederet, ei offerebant. Post dies autem multos regressus de exilio habitabat in hortis suis. Et cum illic moraretur, venerunt ad eum principes duo ex officio consulis Galerii Maximi, qui Aspasio Paterno successerat, & levantes eum in curriculo, duxerunt ad proconsulem in locum Sexti, ubi pro reparanda sanitate degebat, collectusque ab adstatore officii, secessit in hospitium ejus in vicum Saturni. Convenit autem ad eum omnis populus fratrum. Quod cum comperisset beatissimus martyr, præcepit custodiri puellas, quæ advenerant audire verbum Dei, quoniam ante ostium manebant Principis ob amorem Martyris gloriosi. Altera die XVIII. Kalendas Octobris mane Galerius Maximus sanctum Cyprianum Episcopum offerri sibi præcepit in atrio secutiolo. Cui inter alia cum dixisset proconsul: Jusserunt te sacratissimi principes cærimoniari. Sanctus Cyprianus dixit: Non faciam. Maximus proconsul dixit: Consule tibi. Sanctus Cyprianus dixit: Fac quod tibi præceptum est: nam in re tam justa, nulla est consultatio. Maximus proconsul dixit: Diu sacrilega mente vixisti, & nefarios tuæ conspirationis homines aggregasti, inimicum te diis Romanis, & sacris religionibus constituisti, nec te pii Imperatores ac sectam cæremoniarum suarum evocare potuerunt: cum sis nequissimi criminis auctor, & signifer deprehensus, eris ipse documento cum his, quos

quos ſcelere tuo tecum aggregaſti, ſanguine tuo ſanctientur diſciplinæ. Et his dictis, decretum ex tabella recitavit: Taſcium Cyprianum gladio animadverti placet. S. Cyprianus hoc audiens dixit: Deo gratias ago. Et cum duceretur, populus fratrem plangens dicebat: Et nos cum eo decollemur. Et ita perductus glorioſus martyr poſt prætorium in agrum Sexti, exuit ſe lacerno birro, & complicans poſuit ad genua ſua, dehinc dalmaticam tunicam tulit, & diaconibus tradidit, & ſtans in linea, ſuſtinebat ſpiculatorem, cui & xxv. aureos dari præcepit. Fratres vero flentes, linteamina, & oraria ante eum ponebant, ne ſanctus cruor defluens abſorberetur a terra. Qui cum lacinias manuales ſibi ligare non potuiſſet, Julius presbyter, & Julianus ſubdiaconus ipſi ligaverunt. Ipſe autem ſibi manu propria oculos texit, & genua in terra poſuit, orationemque ad Dominum fudit, & ſic gladio percuſſus migravit. Corpus ejus propter gentilium curioſitatem in proximo collocatum eſt. Sed ne a gentilibus tolleretur, nocte adveniente ex eodem loco, ubi poſitum fuerat, ſublatum eſt. Et inde cum cereis; & * ſcolacibus, in area cujuſdam Candidi procuratoris, in via Mappalienſi juxta piſcinas cum magno triumpho ſepultum eſt.

* male vulgo ſcholaribus.

Poſt multa vero curricula annorum, glorioſiſſimo Carolo Francis imperante, contigit, legationem Francorum ferentibus, illuſtres ac ſapientia circumſpectos legatos tranſitum per Africam feciſſe. Hi cum Carthaginem dirutam, & loca venerabilia ſanctorum Martyrum revertentes a rege Perſarum Aaron, qui excepta India totum poene tenebat Orientem, vidiſſent, facile ſibi conciliato Principe, ac favorem in re tali præſtante, pro magno munere rogaverunt, ut oſſa B. Cypriani eis ferenda permitteret. Quod ille non magni ducens, continuo poſtulata conceſſit; utque pio Imperatori, cujus gratiam omnium, qui in toto terrarum orbe erant, Regum, ac Principum amicitiæ præponeret, ipſi ea ferrent, libenter aſſenſit. Cumque venerabiles legati ingentia dona, Martyrum ſcilicet reliquias ferentes (nam & beati Sperati martyris membra, qui unus fuit ex illis xii. præclariſſimis martyribus Scillitanis, caput etiam martyris glorioſi Pantaleonis ſecum cum beatis oſſibus Cypriani habebant) reverterentur, proſperis uſi velis, tandem pervenerunt Arelatum. Ubi ſacra Martyrum membra ſignata interim relinquentes, legationem ſuam glorioſo Imperatori renuntiare feſtinarunt, & ut animum Regis amplius ſibi de legatione ſtrenue perfecta conciliarent, inter alia de ſanctorum reliquiis ab Africa deportatis, ejus animos attollunt. Unde ille pluri-

plurimum lætus, eas tamdiu apud Arelaten digna veneratione reservari jussit, donec ipse magno aliquo opere in regno suo templum conderet, ubi tam pretiosum pignus ingenti cultu, & ornatu reponeret. Sed emergentibus causis, dum opus tardius construitur, occasionem nactus Leidradus venerabilis Lugdunensis Episcopus gloriosum Imperatorem rogavit, ad civitatem suam deferre beata ossa Martyrum ei liceret. Annuit Imperator. Sed & is dumocyus votum suum pius perficit: cum honore infra civitatem Lugduni deportata sunt, ibique in majori Ecclesia beati Joannis Baptistæ, ac sancti martyris Stephani aliquanto tempore custodita: & ad defensionem civium, Deo id misericorditer operante, & Imperatore jam votum suum de ædificatione templi in longe alia transferente, sanctus Episcopus beatissimas reliquias gloriosorum Martyrum in prædicta Ecclesia, post venerabile & sacrum altare decentissima sepultura recondidit, ac posteris civibus suis profuturas honorabiliter commendavit.

Sed post, interposito tempore, regnante glorioso Rege Carolo Ludovici Imperatoris filio, iterum reliquiæ beati Cypriani ad monasterium novum, quod idem Rex augusto opere construxit, in Compendio palatio suo, eo jubente translatæ sunt.

Referuntur autem cum beato Cypriano passi, Crescentianus, Victor, Rosula, & Generalis.

Exalt. S. Crucis. Eodem die, Exaltatio sanctæ Crucis, quæ ab Helena Constantini matre inventa, ita per medium est secta, ut & Crux Constantinopolim sit portata, & Crux Jerosolymis thecis argenteis sit reservata. Multorum itaque annorum labente curriculo, Phoca Romanis imperante, Persæ adversus Rempublicam, Chosdroe Rege, gravissima bella gerentes, multas Romanorum provincias, & ipsam Jerosolymam invadunt. Et destruentes Ecclesias, sancta quoque loca profanantes, inter ornamenta sacra, quæ abstulerunt, etiam vexillum Dominicæ Crucis abducunt. Fecerat namque Cosdroe Rex eorum turrim argenteam, in qua interlucentibus gemmis thronum extruxerat aureum, ibique Solis quadrigam & lunæ, vel stellarem imaginem collocaverat, atque per occultas fistulas aquæ meatus adduxerat, ut quasi Deus pluviam desuper viderentur infundere. Et cum subterraneo specu equis in circuitu trahentibus, circumacta turris fabricata moveri videbatur, quasi quodam modo rugitum tonitrui, juxta possibilitatem artificis mentiebatur. In hoc itaque loco sedem sibi paraverat, atque juxta eam, quasi collega Dei, sibi Crucem Dominicam posuit, filioque suo Regno tradito,

dito, ipse in fano hujuscemodi residebat. Mortuo vero Phoca, Heraclius Imperator creatur, vir strenuus, & armis exercitatus. Qui adversus Persas bellum aggressus, occiso Chosdroe, quem in turre jam dicta sedentem invenit, Persas in deditionem recepit: lignumque gloriosissimæ Crucis exinde repedans secum tulit, & Jerosolymam, unde sublatum fuerat, cum magna veneratione restituit. Et renovante Deo antiqua miracula, inter alia mira, quæ tunc cælitus ostensa fuerunt, die eodem mortuus unus recepit vitam, paralytici quatuor sanati sunt, leprosi decem mundati; cæci quindecim illuminati, plurimi quoque a dæmonio erepti, multique a variis infirmitatibus liberati. Offerens igitur Imperator Ecclesiis Dei multa donaria, ex regiis sumptibus eas reparari fecit. Simul & decreto statuit, omnibus Episcopis id assentientibus, ut dies relationis & exaltationis sanctæ ac venerabilis Dominicæ Crucis, in omni Imperio suo ab omnibus fidelibus populis per singulos annos solemniter ageretur. Sed & procurrentibus annis, Leone Romanis imperante, apud urbem Romam, Papa Sergius in sacrario B. Petri Apostoli capsam argenteam, quæ in angulo obscurissimo diutissime jacuerat, & in ea Crucem diversis ac pretiosis lapidibus adornatam, Domino revelante, reperit. De qua tractis quatuor petalis, quibus gemmæ inclusæ erant, miræ magnitudinis portionem ligni salutiferi Dominicæ Crucis interius repositam inspexit. Quæ ex tempore illo omnibus annis in basilica Salvatoris, quæ appellatur Constantiniana, die exaltationis ejus ab omni osculatur, & adoratur populo.

VARIA LECTIO. Ed. *Item apud Africam &c.* cod. 511. 512. 514. *Apud Africam beati Cypriani Episcopi &c. usque commendavit*. Verba: *sed post interposito tempore*, usque *translatæ sunt*, desunt in his codicibus: cætera de *exaltatione S. Crucis*, cum editis conveniunt.

Cornelii, & Cypriani.

ADNOTATIO. *Cornelii* Romani Pontificis, & *Cypriani Carthaginensis* Episcopi, natalis hac die in tabulis omnibus Latinorum celeberrimus est. Kalendarium Bucherianum hac die ita habet: *Cypriani, Africæ, Romæ celebratur in Callisti*. *Cornelium* omittit, quod mirum certe videatur, si alios omnes Hagiographos de eo agentes spectemus. Kalendarium Carthaginense hac die: *Sancti Cypriani Episcopi Carthagin.* Hieronymiana hac die: *Romæ in cœmeterio, via Appia, natalis Cornelii Episcopi, & Saturi*. Mox: *In Africa, civitate Carthagine, natalis S. Cypriani Episcopi*. Agit Beda genuinus. Romanum parvum: *Romæ, Cornelii Episcopi, & martyris, & aliorum* XXI. *& Cerealis, & Salustiæ. Carthagine, Cypriani Episcopi & martyris*. Agunt præterea de *Cornelio* & *Cypriano* hac die Gellonense, Rabanus, Ado, Usuardus, Wandelbertus, Notkerus, Rhinoviense, Richenuviense, Augustanum, Labbeanum, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. Vat. 3806. & cæteri omnes Latinorum. In Libris etiam Liturgicis S. R. E. vetustissimis, ut in codice Gelasiano pag. 172. Missa hac die habetur in nata-

natali sanctorum Cornelii & Cypriani. Prima oratio est: *Beatorum martyrum pariterque Pontificum Cornelii & Cypriani*. Secreta: *Plebis tuæ*. Post com: *Sacro munere vegetatos*. Eadem hac die Missa habetur in Sacramentariis Gregorianis omnibus vetustissimis, licet in eorum quibusdam orationes immutatæ sint, ut in Palat. Vat. 495. ubi prima oratio est: *Infirmitatem nostram, quæsumus, Domine, propitius respice: & mala omnia, quæ juste meremur, sanctorum tuorum intercessione averte*. Super oblatâ: *Adesto, Domine*. Ad com: *Quæsumus, Domine*. Duæ Missæ in natali *sanctorum Cornelii & Cypriani* hac die statuuntur in Sacramentario a Blanchino edito. Inter Præfationes Sacramentarii Reginæ Suecorum 337. habetur Præfatio in *natali sanctorum Cornelii & Cypriani*, ac item alia *in festivitate sancti Cypriani*, quas nos adidimus tom. III. de Liturgia Rom.Pont.pag.313. Præfatio propria de sanctis *Cornelio & Cypriano* habetur etiam in aliis Sacramentariis. Capitularia quoque Evangeliorum vetustissima eodem tom. III. de Liturgia Rom.Pont. pag. 480. Evangelium designant in *natali sancti Cornelii Pontificis & Cypriani*. Lectionarius liber Epistolarum veterrimus ad usum Ecclesiæ Mediolanensis Epistolam in natali *sancti Cypriani* legendam præscribit. Missale Gothicum num. LXI. Missam habet *in natali sanctorum martyrum Cornelii, & Cypriani*, ad quem locum adnotat Mabillonius, tam celebre olim fuisse apud quosdam *sancti Cypriani* festum, ut Dominicæ inde ab ejus festo subsequentes usque ad *Adventum*, Dominicæ post *sancti Cypriani* natalem inscriberentur, ut videre potes ex Capitularibus Frontoniano, & aliis a nobis editis. *Sanctus Cornelius*, Centumcellis exul martyrium consummavit A. D. 255. die XIV. *Septembris*, Baronii judicio ad eum annum num. LVIII. Pagii vero sententia in Critica ad an. 252. num. XIII. XIV. passus est A. D. 252. die IV. *Septembris*, ut ibi Papebrochii conjecturas refellit, qui *Cornelii* martyrium die V. *Septembris* statuit; illius vero translationem Romam confert in diem XIV. *Septembris*, quæ celebrior postea fuit. Paullo post martyrium translatum fuisse *sancti Cornelii* corpus Romam recentiores omnes tradunt. Vide quæ de Hieronymi loco in Catalogo de Scriptoribus Eccles. cap. LXVII. ubi eadem die *Cornelius Romæ*, qua *Cyprianus Carthagine* passus dicitur, deque illius martyrio habent Tillemontius tom. III. pag. 170. & tom. IV. pag. 180., Pagius in Critica ad annum 252. num. XIII. & Florentinius in Notis pag.828.& 830. ac alii recentiores, inter quos Ruinartius in Acta martyrum pag. LIII. 193. *& seq.* Circumferuntur *Cornelii* Papæ Acta, quæ ex parte a Baronio producuntur ad annum 255. num. LIX. *& seq.* eaque expendit, & ad trutinam revocat. Ibi num. LXI. de templo Martis, & Telludis, seu Telluris, de quo in eisdem Actis. In duobus codicibus Canonicorum Forojuliensium hæc Acta initio ita habent: *Incipit passio sancti Cornelii Papæ & martyris: Temporibus Decii Cæsaris maxima persecutio est orta Christianis &c.* In fine: *Ea autem die decollati sunt una cum beatissimo Papa Cornelio viri promiscui sexus numero viginti & unus: sed & Cerealis cum uxore sua Sallustia, sub die vicesima* (pro octodecimo) *Kalendas Decembris* (apud Baronium Octobris). *Eadem vero nocte venerunt & clerici & beata Lucina, & rapuerunt corpora sanctorum martyrum, qui sepelierunt in agro suo in crypta juxta cœmeterium Colisti: ubi usque hodie florent orationes eorum ad laudem & gloriam Domini nostri Jesu Christi*. Eadem propemodum habent ad extremum Acta apud Baronium. Horum Actorum ejusmodi exemplum habetur in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 222. Sed hæc Acta apocrypha esse censent viri eruditi. Occurrit etiam in veteribus codicibus passio *SS. Cornelii & Cypriani*, quæ alicubi *Hilduinum* Lotharii Archicancellarium auctorem præfert, ut monet Ruinartius pag. 193. Insignis olim fuit prope Callisti cœmeterium via Appia, memoria; nam *sanctus Leo* M. basilicam *Cornelii* nomine ibi extruxit, ut habet liber Pontificalis in vita ejusdem Leonis: de qua quidem Ecclesia descriptio veterrima apud Mabillonium tom. IV. Analect. pag. 503. 513. De corpore *sancti Cornelii*, via Appia in cœmeterio Callisti ita habet Notitia apud Eccardum: *Inde haud procul in cœmeterio Callisti, Cornelius, & Cyprianus in Ecclesia dormiunt*. Notitia apud Willelmum Malmesburiensem: *Undecima porta & via dicitur Appia: ibidem Ecclesia sancti Cornelii, & corpus*. Hactenus de Cornelio, ejusque Actis, & cultu. Quod vero ad Acta proconsularia, vulgata, & gesta sancti Cypriani attinet, deque Patrum de eo elogiis, egregie post Baronium Ruinartius pag.193. *& seq.* cui adde Tillemontium tom. IV. pag. 85. *& seq.* Consule etiam quæ de libello Pontii Diaconi de vita sancti Cypriani habet Henschenius ad diem VIII. *Martii*, ut recentiores operum sancti Cypriani editores omittamus. Vulgata Cypriani Acta, quæ in variis Cypriani editionibus occurrunt, & a Baronio ad an. 261. num. XXV. *& seq.* producuntur, nos etiam offendimus in duobus codicibus Canonicorum Forojuliensium, & in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 223. Ea incipiunt: *Fusco* (pro *Tusco*) *& Basso coss. Carthaginis secretario*, usque, *& illic in Appalia* (pro *Mappalia*) *positum est in pace, cum voto & triumpho magno*. *Tusco, & Basso coss.* hoc est A. D. 258. passum fuisse Cyprianum, & quidem die XIV. *Septembris* testantur Fasti Cuspinianei. Sed præter vitam Cypriani a Pontio Diacono conscriptam, habentur etiam Acta Proconsularia, quæ una cum eadem vita edita, & illustrata sunt a Ruinartio pag. 203. *& seq.*

Cy-

Cypriani translat. *Cypriani* reliquiæ, vastata a barbaris Africa, quum inculto loco jacerent, tandem a legatis Caroli M. dono Aaronis Persarum regis in Gallias, ut Ado noster in Chronico, & in Martyrologio hac die, una cum aliorum martyrum reliquiis, Arelatum primum delatæ, deinde Lugdunum, & in Ecclesia *S. Joannis Baptistæ* collocatæ sunt. Quod vero in vulgato Adone de Cypriani reliquiis in Compendiense monasterium, Carolo Calvo imperante, translatis subjicitur, id a codicibus nostris abest, quia ea verba genuini Adonis esse non possunt, ut ante alios Pamelius animadvertit. De eadem *Cypriani* translatione Lugdunum testis est etiam Agobardus Lugdunensis Episcopus, qui *Leidrado* successit, obiitque an. 840. Is enim narrationem de hac translatione versibus complexus est, quorum partem recitat Baronius ad an. 806. n. XXXII. & habes inter Agobardi Opera, a Baluzio edita tom. II. p. 120. Florus etiam Lugdunensis Ecclesiæ diaconus conditorium, ubi Lugduni S. *Cypriani*, & aliorum ex Africa delatorum martyrum reliquiæ asservabantur, aliquot versibus descripsit, quos edidit Mabillonius Analect. tom. I. pag. 407. At quo anno hæc *Cypriani* ex Africa *Lugdunum* translatio contigerit, nondum inter eruditos convenit. Baronius ad an. 806. num. XXXII. hoc anno 806. ex Adonis Chronico factam fuisse censet, ex quo refelli Sigebertum scribit, qui eam statuit ad an. 802. Quo quidem an. 806. acceptas fuisse narrat a legatis Venetorum, qui Carolum M. adierant, Cypriani reliquias, & ab eis Venetias relatas, ubi in Murano nobilis erecta fuit S. *Cypriani* memoria. Baronii sententiæ de Cypriani translatione subscribit Pagius in Critica ad an. 806. num. XVI. Cointius ad an. 807. num. VI. hanc translationem ad annum 807. refert. Baluzius in notis ad Agobardum tomo II. Oper. pag. 146. in ea sententia esse videtur, ut hæc translatio A. D. 802. facta fuerit. Sed quum ab Eginhardo in Annalibus ad an. 806. reditus legatorum Caroli M. in Gallias referatur, rectius hæc etiam translatio huic anno alligatur. Exinde huc illuc *Cypriani* reliquiæ delatæ leguntur, nimirum *Rothnacum*, *Wormatiam*, & *Compendium*. De reliquiis Cypriani *Rothnacum* delatis Pamelius in ejusdem Cypriani vita. Apographum Bedæ Palat. Vat. 833. ad diem XVII. *Maji* hæc adnotat: *Pervenit S. Cyprianus martyr ad sanctum Petrum Apostolum ad suam requiem in Wangionem civitatem, sub tempore Samuelis gratia Dei Episcopi*. Ex his verbis intelligimus, reliquias Cypriani in basilicam B. *Petri* in urbe *Wormatia*, alias *Wangionum* delatas fuisse, Samuele Episcopo Wormatiensi, qui ex Abbate Laureshamensi factus est Episcopus Wormatiensis A. D. 838. & obiit A. D. 855. VII. *Idus Februarii*. Vide de eo Mabillonium Annal. Bened. lib. XXXII. §. III. ad an. 838. & lib. XXXIV. §. C. & CI. ad an. 855. De S. *Cornelii Papæ*, & *Cypriani* reliquiis in Compendiense Monasterium translatis idem Mabillonius in eisdem Annalibus lib. XXXVII. §. XCIII. XCIV. ad an. 877.

Exaltationis sanctæ Crucis celebritas recolitur hac die in tabulis omnibus Latinorum, nimirum de ea agunt apographa Hieronymiana, (silente tamen apographo Epternacensi) Beda, Gellonense, Romanum parvum, Rabanus, Ado noster fuse, ex quo contracte Usuardus, & Notkerus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. ac reliqui recentiorum. Nonnulla ex his Hagiologia extremo loco agunt. In libris quoque Liturgicis veterrimis Missa hac die *in Exaltatione sanctæ Crucis* primo loco ante Missam SS. *Cornelii* & *Cypriani* habetur in Gelasiano pag. 171. ubi prima oratio est: *Deus, qui nos hodierna die Exaltatione sanctæ Crucis*: Secreta: *Devotas, Domine*. Post com: *Adesto familiæ tuæ*. In Gregorianis etiam vetustioribus post Missam SS. *Cornelii & Cypriani*, alia in *Exaltatione S. Crucis* statuitur; sed orationes in iis eædem non sunt; nam in Gregoriano Reginæ Suecorum 337. prima oratio est: *Deus, qui unigeniti* &c. In Sacramentario Palat. Vat. 495. prima oratio hæc est: *Deus, qui nos hodierna die* &c. Secreta: *Jesu Christi Domini nostri corpore* &c. Ad com: *Præsta*. Capitularia quoque Evangeliorum hac die Evangelium in *Exaltatione S. Crucis* præscribunt. De hujus celebritatis origine apud Occidentales disquiritur a recentioribus. Hos inter princeps Baronius in Notationibus hac die censet, a Græcis longe ante Heraclii tempora sanctæ Crucis celebritatem peractam fuisse, quando Constantino imperante, crux apparuit, non quando per Heraclium, devicto Cosrhoe, restituta est. Latinos quoque ante Heraclii tempora *Exaltationis S. Crucis* diem coluisse putat, ex Sacramentario Gregoriano. In eandem sententiam descendit Pagius in Critica ad an. 626. n. V. & ad an. 628. num. III. Jam dudum quoque Florentinius in Baronii sententiam propendet, ac nuperrime Eminentissimus Lambertinus, nunc BENEDICTUS IV. PONT. MAX. in Opere de festis Domini nostri Jesu Christi P. I. §. CCCVIII. & *seq.* ubi plures ex recentioribus laudat. Quod autem antiquitus multo ante *Heraclii* tempora, & post ipsum *Constantini* ævum celebritatem S. *Crucis* coluerint, patet ex S. Jo: Chrysostomo Homil. II. tom. I. ubi martyrium sanctarum Domninæ, Bernices, & Prosdocea describit. Ibi enim ita habet: *Nondum elapsi sunt dies viginti, ex quo* MEMORIAM CRUCIS *celebravimus, & ecce martyrum memoriam celebramus*. Mox: *Nondum viginti elapsi sunt dies, & subito* LIGNUM CRUCIS *præclara germina martyrum germinavit*. Hæ martyres passæ sunt die IV. *Octobris*, quum ergo ante dies circi-

Exaltat. S. Cruc.

ter *viginti* Crucis memoriam celebratam fuisse Chrysostomus scribat, diem XVI. *Septembris*, quo ævo suo Crucis celebritas agebatur, aperte designat. Quod vero ad Latinos attinet, perspicua res est ex Gelasiano Sacramentario, in quo & *Inventio S. Crucis* die III. *Maii*, & ejusdem *S. Crucis Exaltatio* die XIV. *Septembris* sacrorum celebratione insignitur. In hunc venerandæ vetustatis codicem, si Baronius incidisset, triumphasse puto. Romæ *Hilarus* Papa Oratorium *sanctæ Crucis* in baptisterio basilicæ Constantinianæ fecit, ut prætеream basilicam *S. Crucis*, quæ in Hierusalem dicta est, studio Helenæ Augustæ in eadem urbe Roma excitatam. Adde quæ de ligno Crucis Dominicæ in vita *Sergii* Papæ habet liber Pontificalis, & Ado noster hac die. Siquid tamen conjectura licet, non ubique gentium illis temporibus, & etiam usque ad sæculum IX. utramque celebritatem solemni cultu Liturgico receptam fuisse arbitror. Ritu Gallicano, ut ad diem III. *Maji* monuimus, *Inventio sanctæ Crucis* agebatur, quæ in vetustioribus Gregorianis libris Liturgicis præteritur. In Ecclesia quoque Mediolanensi nulla de utraque celebritate mentio, ut patet ex Lectionario Epistolarum ad usum Ecclesiæ Mediolanensis, & ex libro Gradali S. Gregorii Modoetiensi veterrimis. In Galliis sæculo Christi IX. utraque celebritas jam obtinuerat, ut constat ex Sacramentario Menardi, & ex Capitulari Walterii Aurelianensis c. A.D. 871. editi, ubi cap. XVIII. inter festos dies utraque celebritas *Inventionis*, & *Exaltationis* salutiferæ crucis recensetur.

Demum, ut de encomiis veterum Græcorum & Latinorum in Exaltationem S. Crucis aliquid ad extremum innuamus, multa congessit Combefisius tom. VIII. pag. 125. *& seq.* Bibliothecæ concionatoriæ, ex quo & aliis Fabricius Bibliothecæ Græcæ tom. IX. pag. 92. 93. In codicibus quoque, in quibus Acta sanctorum descripta sunt, narrationes, seu sermones habentur: *In Exaltatione sanctæ Crucis*. Harum exordium in duobus codicibus Canonicorum Forojuliensium est: *Tempore illo, postquam Constantino Augusto properanti contra Maxentium ad bellum signum sanctæ Crucis cælitus fuisset ostensum* &c. usque *donante Domino*. Eadem leguntur in codice Reginæ Suecorum 523. p. 157. ubi paullo ante pag. 155. legitur sermo alius in *Apparitione S. Crucis*, cujus exordium est: *Tempore illo, cum religiosissimus Imperator Constantinus Constantii moderatissimi & egregii Principis filius adversus Maxentium urbis Romæ tyrannum bellum pararet* &c. usque *restituit*. Licet apocrypha sint quæ in his narrationibus leguntur, quas involutas ambagibus esse monet Baronius hac die, & præsertim designat illam, quæ incipit: *Tempore illo, quo* &c. auctore quodam Nicephoro Episcopo; apparet nihilominus, Acta, quæ in divinis celebrandis officiis legebantur, non ad Heraclii tempus, quo Crux Dominica recepta est de Persis, sed ad Constantini tempora, quando vivifica Crux ei apparuit, respexisse. De hujusmodi narrationibus vide adnotata ad diem III. *Maji*.

---

15. Sept. *F. XVII. KALENDAS OCTOBRIS.*

Nicomedis NATALE sancti Nicomedis martyris. Quem Flaccus Comes, cum ad eum perlatum fuisset, quod corpus sanctæ virginis Feliculæ, quam ipse pro Christo punierat, sepelierat, fecit teneri, & duci ad sacrificandum. Qui cum diceret: Ego non sacrifico, nisi Deo omnipotenti, qui regnat in cælis, non his excisis lapidibus, qui in templis quasi in carceribus clausi custodiuntur: plumbatis diutissime cæsus, migravit ad Dominum. Corpus ejus in Tiberim præcipitatum est. Quod a clerico ipsius nomine, & opere Justo collectum, perductumque ad hortiecellum suum, sepultum est juxta muros via Numentana. (De hoc in vita sanctor. Nerei & Achillei 12. Maii.)

(De eo in vita sancti Marcelli 4. Sept.) Eodem die in territorio Cabilonensium, castro Trenortio, natale sancti Valeriani martyris, qui unus fuit ex numero sanctorum quinquaginta, qui temporibus Antonini Veri Lugduni, in carcerem trusi fuerant, quique cum B. Marcello, patefactis custodiæ, qua detinebantur, divinitus claustris, aufugit. Cumque ad præfatum castrum pervenisset, & Domini Jesu Christi *Valeriani.*

sti

sti nomen prædicans plurimos, ipso inspirante, ad ejus fidem convertisset, revertenti ab urbe Cabilonensium, ubi Priscus B. Marcellum martyrem necaverat pro Christi nomine, Præsidi Prisco delatus est. Quem ille suis faciens conspectibus præsentari, primum minis, & terroribus frangere conatus est: deinde suspensum, & gravi ungularum laceratione cruciatum, cum in Christi confessione videret immobilem, ac læto animo in ejus laudibus permanentem, protinus in eo loco, ubi nunc sacrum ipsius corpus debita veneratione excolitur, gladio animadverti fecit.

Eodem die, depositio beatissimi Apri Tullensis Episcopi, *Apri.* & confessoris.

VARIA LECTIO. Ed. *Natale sancti Nicomedis &c.* Cod. 511. 512. 514. *Romæ, natalis sancti Nichomedis presbyteri, & martyris, quem &c.* Ed: *in territorio Cabilonensium &c.* Cod. *In territorio Cavilonense castro Trenortio &c.* Ed. *Apri Tullensis &c.* Codices: *Tullo, natalis sancti Apri Episcopi, & confessoris, cujus mortem in conspectu Domini crebra testantur miracula.*

Nicomedis. ADNOTATIO. Bis apud Adonem, & in veteribus tabulis de S. *Nicomedis* presbyteri & martyris memoria agitur, nimirum die 1. *Junii*, cum dedicatio Basilicæ ejusdem martyris, & hac die, qua ejus natalis celebratur. Vide quæ ad diem 1. *Junii* adnotavimus. Hac vero die *Nicomedem* recolunt Hieronymiana, Beda genuinus, Gellonense, Romanum parvum, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Kalendarium Palat. Vatic. 485. & Vat. 3806. In libris quoque Liturgicis Gregoriani ritus vetustioribus, nimirum in Sacramentariis, & Capitularibus Evangeliorum omnibus natalis S. *Nicomedis* hac die colitur. Basilicam extra mœnia via Numentana antiquitus celebrem, ut diximus, ob ejus dedicationem habuit, de qua etiam, & Nicomedis cœmeterio non semel liber Pontificalis, ut monent Baronius, & Fronto in Notationibus hac die. Descriptio veterrima apud Mabillonium Analect. tom. IV. pag. 507. habet: *In via Numentana foris murum, in sinistra S. Agnes; in dextra sancti Nicomedis.* Notitia apud Eccardum: *Juxta viam Numentanam est S. Nicomedes; & juxta eandem viam basilica sanctæ Agnes.* Alia Notitia apud Malmesburiensem: *Quinta porta Numentana: ibi sanctus Nicomedes presbyter & martyr: itemque via eadem modo dicitur.* Adonis de eo elogium sumptum est ex Actis sanctorum Nerei & Achillei.

Valeriani. *Valerianus* martyr, qui furente Lugduni persecutione A. D. 178. qua Lugdunenses martyres *Epipodius*, & *Alexander* interfecti sunt, Lugduno elapsus, apud *Trinorchium* castrum, vulgo *Tournus*, agri Cabilonensis se recipiens, ibi martyrium subiit; colitur hac die a Hieronymianis, a Beda licet confuse, Gellonensi, Rabano, Adone, Usuardo, Notkero, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Francogallico, Richenoviensi, Augustano, & Labbeano. De eo Gregorius Turonensis lib. I. de glor. mart. cap. LIII. LIV. *Trenorchium* castrum in pago Cabilonensi, & Abbatia S. Valeriani apud fluvium *Sagonam*, seu *Ararim*, ubi corpus ejusdem S. *Valeriani* requiescit, memoratur in diplomate Caroli regis, dato XIV. *Kalendas Aprilis, Indictione* VIII., *anno* regni XXXV. hoc est A.D. 875. ut est apud Mabillonium Annal. Bened. l. XXXVII. §. LXI. Plura de eodem monasterio in eisdem Annalibus, & Petrus Franciscus Chiffletius in Historia ejusdem monasterii.

Apri. *Aper*, vulgo *Evre*, Episcopus *Tullensis* memoratur hac die a Beda, Rabano, Gellonensi, Adone, Usuardo, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Francogallico, Augustano, & Labbeano. Utrum hic *Aper* sit ille quocum litterarum commercium, & necessitudo cum S. Paulino Nolano intercessit, nos amandat Sollerius ad novam Paulini Operum editionem Parisiensem anni 1685. Dissertatione V. Primus est inter Episcopos Tullenses.

16. Sept. G. XVI. KALENDAS OCTOBRIS.

Euphemiæ. NATALE sanctæ Euphemiæ virginis, quæ martyrizata est sub Diocletiano Imperatore, proconsule autem Prisco, in civitate Chalcedona. Quæ, deferente iniquissimo Apelliano, cum aliis quadragintanovem, tradita est proconsuli Prisco. Cui Priscus dixit: Honora teipsam, & generis tui dignitatem ne amittas, & immola Deo Marti. Beata Euphemia ejus iniquam suasionem contemnens, pectus suum signaculo Crucis muniens, imperterrita stetit. Priscus iratus, ut eam superare posset, post tormenta, & carceres, etiam verbera, & argumenta rotarum, ignes & pondera lapidum angularium, bestias & plagas virgarum, secures & sartagines igneas ei adhibuit: ad ultimum in theatrum duci, & leones ac bestias ei laxari jussit. Tunc beata Virgo fundens orationem ad Dominum, dixit: Tu Domine notus omnibus, qui te invocant fide pura, & integra, suscipe Genes. 22. animam ancillæ tuæ. Et sicut suscepisti sacrificium patris nostri Abrahæ, ita suscipere digneris sacrificium humilitatis meæ, quod tibi ob confessionem laudis tuæ immolatur. Tunc una solummodo de bestiis accurrens, morsum sancto corpori ejus infixit: & immaculatum spiritum virgo Domino reddidit. Veniens autem mater ejus Thedora, & Philosophron pater ejus, curatum corpus ipsius sepelierunt, quasi mille passus a civitate Chalcedona. Completum est autem martyrium ejus, decimosexto die mensis Septembris.

Luciæ & Geminiani. Eodem die, Romæ, natalis sanctorum Luciæ, & Geminiani, Imperatore Diocletiano, judicibus Aposrasio, & Megasio. Manserat beata Lucia in viduitate annos triginta sex. Totius autem vitæ ejus fuerunt anni septuagintaquinque. Quæ accusata a filio Euprepio, quod Christiana esset, jussit eam Diocletianus sibi adduci, & dixit ei: Audio, quia reum illum Crucifixum confiteris, & deos nostros derides. Nunc ergo si parata es vivere, parati sunt dii omnipotentes, ut eis offeras thura, ut possint tibi esse propitii, & vivas. Sancta Lucia respondit: Nec sibi sunt propitii, nec cultoribus suis. Nam mihi propitiabitur Dominus meus Jesus Christus, pro cujus amore parata sum ignem, vincula, & quas volueris pœnas sufferre. Audiens Diocletianus constantiam fidei ejus, jussit eam trahi ad carcerem, ubi consolationem divinam promeruit. Reducta autem iterum ante Diocletianum sedentem pro tribunali, extensa est gloriosa femina, & fustibus diutissime verberata. Et ecce terræmotus subito factus est, & templum Jovis ita subrutum, ut nec lapis super.

ſuper lapidem ædificii remanſerit. Diocletianus autem ollam æream adduci fecit, eamque pice & plumbo juſſit impleri, & in circuitu ligna aggregari, & ſuccendi, ſanctamque Luciam infra ollam demergi: ubi ſancta Dei pſallens, triduo vixit. Mittens vero Diocletianus, qui renuntiaret ei, ſi tota jam in cineres eſſet reſoluta, is, qui miſſus fuerat, intimavit rediens Imperatori, quod abſque ulla læſione ſana viveret Tunc impius tanto miraculo nullo modo ad credendum Chriſto incitatus, juſſit, ut onerata ferro, & plumbo, per civitatis plateas duceretur. Pervenit autem ante domum hominis præpotentis, nomine Geminiani, in cujus domum dæmonum innumera ſimulacra erant. Dumque ſancta Lucia domum ipſam pertranſiſſet, ſubito columba alba velut nix deſcendit de cælo, & ſuper caput Geminiani, tertio figurans Crucem, reſedit. Geminianus reſpiciens, vidit ſibi patere cœlum, & ſtatim arripiens curſum, pervenit ad locum, ubi jam ſancta Dei torquebatur. Et proſternens ſe pedibus ejus, cœpit narrare, quod viderat, & Baptiſmi lavacrum expetere. Reducta eſt igitur beata Lucia in carcerem. Erat vero quidam ſacerdos Protaſius nomine, cui nocte apparens Angelus Domini, monuit, ut iret ad carcerem, & Geminianum, qui fontem ſalutis requirebat, baptizaret. Qui cum evigilaſſet, feſtinatus abiit, & beatum virum aqua ſalutari lavit. Poſt diem tertium exhibita eſt S. Lucia Diocletiano, & cum ipſa Geminianus, de quo jam Imperator audierat. Quos ille pœnis graviſſime afflictos, diuque tortos, tradidit cuidam perverſiſſimo Judici, ut quod deerat pœnarum, ipſe ſuppleret. Qui primo juſſit cervices eorum fuſtibus contundi, & mox terræmotu facto, camera domus judiciariæ cecidit, & Judicem impium oppreſſit. Deinde ſancti martyres exhibiti ſunt Apoſraſio, ſub quo & ſeptuagintaquinque martyrium implevere, qui viſis, miraculis, quæ circa ſanctos ſuos Dominus operabatur, crediderant. Hic Judex impiiſſimus, poſt ſanctorum horum martyrum necem, a diabolo equum ejus incitante, de lapideo ponte præcipitatus in flumen eſt. Corpus ejus poſtea nullo loco repertum. Deinde beata Lucia, & ſanctus Geminianus, a Megaſio viro conſulari arctati, poſt laudabilem victoriam, martyrii gladio animadverſi ſunt ſub die ſexto decimo Kalend. Octobris. Quorum corpora rapuit quædam mulier Chriſtiana, nomine Maxima, &, ut decuit, Martyres ſepelivit.

Euphemiæ. ADNOTATIO. Adoniani codices noſtri de S. *Euphemia* virgine & martyre agunt die XIII. *Aprilis*, quemadmodum & alia vetera monumenta, ut ad eam diem oſtendimus. Agunt iterum apographa noſtra Adoniana hac die XVI. *Septembris*, qua etiam die

die rursus agnnt Hieronymians, Gellonense, Rabanus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Rhinoviense (licet *Eugeniæ* pro *Euphemiæ* legat), Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Kalendarium Palat. Vatic. 485., & Vat. 3806. Eam hac die tantum commemorat Beda genuinus, & veterrimum Kalendarium Carthaginense. Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum *Euphemiam* hac die *Romæ* recolunt, quia eam cum *Lucia* & *Geminiano* commiscent, die vero XIII. *Aprilis Euphemiam* in civitate *Chalcedoniæ* celebrant. Richenoviense prætcrea, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense brevius de *Euphemia* agunt die XVII. *Augusti*. *Romæ* etiam hujus virginis celebritatem innuit apographum Epternacense, quod Romano ritu solemnis hujus virginis dicata dies Romæ esset. Ritu Gelasiano Missarum solemnia de *Euphemia* die XIII. *Aprilis*, ut ea die diximus; agebantur. Ritu vero Gregoriano colitur hac die in Sacramentariis omnibus Gregorianis vetustioribus, ut in Reginæ Suecorum 337., Ottoboniano, Pamelii, Blanchini, Menardi, Angeli Roechæ, Palat. Vatic. 495. & aliis. Ubi duæ hac die Missæ statuuntur, altera in *natali* S. *Euphemiæ*, altera in *natali sanctorum Luciæ & Geminiani*. In Capitularibus quoque Evangeliorum tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 280. Evangelium præfigitur *in natali sanctarum Luciæ, & Euphemiæ*. In Ecclesia quoque Mediolanensi solemnia hac die in sanctæ *Euphemiæ* natali agebantur, ut ex Lectionario libro veterrimo discimus. Apud Græcos quoque, ut ad diem XIII. *Aprilis* adnotavimus, bis de *Euphemia* agitur, scilicet die XIII. *Aprilis*, & hac die XVI. *Septembris*. Post Baronium in Notationibus hac die, qui egregia Patrum & aliorum de Euphemiæ laudibus testimonia protulit, adeundus est Ruinartius pag. 541. *& seq.* ubi S. Asterii Amaseni Episcopi de Euphemia elogium illustrat, ac plura de illius cultu, Ecclesiis *Romæ*, atque *Constantinopoli*, & reliquiis commemorat. Confer etiam Tillemontium tom. V. pag. 405. *& seq.* Forte die III. *Julii* aliquod *Euphemiæ* celebritas Constantinopoli agebatur; nam ea die Martyrologium Ottobonianum habet: *Constantinopoli Euphemiæ*. Meminit etiam *Effemiæ* ea die Augustanum; Labbeanum vero *Euphemiæ*. Agit insuper ea die de *Euphemia* martyre *Constantinopoli*, una cum aliis, Martyrologium Reginæ Suecorum. *Romæ* quoque antiquitus fuit Ecclesia in honorem S. *Euphemiæ* extructa, ut elicitur ex Gregorio Turonensi lib. X. Historiarum cap. I. De illius basilica *via Appia* posita, a *Dono* Papa dedicata, & de alia prope Tibur a *Gelasio* Papa item dedicata, mentio est in libro Pontificali, ut monet Baronius in Notationibus hac die, qui & illud insuper addit, perseverasse adhuc ævo suo ad radices Esquilini collis ejusdem nominis Ecclesiam. Hæc autem ad Esquilini radices Euphemiæ Ecclesia jussu *Sixti* V. solo æquata fuit, ut recentiores rerum Romanarum Scriptores produnt, & alia ejusdem nominis, ipso Baronio curante, ne tantæ martyris memoria in Urbe aboleretur, ad radices Quirinalis collis prope columnam Trajanam, Clemente VIII. Pont. Max. ædificata fuit, quæ adhuc perseverat. De memorata intra mœnia Urbis in Esquiliis, & in vico Patricii S. *Euphemiæ* Ecclesia, musivo opere ornata, ex libro Pontificali, & ex veteribus monumentis agit Jo: Ciampinus veter. monimentorum P. II. cap. XVIII. In descriptione veterrima regionum Urbis apud Mabillonium Analectorum tom. IV. p. 506. post *Ecclesiam sancti Vitalis in vico longo* memoratur *Ecclesia sanctæ Euphemiæ in vico Patricii*. De eadem Ecclesia ibidem iterum pag. 509. Hæc est vetus illa S. *Euphemiæ* Ecclesia ad Esquilini radices. Ruinartius *Euphemiæ* martyrium confert in A. D. 307. Si fides habenda est Fastis Cuspinianeis, passa est: *Diocletiano* VII. & *Maximiano* V. (lege VI.) *Coss.* quod esset A.D. 299. sed mendose id statui putamus. Baronius de Euphemiæ martyrio agit ad an. 311. nn. XVIII. atque ad Diocletianeam persecutionem hoc martyrium refert. In codicibus Canonicorum Forojuliensium vulgata Euphemiæ Acta exstant, quorum initium est: *Temporibus Diocletiani Imperatoris fuit in Calcedonia civitate Proconsul quidam nomine Priscus* &c. usque, *glorificaverunt erga Deum omnipotentem omnes fideles, qui per martyrem suam Euphemiam multa signa fecit, ut nomen ipsius ab omnibus credentibus magnificetur: cui est honor* &c. Habentur, apud Mombritium. Circumferuntur & Acta Græca Metaphrastes, & incerti auctoris apud Lambecium tom. VIII. pag. 222. Exstat & Sermo Constantini Episcopi Tij in Ponto in Euphemiæ reliquiarum inventionem, quem Latine habes apud Lipomanum tom. VI. & apud Surium die XI. *Julii*. Alia est *Euphemia*, cum *Dorothea*, *Thecla*, & *Erasma*, martyribus Aquilejensibus, de quibus Martyrologium Romanum die V. *Septembris*, ubi Baronius in Notationibus ad eam diem aliqua de iis ex Ecclesia Aquilejensi se accepisse monet. Sunt autem eorum Acta, quæ in codicibus Canonicorum Forojuliensium, qui eidem Ecclesiæ Aquilejensi subduntur, ita habent: *Passio sanctarum Euphemiæ, Dorotheæ, Theclæ, & Erasmæ virginum & martyrum. Regnante Nerone Imperatore in urbe Roma, & Sevasto præside residenta in civitate Aquilegia* &c. *Martyricatæ sunt enim beatissimæ virgines sub Nerone Imperatore & Sevasto præside in civitate Aquilegia tertia decima Kal. Octobris. Regnante Domino nostro Jesu Christo*. In uno ex his codicibus legitur III. *Non. Septembris*. De veteri anaglypho, in Ecclesia Metropolitana Aquilejensi,

lejenſi, ubi hæ quatuor virgines genuflexæ a S. *Hermacora* Epiſcopo benedicuntur Jo: Dominicus Bertolus in Antiquitatibus Aquilejenſibus pag. 363. 364., & de pictura Conradi Imperatoris ævo, ubi inter alios S. *Euphemia* conſpicitur, ibidem pag. 370.

Luciæ & Geminiani. De *Lucia & Geminiano*, Romæ martyribus agunt hac die Beda, & Rabanus, omiſſo martyrii loco. Agit Romanum parvum his verbis: *Romæ, Luciæ & Geminiani martyrum*. Meminere utriuſque nomine tenus tantum Gellonenſe, Fuldenſe, Ottobonianum, Wandelbertus, Auguſtanum, Labbeanum, & Kalendarium Vatic. 3806. Romæ, *Luciam & Geminianum* recolunt Rhinovienſe, & Richenovienſe. In libris Liturgicis Gregoriani ritus veterrimis, ut jam monuimus, duæ hac die Miſſæ ſtatuuntur, quarum altera eſt in *natali ſanctorum Luciæ & Geminiani*. Licet autem Capitularis Evangeliorum unum tantum hac die Evangelium deſignent in natali SS. *Luciæ & Euphemiæ*, *Geminiano* omiſſo, Evangelium tamen ex communi martyrum peti poterat. De Eccleſia S. *Geminiani* in Urbe mentio eſt in Ordine Romano XII. Cencii Camerarii nu. 40. pag. 192. Acta eorum, ex quibus ab Adone ſumptum eſt elogium, excuſa ſunt apud Mombritium, & Surium. Acta MSS. memorat Baronius in Notationibus hac die, quorum exordium eſt: *Coſs. Diocletiano octies, & Maximiano ſepties* &c. Habere tamen aliqua monet, quæ corrigantur. In codicibus Canonicorum Forojulienſium Acta SS. *Luciæ & Geminiani* ita incipiunt: *Imperante Diocliciano octavo, & Maximiano ſeptimo in urbe Roma, anno tertio decimo imperii eorum ſæva perſecutio advenit, itaut, non civitas, non vicus, non habitatio remaneret, ubi idolum Jovis non erigeretur, edicto propoſito, ut qui inventus eſſet nominare Chriſtum Dominum, diverſis pœnis interficeretur. Erat autem beatiſſima martyr Lucia* &c. uſque: *Agitur autem natale ſanctorum Luciæ & Geminiani ſub die ſexto decimo Kal. Decemb.* (pro *Octobr.*) *in nomine* &c. Si utriuſque Auguſti conſulatus recte ſignatur in Actis, paſſi ſunt hi martyres A. D. 303.

A. XV. KALENDAS OCTOBRIS. *17. Sept.*

Socratis & Stephani. IN Britanniis, ſanctorum Socratis, & Stephani.

Valeriani & ſoc. Nividuno, natalis ſanctorum martyrum Valeriani, Macrini, & Cordiani.

Juſtini. Item Romæ via Tiburtina, ad ſanctum Laurentium, beati Juſtini presbyteri, quem beatus Sixtus ordinavit. Ad quem beatus Laurentius in vico Patricii in crypta Nepotiana nocte venit, ut theſauros ſibi a ſancto Sixto commendatos pauperibus erogaret. Cui & dixit: Comple votum meum, ut laventur pedes ſanctorum & veſtri per manus meas. Beatus Juſtinus reſpondit: Hoc Dominicum præceptum eſt: fiat voluntas Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et poſita pelve, miſit aquam & lavit omnium virorum pedes. Veniens autem ad B. Juſtinum, cœpit primo oſculari pedes ejus, & lavare. Et ubi lavit omnium pedes commendavit ſe beato Juſtino. Hic ejuſdem martyris corpus honorifice ſepelivit in prædio Cyriacæ viduæ. Quam idem martyr facto ſigno Chriſti, & poſito ſuper caput ejus linteo, de quo exterſerat Sanctorum pedes, ab infirmitatibus capitis ſanavit. Hic ſanctum Hippolytum, & Concordiam, Irenæum, Abundium, Cyrillam filiam Decii Cæſaris, martyres, & alios plurimos ſepulturis condivit. Et perſecutione Decii, Galli, & Voluſiani, confeſſionis gloria inſigniſſimus fuit. *De hoc in geſtis ſancti Laurentii, 10. Auguſti.*

Romæ

Narcissi & Crescentionis.

Romæ in crypta arenaria, sanctorum martyrum Narcissi, & Crescentionis.

De his in gestis sancti Laurentii 10. Augusti.

* MS. Leogio.

Tungrensi diœcesi in * Leodio, villa publica, natalis sancti Lamberti Episcopi. Qui dum regiam domum zelo religionis accensus increpasset, cum rediens orationi incumberet, ab iniquissimis viris de palatio regio missis, improvise conclusus intra domum Ecclesiæ, occiditur. Cujus sepulcrum creberrimis miraculis illustratur: ac mors ejus nihilominus pretiosa in conspectu Domini commendatur.

Lamberti.

VARIA LECTIO. Ed: *In Britanniis, sanctorum &c.* Cod. 511. 512. 514. habent: *In Brittanniis, natalis sanctorum Socratis, & Stephani. Eodem die, natalis sancti Lamberti Episcopi Tungrensis, qui cum regiam &c.* usque, *creberrimis miraculis illustratur.* Deinde sequitur in eisdem codicibus:

Æmiliani, & Hieremiæ.

„ Cordubæ, sanctorum martyrum Æmiliani diaconi, & Hieremiæ: quorum cor-„ pora post abscisionem capitis concremata (cod. 512. 514. *conflagrata*) sunt.

Deinde sequitur in cod. 511. tantum „ Eodem die, natalis sancti Floscelli mar-„ tyris.

Floscelli.

Desunt in memoratis codicibus hac die natalis SS. *Valeriani*, & soc., natalis sancti *Justini* presbyteri, & natalis SS. *Narcissi*, *& Crescentionis*. De *Justino* agunt die IV. *Augusti*.

Socratis & Stephani.

ADNOTATIO. *Socrates & Stephanus* in Britanniis martyres coluntur hac die a Beda, Rabano, Adone, Usuardo, & Notkero. Agunt de his etiam apographum Hieronymianum Epternacense, & Ottobonianum. Incertum est quo tempore passi sint.

Valeriani & soc.

De *Valeriano* & sociis apud *Nivedunum*, vulgo *Nyon* in Helvetiis, martyribus silent codices nostri hac die, agunt tamen Hieronymiana, Gellonense, Usuardus genuinus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Corbejense brevius. Quo tempore passi sint, ignoramus.

Justini.

Justinus, de quo hac die vulgatus Ado, colitur in codicibus nostris die IV. *Augusti*, ut ibi monuimus, & ea etiam die colitur a Rhinoviensi, Richenoviensi, Augustano, Corbejensi breviori (ubi legit *Justæ*,) Fuldensi, Ottoboniano, & Kalendario Vat. 5856. in quibus *Justi* legitur. Ante alia Hagiographa, die VI. *Augusti* agunt de *Justino* & *Crescentiano* apographa Hieronymiana. Apographum Lucense habet: *Romæ, via Tiburtina, natalis sancti Crescentiani & Justi*. Corbejense legit: *Natalis sanctorum martyrum Crescentianæ & Justæ*. Epternacense: *Romæ, Crescentiani, Justini &c.* Corbejense brevius legit: *Crescentianæ & Justæ*. Gellonense eadem die: *Romæ, Laurentii* (subaudi *in cœmeterio*) *Crescentiani, Jacinti, Justi*. Rabanus eadem die agit de *Justino* confessore Christi. Martyrologium Reginæ Suecorum apud Holstenium ad diem IV. *Augusti* habet: *Romæ, via Tiburtina in cœmeterio S. Laurentii martyris, Crescentiani, & Justi*. Wandelbertus *Justinum* martyrem die IV. *Augusti* celebrat. Notkerus ea die habet: *Romæ, via Tiburtina, Crescentiani, & Justi*. Deinde hac die XVII. *Septembris* agit de *Justino* presbytero, de quo in Actis sancti Laurentii, qui sanctorum corpora collegit, & confessionis gloria insignissimus fuit. Usuardus genuinus de *Justino* agit hac die XVII. *Septembris* tantum. In Kalendario Pal. Vat. 485. die IV. *Augusti*, sed alio charactere minus antiquo habetur: *Natalis sancti Justini martyris*. Notitia apud Eccardum prodit, in Ecclesia sancti Laurentii, inter cæteros martyres sepultum esse *Justinum*, & *Crescentianum*. Recte igitur aliorum Hagiographorum exemplo factum est, ut codices nostri de *Justino* agant die IV. *Augusti*. Cur autem Mosander ad diem V. *Augusti* Justinum presbyterum in Appendicem detruserit, ibi ratio redditur, quod de eo agatur hac die XVII. *Septembris*; sed vetustioribus Hagiographis die IV. *Augusti* agentibus, e loco suo *Justinus* dimovendus non est. In Martyrologio Romano editionis anni 1583. hac die XVII. *Septembris*, ubi de sancto *Justino*, illius elogium

gium claudebatur verbo *sepelivit*. In exemplari, quo usus est Baronius, in Casanatensi Bibliotheca nunc asservato, ad oram hæc a Baronio scripta sunt: *ac demum sub Claudio martyrium consummavit*; quæ verba in editionibus posterioribus leguntur.

Narcissi & Crescentionis. De *Narcisso*, & *Crescentione*, seu *Crescentiano* silent codices nostri, quia eadem die IV. *Augusti*, *Crescentianus* una cum *Justino*, ut vides ex Hagiographia nuper allatis, colitur; ac de his agitur in eisdem sancti Laurentii Actis. *Crescentionem*, seu *Crescentio* una cum *Narcisso* in Appendicem Adonianam propellitur hac die a Rosvveido, quum de iis in textu egerit: caussam ignoro. Agit de his præterea hac die Romanum parvum. Baronius in Notationibus hac die existimat, nobile fuisse olim *via Salaria* Crescentionis cœmeterium. In Notitia apud Eccardum inter martyres *via Salaria* quiescentes occurrit *sanctus Crescentianus*.

Lamberti. *Landbertus*, seu ut apud recentiores dicitur, *Lambertus*, *Tungrensis*, seu *Trajectensis* Episcopus & martyr colitur hac die in Auctariis Hieronymianis, a Beda, a Gellonensi, Rabano, Adone nostro, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Richenoviensi, Labbeano, Corbejensi breviore, Fuldensi, Ottoboniano, Kalendario Vat. 3806. & ceteris. Quædam ex his Hagiologiis præferunt: *Leodico*; quædam: *In Gallia, vico Leodico*, seu, *in vico qui dicitur Leodico*; alia: *In Gallia, territorio Hasbaniensi*; alia: *Tungrensi in diœcesi in Leodio, villa publica*, & his similia. In monumentis Francorum *Leodicum* appellatur *vicus publicus*, quia Germanorum lingua *publicus*, *vicus* dicitur; item in *Hasbania* ponitur, Gallia vulgo *Hasbaigne*, quia olim quatuor comitatus amplectebatur, in quorum altero fuit *Leodicum*. Hæc habes apud Valesium in Notitia pag. 271. *Landebertus*, seu *Lambertus* factus est *Tungrensis*, seu *Trajectensis* Episcopus A. D. 669. Actus est in exilium ab Ebroino tyranno A. D. 674. Inde revocatus, & in sedem restituitur, jubente *Pippino* Francorum Rege, A. D. 682. Denique a *Dodone* Pippini Francorum Principis domestico martyrio una cum aliis affectus est A. D. 708. Sepultus est primum *Trajecti*, deinde *Hubertus* eius successor, anno Episcopatus XIII. *Lamberti* corpus Leodium transtulit, basilica ibi ædificata, ac deinceps *Tungrenses* Episcopi, *Leodicenses* appellari cœperunt; & *Leodium* in celebrem claramque urbem devenit. Acta recusa sunt a Mabillonio sæculo III. Bened. P. I. pag. 69. De eo ejusque gestis idem Mabillonius ex veteribus monumentis Annal. Bened. lib. XV. §. LXXII. lib. XVI. §. XXXVIII. lib. XVII. §. XXXII. & lib. XIX. §. XXXVIII. De eo Baronius in Notationibus hac die, & ad an. 685. num XI. an. 698. num. I. & seq. & an. 714. num IV. Vide Pagium ad an. 681. num. 31. 698. num. I. & seq. & an. 699. num. I. Sacramentarium Palat. Vat. 496. Missam hac die habet in natali *sancti Lamberti Episcopi & mart.*

Æmiliani & Hieremiæ. Adduntur in codicibus nostris hac die *Æmilianus*, & *Hieremias* Hispani martyres, de quibus Eulogius in Memoriali lib. II. cap. XII. qui tamen *Emillam*, pro *Æmiliano* habet. Hos memorat hac die Usuardus genuinus, quapropter Sollerius censet, ab uno tantum Usuardo hos martyres consignari. Miratur autem, cur hi martyres a Martyrologio Romano prætereantur, & *Columba*, de qua idem Eulogius lib. III. cap. X. substituatur; putat Romanos emendatores Galesinii vestigiis adhærere voluisse, aliis neglectis.

Flosculi. *Flosculus*, seu *Flocellus* martyr, de quo unus ex codicibus nostris, & apographum Sangermanense, præteritus a genuino Usuardo, sed agunt hac die illius Auctaria. Ejus Acta habentur apud Mombritium. *Augustoduni*, Antonino Imperatore, passus dicitur.

B. XIIII. KALENDAS OCTOBRIS. 18. Sept.

Hieron. de script. Eccl. cap. 83. NATALIS sancti Methodii, Olympi Lyciæ, & postea Tyri Episcopi, qui sub Diocletiano in Chalcide Græciæ martyrio coronatus est. *Methodii.*

Ferreoli. Viennæ, natale sancti Ferreoli. Qui persecutionis tempore, cum esset Tribunitiæ potestatis, jussu impiissimi Præsidis tentus, primo crudelissime verberatus, dein gravi catenarum onustus pondere, in teterrimum carcerem trusus est. Unde solutis Dei nutu vinculis, & januis patefactis carceris, aggerem publicum ingressus, usque ad Iarem fluvium pervenit. Ubi denuo tentus, vinctis post tergum manibus ad territorium usque Brivatense

Ppp

tense perductus est, atque ibi martyrii palmam capitis obtruncatione percepit. Corpus ejus cum capite beati Juliani ad urbem Viennensem relatum est, & condigno cultu in basilica conditum, quam Castulus, vir præcipui nominis de primoribus urbis Viennensis, adhuc catechumenus, in honore ejusdem martyris condiderat, tanto opere, quanta & fide, in ripa ulteriore Rhodani.

Sidonius Apoll. l. 7. cap. 1.

VARIA LECTIO. Ed. *in basilica conditum, quam Castulus &c.* Verba illa: *quam Castulus &c.* usque *Rhodani*, desiderantur in codicibus 511. 512. 514. Cætera conveniunt.

Methodii. ADNOTATIO. De *Methodio* Episcopo ac martyre agunt hac die primum, ut videtur Sollerio, auctor Romani parvi, Ado, Usuardus, Notkerus, & Wandelbertus. Agit etiam Martyrologium Fuldense, cæteris silentibus. De eo Hieronymus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. LXXXIII. Sub *Diocletiano in Chalcide* passum fuisse, ex fide Hieronymi, tradunt Ado, & Usuardus. In editione Martyrologii Romani anni 1583. legebatur, eum passum fuisse, *Decio & Valeriano*, quæ verba delenda esse censuit Baronius, prout delevit in exemplari, quo usus est, & ad oram hæc adnotavit: *Restituendum*, sub Diocletiano & Maximiano: *Cum Methodius multa scripserit contra Porphyrium, qui vixit temporibus Diocletiani, & pervenit usque ad tempora Constantini, plane constat, quod in ultima persecutione, ut Hieronymus scribit, Methodius est martyrio coronatus.* Deleta sunt in hodierno Romano Martyrologio, *Decii, & Valeriani*, at non sunt restituta *Diocletiani & Maximiani* nomina, sed fere ad verbum Adonis, & Usuardi elogia usurpantur. De *Methodio* ejusque scriptis consule recentiores, qui de Scriptoribus Ecclesiasticis agere, ac inter hos Allacium in Diatriba de Methodiis. Confer etiam Fabricium Bibliothecæ Græcæ tom. V. pag. 255. & seq.

Ferreoli. Duo in Galliis *Ferreoli* martyres coluntur, alter presbyter, Vesuntinus passus & cultus, de quo nos die XVI. *Junii*, alter tribunus militum, haud procul a Vienna Allobrogum martyrio affectus, & Viennam postea translatus, de quo Ado noster hac die. *Ferreoli & Ferrucionis, Vesontione* inventio celebratur, ab Hagiographis die V. *Septembris*, nimirum a Hieronymianis, Gellonensi, Rabano, Martyrologio Reginæ Suecorum, Ottoboniano, Kalendario Vat. 3806., ubi mendose *Ferreolus, Episcopus* dicitur, & aliis. Hac die vero XVIII. *Septembris* ab Adone primum *Ferreolus* martyr Viennensis memorari videtur Sollerio, ex quo Usuardus. Idem Sollerius non definit, an *Ferreolus* colatur in Hieronymiano Epternacensi postridie hujus diei, qua de re consulendum esse Florentinium in notis monet. Agit autem postridie Martyrologium Fuldense, Augustanum, & Labbeanum. Die vero XVIII. hujus Hagiologium Francogallicum. *Ferreoli* Acta, tamquam germana post Surianam editionem, ex variis codicibus edidit & illustravit Ruinartius pag. 509. Passus esse dicitur A. D. 304. Post Sidonium Apollinarem, de *Ferreolo*, ejusque basilica super Rhodani ripa Gregorius Turon. lib. II. de gloria mart. cap. II. & Fortunatus lib. VIII. Poem. IV. De illius reliquiis A. D. 448. in monasterio *Griniacensi*, quod & *sancti Ferreoli* dictum est, asservatis, deque earum translatione in urbem Viennam A. D. 732. ob incendium ejusdem monasterii, Mabillonius Annal. Bened. lib. IV. §. XIII. & lib. XXI. §. VII.

19. Sept.

C. XIII. KALENDAS OCTOBRIS.

Januarii & soc. IN Neapoli Campaniæ, natale sanctorum Januarii, Beneventanæ civitatis Episcopi, cum Sosio diacono Mesenatæ civitatis, & diacono suo Festo, & lectore suo Desiderio. Qui post vincula

De hoc in passione Sosii, 23. Sept.

vincula, & carceres capite cæsi sunt in civitate Puteolana, sub Diocletiano principe, judice Draeontio. Qui cum ducerentur ad mortem, viderunt inter alios Proculum, Puteolanæ civitatis diaconum, & duos laicos Eutyehen, & Acutum, & interrogaverunt, quare justi juberentur occidi. Quos Judex ut vidit Christianos, jussit decollari cum illis. Sic omnes septem pariter sunt decollati. Tulerunt autem corpora Christiani. Neapolitani Januarium posuerunt juxta civitatem in basilica: Mesenates, Sosium æque in basilica: Puteolani, Proculum, Eutychem, & Acutum, juxta basilicam sancti Stephani: Festum vero, & Desiderium Beneventani collegerunt.

Eusеb. l.8. c.22.&25. Eodem die in Palæstina, natalis sanctorum martyrum Pelei, & Nili Episcoporum, qui persecutione Diocletiani cum plurimis clericis pro Christo igni consumpti sunt. *Pelei, & Nili.*

Apud Nuceriam, natalis sanctorum martyrum Felicis, & Constantiæ, qui sub Nerone passi sunt. *Felicis & Constantiæ.*

In territorio Linguonicæ civitatis, sancti Sigonis presbyteri. *Sigonis.*

VARIA LECTIO. Ed. *In territorio Lingonicæ &c.* Cod. 511. 512. 514. habent:

„ In territorio Lingonicæ civitatia, monasterio Segestrio, depositio sancti Signi „ presbyteri & monachi, qui miræ abstinentiæ, monasticæ perfectionis atque here„ miticæ solitudinis sectator, virtutum, & miraculorum gratia illustrem conversationem „ duxit.

Januarii & soc. ADNOTATIO. *Januarius* Episcopus *Beneventanus* cum sociis aliis martyribus, in tabulis Latinorum veterrimis insignis hac die est. A priscis usque temporibus *Januarii* cultus in Africam penetrarat; nam Kalendarium vetustissimum Carthaginense de eo, & quidem hac die, quemadmodum facile conjicii potest, licet præ nimia vetustate Kalendarum numeri obesi ibi sint. Habet enim post natalem S. *Euphemiæ ... Kal. Oct. sancti Januarii mart.* Hieronymiana agunt die XII. & XIX. *Septembris*. Hac die XIX. habent: *Neapoli, sanctorum Januarii, & Aucii*. Gellonense *Januarii* meminit cum alia turba martyrum aliorum locorum, at castigate de *Januario* & sociis die VII. *Septembris*, ut inferius dicemus. Agunt cum elogio ex Actis Beda, Rabanus, Usuardus, & Notkerus. Romanum parvum ita præfert: *Neapoli, Januarii, Sosii, Festi, Desiderii, Proculi, Eutychetis, Acuti*. Martyrologium Fuldense: *In Neapoli Campaniæ, natalis sancti Januarii Beneventanæ civitatis Episcopi, cum aliis VII. qui cum eo decollati sunt*. Igitur *Januarii* socii *septem* numero sunt, non *sex*, ut in Romano parvo. Septem etiam enumerantur in Ottoboniano, scilicet *Sosius, Festus, Desiderius, Proculus, Eutyches, Acutius, & Desiderius*. Rhinoviense hac die XIX. *Septembris* habet: *Et in Neapoli, Januarii, Saturnini*. Ita Richenoviense. Augustanum & Labbeanum *Januarium* tantum commemorant. Kalendarium Vatic. 3806. hac die: *In Campania, passio sancti Januarii Episcopi*; de sociis silet. Kalendarium Palat. Vat. 499. *Januarii Episcopi, cum sociis suis*. Agunt etiam de *Januario & Festo* ad diem VII. *Septembris* Rhinoviense, Richenoviense, & Corbejense brevius. Rhinoviense habet: *In Campana, Sineriæ. Et in Benevento, Januarii, Festi*. Ita Richenoviense, in quo pro *Sineriæ*, legitur *Sinoeiæ*. Corbejense brevius: *Beat babeato civitate, natalis sanctorum Senonti, Januarii, Festi*. Martyrologium Reginæ

ginæ Suecorum ea die natalem S. *Senoti*, in urbe Capua recolit. De *Januario*, & *Festo* filet. Hieronymiana, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Anctaria Usuardi, Corbejense brevius, & Kalendarium Vaticanum 3806. iterum die XIX. *Octobris* de *Januario* & sociis agunt. Confusa sunt nomina in Hieronymianis, Augustano, & Labbeano. Hieronymiana, & Corbejense brevius agunt etiam die XX. *Octobris*. Eadem Hieronymiana die VII. *Septembris*, ea fere habent, quæ eodem die præfert Gellonense his verbis: *Et in Benevento, Januarii, Festi, Acuti, & S. Synoti, & Desiderii*. De *Januarii* Actis apud Mombritium & Surium, de pervulgato antiquitus per orbem catholicum ejusdem martyris cultu, deque perenni miraculo sanguinis liquescentis, & fluentis Baronius in Notationibus hac die, & recentiores rerum Neapolitanarum Scriptores. Uberiora tradent Bollandiani socii hac die, & propediem vir clarissimus, & eruditissimus, quem honoris caussa nomino, Alexius Symmachus Mazochius Metropolitanæ Ecclesiæ Neapolitanæ Canonicus in Commentariis ad pervetustum Kalendarium marmoreum ejusdem Ecclesiæ. In vetustis Liturgicis S. R. E. libris Missa hac die in natali SS. *Januarii* & sociorum desideratur. In divinis officiis restituta fuisse illorum memoria a *Sixto* V. Rom. Pont. traditur.

Pelei & Nili. De *Peleo*, & *Nilo* Episcopis una cum aliis agunt hac die Hieronymiana, Beda, Rabanus, Ado, Usuardus, Notkerus. Sumptum fuit horum martyrum elogium ex Eusebio in libro de martyribus Palæstinæ cap. XIII. & lib. VIII. Histor. cap. XIII. alias XXII. nunc XIV. Rufini. De *Nilo Ægyptio* Episcopo & martyre post Baronium ad an. 309. n. XIX. consulendus Leo Allatius in Diatriba de Nilis num. 11. qui de eo ex Eusebio, & Menologio Græcorum apud Canisium die XVII. *Septembris*, ubi *Petrus*, pro *Peleus*, & *Nilus* Episcopi, in Palæstina passi coluntur. Vide Florentinii notas ad hanc diem XIX. *Septembris*.

Felicis & Constantiæ. *Felix & Constantia* apud *Nuceriam* martyres depravate exarati sunt in Hieronymianis hac die, & postridie. Consule ibi Florentinium. Agunt autem de his hac die Ado noster, Usuardus, & Notkerus. Pridie hujus diei Florus ita habet: *Et passio sanctorum Felicis & Constantii, qui passi sunt sub Nerone Imperatore*. Rhinaviense ad diem XVII. *Septembris* legit: *In Nuceria, Constantia*. Ita eadem die Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum de *Constantio* eadem die mixtim cum aliis agunt. Ea die Ottobonianum: *In Nuceria, Constantini*. Die vero XX. hujus Richenoviense *Constantini*, & *Felicis* una cum aliorum turba meminit. Eadem quoque die XX. Augustanum & Labbeanum de *Constantia*, & *Felice* agunt. Incerta sunt quæ de iis traduntur, donec apertiora afferantur.

Sigonis. *Sigon*, qui *Sequanus*, *Signus*, *Sigonius*, & *Sicon* in vetustis monumentis appellatur, colitur hac die a Hieronymianis, Gellonensi, Floro, Adone nostro, Usuardo, Notkero, & Martyrologio Puldensi. Augustanum habet: *Siquami confessoris*. Labbeanum: *Sigonis*. Fuit Abbas *Segesteensis*, & obiit die XIX. *Septembris* A. D. 580. ut habet Mabillonius Annal. Bened. lib. VII. §. VIII. Illius Acta edidit idem Mabillonius Sæculo I. Bened. pag. 263. & seq. De eo Gregorius Turonensis de gloria conf. cap. LXXXVIII.

---

20. *Sept.*

D. XII. KALENDAS OCTOBRIS.

Faustæ & Evilasii. IN Cyzico, natale sanctorum Faustæ virginis, & Evilasii, sub Maximiano Imperatore. Quam idem Evilasius, cum esset primus Palatii, jussit decalvari & radi ad turpitudinem, dein suspendi ac torqueri. Quo tempore coruscatio de cælis multos ministrorum percussit. Dein jussit loculos afferri, & eam immissam ac fixam quasi lignum secari mediam. Sed non eam carnifices ferris suis lædere valebant. Quæ inter stupens Evilasius, Christo credere cœpit. Et hoc ubi Imperatori nuntiatum est, misit Præfectum, qui cum suspensum fortiter torqueret. Qui etiam jussit Faustam nudam, & sine mavorte educi de carcere, & ei caput terebrari, ac clavis infigi. Cui postmodum non solum caput & facies, sed pectus ac totum corpus, usque ad tibias clavis impletum est. Post hoc, sartaginem

nem jussit igniri, sed hæc, illa psallente, refriguit. Hæc inter veniens vox de cælo, vocavit eos, & sic tradiderunt spiritum. Erat autem Fausta annorum XIII. Evilasius LXXX.

Vig. Matth. Apost. VARIA LECTIO. Post *Evilasius* LXXX. sequitur in codice 511. aliena manu, minus antiqua: *Eodem die, vigilia sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ.*

Faustæ, & Evilasii. ADNOTATIO. De *Fausta* & *Evilasio*, Cyzici in Hellespooto martyribus agunt Græci & Latini; & in plerisque Latinorum Hagiologiis semel ac iterum coluntur, nimirum die VII. *Januarii*, & hac die XX. *Septembris*. Celebrantur autem die VII. *Januarii* a Rabano, Notkero, & Kalendario Vat. 3806. Iterum de his Rabanus, Notkerus, & memoratum Kalendarium hac die XX. *Septembris* agunt. Beda vero, Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum hos martyres die XX. *Septembris* recolunt. Menologium Basilii agit die VI. *Februarii*, in quibusdam Menologiis agitur die IV. *Januarii*. Elogium ex Actis protulerunt Beda, Rabanus, Ado, & Notkerus. Acta Metaphrastæ adscribuntur a Baronio, & aliis. Græce habentur apud Lambecium tom. VIII. pag. 81. Latine apud Mombritium, & apud Surium die VI. *Februarii*. Vide quæ de feminarum decalvatione erudite profert ex his Actis Baronius in Notationibus hac die. Horum martyrium idem Baronius in Annalibus ad an. 311. num. XIX. ad eum annum refert.

Vigil. S. Matthæi. *Vigilia S. Matthæi Apostoli*, quæ alia manu uni ex nostris codicibus addita est, licet in antiquissimis libris non reperiatur, vetustam tamen habet originem; nam adnotatur in codice Heriniensi Usuardi satis vetusto, in Martyrologio Ottoboniano, & in apographo Bedæ Palat. Vatic. 833. sæculi X. proinde in Romanum Martyrologium transiit. Adde, quod licet desit in Sacramentario Gregoriano Reginæ Suecorum 337. in quo etiam deest Missa *in natali S. Matthæi*, habetur tamen Missa *in vigilia* ejusdem *S. Matthæi* in Sacramentario Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vat. 495. 496. & in Missali plenario 4770. Designatur ad oram Capitularis Evangeliorum Vat. 7016. tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 279. licet alio charactere, qui videtur sæculi XI. Nullum sane mihi dubium est, quin hæc vigilia sæculo XI. in libris liturgicis celebraretur. De ea quoque vigilia Innocentius III. in libris Decretalium de observatione jejunii Decretal. lib. III. tit. XLVI. cap. *consilium*. Scripta est hæc Epistola Archiepiscopo Bracarensi A. D. 1206. de qua Raynaldus ad an. 1206. num. 35. Exstat autem in regesto Vaticano Epistolarum ejusdem Innocentii lib. IX. epist. III. & data est IX. *Kal. Martii*, *Pontificatus anno nono*, hoc est die XXI. *Februarii* A. D. 1206: quam quidem Epistolam, una cum aliis Innocentii Apostolicis litteris, quæ hactenus lucem non viderunt, Deo dante, atque BENEDICTI XIV. PONT. MAX. munificentia, luce donaturi propediem sumus.

E. XI. KALENDAS OCTOBRIS. 21. *Sept.*

Matthæi Apost. Alexandri NATALIS sancti Matthæi Apostoli & Evangelistæ. Eodem die, passio sancti Alexandri Episcopi sub Antonino Imperatore. Vide lib. de fest. Apost. De eo infra 26. Nov.

VARIA LECTIO. Ed: *Natalis sancti* &c. Cod. 511. 512. 514. *Natalis beati Matthæi Apostoli & Evangelistæ* &c. prout in libello de festivitatibus Apostolorum. Ed: *Eodem die passio* &c. Codices memorati: „Eodem die, natalis sancti Alexandri martyris, cui Papa Damasus criptam condignam faciens, „ illuc

„ illuc eum vi. Kal. Decembris transposuit, quando & festivitatem ei dicavit, ubi „ & ejus passio adnotata est.

Matthæi Apostoli.

ADNOTATIO. De *Matthæo* Apostolo vetera Hagiologia variis diebus agunt; & Hieronymiana quidem die I. & IV. *Maji*, die XXI. *Septembris*, & die VII. *Octobris*. Agunt autem hac die XXI. *Septembris* post Hieronymiana, Beda, Gellonense, Romanum parvum, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Notkerus, Rhinoviense, Richenoviense, Augostanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Pal. Vat. 485. Vat. 3806. & alii. In Martyrologio Ottoboniano bis colitur *Matthæus*, nimirum die IX. *Augusti*, & hac die XXI. *Septembris*. Illius natalem in plerisque Hagiologiis ponitur *in Perside*, & civitate *Tharim*, seu *Tarrium*. Præter vetera Hagiologia in libris quoque Liturgicis Latinorum recolitur *Matthæus* Apostolus. Deest quidem hac die Missa in natali S. *Matthæi* Apostoli in Sacramentario Gregoriano Reginæ Succorum 337. & in Ottoboniano, sed habetur in aliis omnibus, quæ die superiori, ubi de vigilia ejusdem Apostoli, memoravimus. In Missali plenario Vat. 4772. habetur etiam Præfatio propria. In Capitulari quoque Evangeliorum Regiuæ Succorum num. 4. sæculi IX. & in Vat. 5465. ei suppari Evangelium extat hac die *in natali sancti Matthæi Apostoli*, cujus initium est: *Cum transiret Jesus, vidit hominem* &c. Acta a recentioribus inter apocrypha amandantur, ac Pseudoabdiæ adscribuntur, alia Metaphrastæ, quæ Latine leguntur apud Surium hac die, alia Nicetam Paphlagonem auctorem præferunt. Vide horum seriem apud Combefisium Bibliothecæ concionatoriæ tom. VIII. pag. 165. & seq. ac Tillemontii censuram tom. I. p. 386. & seq. Ante hos judicium de Actis hujusmodi tulit Baronius in Notationibus, & Florentinius in Indiculo pag. 158. 159. & in hujus diei notis. In codicibus Canonicorum Forojuliensium Acta Latina ita incipiunt: *Quoniam Deo cura est de hominibus, ut plus animarum curam gerat* &c. In fine: *Passus est autem beatus Matthæus Apostolus undecimo Kalendas Octobris sub Hyrtaco rege: Regnante Domino* &c. Ad *Æthiopes* missum fuisse, ex Eusebio, Origene, Socrate, & aliis monet Baronius in Notationibus hac die, & ad annum 44. num. XXXV. Alii apocryphi libri in *Macedoniam* & *Judæam*, & Metaphrastes in *Syriam superiorem* juxta *Euphratem* profectum fuisse ad prædicandum tradunt. Urbs *Tharim*, seu *Tarrium* in *Perside*, ubi martyr obiisse dicitur, de qua apographa Hieronymiana, ignota est veteribus, ac recentioribus Geographis. Baronius assentitur Venantio Fortunato, qui de loco, ubi *Bartholomæus*, & *Matthæus* passi sunt, ita habet in carmine de gaudio vitæ æternæ:

Inde triumphantem fert India Bartholomæum.
Matthæum eximium Naddaver alta virum.

Quæ sit urbs *Naddaver*, & ubi posita, non satis liquet. Vide de *Matthæo* Apostolo, ejusque cultu, Actis, & reliquiis Calmetum in Dictionario Biblico, verb. *Matthæus*.

Alexandri.

Alexander Episcopus & martyr, sub *Antonino* Imperatore bis colitur ab apographis Adonianis, nimirum hac die, & die XXVI. *Novembris*, ubi longum elogium ex Actis proferunt. Ea die XXVI. *Novembris* Romanum parvum ita habet: *Et beati Alexandri Episcopi & martyris, passi XI. Kalen. Octobris, a Papa Damaso VI. Kal. Decembris translati, quando festivitatem ei dicavit.* Usuardus vero ad diem XXI. *Septembris* habet: *Eodem die, via Claudia, vicesimo miliario ab Urbe, passio sancti Alexandri Episcopi, qui pro fide Christi, sub Antonino Imperatore, vincula, fustes, equuleum, lampades ardentes, ungularum laniationem, bestias, ac fornacis flammas superans, tandem gladio vitam adeptus est gloriosam.* De translatione per sanctum Damasum silet. Apud alios Hagiographos veteres neque hac die, neque die XXVI. de *Alexandro* ulla mentio. Baronius in Notationibus ad hanc diem XXI. *Septembris*, cujus civitatis Episcopus fuerit *Alexander*, nondum se invenisse fatetur. Si conjectoria agere licet, num forte est *Alexander* martyr, de quo vetus ac nobile epitaphium ex cœmeterio Callisti eruntum, apud Aringhium lib. III. Romæ subterraneæ cap. XXII, ubi legitur: *Alexander mortuus non est, sed vivit super astra, & corpus in hoc tumulo quiescit. Vitam explevit cum Antonino Imperatore, qui ubi multum beneficiis antevenire præviderct, pro gratia odium reddit. Genua enim flectens, vero Deo sacrificaturus, ad supplicia ducitur &c.?* At ex Actis aliud elicitur. Vide infra ad diem XXVI. *Novembris*.

F. X.

F. X. KALENDAS OCTOBRIS. 22. Sept.

IN Gallis, civitate Seduno, loco Agauno, natale sanctorum martyrum Thebæorum, Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum sociis suis, qui sub Maximiano passi pro Christo, gloriosissime coronati sunt. Ut igitur beatissimæ passionis eorum causa breviter loquamur, sub Maximiano, qui Romanæ Reipublicæ cum Diocletiano collega imperium tenuit, per diversas fere provincias laniati sunt atque interfecti Martyrum populi. Idem namque Maximianus erga Dominum cæli prophanus impietatem suam ad extinguendum Christianitatis nomen armaverat. Siqui tunc veri Dei cultum profiteri audebant, sparsis usquequaque militum turbis, vel ad supplicia, vel ad necem rapiebantur. Erat eodem tempore in exercitu Legio militum, qui Thebæi appellabantur. Legio autem vocabatur, quæ tunc sex milia, ac sexcentos viros in armis habebat. Hi in auxilium Maximiano ab Orientalibus partibus accersiti venerant. Viri in rebus bellicis strenui, virtute nobiles, sed fide nobiliores: erga Imperatorem fortitudine, erga Christum devotione certabant. Itaque cum hi sicut & cæteri milites, ad dilaniandam Christianorum multitudinem destinarentur, soli crudelitatis ministerium detrectare ausi sunt: atque hujusmodi præceptis se obtemperaturos negant. Maximianus non longe aberat: nam se circa Octodorum itinere fessus tenebat. Igitur cognito Thebæorum responso, præcipiti ira fervidus, ob neglecta imperia decimum quemque ex eadem Legione gladio feriri jubet, quo facilius ceteri rebus certis territi, metu cederent. Redintegratis mandatis edicit, ut reliqui in persecutionem Christianorum cogantur. Ubi vero ad Thebæos denuntiatio iterata pervenit, cognitumque ab eis est, injungi sibi rursus executiones profanas, vociferatio passim ac tumultus in castris exoritur, affirmantium, nunquam se ulli in hæc tam sacrilega ministeria cessuros. His deinde compertis Maximianus, omni bellua cruentior, rursus ad ingenii sævitiam redit, atque imperat, ut iterum decimus eorum neci detur: ceteri nihilominus ad hæc quæ spernerent compellerentur. Quibus jussis denuo in castris perlatis, segregatus est atque percussus, qui decimus sorte obvenerat. Reliqua vero se militum multitudo mutuo sermone instigabat, ut in tam præclaro ordine persisteret. Incitamentum tamen maximum fidei penes S. Mauritium fuit primicerium Legionis ejus, qui cum Exuperio (ut in exercitu appellant) campiductore, & Candido senatore militum, accedebat

Martyr. Thebæor.

bat exhortando singulos & monendo, fidelium commilitonum etiam martyrum exempla ingerens. His itaque primoribus suis atque auctoribus animati beatissimi viri, Maximiano adhuc insania æstuanti mandata mittunt sicut pia, ita & fortia: Milites, inquiunt, sumus Imperator tui: sed tamen servi, quod libere confitemur, Dei. Tibi militiam debemus, illi innocentiam. A te stipendium laboris accipimus, ab illo vitæ exordium sumpsimus. Sequi Imperatorem in hoc nequaquam possumus, ut auctorem negemus Deum: utique auctorem nostrum, Dominum ac auctorem, velis nolis, tuum. Si non ad tam funesta compellimur, ut hunc offendamus, tibi, ut fecimus hactenus, adhuc parebimus: sin aliter, ipsi parebimus potius quam tibi. Offerimus nostras in quemlibet hostem manus, quas sanguine innocentium cruentare nefas ducimus. Dexteræ ipsæ pugnare adversus impios, & inimicum sciunt, laniare pios, & cives nesciunt. Meminimus nos pro civibus potius, quam adversus cives, arma sumpsisse. Pugnavimus semper pro justitia, pro pietate, pro innocentium salute. Hæc fuerunt hactenus pretia periculorum. Pugnavimus pro fide: quam quoquo pacto conservemus tibi, si hanc Deo nostro non exhibemus? Juravimus primum in sacramenta divina, juravimus inde in sacramenta regia. Nihil nobis de secundis credas necesse est, si prima perrumpimus. Christianos ad pœnam per nos requiri jubes, jam tibi ex hoc alii requirendi non sunt. Habes nos hic confitentes Deum Patrem auctorem omnium, & filium ejus Jesum Christum Dominum credimus. Videmus laborum periculorumque nostrorum socios, nobis quoque eorum sanguine adspersis, trucidari ferro, & sanctissimorum commilitonum mortes, & fratrum funera non flevimus, non doluimus, sed potius laudavimus, & gaudio prosecuti sumus, quia digni habiti essent pati pro Domino Deo eorum. Non nos vel hæc ultimæ vitæ necessitas in rebellionem cogit. Non nos adversum te, Imperator, armavit ipsa saltem, quæ fortissima est in periculis, desperatio. Tenemus ecce arma, & non resistimus: quia mori quam occidere satis malumus, & innocentes interire quam noxii vivere præoptamus. Si quid in nos ultra statueris, si quid adhuc jusseris, si quid admoveris, ignem, tormenta, ferrum, subire parati sumus. Christianos nos fatemur: persequi Christanos nos non possumus. Cum hæc talia Maximianus audisset, obstinatosque in fide Christi cerneret animos virorum, desperans gloriosam eorum constantiam posse revocare, una sententia interfici omnes decrevit, & rem confici circumfusis militum agminibus jubet. Qui cum missi ad beatissimam

tiſſimam legionem veniſſent, ſtringunt in ſanctos impium ferrum, mori non recuſantes vitæ amore. Cædebantur itaque paſſim gladiis, non reclamantes ſaltem, aut repugnantes, ſed & depoſitis armis cervices perſecutoribus præbentes, & jugulum perſecutoribus vel intectum corpus offerentes. Victor autem martyr nec legionis ejuſdem fuit, nec miles, ſed emeritæ jam militiæ veteranus. Hic cum iter agens ſubito incidiſſet in hos, qui paſſim epulabantur læti martyrum ſpoliis, atque ab his ad conveſcendum invitatus, prolatam ab exultantibus per ordinem cauſam cognoſcens, deteſtatur convivas, deteſtatuſque convivium refugiebat. Requirentibuſque, ne & ipſe forſitan Chriſtianus eſſet, Chriſtianum ſe, & ſemper futurum eſſe reſpondit. Ac ſtatim ab irruentibus interfectus, ceteris martyribus ſicut morte, etiam honore coniunctus eſt. Quid deinde circa Maximianum tyrannum ſit conſecutum, brevi colligere placuit. Cum diſpoſitis inſidiis genero ſuo Conſtantino mortem moliretur, deprehenſo dolo, apud Maſſiliam captus eſt. Nec multo poſt ſtrangulatus, teterrimoque ſupplicio affectus, impiam vitam digna morte finivit. At vero beatiſſimorum Martyrum corpora poſt multos paſſionis annos ſancto Theodoro Epiſcopo revelantur; & in eorum honorem baſilica honeſte componitur. Sed & per longum temporis tractum beati Innocentii martyris membra Rhodanus revelavit. Quæ non ideo a ſinu terræ protulit, ut in gurgitis ſui procella demergeret, ſed ut ceteris martyribus ſepultura venerabiliter ſociaretur.

VARIA LECTIO. Cod. 911. poſt verbum *ſociaretur*, extremo loco, habet; *In provincia Bajoaria, natalis Ermeranni martyris atque Pontificis, ad cujus ſepulcrum multa fideliter petentibus beneficia præſtantur*. Cod. 512. 514. poſt verbum *ſociaretur*, ita habent: *Emmerami, ſeu Emmeranni.*

Emerami, ſeu Emeranni. „ In civitate Autiſſiodero, adventus & exceptio ſancti Germani Epiſcopi, & confeſſoris ab Italia. In provincia Bajoaria, natalis ſancti Emereni martyris, atque Pontificis, ad cujus ſepulcrum multa fideliter petentibus beneficia præſtantur. *Germani ex Italia translat.*

Deinde ſequitur in cod. 512. tantum:

„ Et in Reomao monaſterio, translatio corporis ſancti Johannis monachi, & abbatis. *Jo. Ab. translat.*

Mauricii, & ſoc. ADNOTATIO. *Thebaæ* legionis martyres *Mauricius* & ſocii, e loco martyrii, *Agaunenſes* appellati, celeberrimi ſunt hac die in vetuſtis Latinorum tabulis. Coluntur enim hac die a Hieronymianis, Beda, Gellonenſi, Romano parvo, Rabano, Adone, Uſuardo, Wandelberto, Notkero, Rhinovienſi, Richenovienſi, Auguſtano, Labbeano, Corbejenſi breviori, Martyrologio Fuldenſi, Ottoboniano, Hagiologio Francogallico, Kalendario Palat. Vat. 485. Vat. 3806. & aliis. In pleriſque Hagiologiis eorum natalis prænotatur: *In Galliis, civitate Sedunno, loco Agauno. Agaunum* veteribus *Gallis ſaxum*, aut *petra* dicebatur, quare nomen huic loco a rupe aliqua Alpina indiderunt. De loci ſitu Joſias Simlerus in Deſcriptione Valleſiæ lib. 1I. pag. 110. & Valeſius in Notitia pag. 3.

tia pag. 3. Distabat XII. mille passus ab *Octoduro*. *Seduni* populi in Penninis alpibus urbem cognominem habuere, quæ vulgo *Sion* dicitur. At ad *Agaunensium* martyrum cultum revertor. Missa *sancti ac beatissimi Mauricii cum sociis suis* habetur in Missali Gothico num. LXIV. Ibi *sexmille sexcenti martyres* nominantur. Ibidem etiam *Agaunenses* non semel appellantur. Item *Thebæorum exercitus*. In vetustioribus Sacramentariis Gregorianis ad Ecclesiæ Romanæ usum desideratur Missa hac die in natali sanctorum *Mauricii* & sociorum; sed in aliis plerisque habetur, ut in Palat. Vat. 495. 496. & in Missali plenario Vat. 4770., & in aliis apud Menardum in Notis ad Sacramentarium pag. 180. Lubet autem afferre orationes, quæ in Sacramentario Palat. Vat. 496. leguntur. Prima oratio est: *Annue, quæsumus, omnipotens Deus, ut nos sanctorum martyrum tuorum Mauritii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, & Vitalis, ac sociorum eorum lætificet festiva solemnitas, ut quorum suffragiis nitimur, natalicіis gloriemur*. Per. Secreta: *Suscipe, Domine, munera, quæ in sanctorum martyrum tuorum Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, & Vitalis, ac sociorum eorum commemoratione deferimus, & præsta, ut quorum honore sunt grata, eorum nobis fiant intercessione salubria*. Per. Ad com: *Cælestibus refecti sacramentis, & gaudiis, supplices te rogamus, omnipotens Deus, ut quorum gloriamur triumphis, protegamur auxiliis*. Per. Eædem ferme sunt orationes in hodierno Missali Romano. Aliæ vero leguntur in Missali plenario Vat. 4770. At quid in his immoramur, quum ad cultum, encomia, & Acta horum martyrum quod pertinet, uberrime Ruinartius in Admonitione prævia ad horum Acta, sancto *Eucherio* Lugdunensi Episcopo auctore, id præstiterit? Lege illum igitur in Actis selectis pag. 285. & *seq.* ac Tillemontium tom. IV. pag. 421. neque prætereas quæ a Sollerio in Usuardum hac die adnotantur, & promittuntur adversus hypercriticam Dissertationem Anglice, & Gallice editam. Acta sincera, prænotante Ruinartio, eruit Petrus Franciscus Chiffletius, & vulgavit in *Paulino illustrata*. Eadem ad varios codices collata rursus edidit Ruinartius. Ea, quæ nos vidimus in codicibus Canonicorum Forojuliensium, ita incipiunt: *Tempore Diocletiani, qui Romanæ reipublicæ cum Maximiano collega imperium tenuit, per diversas fere provincias fere laniati sunt &c.* usque: *quod a Deo misericorditer, & a sanctis factum constitisset*. Post hæc aliqua in Actis apud Ruinartium sequuntur. Aliter incipiunt in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 235. Horum exordium est: *Temporibus Diocletiani &c.* usque: *sunt scriptæ*. Codex alius ejusdem Reginæ 528. pag. 126. habet: *Diocletianus quondam Romanæ &c.* usque, *& laudibus frequentamus. Adjuvante &c.* Multa ex Gregorio Turonensi, & aliis de horum martyrum cultu affert Baronius in Notationibus hac die, qui ad an. 297. num. I. & *seq.* ad eundem annum martyrium Agaunensium martyrum refert. Ruinartius vero ad annum 286. Pagius in Critica ad an. 297. num. II. monet, apud Surium, Eucherii narrationem, ex qua Baronius sumpsit, spuriam esse, ac sinceram a Chiffletio erutam fuisse. De *Agaunensi* monasterio, vulgo postea *S. Mauritii*, quod circa annum Christi 515. florebat, Mabillonius sæculo I. Benedictino pag. 568. & Annal. Bened. lib. I. §. LXIX. & *seq.* ad annum Christi 515.

Emmerammi, seu Hemmerammi.

Sequitur in nostris codicibus *Hemeramus*, seu *Emeramus*, aut *Hemmerammus* martyr, varie a barbaris scriptoribus corruptus. De eo primum agit, ut Sollerio videtur, Rabanus, deinde Usuardus, & Wandelbertus. Ex aliqua hujus martyris vita sumptum fuisse elogium ab Adone censet Sollerius. Agunt præterea Augustanum, & Kalendarium Vat. 3806. Usuardi de S. *Emmerammo* elogium apud Sollerium ita habet: *Apud Bewariam, sancti Emmerammi Episcopi & martyris. Hic crimen stupri a quadam commissum, sibi causa Christi imputari suasit, ac proinde mortis discrimen patienter pertulit*. In codice Usuardi Pratensi, uti testatur Bovvillartius, verba illa *sancti Heimerami*, superinducta lituræ sunt; ac insuper a verbo *stupri* usque *pertulit*. In aliis codicibus, inquit, nullum lituræ vestigium apparet, at quæ correctio, subdit Bovvillartius, omnibus exemplis est vetustior, cui, præter quam auctori, tribuenda est? A nostris sane codicibus narratio de stupri crimine abest. Et Sollerius ipse fatetur, in Martyrologio Romano *Emmerammi* elogium modeste exaratum esse, dum habet: *Ratisponæ in Bavaria, sancti Emerami Episcopi & martyris, qui ut alios liberaret, mortem sævissimam Christi causa patienter subiit*. Hujus martyris gesta scripsere *Aribo* Prisingensis Episcopus, qui vixit Caroli M. ætate, deinde sæculo XI. *Meginfredus* Magdeburgensis præpositus, ab *Arnolfo* monasterii S. Emmerammi præfecto rogatus, qui *Arnulfus* duos libros de miraculis hujus martyris edidit. Hæc opuscula habes apud Canisium antiquarum lectionum tom. II. pag. 1. 35. & *seq.* primæ editionis. *Emmerammus*, ut rem paucis complectamur, *Pictavis*, in Gallia ortus, Bajoariam sæculo Christi septimo adiit, & Noricos fidei Christianæ mysteriis imbuit. A *Lamberto* tyranno, quem ob scelera increpare non cessabat, morte mulctatus est, & ab ejus satellitibus membratim cæsus. Illius membra collecta, & in villa *Ascheima* sepulta, inde in urbem *Ratisponam* translata sunt, *Theodone* Principe, & in Ecclesia B. Georgii martyris condita. Postea, curante *Garibaldo*, seu *Gevvibaldo*, quem A. D. 739. Ratisponensem Episcopum Bonifacius

eius Moguntinus Archiepiscopus instituerat, in novum monumentum S. *Emmerammi* reliquiæ delatæ sunt, ubi novæ extra urbem Ecclesiæ, hujus martyris titulo insignitæ, nomen indiderunt. Annus martyrii a Baronio ad an. 702. num. III. huic anno 702. alligatur; sed Pagius in Critica ad an. 652. num. VII. ad eundem annum 652. referendum esse contendit, cui sententiæ adhæret Eccardus rerum Francicarum lib. XIII. §. XVII. & epitaphium ad hujus martyris sepulcrum ante altare S. Georgii positum profert ab Andrea Ratisponensi in Chronico relatum, ubi passum fuisse A.D. 652. legitur. Recens tamen hujusmodi epitaphium videtur Eccardo, quia *Episcopus Pictaviensis* Emmerammus dicitur, quum patria tantum *Pictaviensis* fuerit; & censet falso existimari, eundem *Emmerammum* Ratisponensem Episcopum fuisse, quum in Bavaria nulla ante Christi sæculum VIII. Episcopalis sedes erecta fuerit. Codices nostri, & Usuardus Episcopum eum faciant, an forte fuit Episcopus regionarius? De origine monasterii S. *Emmerammi*, Mabillon. Annal. Bened. lib. XXI. §. 1.

Ab apographis nostris duobus memoratur hac die exceptio corporis S. *Germani Autissiodorensis* ab Italia. De translatione hujusmodi ad hanc diem Usuardi Auctaria, & Martyrologium apud Ruinartium in notis ad Historiam Persecutionis Wandalicæ pag. 213. De hac translatione Ravenna Autissiodorum agit Constantius presbyter Lugdunensis in vita ejusdem S. Germani lib. II. cap. XIX. & ex eo Baronius ad an. 435. num. XXI. XXII. At S. *Germanus*, censente Pagio ad eundem an. 435. n. XXXVI. *& seq.* *Ravennæ* obiit *pridie Kalendas Augustas* an. 448. quare nonnisi eo anno hæc translatio facta fuit. De hac item translatione raptim Chronicon vetus editum a Ruinartio in Historia persecutionis Wandalicæ pag. 114. *Germani ex Italia translat.*

Johannis Reomensis Abbatis translatio, de qua codices nostri, recolitur item hac die in quibusdam Usuardi Auctariis. Vide quæ de eo diximus ad diem XXVIII. *Januarii*. De ejus translatione Mabillonius sæculo I. Bened. pag. 639. Prima translatio facta fuit a *Leopardino* Abbate, secunda a *Bettone* Lingonensi Antistite, Caroli M. imperio, tertia in oppidum *Sinemurum*, vulgo *Semur*, ob Normannorum incursiones. *Translat. Jo: Ab.*

G. IX. KALENDAS OCTOBRIS. 23. *Sept.*

NATALE sancti Sosii diaconi Mesenatæ civitatis in Campania. Qui cum esset annorum triginta, martyrium cum beato Januario Beneventi Episcopo, capitis decollatione suscepit, tempore Diocletiani Imperatoris. Is cum tempore quodam Evangelium legeret in Ecclesia Mesenatæ civitatis, præsente Januario (frequenter enim eum pro sanctitate, & prudentia ejus visitare consueverat) vidit subito idem Episcopus de capite ejus flammam exurgere, quam nemo alius vidit: pronuntiavit eum Martyrem futurum. Et post non multos dies diaconus tentus, & in carcerem missus est. Ad quem visitandum cum venisset Episcopus cum diacono Festo, & lectore suo Desiderio, & ipse cum eis simul tentus, ac pariter omnes cum aliis tribus occisi sunt. *Sosii.*

Eodem die, natale sanctæ Theclæ virginis, apud Seleuciam quiescentis: quæ de civitate Iconio a beato Paulo Apostolo instructa est. Quam mater ejus cernens Christianam, & nuptum repudiare, malentem Christo sponso adhærere, quam corruptioni carnis subjacere: pergens ad Judicem, accusavit virginem filiam suam esse Christianam dicens, vivam eam ut ceteræ mulieres terrerentur, debere ardere. Quam sibi cum jussisset Judex adduci, & propositum castitatis ejus perdidicisset, *Theclæ.*

 ro-

rogum fecit parari, ut illam incenderet. Rapta igitur ab apparitoribus ut in focum jactaretur, sponte pyram ascendit, & signo Crucis facto, virili animo inter medias flammas stetit. Subitoque facta inundatione pluviarum, ignis extinctus est, & beata virgo illæsa virtute superna eripitur. Iterum cum jejuniis, vigiliis, & orationibus vacaret, a quodam viro potente comprehensa, perducta est ad Præsidem, quod se Christianam diceret. Quam isdem Proconsul interrogans, si vere esset quod accusabatur: respondit, omnino Christianam se esse. Quam continuo Præses ad bestias damnavit. Interim tamen quo subrigeretur, commendatur cuidam nobili feminæ, quæ propinqua Cæsaris erat, nomine Triphena. Sequenti die productæ sunt bestiæ de caveis: sistitur beata Thecla in arenis mediis, stupente populo, quod eam bestiæ minime tangerent. Reducitur beata Thecla ad domum Triphenæ, ut in crastinum iterum feris objiceretur. Quam ministri cum de domo repeterent, Triphena doloris plena sequitur eam usque ad spectaculum, ubi clamor vulgi, & tumultus erat immensus, beatam Theclam spectantium. Nudata vero beata virgine, dimittuntur ei leones pariter & ursi. Sed nulla ferarum eam lædere præsumpsit. Deinde in fossam aqua plenam, ubi serpentes adunati, & collecti fuerant, a furentibus populis cum urgeretur, signo Crucis munita insiluit: sed nec ab eis ullo pacto læsa. Iterum atrociores bestiæ parantur: sed ullo modo tangere eam non sunt permissæ. Verum nec adhuc sibi crudelitas modum ponit. Alligatur duobus tauris ferocissimis, ferro candente stimulatis, ut eam discerperent. Qui funibus diruptis, vagabundi huc illucque discurrunt, ac Martyrem nullius mali passam, relinquunt. Accersitam denique Proconsul eam requirit, quæ, aut unde esset, quia nulla bestiarum eam lædere potuisset. Beata Thecla respondit: Dei vivi tantum sum ancilla. Territus autem Proconsul, quod tantæ virtutis esset, induens eam vestibus, edixit sententiam: Theclam, inquit, pietatis, ac Dei cultricem relaxo. Dimissa vero, reversa est in domum Triphenæ, ubi requievit paucis diebus, docens Triphenam, & domum ejus in fide Domini nostri Jesu Christi. Inde egressa, venit Seleuciam, ibique exemplo, & conversatione vitæ, atque etiam doctrina plurimos erudiens, post multa certamina duplicis coronæ virginitatis, & martyrii, requievit in pace.

VARIA LECTIO. Ed. *Natale sancti Sosii &c.* Cod. 511. 512. 514. *In Campania, natalis sancti Sosii diaconi Mesenatæ civitatis &c,* prout in editis.

ADNO-

Sossi. ADNOTATIO. De *Sosio* Diacono Miseoatis civitatis in Campania iterum ac seorsim agunt hac die pervetustæ Latioorum tabulæ, postqoam de eo conjunctim cum *Januario* & sociis die XIX. hujus egerunt. Eum itaque in primis recolit hac die Kalendarium Carthaginense, quamvis ad hanc diem aliquot Kalendarum numeri vetustate corrupti sint. Habet enim post natalem sancti *Januarii*, alia die ... *Kal. Octobris sancti Sossi*. De eo præterea cum elogio die XXIII. *Septembris* agunt Beda, Rabanus, Ado, & Usuardus. Meminere Romanum parvum, Notkerus, Wandelbertus, & Martyrologium Ottobonianum. Cætera de illius martyrio una cum sociis vide ad diem XIX. *Septembris*.

Thecla. De *Thecla*, quæ inter virgines *protomartyr* dicitur, agunt veterrimæ Latinorom atque Græcorum tabulæ. Variis diebus ab apographis Hieronymianis colitur, ut animadvertit Florentinius in Notis hac die. Apographum Florentinii Lucense hac die habet: *In Seleucia, natalis Theclæ virginis, quæ Romæ igne deposito evasit*. Epternacense: *In Oriente, Theclæ*. Corbejense: *In Seleucia, natalis sanctæ Theclæ martyris*. Corbejense brevius ita, sed loco *martyris* habet *virginis*. Romanum parvum: *Et Theclæ virginis, Seleuciæ quiescentis*. Agunt cum brevi elogio Beda, Rabanus, & Usuardus. Fusior est Ado, quem imitatur Notkerus. Gellonense, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanom, & Labbeanum: *Theclæ virginis*, tantum. Martyrologiom Fuldense fere ad verbum Rabanum describit. Wandelbertus eam martyrem statuit, hocce versiculo:

Nonam Tecla tenet roseo perfusa cruore.

Hinc Sollerius scribit, unum Wandelbertum inter Martyrologos, *Theclam* vero martyrio coronatam affirmare. At affirmat etiam apographum Hieronymianum Corbejense. Agunt denique Martyrologium Ottobonianum, Kalendarium Vat. 3806. & alii. Græci in Menologiis postridie hujus diei. De *Thecla virgine*, iterum die XVII. *Novembris* Richenoviense, Labbeanum, & Kalendarium Palat. Vat. 485. Idem Richenoviense die XXII. *Februarii* habet: *Nicomediæ, sanctæ Theclæ virginis*. Ea die Augustanum, & Labbeanum: *Theclæ virginis*, tantum. Eadem vero die Corbejense brevius: *Nicomediæ, natalis sanctæ Theclæ virginis, discipulæ sancti Pauli Apostoli*. Item ea die Martyrologium Reginæ Suecorum: *Nicomediæ, natalis sanctæ Teclæ virginis*. Hieronymiana ea die: *In Nicomedia, natalis Teclæ virginis, discipulæ sancti Pauli Apostoli*. Postrema verba *discipulæ &c.* Desiderantur in apographo Epternacensi. Cur vero *Nicomediæ* in quibusdam ex his recolitur? Torquetur ea de re Florentinius in Notis ad diem XXII. *Februarii*, & ad aliquam reliquiarum *Theclæ* ad urbem *Nicomediensem* translationem hæc refert. Demum Richenoviense ad diem XX. *Dec.* habet: *Et Iconis, Teclæ*. Labbeanum ea die: *In Oriente, Teclæ, Liberati*. At illustrior est *Thecla* ob Patrum encomia, de quibus fuse Baronius in Notationibus hac die, & ad an. 47. num. II. *& seq.* ubi etiam disquirit, an Acta passionis sanctæ Theclæ, quæ passim leguntur, eadem sint ac illa, quæ Tertullianus, Hieronymus, & Gelasius Papa inter apocrypha rejecerunt. Corrupta tamen esse hæc Acta ostendere conatur Tillemontius tom. II. pag. 60. *& seq.* Vulgata Acta in codice Canonicorum Forojuliensium ita incipiunt: *Ab Antiochia Iconium veniente Paulo Apostolo &c.* usque, *& eam multos confortaret & illuminaret in fide recta cum gratiarum actione requiescit in pace, nona Kalendarum Octobrium: regnante Domino nostro &c.* Acta incerti auctoris, quæ Tertullianus legisse videtur, edita fuere Græce & Latine a Jo: Ernesto Grabio in Spicilegio Patrum tom. I. pag. 95. editionis Oxoniensis an. 1698. Locum supplevit Thomas Hearne in Appendice ad Jo: Lelandi collectanea tom. VI. pag. 68. 69. Basilius Seleuciensis Episcopus *Acta & miracula sanctæ Apostoli & protomartyris Theclæ, virginis Iconiensis*, libris duobus soluta oratione complexus est, quæ Latine vertit & edidit Petrus Pantinus, *Antverpiæ* an. 1608. Eis subjecit Acta Theclæ Græce & Latine a Simeone Metaphraste scripta. Memoratus Basilius Seleuciensis scripsit etiam res gestas *Theclæ* ligata oratione, uti testatur Photius in Bibliotheca cod. CLXVIII. Sed hæc jampridem interciderunt. Inter spuria amandantur, quæ Chrysostomi nomine de *Thecla* habentur. Exstat etiam illius elogium, auctore Niceta Paphlagone, Græce & Latine in Auctario novissimo Combefisii tom. I. pag. 445. & Latine in Bibliotheca Patrum Lugdun t. XVII. pag. 426. Romæ *Theclæ* cultus ex vetustis in illius honorem erectis Ecclesiis agnoscitur. Nam fuit Monasterium sanctæ *Theclæ* prope basilicam Vaticanam, de quo in Diplomatibus Jo. XIX. & Benedicti IX. apud Ughellum tom. I. pag. 111. 123. Haud procul etiam a basilica sancti Pauli, via Ostiensi, erat Ecclesia *sanctæ Theclæ*, uti affirmat Notitia ab Eccardo edita.

A. VIII.

24. *Sept.* *A. VIII. KALENDAS OCTOBRIS.*

Concept. S. Jo. Baptistæ. CONCEPTIO S. Joannis Baptistæ Domini.

Et in Augustoduno, natalis S. Andochii presbyteri, Thyrsi diaconi, & Felicis. Qui a sancto Polycarpo Episcopo ab Oriente directi ad docendam Galliam, sub Aureliano principe sunt gloriosissime coronati. Siquidem flagellis cæsi, in ultimo, toto die inversis manibus suspensi, & in ignem missi, sed non combusti. Tandem vectibus colla feriuntur, atque ita martyrium suum gloriosissime compleverunt octavo Kalendas Octobris. *Andochii, & soc.*

VARIA LECTIO. Ed. *Conceptio &c.* Cod. 511. 512. 514. *Conceptio sancti Johannis Baptistæ. Et in Augustoduno &c.* pro ut in editis.

Concept. S. Jo. Baptistæ. *ADNOTATIO.* In vetustis omnibus Græcorum & Latinorum tabulis celebrator hac die *conceptio S. Jo: Baptistæ*. Agunt enim de ea Hieronymiana, Beda, Gellonense, Romanum parvum, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Notkerus, Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Ottobonianum, & Kalendarium Vatic. 3806. In Hieronymianis & aliis in *Macheruute* castello hæc conceptio designatur. Vide de *Macheruute* Baronium in Apparatu n. LXVIII. Florentinium in notis hac die pag. 855. & ejus Exercitationem ibi. p. 857. *& seq.* Bollandianos tom. IV. *Junii* pag. 701. *& seq.* & Calmetum verbo *Macherus*. Confer etiam quæ die XXIV. *Junii* adnotavimus.

Miratur Florentinius, cur in Martyrologio Romano omissa fuerit S. *Jo: Baptistæ conceptio*, quum in fastis omnibus Græcorum, & Latinorum recolatur. Habetur Jo: Chrysostomi nomine Sermo in conceptionem S. Jo: Baptistæ, sed in nova editione inter spuria est ablegatus.

Andochius presbyter, *Thyrsus* diaconus, & *Felix*, in *Æduis* martyres, coluntur hac die a Hieronymianis, a Beda, Rabano, Adone, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, & Hagiologio Franco-gallico. De *Andochio* mentio in vulgatis Actis S. *Symphoriani* die XXII. *Augusti*, & in Actis sanctorum *Speusippi* & sociorum die XVII. *Januarii*. In Missali Gothico n. LXIII. in missa S. Symphoriani, exemplo *Andochii*, & *Benigni* ad palmam martyrii Symphorianus pervenisse dicitur. *Sedelocus*, seu *vicus Sedulus*, in Hieronymianis mirum in modum corrupte est exaratus, ut & alibi. Memoratur in Itinerario Antonini, ubi legendum est *Sidoloneum*, ut monet Valesius ad Ammiani lib. XVI. cap. II. Olim fuit in Lugdunensi Gallia, nunc in Burgondiæ Ducatu, & vulgo appellatur *Saulieu*. Passi dicuntur hi martyres sub *Aureliano* Imperatore. *Andochii, & soc.*

---

25. *Sept.* *B. VII. KALENDAS OCTOBRIS.*

Cleophæ. NATALIS B. Cleophæ, cui Dominus post resurrectionem in via apparuit. Vide lib. de fest. Apost.

Lupi. Lugduni, sancti Lupi Episcopi ex anachoreta.

VARIA LECTIO. Ed: *Natalis B. Cleophæ &c.* Cod. 511. 512. 514. *Natalis beati Cleophæ &c.* prout in libello de festivitatibus Apostolorum. Post verbum *ex anachoreta*, sequitur in eisdem codicibus. „ Au-

„ Autissiodoro, natalis & translatio corporis sancti Aunarii Episcopi & confes- *Aunarii*:
„ soris, cujus & vita virtutibus insignis fuit, & mors nihilominus signis & prodi-
„ giis decoratur. Ambianis civitate, natalis sancti Firmini Episcopi & confess. (su- *Firmini*.
„ pra scriptum est *mart.*) primi civitatis ipsius. Ipso die, sancti Herculiani militis, *Herculiani*.
„ qui in passione sancti Alexandri Episcopi legitur.

Cleopha. ADNOTATIO. De *Cleopha* hac die agunt Romanum parvum, Ado, Usuardus, Notkerus, & Martyrologium Fuldense. Græci agunt die XIII. *Octobris*. Ado, Usuardus, Notkerus, & Martyrologium Fuldense inter martyres *Cleopham* adscribunt, qua fide, hacteous se nou reperisse testatur Sollerius. De eo, ejusque cum Christo Domino cognatiooe, vel affinitate Tillemontius tom. I. pag. 366. 459. & 612. Vide Calmetum, verbo *Cleopha*.

Lupi. *Lupi depositio* pridie hujus diei memoratur u Hieronymiaois, sed apographum Epternacensa pro *Lugduno*, *Augustoduno* habet. Corbejense, *Lugduni*. Eadem die agit Augustanum. Ado vero, Usuardus, Wandelbertus, & alii agunt hac die. De illius rebus gestis nonnulla colliges ex Severtii Chronologia Historica pag. 84. *& seq.* Fuit ante Episcopatum monachus Insulæ Barbaræ, ut innuit Mabillonius Annal. Bened. lib. I. §. XXVI. Obiit c. A. D. 540. Vide Galliam Christianam novæ editionis in Lugdunensibus no. XXVI. pag. 32. Præfuisse videtur Coocilio Arelatensi III. A. D. 538.

Aunarii. Sequitur io oostris codicibus *Aunarius*, quibusdam *Anianus*, *Auacharius*, *Aunacharius*, & *Ancharius*, Episcopus *Autissiodorensis*, de quo inter veteres Martyrologos Usuardus genuinus, Martyrologium Fuldense, & Hagiologium Francogallicum. De eo pluribus in Historia Episcoporom Autissiodorensium apod Hericum monachum pag. 419. 518. Utrum ab Usuardo primum, ut censet Sollerius, consignetur, eruditorum sententias poscimus. Synodum Autissiodorensem A. D. 578. celebravit, de qua plura Mabillooius Aunal. Beoed. lib. VI. §. LXXIII. *& seq.* Obiit c. A. D. 605. De illius translatione in basilicam S. Germaoi agit etiam Martyrologium Fuldense. De ea Hericus monachus cap. XIX. & Anonymus io vita apud Labbeum Biblioth. novæ MSS. tom. I. pag. 528.

Firminus Episcopus *Ambianensis* & martyr celebratur hac die a Rabano, Floro, Adone Mosandri, Usuardo, Wandelberto, Corbejensi breviore, Martyrologio Fuldensi, Hagiologio Francogallico, & Kalendario Vatic. 3806. In apographis nostris, & in Martyrologio Fuldensi primus Ambianorum, quorum urbs caput fuit *Samabriva*, postea *Ambianensium*, & *Ambiani* civitas appellata, vulgo *Amiens*, Episcopus fuisse dicitur. Illius Acta ex codicibus annorum ultra oongentorum citat Ruinartius Præfatione ad Acta martyrum pag. LXV., sincera tameo ea non esse suspicatur Sollerius, sed aotiqua. Passus est Sæculo Christi tertio c. A. D. 287. *Firmini.*

Herculianus miles & martyr colitur hac die ab Usuardo genuino, silentibus aliis, præterquam apographis nostris. Sollerius existimat, titulum *militis* ei ab Usuardo proprio marte inditum, quum in elogio *Alexandri* Episcopi apud Adonem die XXVI. *Novembris* dicatur tantum *juvenis ex officio Antonini*, at io apographis nostris *miles* appellatur. *Herculiani.*

C. VI. KALENDAS OCTOBRIS. 26. Sept.

NATALE sanctorum martyrum Cypriani Episcopi, & Justinæ: qui passi sunt sub Diocletiano Imperatore, judice Eutolmio. Justinæ pater erat Dusius apud civitatem Antiochiam. Qui viam religionis a diacono nomine Prohelio audientes, baptizati sunt a sancto Episcopo Optato. Virgo autem Justina Domino serviens, frequentabat ecclesiam. Hanc Agladius scholasticus videns, exarsit ob amorem ejus. Et cum nullo modo posset pertingere ad illam, rogavit Cyprianum magum, promisitque ei duo talenta auri, si virginem Justinam in amorem ejus excitare posset. Cyprianus autem magus vocatis dæmonibus, cœpit *Cypriani, & Justinæ.*

cœpit agere, ut virginem Christi ei adducerent. Qui semel, bis, & tertio venientes ad beatam Justinam, nihil apud illam suis deceptionibus valuerunt: sed signo Crucis repulsi, victi recesserunt. Cyprianus vero cum illorum virtutem adversus virginem haudquaquam valuisse videret, dicit ad diabolum: Dic mihi, quemadmodum victi estis a virgine Justina? Cui diabolus: Dicere tibi non possumus nisi prius jures mihi. Cumque Cyprianus illi jurasset, ait diabolus: Vidi signum Crucifixi, & extimui. Cyprianus dixit: Ergo Crucifixus major te est? Dicit ei diabolus: Etiam; major enim est omnium. Quod audiens Cyprianus, contemnens virtutem diaboli, & currens venit ad Episcopum Anthimum, cecidítque ad pedes ejus, rogans, ut doceret eum, & Baptismo Christi consignaret. Beatus autem Episcopus gratias agens Deo, catechizavit eum. Et revertens Cyprianus in domum suam, omnia idola confregit. Tunc rediens ad ecclesiam, diligenter salutis verbum auscultare cœpit. Hora deinde residens, qua catechumeni foras mittebantur Ecclesiam, monitus est a diacono, ut cum reliquis catechumenis egrederetur. Conversus vero ad diaconum, dicit ei: Servus factus sum Christi, & foras me mittis? Dicit ei diaconus: Factus es perfectus servus Dei? Cyprianus inquit: Vivit mihi Christus, qui dæmones confudit, & mihi misertus est, quia non exeo hinc, nisi perfectus fuero servus Christi. Diaconus vero Anthimo Episcopo hæc renuntiavit: qui secundum ordinem instructum baptizavit eum, & non multo post etiam Diaconum ordinavit. Qui doctrina, & moribus plusquam dici possit excrescens, miraculorum gratia præclarissime floruit. Verum non multo interjecto tempore factus est Episcopus, sanctamque Justinam matrem virginum constituit. Quorum virtutem non ferens diabolus, per satellites suos apud Eutolmium comitem Orientis egit, ut comprehenderetur Cyprianus Episcopus, & virgo Christi Justina. Cujus ante conspectum vinculis ligati, cum fuissent adducti, Comes dixit ad beatum Cyprianum: Tu es Cyprianus doctor Christianorum, qui per maleficia multos errare fecisti? Beatus Cyprianus dixit: Aliquando in perditione dæmonum positus, multos luxuriosos feci: sed salvavit me Deus per virginem Justinam, dum eam per dæmonia tentare vellem, quæ illa fide Christi armata per omnia contempsit. Comes iniquus jussit, sanctum Episcopum post hæc suspendi, & exungulari: beatam vero Justinam post alapas, crudis nervis immaniter cædi: deinde sanctum Episcopum in carcerem recludi, & sanctam virginem in domo cujusdam matronæ custodiri. Qui post aliquot dies in sui præsentiam reductos,

reductos, in sartagine ferrea jussit torreri, picem, adipem, & ceram desuper ministris infundentibus. Et cum ibi laudem omnipotenti Deo dicerent, Athanasius sacerdos idolorum postulavit Comitem, dicens: Jubeat claritas tua, & in nomine Deorum vincam virtutem Christianorum. Et cum appropinquasset ad sartaginem, erupit flamma, & consumpsit illum. Comes, acceptis tot miraculis, quæ Christus in servis suis operabatur, scripsit Imperatori, quid super eis juberet. Qui rescripsit, ut dirigerentur Nicomediam, & ibi gladio ferirentur. Perducti igitur ad locum sunt decollationis, & vidit eos quidam Christianus * Theognitus, & accurrens osculatus est Cyprianum. Quod cernens Servius cognatus Regis, iratus egit, ut cum sanctis Cypriano & Justina Theognitus decollaretur. Et jacuerunt corpora sanctorum projecta feris sex diebus insepulta. Quidam autem nautæ Christiani nocte rapuerunt ea, & navigantes deportaverunt ad urbem Romam. Et matrona venerabilis Rufina reverenter excipiens illa, sepelivit in prædio suo. Passi sunt autem sexto Kalendas Octobris.

* Al. Teognides.

VARIA LECTIO. Ed. *Et matrona venerabilis &c.* Cod. 511. 512. 514. *Quæ matrona quædam nobilis Rufina reverenter excipiens, sepelivit in prædio suo. Passi sunt autem* VI. *Kal. Octob.*

Cypriani & Justinæ.

ADNOTATIO. *Cyprianus & Justina* martyres apud Græcos & Latinos Hagiographos illustres sunt. De his agunt Latini fere omnes, silentibus tamen apographis Hieronymianis. Agunt autem Beda, Rabanus, Romanum parvum, Ado noster fuse ex Actis, breviter Usuardus, Wandelbertus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Augustanum inter Auctaria, & Kalendarium Vat. 3806. Romanum parvum habet, horum corpora Romam fuisse translata, ut & Acta præferunt. Celebrantur a sancto Adhelmo. Græci agunt die 11. *Octobris*. Acta Græce a Metaphraste conscripta, veluti apocrypha, atque in multis fabulosa rejiciuntur a Baronio in Notationibus hac die, & ab aliis recentioribus, ut a Tillemontio tom. V. pag. 329. *& seq.* qui probabilia a falsis secrevit. Ab ipsomet Gregorio Nasianzeno commisceri orationes XVIII. Cyprianum Carthaginensem cum hoc Cypriano, jampridem monuit Baronius, & post eum alii. Sunt & alia censura digna in Metaphrastæ Actis, de quibus recentiores. Acta Latina, quæ circumferuntur, non ita corrupta esse existimat Baronius. Ea in codicibus Canonicorum Forojuliensium ita habent, præmisso hoc titulo: *Passio sanctorum Justinæ virginis, Cypriani Episcopi, & Theogniti martyrum Christi. Illuminatione Domini nostri Jesu Christi Salvatoris de cælo facta, completis verbis prophetarum, omnis qui illuminatus fuerat verba Dei credens in Deo Patre, & Domino Jesu Christo baptizabatur &c.* usque: *Suscepit autem hæc corpora sancta, videlicet Cypriani & Justinæ, & Theogniti martyrum religiosa matrona urbis Romæ, nomine Rufina, & genere claro, & sepelivit in domo sua. In quo loco dæmoniaci curantur, & variæ infirmitates accipiunt sanitatem meritis eorum. Glorificantes patrem & filium &c. Antiochia*, & *Nicomedia* locus martyrii eorum præfigitur; quod, ut recentiores censent, *Antiochiæ* cruciatibus subjecti fuerint, *Nicomediæ* vero martyrio affecti.

27. Sept.

D. V. KALENDAS OCTOBRIS.

Cosmæ & Damiani. Greg. Tur. de gloria Martyrum cap. 98.

APUD Ægæam civitatem, natale sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani, persecutione Diocletiani, sub præside Lysia. Hi venerabili matre geniti, sacris litteris eruditi, professione artis medici, virtutibus erant clarissimi. Horum religionem audiens præses Lysias, misit apparitores, qui eos adducerent. Quos adspiciens interrogavit, ex qua provincia, aut quæ essent eorum nomina. Beatus Cosmas, & Damianus responderunt ei: Ex Arabia sumus. Nomina nostra Cosmas, & Damianus, Christiani sumus: sunt nobis & alii fratres, Anthimus, Leontius, Euprepius. Quos misso officio jussit sibi, Præses illico præsentari, & cœpit agere, ut sacrificarent. Et cum nulla ratione fundatos animos eorum supra petram Christum movere posset, manibus & pedibus vinctos, jussit eos fortiter torqueri, deinde sicut erant concatenati, in mare mergi. Quibus statim Angelus Domini affuit, & diruptis vinculis, e pelago liberavit. Hoc videntes milites renuntiaverunt Præsidi. Ille mox eis ad se reductis: Docete, inquit, me maleficia vestra, & ego sequor vos, communicans operibus vestris. Sancti vero responderunt: Christiani sumus, maleficia nescimus, & in Christi nomine maleficiorum virtutem contemnimus. Recepti sunt, jubente Præside, in carcerem. Et sequenti die Proconsul sedens pro tribunali, fecit copiosum ignem parari, & beatos Martyres de carcere productos in medio jactari. Sed orantibus Sanctis, ignis virtutem suam amisit. Superatus Præses, & quæ circa Martyres Dei provenerant, magicis artibus designans, suspendi ac torqueri eos iterum jubet. Sed cum grato & hilari vultu superiores tormentis persisterent, paratis crucibus impius Proconsul gloriosos Martyres suspendi atque extendi, ac lapidibus in cruce levatos persequi jubet. Sed cum ictus lapidum in jacientes retorquerentur, Præses furore succensus, sagittis eos aggredi jussit, ut saltem leviori volatu ferrum eis infigeretur. Verum cum nec in aliquo Sanctos læsissent, plurimi mittentium ac circumstantium vulneribus earum defecerunt. Cernens itaque Præses malitiam suam virtute divina superari, gladio animadverti illos jubet. Martyrizati autem sunt beati Cosmas & Damianus, Anthimus, Leontius, & Eutropius, XXVII. die mensis Septembris. Quorum corpora religiosi viri sepelierunt in loco venerabili, non longe a civitate Ægæa. Duorum autem fratrum Cosmæ, & Damiani memoriam Roma etiam, templo præclaro opere nomini eorum ædificato, solemniter agit.

VARIA

VARIA LECTIO. Ed: *Apud Ægeam* &c. Cod. 511. 512. 514. hac die ita habent:

" Apud Ægeam, natalis sanctorum Cosmæ & Damiani martyrum. Hi venerabili matre geniti: sacris litteris eruditi, professione artis medicæ, virtutibus clarissimi. Qui persecutione Dioclitiani post multa tormenta, vincula, & carceres: post mare, & ignes, crucem, lapidationem, & sagittas divinitus superatas, capite plectuntur. Passi sunt quoque cum eis tres fratres eorum Antimus, Leontius, & Euprepius: quorum corpora religiosi viri sepelierunt in loco venerabili non longe a civitate Ægea. Duorum autem fratrum Cosmæ & Damiani memoriam, Romæ etiam templo præclari operis nomine eorum exædificato psollempniter (sic) agit. *Cosmæ & Damiani.*

" Eodem die, sanctorum fratrum Adulfi & Johannis, qui apud Cordubam civitatem pro Christo coronati sunt. *Adulfi & Johannis.* Et in territorio Augustodunensi, passio sanctorum martyrum Florentini & Hilarii, qui cum apud castrum Pseudunum christianitatis operam darent: & jejunijs, & orationibus atque elemosinis inservirent, tandem tempti (sic) sunt, præcipiente Croco rege Wandalorum, qui Galliam vastabat, atque pro fide Christi post oris contusionem, post dentium confractionem, atque linguarum eradicationem capitali sententia puniuntur v. Kal. Octob. *Florentini & Hilarii.*

Cosmæ & Damiani. ADNOTATIO. *Cosmas & Damianus* martyres in Latinorum tabulis vetustissimis, apud Græcos die I. *Julii*, & XVII. *Octobris* coluntur. Inter Latinos agunt hac die apographa Hieronymiana, corrupto passionis loco, Beda, Gellonense, Rabanus, Romanum parvum, Ado, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottoboninum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Kalendarium Palat. Vat. 485. Vat. 3806. & cæteri recentiores. Præter Martyrologos horum martyrum cultus illustrior redditur ex libris Liturgicis S. R. E. veterrimis, nimirum ex sacro Missæ Canone, ubi eorum nomina recensentur, ex codice Sacramentorum Gelasiano, ubi pag. 172. hac die Missa legitur *in natali sanctorum Cosmæ & Damiani*. Prima oratio est: *Magnificet te, Domine*. Secreta: *In tuorum Domine*. Post com: *Sit nobis*. In Gregorianis etiam Sacramentariis omnibus vetustioribus, ut in Reginæ Suecorum, Ottoboniano, Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vatic. 495. & in Missali plenario Vat. 4770. Missa de his martyribus celebratur. In Palat. Vatic. 495. prima oratio est: *Præsta, quæsumus*. Secreta: *Sanctorum*. Ad com: *Protegat*. Quæ orationes in hodierno Romano Missali habentur. Quæ vero in Gelasiano statutæ sunt, nunc in Romano Missali dicuntur feria v. post Dominicam tertiam Quadragesimæ. In Missali plenario Vat. 4770. habetur Præfatio propria. Capitularia præterea Evangeliorum omnia tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 280. Evangelium statuunt legendum hac die *in natali sanctorum Cosmæ & Damiani*, prout Epistola ea die dicenda præfigitur in vetustissimo Lectionario libro ad usum Ecclesiæ Mediolanensis. Post horum martyrum cultum Liturgicum ad Martyrologia redire cogimur, in quibus locus martyrii *Ægea* urbs definitur, in Hieronymianis vero corrupte *Acia*, seu *Acila*, qua de re disputat Florentinius in notis p. 879. 880. ac forte putat, *Ægeæ* nomen transferri posse ad Ecclesiam in horum martyrum honorem ad *Ægeam* sinum ædificatam a Justiniano, de qua Procopius; verum in Hieronymianis corrupte scriptum esse censet Sollerius, ac legendum *Ægea*. Apographa nostra contracte horum martyrum elogium exhibent, ac magis accedunt ad Usuardi elogium, qui partim ex Beda, partim ex vulgato Adone sumpsisse visus est Sollerio. De Patrum in hos martyres encomiis, de reliquiis, & miraculis Baronius in Notationibus. Acta Græce concinnata sunt a Metaphraste, quæ a Baronio in Notationibus, tanquam mendosa traducuntur. Alia Græca Acta incerti Auctoris memorantur a Fabricio Bibliothecæ Græcæ tomo IX. pag. 68. 69. ex Syntagmate Historico de SS. Cosma & Damiano, edito *Vindobonæ* an. 1660. cum notis Simeonis Wagnereccii, & Reinholdi Dehnii, Societatis Jesu presbyterorum. Ibi tria fuisse paria martyrum, his nominibus insignita, contenditur. Quibus adhæret Cardinalis Bona lib. II. cap. XII. §. III. rer. Liturgic. ut scilicet *Arabum* memoria colatur die XVII. *Octobris*, *Romanorum* die I. *Julii*, *Confessorum* die I. *Novembris*. Amissis autem Actis Romanorum, *Arabes* in Romana Ecclesia die XXVII. *Septembris* substitutos fuisse. Confer Lambecium tom. VIII. p. 263. *& seq.* & quæ colligit Combefisius Bibl. Concionator. tom. VIII. pag. 187. *& seq.* Parum probabilis hæc distinctio aliis videtur. Vulgata Latinorum Acta apud Mombritium, Surium, ac in antiquis codicibus exarata, fideliora censentur Baronio. In codicibus Canonicorum Forojuliensium incipiunt: *Regnante Domino nostro Jesu Christo, cessante parvi temporis spatio persecutione paganorum, fuit in provincia Aravia mulier quædam reverentissi-*

tissima timens Deum nomine Theodora &c. usque : *& completum est sacrum martyrium sanctorum Cosmæ & Damiani, quinto Kalendas Octobris, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor & gloria in sæcula sæculorum. Amen*. Sequitur ibi : *Miraculum eorum. Deinde factum est post transitum sancti Cosmæ & Damiani, quod homo quidam* &c. Alia Acta in codice Reginæ Suecorum 528. pag. 131. hæc præferunt : *Passio sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani v. Kal. Octobris. Temporibus Diocletiani & Maximiani Imperatorum* &c. usque : *in hodiernum diem*. In Homiliario Vat. 3836. sæculi VIII. habetur pag. 231. Sermo *sancti Augustini* (ita ibi) *de natali sanctorum Cosmæ & Damiani*. Incipit : *Beatorum germanorum Cosmæ & Damiani* &c. Mirum sane videtur, ut Ado, & alii tradiderint, hos martyres Arabes, Romæ solemniter extructo templo præclari operis cultos fuisse, idque per ignorantiam fecisse, loco martyrum Romanorum, quorum Acta jam interierant. De SS. *Cosmæ & Damiani Basilica* ad locum, qui appellatur *via sacra* juxta templum urbis Romæ a Felice IV. ædificata, ex libro Pontificali, & aliis Baronius in Notationibus hac die, & ad an. 530. num. I. ubi in absida musivum opus ipsius *Felicis* imagine insignitum, adhuc conspicitur. De eo Ciampinus veterum moniment. P. II. cap. VII.

Adulfi, & Joannis. *Adulfus, & Joannes*, Cordubenses martyres Arabica persecutione A. D. 852. passi, ab uno Usuardo genuino hac die memorantur, ab aliis prætermissi, propterea existimat Sollerius, horum elogium pure Usuardinum esse. Codices nostri eadem verba, prout apud Usuardum, præferunt, quare alii dispicient, num Ado primum de his meminerit. De his Eulogius in Memoriali lib. II. cap. VIII. & lib. III. cap. XVII. Martinus de Roa in libris de martyribus Cordubensibus, pag. 153., qui eorum Acta interiisse dolet.

Florentini, & Hilarii. *Florentinus, & Hilarius* apud castrum *Pseudunum* martyres, a veteribus Hagiographis celebrantur, qui tamen *Florentinum* tantum commemorant, ut Hieronymiana, Gellonense, Augustanum, & Labbeanum. Agit de his Usuardus genuinus aliquanto contractius, quam habeant codices nostri Adoniani. A Mosandro & Rosvveido hi martyres in Adonianam Appendicem retrusi sunt ; qua de caussa, ignoramus. Sollerius in Præfatione ad Usuardum cap. III. art. II. num. 155. pag. XXXXI. ideo rejectos esse scribit, quia in Adonianis codicibus non leguntur, & Petrus tantum de Natalibus testis affertur. At habentur in tribus nostris codicibus Adonianis, & in Adone Sangermanensi apud Mabillonium sæculo IV. Bened. P. II. pag. 493. & præter Hieronymiana agunt alia vetera Hagiologia, ut vidimus. Disquirit etiam de loco, & anno martyrii Sollerius. Ad locum quod attinet, eum *Semont* vulgo vocari existimat. Mabillonius vero memorato loco, post multam summamque diligentiam, martyrii locum vulgo *Bremur* appellari didicit, ac esse in Æduensi diœcesi. Ex *Pseudone*, ortum putat vocabulum *Pseumont* ; nam *Dunum* apud veteres Gallos *montem* significat ; tum *Seumont*, ac tandem *Semont*. Ibidem Mabillonius duplicem Historiolam de translationibus sancti *Florentini* edidit ; quarum altera facta est Christi sæculo IX. in castrum sancti *Florentini* ad fluvium Armentionem, alia in Latiniacense monasterium anno 1094. Ruinartius in Historia persecutionis Wandalicæ pag. 409. de martyrio sanctorum *Florentini*, & *Hilarii* apud *Pseudunum*, Wandalice persecutione meminit. Quis sit *Crocus* rex Wandalorum, neque Mabillonius, neque Ruinartius produnt. Si passi sunt persecutione Wandalica, Christi sæculo V. passi sunt, non A. D. 264. ut a Castellano perperam adnotatum esse, nos monet Sollerius.

---

28. Sept.

E. IV. KALENDAS OCTOBRIS.

Fausti, Januarii, & Martialis. IN Hispaniis, civitate Corduba, natale sanctorum Fausti, Januarii, & Martialis : qui primo equulei pœna cruciati, deinde rasis superciliis, & auribus, ac naribus præcisis, dentibus quoque superioribus evulsis deturpati, ad ultimum ignis passione martyrium consummaverunt.

VARIA LECTIO. Post verbum *consummaverunt* ad extremum hac die, sequitur in codicibus 511. 512. 514.

Alodii. „ Autissiodoro, depositio beati Alodii Episcopi, qui fuit ex discipulis S. Germani.

„ mani. Et dum adhuc Ecclesiam divinitus sibi commissam ipse Apostolica dignitate regeret sui Abbas monasterii, post cujus quoque transitum gloriosum divina providentia cathedram suscepit Pontificalem, quam gloriose regens per annos circiter xix. mensem I. dies XII. tandem quievit in pace, & sepultus est in Ecclesia beati Germani antecessoris sui Episcopi & confessoris. Fuit autem sine Episcopo eo tempore annos x. propter barbaros.

Fausti, & soc.

ADNOTATIO. Coluntur *Faustus*, & socii martyres Cordubenses in veteribus Latinorum tabulis, sed non uno eodemque die. Agunt hac die Romanum parvum, Ado noster, & Notkerus. Richenoviense habet hac die: *In Affrica, Martialis, Leontii, Marii, Faustini, Victoris, Candidi.* Die vero XIII. Octobris: *In Spaniis, Fausti, Martialis, & Andriani.* Augustanum eadem die XIII. Octobris: *Fausti, Marcelli, Andriani, Januarii, Athanasii Episcopi.* Eadem Labbeanum, sed post *Marcellum* (rectius *Martialem*) addit, *Mariæ*. Ottobonianum ad diem XXVIII. *Septembris* habet: *In Affrica, natalis sanctorum Martialis, Laurentii, Mari, Faustini, & aliorum* XX. Die vero XIII. Octobris: *In Spaniis in Cordoba, Fausti, & Mariæ.* Codices nostri Adoniani bis agunt de *Fausto*, & sociis, nimirum die XXVIII. *Septembris*, & die XIII. *Octobris.* Usuardus genuinus agit tantum die XIII. *Octobris*. Utroque die coluntur a Waudelberto. Hieronymiana agunt die XIII. *Octobris*, ut & Martyrologium Romanum. Eorum Acta germana edidit Ruinartius pag. 597., præmissa de eorum cultu brevi eruditaque Admonitione. De his Prudentius hymno IV. & Breviarium Mozarabum. Incompertum est Ruinartio, quo tempore passi sint.

Alodius Episcopus *Autissiodorensis* colitur hac die a Hieronymianis, Gellonensi, Richenoviensi, Augustano, & Labbeano. Silet genuinus Usuardus, sed agunt ejus Auctaria. *Alodius* octavus ordine est inter Autissiodorenses Episcopos in Historia Episcoporum Autissiodorensium pag. 417. In illius elogio ibi ea recensentur, quæ in codicibus nostris leguntur. Quibus vixerit temporibus, eadem Historia pandit; nam vixisse perhibet: *temporibus Leonis Magni, atque Hilarii Romanorum Pontificum, imperantibus Leone atque Zenone.* *Alodii.*

F. III. KALENDAS OCTOBRIS. *29. Sept.*

IN Monte Gargano, venerabilis memoria beati Archangeli Michaelis, ubi ipsius consecrata nomini habetur Ecclesia, vili facta schemate, sed cælesti prædita virtute. Vertice siquidem montis excelsi posita, de corpore ejusdem saxi, speluncæ instar præcavato, ostenditur. Est autem locus in Campaniæ finibus, ubi inter sinum Adriaticum, & montem Garganum civitas * Sipontus posita est, qui a mœnibus civitatis a duodecim milibus præerectus, in cacumine suo supremo hanc toto orbe venerandam gestat Ecclesiam. Quæ hoc modo mortalibus cognita est. Quidam vir prædives nomine Garganus, qui ex adventu suo monti vocabulum indidit, infinita pecorum multitudine pollebat. Contigit autem, taurum armenti gregis consortia spernentem, singularem incedere solitum, & ad extremum redeunte pecore domum non reverti. Quem Dominus per devia quæque requirens, invenit tandem in vertice montis foribus cujusdam assistere speluncæ: quem cum sagitta appetisset, illa velut flamine venti retorta, eum, a quo jacta-

Michaelis Archangeli.

* MS. semper: *Sepontus*.

jactata est, mox reversa percussit. Turbati cives & stupefacti, qualiter res fuerit effecta (non enim accedere propius audebant) consulunt Episcopum, quid facto opus sit. Qui indicto jejunio triduano, a Deo monuit esse quærendum. Quo peracto, sanctus Michael Angelus apparuit Episcopo per visionem, dicens: Ego sum Michael Archangelus, qui in conspectu Dei semper assisto: ipsius loci esse me custodem, atque omnium quæ ibi geruntur inspectorem, hoc volui indicio probare. His revelatione compertis, consuetudinem fecerunt cives, hic Deum precibus, sanctumque intercessorem poscere Michaelem. Duas quidem januas ibi cernentes, quarum Australis, quæ & major erat, aliquot gradibus in Occasum urgentibus adiri poterat. Sed nec ultra cryptam intrare ausi, præ foribus quotidie orationi vacabant. Interea Neapolitæ Beneventanos bello lacessere tentant. Qui Antistitis sui monitis edocti, triduanum jejunium agunt: & ecce nocte ipsa, quæ belli præcedebat diem, idem in visione sanctus Michael apparens Antistiti, preces dixit eorum exauditas, spopondit victoriam, seque eis affuturum. Quod mox veritas facti demonstravit. Domumque victores reversi, vota Domino gratiarum ad templum festinant referre, videntque mane juxta januam Septemtrionalem, instar posterulæ pusillæ, quasi hominis vestigia marmori arctius impressa, agnoscuntque beatum Michaelem præsentiæ suæ signum voluisse monstrare: ubi postea culmine apposito, & altari imposito, ipsa ecclesia ob signa vestigiorum APPODONIA est vocata. Et postmodum collatione facta Sipontini, ad Orientem loci illius, B. Petri Apostolorum Principis nomine condunt ecclesiam. Iterum Romano Pontifice, & Sipontino Episcopo de consecratione loci ipsius quærentibus, ac propterea triduanum jejunium cum civibus suis celebrantibus, nocte jejunii suprema sanctus Michael Episcopo Sipontino per visionem apparens, monuit, ut intrarent Ecclesiam, quam ipse dicavit, & Missas juxta morem, ibi agerent. Meum, inquit, erit ostendere, quomodo per memetipsum locum consecraverim. Adveniunt mane cum oblationibus, & magna instantia precum intrant Regiam Australem. Et ecce longa porticus in Aquilonem porrecta, atque illam attingens posterulam, extra quam vestigia marmori diximus impressa. Sed priusquam huc venirent, apparet ad Orientem basilica pergrandis, qua per gradus ascenditur. Hæc cum ipsa porticu sua quingentos fere homines capere videbatur, altare venerandum, rubroque coopertum palliolo, prope medium parietis Meridiano

diano ostendens. Erat autem ipsa domus angulosa non in morem operis humani parietibus erectis, sed instar speluncæ præruptis, & sæpius eminentibus asperata scopulis. Culmine quoque petroso diversæ altitudinis, quod hic vertice tangi, alibi manu vix possit attingi: credo, docente Archangelo, Dominum non ornatum lapidum, sed cordis quærere & diligere puritatem. Nullus autem huc nocturno est tempore ausus ingredi: sed aurora transacta, matutinos ibidem cantant hymnos. Ex ipso autem saxo, quo sacra contegitur ædes, ad Aquilonem altaris, dulcis & nimium lucida guttatim aqua dilabitur, quam incolæ Stillam vocant. Ob hoc & vitreum vas ejusdem receptui præparatum. Denique nonnulli post longas febrium flammas, hac hausta stilla, celeri confestim refrigerio potiuntur salutis. Innumeris quoque & aliis modis ibi & crebro sanantur ægroti; & multa, Angelica tantum illic potestate, geri miracula comprobantur. Sed non multo post Romæ venerabilis etiam Bonifacius Pontifex ecclesiam sancti Michaelis nomine constructam dedicavit, in summitate Circi criptatim miro opere altissime porrectam. Unde & idem locus in summitate sua continens ecclesiam, INTER NUBES situs vocatur.

V*ARIA LECTIO*. Codex 511. hac die ita habet:

„ In monte Gargano, venerabilis memoria sancti Michaelis Archangeli, ubi „ ipsius consecrata ab eodem Archangelo habetur Ecclesia vili facta scemate (sic), „ sed cælesti prædita virtute. Item Romæ dedicatio oratorii sancti Michaelis, „ quod venerabilis Bonifacius Pontifex dedicavit in summitate Circi, miro opere „ altissime porrectam; unde & isdem locus in summitate sui continens Eccle- „ siam, inter nubes situs vocatur. Autissiodoro, passio sancti Fraterni Episcopi, „ quem tradunt eodem die interemptum, quo & Episcopum esse ordinatum. Cu- „ jus corpus in Ecclesia sancti Germani reverenter habetur humatum.

Fraterni.

Michaelis Archangeli.

A*DNOTATIO*. In sacris omnibus Latinorum tabulis, & in libris S. R. E. vetustissimis insignis est hac die *sancti Michaelis Archangeli* celebritas. In eorum plerisque *dedicatio basilicæ sancti Michaelis in monte Gargano*, in aliis *dedicatio basilicæ* tantum dicitur; quare eorum verba sunt expendenda. Hieronymianum Lucense apographum habet: *Romæ, milites* VI. *Dedicatio basilicæ Angeli Michaelis, vel in monte, qui dicitur Garganus, ubi multa mirabilia Deus ostendit*. Apographum Epternacense: *Et dedicatio basilicæ sancti Michaelis*, tantum. Apographum Corbejense: *Dedicatio basilicæ Archangeli Michaelis in monte, qui dicitur Garganus*. Corbejense brevius: *Romæ, milliario sexto, dedicatio basilicæ Angeli Michaelis. vel in monte, qui dicitur Garganus*. Mendo librarii in apographo Hieronymiano Lucensi scriptum esse suspicor: *Roma milites* VI., ac legendum puto: *Romæ, milliario sexto*; id apertius infra apparebit. Beda: *Dedicatio Ecclesiæ sancti Angeli Michaelis*. Rabanus habet: *Dedicatio Ecclesiæ sancti Angeli Michaelis in monte Gargano*. Romanum parvum: *In monte Gargano venerabilis memoria Archangeli Michaelis; & Romæ dedicatio Ecclesiæ ejusdem Archangeli, a beato Bonifacio Papa* con-

constructa in circo, qui locus inter nubes, dicitur. Gellonense, Richenoviense, & Augustanum: *Et dedicatio basilicæ Archangeli Michaelis*. Labbeanum: *Et dedicatio basilicæ Archangeli Michaelis in monte Gargano*. Ado vulgatus & Notkerus de apparitione in monte Gargano agunt, deinde de Ecclesia sancti Michaelis Romæ a Bonifacio Papa in summitate Circi constructa, quæ inter nubes vocatur. Codices nostri de utraque brevius. Usuardus eam tantum partem delibavit, ac descripsit, quæ ad Ecclesiam in Gargano monte pertinent, ita enim habet: *In monte Gargano, venerabilis memoria beati Archangeli Michaelis, ubi ipsius consecrata nomine habetur Ecclesia, vili facta schemate, sed cælesti prædita virtute*. Martyrologium Fuldense: *In monte Gargano commemoratio sancti Michaelis Archangeli*. Ottobonianum: *Dedicatio Ecclesiæ sancti Michaelis Archangeli*. Kalendarium Palat. Vat. 485.: *Dedicatio basilicæ Michaelis Archangeli*. Vat. 3806.: *In monte Gargano, dedicatio basilicæ Archangeli Michaelis*. In libris Liturgicis S. R. E. hæc celebritas non uno eodemque pacto inscribitur. In Gelasiano pag. 172. Missa hac die habetur: *In sancti Angeli Michaelis*; quid subintelligendum sit, an in *dedicatione*, an in *celebritate*, adhuc hæreo; potius inclinat animus, ut *dedicationis* vox subaudiatur, quum hanc vocem præferant alia Sacramentaria. Vetustissimum a Blanchino editum ad *Pridie Kal. Octobris*, forte librarii mendo pro III. *Kal.* habet: *Natale basilicæ Angeli in Salaria*. Sacramentarium Reginæ Suecorum 337. & Ottobonianum: *Dedicatio basilicæ sancti Angeli*; Ottobonianum addit: *Michaelis*. Sacramentaria Pamelii, Menardi, & Angeli Rocchæ: *Dedicatio basilicæ sancti Michaelis*. Ita Palat. Vat. 495. Missale vero plenarium Vat. 4770.: *Dedicatio basilicæ Salvatoris sancti Michaelis in monte Gargano*. Idem die VIII. *Maji*: *Revelatio beati Michaelis in monte Gargano*. Missam quoque ea die de *S. Michaele Archangelo* cum Præfatione propria habet. In Sacramentariis omnibus vetustioribus orationes sunt de *S. Michaele Archangelo*, ut in Gelasiano, & aliis. In Gregorianis prima oratio est: *Deus, qui miro ordine* &c. Sacramentariis addenda sunt, quod ad hujus diei celebritatem attinet, Capitularia Evangeliorum, in quibus, ut habes tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 283. inscribitur, aut: *Dedicatio Ecclesiæ sancti Archangeli*, aut: *Dedicatio Ecclesiæ Archangeli Michaelis*, & his similia. Dubitandum itaque non est, quin Romana Ecclesia hac die *dedicationem Ecclesiæ B. Michaelis Archangeli* celebrarit, & quidem, quæ Romæ in illius honorem dedicata fuerit. Quo vero loci sita hæc Ecclesia extiterit, licet illius conditorem, & locum nobis designet Ado, nondum tamen, quid sit statuendum, satis scio. Baronius in Notationibus hac die disquirit de verbis Adonis; ubi agit de Ecclesia S. *Michaelis* a *Bonifacio* Papa II. in summitate circi constructa, ac censet, eam olim sitam fuisse in summitate molis Hadrianæ, & super ingens saxum, velut eminentem scopulum positam. Addit etiam, in medii ævi monumentis, Hadriani molem, turrim Crescentii nuncupari, & ob altitudinem, *inter cælos* vocari; conjicit præterea, ideo *in summitate circi* ab Adone scribi, quod Hadriani moles circuli figuram habuerit. Hæc optime mea quidem sententia; illa vero, quæ mox subjicit, *de Circo Domitiæ*, quod scilicet proximus illi loco *Circus Domitiæ* fuerit, quæ quidem, & ad an. 140. n. II. & ad an. 531. num. VII. repetit, haud plane nobis arrident. Censemus enim, viro Eminentissimo secum fecisse Onuphrii Panvinii libros de Republica Romana, ubi in Regione Urbis XIV, præter *hortos Domitiæ* de suo *Circum Domitiæ in pratis* addidit Panvinius. Nunquam enim in Publio Victore de regionibus Urbis, ac præsertim in ejus codicibus, neque in Vaticano illius codice vetustissimo 3427. neque in Notitiis utriusque Imperii aliud legitur, nisi: *Hortus Domitiæ*, aut *Horti Domitiæ*. Hadrianum in *hortis Domitiæ* sepultum fuisse, ex Capitolino in Antonino Pio cap. V. & ex Dione agnoscit ipsemet Baronius ad an. 140. n. II. De eisdem hortis a Nerone occupatis sub obitum *Domitiæ*, Suetonius in Vita cap. XXXIV. De iisdem etiam hortis mentio apud Flavium Vopiscum in Aureliano cap. XLIX. Neque illud amplecti possumus, quod vir præstantissimus in Notationibus ad diem VIII. *Maji* tradit, multo ante apparitionem S. Michaelis in monte Gargano, ejusdem Archangeli solemnitatem Romæ agi consuevisse, ut ex Drepanii Flori poetæ, ut ille ait, vetustissimi, versibus patet, quos etiam producit. Fallitur enim dum censet, Drepanium Florum, eum esse, de quo Sidonius Apollinaris lib. VIII. epist. XI. Drepanius Florus poeta, cujus versus profert Baronius, vixit sæculo IX. & scripsit ad *Modoinum* Augustodunensem Episcopum, ut recentiores Critici adnotarunt. De aliis in Urbe in honorem S. Michaelis dedicatis Ecclesiis idem Annalium parens ad utramque diem VIII. *Maji*, & XXIX. *Septembris*. Sed quid est illud, quod præfert Sacramentarium Blanchinianum de *basilica sancti Angeli via Salaria*? Eam indigitari a Hieronymianis, ut monuimus, arbitramur, in quam sententiam, & Blanchinianum Sacramentarium nos inducit, & Notitia edita ab Eccardo, ubi memorat via Salaria, septimo ab Urbe lapide Ecclesiam *S. Michaelis*. Ita enim habet: *Per eandem quoque viam* (Salariam) *venitur ad Ecclesiam sancti Michaelis, septimo miliario ab Urbe*. Antiquitus ergo inter alias Ecclesias in honorem *S. Michaelis*, peculiari cultu insignita fuit alia, via Salaria, posita basilica. In hanc diem quoque coaluisse celebritatem

ejusdem

ejusdem *S. Michaelis* in monte Gargano una cum ipsius Archangeli *basilicæ dedicatione* in urbe Roma putamus. De Actis apparitionis B. *Michaelis*, itemque de aliis in oriente, & in Galliis ejusdem apparitionibus adeundus Baronius ad diem VIII. *Maij*, & XXIX. *Septembris*, & Sollerius in Usuardum die XXIX. *Septembris*. Encomia in Archangelum Michaelem Græce scripsere Chrysippus presbyter Hierosolymitanus, Pantaleon Diaconus & Chartophylax magnæ Ecclesiæ, Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, Procopius Diaconus & Chartophylax, & alii. In Homiliario veterrimo Vatic. cod. 3836. pag. 87. habetur sermo *sancti Isidori*, *in sancti Archangeli*. Incipit: *Angelorum nomen* &c. usque *videat*, *per Dominum* &c. Habetur etiam Simeonis Metaphrastæ de Archangeli Michaelis miraculo in urbe Chonis. Plura collegit Combefisius Bibliothecæ Concionatoriæ tom. VIII. pag. 195. *& seq.* Postremo illud raptim monemus, S. *Michaelis dedicationem*, seu celebritatem jam inde a sæculo Christi nono inter festivos dies cooptatam fuisse, ut patet ex Concilio Moguntino A.D. 813. celebrato cap. XXXVI. & ex Capitularibus lib. II. cap. XXXV. & ex Capitulari a nobis allato ad diem VIII. *Septembris*.

Fraterni. De *Fraterno* Episcopo *Autisiodorensi* a codicibus nostris memorato, agunt hac die Hieronymiana, Gellonense, Usuardus genuinus, Martyrologium Fuldense, Hagiologium Francogallicum, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Ottobonianum. Codices nostri, & Martyrologium Fuldense *martyrem* statuunt *Fraternum*. Usuardus vero *confessorem*. Elogium in nostris codicibus congruit cum Martyrologio Fuldensi, & cum Historia Episcoporum Autisiodorensium cap. IX. ubi legitur: *Is qua die a fidelibus Episcopus est ordinatus, a barbaris est martyrio coronatus die III. Kalendarum Octobrium, & sepultus est in Ecclesia beatissimi Germani*. Rosvveidus in Appendicem Adonianam *Fraternum* conjecit, quod minime facturum fuisse putamus si Hieronymiana, Usuardum, & alios antiquiores inspexisset. Sollerius tamen adhuc dubitare maluit, an ab Adone recenseatur. Pauca de *Fraterno* congerit Tillemontius tom. XV. pag. 26. & in notis pag. 838. 839.

G. *PRIDIE KALENDAS OCTOBRIS.* — *30. Sept.*

Victoris & Ursi. IN Galliis castro Solodoro, quod est super * Arulam fluvium, passio sanctorum martyrum Victoris, & Ursi, ex gloriosa legione Thebæorum. Qui cum illuc furorem Maximiani tyranni declinantes secessissent, ipsius jussu tenti ab Hirtaco executore, primo diris suppliciis excruciati: sed cælesti super eos lumine coruscante, ruentibus in terram ministris erepti, deinde in ignem missi sunt. Veniente autem mox pluvia vehementi, extincta pyra in nullo penitus læsi, novissime gladio consummati sunt. E quibus sanctus Victor ad Urbem * Janavensium translatus miraculorum gloria, & veneratione Fidelium celebratur.

* Al. *Aurulam*.

* *Al.* Jenavensium *vulgo* Januensium.

Hieronymi. Item apud Bethleem Judæ depositio sancti Hieronymi presbyteri. Hic natus in oppido Stridonis, quod Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, patre Eusebio, vestem Christi puer Romæ suscepit, ibique litteris Græcis, ac Latinis a primævo eruditus est. Postquam autem omne mundanarum studium litterarum adeptus est, probatissimorum quoque monachorum habitum factumque imitatus est, Romanæ Ecclesiæ Presbyter postmodum ordinatur. Dumque per triennium continuum charus acceptusque populis veneraretur, omniumque judicio dignus esse summo sacerdotio decerneretur, quidam ex clericorum monachorumque ordinibus, pro petulantia, proque ingluvie dis-

 cur-

cursantes, ad effugandum Urbe Hieronymum, qui utrumque eorum scribens vitium deprehenderat, insidias paraverunt. Verum ipse propter cælorum regna, domum, parentes, sororem, cognatos, Roma egressus dereliquit, & Jerosolymam militaturus Deo pergens, primo ad Gregorium Nazianzenum, tunc Constantinopolitanæ urbis Episcopum supplex docilisque discipulus accessit, ut sanctarum Scripturarum studiis erudiretur. Inde in Syriam perrexit, in possessione Evagrii presbyteri aliquantulum commoratus. Ad deserta deinde loca ita lætus accinctusque accessit, ut volasse eum magis, quam measse crederes. Quadriennium itaque in illa vasta solitudine, quæ exusta Solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculum, exegit: indeque ad Bethleem locum remeavit, ubi prudens animal ad præsepe Domini se obtulit permansurum. Bibliothecam sane suam, quam sibi summo studio ipse condiderat, omniumque librorum orationes, quas pœne memoriter retinebat, iterum relegens, diem jejuniis ducebat ad vesperam. Plures ad eum religiosorum, quibus vita ejus famâ comperta est, protinus confluxerunt, bonumque doctorem, parvo adhuc sub tugurio, boni observavere discipuli. Nec multo post cellulas ibi ob discipulorum suorum copiam, & propter frequentiam adventantium, ad Bethleemiticam portam, quæ ad Occidentem conspicit, & egredientibus ad Septemtrionem videtur, parvulum habitationis locellum construxit. Quibus vero nisibus, quantisve laboribus Hebraicam linguam atque Chaldaicam, litterasque Hebræas didicerit, verbis ejus edicam: *Dum essem*, inquit, *juvenis, & solitudines me desertæ vallarent, incentiva vitiorum ardoremque naturæ ferre non poteram. Quam cum crebris jejuniis frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat. Ad quas edomandas, cuidam fratri, qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi: ut post Quintiliani acumina, & Ciceronis fluvium, gravitatemque Frontonis, & lenitatem Plinii, alphabetum discerem, ac stridentia anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris sumserim, quid sustinuerim difficultatis, quoties desperaverim, quoties cessaverim, & contentione discendi rursus incæperim, testis est conscientia mea.* Armatus itaque fide, gratiamque Christi adeptus, Hebræorum volumina, quæ in Canone continentur, de Hebræo in Latinam linguam vertit, eaque pœne omnia commentatus est. Ut ergo opera ejus valde utiliter confecta breviter commemoremus, scripsit vitam Pauli monachi. Epistolarum ad diversos librum unum. Ad Heliodorum exhortatoriam. Altercationem Luciferiani, & Orthodoxi. Chronicon omnimodæ historiæ. In Jeremiam, & Ezechielem

Epist. 4. ad Rust.

Homi-

Homilias XXVIII. quas de Græco in Latinum vertit. De Seraphin: de Osanna: de frugi, & luxurioso filio: de tribus quæstionibus legis veteris. Homilias in Cantica Canticorum duas. Adversus Helvidium de Mariæ Virginitate perpetua. Ad Eustochium de virginitate servanda. Ad Marcellam epistolarum librum unum. Consolatoriam de morte filiæ ad Paulam. In epistolam Pauli ad Galatas commentariorum libros tres. Ad Ephesios commentariorum libros tres. In epistolam ad Titum librum unum. In epistolam ad Philemonem librum unum. In Ecclesiasten commentarios. Quæstionum Hebraicarum in Genesim librum unum. De locis librum unum. Hebraicorum nominum librum unum. De Spiritu sancto Didymi, quem in Latinum transtulit, librum unum. In Lucam Homilias XXXVIII. In Psalmos a decimo usque ad XVI. tractatus septem. Captivum monachum. Vitam beati Hilarionis. Novum Testamentum Græcæ fidei reddidit. Epistolarum autem ad Paulam, & Eustochium incertus est numerus. Sexdecim Prophetarum volumina quatuor, & septuaginta libris editis, commentatus est. Inter has itaque numerosas operis sui paginas, centum, & trigintaquinque virorum illustrium Ecclesiasticorum scriptorum nomina, a passione Christi usque ad quartumdecimum Theodosii Imperatoris annum ordine digessit. Item contra Jovinianum libros duos. Apologeticum ad Pammachium. In Matthæum commentariorum libros quatuor. Enchiridion in psalterium. Adversus Vigilantium, contraque Pelagium luculentissima volumina edidit. De mansionibus quoque filiorum Israel, & alia quamplurima ad ædificationem Ecclesiæ catholica pietate composuit. Tanta denique lassitudine fatigatus est, ut etiam in stratu suo jacens, funiculo trabe suspenso supino apprehenso, erigeretur, ut scilicet officium monasterii, prout poterat, exhiberet. Tandem post perfectam placitamque Deo conversationem, nonagesimo octavo ætatis anno, apud Bethleem oppidum in pace quievit, pridie Kalendas Octobris, duodecimo Honorii Imperatoris anno. Libros suos per quinquaginta, & sex annos confecit.

VARIA LECTIO. Ed. *In Galliis, castro &c.* Cod. 511. 512. 514. *In Galliis, castro Solodoro, quod est super Aralam fluvium &c.* Ed. *Item apud Bethleem.* Codices nostri: *Eodem die apud Bethleem Judæ.* Cod. 512. 514. post verbum *confecit* ad extremum hac die, habent: *Eodem die, vigilia sancti Germani Episcopi & confessoris, qui anno Episcopatus sui* XXX. *virtutibus plenus, Valentiniano cum matre Placidia venerabili Augusta imperante, quievit.* *Vigil. sancti Germani.*

Victoris & Ursi.

ADNOTATIO. Ante Adonem a nullo alio antiquiori *Victorem & Ursum* Thebææ legionis martyres hac die memorari, censet Sollerius; nam *Victor*, de quo Hieronymians, Mediolanum translatus, alius et esse videtur a Thebæorum numero. Usuardus genuinus ex Adonis elogio summam decerpsit. *Victoris & Ursi* meminit hac die Richenoviense, cæteris silentibus. *Salodorum*, non *Solodorum* scribendum esse nos monet Valesius in Notitia pag. 498. *Soleurre* dicitur, & est in pagis Helveticis ad *Arolæ*, idest *Araris* fluvii ripas. Divisio regni Lotharii *sancti Ursi in Salodore* meminit. Ecclesia in honorem *sancti Ursi* condita ibi suisse fertur a *Bertbrada* Caroli M. matre. De *Thebæis* martyribus vide quæ diximus ad diem XXII. *Septembris*.

Hieronymi.

Hieronymum hac die recolunt apographa Hieronymiana, Beda, Gellonense, Romanum parvum, Rabanus, Florus, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Fusiori elogio eum celebrant Rabanus, Ado, & Notkerus. In Sacramentario Gregoriano Reginæ Suecorum 337. & in Ottoboniano & in Pamelii, & Menardi Sacramentariis, deest Missa hac die *in natali sancti Hieronymi*, ut Evangelium in veterrimis EvangeliorumCapitularibus, sed Missa statuitur in Sacramentariis Angeli Rocchæ, Palat. Vat. 495. 496. & in Missali plenario Vat. 4770. Orationes in Palat. Vat. 495. sunt, nempe prima oratio: *Misericordiam tuam, Domine*. Secreta: *Beati Hieronymi*. Ad Com: *Sancti, Domine, confessoris tui Hieronymi*. Aliæ orationes in Missali plenario Vat. 4770. leguntur. Quæ ad res gestas Hieronymi pertinent, post Baronium in Annalibus, & in Notationibus, eas recentiores plurimi prosecuti sunt, præsertim Tillemontius tom. XII. Jo: Marcianæus, & alii. Obiit in oppido *Bethleem*, A. D. 420. *pridie Kal. Octob.* Acta illius in codicibus; qui in divinis officiis legebantur, alicubi offenduntur. Ea vidimus in codice Canonicorum Forojuliensium; quorum exordium est: *Plerosque nimirum &c.* usque, *ubi præstante Domino, sæculi perversitate devicta positus est Pridie Kal. Octobris, expleto ætatis suæ anno nonagesimo primo, imperii vero Honorii duodecimo anno. Imperante vero illo, cujus anni nec inchoantur, nec finiemus, in sæcula sæculorum. Amen.* Alia ejusdem Vita inter Acta Sanctorum in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 140. habetur, quæ incipit: *Hieronymus noster in oppido Stridonis, quod a Gothis eversum est, Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit &c.* usque, *omne vitæ suæ tempus implevit annis* LXXXVIII. *& mensibus sex*. Iterum Baronius maximopere conqueritur ad an. 420. num. XLIII. ac pene irascitur in mendaces, nugatoresque Hieronymi vitæ Scriptores, quod candor Ecclesiasticæ veritatis quidquid fictum & commenticium est, respuat, & aversetur. Idem præterea in Notationibus incerti nominis auctorem, qui gesta sancti Hieronymi mendaciis, & fabulis plena scripsit, quæ in Appendice operum Hieronymi habebantur, prorsus contemnit. Ea gesta incipiunt, ut in codice Forojuliensi. Aliam Hieronymi vitam edidit Mabillonius Analect. tom. IV. pag. 183. Consule item de Hieronymi obitu, deque illius vitæ apocryphis Scriptoribus Baronium ad an. 420. num. XXXIX. *& seq.* & Pagium in Critica ad eum annum num. XX.

Vigil. sancti Germani.

Vigilia sancti Germani addita est in duobus nostris apographis Adonianis, quod, ut putamus, in Gallia scripta, & alicui Ecclesiæ usui fuerint, in qua hujus præclari Episcopi vigiliæ agerentur.



LI-

LITANIÆ INDICENDÆ.

MENSIS OCTOBER

Habet dies xxxi. Luna vero xxx.

A. KALENDIS OCTOBRIS. 1. Octob.



Germani.

APUD Autissiodorum, natalis Sancti Germani Episcopi, qui multis virtutibus, doctrina, & continentia clarus extitit. Qui ad confirmandam fidem gratiæ cælestis, Britannias venire judicio omnium Gallicorum Antistitum compulsus est, adjuncto sibi beato Lupo Trecassinæ civitatis Episcopo. Siquidem hæresis Pelagiana fidem Britannorum fœda peste commaculaverat. Dum per medium sinum, quo a Gallico Britannias usque tenditur, secundis flatibus ferretur, subito inimica vis ventorum concitavit procellas, cælum diemque nox nubium subduxit, & casu ipse Pontifex fractus corpore, lassitudine ac sopore solutus nave jacebat. Tum beatus Lupus omnesque turbati, excitant seniorem. Qui confestim Christum invocat, & assumptum in nomine sanctæ Trinitatis oleum misit in mare, fluctusque sævientes opprimit, ac tranquillam serenitatem reddit. Decursis vero spatiis pelagi, optati littoris Sacerdotes Dei quiete potiuntur, ac mox Britannorum insulam, opinione, prædicatione, virtutibusque impleverunt, ita ut passim, & fideles Catholici firmarentur, & depravati viam correctionis agnoscerent. Interea quidam tribunitiæ potestatis filiam decem annorum cæcam sacerdotibus curandam offert. Nec mora, beatus Germanus, invocato Domino, adhærentem lateri suo capsulam cum sanctorum reliquiis collo avulsam manibus comprehendit, eamque in conspectu omnium puellæ oculis applicuit, quæ statim lumen recepit. Beatus præterea vir dum aliquamdiu uno loco infirmitatis necessitate teneretur, in vicina qua manebat casula exarsit incendium: sed hospitium sancti viri expavescens flamma, haudquaquam ausa tangere transilivit, & inter globos flammantis incendii incolume tabernaculum, quod habitator inclusus servabat, emicuit. Et cum idem ipse nihil remedii debilitati suæ pateretur adhiberi, quadam nocte candentem niveis vestibus vidit sibi adesse personam: quæ manu extensa jacentem videbatur attollere, eumque consistere firmis vestigiis impera-

perabat. Post horam itaque fugatis doloribus recepit pristinam sanitatem, ut die reddito itineris laborem subiret intrepidus. Sed & bellum Saxonum, Pictorumque adversus Britones eo tempore junctis viribus susceptum divina virtute retunditur, cum Germanus ipse dux belli factus, non tubæ clangore, sed clamore Alleluja, totius exercitus voce ad sidera levata, hostem immanem in fugam convertit. Composita vero insula, reditum moliuntur Pontifices, fitque, ut tranquilla navigatione suorum desideriis felix carina eos restitueret; nec multo interposito tempore, nuntiatur ex eadem insula, Pelagianam perversitatem iterato paucis auctoribus dilatari. Rursusque ad beatissimum virum preces Sacerdotum omnium deferuntur, ut causam Dei, quod prius obtinuerat, tutaretur. Quorum petitioni festinus obtemperat. Namque adjuncto sibi Severo, totius sanctitatis viro (qui erat discipulus beatissimi patris Lupi Trecasenorum Episcopi, & tunc Treviris ordinatus Episcopus, gentibus primæ Germaniæ verbum prædicabat) mare conscendit, & consentientibus elementis, tranquillo navigio Britannias petit: expulsisque pravitatis auctoribus, compositisque omnibus, beati Sacerdotes ea qua venerant prosperitate redierunt. Porro Germanus post hæc ad Ravennam pro pace Armoricanæ gentis supplicaturus advenit, ibique a Valentiniano, & Placidia matre ipsius summa reverentia susceptus, post aliquot dies migravit ad Christum. Cujus corpus honorifico agmine, comitantibus virtutum operibus suam defertur ad urbem.

Prisci, Crescentii & Evagrii. Tomis civitate, sanctorum Prisci, Crescentii, & Evagrii.

Rhemis civitate, sancti Remigii Episcopi, & confessoris, *Remigii.* viri præclarissimæ virtutis, & sanctitatis. Hic gentem Francorum, idolorum culturis deditam, convertit ad Christum, Rege ipsorum sacro fonte baptismatis, & sacramentis fidei prius initiato. Septuaginta, & eo amplius in Episcopatu annos explevit. Hic inter cetera facta, puellam a morte corporis suscitavit.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Autissiodorum natalis &c.* Cod. 511. 512. 514. ita hac die habent:

„ Apud Autissiodorum, depositio sacratissimi corporis beati Germani Episcopi, & „ confessoris: qui apud Ravennam quidem Italiæ civitatem, Domino Christo sibi ap- „ parente, & ad cælestia regna invitante, plenus Spiritu Sancto obiit. Sed Placi- „ dia agente regina, quæ eo tempore cum filio Valentiniano adhuc juvene, Roma- „ num regebat imperium, honorifico agmine, comitantibus virtutum operibus suæ „ est redditus civitati. Ubi a propriis civibus condigno cultu honorifice traditus se- „ pulturæ, innumerabilibus virtutibus fulgens, ut tantum decet patronum, summa ex-

„ coli-

„ colitur gloria. Eodem die, translatio corporum confessorum Remigii Remensis *Transl. sanctorum Remigii & Vedasti.*
Piati. „ Episcopi, & Vedasti Atrebatensis. In pago Menenense, natalis sancti Piati: qui
„ cum beato Dionysio Episcopo, ejusque sociis ab urbe Roma Galliam prædicationis
„ causa expetiit, ac postea consummato martyrio, migravit ad Dominum. In por-
Bavonis. „ tu Ganto, natalis sancti Bavonis confessoris, cujus gesta habentur.

Deest in codicibus natalis sanctorum *Prisci*, *Crescentii*, & *Evagrii*

Germani. ADNOTATIO. Codices nostri hac die de *Germano*, *Remigio*, & *Vedasto*, aliter agunt, quam vulgatus Ado præferat, ac magis Usuardo genuino accedunt. *Germani* natalem, seu *depositionem* apud *Ravennam* apographa nostra recolunt die XXXI. *Julii*, hac die vero I. *Octobris* sacri illius corporis depositionem apud *Autisiodorum*. Quamvis autem hic dies *Germani* natalis non sit, sed *translationis* celebritas, attamen de eo una cum *Remigio*, & *Vedasto*, quorum pariter translationes hac die recoluntur, veteres tabulæ fere omnes agunt, nimirum Hieronymiana auctaria apud Florentinium; Epternacense tamen *Vedastum* omittit, Rabanus, & apographa nostra Adoniana, Beda, & Romanum parvum unius *Remigii* meminere. Ita Ottobonianum, Gellonense, Usuardus, Augustanum Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Faldense de *Remigio*, & *Germano* tantum agunt, ut Wandelbertus, & Notkerus, *Vedasto* prætermisso. Kalendarium Palat. Vatic. 485. hac die habet: *Natalis sanctorum Remegii, & Germani Episcoporum*. Kalendarium Vatic. 3806. *Et translatio sanctorum Præsulum Remigii, Germani, Vedasti*. Quod autem ad S. *Germani* cultum pertinet, vide quæ diximus die XXXI. *Julii*. In Galliis sæculo Christi IX., ut ex Capitulari, quod ad diem VIII. *Septembris* produximus, inter festos dies, ad *Kalendas Octobris*, ut hæ Kalendæ *Remigio*, & *Germano* sacræ sint, statuitur.

Remigii. De *Remigii* festiva celebritate hac die multa Baronius ex Gregorio Turonensi lib. X. Historiæ cap. XXI. Concilio Moguntino c. XXXVI. ex Capitularibus lib. II. cap. XXXV. & ex Concilio Pistensi cap. III. Adde Capitulare a nobis allatum ad diem VIII. *Septembris*. Ibi etiam Baronius adnotat, *Kalendis Octobris* de translatione S. *Remigii* agi, *Idibus* vero *Januariis* de illius natali. Vide quæ ad eam diem monuimus. Bis autem *Remigii* translatio facta est, primo angelorum ministerio, de qua re Flodoardus lib. I. cap. XXI. deinde ab *Hincmaro* Remensi, sub *Carolo calvo*, teste eodem Flodoardo, ibidem cap. XXI. Quod vero jam inde ab anno Christi 585. *Kalendis Octobris* in Galliis solemnitas *Remigii* ageretur, ex memorato Gregorii Turonensis loco narrat Mabillonius Annalium Bened. lib. VII. §. XXXII. Licet autem in Libris Liturgicis S. R. E. desideretur hac die Missa de S. *Remigio*, in iis tamen, qui ad Galliarum Ecclesias pertinebant, non semel occurrit, ut in codice Sacramentorum Remensi apud Menardum pag. 181. ubi Missa statuitur *Pridie Kal. Octobris in vigilia S. Remigii*, & *Kalendis* eisdem alia in *natali S. Remigii Episcopi & confessoris*. Celebrior jam tum evaserat dies translationis, qui in Liturgicis libris *natalis* est appellatus. Mitto alia illarum regionum Sacramentaria, sed non omittam Sacramentarium Palat. Vat. 494. in quo *Kalendis Octobris* habentur orationes Missæ in natali S. *Remigii*, quæ sunt: *Indulgentiam nobis, Domine, quæsumus, S. Remigii confessoris tui postulet tibi grata precatia. Per.* Secreta: *Sacrificium, Domine, quod desideranter offerimus, gratum tibi beatus Remigius confessor tuus, suffragator efficiat. Per.* Ad com: *Beati Remigii confessoris tui, Domine, suffragiis exoratus, & percepta sacramenti tui nos virtute defendas. Per.* Hæc de cultu vetustissimo S. Remigii hac die.

Vedasti. *Vedastus* Atrebatensis Episcopus colitur in apographis nostris die VI. *Februarii*, in vulgato vero Adone die XXVI. *Octobris*. De eo vide, quæ ad diem VI. *Februarii* diximus. *Vedasti* prima translatio facta est A. D. 666. in *Nobiliacense*, seu S. *Vedasti* monasterium, de qua Mabillonius Annal. Bened. lib. XV. §. XLIX. In codice Sacramentorum Ratoldi, præmonente ibidem Mabillonio, Pridie Non. Junii, *translatio sancti Vedasti in crypta* adnotatur, & Kalendis Octobris, *natale S. Vedasti*. In Sacramentario Palat. Vatic. 496. ad diem primam *Octobris* habetur Missa in natali SS. *Remigii*, *Germani*, & *Vedasti Antistitum*. De hac *Vedasti* translatione agunt vetera Hagiologia, supra a nobis prolata. Mosander & Rosweidus in Appendicem *Vedastum* una cum *Bavone* ablegarunt. Mosander venia dignus est, a qua non solvendus Rosweidus, cui forte præ oculis fuere apographa Hieronymiana, & vetustiora Usuardi apographa.

Piati. *Piatus*, seu *Piaton*, de quo codices nostri, colitur hac die eisdem verbis ab Usuardo genuino, prout in nostris Adoniania apographa. Illud excipe, quod initio Usuardus legit: *Civitate Tornaco, passio sancti Piatonis presbyteri*. Cætera conveniunt. Memoratur in Hieronymiano Lucensi inter Auctaria. Martyrologium Fuldense habet: *Eodem die, natalis sanctorum confessorum Piatonis, atque*

Bavo-

Bavonis. Kalendarium Vatic. 3806. *In pago Medenentinse*, *Piatonis martyris*. Pagus *Medenantensis*, seu *Medelentensis*, aut *Medenentis*, ut appellatur in divisione regni a Ludovico Pio facta, memoratur ab Audoeno in vita S. Eligii lib. II. cap. VII. & nunc dicitur *le Melantois*. Hujus pagi caput est *Seclinum*, vulgo *Seclin*, collegio Canonicorum, & sancti *Piatonis* martyris reliquiis nobile, de qua re idem Audoenus, ut supra. Vide Valesium in Notitia pag. 327. Non longe a *Tornaco* ponitur. Sollerius existimat, Usuardum ex Actis sumpsisse *Piatonis* elogium, quod a vulgato Adone abesset. Sed eisdem fermè verbis elogium legitur in nostris Adonianis apographis. Acta vetusta non supersunt, quare Bollandiani ad diem x. *Februarii*, & Cointius ad an. 456. §. VI. proferunt testimonium Breviarii Tornacensis, in quo illius passio *Diocletiani & Maximiani* persecutione statuitur.

Bavonis. *Bavo* deturbatus est, ut innuimus, a Mosandro & Rosvveido, & minime Adonianus ab eis judicatus. De eo tamen hac die agunt Rabanus, Usuardus genuinus, Hagiologium Francogallicum, Martyrologium Fuldense, & Kalendarium Vatic. 3806. In horum plerisque locus, in quo colitur, dicitur: *In porta Ganda*. Obiit *Bavo* in *Gandensi* monasterio hac die A. D. 630. Ejus Acta edidit, & illustravit Mabillonius sæculo II. Benedict. p. 395. *& seq.* ac de illius obitu agit in Annalibus S. Benedicti lib. XIV. § VI. Proprio nomine *Allovvinus*, seu *Adloinus*, dum sacro baptismate lotus fuit, dictus est. *Bavo* adscititium nomen est, quod postea obtinuit. Errore aliquo apud Rabanum hac die *Episcopi* nomen de *Bavone* legitur; nam *Bavo* non fuit Episcopus. Corrigenda sunt, quæ ad annum obitus congessit Baronius in Notationibus hac die.

Prætereuntur a nostris codicibus hac die martyres Tomitani *Priscus*, & socii, cæteroquin celebres; nam de his agunt, licet luxatis nominibus, Hieronymiana. Romanum parvum habet: *Tomis civitate*, *Prisci*, *Crescentii*, *& Evagrii*. Ita Ado vulgatus, Usuardus, & Notkerus. Richenoviense: *In civitate Thomis*, *Prisci*, *Evagrii*, *Januarii*, *& Alexandri*. Augustanum: *Prisci*, *Crescentiani*, *Evagrii*, *Fausti*, *Dignæ*. Ita Labbeanum, in quo additur *Castus*. Curbejense brevius: *In civitate Thomis*, *Prisci*, *Evagri*. Ottobonianum: *In civitate Thomis*, *natalis sanctorum Prisci*, *Faustini*, *& Crescentii*. Incertum est, quo tempore passi fuerint. *Prisci & soc.*

---

2. Octob.

B. VI. NONAS OCTOBRIS.

Eleutherii. APUD Nicomediam, natalis sancti Eleutherii martyris, sub Diocletiano. Cujus contigit aliquam partem palatii incendio conflagrari. Hoc Imperator a Christianis factum falsa suspicione præsumpsit. Ex quo inæstimabili furore succensus, jubet omnes Christianos acervatim collectos, alios quidem gladio obtruncari, alios ignibus conflagrari. Horum primus, & qui omnes hortaretur pro Christo fortiter animas ponere, erat Eleutherius. Denique cum assistentes ministri rogarent singulos, si forte sacrificaturi vellent dimitti, tam viri, quam mulieres, ne interrogari se quidem patiebantur. Sed ultro vel flammis irruere, vel cædentibus gladiis certatim objectare cervices. Cumque jam illis ipsis spectatoribus nimietas crudelitatis horresceret, ministri scelerum partem populi naviculis injectam, in medium pelagus abducunt, ibi in sententia fidei persistentes, præcipitant in profundum. In tantum vero rabies crudelitatis apud eos exarsit, ut Regios pueros Martyres effectos, cum secundum humanitatis ordinem fuissent sepulturæ mandati, effoderent denuo, & corpora eorum projicerent in mare, dicentes: Ne forte efficiantur dii Christianorum. Verum beatus Eleutherius, immanissimis

Euseb. l. 8. cap. 5. & 6.

ſimis tormentis diu excruciatus, cum ipſe per ſingula tormenta validior redderetur, martyrium victoriæ ſuæ ignibus, velut aurum examinatus, complevit. Cujus reliquias furtim Chriſtiani auferentes, Nicomediæ ſepultura venerabili repoſuerunt.

In Atrebatis, villa Siricinio, paſſio ſancti Leodegarii Auguſtodunenſis Epiſcopi, quem variis injuriis, & diverſis ſuppliciis pro veritate afflictum, Ebroinus Major domus regiæ interfecit. Cujus ſacrum corpus in diœceſi Pictavorum translatum, in monaſterio beati Maxentii honorifice eſt humatum. *Leodegarii.*

VARIA LECTIO. Ed: *Cujus tempore contigit &c.* Cod. 511. 512. 514. *contigit aliquam &c.* Poſt extremum verbum *humatum*, ſequitur in eiſdem codicibus:

„ Eodem die, natalis ſancti Sereni confeſſoris. Deinde in codice 511. tantum. *Sereni.*

Girini. „ Apud Verziacum caſtrum, ſancti Girini martyris fratris ſancti Leodegarii Epiſcopi:

Eleutherii. ADNOTATIO. *Eleutherius* martyr *Nicomedienſis*, de cujus & aliorum martyrii cauſa, Diocletianea perſecutione, Euſebius lib. VIII. cap. VI. & Lactantius de mortibus perſecut. cap. XV. colitur hac die a Hieronymianis, Gellonenſi, Rabano, Romano parvo, Adone, Uſuardo, Richenovienſi, Auguſtano, Labbeano, & Ottoboniano. De aliorum tuena, qui falſa incendii ſuſpicione perempti ſunt, nimirum de *Gorgonio* & ſociis vide ad diem IX. *Septembris*. De Nicomedienſium martyrum cæde Tillemontius tom. V. pag. 23. *& ſeq.*

Leodegarii. *Leodegarius* Auguſtodunenſis Antiſtes & martyr, celebris eſt in Eccleſiaſticis tabulis. Dubitat Sollerius, utrum in Hieronymianis recenſeatur, an inter Auctaria ſit amandandus; agit autem apographum Lucenſe Florentinii his verbis: *Paſſio ſancti Leodegarii martyris*. Agunt præterea Rabanus, Gellonenſe poſtridie, Florus, Ado noſter, Uſuardus, Wandelbertus, Notkerus, Hagiologium Francogallicum, Martyrologium Fuldenſe, Richenovienſe, Corbejenſe brevius, apographum Bedæ in Eccleſia Wiecebuegenſi, & aliud apographum Palat. Vat. 833. Kalendarium Palat. Vat. 485. licet aliena manu, & Kalendarium Vat. 3806. In his, locus martyrii fuiſſe dicitur *in nigra ſilva*, ſeu: *In Atrebatis, villa Siricinio*, ſeu *in territorio Adertenſi*, ſeu *in Gallia*. Quid varia hæc ſibi nomina velint, habes apud Valeſium in Notitia pag. 51. & de martyrii loco Baldricus Noviomenſis ac Tornacenſis Epiſcopus in Chronico Atrebatenſi lib. I. cap. X. Paſſus eſt *Leodegarius* hac die A. D. 678. Acta martyrii edidit & illuſtravit Mabillonius ſæculo II. Bened. p. 693. *& ſeq.* Jacuit in loco martyrii ad tres ferme annos, deinde ad *Maxentianum* monaſterium, vulgo *Saint Maixent* ad fluvium Separim Niortenſem corpus ejus translatum fuit. Huic monaſterio Abbas præfuerat *Leodegarius* annis ſex, donec A. D. 656. electus fuit Epiſcopus *Æduenſis*. Vide Mabillonium Annal. Bened. lib. XVI. §. LXXXIX. Quod vero ad priſcum in Galliis illius cultum attinet, illuſtre teſtimonium præbet Miſſale Gothicum, in quo in natali ſancti *Leodegarii Epiſcopi & martyris* Miſſa habetur.

Sereni. *Serenum*, de quo apographa noſtra, in tabulis Eccleſiaſticis relatum ab Uſuardo tantum ſcribit Sollerius, nullo alio ei facem ferente. Alia quidem Hagiographa ſilent. Præteritur etiam a Martyrologio Romano; num veram cauſam attingat Sollerius, dum putat, ideo a Romani Martyrologii emendatoribus prætermiſſum fuiſſe, quod *Serenum* in Belinoo invenerint, haud ſatis ſcio.

Girini. *Girinus* etiam, ſeu *Gerinus ſancti Leodegarii* frater ab uno & vetuſtiore ex noſtris codicibus hac die colitur. De quo ſilent vetuſtiora Martyrologia, ſed agunt tamen Auctaria Uſuardi. De eo meminit Ado in Chronico. Hugo etiam Flaviniacenſis in Chronico p. 103. hæc habet: *Tunc* (id eſt A. D. 670.) ut ille habet: *interfectus eſt ſanctus Leodegarius cum Gerino fratre ab ipſo Ebroino Principe, & ſanctus Lambertus a Dodone Comite.*

3. Octob. *C. V. NONAS OCTOBRIS.*

Act. 17. Vide lib. de fest. Apost.

Dionysii Areopagitæ.

NATALIS sancti Dionysii Areopagitæ, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo, & primus apud Athenas ab eodem Apostolo Episcopus est ordinatus, & sub Adriano principe, post clarissimam confessionem fidei, post gravissima tormentorum genera, glorioso martyrio coronatur: ut Aristides Atheniensis, vir fide sapientiaque mirabilis, testis est in eo opere, quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, & inter antiquorum monumenta clarissimum tenetur, ut peritiores Græcorum affirmant.

Beda lib. 5. hist. Angl. cap. 11.

Evvaldorum.

Apud antiquos Saxones, natalis sanctorum Evvaldorum duorum presbyterorum, qui cum sancto Willibrordo Episcopo venientes in Germaniam, transierunt ad Saxones, & cum prædicare ibi Christum cœpissent comprehensi a paganis occisi sunt. Ad quorum corpora noctu multa diu lux apparens, & ubi essent, & cujus essent meriti declaravit.

Dionysii.

ADNOTATIO. *Dionysius* Areopagita, idemque Episcopus *Atheniensis* & martyr, disertis verbis hac die memoratur a Romano parvo, ex quo sumpsisse Adonem censet Sollerius. Cæterum de *Dionysio Areopagita* silent hac die Hieronymiana, Beda, Florus, & Rabanus. Agit Usuardus genuinus contracte ex Adone, sed *Areopagitæ* nomine omisso. Agunt Notkerus, & Menæa Græcorum hac item die. De *Dionysio Areopagita*, primo apud *Athenas* a Paulo Apostolo, Episcopo constituto Euseb. Rufini lib. IV. cap. XXIII. Romanum parvum, Adonem, & Usuardum Hilduini Areopagiticis adversari, monet Sollerius in Usuardum hac die, cujus animadversiones ibi consule, ubi Rosvveidi Epistolam affert, qui cæteris omnibus, qui de duobus Dionysiis scripserunt, præivisse videtur. Post Sirmondum de duobus Dionysiis cap. VIII. consule Tillemontium tom. II. p. 435. & *seq.* Acta Græca varia, ac Simeonis Metaphrastæ nomine inscripta, habentur in editione Corderiana Operum Dionysii. Vide Combefisii Bibliothecam concionatoriam tom. VIII. pag. 263. & *seq.* Latine exstant Acta Dionysii apud Lipomanum die III. *Octobris*, & apud *Surium* die IX. Vide quæ infra die IX. hujus afferemus. Aristidis Apologia jampridem periit, ut a recentioribus criticis adnotatur.

Evvaldorum.

Evvaldi fratres duo, & martyres coluntur hac die a Beda, Rabano, Adone, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottenbouiann, & Kalendario Palat. Vatic. 485. De his Beda Histor. Eccles. gentis Anglorum lib. V. cap. XI. Passi sunt A. D. 693.

---

4. Octob. *D. IIII. NONAS OCTOBRIS.*

Vide lib. de fest. Apost. Euseb. l. 8. c. 8. & 9.

Crispi, & Caii. 1. Cor. 1.

Marci & Marciani.

APUD Corinthum, natalis sanctorum Crispi, & Caii, quorum meminit B. Apostolus Paulus Corinthiis scribens.

Apud Ægyptum, natalis sanctorum martyrum Marci, & Marciani fratrum, & cum eis innumerabilium aliorum, non inferioris gloriæ, tam virorum, quam feminarum. Sed & pueri, & senes, pro fide Domini nostri Jesu Christi, præsentem vitam parvipendentes, futuræ gloriæ beatitudinem quæsiere. Quidam ex ipsis post verbera, post ungulas, post flagella, aliosque

aliosque diversi generis horribiles cruciatus, flammis traditi sunt, alii in mare præcipitati, nonnulli inedia consumpti, nonnulli etiam capite cæsi, itaut sponte cervices suas securibus darent, alii patibulis affixi, ex quibus nonnulli more perverso capite deorsum presso, ac pedibus in sublime sublatis, passionis beatissimam coronam promeruerunt.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Corinthum &c.* Cod. 511. 512. 514. *Natalis sanctorum Crispi, & Gai, quos apud Corinthios Apostolus &c.* prout in libello de festivitatibus Apostolorum. Post verbum *meruerunt* extremo loco, sequitur in eisdem codicibus:

„ Autissiodoro, depositio sancti Marsi presbyteri, & confessoris, qui cum beato „ Peregrino, Episcopo & martyre ad prædicandum verbum Dei, imperio Sixti Pa- „ pæ Galliam venit. Parisius, natalis sanctæ Aureæ virginis. *Marsi. Aurea.*

Deinde sequitur in codice 511. alio charactere, qui videtur sæculi XIV. *Eodem die apud Assisium sancti Francisci confessoris.* *Francisci.*

Crispi & Caii. ADNOTATIO. *Crispus & Cajus*, censente Sollerio, primum inter Martyrologos a Romano parvo coluntur, ex quo Ado, Usuardus, Notkerus, & Martyrologium Fuldense. Tres *Cajos* Apostolorum discipulos distinguendos esse putat Sollerius.

Marci & Marciani. De *Marco & Marciano* agunt hac die Hieronymiana, Romanum parvum, Gellonense, Rabanus, Ado noster ex Eusebio, Usuardus ex Adone, Notkerus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Augustanum corrupte, aliquanto emendate Labbeanum, clare Corbejense brevius, dum habet: *In Ægypto, Marci & Martiani martyrum*. Horum nomina reticet Eusebius lib. VIII. cap. VIII. sed generice tantum de martyrum in Ægypto carnificina, sub Diocletiano agit.

Marsi. *Marsus* presbyter, de quo codices nostri, colitur hac die ab apographis Hieronymianis, a Gellonensi, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Hagiologio Francogallico, & Kalendario Vatic. 3806. Silet genuinus Usuardus, sed agunt ejus Auctaria. A Mosandro in Appendicem conjectus est, sed jure id factum non esse puto, quum apographum Hieronymianum Epternacense vetustissimum de eo agat, & Adoniana apographa antiquiora. Autissiodorensis Ecclesiæ sanctos viros recensere soleant. De eo in Actis S. *Peregrini* die XVI. *Maji*.

Aurea. Addunt hac die apographa nostra *Auream* virginem. De ea ab Usuardo tantum agi censet Sollerius, quia in Appendicem Adonianam amandatur a Mosandro. Hujus etiam virginis meminit S. Audoenus in vita S. Eligii, & obiter de ea disquirit Mabillonius Sæculo II. Bened. pag. LVIII. in indice prætermissorum. Claruit sæculo Christi VII.

Francisci. De S. *Francisco* hac die in recentioribus Hagiologiis celebri, nihil agimus, quum inter novissima Auctaria unius ex nostris apographis habeatur. Fuse de eo alii.

E. III. NONAS OCTOBRIS. *5. Octob.*

Placidi, Eutychii, & alior. APUD Siciliam, natalis sanctorum Placidi, Eutychii, & aliorum triginta.

In Galliis, civitate Valentia, sancti Apollinaris Episcopi, cujus & vita virtutibus insignis fuit, & mors nihilominus signis ac prodigiis decoratur. *Apollinaris.*

Eufeb. l. 5. c. 24. Ruff. Apud Eumeniam, beati Thraseæ Episcopi, apud Smyrnam martyrio consummati: qui unus ex antiquis, quasi ex traditione prio- *Thrasea.*

priorum se accepisse asseruit, Salvatorem præcepisse Apostolis suis, ut ante duodecimum annum ab Jerosolymis ne discederent.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Siciliam &c.* Cod. 511. 512. 514. ita incipiunt: *In Galliis civitate, Valentia &c.* usque *decoratur*. Deinde habent:

Firmati, & Flavinæ. „ Autissiodoro, depositio sanctorum germanorum Firmati diaconi, & Flavinæ „ virginis, Deo sacratæ. Apud Eumeniam, beati Trasea Episcopi apud Smyrnam „ martyrio consummati.

Deest in eisdem codicibus natalis SS. *Placidi*, *Eutychii*, & sociorum.

Placidi & soc. ADNOTATIO. Desiderantur in apographia nostris *Placidus*, & socii in Sicilia martyres, habentur tamen in Hieronymianis. Apographum Lucense, & Corbejense habent: *In Sicilia, Placidi*, vel *Placiti*, *Eutici & aliorum* xxx. Epternacense: *Eutici*, & *aliorum* VIII. Gellonense hac die ita incipit: *Placiti*, *Valentia Apollonaris* &c. Rabanus, ut animadvertit Sollerius, de nomine *Eutici* cum Epternacensi convenit, de sociorum numero cum aliis apographis Hieronymianis. Silet Romanum parvum, prout Beda, Florus, Martyrologium Fuldense, & Wandelbertus. Usuardus vulgati Adonis verba describit, quæ paululum contrahit Notkerus. Ottobonianum habet: *In Sicilia, natalis sanctorum Placidi, Euticii, & aliorum* xxx. Richenoviense: *In Sicilia, Euticii, & aliorum octo. Et alibi, Placidi, Boricii.* Augustanum: *Placidi, Valentiani, Apollinaris, Eutici, Victorini*. Ita ferme Labbeanum. Corbejense brevius: *In Sicilia, Placenti, & Placiti, Eutici, & aliorum triginta*. Mirum in modum se torquet Florentinius in notis hac die, ut ex ambagibus emergat. Quam id sit difficile, vidit Baronius ad an. 529. nu. x., & ad an. 541. nu. XXVII. *& seq.* Non aliam esse viam ad Ruinartii sententiam in Apologia de missione S. Mauri conciliandam, censet Sollerius, quam ut duo *Placidi* distinguantur, propterea quia veteres Martyrographi, qui de *Placido*, & *Eutychio* agunt, ne per somnium quidem, monachos eos esse cogitarint. Mendosum esse, quod in Romano Martyrologio hac die de his legitur, monet ad oram Castellanus in Martyrologio universali. Acta Græca a Gordiano conscripta, & in numeris mendosa, memorantur a Baronio in Notationibus hac die. Habentur Latina apud Lipomanum & Surium. Ea vide apud Mabillonium sæculo I. Bened. pag. 45. *& seq.* De incerto anno obitus idem Mabillonius in Præfatione ad sæculum I. §. IV. n. 12. Obiter de his Pagius in Critica ad an. 541. nu. VIII. Confer etiam Papebrochium in Responsionibus ad art. XI. n. 238. 239.

Apollinaris. *Apollinaris* Valentinæ Ecclesiæ in Galliis Episcopus colitur hac die a Hieronymianis, ut indicat Sollerius, a Rabano, Adone nostro, Usuardo, Wandelberto, licet cum Apollinari Ravennate eum confundat, Notkero, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Richenoviensi, Augustano, & Labbeano. Meminit Gellonense hac die una cum aliis. Interfuisse dicitur Epaonensi Concilio A. D. 517. Illius Acta leguntur in codice Reginæ Suecorum 711. pag. 41. & habent initio: *Incipit vita beatissimi Apollinaris Episcopi Ecclesiæ Valentinæ super fluvium Rodani. Quantum se omnium vita* &c. usque, *nunc gaudet advocatum*.

Thraseas. *Thraseas*, *Eumeniæ* in *Phrygia* Episcopus, colitur hac die a Romano parvo, Adone, Usuardo, & Notkero. Ex Eusebio Rufini lib. V. cap. XXIV. elogium sumptum est, dum Polycratis Epistola profertur, ubi ita vertit Rufinus: *Similiter & Thraseas Episcopus apud Eumeniam, sed apud Smyrnam martyrio consummatus*. Aliter loqui Polycratem apud Eusebium putant Valesius ad hunc locum, Ruinartius in Acta martyrum pag. 25., & Sollerius in Usuardum hac die, perinde ac Polycrates scribat, *Thraseam* non fuisse in urbe *Smyrnensi* martyrio affectum, sed in ea requiescere, seu *requievisse*. Passus est, *Antonino*, & M. *Aurelio* imperantibus, ut ex Apollonii libro contra Montanistas, apud Eusebium lib. V. cap. XVIII. Alia autem elogii de *Thrasea* verba, quæ in vulgato Adone leguntur, & a nostris absunt, ea sunt, quæ in memorato nunc Eusebii loco habentur.

Firmati & Flavinæ. *Firmatus* diaconus, & *Flavina*, seu *Flaviana* virgo, *Autissiodorenses*, de quibus codices nostri, memorantur a Hieronymianis, licet repugnante Florentinio, qui inter Auctaria eos amandat. Agunt etiam Gellonense, Usuardus, Martyrologium Fuldense, Richenoviense, *Flavina* tamen prætermissa, Augustanum, & Labbeanum. Quid de Martyrologio Romano notarint Castellanus, & Sollerius, apud eos vide. Non esse certe commiscendos cum martyribus Siculis, recentiores animadvertunt. Sollerius item miratur, cur *Firmatum* & *Flavinam* Rosweidus in Adonianam appendicem depulerit.

F. PRI-

F. PRIDIE NONAS OTOBRIS. *6. Octob.*

APUD Capuam, natalis sanctorum Marcelli, Casti, Æmilii, Saturnini. *Marcelli, & soc.*

In Galliis, civitate Agenno, natalis sanctæ Fidis Virginis & martyris, cujus exemplo beatus Caprasius ad agonem martyrii animatus est. *Fidis.*

Euseb. l. 5. c. 24. Ruff. Eodem die, beati Sagaris martyris, & episcopi Laodicensis, qui unus fuit de antiquis S. Pauli Apostoli discipulis. *Sagaris.*

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Capuam &c.* Cod. 513. 512. 514. ita habent:
» Autissiodoro, depositio sancti Romani Episcopi, qui cum rexisset Ecclesiam, *Romani.*
» divinitus sibi commissam annos III. dies xv. tandem ut fertur martyrio vitam fi-
» nivit. Eodem die, beati Agaris (Cod. 512. 514. Sagaris) Episcopi Laodicensis, *Sagaris.*
» & martyris, qui unus fuit de antiquis Pauli discipulis. In civitate Agenno, natalis san-
» ctæ Fidis virginis, & martyris, cujus exemplo beatus Caprasius ad agonem martyrii *Fidis.*
» animatus est.

Deest in eisdem codicibus natalis SS. *Marcelli*, *Casti*, *Æmilii*, *& Saturnini*.

Marcelli & soc. ADNOTATIO. *Marcellus* & socii apud *Capuam*, qui a nostris codicibus prætermittuntur, coluntur hac die a Hieronymianis, a quibus adduntur *Castus*, & *Emilius*, in Africa martyres. *Rogati*, *Emeli*, *Ammonii*, *Marcelli*, *Casti*. *Albini*, & *Marci* meminit Gellonense. Rabanus item legit: *In Apulia*, *Casti*, *& Emili*. De his silent Beda, Romanum parvum, Florus, & Wandelbertus. Richenoviense habet: *Et in Apulia*, *Casti*, *Marcelli*, *Emili*, *Saturnini*. *Et in Africa*, *Rogati*, *Faustini*. Pridie vero: *Et in Capua*, *Marcelli*, *Quarti*, *& Marcellini*. Augustanum hac die VI. *Octobris* confuse: *Rogati*, *Ammoni*, *Casti*, *Marcelli*. Labbeanum hac item die: *Rogati*, *Æmili*, *Ammoni*, *Marcelli*, *Casti*, *Albini*, *Marcel.* Corbejense brevius: *Capua*, *natalis sanctorum Marcelli*, *Casti*, *Emeli*. Ottobonianum postridie hujus diei: *In Capua Campaniæ*, *natalis sanctorum Quarti*, *& Marcelliani*. Baronius in Notationibus ad hanc diem VI. *Octobris* probabili conjectura, ex nominibus *Casti*, & *Æmilii*, in Africa martyrum, de quibus die XXII. *Maji*, & de *Marcello* die XIX. *Februarii*, existimat hos martyres a profugia Episcopia ob Wandalicam persecutionem Capuam fuisse delatos, & ibi hac die coli. Rem componere conatur Florentinius, sed Sollerius Baronii conjecturas amplectitur.

Fidis. *Fides* virgo & martyr colitur hac die a Hieronymianis, licet in apographo Epternacensi corrupte legatur: *In Galliis civitate Genua* (pro *Agenna*) *natalis sanctæ Pelicis* (pro *Fidis*). Agunt præterea Gellonense, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Notkerus, Richenoviense, Labbeanum, & Kalendarium Vatic. 3806. in quo *Caprasius* jungitur. Ottobonianum habet: *In Gallia*, *civitate Genua* (pro *Agenna*) *sancta Fides virginis & martyris*. Acta inter alios edita sunt a Labbeo Bibliothecæ MSS. tom. II. p. 528. *& seq.*, eaque accurate expendit Tillemontius tom. IV. pag. 543., & 752. Laudantur a Ruinartio in Præfatione ad Acta martyrum pag. LXV. In Codicibus Canonicorum Forojuliensium hæc Acta initio ita præferunt: *Passio sanctæ Fidis & sociarum ejus*. *Sancta igitur Fidis Agenuensium civitate orianda fuit*, *ex parentibus clarissimis*, *splendidissima proles procreata* &c. usque: *Dulcidius Episcopus eorum reliquias invenit*, *& in locum sacrum statuunt*, *quorum meritis ad salutem omnium innumera cælitus patrantur miraculorum insignia*. *Præstante Domino nostro* &c. De *Caprasio* ad XX. *Octobris* agemus.

De *Sagare* bis agunt apographa nostra, nimirum die XIV. *Martii*, ut ibi monuimus, & iterum hac die, qua colitur a Romano parvo, & Usuardo, silentibus aliis. Elogium petitum est, ut Baronius in Notationibus, & alii monent, ex Epistola Polycratis apud Eusebium Rufini lib. V. cap. XXIV. Apographa nostra ad diem XIV. *Martii* martyrii tempus designant, sub *Sergio Paulo* Asiæ proconsule, *Antonini*, & *M. Aurelii Augustorum* Imperio, *Sagaris.*

rio, quod sumptum est ex Melitanis Sardensis Episcopi apologia apud Eusebium Rufini lib. iv. cap. xxvii.

Romani. Sequitur in nostris codicibus *Romanus*, Episcopus *Autisiodorensis*, de quo hac die apographa Hieronymiana, & Ottobonianum, in quibus *Episcopus* tantum dicitur. Fuldense eadem habet, quæ codices nostri. *Romani Episcopi* meminere hac die Augustanum, & Labbeanum. Silet genuinus Usoardus, sed in illius Auctariis memoratur, ubi interdum *martyr*, interdum *confessor* dicitur. Igitur fama potius, quam certa monumentorum fide *martyr* traditur. *Martyris* tamen titulus in Martyrologio Romano retentus est. Fuit autem, ut ex Historia Episcoporum Autisiodorensium Herici monachi habetur, inter Autisiodurenses ordine xvii. & vixit *temporibus Johannis Papæ usque ad Benedictum, imperante Justino minore*; idcirco floruit sæculo Christi vi. jam inclinante.

---

7. Octob.

G. NONIS OCTOBRIS.

Pontificale cap. 35. ROMÆ, via Appia, natalis sancti Marci Papæ, & confessoris, qui sedit in episcopatu annos duos, menses novem, dies viginti. Sepultus in cœmeterio Balbinæ, via Ardeatina, quod ipse insistens fecit. *Marci Papa.*

Juliæ, Sergii & Bacchi. Eodem die natale sanctorum martyrum Juliæ, Sergii, & Bacchi, sub Maximiano Imperatore: cujus honoribus sublimati, in palatio ejus clari habebantur. Nam Sergius erat Primicerius, Bacchus vero Secundicerius scholæ gentilium. A quibusdam ergo apud Imperatorem accusati quod essent Christiani, vocati sunt ab Imperatore, ut sacrificantes Jovi, de sacrificiis oblatis cum eo degustarent. Ingressus Imperator templum, gustavit de sacrificiis, & circumspiciens non vidit Sergium, & Bacchum: neque enim ingressi fuerant templum. Mittens igitur milites de adstantibus sibi Imperator, jussit eos introduci. Quibus & dixit: Ut video, facti estis deorum inimici. Accedite ad aram Jovis magni, & sacrificate, ac de sacrificiis ejus sicut & ceteri manducate. Responderunt beati Sergius, & Bacchus: Habemus Regem verum æternum in cælis, Jesum Christum filium Dei. Huic per singulos dies offerimus sanctum vivumque sacrificium, atque rationabilem culturam: lapides autem, & ligna non adoramus. Imperator tunc indignatus, jussit exutos chlamyde indui eos muliebri colobio, & per mediam civitatem ad palatium pertrahi, catenis in cervicibus positis. Et cum pervenissent ad palatium, dixit eis Imperator: Sceleratissimi, scitis, quia quem colitis Christum, fabri filius fuit, & antequam nuptiæ legitimæ fierent, de adulterio facto mater eum procreavit? Cui milites Christi responderunt: Erras, Imperator, nam quem colimus, Deus verus est, & vita æterna, qui fecit cælum, & terram & quæ in eis sunt. Amplius igitur veris prosecutionibus eorum iratus Maximianus, jussit eos Antiocho Duci tradi, ut constringeret eos in cippo. Et facto mane sedit in prætorio, & adducti

cti sunt ante illum Sergius, & Bacchus. Et cum nec blanditiis nec minis eos a proposito incurvare posset, beatum quidem Sergium iterum jussit in custodia recipi. Bacchum vero extensum, nervis crudis tamdiu cædi, quousque cædentes lassi deficerent. Et vicissim accedentibus sibi cæsoribus, Martyr gloriosus in confessione Christi totus corpore discissus emisit spiritum, & relicto corpore avibus, & feris, abiit Antiochus. At Christiani furtim venientes, tulerunt corpus Martyris, & in spelunca quadam sepelierunt. Sequenti vero die beatus Sergius eductus de custodia, præsentatur Antiocho: qui cum verbis eum flectere non posset, primo cothurnos confixos clavis vestiri eum fecit, & novem milibus ante se currere. Postmodum in sententia fixum manere videns, decollari jussit, quem tunc Christiani in eodem loco sepelierunt. Parvo autem tempore interposito, Beatum quoque Bacchum a loco, quo tumulatus fuerat, elevantes, honorabili martyribus loco, juxta sanctum Sergium composuerunt. Ubi & virgo Julia, quæ sub Martiano præside martyrium consummavit, sociata martyribus sepulta quiescit.

Marcelli, & Apuleii. Eodem die sanctorum martyrum Marcelli, & Apuleii, qui quidem primo adhæserunt Simoni mago: sed videntes mirabilia quæ Dominus operabatur per Apostolum suum Petrum, relicto Simone, doctrinæ apostolicæ se tradiderunt. Et post martyrium Apostolorum confessione Christi & ipsi decorati, Aureliano Consulari viro sententiam ferente, martyrii coronam reportarunt. Sepulti non longe ab urbe Roma.

VARIA LECTIO. Ed: *Romæ, via Appia &c.* Cod. 511. 512. 514. *Romæ, natalis sancti Marci Papæ, qui sedit in Episcopatu annos* II. *menses* VIIII. *dies* XX. *Item Romæ, sanctorum martyrum Marcelli, & Apulei, qui &c.* ut in editis. Post verbum *ab urbe Roma*, extremo loco in editis, sequitur in codicibus:

„ Apud Provinciam, quæ nuncupatur Augusta Eufratesia, sanctorum martyrum „ Sergii & Bacchi, sub Maximiano Imperatore, quorum ultimus magister scholæ „ gentium, tamdiu pro Christo cæsus est penes castrum Barbaiissum, quousque „ exhalaret spiritum: alter vero & ipse utens dignitate primicerii, calceis clavatis a „ Judice indutus, ante currum ipsius currere compulsus, ac deinde capitali suppli„ cio animam Deo reddidit.

Marci Papæ. ADNOTATIO. Celebris est hac die in tabulis omnibus Latinorum veterrimis *Marci Papæ* natalis. De eo siquidem Indiculus Bucherianus hac die: *Marci, in Balbina*. Hieronymiana apographa partim de eo agunt hac die, partim pridie hujus diei; prout Richenoviense. Ceterum hac die eum recolunt Beda, Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. *Marci Episcopi* meminit hac die Gellonense. Quod vero ad illius cultum Liturgicum attinet, in Sacramentariis omnibus Gregorianis Missa

Missa hac dia habetur in *natali sancti Marci Papæ*, ut in nonnullis; seu *Episcopi*, ut in ullis. Prima oratio io cod. Palat. Vat. 495. est: *Exaudi, Domine*. Secreta: *Accepta sit*. Ad com: *Da, quæsumus, Domine*. In Capitularibus Evangeliorum omnibus Evangelium hac die io *natali sancti Marci* designatur, ut habes tom.III. de Liturgia Rom.Pont. pag.a81. Epitaphium ad illius tumulum exaravit sanctus Damasus Papa, de quo Baronius ad annum 336. oum. LXVIII., quo anno *Marcus* Pontifex obiit, & io cœmeterio Balbinæ, quod ipse constituerat, via Ardeatina, *pridie Nonas Octobris* sepultus. Cætera, quæ ad illiua res gestas, ejusque cultum pertinent, vide apud Baronium ad an. 336. & in Notationibus hac die, Tillemontium tom. VII. p.a68. Bollandianos, & aiios recentiores.

Juliæ, Sergii, & Bacchi.

Julia, Sergius, & Bacchus coluntur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Adone vulgato, & Notkero. Sejungitur *Julia* ab Usuardo genuino, quæ præteritur ab apographis nostris. Sejungitur etiam a Gellonensi, in quo de *Sergio*, & *Baccho* siletur. Cæterum de *Sergio* & *Baccho* agunt Rabanus, Richenoviense, Fuldense, Ottobonianum, & Kalendarium Vat. 3806. In Kalendario Palat. Vat. 485. hac die post natalem *sancti Marci*, uliena manu babetur: *natalis sanctorum Sergii & Bacchi*. Io libris Liturgicis vetustioribus nihil de his martyribus occurrit, prætergquam in Capitulari Evangeliorum Vaticano 43. in quo Evangelium hac die io eorum natali designatur. Eorum tamen cultus Constantinopoli, & in urbe Roma celebris jamdiu fuit, ut habes apud Baronium in Notationibus hac die, ubi de sanctorum *Sergii & Bacchi* Diaconia a *Gregorio* III. restituta. Vide etiam Tillemontium tom. V. pag. 491. *& seq.* De collapsa Ecclesia seu Diaconia sanctorum. *Sergii & Bacchi* Floravantes Martinellus in Opusculo de Diaconia sanctæ Mariæ in Porticu. Innocentius III., qui ante Pontificatum *sanctorum Sergii & Bacchi* Diaconus Cardinalis fuerat, litteras Apostolicas A. D. 1199. VI. *Non. Julii* Romano Archipresbytero, & Clericis ejusdem Diaconiæ dedit, quibus bona, & privilegia confirmat. Hæ leguntur inter Innocentii Epistolas lib. II. ep. 10 a. Acta Græca Simeoni Metaphr.stæ adscribuotur; Latioe recitantur apud Surium bac die. De his Baronius ad an. 309. num. XXXVI.

Marcelli & Apuleii.

Inter celebres hujus diei martyres *Marcellus & Apulejus* enumerantur, de quibus apographa Hieronymiana, sed admodum perturbate. Apertis verbis de his aguot Romanum parvum, Gellonense, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Notkerus, Augustanum pridie hujus diei; & hac die Ottobonianum; Postridie vero Fuldense. Corbejense brevius ea die, *Marcelli via Appia* meminit. Dia autem VII. *Octobris* agit Kaleodarium Vat. 3806. ubi pro *Marcello*, *Marcum* habet. Vetustissimus sane eorum cultus in Urbe fuit, ut patet ex codice Sacramentorum Gelasiano pag. 174. ubi Missa in *natali sanctorum Marcelli & Apulei* habetur. Eorum loco a Gregorianis Missa in *natali sancti Marci Papæ* substituta est. Recentioribus Acta mendosa videntur; de qua re Tillemootius adeundus tom. I. pag. 189. & 538.

8. Octob.

A. VIII. IDUS OCTOBRIS.

De hoc supra II. April. Hieron. de script. Eccl. cap. 30. *Simeonis.*

Philippi.

APUD Cretam, urbe Gortinæ, beati Philippi Episcopi magnis virtutibus, & optimis studiis præditi viri.

Demetrii. Vide lib. de fest. Apost.

Thessalonicæ, sancti Demetrii martyris. Et beatissimi senis Simeonis.

VARIA LECTIO. Ed. *apud Cretam &c.* Cod. 511. 512. 514. hac die habent:

Pelagiæ. *Benedictæ.*

„ Apud Cretam, urbem Gortinæ, beati Philippi Episcopi magnis virtutibus,
„ & optimi studii præclari viri. Thessalonicæ, natalis sancti Demetrii martyris. Eo-
„ dem die, juxta montem Oliveti, depositio sanctæ Pelagiæ, quæ peccatrix appella-
„ tur: cujus actus habentur, omni laude, & imitatione dignissimi. In pago Lau-
„ dunensi, natalis sanctæ Benedictæ virginis, & martyris.

Deest in eisdem codicibus natalis sancti *Simeonis* senis.

ADNO-

Philippi. ADNOTATIO. De *Philippo* Gortinensi Episcopo ter agunt apographa nostra, nimirum die XI. *Aprilis*, XXV. *Junii*, & hac die. Iterum hac die agunt Romanum parvum, & Notkerus. Repetitionis hujus caussam hactenus se non reperisse fatetur Sollerius. De *Philippo* Eusebius Rufini lib. IV. cap. XXI. & XXIII. & Hieronymus de Scriptoribus Eccl. cap. XXX. Ejus opus adversus Marcionem interiit. Vide Halloixium in vitis Oriental. Script. tom. II. Vide etiam quæ ad diem XI. *Aprilis* monuimus.

Demetrii. *Demetrius* Thessalonicensis martyr, colitur primum, ut fert Sollerii judicium, a Romano parvo, ex quo Ado, inde Usuardus, & Notkerus. De eo item Wandelbertus. Vide quos *Demetrii* laudatores recitet Baronius in Notationibus hac die, præter Metaphrasten, sed uberiorem eorum elenchum habes in Bibliotheca Græca Fabricii tom. IX. pag. 71. Ex his encomiis decerpsit Tillemontius, ubi res illius gestas enarrat tom. V. pag. 149. *& seq.* Circumferuntur etiam Acta martyrii, Anastasio Bibliothecario interprete, quæ edidit Mabillonius Analect. t. I. pag. 65. *& seq.*

Simeonis. *Simeon senex* præteritur a nostris codicibus. Sollerius vulgati Adonis fide, tum hac die, tum in libello de festivitatibus Apostolorum, de *Simeone* ab Adone primum agi scribit, deinde ab Usuardo ex more. Miratur tamen Sollerius, cur a Notkero prætermittatur. Idem Sollerius nos amandat ad Allatium in Diatriba de Simeonibus pag. 100. ad Tillemontium tom. I. pag. 424. Ex elogio Adonis, & Usuardi est Simeon ille, de quo Lucas in Evangelio cap. II.

Pelagiæ. Additur in codicibus nostris *Pelagia*, quæ dicta est *peccatrix*, & in Romano Martyrologio *pœnitens*. De ea hac die genuinus Usuardus, Gellonense, & Richenoviense, in quo, *Antiochiæ* recolitur; & mixtim cum aliis de ea meminit Labbeanum. Sollerius in ea est sententia, ut *Pelagia* aliqua in Hieronymianis memoretur, ex quibus Usuardus accepit. Sed & Adoniana apographa præ oculis habere potuit Usuardus. Plura de Actis, & laudibus *Pelagiæ* congerit Baronius in Notationibus hac die, sed & adeunda illius Vita, auctore Jacobo Diacono, interprete Eustochio, inter vitas Patrum apud Rosvveidum lib. I. Floruit temporibus Theodosii junioris. Acta, quæ Metaphrastæ adscribuntur, una cum vita, Jacobo Diacono auctore, habentur etiam apud Surium hac die.

Benedictæ. *Benedicta* virgo & martyr in pago *Laudunensi*, de qua apographa nostra, colitur hac die a genuino Usuardo, & silente vulgato Adone, censuit Sollerius, ab uno tantum Usuardo in sacras tabulas relatam. Bollandiani socii ad diem XXVI. *Maji*, in indice prætermissorum pag. 353., ut monet Sollerius, adnotant, Acta *sanctæ Benedictæ* eadem plane esse ac Acta *Saturninæ* virginis & martyris, nominibus tantum immutatis. Si quæ alia, inquit Sollerius, reperiantur, ea in Actis Bollandianis ad hanc diem locum invenient. Interim consulendus est Tillemontius tom. IV. pag. 450.

B. VII. IDUS OCTOBRIS. *9. Octob.*

Abrahæ. ABRAHÆ Patriarchæ.

Dionysii, Eleutherii, & Rustici. Apud Parisium, natalis sanctorum martyrum Dionysii Episcopi, Eleutherii presbyteri, & Rustici diaconi: qui beatus Episcopus a Pontifice Romano ad Gallias directus, ut prædicationis operam populis a fide Christi alienis exhiberet, tandem Parisiorum civitatem devenit, & per aliquot annos sanctum opus fideliter, & ardenter executus, a præfecto Fescennino Sisinnio comprehensus, & cum eo sanctus presbyter Eleutherius, & Rusticus diaconus, gladio animadversi martyrium compleverunt. (Gregor. Turon. l. I. hist. Franc. cap. 30.)

VARIA LECTIO. Ed. *Abrahæ Patriarchæ*. Cod. 511. 512. 514. *Obitus Abrahæ Patriarchæ*. *Parisius natalis &c.* Ed. *Qui beatus Episcopus a Pontifice Romano &c.* Codices: *qui beatus Episcopus a sancto Clemente in Gallias directus &c.* Post verbum *compleverunt*, extremo loco, sequitur in eisdem codicibus:

Gereonis. *Apud Coloniam Agrippinam, Natalis sanctorum Gereon, cum aliis* CCCXXVIII. (Cod. 512. 514. CCCXCVIII., *quos &c.* ut in editis postridie hujus diei.

Deinde sequitur in eisdem codicibus:

Domnini. „ Item apud Juliam, via Claudia, passio Domnini martyris, sub eodem Maximiano: „ qui cum esset primus cubicularius ejusdem, & vellet persecutionis rabiem declinare, „ protinus insecutus, & nihilominus gladio verberatus, gloriose occubuit.

Abraham. ADNOTATIO. *Abraham* Patriarcha, ab auctore Romani parvi primum, ut videtur Sollerio, recensitus, & ex eo acceptus ab Adone, inde ab Usuardo, & Notkero, celebratur etiam hac die a Wandelberto, silentibus prӕterea aliis. De illius cultu consule Baronium in Notationibus hac die, & Calmetum in Dictionario Biblico, verbo *Abraham*. Narrationes apocryphas de eodem Grӕce scriptas indicat Bibliotheca Grӕca Fabricii tom. IX. pag. 49.

Dionysii, & soc. *Dionysius Parisiensis* Antistes cum sociis hac die in tabulis omnibus Latinorum colitur, sed Hagiographorum verba, imitatione Sollerii proferenda sunt. Apographum Hieronymianum Lucense habet: *Parisius, natalis sanctorum Dionysii Episcopi, Eleutheri diaconi, & Rustici presbyteri & confessoris*. Corbejense: *Parisius, natalis sanctorum Dionysii Episcopi, Rustici presbyteri, & Eleutheri diaconi*. Beda: *In Parisiis, natale sanctorum martyrum, Dionysii Episcopi, Rustici, & Eleutherii*. In Bedӕ apographo Palat. Vatic. 833. pridie hujus diei legitur, sed charactere minus antiquo: *Vigilia sanctorum martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii*. Romanum parvum: *Parisiis, Dionysii Episcopi cum sociis suis a Fescennino gladio animadversi*. Gellonense, & Labbeanum: *Parisius, Dionysii martyris, Eleutherii, & Rustici*. Rabanus: *In Pariso, passio Dionysii Episcopi & martyris, Eleutherii presbyteri, & Rustici diaconi: quos referunt a Clemente Papa in Galliam ad prӕdicandum verbum Dei missos, & ibidem martyrizatos*. Eadem propemodum habent Ado, Usuardus, Notkerus, & Hagiologium Francogallicum. Richenoviense: *Parisiis, passio sanctorum Dionysii, Rustici presbyteri, Eleutherii diaconi*. Corbejense brevius: *Parisius, natalis sanctorum Dionysii Episcopi, Eleutherii presbyteri* (pro *diaconi*), *Rustici diaconi* (pro *presbyteri*). Martyrologium Fuldense: *Parisius, passio sanctorum Dionysii, Rustici, & Eleutherii martyrum*. Ottobonianum: *In Parisius civitate, natalis sanctorum martyrum Dionysii Episcopi, Eleutherii presbyteri, & Rustici diaconi*. Kalendarium Palat. Vatic. 485: *Natalis sanctorum Dionysii Episcopi, Eleutherii, & Rustici mar.* Kalendarium Vatic. 3806. *Parisius, milliario uno ab urbe, passio sancti Dionysii Episcopi cum sociis suis*. Hactenus Haplologia. Ex apographis nostris, in quibus, ut animadvertit Sollerius, mendose legitur *Rusticus diaconus*, pro *presbyter*, & *Eleutherius presbyter*, pro *diaconus*, elicitur de *Dionysio* Parisiensi Antistite quidem agi, sed non de *Areopagita*, de quo egerunt die III. *Octobris*, quod jampridem agnoverunt recentiores inter Gallos Critici, qua de re Castellanus in Prӕfatione Bimestris primi pag. 25. In Martyrologio Romano hac die *Dionysii Areopagitӕ*, ejusdemque Episcopi *Parisiensis* enunciatio retenta est, ex Belino, ut videtur Castellano, descripta; hinc plura de Dionysio Areopagita apud Baronium in Notationibus hac die. Quod vero ad ejus ӕtatem, patriam, martyrium, & cultum multa a recentioribus disputata sunt, quibus prӕtermissis, satis est, ut consulas Gerardum Dubois in Historia Ecclesiӕ Parisiensis lib. I. cap. III. lib. IV. cap. VIII. & lib. VI. cap. VI. ac Tillemontium tom. IV. pag. 439. *& seq.* Eorum cultus Liturgicus in Gallicana Ecclesia vetustissimus est; nam codex Sacramentorum Remensis & Ratoldi apud Menardum pag. 183. Missam habent in *vigilia*, & in *natali sanctorum Dionysii, Rustici, & Eleutherii*. Hac die etiam IX. *Octobris* Missa in natali *sanctorum Dionysii & sociorum ejus* prӕfigitur in Sacramentario Palat. Vat. 495. ubi prima oratio est: *Deus, qui hodierna die*. Super oblata: *Hostia, Domine*. Ad com: *Quӕsumus, omnipotens Deus*. In Missali plenario Vatic. 4770. eӕdem orationes statuuntur *in natali sanctorum Dionysii, Rustici, & Leutherii*, pro *Eleutherii*. Habentur etiam in Palat. Vatic. 496. neque prӕtereundum, quod in Canone codicis Sacramentorum Gelasiani pag. 197. ad oram post nomina martyrum ad *infra actionem*, recensentur nomina *Dionysii*, & *Rustici*. Circumferuntur & Acta, quorum exordium in codice Reginӕ Suecorum 523. pag. 201. est: *Passio sanctorum martyrum Dionysii, Rustici, & Eleutherii. Pretiosus* &c. usque, *pater amisit*, *Regnante* &c.

Domninus in Gallia cisalpina martyr, de quo apographa nostra Adoniana, iisdem pene verbis celebratur ab Usuardo genuino, qui ex iisdem apographis sumere potuit, non ex Hieronymianis, in quibus memoratur, nimirum ex apographo Lucensi, in quo legitur: *Natalis sancti Domnini martyris*, silentibus tamen apographis Epternacensi, & Corbejensi. Multa habet ad hunc locum Florentinius. Silent autem Beda, Romanum parvum, & Not- Domnini.

Notkerus . At agunt Rabanus , & Wandelbertus. Martyrologium Ottobonianum habet: *In Italia , natalis sancti Domnini martyris.* Hactenus Hagiologia . Habentur etiam illius Acta pervulgata , quæ post Mumbritium edidit Mosander apud Surium . Passus est Diocletianea persecutione c. A. D. 304. Locus martyrii ab apographis nostris , & ab Usuardo designatus est apud *Juliam* , *via Claudia* . Quæ est igitur hæc urbs *Julia* , *via Claudia*? In Actis Martyrii hæc de *Domnino* leguntur : *Qui cum venisset quintodecimo milliario a Julia Crisopoli civitate , a ministris Imperatoris insecutus , apprehenditur , & circa fluvium , Sisteranem nomine , in medio , quæ Claudia vocatur , via publica capite plectitur .* Expendit hæc verba Claverius lib. I. Italiæ antiquæ cap. XXVII. pag. 270. & in his errata quædam deprehendit , ex eorum simplicitate enata , qui Acta conscripserunt ; nam *Fidentia* , quæ nunc urbs *sancti Domnini* dicitur , a Parma , quæ *Julia Augusta* fuit etiam appellata , XV. mille passibus distabat , erat in *Æmilia* , non in *Claudia via* . Dubitat etiam Cluverius , num *Fidentia* , & *Parma* , aliquando sit *Chrysopolis* , seu *Crisopolis* vocata , quod nullus , inquit , idoneus auctor id tradat . Nihil de hujusmodi nomine dubitat Raphael Fabrettus Inscription. antiquarum pag. 106. *Julia Chrysopolis* , *Parma* vocatur ab Anonymo Ravennate lib. IV. pag. 213. , a Luitprando lib. I. cap. XI. , & a Domnisone in Vita Mathildis lib. I. cap. X. vers. 4. ubi habet :

Chrysopolis jam dudum Græca dicitur usu ,
Aurea sub lingua sonat hæc urbs esse Latina ,
Scilicet urbs Parma .

Non abs re autem in Martyrologio Romano exaratum est hac die : *Apud Juliam in territorio Parmensi , via Claudia , S. Domnini martyris &c.*

Via Claudia ex Bergerio de viis Romanorum lib. III. cap. XXII. num. 8. ex Cassia deducta , *Roma* per Etruriam usque *Lucam* perducebat . *Æmilia* via *Parmam* , & *Placentiam* usque protendebatur . Rectius ergo in Actis ponendum fuit : *via Æmilia* .

C. VI. IDUS OCTOBRIS. 10. Octob.

APUD Coloniam Agrippinam , natale sanctorum martyrum Gereonis , & aliorum trecentorum octodecim , quos ferunt Thebæos fuisse , & cum legione illa beati Mauritii , inde jussu Maximiani Imperatoris in Gallias transitum fecisse , atque circa Rheni litora consedisse , & funestum tyranni imperium respuendo , pro vera pietate colla patienter gladiis subdidisse . *Martyr. CCCXVIII.*

Loth Prophetæ. *Loth.*

Hieron. de script. Eccl. cap. 28. Apud Cretam , beati Pinyti , inter Episcopos nobilissimi , qui in scriptis suis velut in quodam speculo viventem sui reliquit imaginem. *Pinyti.*

Item apud Agrippinensem urbem , natalis sanctorum martyrum Mallosi & Victoris : quorum prior cum longo tempore , ubinam sepultus fuerit , latuisset , sancto Episcopo ejusdem loci ex divina revelatione manifestatus est : Cumque corpus ejus ex loco abdito levaretur , tanta odoris suavitas emanavit , ut adstantes Fideles , velut immensi aromatis fragrantia replerentur . *Mallosi & Victoris.*

Beda hist. Angl. l. 2. c. 9. 14. 16. 17. 20. & lib. 3. c. 14. In Britannia , sancti Paulini Episcopi Eboraci , qui ordinatus Episcopus a beato Justo , qui a sancto Augustino , quem beatus Gregorius ad prædicandum Anglorum genti direxerat , consecratus Episcopus fuerat , gentem Nordanhumbrorum , hoc est eam nationem Anglorum , quæ ad Aquilonem Umbri flumi- *Paulini.*

nis habitabat, cum Rege suo Eduino, verbum fidei prædicando convertit. Et clarus vita, doctrina, & miraculis, VI. Idus Octobris in pace quievit.

VARIA LECTIO. Ed: *Maximiani Imperatoris*. Cod. 511. 512. 514. agunt die superiori, & pro *Maximiani Imperatoris*, habent: *Maximiani tyranni*. Hac die vero ita incipiunt: *Apud Cretam, beati Piniti &c.* ut in editis. Post extremum verbum: *in pace quievit*, in editis, sequitur in codice 511. alio charactere, sed vetusto: *Item sancti Gereonis, sociorumque ejus*.

Deest in codicibus hac die natalis *Loth prophetæ*.

Gereonis & soc. ADNOTATIO. *Gereon*, & socii martyres ab Hagiographis, partim pridie hujus, partim hac die coluntur, sed perturbatis, ut fieri solet, amanuensium vitio locis, ac numeris; quare Hagiographorum verba proferre cogimur. Hieronymianum Lucense pridie hujus habet: *In Gallia, civitate Coloniæ Agrippini* (pro *Agrippinæ*,) *natalis sanctorum* CCCXVII. *martyrum, quorum nomina Deus scit*. Corbejense ea die: *Colonia Agrippina civitate, natalis sanctorum trecentorum septemdecim martyrum*. Ea die meminit Gellonense, & agunt apographa nostra Adoniana, quæ etiam librariorum vitio in numeris corrupta sunt, ac eos una cum vulgato Adone Thebæos statuunt. Silet ea die Rabanus, sed agit Notkerus, ac sociorum numerum *tercentos novendecim* constituit. Martyrologium Fuldense, quod Adoni, & Usuardo proprius adhærere solet, ea quoque die habet: *Colonia, natalis sancti Gereon cum aliis* CCCXVII. Ottobonianum eadem die: *Colonia civitate, natalis sanctorum martyrum Gereon cum aliis* CCCXVII. Demum Richenoviense die IX. Octobris: *Coloniæ, Gereonis cum aliis quadringentis septemdecim martyribus*. Augustanum ea die: *Gereon martyris cum aliis* CCCXVII. Labbeanum eadem die: *Coloniæ, Gereonis martyris cum aliis trecentis & septemdecim*. Kalendarium Vat. 3806. die similiter IX. Octobris: *Colonia, sancti Gereonis cum* CCCXVIII. *martyribus*. Itaque fere omnes Hagiographi de *Gereone* cum sociis CCCXVII. aut CCCXVIII. die IX. Octobris agunt. Usuardus genuinus ea die de *Gereone*, & sociis silet, sed hac die tantum de *Gereone* cognomento *Malloso* una cum aliis trecentis decem & octo sociis agit. At Ado *Mallosum* a *Gereone* distinguit, ut mox videbimus.

Loth. *Loth* propheta præteritur a nostris codicibus, sed agunt Romanum parvum, Wandelbertus, & Notkerus. Præteritur etiam ab Usuardo genuino. Græci de eo agunt die IX. hujus. Prætermissus est etiam a Martyrologio Romano.

Pinytus, Cnossi in Creta *nobilissimus in Episcopis*, ut habet Eusebius Rufini lib. IV. cap. XXI., recensetur primum, ut autumat Sollerius, a Romano parvo, deinde ab Adone, postmodum ab Usuardo, & a Martyrologio Fuldensi, silentibus cæteris. De Epistola Dionysii Corinthiorum Episcopi, ad Cnossios, deque *Pinyti* ad eundem responso idem Eusebius Rufini lib. IV. cap. XXIII. De eo Hieronymus in Catalogo cap. XXVII. Inter deperdita enumerantur ea, quæ scripsit. Claruit *Antoninis* imperantibus. *Pinyti.*

Ad *Agrippinenses* martyres iterum nos revocat Ado noster, qui *Mallosum* & *Victorem* martyres celebrat, eosque tandem detectos, quum jamdiu latuissent, commemorat. Contra vero Hagiologia *Mallosum* hac die una cum sociis CCCXXX. & aliqua cum *Gereone* commiscent. Audi Hieronymianum Epternacense vetustissimum: *Agrippinæ, depositio sanctorum martyrum Maurorum cum aliis* CCCXXX. Apographum Lucense: *Marusii cum aliis* CCCXXX. Ita apographum Corbejense, in quo *Mallusii*. Florentinius in Notis pag. 910. putat hos martyres ad diem IX. *Octobris* pertinere. Beda hac die: *Passio sancti Victoris*, tantum. Usuardus vero hac die ita habet: *Civitate Agrippinensi, sancti Gereonis martyris, cognomento Mallosi, cum aliis trecentis decem & octo, qui persecutione Maximiani tyranni, pro vera pietate colla patienter gladiis subdiderunt. Item in territorio ejusdem urbis, sancti Victoris martyris, & aliorum decem & septem*. Totus abit præter morem a ductore suo Adone, quod quidem negotium facessit Sollerio; quare maturo examine opus esse monet, quod a Bollandianis suo loco instituetur. Hagiologium Francogallicum hac die ad verbum Usuardum exscribit, nisi quod *trecentis decem & novem*, pro *trecentis decem & octo* habet. Florus hac die: *In Colonia, quæ vocatur Agrippina, natale Gereonis martyris, cum aliis* CCCXVIII. Gellonense hac die: *Malosi, cum aliis trecentis triginta*. Notkerus hac die: *Item apud Agrippinensem urbem, sancto-* *Mallosi & Victoris.*

sanctorum martyrum Mallosi & Victoris, Augustanum hac die: *Malusii cum* CCCXXX. Labbeanum: *Malosi cum aliis trecentis triginta*; Ottobonianum hac die: *In Africa, Eracli, & Mallosi cum aliis* CCCXXX. Kalendarium Palat. Vat. 485. hac die: *Natalis sanctorum Gereoni, Victori, & aliorum* CCCXVIII. *mar. Et sancti Paulini Episcopi*. Vides quam hæc sint implexa, ut vindice nodo indigeant. Nodum solvere aggressus est Tillemontius tom. IV. pag. 429. *& seq.* Elipandos in Actis, quorum partem ex Surio recitat Baronius ad an. 297. num. XVIII. *& seq.*, præcipuos duces *Gereonem*, *Victorem*, *Cassium*, & *Florentium* nominat, ac martyrio coronatum *Gereonem* cum sociis *trecentis decem & octo* commemorat. Uberiora, & illustriora a Bollandianis sociis expectamus.

Paulinus Eboracensis Antistes colitur hac die a Beda, Gellonensi, Rabano, Adone nostro, Usuardo, Notkero, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Augustano, Labbeano, & Kalendario Palat. Vat. 485. De eo Beda passim, & ex Beda Baronius sæpe in magnis Annalibus, & alii recentiores. Obiit Episcopus *Roffensis* A.D. 644. hac die, ut post Baronium Pagius in Critics ad an. 644. n. II., & Mabillonius Annal. Bened. lib. XIII. §. XXV. *Paulini*.

D. V. IDUS OCTOBRIS. 11. *Octob.*

APUD Tarsum metropolim Ciliciæ, natale beatissimorum martyrum Tharaci, Probi, & Andronici: qui persecutione Diocletiani sub Maximo præside, longo tempore carcerali squalore afflicti, & tertio diversis tormentis, & suppliciis examinati, in confessione fidei triumphum gloriæ adepti sunt. Nam nervis crudis graviter cæsi, & testis asperrimis defricati, etiam papyro ardenti circa ventrem, & latera adusti, post maxillarum confractionem, post tormenta tibiarum, post aceti, & sinapis naribus infusionem, post obeliscos ignitos, post confixionem digitorum clavis acutissimis, post oculorum transpunctionem, ac linguæ abscissionem, novissime amphitheatro ursis, & leonibus projecti sunt: sed cum nulla ex bestiis sanctorum corpora auderet attingere, Maximus ira accensus, jussit eos gladio jugulari, & corpora eorum inter corpora gladiatorum projici. Noctu autem venientes fideles, & deprecantes Dominum, ut eis ostenderet sanctorum reliquias, viderunt subito velut stellam splendidam de cælo missam super singula sanctorum corpora residentem. Sicque cum ingenti gaudio rapientes ea, præcedente se ejusdem stellæ splendore, gloriosos Christi athletas loco aptissimo condiderunt. *Tharaci, Probi, & Andronici*

VARIA LECTIO. Post verbum *condiderunt* ad extremum, sequitur in codicibus 511. 512. 514. *Turonis, depositio sancti Venantii abbatis, & confessoris*. In codice 512. ad oram aliena manu, minus antiqua legitur. *Eodem die, natalis sancti Gratulfi confessoris Engolismensis*. *Venantii*. *Gratulfi*.

Tharaci, Probi &c. ADNOTATIO. Illustres martyres *Tharacus*, *Probus*, & *Andronicus* in tabulis omnibus Latinorum vetustissimis colantur, partim pridie hujus, partim hac die, ac item aliis diebus. *Anazarbi* eos recolunt Hieronymiana, quæ bis de his agunt, nempe

nempe pridie hujus, & hac die. *Tarsi* vero hac die eos recolit Romanum parvum, ex quo, loci designationem acceperunt, ot putat Sollerius, Ado, Usuardus, & Notkerus. Agit de his hac die Wandelbertus. Corruptissima in Ottoboniano, librarii vitio legitur: *In acervo Siciliæ, natalis sancti Tanasi presbyteri, Ampodi, Placidi, & Fausti*, pro, *In Anazarbo Ciliciæ, natalis sancti Taraci presbyteri, Andronici, & Probi*. Castigatius Martyrologium Fuldense: *Apud Tarsum, natalis sanctorum Taraci, Probi, & Andronici, qui persecutione Diocletiani pro fide Christi, glorioso sunt martyrio coronati*. Eos celebrat hac die Wandelbertus. Hieronymiana præterea die XIII. *Maji* habent: *In Palæstina, Taraci, Probi, & Andronici*. Gellonense ea die: *Taraci, Probi, & Andronici, Victoris*. Ea quoque die Rhinoviense, Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum: *In oriente, Taraci, Probi, & Andronici*. Martyrologium Ottobonianom eademdie: *In Palæstina, natalis Probi, Taraci, Andronici*. Ea die agit Kalendarium Vat. 3806. Gellonense iterum agit die X. *Octobris*, hoc pacto: *Propii* (pro *Probi*), *Andronici. Probi, & Andronici* meminit peidie hujus Richenoviense. Hac vero die: *Taraci, Probi, & Andronici. Et in alio loco, Tanasi presbyteri, Ampodi, Placidi, Fausti*, ut in Ottoboniano. *Probi, & Andronici* meminit pridie hujus Augustanum, ut & Labbeanum. In Corbejensi breviori hac die legitur: *In Acervo Siciliæ, S. Anastasii presbyteri*, corrupte, ut reor. In Epternacensi apographo, ut monet Sollerius, *Andronico* titulus *presbyteri* tribuitur, sed librarii culpa, judicio ipsiusmet Sollerii. Acta horum martyrum germana primus detexit Baronius, quæ idem Annalium parens ad an 290. nu. I. & *seq.* vulgavit. Emendatiora inde nactus Rosvveidus, *Antuerpiæ* an. 1607. edidit. Rursus Emericus Bigotius Græce & Latine ad calcem Palladii de vita Chrysostomi, *Parisiis* an. 1680. Postremo ad varios codices recognita, ea iterum Græce & Latine vulgavit an. 1689. Ruinartius inter Acta martyrum sincera p. 457. præmissa Admonitione, qua censet, hos martyres, *Anazarbi* passos esse, & quidem c. A. D. 304. Vulgata habentoe Metaphrastæ Acta, quæ Latine leguntur apud Surium. De Ecclesia in urbe Byzantii in horum martyrum honorem constructa Cangius in CPoli christiana pag. 133.

Venantii. *Venantius* Abbas Turonensis, de quo codices nostri, in quibusdam Hagiologiis hac die, in aliis die XIII. hujus colitur. Hac die de eo agunt Hieronymiana, inter Auctaria, ut vult Florentinius. Agunt præterea hac die Gellonense, Rabanus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, & Usuardi Auctaria. Die vero XIII. hujus agit Usuardus genuinus, & Labbeanum. Rabanus, & Notkerus de Martino Ab. S. Martini rursus agunt die XXIII. *Octobris*. Item ea die Kalendarium Vat. 3806. *Parisiis*, *Venantium* recolit. Cur id? Quia Normannis Turonensem regionem vastantibus, *Venantii* reliquiæ translatæ fuerunt, & apud *Coviniam* vicum in pago *Lomacensi* prope Namurcum deposita, & ibi monachi S. Germani a Pratis initio sæculi decimi in excubiis sancti *Venantii* Abbatis erant, & usque ad annum 928. Eodem sæculo elabente, iidem Pratenses monachi inde excedere coacti, ejusdem *Venantii* reliquias secum detulerunt, quæ hactenus in S. *Germani* a Pratis basilica asservantur. Vide Mabillonium Annal. Bened. lib. XLIII. §. VIII. ad an. 928. Apographum Bedæ quoque Palat. Vatic. 833. ad diem XXIII. *Octobris*, sed aliena manu, & minus antiqua habet: *Parif. sancti Venantii Abbatis*. Martyrologium Romanum quoque *Venantium* recolit die XIII. *Octobris*. Immerito, ut mihi videtur, a Rosvveido in Appendicem Adonianam die XI. hujus rejicitur, quum tantis auctoribus *Venantius* fulciatur. Ejus gesta habes apud Gregorium Turonensem in vitis Patrum cap. XVI. & de ejus sepulchro in libris de gloria confessorum cap. XV. Floruit Christi sæculo V. Diem XIII. *Octobris*, sepulturæ esse, non depositionis diem, adnotat Castellanus.

Gratulfi. De *Gratulfo* confessore, Engolismensi silent veteres omnes Hagiographi, quos quidem viderim. Silet & Martyrologium Romanum. Meminit de eo hac die Castellanus in Appendice ejusdem Romani Martyrologii, ac floruisse tradit sæculo Christi VIII.

---

12. *Octob.* *E. IIII. IDUS OCTOBRIS.*

Edistii. APUD Ravennam via Laurentia, natalis sancti Edistii.

Mart. quat. mil. nongentor. sex. Apud Africam, sanctorum Confessorum, & Martyrum, quatuor millium nongentorum septuaginta sex, qui persecutione Wandalica, apud Africam cum essent Ecclesiarum Dei Episcopi, Presbyteri, & Diacones, associatis sibi turbis fidelium populorum, *Vict. Afric. lib. 2.*

pulorum, jussu Hunnerici Regis Ariani, pro defensione catholicæ veritatis, in horribilis eremi exilium trusi, & inter Mauros ferocissimos deputati sunt: inter quos erant Cyprianus, & Felix præcipui Domini Sacerdotes. E quibus plurimi cum crudeliter minarentur, & hastilium cuspidibus ad currendum ac lapidibus tunderentur, sive ligatis pedibus, velut cadavera per dura, & aspera loca traherentur, tam diro supplicio per singula membra discerpti, dum per gladios acutos petrarum huic caput conterebatur, aliis latera findebantur, inter manus trahentium spiritum exhalabant. Extat per totum aggerem publicum, tumulis loquentibus, vilis sepultura sanctorum.

VARIA LECTIO. Ed: *Apud Ravennam &c.* Cod. 511. 512. 514. *Apud Ravennam, natalis sancti Hedistii martyris via Laurentia. Apud Africam &c.* ut in editis.

Edistii. ADNOTATIO. *Edistius*, seu *Hedistius* martyr apud *Ravennam* celebratur a Hieronymianis, Romano parvo, Adone nostro, Usuardo, Wandelberto, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Kalendario Palat. Vat. 485. & Ottoboniano. De eo ex tabulis Ecclesiæ Ravennatis Hieronymus Rubeus Historiæ Ravennatis lib. II. quem passum scribit persecutione Diocletiani.

Martyr. 4976. Martyres & confessores quatuor mille nongenti septuaginta sex, qui a Victore Viteosi lib. II. Histor. persecut. Wandalicæ celebrantur, ex eodem sumpto elogio hac die recoluntur ab Adone nostro, deinde summatim ab Usuardo, præeunte his Romano parvo, in quo legitur: *Apud Africam, sanctorum confessorum quatuor millium nongentorum septuaginta seu sub persecutione Wandalica passorum.* Martyrologium Fuldense fere ad verbum Adonem describit. De numero non satis convenit inter Victorem & Hagiographos. Apud Victorem in editione Chiffletiana sunt 4961. in Romano Martyrologio 4966. Rectius scribi 4976. apud Romanum parvum, Adonem, & Usuardum putat Sollerius; cui numero adstipulatur etiam Martyrologium Fuldense. In Kalendario Palat. Vat. 39. hac die habetur: *Cypriani, Felicis*, & IIII. XC. LXX. *fer.* VI. *mor.* Linea super numeros ducta millenarium numerum significat. De Africana persecutione Hunerici ex Victore fuse Baronius ad an. 484. num XLIII. *& seq.*

F. III. IDUS OCTOBRIS. 13. Oct.

Hieron. de Script. Eccl. cap. 25. NATALIS beati Carpi, discipuli Apostoli Pauli, apud Troadam. *Carpi.*

Apud Antiochiam, beati Theophili, qui sextus ab Apostolis Ecclesiæ pontificatum tenuit, viri eruditissimi. *Theophili.*

VARIA LECTIO. Post verbum *eruditissimi*, sequitur in codicibus 511. 512. 514.

„ In Hispaniis, civitate Corduba, natalis sanctorum Fausti, Januarii, & Mar-
„ tialis, qui eculei poena cruciati, deinde rasis superciliis, auribus, & naribus præci-
„ sis, *Fausti & soc.*

„ sis, dentibus quoque superioribus evulsis, deturpati, ad ultimum ignis passione „ martyrium consummaverunt,

De his agunt Adoniani codices cum vulgato, die XXVIII. *Septembris*. In codice 512. post verbum *consummaverunt*, sequitur: *Eodem die sancti Geraldi confessoris*. *Geraldi.*

Carpi. ADNOTATIO. *Carpus*, Pauli discipulus, ante auctorem Romani parvi, ut Sollerio placet, a nullo Hagiographo memoratur. Ex Romano parvo in Adonem, inde in Usuardum transiit. Post hos agit Martyrologium Fuldense. De eo in Epist. II. ad Timotheum IV. 13. Nonnulla de *Carpi* cultu apud Græcos, & de ejus Episcopatu Berœensi monet Baronius in Notationibus hac die, de quibus vide Tillemontium tom. I. pag. 301. & 581.

Theophili. *Theophilus*, Episcopus *Antiochenus*, a Romano parvo primum, ut Sollerius nos docet, memoratur, deinde ab Adone, Usuardo, & Notkero. Adde Martyrologium Fuldense. Hæc de cultu apud Latinos. Celebratur autem ab Eusebio Rufini lib. IV. cap. XXIV. & a Hieronymo de Scriptoribus Ecclesiasticis cap. XXV. ubi ejus Opera commemorantur. De his plura apud recentiores, quorum sententias collegit Fabricius Bibliothecæ Græcæ tom. V. pag. 91. *& seq.* Ibi de ejus scriptis deperditis, & commenticiis. Libros tres ad Autolycum non diu ante obitum scripsit.

Fausti & soc. De *Fausto* & sociis martyribus Cordubensibus iterum hac die agunt apographa nostra, postquam de iis cum vulgatis egerunt die XXVIII. *Septembris*. Vide igitur, quæ ibi adnotavimus. Interim monemus, raptim de his hac die agi ab Usuardo, mirante tamen Sollerio, a Hieronymianis, Rabano, Wandelberto, Richenoviensi; confuse ab Augustano, & Labbeano. Agit etiam Ottobonianum. Adversus Acta, a Ruinartio, ut genuina edita, insurgit Tillemontius tom. V. pag. 796. De iis judicium proferent suo loco Bollandiani socii.

Geraldi. De *Geraldo* silet genuinus Usuardus; sed agunt ejus Auctaria hac die. Fuit Comes *Auriliacensis* in Arvernis, extruxitque monasterium *Auriliacense*, ac dotavit. Bis testamentum condidit, ac in primis tabulis annuum censum Romæ ad *arnam sancti Petri* legavit; supremas alias tabulas mense Septembri paullo ante obitum exaravit, obiitque A. D. 909. hac die. Ejus Acta in libros quatuor distributa scripsit S. *Odo* Abbas Cluniacensis, hortatu *Turpionis* Lemovicensis Episcopi, & *Aymonis* S. Martialis Abbatis, cui hos libros nuncupavit Odo. Hæc hausimus ex Mabillonio Annal. Bened. lib. XLI. §. LV. Præteritur *Geraldus* a Romano Martyrologio.

14. *Oct.*

PRIDIE IDUS OCTOBRIS.

Callisti Papæ. NATALIS * S. Callisti Papæ, qui sedit in Episcopatu annos septem, menses duos, dies decem, & sub persecutione Alexandri Imperatoris martyrii gloriam adeptus est. Postquam enim Palmachium proconsulem cum omni domo sua baptizavit, & senatorem Simplicium ac domum ejus, & Felicem cum uxore Blanda, quam a paralysi curavit, & iidem ipsi ab Alexandro universi occisi, gloriam martyrii consecuti sunt: sed & postquam Calepodius presbyter ejus gladio martyrium sumpsit, tentus est ab Alexandro, & diutissime fame cruciatus, & quotidie fustibus cæsus; atque prohibitum fuit, ne quis ad eum veniret. Si vero aliquis venire noctu auderet, comprehensus occideretur. Qui cum multis diebus esset in custodia, venit ad eum beatus Calepodius per visum, & consolabatur eum, dicens: Firmus esto, Pater, quia corona tua jam perfecta est. Erat ibi miles quidam nomine Privatus, ulceribus

* Est Callistus I. Pontific. c. 17.

ceribus plenus, qui doloribus continuis cruciabatur. Hic misit se ad pedes sancti Callisti, rogans, ut sanaret eum ab ulceribus & doloribus suis, quem mox sanctus Pontifex ab ulcerum dolore, ac fœditate, simul & ab infidelitate in nomine sanctissimæ Trinitatis baptizatum curavit. Quod audiens Alexander, ipsum quidem militem fecit plumbatis deficere: beatum vero Callistum per fenestram domus præcipitari, & ligato ad collum ejus saxo in puteum demergi, & in eum per rudera cumulari. Post dies vero decem & septem presbyter ejus Asterius cum clericis noctu veniens levavit corpus ejus, & sepelivit in cœmeterio Calepodii via Aurelia pridie Idus Octobris.

Justi. Eodem die transitus sancti Justi in eremo: qui cum aliquot annis in eremo Angelicam egisset vitam, & dignus adesset finis, tantis laboribus regnum spondens cælorum; atque illis jam extremis sanctæ commigrantis animæ, flens & consternatus mente Viator adstaret, dicens: Cui me Domine derelinquis? Respondisse dicitur, ne conturbaretur quasi destitutus solatio, quia brevi se illò quoque ipse sequeretur. Quam utique prophetiam ac revelationem cito transitu sanctissimi juvenis ministri ejus, qui solus ardore fidei eum episcopatum fugientem & latere cupientem secutus fuerat, constat fuisse completam.

Callisti Papæ. ADNOTATIO. *Callistus*, qui & *Calestus*, Romæ *via Aurelia*, in cœmeterio Calepodii hac die colitur a Hieronymiania, seu, ut præfert Indiculus Bucherianus, *via Aurelia*, *milliario tertio*. Eum quoque hac die cum elogio celebrant Beda, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Notkerus, & Martyrologium Fuldense. Romanum parvum ita præfert: *Romæ*, *Callisti Papæ & martyris*. Gellonense, Augustanum, & Labbeanum habent: *Romæ*, *Callisti Episcopi*. Richenoviense: *Romæ*, *Calisti Episcopi & martyris*. Ottobonianum: *Romæ*, *natalis Calixti Papæ*. Kalendarium Palat. Vatic. 485. alio charactere minus antiquo habet: *Natalis S. Kalisti Papæ*. Kalendarium Vatic. 3806. *Romæ*, *sancti Calisti Papæ* xvi. Hieronymiana de eo etiam agunt die xiii. *Octobris*, quapropter Florentinius in notis pag. 917. existimat, iu eis distingui diem martyrii, a die sepulturæ. Agit & Wandelbertus. Illustris etiam est illius cultus in libris Liturgicis S. R. E. vetustioribus; nam Missam hac die *in natali S. Callisti Papæ* habent Sacramentaria omnia Gregoriana, prout Capitularia Evangeliorum omnia antiquiora Evangelium designant. De illius memoria, *via Aurelia*, hæc habet Notitia ab Eccardo edita: *Inde haud procul in sinistra manu juxta viam Aureliam sanctus Processus*, *S. Martianus* (pro *Martialanus*) *S. Pancratius*, *S. Paulinus*, *S. Arthemius*, *S. Felix*, *S.* CALISTUS, *S. Calepus cum multis sepulti jacent*. Notitia alia apud Willelmum Malmesburiensem: XIV. *Porta*, *& via Aurelia: quæ modo porta S. Pancratii dicitur: quod juxta eam requiescit in sua Ecclesia: & in quarta Ecclesia* CALIXTUS, *& Calepodius: & in quinta S. Basilides*. De *titulo* & cœmeterio *Callisti* nihil dicimus, quum abunde de his apud recentiores. Acta vulgata, io omnibus non probari, ac in iis aliqua esse emendanda, jam pridem monuit Baronius ad an. 226. nu. II., & in Notationibus hac die, ut & Bollandiani ad diem x. *Maji*. Apud Mombritium tom. I. pag. 150. ita exordiuntur: *Temporibus Macrini* &c. usque xiv. *Kal. Novembris*. Vide Tillemontium tom. III. pag. 250. *& seq.* Pagius in Critica ad an. 224. nu. II. adversus Papebrochii sententiam existimat, *Callistum* sepultum fuisse die xiv. *Octobris*, & martyrio coronatum A. D. 222. Coustantius in Epistolas Romanorum Pontificum censet, Callisti martyrium accidisse die xiv. *Octobris* A. D. 223.

De *Justo* nihil hac die dicendum superest, *Justi.* quum de eo ad diem II. *Septembris* egerimus. De eo autem hac die agunt Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum.

15. Octob. *A. IDIBUS OCTOBRIS.*

Maurorū mart. IN Galliis, apud Coloniam Agrippinam, sanctorum Maurorum de militibus sancti Gereonis. Qui ex legione sacra Thebæorum, cum essent numero quinquaginta, apud eandem urbem martyrium consummantes, conditi sunt in basilica, quæ admirabili opere ex musivo quodammodo deaurata resplendet: unde & incolæ SANCTOS AURLOS eos vocitare consueverunt. Gregor. Turon. de glor. MM. c. 62.

Antiochi. Eodem die apud Lugdunum, natale beati Antiochi Episcopi, qui cum adhuc presbyter Lugdunensis esset, pio incitatus officio, usque ad visendum Episcopum suum, qui in eremo jam morabatur, nomine, & actione vere Justus, pergere animo intendit. Vir districtione præcipuus, & qui non immerito, tempore interjecto, ad ejusdem Pontificis culmen assumptus est: Quo strenue administrato, regnum cæleste adeptus est. Sepultus in Ecclesia martyrum, in qua & sanctus Justus tumulatus quiescit.

VARIA LECTIO. Post extremum verbum *quiescit* in editis, sequitur in codicibus 511. 512. 514.

Bausoli. „ In territorio Remensi, natalis sancti Bausoli presbyteri, & confessoris, qui in „ loco, ubi nunc requiescit, heremiticam vitam ducens, etiam miraculis claruit.

Maurorum. ADNOTATIO. *Sanctorum Maurorum* militum in Colonia Agrippinensi natalis memoratur hac die a Hieronymianis, Rabano, Adone, Usuardo, & Notkero. Martyrologium Ottobonianum hac die habet: *In Gallia, natalis sanctorum Maurorum. Et de militibus Lupuli, & Fortunate.* Corbejense brevius: *Colonia, natalis sanctorum Maurorum de militibus.* Adonis elogium de his sumptum est ex Gregorio Turonensi de gloria martyrum cap. LXII. ubi, *quinquaginta ex legione Thebæorum* ii fuisse dicuntur. Utrum duæ martyrum classes distinguendæ sint, quarum altera *Maurorum*, altera *Thebæorum* sit, ut fecit Florentinius, obiter disquirit Sollerius in Usuardum hac die, quem consule.

Antiochi. *Antiochus*, alias *Andiochus*, Antistes Lugdunensis, primum inter Hagiographos, ut scribit Sollerius, ab Adone, deinde ab Usuardo, & Notkero memoratur. In aliis siletur. Aliqua de eo monumenta collegit Severtius pag. 37. *& seq.* Floruit sæculo Christi IV. Vide Galliam Christianam novæ editionis in Lugdunensibus numero XVII.

Bausoli, seu Basoli. *Bausolus*, seu *Basolus*, vulgo *Bale*, ab Adonianis nostris apographis colitur, quamvis Adonis esse neget Sollerius adversus Mabillonium, ac totum Usuardinum esse contendat: quia de eo hac die agit, & silet vulgatus Ado. Obitus diem statuit Sollerius ad diem XXVI. *Novembris*, qua colitur in Martyrologio Romano. *Basolus* e Viriziacensi prope Remos monacho, anachoreta factus, in ipsius montis verticem secessit, ubi asperrimam per annos quadraginta vitam agens, migravit ad Dominum c. A D. 620. die XXVI. *Novembris*. Illius Acta Mabillonius sæculo II. Bened. pag. 64. edidit, ubi elogium ex MS. Adonis codice profert. Vide eundem Mabillonium. Annal. Bened. lib. XI. §. XXX.

---

16. Octob. *B. XVII. KALENDAS NOVEMBRIS.*

Martyr. CCLXX. IN Africa, natale sanctorum martyrum CCLXX. pariter coronatorum, & sanctorum martyrum Martiani, & Satyriani cum duobus fratribus eorum, & egregiæ Christi ancillæ Ma- *Martyiani & Satyriani cum fratrib. & soc.* *Vict. Afric. lib. 1.*

ximæ

ximæ virginis. Qui tempore Wandalicæ persecutionis, sub Geiserico Rege Ariano, pro constantia fidei Catholicæ primum nodosis fustibus cæsi, & usque ad ossa laniati, cum multo tempore talia paterentur, sequenti die semper incolumes reddebantur. Post etiam dura carceris custodia damnati, cum fuissent arctati in nervum, mira Dei virtute ingentium lignorum putrescens soluta est fortitudo. Ad quod miraculum Maxima Christi famula suæ libertati dimissa, mater postmodum multarum virginum Dei effecta, in veritatis confessione gloriosa consenuit. Reliqui inter ferocissimos Mauros exilio relegati, cum prædicatione sua multitudinem barbarorum Christo Domino lucrati fuissent, jussu impii Geiserici, ligatis pedibus post terga currentium quadrigarum, inter spinosa loca silvarum pariter jussi sunt interire. Cum ducta atque reducta dumosis lignorum aculeis innocentium corpora carperentur, vicino currentibus indomitis equis, vale sibi invicem his verbis dicebant. *Frater, ora pro me: implevit Deus desiderium nostrum. Taliter pervenitur ad regnum cælorum*. Sicque orando, & psallendo, gaudentibus Angelis, pias animas emisere. Ubi usque in hodiernum diem non desinit ingentia mirabilia Jesus Christus Dominus operari.

VARIA LECTIO. Post verbum *operari* ad extremum in editis, sequitur in codice 511.

„ Apud Bituricam civitatem, natalis sancti Ambrosii presbyteri, & confessoris. Apud „ urbem Trecasseni (sic) in cœnobio Cella Donni Bonini vocato, dedicatio Ecclesiæ „ beatorum Petri, & Pauli, atque Andreæ Apostolorum, cum hinc inde consecratis „ aris, a sinistris quidem beatæ & gloriosæ semperque Virginis Mariæ, a dextris vero „ sanctæ virginis, & martyris Anastasiæ, pariterque cum superioribus criptis; quod „ cœnobium primo quidem extitit tugurium hominis unius; unde non incongrue mona„ sterium vocaretur: Processu vero temporis augente piorum hominum cellam *, in„ terea regulariter agenda proficiens, Abbatum nobilium regebatur ordinatione. Quo„ rum decimum locum sortitus est Aldebingus, vir clarus ingenio, & moribus pol„ lens justis. Hic nempe omnem locum intus forisque inmelioravit. Insuper cœno„ bium ampliavit. Cuncta denique officina (sic) construxit, & honestissime prærpara„ vit. Ædificavit etiam basilicam perpulcram, quam a parte occidentis, criptis infra „ superque mirifice cinxit. Anno siquidem Incarnationis Christi DCCCL. vocatus ab eo„ dem Aldebingo venerabili abbate præsul inclitus urbis Trecacensis Prudentius, una „ cum clero suo, & conventu fidelium presbyterorum, solemniter & cum ingenti glo„ ria lætitiaque in honorem beatorum Petri & Pauli atque Andreæ Apostolorum eandem „ basilicam dedicavit, octo in ea sanctificans altaria per dies octo, decretumque est „ ab Episcopo sanctissimo, & abbate, sanctisque patribus temporis & locellis, quod „ bene visum est posteris, ut omnibus annis, redeunte tempore dedicationis hujus „ Ecclesiæ, octonos dies solemnes celebrent, atque hujus diei anniversariam festivita„ tem hymnis, laudibusque honorifice prosequantur.

Ambrosii: *Dedicat. Eccl. SS. Petri Pauli, & Andreæ apud Cellam.*

* l. devotione.

Cod. 512. post verbum *operari*, addit: „ Eodem die natalis sancti Juliani con„ fessoris. *Juniani*.

„ fessoris. Apud Bituricam civitatem, natalis sancti Ambrosii presbyteri, & confes-
„ soris.

In codice 514. agitur quidem de S. *Ambroſio*, ſed de S. *Juniano* ſiletur.

Martyr. CCLXX. Martiani & soc. ADNOTATIO. Adeo perturbatæ ſunt Latinorum tabulæ, ubi agunt de martyribus ducentis ſeptuaginta, & de *Martiano*, ac ſociis, ut pene neſciamus, utrum turba martyrum CCLXX. diſtinguenda ſit a *Martiano*, & ſociis, & utrum in *Africa* paſſi ſint, & quando. *Martianum* & ſocios ab aliis diſtinguit Romanum parvum, & omnes ad Wandalicam perſecutionem refert. Verba Romani parvi ad diem XVI. *Octobris*, hæc ſunt: *Sanctorum martyrum Martiani, & Satyriani, cum duobus fratribus eorum, & aliorum* CCLXX. *pariter coronatorum Wandalica perſecutione*. In hanc ſententiam loquuntur Ado, Uſuardus, & Notkerus. Elogium ab Adone, & ab auctore Romani parvi, ut admonet Sollerius, petitum eſt ex Victore Vitenſi; ſed in Victore lib. I. cap. X. ea tantum occurrunt, quæ ad *Martianum*, *Satyrianum* cum duobus fratribus, & ad *Maximam* virginem pertinent. Vide Ruinartium in Notis pag. 156. De *ducentis* vero *ſeptuaginta martyribus*, ut ut in Africa paſſi ſint, nihil ex Victore, ut jam Florentinius, & Sollerius animadverterunt, erui poteſt, ex quo ad Wandalicam perſecutionem attineant. Nihil ex Wandelberto, qui ita canit:

Bis centum & decies ſeptem memorantur, iniquus
Quos furor ob Christum ſimili mactavit honore.

Implexiora ſunt, forte librariorum vitio, quæ in aliis Hagiographis leguntur. Hieronymiana apographa hac die, habent: *Et in Africa, Cæra, vel Ceera, & aliorum pariter paſſio,* vel *paſſorum* CCLXX. Item: *In Aſia, Ceren, & aliorum* CCLXX. Poſtremam hanc lectionem ſequitur Rabanus. Martyrologium Ottobonianum hac die: *In Africa, natalis Ecere & aliorum martyrum* CCLXX. *qui pariter paſſi ſunt*. Richenovienſe prædia hujus: *In Aſia, natale Caren, & aliorum ducentorum ſeptuaginta*. Hac vero die: *In Africa, Nerei, Alexandrini, Aufidi, Victoriæ, Nobilitaria, Mariani*. Auguſtanum hac die: *Africa, Ceere, Marii, Aufidi, Nerei, Alexandrini, Victuriæ, Nubilitani, Marina*. Labbeanum hac die: *Suſſi* (*Africa*) *Celſæ, Mares, Aufidi, Nerei, Alexandrini, Victuriæ, Nabiletunæ, Mariunæ*. Corbejenſe brevius hac die: *In Bajas, ſancti Suſſi martyris. In Africa Ceeræ*. Quid ex his certi eruere poſſumus? Satis eſt, ut inquit Sollerius, hæc propoſuiſſe. Illud autem in tabulis Latinorum ex Victore, præmonente Baronio, emendandum, ut loco *Martiani & Satiriani*, vel *Satyriani*, legatur *Martiani, & Saturiani*.

Ambroſius, de quo apographa noſtra, memoratur hac die ab Uſuardo. Diſſidium eſt inter Sollerium & Bovillartium de genuina lectione. Prateoſis codex habet: *In pago Bituricenſi, ſancti Ambroſii Caturcenſis Epiſcopi*. Editio Solleriana: *In territorio Bituricenſi, ſancti Ambroſii confeſſoris*; quam quidem lectionem, vere Uſuardinam cenſet. Accedit autem magis apographis noſtris Adonianis, in quibus etiam *presbyter* tantum, non *Epiſcopus* ſtatuitur *Ambroſius*. Martyrologium quoque Fuldenſe hac die habet: *Natalis ſancti Ambroſii presbyteri & confeſſoris*. Illius geſta collegit accurate Willelmus de la Croix, in Epiſcopis Cadurcenſibus pag. 32. & *ſeq.* Floruit c. A. D. 769. *Ambroſii.*

Dedicatio novæ baſilicæ monaſterii *Cellenſis* apud *Trecas*, quod *cella Bobini*, ab amplificatore illius *Bobino*, alias *Cella* appellatum fuit, memoratur iiſdem verbis ab apographo Adonis Sangermanenſi, & ad an. 850. refertur a Mabillonio in Annalibus Benedictinis lib. XXXIV. §. XI. ubi hæc eadem codicum noſtrorum verba profert ex apographo Adonis Sangermanenſis, *ante ſeptingentos annos*, ut ibi teſtatur, *manu exarato*: & agit etiam ſæculo IV. Bened. P. II. pag. 272. At Sollerius Sangermanenſem codicem eam ob rem flocci facit in Præfatione ad Uſuardum pag. XL. numero 153. *Dedicat. Eccl. Cellenſis.*

Junianus, de quo unus ex noſtris codicibus, in uno item ex Uſuardi Auctariis Aquicinctino celebratur, his verbis: *In territorio Lemovicenſi, ſancti Juniani confeſſoris*. In aliis deſideratur. De eo meminit Caſtellanus in Appendice ad Romanum Martyrologium die XX. *Novembris*, ac floruiſſe ſcribit ſæculo Chriſti VI. Vitam ſancti *Juniani* confeſſoris, auctore Vulfino Epiſcopo, edidit Labbeus Bibliothecæ novæ MSS. tom. II. pag. 569. Marſiacenſe monaſterium, vulgo *Maire*, poſtea ſancti *Juniani* appellatum, a Chlotario rege amplificatum eſt c. A. D. 559. deinde apud Nobillacum, Caroli M. juſſu a fundamentis erectum fuit, ut habet Cointius ad an. 812. num. XL. *Juniani* corpus in baſilicam *ſancti Hilarii* apud Nobiliacum a *Mariaco* villa translatum fuit A. D. 890. ut eſt in Chronico Malleacenſi ad eum annum. Ita habent nuperi Galliæ Chriſtianæ editores in Pictavienſibus tom. II. pag. 1238. *Juniani.*

C XVI.

C. XVI. KALENDAS NOVEMBRIS. 17. *Octob.*

MARTHÆ fororis Lazari. *Martha.*

Item beati Ariftionis, qui fuit unus de LXX. Chrifti difcipulis. *Ariftionis.*

Eufeb. l. 3. cap. 37. Ignat. epift. 10. Item beati Heronis, de quo beatiffimo Ignatio pergenti ad paffionem revelatum eft, quod Antiochenam poft eum recturus effet Ecclefiam. Erat enim hic beati martyris Ignatii tunc diaconus: Epifcopus factus, viam magiftri pius imitator fequitur, & pro commendato grege amator Chrifti occubuit. *Heronis.*

In Galliis civitate Araufica, fancti Florentii Epifcopi, qui multis clarus virtutibus in pace quievit. *Florentii.*

VARIA LECTIO. Poft verbum *quievit* extremo loco, additur in codice 511. manu recentiori: *Eodem die, natali: fancti Cerbonii Epifcopi & confefforis.* *Cerbonii.*

Martha. ADNOTATIO. *Martha* foror Lazari hac die colitur a Romano parvo. De *Maria & Martha* apographa noftra, una cum aliis vetuftioribus tabulis, egerunt die XIX. *Januarii*, ut ibi adnotavimus. Ufuardus de *Martha* agit die XVII. *Decembris*, ut etiam alia Hagiographa. Nonnulla ad eam diem nos quoque monebimus.

Ariftionis. *Ariftion* iterum ab Adone hac die commemoratur, quum de illo egerit die XXII. *Februarii*. Vide quæ ea die adnotavimus. Hac vero die Adonem fecutus eft Notkerus, nullo delectu, ut inquit Sollerius, quem habuit Ufuardus, qui filuit.

Heronis. *Heron*, feu *Hero*, & *Heros*, Epifcopus *Antiochenus* colitur hac die primum ab Adone, deinde a Notkero, filentibus, ut monet Sollerius, Hieronymianis, Beda, Romano parvo, Floro, & Rabano. Agit Martyrologium Fuldenfe, fumpto elogio ab Adone. De eo Eufebius Valefii lib. III. cap. XXXVI. & Eufebius Rufini lib. III. cap. XXXVII. Nefcio autem quid infinuare nobis velit Sollerius, dum habet, ab auctore Romani parvi acceptum fuiffe *Heronis* elogium ex verfione Rufini, quum Romanum parvum, fatente ipfomet Sollerio, de *Herone* fileat. Rexit autem Antiochenam fedem ab A. D. 108. ad 128. Spuriæ funt, quæ ad eum feruntur fcriptæ Ignatii litteræ. Spurium quoque *Heronis* de Ignatio elogium, quod edidit Baronius ad an. 110. n. IX. ex codice Vaticano, & ex aliis tribus codicibus Ufferius.

Florentii. *Florentius* Epifcopus *Araufícanus* memoratur primum ab Adone noftro, deinde ab Ufuardo, & Notkero. Floruit fæculo Chrifti V. & VI. initio, fi *Araufícanus* eft *Florentius*, qui Synodo Epaonenfi an. 517. & Arelatenfi III. an. 524. fubfcripfit. Uti patronus ab Araufienfis colitur, & in oppido *Florentiolæ in Æmilia*. De eo in nova Galliæ Chriftianæ editione in Araufícanis n. VIII.

Cerbonii. Inter Auctaria noftrorum codicum recenfetur *Cerbonius*, Epifcopus *Populoniæ*, de quo filent vetuftiores tabulæ, fed agunt Ufuardi Auctaria apud Sollerium die X. *Octobris*, & hac die. Vide de eo Baronium in Notationibus ad diem X. *Octobris*, ubi de *Cerbonii* geftis citat S. Gregorium M. lib. III. Dialogor. c. XI. & Epiftolarum ejufdem Gregorii regeftum lib. I. epift. XVII. Sigebertum ad an. 536. & Acta MSS.

D. XV. KALENDAS NOVEMBRIS. 18. *Octob.*

Vide lib. de feft. Apoft. NATALIS fancti Lucæ Evangeliftæ. *Lucæ.*

Eufeb. l. 6. cap. 9. Eodem die, fancti Afclepiadis Antiocheni epifcopi, qui unus fuit ex præclaro confefforum numero, qui fub Decio gloriofe paffi funt. *Afclepiadis.*

Item

Tryphonia Item Romæ, ſanctæ Tryphoniæ uxoris Decii Cæſaris. Quæ viro ſuo poſt interfectionem beatorum Sixti & Laurentii divinitus punito, petiit baptizari cum filia Decii Cyrilla, a Juſtino presbytero: & alia die defuncta eſt, ac juxta ſanctum Hippolitum in crypta ſepulta, quintodecimo Kalendas Novembris. De ea in Actis ſancti Laurentii 10. Aug.

VARIA LECTIO. Ed. *Natalis ſancti Lucæ Evangeliſtæ*. Cod. 511. 512. 514. *Natalis ſancti Lucæ Evangeliſtæ &c.* ut in editis in libello de feſtivitatibus Apoſtolorum. In eiſdem codicibus legitur: xx. *Conſtantii anno*, prout in editis. Ed: *Eodem die, ſancti Aſclepiadis*. Codices: *Apud Antiochiam, natalis ſancti Aſclepiadis, qui &c.* ut in editis. Poſt verba xv. *Kalendas Novemb.* ſequitur in codicibus 511. 512. 514.

Juſti. „ In territorio Belloacenſi, paſſio ſancti Juſti martyris, tempore Rictiovari, cujus „ caput cum Autiſiodoro genitrici ejus delatum fuiſſet, ſanctus Amator, qui tunc tem„ poris forte Epiſcopus præerat, noctis tempore vidit immenſam lucem ſplendeſcere, „ qui ſtudioſe quidnam hoc eſſet, perquirens, ut cognovit quæ acta fuerant in mar„ tyre, Deo gratias agens cum hymnis, & laudibus eundem (ſic) reverentiſſimum ca„ put ſub altario tumulavit.

Lucæ; ADNOTATIO. *Lucæ Evangeliſtæ* natalis celebratur hac die, ac item aliis in vetuſtis Latinorum tabulis. Kalendarium Carthaginenſe veterrimum agit die XIII. *Octobris*, his verbis: *Sancti Lucæ evangeliſtæ & martyris*. Hieronymiana agunt die XXI. & XXVI. *Septembris*, item hac die, & XXVII. *Novembris*. Hac die apographum Lucenſe habet: *In oriente, tranſlatio corporis Lucæ Evangeliſtæ*. Epternacenſe: *In Axiopoli, natalis Lucæ Evangeliſtæ*. Die vero XXI. *Septembris* apographum Lucenſe: *In Peralice civitate, natalis ſancti Lucæ Evangeliſtæ*. At mendoſe; nam fruſtra apud veteres Geographos Florentinius in notis pag. 849. inquirit *Peralicem* civitatem. Rectius apographum Corbejenſe, in quo legitur: *In Perſida, civitate Tarriam, natalis ſancti Evangeliſtæ Lucæ*. Beda agit hac die XVIII. *Octobris*, ex quo ſumpſit Ado. Agunt item hac die Romanum parvum, Rabanus, Notkerus, & alii. Rabanus in *Bithynia* obiiſſe *Lucam* ſcribit, prout Ado, & Uſuardus. Gellonenſe agit die XXI. *Septembris*, his tantummodo verbis, poſtquam egit de S. *Matthæo* Apoſtolo: *Alibi, Lucæ Evangeliſtæ*. Ita ea die habent Richenovienſe, Auguſtanum, & Labbeanum. Gellonenſe iterum hac die XVIII. *Octobris* præfert: *Lucæ Evangeliſtæ .... qui obiit* LXXVII. *anno, ſepultus in Betania*. Richenovienſe hac die: *In Axiopoli, Lucæ Evangeliſtæ*. Auguſtanum, & Labbeanum: *Lucæ Evangeliſtæ*, tantum. Corbejenſe brevius hac die: *In Oriente, tranſlatio corporis S. Lucæ Evangeliſtæ*. Martyrologium Fuldenſe: *In Oriente, natalis ſancti Lucæ Evangeliſtæ*. Ottobonianum hac die habet: *In Axiopolim, natalis ſancti Taxii. Eodem die, natalis ſancti Lucæ Evangeliſtæ, Syrus Antiocenſus* (pro *Syri Antiochenſis*) *arte medicus*. Kalendarium Vat. 3806. *Bithinia, ſancti Lucæ Evangeliſtæ*. Agunt Wandelbertus, & Kalendarium Palat. Vatic. 485. hac die. At quantæ heu! locorum in Hagiographis varietates, nempe *Axiopolis*, *Peralice*, *Tarris*, *Bithynia*, *Betania*, & *Oriens*! S. Gaudentius Brixienſis Epiſcopus in Sermone de dedicatione Eccleſiæ XL. martyrum, apud *Patras* Achaiæ civitatem, *Lucam* conſummatum fuiſſe tradit. De *Axiopoli* Florentinius in notis pag. 924. qui, urbem Mœſiæ inferioris, ubi *Danubius*, *Iſter* appellari incipit, fuiſſe ſcribit. Notandus eſt autem *martyris* titulus, quem Lucæ tribuit Kalendarium Carthaginenſe; quem fane titulum innuit Gregorius Nazianzenus Orat. 1. in Julianum, & aperte S. Paulinus, & Gaudentius memorato loco. De illius tranſlatione Conſtantinopolim vide quæ ad diem IX. *Maji* indigitavimus. Illuſtria ſunt, quæ de illius cultu præferunt vetuſti libri Liturgici S. R. E. Miſſa hac die deſideratur quidem in Sacramentario Gregoriano Reginæ Suecorum 337. ſed ad calcem habetur Præfatio *in natali ſancti Lucæ Evangeliſtæ*. Miſſam vero habent Sacramentarium Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vatic. 495., &

Miſſale

Missale plenarium Vatic. 4770. Capitularia Evangeliorum a nobis edita tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 281. silent, præterquam ad oram unius ex illis, ubi Evangelium in *natali S. Lucæ* designatur; prout aliud Evangelium designatur die XVII. *Octobris* in alio Capitulari inter codices Reginæ Suecorum n. 4. sæculi IX. Quæ apud veteres de *Lucæ* obitu & martyrio traduntur, habes apud Baronium ad an. 61. n. VII. *& seq.* & in Notationibus hac die, & apud Tillemontium tom. II. pag. 130. Acta Græca, Metaphraste auctore, Græce leguntur ad calcem Œcumenii, & Latine apud Lipomanum, & Surium die XVIII. *Octobris*. Alia Acta Græca recensentur in Bibliotheca Coisliniana p. 185. 195. Vide Combefisium Bibliothecæ Concionatoriæ tom. VIII. pag. 276. *& seq.*

Asclepiadis. *Asclepias* Episcopus *Antiochenus* colitur hac die a Romano parvo, exinde ab Adone, & Usuardo. Apographa nostra de eo etiam agunt die VI. *Junii*. De eo Eusebius Rufini lib. VI. cap. IX. qui narrat, *Serapione* Episcopo defuncto, ei successisse *Asclepiadem*, *qui & ipse unus ex præclaris confessorum numero fuit*. Sedisse fertur ab A. D. 211. ad 217., quo suffectus est *Philetes*. Ergo mendosa sunt, quæ de *Decio* apud Adonem leguntur; quocirca in Martyrologio Romano pro *Decio* substitutum est *Macrino*, sed huic substitutioni acquiescere non videtur Sollerius. Certe quidem in Martyrologio Romano editionis Romanæ an. 1583. legebatur: *in persecutione Severi*, quæ verba oblitterata visuntur in exemplari, quo usus est Baronius, eorumque loco ad oram ab ipsomet Baronio scriptum fuit: *Sub Macrino passi sunt*; & ibi subdit: *Ad ea usque tempora Asclepius Episcopus pervenit*. Meminit de eo Hieronymus de Scriptoribus Eccl. cap. XXXVIII. Interim vide Baronii Notationes hac die, Ruinartium in Acta martyrum pag. 116. n. VII.

Triphoniæ. De *Triphonia*, Decii Cæsaris uxore, ex Actis S. Laurentii agunt hac die Beda, Rabanus, Romanum parvum, Ado, Usuardus, Waudelbertus, Notkerus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Augustanum, & Labbeanum. *Decii junioris* potius uxorem esse putat Baronius in Notationibus. Notitia apud Eccardum, ubi de basilica S. Hippolyti non longe a basilica S. Laurentii, via Tiburtina, hæc habet: *Ibi est Trifonia, uxor Decii Cæsaris, & Cyrilla filia ejus*.

Justi. *Justus* martyr in *Bellovacis* additur hac die a codicibus nostris. De eo item hac die Usuardus genuinus, omisso elogio. Sed ex elogio Adoniano excerpsit Martyrologium Fuldense. Hieronymiana habent: *Depositio Justi pueri*. Hagiologium Francogallicum ita præfert: *In territorio Beluacensi, sancti Justini martyris*. Gellonense habet: *Justi martyris*. Meminere præterea Augustanum, & Labbeanum. Baronius in Notationibus monet, de eo Acta rhythmo conscripta exstare apud Bedam t. III. apud Mombritium, & Surium. Dubitare videtur Sollerius, sitne *Justus*, idem ac *Justinus* Parisiensis, & utrum Acta, quæ Bedæ nomine circumferuntur, satis probata sint. Vide Tillemontium tom. IV. pag 540. Gerardus Dubois in Historia Ecclesiæ Parisiensis lib. I. cap. VI. pag. 32. hunc martyrem, *Justinum* appellat, & Antissiodorensem natu fuisse censet, eumque in Ecclesiasticis tabulis coli *Kalendis Augusti* tradit.

E. XIIII. KALENDAS NOVEMBRIS. 19. *Octob.*

Euseb. l. 4. c. 16. Ruff. 17. APUD Antiochiam Syriæ, natalis sanctorum Beronici, Pelagiæ, & aliorum quadraginta novem. *Beronici, Pelagiæ, & aliar.*

Item ipsa die, beati Ptolomæi, sed & beati Lucii martyrum. *Ptolomæi & Lucii.* Qui beatus Ptolomæus, comprehensus a quodam Centurione, interrogatur si Christianus esset. Hoc Ptolomæus tamquam amator veritatis, nequaquam gloriam suæ professionis occultans, percontanti, Christianum se esse confessus est. Hunc continuo Centurio in vincula conjecit, & multo tempore squalore carceris maceratum, ad ultimum Urbicio judici obtulit. A quo simili modo hoc solum interrogatus est, si esset Christianus: qui rursum tanti boni sibi conscius, divinam religionem præ se tulit, & de Christi magisterio ac totius boni institutionibus publica confessione testatus est. Qui enim negat quod est, sine dubio

dubio culpabile judicat esse quod negat. Continuo ergo post confessionem ab Urbicio duci jubetur. Lucius autem quidam Christianus vir videns tam temere latam sententiam, ait ad Urbicium: Quid quæso causæ est, quod neque adulterum, neque corruptorem, aut homicidam, vel latronem raptoremve, aut alterius, cujuslibet facinoris reum, sed tantum pro nomine Christiano, quod hoc se vocabulo confessus est nuncupari, ad mortem hominem duci præcepisti? Non sunt hæc digna pio Imperatore, nec sapientissimo puero filio ejus, neque sacro senatu, quæ agis Urbici. At ille nihil aliud inquirens, ait ad Lucium: Videris mihi, & tu Christianus esse. Cumque Lucius respondisset, hoc plane sum; etiam ipsum duci jussit ad mortem. Ille, Gratias, inquit, ago, quod me nequissimis dominis absolutum ad bonum, & optimum Patrem, & Regem omnium Dominum remittis. Sed & Tertius quidam, pari modo libertate usus, pari quoque sententia punitus est. Passi sunt autem sub Antonino, cognomento Pio, & filio ejus, hi beati martyres, & sepulti apud Alexandriam metropolim Ægypti.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. hac die ita incipiunt: „ Apud Alexandriam, natalis sanctorum Ptolomæi & Lucii martyrum, qui &c. ut in „ editis.

Desideratur in eisdem codicibus natalis SS. *Beronici*, *Pelagiæ*, *& aliorum* XLIX.

Beronici & soc. ADNOTATIO. Prætereuntur a codicibus nostris *Beronicus* & socii, sed de iis agunt, licet corrupte, vetustiorea tabulæ. In Hieronymiania ante *Pelagiam* habetur *Pelagias*, isque *ducis*, aut *Primipili* nomine. *Pelagiæ* meminit Gellonense. *Pelagium pœnitentem* obtrudunt Rabanus, & Notkerus. Ea de re Jenningus ad diem IX. *Junii* In commentario prævio pag. 154. *& seq.* ubi de *Pelagia* virgine, & martyre *Antiochena*. Romanum parvum ita præfert: *Antiochiæ*, *Beronici*, *Pelagiæ*, *& aliorum* XLIX. Ex eo fonte sumpsisse Adonem, & exinde Usuardum existimat Sollerius. Richenoviense habet: *Et in Antiochia*, *Pelagii*, *Beronici*, *& aliorum*. Augustanum mixtim cum aliis *Pelagii* meminit. Labbeanum ita, sed legit *Pelagiæ*. Ottobonianum: *In Antiochia Syriæ*, *natalis sanctorum Pelagiæ*, *& aliorum* XLVIIII. Wandelbertus ita cecinit:

Beronicus bis septeno, atque Pelagia fulget,
Quos pariter quadraginta atque novem comitantur.

Ptolomæi, & Lucii. *Ptolomæus*, & *Lucius* martyres coluntur hac die ab auctore Romani parvi his verbis: *Et Ptolomæi, qui a quodam Centurione Urbicio Judici traditur; & Lucii ac Tertii simul decollatorum, qui Alexandriæ sepulti sunt.* Fuse de his Ado noster, qui tamen, ut animadvertit Sollerius, in eo errat, quod his martyribus socium addat, cui nomen *Tertius*, qui in Eusebio lib. IV. cap. XVII. tertius quidem ordine est, sed anonymus; præterea quod sub *Antonino Pio*, hos martyres narret, & *Alexandriæ*, Ægypti metropoli sepultos, quum *Romæ*, & sub *M. Aurelio* passi sint. Ex Adone agit summatim Usuardus, deinde Notkerus.. Agit etiam ex Adone Martyrologium Fuldense. De horum martyrum Actis nihil illustrius est; nam ex Apologia Justini martyris describuntur apud Eusebium Rufini lib. IV. cap. XVII. quæ iterum recudit & illustravit Ruinartius pag. 36. præmissa Admonitione, qua censet hos martyres passos esse c. A. D. 166. Adonis, & aliorum erratum de loco martyrii, ac de Imperatoris nomine, emendatum fuit in Martyrologio Romano, de qua re Baronius in Notationibus hac die, & ad an. 164. num. XVIII. *& seq.* Consule etiam Tillemontium tom. II. pag. 312. & pag. 395. *& seq.*

F. XIII.

F. XIII. KALENDAS NOVEMBRIS. 20. Octob.

IN Galliis, civitate Agenno, sancti Caprasii martyris. Qui *Caprasii.* cum rabiem persecutionis declinans, lateret in spelunca, audiens beatam Fidem Virginem pro Christo fortiter agonizare, animatus ad tollerantiam passionum, oravit ad Dominum, ut si pro certo eum dignum gloria martyrii judicaret, ex lapide speluncæ illius aqua limpidissima emanaret. Quod cum Dominus continuo præstitisset, ille securus ad aream certaminis properavit, & palmam martyrii fortiter dimicando promeruit.

VARIA LECTIO. Post verbum *promeruit* sequitur in cod. 511. 512. 514.
„ Apud Aviensem provinciam beati Maximi levitæ & martyris, qui patiendi *Maximi.*
„ desiderio, inquirentibus se persecutoribus palam ostendit, & post responsionum con-
„ stantiam, equuleo suspensus ac tortus, dein fustibus cæsus, & ad ultimum obrutus,
„ occubuit.

Caprasii. ADNOTATIO. *Caprasius* martyr colitur hac die a Hieronymianis, reluctante licet Florentinio, ut monet Sollerius; deinde a Gellonensi, Adone, Usuardo, Notkero, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Richenoviensi, Augustano, & Labbeano. Bedæ apographum Palat. Vat. 833. agit die VI. *Octobris*, licet aliena manu, sed vetusta, & his verbis: *Sanctorum Caprasii & Fidei*. Ea quoque die agit Kalendarium Vat. 3806. quia cum sancta *Fide* virgine & martyre Aginnensi illius martyrium conjungitur. Vide igitur quæ ad eam diem diximus.

Maximi. *Maximus*, de quo apographa nostra, ab uno tantum inter veteres Hagiologos Usuardo, hac die memoratur, & quidem iisdem verbis prout in nostris codicibus. Apud alios siletur. Hinc angitur Sollerius, & ex quibusdam Actis hausisse putat Usuardum, nec se divinare posse fatetur, unde *Maximi* elogium acceperit. Nonnulla indigitat de variis *Maximis* apud Baronium in Notationibus ad diem XXX. *Aprilis*, & hac die, & apud Tillemontium tom. III. pag. 710. 711. Baronius distinguendum esse putat *Maximum* martyrem in Asia, passum die XXX. *Aprilis*, a Maximo *in Aviensi civitate in Vestinis* apud *Aquilam*, hac die passo. Sed quæ sit ista *Aviensis* civitas in *Vestinis*, non prodit. Bedæ Auctaria hac die habent: *In Cæsarea Cappadociæ, Maximi, Mariani, Neopheti, Januarii*. Monet insuper Baronius, Acta martyrii ab Ecclesia Aquilana se accepisse, ubi de secessu *Ottonis M.* ad *Maximi* sepulchrum, & de reliquiis ejusdem acceptis, & in Germaniam translatis. Quo tempore, ut narrat Sigebertus in Chronico ad an. 969., *Theodericus* Metensis Episcopus, *Amiterni* reliquias sanctorum martyrum *Eutychetis*, *Maronis*, & *Victorini* accepit. De reliquiis in Italia acceptis a *Theoderico* Metensi, & in monasterio sancti Vincentii Metensi, ab eo A. D. 970. collocatis, vide Mabillonium Annal. Bened. lib. XLVII. §. LIII. sed nihil ibi de *sancti Maximi* reliquiis. Maurolycus, Galesinus, & Saussayus hunc martyrem ex Italia in Gallias, & *Ambianum*, seu in Ambianensem provinciam transtulerunt. Galesinius in Notis id se accepisse ex Usuardo, Petro Equilino, & ex libro manu exarato, fatetur.

G. XII. KALENDAS NOVEMBRIS. 21. Octob.

APUD Nicomediam, natalis sanctorum martyrum Dasii, *Dasii, Zotici, Caji*
Zotici, Caji, cum duodecim militibus. *cum iis, duod.*
Hierony. tom. I. Eodem die, sancti patris nostri Hilarionis, cujus vitam *Hilarionis.*

 Hiero-

Hieronymus virtutibus plenam scribit. Hic ortus vico Thabata, qui circiter quinque millia a Gaza urbe Palæstinæ ad Austrum situs est, cum parentes haberet idolis deditos, rosa, ut dicitur, de spinis floruit. A quibus missus Alexandriam, Grammatico traditus est, ibique quantum illa patiebatur ætas, magna ingenii & morum documenta præbuit. Brevi, charus omnibus, & loquendi arte gnarus: quodque his majus est omnibus, credens in Domino Jesu: tota illi voluntas in Ecclesiæ congregationibus erat. Audiens autem celebre nomen Antonii, quod per omnes Ægypti populos ferebatur, incensus visendi eum studio, perrexit ad eremum: & statim ut eum vidit, mutato pristino habitu, duobus mensibus juxta eum mansit contemplans ordinem vitæ ejus, morumque gravitatem; quam creber in oratione, quam humilis in suscipiendis fratribus, severus in corripiendis, alacer in exhortandis esset, & ut continentiam cibique ejus asperitatem nulla unquam infirmitas frangeret. Reversus autem cum quibusdam monachis ad patriam, parentibus jam defunctis, partem substantiæ fratribus, partem pauperibus largitus est, nihil sibi omnino servans. Erat autem tunc annorum xv. Sic nudus & armatus in Christo, solitudinem ingressus est, sacco tantum coopertus, & pelliceum habens ependyten, & tenattem, quem illi beatus Antonius proficiscenti dederat, sagumque rusticum: quindecim tantum caricas post Solis occasum comedens. Igitur a sextodecimo usque ad vigesimum ætatis suæ annum, æstus, & pluvias, brevi tuguriunculo declinavit, quod junco & carice texerat. Structa deinde brevi cellula, quæ usque hodie permanet, latitudine pedum quatuor, altitudine pedum quinque, hoc est statura sua humiliore: porro longitudine paulo ampliore, quam ejus corpusculum patiebatur, ut sepulchrum potius quam domum crederes. Capillos semel in anno Paschæ die totondit. Super nudam humum in stratu junceo usque ad mortem cubitavit. Saccum, quem semel fuerat indutus, nunquam lavans; nec mutavit alteram tunicam, nisi cum prior penitus scissa esset. Scripturam quoque sanctam memoriter tenens, post orationes & psalmos, quasi Deo præsente recitabat. A vigesimo primo anno usque ad vigesimum sextum, tribus annis dimidium lentis sextarium madefactum aqua frigida comedit: aliis tribus panem aridum cum sale & aqua. Porro a vigesimo septimo usque ad tricesimum, herbis agrestibus & virgultorum quorumdam radicibus crudis sustentatus est. A tricesimo autem primo usque ad tricesimum quintum sex uncias hordeacei panis, & coctum modicum olus absque oleo in cibo habuit. Sentiens autem

tem caligare oculos, & totum corpus impetigine & pumicea quadam fcabredine contrahi, ad fuperiorem victum adjecit oleum, & ufque ad fexagefimum tertium vitæ fuæ annum, hoc continentiæ cucurrit gradu, nihil extrinfecus aut pomorum, aut leguminis, aut cujuslibet rei guftans. Hinc cum fe videret corpore defatigatum, & propinquam putaret imminere mortem, a fexagefimo quarto anno ufque ad octogefimum pane abftinuit, incredibili mentis fervore, ut eo tempore quafi novus accederet ad fervitutem Domini, quo folent ceteri remisfius vivere. Fiebat autem ei de farina, & comminuto olere forbitiuncula, cibo, & potu vix quinque uncias appendentibus. Sicque complens ordinem vitæ, nunquam ante Solis occafum, nec in diebus feftis, nec in gravisfima valetudine folvit jejunium. Igitur potentisfimus in miraculis, & fanctitate incomparabilis, octogefimo ætatis fuæ anno (cum abfens effet Hefychius, qui eum femper familiarisfime colebat) quafi in teftamenti vicem, brevem manu propria fcripfit epiftolam, omnes divitias fuas ei derelinquens: Evangelium fcilicet & tunicam faccinam, cucullum, & palliolum. Itaque modicus calor tepebat in pectore, nec præter fenfum quidquam vivi hominis fupererat, & tamen apertis oculis loquebatur: Egredere, quid times? Egredere anima, quid dubitas? Septuaginta prope annis fervifti Chrifto, & mortem times? Inter hæc verba exhalavit fpiritum: ftatimque humo obrutus; quia ipse fic omnes, qui ad ægrotantem venerant, adjuravit, ne puncto quidem horæ poft mortem refervaretur. Quod poftquam Palæftinæ fanctus vir Hefychius audivit, perrexit Cyprum, & cum ingenti vitæ fuæ periculo, poft decem ferme menfes, corpus ejus furatus eft. Quod Majumam in Palæftina deferens, totis monachorum & oppidorum turbis profequentibus, in antiquo monafterio condidit: illæfa tunica, cucullo, & pallio, & toto corpore quafi adhuc viveret integro, tantifque fragrante odoribus, ut delibutum unguentis putares.

Eodem die natalis fancti Afterii presbyteri Callifti: qui cum corpus ejus levatum de puteo fepeliffet, poft dies fex audiens hoc Imperator Alexander, præcepit eum per pontem præcipitari. Cujus corpus inventum eft, & a quibufdam Chriftianis in eadem civitate fepultum. Scriptum in pasfione fancti Callifti Papæ. *Afterii.*

Et ipfo die, tranfitus * S. Viatoris lectoris, in eremo comitis fancti Jufti. *Viatoris.*

* De hoc in vita Jufti 2. Sept.

 VARIA

VARIA LECTIO. Ed: *Dasii*, *Zotiel*, *Caii*. Cod. 511. 512. 514. *Dasii*, *Soticigli*. Ed. *putaret*. *Eodem die &c.* Codices memorati: *putaretur*. Inde sequitur: *In civitate Ostia, natalis sancti Asterii &c.* prout in editis.

Dasii & soc. ADNOTATIO. *Dasius*, & socii coluntur a Hieronymianis, quorum apogra, hum Epternacense habet: *In Nicomedia, Dasi, Zotiei, Gagi cum duodecim milibus*. Pridie hujus habent: *In Puteolis civitate, Dasi, Zosimi, Januarii* &c. Ea die Gellonense: *Dasii*, *Zozimi* &c. Immane erratum emendandum monet ex aliis Hagiographis Sollerius, atque scribendum: *cum duodecim militibus*, ut habent Romanum parvum, Ado noster, & Usuardus. Notkerus corruptam lectionem *cum duodecim milibus* retinuit ad pridie hujus. Vide de ingenti hoc numero disputantem Florentinium in notis. Richenoviense habet: *In Nicomedia, Dassi, Cometis, Zotici*. Augustanum: *Gagi*, *Eutiel* [cum 7000.] *Dissei*, *Modesti*, *cum aliis* CCLXXII. Labbeanum: *Gai*, *Eutiei*, *Dissei*. *Modesti cum aliis ducentis & septuaginta*. Corbejense brevius: *In Nicomedia, Dasii, Zotiei, Gagi, cum duodecim militibus martyribus*. Vide Sollerium in Usuardum hac die.

Hilarionis. *Hilarion*, de quo fuse Ado noster, colitur hac die a Beda, Romano parvo, Rabano, Usuardo, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, & Kalendario Vat. 3806. Notkerus agit pridie hujus. Nihil addi posse iis, quæ de *Hilarione* habet Baronius in Notationibus hac die, affirmat Sollerius. Obiit *Hilarion* A. D. 372. ut putat Baronius ad hunc annum n. CVII. & in Notationibus. Sed Paglus in Critica ad hunc annum §. XXIII. *Hilarionis* obitum confert in annum 370. De *Hilarionis* vita a S. Hieronymo, & ante a S. Epiphanio conscripta, Baronius locis memoratis. Vita, auctore Hieronymo, sæpius cusa est, & a Rosvveido in Vitis Patrum lib. I. illustrata. In codicibus Canonicorum Forojuliensium ita incipit: *Hylarion ortus vica Thabatha, qui circiter quinque milia a Gaza urbe Palæstinæ, ad austrum situs est* &c. usque, *sed magis in hortulo Cypri, forsitan quia plus illum locum dilexerat*. Græce illius gesta scripsit Metaphrastes, apud Lambecium tom. VIII. pag. 251. *& seq.* & in Bibliotheca Coisliniana pag. 211. Latine habes apud Lipomanum, & Surium die XXI. *Octobris*. Alia Græca Acta incerti auctoris, leguntur in Bibliotheca Coisliniana pag. 185. Vide Tillemontium tom. VII. pag. 564. *& seq.*

Asterius presbyter & martyr, de quo Acta S. Callisti Papæ, celebratur hac die a Beda, Rabano, Adone nostro, Usuardo, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, & Ottoboniano. Vide, quæ diximus ad diem XIV. *Octobris*, ubi de S. Callisto. *Asterii.*

Viator memoratur hac die a Hieronymianis, quamvis ad Gallici antiquarii additamenta id referat Florentinius. Colitur præterea ab Adone nostro, & Usuardo, aliis silentibus. Hunc discipulum sancti *Justi* Lugdunensis Antistitis, de quo nos die II. *Septembris*, statuunt. Gellonense hac die: *Lugduno*, *Justi*, *Viatoris*. Augustanum hac die habet: *Lugduno*, *Justi*. Labbeanum: *Lugduno*, *Justi*, *& Viatoris*. *Viatoris.*

---

22. Octob.

A. XI. KALENDAS NOVEMBRIS.

Marci. JEROSOLYMIS, natalis beati Marci (qui primus Jerosolymis ex gentibus, post Episcopos ex circumcisione, sacerdotium civitatis illius accepit) clarissimi & doctissimi viri, ac non multo post martyrio consummati. Euseb. l. 4. cap. 7.

Salomæ. Item beatæ Salomæ, quæ in evangelio legitur cum reliquis sanctis feminis circa Domini sepulturam solicita. Matth. 15. 16.

Philippi, Eusebii, & Hermetis. Apud Adrianopolim Thraciæ, natalis sanctorum Philippi episcopi, Eusebii, & Hermetis.

VA-

VARIA LECTIO. Post verba: *martyrio consummati*, sequitur in codicibus 511. 512. 514.
„ Apud Adrianopolim (cod. 511. Alexandrianopolim) Thraciæ, natalis sancto-
„ rum Philippi Episcopi, Eusebii, & Hermetis. In civitate Osca, sanctarum virginum Mi- *Philippi & soc.*
„ lonis, & Elodiæ, quæ pro confessione Christi diutina custodia maceratæ, ac capitali *Milonis*
„ sententia punitæ, martyrium celebrarunt. Deest in codicibus natalis B. *Salomæ*. *& Elodiæ.*

Marci. ADNOTATIO. *Marcus* Hierosolymorum Episcopus memoratur primum ab auctore Romani parvi, ut admonet Sollerius, deinde ab Adone, Usuardo; & a Notkero pridie hujus diei. Agit etiam Martyrologium Fuldense. Elogium sumptum esse ex Eusebio lib. VI. cap. VII. animadvertit idem; errare Adonem, & alios qui habent, *Marcum* non multo post suam electionem martyrio consummatum fuisse; primum enim falsum esse, alterom vero de martyrlo incertum. Vide Historiam Chronologicam Episcoporum Hierosolymitanorum, Maji tom. III. pag. XI. Sedit *Marcus* ab an. 135. ad 156.

Saloma. De *Salome* silent Apographa nostra. Agit autem Romanum parvum, ex quo accepisse Adonem censet Sollerius, & ex Adone Usuardum totidem lere verbis. Alia Hagiologia silent. De ea Matthæi cap. XV. & XVI. Vide Dictionarium Biblicum Calmeti, hoc verbo.

Philippi & soc. *Philippus* Episcopus & martyr una cum sociis, hac die colitur in vetustis omnibus Latinorum tabolis, oimirum a Hieronymianis, Gellonensi, Rabano, apographis Bedæ, & aliis. Error in eorum aliquibus est in loco martyrii, ac io nominibus, dignitate, ac numero sociorum. Hieronymianum Lucense habet: *In Atriopoli (pro Adrianopoli) Thraciæ, Philippi Episcopi*. Corbejense: *In Adrianopoli Thraciæ*. Epternacense: *In Thracia, Philippi Episcopi, Severi &c.* Rabanus recte habet: *In Adrianopolitana civitate*. Martyrii socios statuit *Severum presbyterum, & Hermetem Diaconum*. Ado noster, & Usuardus *Adrianopolim Thraciæ* designant, ac socios *Philippi* faciunt *Eusebium, & Hermetem*, nihil de eorum muneribus designantes. Notkerus Rabanum ex parte sequitur. Silet Romanum parvum, & Martyrologium Fuldense. Ottoboniaoum habet: *In Trajanopoli Thraciæ, natalis sancti Philippi Episcopi. Eusebii, & sancti Leogadii*. Kalendarium Vat. 3806. *In Thracia, sancti Philippi Episcopi & martyris*. Apographum Bedæ Palat. Vat. 833. quanquam alia manu, sed vetusta: *In Tracia, sancti Philippi Episcopi, & sancti Severi martyris*. Richenoviense: *In Tracia, Philippi Episcopi. Et sancti Severi martyris, & Hermæ discipuli ejus, & Eusebii. Et alibi, passio sancti Leucadii*. Augustaoum, & Labbeanum: *Philippi, Eusebii, Hermetis, Severi, Leugari*. Corbejense brevius hac die: *In Atrianopoli Thraciæ, Philippi Episcopi*. Postridie: *In Atrianopoli, Severi, Dorothei*. Agit & Wandelbertus ad diem XXII. *Octobris*, ac socios statuit *Hermetem*, & *Eusebium*. At *Philippus* noo fuit *Adrianopolitanus* Episcopus, sed *Heracleensis* in Thracia, ejusque socii martyrii fuerunt *Severus presbyter*, & *Hermes decurio, diaconus*. Id patet ex Actis martyrii a Mabillonio primum editis, deinde castigatius vulgatis, & illustratis a Ruinartio inter selecta pag. 442. & seq. ubi ostendit, perperam horum martyrium a Baronio referri ad Juliani Imperatoris tempora, sed passos esse circiter annum Christi 304.

Milonis & Elodiæ. Addunt apographa nostra Hispanas in civitate *Osca* virgines, & martyres *Milonem*, & *Elodiam*, quæ in nominibus mire a librariis fœdantur. Scribunt enim *Nunilonem, Munilonem, Clodiam, Zolodiam*, & similia, ut habes apud Sollerium in varia lectione ad Usuardum hac die. Sollerius in suo Usuardo retinuit *Nunilonem*, & *Elodiam*; ac putat, has virgines & martyres a nemine aote Usuardum commemorari. Accedunt nunc apographa nostra Adoniana, iisdem ac apud Usuardum verbis. Eorum gesta describuntur ab Eulogio in Memoriali lib. II. cap. VII. & adeundus de his Ambrosius Morales, tom. IV. Hispaniæ illustratæ pag. 285. Passæ sunt c. A. D. 851.

B. X. KALENDAS NOVEMBRIS. *23. Octob.*

Sozom. l. 5. cap. 7. APUD Antiochiam Syriæ, natale S. Theodoreti presbyteri: *Theodoreti* qui persecutione Juliani impii, sub præfecto, & avunculo ejus Juliano, cum ab eo Antiochenorum ecclesia spoliata, & religiosi quique fuissent ejus terrore dispersi, in ecclesia spoliata mansit intrepidus: atque ab eo teneri jussus, post equulei pœnam,

nam, ac multos ac duriſſimos cruciatus, etiam lampadibus circa latera appoſitis, inflammatus eſt. Sed his divina virtute reſtinctis, cum milites, qui eas tenebant, Angelorum adſpectu territi ruiſſent in faciem, & credentes Chriſto, impium miniſterium recuſarent, juſſit eos Julianus pelago immergi. Quibus beatus Theodoretus ait: Præcedite fratres; ego vos ſuperans inimicum ſequar ad Dominum. Sicque in confeſſione perſiſtens, & prophetico ſpiritu repletus, Juliano apoſtatæ, quem apud Perſidem divina ultione incurrit, prædicens interitum, occaſione gladii martyrium conſummavit.

Servandi & Germani. In Hiſpaniis, natalis ſanctorum Servandi, & Germani: qui poſt verbera, ſqualorem carceris, & ſitis ac famis injuriam, & longiſſimi itineris laborem, quem jubente Viatore præſide, ferro onuſti pertulerunt, noviſſime martyrii ſui curſum ferro cæſis cervicibus impleverunt. Ex quibus Germanus Emeritæ juxta B. Eulaliam ſepultus; Servandus vero Hiſpalim translatus circa ſanctas Juſtam & Ruffinam conditus eſt.

VARIA LECTIO. Ed. *Theodoreti presbyteri*. Cod. 511. *Theodorici presbyteri*. Poſt verbum *conſummavit*, ſequitur in codice 512.: *Eodem die, ſancti Benedicti Epiſcopi, Quinciaco. In Hiſpaniis natalis &c.* Poſt extremum verbum *conditus eſt*, ſequitur in codicibus 511. 512. 514. „ Colonia civitate, natalis „ ſancti Severini Epiſcopi, vita, & miraculis celeberrimi. Deinde in cod. 511. tantum. „ Eodem die, Lingonis, natalis ſancti Valerii Archidiaconi, & martyris. Et ſan„ cti Romani, Rothomagenſis Archiepiſcopi, & confeſſoris.

Benedicti. Severini. Valerii. Romani.

Theodoreti. ADNOTATIO. *Theodoreti* presbyteri & martyris, primum meminit, ſententia Sollerii, auctor Romani parvi, qui ita habet: *Antiochiæ, Theodoreti presbyteri*. De eo poſtea fuſe Ado, & contracte Uſuardus. Notkerus agit pridie hujus. Apud alios ſiletur. Acta eruit, & edidit Mabillonius, poſtea illuſtravit Ruinartius, eiſque locum inter ſelecta dedit pag. 658. Opportune de his ex aliis codicibus ſe acturos promittunt Bollandiani, ut habet Sollerius ad Uſuardum hac die. In Martyrologio Romano editionis an. 1583. legebatur *Theodori*, pro *Theodoriti*. Ad quem locum Baronius in ſuo exemplari adnotavit ad oram: *Theodoriti*, ac ſubdit: *ut Sozomenus. Ad differentiam alterius Theodori, qui ſub eodem Juliano ibidem paſſus eſt.*

Servandi & Germani. *Servandus*, & *Germanus*, Hiſpani martyres coluntur hac die a Romano parvo, Adone, & Uſuardo. Martyrologium Fuldenſe, ut & Uſuardus, ad verbum Adonem deſcribunt. Acta a Surio edita ſunt. De eorum cultu & Actis, ex Breviario Toletano, & aliis Baronius in Notationibus hac die. Paſſi ſunt Diocletianea perſecutione.

Severini. *Severinus*, Antiſtes *Colonienſis*, de quo apographa noſtra, colitur hac die a genuino Uſuardo, ab Hagiologio Francogallico, apographo Bedæ Palat. Vatic. 833. licet aliena manu, & a Wandelberto. Martyrologium Fuldenſe, Auguſtanum, & Kalendarium Vatic. 3806. de eo agunt pridie hujus. De illius cultu & Actis apud Surium Baronius fuſe in Notationibus hac die. Obiit S. *Severinus* poſt S. Martinum, ut liquet ex Gregorio Turonenſi lib. I. miraculorum cap. IV. Ab Roſvveido *Severinus* in Appendicem conjectus eſt, non invito Sollerio, propterea quia ſilet Notkerus. At non ſilet genuinus Uſuardus, & auctor Martyrologii Fuldenſis, qui Adonem & Uſuardum ſolet exſcribere.

Valerii. *Valerius* Lingonenſis Eccleſiæ Archidiaconus, & martyr, præteritur hac die in vetuſtioribus tabulis. Agunt tantum pridie hujus diei Uſuardi Auctaria apud Sollerium. Præteritur

teritur etiam a Martyrologio Romano. Illius Acta martyrii desiderantur. Uberiora nobis suppeditabunt Bollandiani socii. Inter recentiores agunt die XXII. *Octobris* Saussayus, in Martyrologio Gallicano, & Castellanus in Addendis ad Martyrologium Romanum.

Romani. Sequitur in codice nostro Adoniano probatæ antiquitatis *Romanus* Rotomagensis Antistes, de quo etiam silent vetustiores tabulæ, sed agunt solummodo Usuardi Auctaria hac die. Obiit *Romanus* c. A. D. 640., in cujus locum suffectus fuit S. *Audoenus* die Dominico XXI. *Maji*, ut adnotat Mabillonius Annal. Bened. lib. XIII. §. IV.

Benedicti. *Benedictus*, de quo in uno ex nostris apographis, colitur hac die a genuino Usuardo extremo loco, & his verbis: *In pago Pictavensi, sancti Benedicti confessoris*. Meminit & Hagiologium Francogallicum. In apographo nostro *Episcopi* nomen legitur, quod ei etiam tribuitur in Usuardi Auctariis, ut monet Sollerius. Ab aliis præteritur. Castellanus adnotat, Benedictum *Quintiaci* in diœcesi Pictaviensi, & *Asniaci* in Lexoviensi, ut Episcopum coli. Floruit sæculo Christi VI.

C. IX. KALENDAS NOVEMBRIS. 24. Octob.

Felicis, Audactis, & soc. IN Venusia, civitate Apuliæ, natalis sanctorum Felicis Episcopi civitatis Tubzocensis, & Audactis & Januarii presbyterorum, & Fortunatiani & Septimi lectorum. Qui temporibus Diocletiani in sua civitate tenti, a Magnelliano procuratore, inde multis diu vinculis, & carceribus macerati, & in Africa, & in Sicilia, tandem in occisione gladii consummati sunt. Sunt autem honorifice sepulti inter Carthaginem, & Uticam. Felix quinquaginta sex annorum obiit virgo.

VARIA LECTIO. Ed. *obiit virgo*. Cod. 511. *virgo obiit*. Deinde in eodem codice sequitur:

Maglorii. „ Apud Brittanniam citeriorem in regione Doninoniensi, natalis sancti Maglorii „ confessoris excellentissimi, post Sansonem in Archipræsulatu Dolensis Ecclesiæ, innu„ merabilibus miraculis mundo coruscantis. Deinde vero relicto Episcopatu, atque „ mundiali dignitate, per multa annorum curricula monarchiam plurimorum cœno„ bitarum gubernans, monastice vixit. Inibi angelice in terrestri corpore degens, le„ prosos surdosque atque cæcos innumerabiles pristinæ sanitati restaurans, Dei nomi„ ne tres mortuos resuscitavit. Tandem confectus gravi senio, pretiosa morte reso„ lutus, VIIII. Kalendas Novembris cælos liber petiit.

Martini Ab. Cod. 512. post verba: *virgo obiit*, habet &c. *In Galliis Vertavo monasterio, sancti Martini abbatis, & confessoris de miraculorum factis.*

Felicis & soc. ADNOTATIO. *Felicem* Episcopum in *Africa*, & socios a Beda recoli die XXX. *Augusti*, & rectius, quam a Rabano die XXIX. *Augusti*, & a Romano parvo, Adone, & aliis in hanc diem XXIV. *Octobris* translatum fuisse, nos monet Sollerius. Romanum parvum hac die habet: *Venusiæ, Felicis Episcopi Tubzocensis, & Audactis, & Januarii presbyterorum, & Fortunatiani & Septimi lectorum*. Ado, ut animadvertit Sollerius, eadem nomina retinuit, licet elogium ex Beda describat, in quo *Audacti*, non *Audactis* legitur, & *Septimini*, non *Septimi*. Illud etiam apud Adonem notandum, inquit Sollerius, quod de suo addiderit: *Sunt autem honorifice sepulti inter Carthaginem & Uticam*, quum aliter in Actis legatur; nimirum *Felicem* apud *Venusiam in Apulia* passum die XXX. *Augusti*. Usuardus elogium ita contraxit, *ut Felicis* Episcopi, *Audacti & Januarii* presbyterorum, *Fortunati & Septimi* lectorum, persecutione Diocletianea martyrium, Venusiæ in Apulia statuat. In Martyrologio Fuldensi hac die alia recentiori manu scriptum fuit: *In Venusia civitate, natalis sancti Felicis Episcopi*. Adonem quoque contraxit Not-

kerus

kerus pridie hujus diei. *Felix* hac die turmatim una cum aliis, sed sine ulla designatione dignitatis, memoratur in Richenoviensi, Augustano, & Labbeano. Ottobonianum, *Felicem*, *Vitalem*, & alios, *Nicomediensi* urbi adsignat. In Romani Martyrologii editione an. 1583. hac die legebatur: *Felicis Episcopi Aptungitani*; ad quem locum ad oram sui exemplaris hæc adnotavit Baronius: *Nullo modo dicendus Aptungitanus; nam Felix Aptungitanus, de quo scribit Optatus supervixit usque ad tempora Constantini Imperatoris. Ob variam lectionem, dicerem tantum: Episcopi Africani*. Et ita emendatum fuit. Eadem de sede *Felicis* habet Baronius in Notationibus ad hanc diem. Sed & Ruinartius in Actis selectis pag. 374. ex varia codicum lectione, incertum adhuc esse putat, cujus sedis *Felix* Episcopus fuerit, quum codices alii legant *Tubizacensis*, alii *Tubizocensis*, seu *Tubzocensis*, *Tubzuecensis*, & *Tibnriensis*, *Thibarensis*, seu *Tibarensis*. Acta post Surium excusa fuere a Baronio ad an. 302. n. CXVIII. & *seq.* deinde a Dacherio, & Baluzio, post quos symbolam suam contulit Ruinartius pag. 374. & *seq.* Consule Sollerium ad hanc diem, qui nos amandat ad Tillemontium tom. V. pag. 202. & *seq.* Recole etiam, quæ diximus ad diem XXX. *Augusti*. Passus est *Felix*, ut adnotat Ruinartius, A. D. 303.

Maglorii. De *Maglorio*, vulgo *Magloire*, inter veteres agunt codices nostri Adoniani, ab aliis præteritur; nam inter Usuardi Auctaria hac die a Sollerio amandatur, & recte, quia abest a textu codicis Pratensis, sed tantum ad ejus oram recensetur, & aliena manu, ut ex editione Usuardina Bovvillartii agnoscitur. *Maglorius* diaconus, A. D. 563. a *Samsone* Dolensi Episcopo & illius consanguineo, *Dolensis* monasterii Abbas designatus fuit, ac postmodum Dolensis Episcopus. Verum *Budoco* sibi substituto, in *Sargiam* insulam, vulgo *Jarsay*, secessit, loco sibi a *Raduvalo* regulo concesso, atque ibi monachos supra sexaginta congregavit, ut narrat Mabillonius Annal. Bened. lib. VI. §. XXI. Obiit in monasterio *Sargiensi* c. A. D. 575. die XXIV. *Octobris*, ibique humatus est. *Neomenus* Armoricæ dux *Maglorii* corpus A. D. 857. *Lethonium*, vernacule *Lehon* transtulit. Deinde ob Normannorum clades *Lutetiam* c. A. D. 965. delatum fuit, sub rege *Lothario*, filio *Ludovici*, ubi in Ecclesia ejus nominis illius reliquiæ asservantur. Acta post Surium, rursus edidit & illustravit Mabillonius sæculo I. Bened. p. 223. At medica manu indigere censet Gerardus Dubois in Historia Ecclesiæ Parisiensis lib. IX. cap. III. §. III. & scripta fuisse sæculo Christi nono. Non vixit autem usque ad A. D. 620. ut habet Baronius in Notationibus hac die. *Britannia citerior*, vulgo est *la Bretagne* in Galliis, de qua vide Valesium pag. 98.

Martinus, Abbas *Vertavensis* ab uno ex nostris apographis celebratus, colitur etiam hac die ab Usuardo his verbis: *Vertavo monasterio, sancti Martini Abbatis*. Celebratur etiam in Hagiologio Francogallico. In ceteris præteritur. Obiit beatus *Martinus* in pago Pictavensi Britanniæ Armoricæ A. D. 600. hac die XXIV. *Octobris* apud *Durivum*, ubi duo cœnobia extruxerat, ut habet Mabillonius Annal. Bened. lib. IX. §. XXXVII. Illius reliquiæ mox *Vertavum* a monachis relatæ fuere. Longe abit, ad annum obitus quod attinet, Castellanus, qui illum confert in A. D. 889. Vide quæ ad hanc diem adnotavit Sollerius. Acta edita sunt a Mabillonio sæculo I. Bened. pag. 371. & *seq.* *Martini.*

---

25. Octob. *D. VIII. KALENDAS NOVEMBRIS.*

Crispini, & Crispiniani. IN Galliis, civitate Suessionensi, natalis sanctorum Crispini, & Crispiniani, qui persecutione Diocletiani, & Maximiani ad trochelas extensi, & fustibus cæsi, postquam digiti eorum subulis transfixi sunt, & de dorso eorum lora præcisa, ad ultimum gladio trucidati, coronam martyrii consecuti sunt.

Frontonis. Eodem die Petragoricas civitate, natalis sancti Frontonis Episcopi, qui Romæ a beato Petro ordinatus, cum Georgio presbytero ad prædicandum Evangelium missus est. Cumque tertio die itineris idem Georgius esset mortuus, mœrens Fronto reversus est ad Apostolum, acceptoque ejus baculo, & super corpus defuncti posito, socium de morte recepit. Sicque ad prædictam civitatem veniens magnam gentis illius multitudinem

dinem ad Christum convertit, & multis mircaculis clarus in pace quievit.

Ipso die Romæ via Salaria, natalis XLVI. militum, qui simul baptizati a beato Dionysio Papa: & mox jubente Claudio Imperatore decollati sunt. Quorum corpora noctu collegerunt beatus Justinus presbyter, & Joannes, & sepelierunt in crypta cum multitudine Christianorum, in via Salaria in Clivum cumeris, VIII. Kal. Novembris, ubi positi sunt & alii martyres, centum viginti & unus. Inter quos fuerunt quatuor milites Christi, Theodosius, Lucius, Marcus, & Petrus. Hi videntes ad se venire armatos, rogabant ut primi decollarentur. Scriptum in passione sanctorum martyrum Sixti, Laurentii, & Hippolyti. *Milit.XLVI.* *10. August.*

VARIA LECTIO. Ed. *civitate Suessionensi*. Cod. 511. *civitate Suessionis*. Cod. 512. 514. *civitate Sessionis*. Post verbum *Hippolyti*, extremo loco, sequitur in codicibus 511. 512.

„ Civitate Gavalis, depositio sancti Hylari (cod. 512. Hilarii) Episcopi, vita „ & miraculis præclari. *Hilari.*

Crispini & Crispiniani. ADNOTATIO. *Crispinus*, & *Crispinianus* in *Galliis* martyres coluntur hac die a Hieronymianis, Beda, Gellonensi, Rabano, Floro, Adone, Usuardo, Wandelberto, Notkero, Hagiologio Francogallico, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejense breviori, Kalendario Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. De horum martyrum Ecclesia *Suessione* Gregorius Turonicus lib. v. cap. XXXIV. Eorum vulgata Acta leguntur apud Mombritium, & contracte apud Surium hac die. Habentur etiam in codice Reginæ Suecorum 588. pag. 136. quorum exordium est: *Cum sub Maximiano & Diocletiano &c.* Ea discutientur a Bollandianis, ut spondet Sollerius in Usuardum hac die.

Frontonis. *Frontonis* memoria, ita judicante Sollerio, in Ecclesiasticas tabulas ab Adone primum relata est, deinde contracte ab Usuardo. Agit autem hac die Martyrologium Fuldense, cujus auctor Adonem & Usuardum solet imitari. Apud alios siletur. Agit etiam Martyrologium Romanum hac die. De illius ætate, & Actis eadem est ratio, atque de aliis primis Galliarum Episcopis, qua de re apud recentiores rerum Gallicanarum scriptores, interim vide Tillemontium tom IV. pag. 501. & *seq.*

Milit.XLVI. Celebres hac die in Latinorum tabulis sunt martyres milites, qui Romæ passi sunt, sed de eorum numero varia lectio est. Agit autem Beda genuinus. Romanum parvum habet: *Romæ, via Salaria, XLVI. militum, qui a Dionysio Papa, jubente Claudio decollati sunt.* Hieronymiana *quadraginta sex milites* prætereunt, sed celebrant *Maximum, & milites alios CXX. quorum nomina Deus scit.* De XLVI. *militibus*, Romæ agit pridie hujus diei Wandelbertus. Ado numerum a Beda, & elogium ex Actis sancti Laurentii sumpsit; ex eo inde Usuardus, & Notkerus. In summa omnium numerus esse fertur CXXI. præter alios martyres XLVI. Martyrologium Fuldense commemorat primum *milites* XLVI. deinde alios martyres CXXI. prout apud Adonem, & Usuardum. Augustanum habet: *Romæ, XLVI. mart. seu mille centum octoginta quatuor.* Labbeanum: *Romæ, natale sanctorum quadraginta trium martyrum, seu mil. ducentorum viginti duorum.* Ottobonianum: *Romæ, via Salaria, natalis* XLVI. *militum cum alii martyres* (pro *aliis martyribus*) CXXI. *inter quas fuerunt quatuor milites Christi Theodosius, Lucius, Marcus, & Petrus.* Nihil corruptius est in veteribus monumentis, quam ubi de numeris agitur, nam immaniter a librariis fœdantur. Consule interim Sollerium in Usuardum hac die.

Additur a codicibus nostris *Hilarus*, seu *Hilarius Gabalitanus* in Galliis Episcopus, de quo apographum Hieronymianum Corbejense habet: *In Gavalis, depositio beati Hilarii Episcopi, & confessoris.* Agit & Usuardus genuinus, ac Wandelbertus. Sollerius censet, Usuardum sumpsisse ex aliquo apogra- *Hilari.*

 pho

pho Hieronymiano; superfunt & apographa Adoniana, quæ de eo agunt. Vivebat adhuc A.D. 535. nam *Hilarus Episcopus Ecclesiæ Gabalitanæ* subscripsit Concilio Arvernensi, eo anno celebrato. Illius Acta leguntur in codice Reginæ Suecorum 528. pag. 222. quæ incipiunt: *Beatus itaque Hilarus Gavalitanæ urbis Episcopus &c.* usque *ad æterna migravit.* Ibi illius natalis hac die statuitur. De civitate *Gabalum*, seu de *Gabalis* Gallorum populis Valesius in Notitia pag. 214. Locus nunc vulgo *Javoux* a Castellano dicitur, & *Hilarus*, *Chelirs*, cujus obitum c. A. D. 540. confert.

26. *Octob.* *E. VII. KALENDAS NOVEMBRIS.*

Rogatiani & Felicissimi. APUD Africam, natalis sanctorum martyrum, Rogatiani presbyteri, & Felicissimi, qui persecutione Decii, & Valeriani, illustri sunt martyrio coronati. De quibus etiam scribit beatus Cyprianus in epistola ad confessores, his verbis: *Ut sequamini*, inquit, *in omnibus Rogatianum presbyterum gloriosum senem, viam vobis ad gloriam temporis nostri religiosa virtute & divina dignitate facientem, qui cum Felicissimo fratre nostro quieto semper & sobrio excipiens ferocientis populi impetum, primum vobis hospitium in carcere præparavit, & metator quodammodo vester nunc quoque vos antecedit.* *Cyp. ep. 81.*

Vedasti & Amandi. Commemoratio agitur ipsa die sanctorum Episcoporum Vedasti, & Amandi, quorum vita, & mors plurimis existit miraculis gloriosa.

VARIA LECTIO. Ed: *coronati. De quibus &c.* Cod. 511. *coronati. In quorum laude beatus Cyprianus in epistola ad confessores ita scribit:* „ Ut „ sequamini, *inquiens*, Rogatianum presbyterum gloriosum, qui cum Felicissimo „ fratre nostro, quieto semper & sobrio &c. *prout in editis.*

Polycratis. Post verbum *antecedit*, sequitur in codicibus 511. 512. 514 „ Apud Ephesum, „ sancti Polycratis Episcopi, egregii & nobilis viri. Floruit autem Severi principis „ temporibus, eadem ætate qua & Narcissus Hierosolymæ.

Abtonii, seu Aptonii. In codice 512. ad oram, manu recentiore habetur: *Eodem die, sancti Abtonii Episcopi & confessoris.*

Deest in memoratis codicibus hac die *Commemoratio SS. Vedasti & Amandi.*

Rogatiani & Felicissimi. ADNOTATIO. *Rogatiani*, & *Felicissimi* in Africa martyrum natalis celebratur primum, ut Sollerio libet, ab auctore Romani parvi, silentibus Hieronymianis, Beda, Floro, Rabano, & Wandelberto. Agunt autem Ado noster, ex eo Usuardus, Notkerus, & Martyrologium Fuldense. De his Baronius ad an. 253. num. XLII. an. 254. num. XXXV. & an. 260. num. LIX. LX. & in Notationibus hac die. Nimium differt, judicio Sollerii, eorum martyrium, qua de re Tillemontius tom. III. pag. 389.

Vedasti & Amandi. De *Vedasto*, & *Amando* silent hac die apographa nostra, quia de iis egerunt die VI. *Februarii*, quare vide quæ ibi adnotavimus. Agunt autem de his hac die Wandelbertus, Notkerus, & Kalendarium Vat. 3806. In antiquo Sacramentario Oignacensis monasterii apud Martenium Itineris litterarii P. II. pag. 120. ad X. *Kal. Novembris* legitur: *Restitutis corporis sancti Amandi Episcopi*. Exstat Sermo habitus a *Milone* monacho Elnonensi, & editus a Mabillonio in supplemento vitæ sancti Amandi, sæculo II. Bened. pag. 725. ubi hic titulus legitur: *Qualiter corpus B. Amandi in loco, quo nunc requiescit, fuerit translatum, & de dedicatione basilicæ, aut de ordinatione Episcopatus ipsius, septimo Kal. Novembris.*

bris. Ex quo elicitur, & hac die XXVI. *Octobris Amandum* fuisse consecratum Episcopum, corpusque ejus translatum, & basilicam, in qua conditum fuit, dedicatam.

Polycratis. *Polycrates* Ephesiorum Episcopus, de quo codices nostri, si apographum Usuardi Centulense excipias, in quo eadem de *Polycrate* leguntur, præteritur in tabulis omnium Latinorum. Imo Sollerius ad eum locum, miratus quid hoc sit, habet: *Quis hic sit sanctus Polycrates, divinet qui potest, ego alium Polycratem Episcopum Ephesinum non novi, præter eum, qui in controversia de celebratione Paschæ Victori Papæ restitit, & excommunicatus est*. Hæc ille. De Polycratis Epistola ad Victorem Eusebius Rufini lib. III. cap. XXXI. & lib. V. cap. 14. Item Hieronymus de Scriptoribus Eccl. cap. XLV. De commentitiis Polycratis scriptis vide quæ post Halloixium in vitis Patrum orientalium tom. I. pag. 559. & alios collegit Fabricius tom. V. Bibliothecæ Græcæ pag. 194. num. 23. Decessit *Polycrates* A.D. 196. Utrum Victor in Polycratem, & alios Asianos excommunicationis sententiam tulerit, an censuras tantum minitatus in eos fuerit, disputant recentiores. Vide Pagium in Critica ad an. 196. num. II. & seq.

Abtonii, seu *Aptonii*. *Abtonius* Episcopus, aliis *Aptonius*, de quo in Auctariis unus ex nostris codicibus, desid... ratur in excusis omnibus veteribus Latinorum tabulis, quas quidem viderim. Agit autem inter recentiores Saussayus. Fuit Episcopus *Engolismensis*, & de eo mentio in Actis sancti *Eparchii* Abbatis Engolismensis, ut habet Mabillonius Annal. Bened. lib. VII. §. IX. De eo Cointius ad an. 569. num. XXVIII. & Sammarthani in nova Galliæ christianæ editione tom. II. pag. 977. 978. ubi duos *Aptonios* distinguunt, quorum alter post *Dynamium* sedit ab A. D. 500. usque ad an. 510. circiter. Alter *Lupicini* successor, de quo in vita sancti *Eparchii*. Controversia inter eruditos est de initio Episcopatus *Aptonii* ob implexum de obitu *Eparchii* locum apud Gregorium Turonensem lib. VI. cap. VIII. eum annos XLIV. *in reclusione* Eparchius explesset, & ab auctore Vitæ Eparchii XXXIX. scribatur. Majorem auctoritatem tribuunt auctori vitæ, & errasse Gregorium Turonensem malunt in annis reclusionis supputandis, quapropter iniisse Episcopatum *Aptonium* conjiciunt c. A.D. 542. & A. D. 549. Concilio Arelatensi V. interfuit. Nihil autem certi habetur de ejus obitu.

F. VI. KALENDAS NOVEMBRIS. 27. Octob.

IN Hispaniis, Abela civitate, natalis sanctorum Vincentii, Sabinæ, & Christetes, qui primo adeo in equuleo sunt extenti, ut omnes compages membrorum eorum laxarentur: deinde capita eorum lapidibus supposita, usque ad excussionem cerebri validis vectibus sunt contusa: atque ita martyrium compleverunt, agente præside Daciano. *Vincentii, Sabinæ, & Christetes.*

Eodem die apud Tyle castrum, natale sancti Florentii martyris. *Florentii.*

Eusebi. l. 3. cap. 34. Pontificale cap. 6. Romæ, Evaristi Papæ, qui sedit in Episcopatu annos novem, & sub Trajano martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano. *Evaristi.*

Eodem die, Vigilia Apostolorum Simonis, & Judæ. *Vigil. Simonis & Judæ.*

VARIA LECTIO. Codices 511. 512. 514. hac die ita exordiuntur:

Desiderii. „ Autissiodoro, depositio beati Desiderii, genere clarissimi. Hic cum esset incredi„ bilium, ut ita dicam, prædiorum possessor, basilicam sancti Stephani protomarty„ ris a parte orientis multo ampliavit, decoreque ammirabili (sic) opere ex musivo „ quodammodo deaurata ejus divitiis refulget: ubi & altare transtulit, atque sole„ mniter consecravit sub die XIIII. Kal. Mai. Tenuit vero Episcopatum annos XVIII. „ dies XXV. Quievit tandem in pace, & sepultus est juxta sanctum Aunarium in Eccle*Florentii*. „ sia beati Germani Episcopi. In pago Pictavo, sancti Florentii presbyteri & mona„ chi, maximæ sanctitatis & innocentiæ viri. In Hispaniis, Elbora civitate, natalis *Vincentii & soc.* „ sanctorum Vincentii, Sabinæ &c. *prout in editis*, usque *Deciano*. Deinde sequi... r in codi-

codice 511. „ Quo quidam putant, Simonem Apostolum, unum de XII. ipsum esse, „ qui sub Trajano crucem passum, omnino falsum est. Nam & Beda sanctus presby- „ ter, qui hoc super Acta Apostolorum, Isidorum secutus, in libro retractationum se hoc „ non bene sensisse reprehendit. Sed & historia Ecclesiastica non de Apostolo, sed de „ alio Simone gesta narrat. *Beda in Act. Apostolor. cap. 1.*

Deinde sequitur in eodem codice, aliena manu: *Eodem die vigilia Apostolorum Simonis, & Judæ.* *Vigil. Simon & Judæ.*

Deest in codicibus 511. 512. 514. hac die natalis S. *Florentii* martyris, & S. *Evaristi* Papæ.

Vincentii & soc. ADNOTATIO. *Vincentii* & sociorum in *Abulensi* Hispaniæ civitate martyrum meminit primum, ut est apud Sollerium, Romanum parvum hac die, & his verbis: *Abela civitate, Vincentii, Sabinæ, & Christetes martyrum*. Agunt deinde Florus, Ado noster, Usuardus, & Wandelbertus. Apud alios silatur. De eorum Actis, quæ citat Sollerius, utrum sincera sint, definire differt idem Sollerius, interim dubia esse censet, quia Ruinartius, dum pag. 389. Acta S. *Vincentii* levitæ profert, si genuina alterius Vincentii & sociorum, eadem Diocletiani persecutione passorum, putasset, procul dubio eis locum inter sincera dedisset. Potius existimat Sollerius, hujusmodi Acta ad imitationem aliorum Actorum, aliquot post eorum martyrium sæculis fuisse adornata.

Florentii martyris. Sequitur in vulgato Adone *Florentius* martyr apud *Tyle castrum*. Adonem ad verbum exscribit Usuardus. At hunc *Florentium* prætereunt codices, & alium *Florentium* substituunt, de quo mox. Hæret autem & Sollerius, dum de hoc martyre *Florentio* inquirit, qui in Hieronymianis etiam *Florentiis*, vel *Florenti* invenitur. Adde & in Gellonensi, Richenoviensi, Augustano, & Labbeano, in quibus turmatim cum aliis martyribus occurrit. Ex conjectura, inquit Sollerius, adscribi poterit *Florentio* uni ex Thebæis martyribus in Burgundia, Lingones inter & Divionem, loco vulgo *Trichateau*. De *Tile* castro in Burgundia, vernacule *Tille*, Valesius in Notitia pag. 554.

Evaristi. Post *Florentium* vulgatus Ado recolit hac die S. *Evaristum* Papam, de quo quum agant apographa nostra ad diem XXVI. *Decembris*, nos quoque ea die agemus.

Desiderii. De *Desiderio* Episcopo *Autissiodorensi*, principe loco apographa nostra hac die agunt. Silet quidem de eo genuinus Usuardus, sed recolitur tantum in ejus Auctariis. Agit autem iisdem propemodum verbis Martyrologium Fuldense, & Nevelonis monachi. Apud alios siletur. De eo, prout in codicibus nostris, apud Hericum monachum in Historia Episcoporum Autissiodorensium. Migravit in cælum c. A. D. 622. ut habet Mabillonius Annal. Bened. lib. XI. §. XXXV.

Florentii. *Florentius*, quem hac die rursus celebrant apographa nostra, est *Florentius junior monachus*, in *pago Pictavensi* celebris, de quo nos egimus ad diem XXVII. *Junii*, quare vide, quæ ibi diximus. Colitur autem & hac die XXVII. *Octobris* a Martyrologio Fuldensi, his verbis: *In pago Pictavo, natalis sancti Florentii presbyteri & confessoris*. Eadem propemodum, quæ in apographis nostris, leguntur hac die in Usuardi Auctariis; & ibi animadvertit Sollerius, de *Florentio* agi ab Usuardo genuino die XXII. *Septembris* his verbis: *In pago Pictavensi, sancti Florentii presbyteri & confessoris*. Propter frequentes *Florentii* translationes, non injuria existimat Sollerius, variis diebus de eo agi. A Mosandro in Appendicem Adonianam *Florentius* hac die conjectus est, forte quia alium *Florentium* in vulgatis vidit.

Vigil. Simonis & Judæ. *Vigilia* Apostolorum *Simonis & Judæ*, de qua præter vulgatum Adonem, unus ex nostris codicibus, sed aliena manu, memoratur hac die a Rabano, ab Auctariis Usuardi, a Martyrologio Ottohoniano, Labbeano, & aliis. De ea quoque Missa habetur in Sacramentariis Gregorianis, Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vatic. 495. Missali plenario Vat. 4770. Ad oram quoque Capitularis Evangeliorum Vaticani 7016. Evangelium, licet aliena manu, in vigilia horum Apostolorum indicatur. Item habetur in Capitulari Evangeliorum Reginæ Suecorum n. 4. sæculi IX.

Vide lib. de fest. Apost. *28. Oct.*

G. V. KALENDAS NOVEMBRIS.

NATALIS sanctorum Simonis, & Judæ. *Simonis & Judæ.*

De ea in passione S. Laurentii 10. Aug. Romæ, sanctæ Cyrillæ, filiæ Decii Cæsaris, quæ sub Claudio Principe jugulata, & necata est gladio, ac sepulta a Justino presbytero cum matre sua, juxta sanctum Hippolytum. *Cyrillæ.*

VA-

VARIA LECTIO. Ed. *Natalis sanctorum Simonis, & Judæ*. Cod. 511. 512. & 514. *Natalis beatorum Apostolorum Symonis Chananæi, qui & Zelotes scribitur, & Thaddei, qui & Judas &c.* prout in libello de festivitatibus Apostolorum.

Post *Hippolytum*, sequitur in eisdem codicibus:

Faronis. „ Civitate Meldis, sancti Faronis Episcopi & confessoris. Parisius, translatio

Translat. Genovefæ. „ sanctæ Genovefæ virginis. Deinde in codice 511. tantum, recentiori manu: *Ambianis, sancti Salvii Episcopi & confessoris.* *Salvii.*

Simonis & Judæ. ADNOTATIO. *Simeonem & Judam* pervetustæ omnium Latinorum tabulæ hac die recolunt. Hieronymiana habent: *Et natalis sanctorum Apostolorum, Simonis Chananæi, & Judæ Zelotis*. Agunt præterea Beda, Romanum parvum, Gellonense, Rabanus, Ado, Usuardus, Wandelbertus, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, Corbejense brevius, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vatic. 485. & Vat. 3806. Richenoviense ita habet: *Et in Suanis, civitate Persarum, natale Apostolorum Simeonis & Judæ*. Ottobonianum agit etiam die 1. *Julii*, his verbis: *Ipso die, depositio Symon Chananæus* (sic) *& Judæ frat. Jacobi*. Vide Florentinii exercitationem IV. pag. 161. & ad laterculum de festivitatibus Apostolorum pag. 92. In Sacramentariis, de quibus die superiori, ubi de horum Apostolorum vigilia, hac die quoque in eorum *natali* Missa habetur. Ado in libello de festivitatibus Apostolorum, monet minime verum esse, *Simonem* Apostolum, eum esse, qui sub *Trajano* passus est: quæ verba in codicem nostrum 511. pridie hujus diei irrepserunt. Acta Græca *Simonis Zelotæ*, & *Judæ Thaddæi* Apostolorum, auctore Niceta Paphlagone, Græce, & Latine habentur in Auctario Combefisii novissimo tom. I. pag. 408. *& seq.* & Latine tom. XXVII. Bibliothecæ Patrum pag. 412. editionis Lugdunensis. Vide alia de his ab eodem Combefisio collecta tom. VIII. Bibliothecæ concionatoriæ pag. 290. *& seq.* Post Baronium in Notationibus hac die, consule Tillemontium tom. I. pag. 399. *& seq.* pag. 423. *& seq.*

Cyrillæ. De *Cyrilla* Decii Cæsaris filia agunt hac die Beda, Romanum parvum, Gellonense, Rabanus, Ado, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum. Fere omnes ex Actis sancti Laurentii agunt. De illius corpore in Basilica sancti Laurentii Notitia Eccardi. De illius vero translatione in titulum Equitii per Sergium juniorem, vetus lapis in eo titulo marmori insculptus.

Faronis. De *Farone*, qui & *Burgundofarus*, vulgo *Faron*, sanctæ *Faræ* Abbatissæ fratre, agit eisdem verbis, prout in codicibus nostris, hac die Usuardus genuinus. Sollerius, quia nullum alium præeuntem Usuardo viderat, ab Usuardo primum in tabulas Ecclesiasticas *Faronem* relatum scripsit, neque ab ullo alio memorari; at agunt de eo hac die Wandelbertus, & Hagiologium Francogallicum. Decessit *Faro* c. A. D. 672. sepultusque est in fundo suo in basilica sanctæ Crucis, & sancti Jo: Baptistæ. Vitam ab Hildegario monacho, deinde Meldensi Episcopo, circiter A. D. 850. scriptam, ex MS. codice sancti Faronis in suburbio Meldensi edidit Mabillonius sæculo II. Benedictino pag. 606. *& seq.* Adi eundem Mabillonium Annal. Bened. lib. XVI. §. XIX. Breviora sunt Acta apud Surium.

Translat. S. Genovefæ. *Translatio sanctæ Genovefæ* memoratur etiam hac die ab Usuardo genuino, & ab Hagiologio Francogallico. Censet Sollerius, hic agi de translatione a sancto *Eligio* c. A.D. 630. facta. De variis hujus virginis translationibus Bollandus ad diem III. *Januarii*, & Gerardus Dubois in Historia Ecclesiæ Parisiensis lib. I. cap. IX. §. VIII. Normannis Gallias vastantibus, Genovefæ translatio in villam *Athegiam* c. A. D. 845. facta est. Alia translatio ob eandem caussam ad *Draveraum* successit A. D. 850. Tertio ad *Marisiacum*, & quinquennio post *Lutetiam* in illius nominis basilicam reliquiæ *Genovefæ* relatæ fuere.

Salvii. In Auctariis unius ex nostris codicibus colitur *Salvius* Episcopus *Ambianensis*, de quo item agunt hac die Auctaria Usuardi tantummodo. *Salvius* monasterium exiguum ad mare, nunc vulgo *Montreuil* in honorem beatæ Virginis, & Principis Apostolorum Petri erexit ante A. D. 686. ibique monachum egit, deinde Abbatem, postmodum *Ambianensis* Episcopus creatus est. c. A. D. 686. ut censet Cointius ad hunc annum num. III. *& seq.* Decessit sententia Cointii hac die A.D. 689. ut habet ad hunc annum §. XIV. Vide Mabillonium Annal. Bened. lib. XIX. §. XX. ubi monet, aliud esse sancti *Salvii* monasterium apud *Valencianas*, a monasterio sancti *Salvii* ad mare. Bollandiani socii de *Salvio* agunt die XI. *Januarii*.

A.I V.

19. Oct. *A. IV. KALENDAS NOVEMBRIS.*

Narcissi. NATALIS beati Narcissi Jerosolymorum Episcopi, viri sanctitate & patientia, ac fide laudabilis. Accidit aliquando in die solemni Vigiliarum Paschæ, oleum deesse luminaribus; cumque id per ministros innotuisset, mœror populi maximus fuit: sed Narcissus in fide confidens, ministris imperat haurire aquam, sibique deferre; cumque tulissent, oravit, & benedixit aquam, & infundi luminaribus præcepit. Tunc repente miro, & sæculis inaudito genere virtutis, natura aquæ in pinguedinem olei versa, splendorem luminum etiam solito reddidit clariorem. Ad fidem autem rei, a plurimis religiosorum fratrum ex eodem oleo, quod versum de aqua fuerat, reservatum est. Is namque cum inter cetera virtutum suarum bona esset valde constantis animi, & justi rectique indeclinabiliter tenax, quidam homunculi nequam male sibi conscii, metuentes, ne criminum suorum si arguerentur, non possent effugere vindictam, præveniunt factionibus, & circumvenire parant eum, cujus judicium verebantur. Concinnant igitur adversus eum infame satis & noxium crimen. Conveniunt auditores, testes ex semetipsis producunt, qui sub sacramenti juramento, quæ objiciebantur, confirmarent. Quorum unus testis ita, ne igni consumeretur, vera se dicere testabatur. Alius ita, ne regio morbo corrumperetur. Tertius ita, ne luminibus orbaretur. Et quamvis nec juramentis quidem istis quisquam fidelium, & Dominum timentium crederet, eo quod vita Narcissi, & institutio, ac pudicitia, ab omnibus nosceretur: ipse tamen eorum, quæ mota sunt, indignitatem ac molestiam non ferens, simul & secretam, ac philosophicam vitàm semper habere desiderans, subterfugit ecclesiæ multitudinem, & in desertis locis atque agellis secretioribus delitescit annis quamplurimis. At non ille magnus divinæ providentiæ oculus quiescit in longum, sed in impios ultionem per ea ipsa, quæ sibi in perjuriis statuerant, maledicta molitur. Primus namque ille testis, parva ignis scintilla noctis tempore domo sua succensa, cum omni genere, & omni familia flammis ultricibus conflagratur. Alius repente ab imis pedibus usque ad summum capitis verticem, morbo regio, quo fuerat imprecatus, repletur, atque consumitur. Tertius autem priorum exitium videns, & oculum divinum non latuisse perspiciens, prorupit in medium, & audientibus cunctis, sera pœnitentia, universum concinnati sceleris ordinem pandit. Tantis autem lacrymis immanis commissi facinus deflet, & in tantum

Eusеb. l. 6. c. 78. & 9. Ruff.

die

die noctuque perdurat in fletibus, usquequo luminibus orbaretur. Hi igitur figmenti sui hujusce modi pœnas dederunt. Narcissus vero cum ita desertum petiisset, ac locis secretioribus se abdidisset, ut ubi jam degeret nullus agnosceret: necessarium visum est Episcopis, ut alium pro ipso ordinarent, cujus nomen erat Dius: cuique (cum parvo tempore præfuisset Ecclesiæ) succedit Germanio, & Germanioni Cordius: cum ecce subito velut redivivus cæloque redditus, ex improviso apparuit Narcissus; & rursus a fratribus ad præsidendum rogatur Ecclesiæ. Verum cum ipse jam senio fessus, pontificatus ministerio sufficere non posset, Alexandrum, qui jam Episcopus esset alterius loci, divina dispensatio in adjutorium senis evidentissimis revelationibus vocavit. Expletis autem centum, & sedecim annis, relicta sede ipsi Alexandro, fructum laborum suorum a Domino recepit.

Eufeb. l. 8. cap. 25. Ipso die, apud Sidonem urbem, natalis sancti Zenobii presbyteri, qui persecutione Diocletiani martyrio coronatur. *Zenobii.*

In Gallia, Vienna civitate, depositio sancti ac beatissimi Theodarii Abbatis & confessoris. Et translatio ipsius in loco ubi dicitur vallis Rupiana IV. Kalend. Novembris. *Theodarii.*

VARIA LECTIO. Ed. *Zenobii Presbyteri*. Cod. 512. 514. *Zibii Presbyteri*.

Narcissi. ADNOTATIO. De *Narcisso*, insigni Hierosolymorum Episcopo, agit primum, judicio Sollerii, auctor Romani parvi his verbis: *Narcissi Jerosolymorum Episcopi, viri sanctitate & patientia ac fide laudabilis*. Ex hoc fonte sumpsit ut opinatur Sollerius, Ado noster elogium ex Eusebio Rufini lib. VI. cap. VII. *& seq.* inde summatim ex more Usuardus, quem subsequitur Martyrologium Fuldense, aliquanto uberius, dum olei miraculum enarrat. Apud alios Hagiologos Latinos de *Narcisso* siletur. De illius gestis in Episcopatu, de secessione ac reditu, deque abdicatione ob grandævam ætatem post Baronium Papebrochius in Chronologia Episcoporum Hierosolymitanorum, Maji tom. III. ad initium, Tillemontius tom III. pag. 177. *& seq.* Ruinartius ad Acta martyrum pag. 115. 116. ubi de primis Episcoporum coadjutoribus. Rexit Ecclesiam Hierosolymitanam ab an. 185. ad 212. a quibus annis demendum est tempus, quo interea *Dius*, *Germanion*, & *Gordius* sederunt.

Zenobii. *Zenobius* presbyter & martyr apud Sidonem, ex Eusebio Rufini lib. VIII. cap. XIV. & ex libro de martyribus Palæstinæ cap. XIII. sumitur. De eo autem in primis auctor Romani parvi, deinde Ado, Usuardus, & Wandelbertus. De *Zenobio* agit, ut censet Sollerius ad diem XX. *Februarii*, ubi de martyribus apud Tyrum, ex Eusebio lib. VIII. cap. XIV. versionis Rufini. Vide, quæ ad eam diem adnotavit idem Sollerius, & quæ cursim admonet Ruinartius ad Acta martyrum pag. 328.

Theodarius Abbas *Viennensis* colitur hac die ab Adone tantum, nam abest a genuino Usuardo. Agunt autem ejus Auctaria. *Theudarii* vitam scripsit Ado noster, quam ex MSS. codicibus edidit Mabillonius ad calcem sæculi I. Benedictini pag. 678. *& seq.* Quatuor monasteria *Theudarius* in Viennensi diœcesi instituit. Indigena Viennensis provinciæ fuit, ex claris & locupletissimis parentibus ortus, discipulusque Cæsarii Episcopi Arelatensis. Erogato in pauperes patrimonio, Lirinum convolavit, a S. Cæsario in monastica disciplina eruditus. Postmodum patrios lares revisens, locum prope Viennam urbem delegit, ubi c. A. D. 542. in honorem *S. Eusebii* Vercellensis Episcopi & martyris, ut narrat in vita Ado noster, oratorium condidit, mox monasterium, prout & alia, inter quæ aliud *Theodarii.*

S. *Mariæ*

S. *Mariæ* nomine fublude in vicinis locis. In eodem S. Mariæ monafterio c. A. D. 575. die xxix. *Octobris* deceffit, ibique fepultus eft; ac monafterium illud, ex ejus nomine, vernacule *Saint Chef* dictum fuit. Hæc Mabillonius Annal. Bened. lib. iv. §. xliv.

---

30. Oct. *B. III. KALENDAS NOVEMBRIS.*

Marcelli. CIVITATE Tingitana, paffio fancti Marcelli centurionis, qui capitis abfcifione martyrium confummavit, fub Agricolao agente vices præfectorum prætorio.

Martyr. ccxx. Apud Africam, natalis martyrum numero ccxx.

Serapionis. Apud Antiochiam *, beati Serapionis Epifcopi, eruditi viri & fide clariffimi.

* Eufeb. l.5.c.18. & 21. Ruffin. 19. Hieron. de fcript. Eccl. cap.41.

VARIA LECTIO. Poft verba *fide clariffimi* ad extremum fequitur in codice 511. alia manu, fed fere fuppari: *Eodem die natalis fancti Lucani martyris*: Deinde ibidem alia recentiori manu: *Ipfo die fancti Germani Capuani Epifcopi, cujus animam pater Benedictus vidit in cælum deferri; & aliorum fanctorum plurimorum martyrum, confefforum, atque virginum.* (margin: *Lucani. Germani.*)

Marcelli. ADNOTATIO. De *Marcello* centurione & in urbe Tingitana martyre, primum agitur hac die a Romano parvo, deinde ab Adone, Ufuardo, Wandelberto, & Martyrologio Fuldenfi. Acta fincera a Notariis excepta, a Baronio ad an. ccxcviii. n.I. *& feq.* prolata, rurfus ex variis codicibus edidit Ruinartius pag. 312. qui nos præmonuit, non ita certum effe illius martyrii annum, qui *Faufto* ii. & *Gallo Coff.* hoc eft A. D. 298. fuiffe dicitur. Hujus fententiæ poft Vafæum fuit Baronius, a qua non eft alienus Ruinartius, donec certiora monumenta proferantur.

Martyr. ccxx. *Martyres Africani* numero ccxx. coluntur hac die a Hieronymianis, Romano parvo, Adone, Ufuardo, & Martyrologio Ottobo- niano, in quo errore librarii cxx. pro ccxx. fcribitur. Adeundus de his Florentinius in notis hac die. Wandelbertus hos martyres cum *Marcello* Tingitano commifcet.

Serapionis. *Serapion* Antiochenus, Epifcopus in tabulas Ecclefiafticas, ut Sollerius decernit, ab Adone primum relatus eft. Ex Adone Ufuardus breviter, atque Martyrologium Fuldenfe. *Eruditione* clarus in his celebratur, quod elogium ex EufebioRufini lib.vi.cap.x.petitum eft, ubi de illius opufculis, ut etiam apud Hieronymum de Scriptoribus Ecclefiafticis cap. xii. Sed & recentiores omnes, qui de Ecclefiafticis Scriptoribus Syntagmata edidere, de *Serapionis* operibus agunt. Vide, fi lubet, Halloixium tom. ii. in Vitis Orientalium Patrum, & quæ collegit Tillemontius tom. iii. pag. 168. ac noviffime Petrus Bofchius in Chronologia Patriarcharum Antiochenorum, Julii tom. iv. num. ix. Sedit ab annis Chrifti circiter 189. ad 211.

Lucani. Accedit inter Auctaria unius ex codicibus noftris *Lucanus* martyr, de quo item Ufuardi Auctaria, filentibus aliis Hagiographis. Agit Martyrologium Romanum de eo hac die, & *Parifiis* eum recolit, auctoritate Molani in additionibus ad Ufuardum. Ad oram Ufuardi in codice Pratenfi, aliena manu legitur: *Et fancti Lucani martyris*. Caftellanus in adnotatiuncula ad hunc Martyrologii Romani locum, monet potius fcribendum effe *Lucaniaci*, vulgo *Logny* in diœcefi Carnotenfi, ubi deceffit. Nihil de Actis martyrii, ac de tempore, quo martyrium pertulit, nobis innotuit.

Germani. *Germanus* Antiftes *Capuanus* recentiori manu in apographo noftro Adoniano exaratus eft. In codice vero Ufuardi Pratenfi, teftante Bovvillartio, authentica manu legitur: *Ipfo die S. Germani Capuani Epifcopi*. At Sollerius e fuo Ufuardo *Germanum* expunxit, & in Appendicem amandavit. Agit autem de *Germano* hac die Martyrologium Ottobonianum. Plura de ejus geftis raptim commemorat Baronius in Notationibus hac die, & in Annalibus. De ejus obitu A. D. 541. Mabillonius Annal Bened. lib. iv. §. xviii. *& feq.*

C. PRI-

C. *PRIDIE KALENDAS NOVEMBRIS.* 31. Octob.

De his in vita S. Stephani Papæ 2. Augusti.

ROMÆ, natale beati Nemesii diaconi, & Lucillæ filiæ ejus, quos sanctus Pontifex Stephanus baptizavit: quique ipsum Nemesium diaconum constituit, temporibus Valeriani & Gallieni: qui decreverunt, ut ubicumque inventus fuisset Nemesius, sine audientia puniretur. Nemesius autem Christi gratia roboratus, circuibat cryptas, & concilia Martyrum, ut ubicumque reperisset Chistianum aliquem egentem, prout poterat, de facultatibus suis ministraret. Veniens vero in via Appia noctis silentio juxta templum Martis, comperit Valerianum, & Maximum in templo Martis sacrificare. Flexis itaque genibus oravit Dominum, dicens: Domine Deus creator cæli, & terræ, dissipa consilia artis diabolicæ in nomine Domini nostri Jesu Christi filii tui, quem misisti in hunc mundum, ut resipiscant hi infelices a laqueis diaboli. Statim igitur Maximus consul a diabolo arripitur, & magna voce clamare cœpit: Nemesius Christianus me incendit, ejus oratio me affligit. Egressi vero quidam de templo, tenuerunt Nemesium, & dum contumeliis eum afficerent, subito Maximus expiravit. At illi tenentes Nemesium duxerunt ad Valerianum. Dicitque ei Valerianus: Nemesi, ubi est prudentia tua, quam semper cognovimus, & in consilio, & in actibus? Nos te hortamur, cogita veritatem, non deseras deos, quos semper ab ipsis cunabulis coluisti. Nemesius diaconus plenus lacrymis respondit: Ego quidem infelix atque peccator semper deserui veritatem, & effudi sanguinem innocentem, & jam nimis oneratus atque cumulatus peccatis, licet sera pœnitudine cognoverim creatorem meum, misericordiam Christi filii Dei adeptus: hunc timeo, ipsum adoro, ipsi cultum meæ servitutis offero. Nam omnia idola lapidea atque ærea manufacta abjicio. Iratus Valerianus, jussit eum in privata custodia mancipari: & post tertium diem exhibetur Valeriano, & Gallieno & filia ejus Lucilla: quam ante patris interrogationem fecerunt puniri, credentes, quod sic potuissent animum beati Nemesii emollire. Sed ipse, cujus interiora possidebat Spiritus sanctus, lætior de martyrio filiæ factus, in confessione Christi ardentior efficitur. Et cum nullo modo a fide Christi flecti eum posse viderent, jusserunt eum duci ad supplicium. Decollatus vero est via Appia ante templum Martis, VIII. Kalendas Septembris. Ejusque corpus a beato quidem Stephano Papa in eodem loco sepultum, sed a beato Sixto Pontifice postea levatum, pridie Kalendas Novembris juxta eandem viam Appiam in crypta venerabilius curatum. Nemesii & Lucillæ.

Quintini. In Galliis, oppido Virmandensi, natalis sancti Quintini martyris: qui sub Maximiano Imperatore martyrium passus est, & post annos quinquaginta quinque inventum est, revelante Angelo, corpus ejus, & sepultum octavo Kalendas Julias. Greg. Turon. de glor. MM. c. 73.

VARIA LECTIO. Ed. *Romæ*, *natale beati Nemesii diaconi*. Cod. 511. 512. 514. *Romæ*, *beati Nemesii diaconi*. Post VIII. *Kal. Julias*, ad extremum hac die sequitur in codice 511. tantum, aliena manu, sed fere suppari: *Eodem die vigilia omnium Sanctorum*. (*Vigil. omnium SS.*) Deinde alio charactere minus antiquo: *Item alibi, sancti Fullani Episcopi & confessoris, & aliorum*. (*Fullani.*)

Nemesii & Lucillæ. ADNOTATIO. *Nemesius* Diaconus & martyr, *Demesii* nomine memoratur in apographis nostris Adonianis die XXV. *Julii*, at breviter, nunc vero fusius de eo & *Lucilla* ex Actis sancti Stephani Papæ. In Ecclesiasticas tabulas ab auctore Romani parvi primum relati videntur Sollerio, his verbis: *Nemesii diaconi, & Lucillæ filiæ ejus, VIII. Kal. Septembrium passi* (sic) *sed pridie Kalend. Novembrium a Sixto Papa sepulti*. Miror autem, cur apud auctorem Romani parvi, & apud Adonem in elogio scriptum sit, hus martyres passos esse VIII. *Kal. Septembris*, quum Adoniana apographa de *Nemesio* agant VIII. *Kal. Augusti*. Acta sancti Stephani Papæ a Baronio emaculata, & edita ad an. 259. num. XXI. *& seq.* habent *Lucillam*, ad templum Martis via Appia, ante patria oculos jugulatam fuisse, & ipsum *Nemesium* capite cæsum inter viam Latinam & Appiam, VIII. *Kal. Septembris*, cujus corpus collegit beatus *Stephanus*, & sepelivit juxta locum ubi decollatus est, via Latina. Itaque hi martyres passi sunt ante sanctum Stephanum, qui passus est die II. *Augusti*. At Acta Stephani, ut jam diximus, a recentiorihus non omnino probantur, imo Sollerius miratur, cur Tillemontius tom. IV. pag. 28. *& seq.* ubi de sancto *Stephano*, nihil de *Nemesio*, & *Lucilla* proferat. Baronius in Notationibus hac die, in cœmeterio Callisti superesse scribit lapide incisam *Lucillæ* memoriam, & de illius postrema translatione meminit.

Quintini. *Quintinus* martyr apud *Augustam Veromanduorum*, hac die colitur a Hieronymianis, Beda, Rabano, Gellonense, Adone, Usuardo, Floro, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Richenoviensi, Augustano, Labbeano, Corbejensi breviore, Hagiologio Francogallico, Kalendario Vatic. 3806. & aliis. Rabanus, loco VIII. *Kal. Julias*, prout ex Gregorio Turonensi refert Ado, scribit XII. *Kalendas Julias*, sed hoc fortasse errore librarii, ut etiam LII. pro LV. Celebris est igitur apud Hagiographos *Quintinus* hac die. Acta habentur apud Surium hac die, sed non omnino pura videntur recentioribus, de quibus Tillemontius tom. IV. pag. 433. *& seq.* neque inter sincera retulit Ruinartius. Passus est Diocletianea persecutione.

Vigil. omnium SS. *Vigilia omnium Sanctorum*, quæ aliena manu uni ex nostris apographis addita est, præteritur quidem a plerisque aliis, sed ab Usuardo genuino principe loco commemoratur, mirante interim Sollerio, cur Usuardus prætermiserit vigiliam sanctorum *Simeonis & Judæ*, de qua Ado, & adnotaverit *vigiliam omnium Sanctorum*, quæ a Mosandro, & Rosvveido in Appendicem Adonianam abjicitur; prout genuino Adoni adscribendam non esse, testantur etiam apographa nostra. Cæterum in libris Liturgicis hæc vigilia sacrorum celebratione recolitur, nimirum in Sacramentario Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vat. 495. & in Missali plenario Vat. 4770. In Palat. Vat. 495. prima oratio est. *Domine Deus noster, multiplica*. Super oblata: *Altare tuum*. Præfatio: *Reverentiæ tuæ dicato jejunio*. Ad com: *Sacramentis, Domine*. Alia: *Erudi, quæsumus Domine, populum tuum*. Abest hæc Missa a vetustioribus Sacramentariis, ut a Reginæ Suecorum 337. & ab Ottoboniano.

Fullani. *Fullanus* Episcopus inter Auctaria hujus diei in nostris apographis, colitur item hac die in Auctariis Usuardi, ubi *Foillanus* scribitur, & *monachus & martyr*, ac interdum *Episcopus* dicitur. Ejus cultum statuunt in Monasterio *Fossensi*, seu *Vossuensi*. De eo Valesius in Notitia pag. 623. ubi narrat, *Foillanum* fuisse sancti *Fursei* fratrem, & in Galliis *Vossurense* monasterium largitione *Gertrudis* virginis obtinuisse, ibique vita functum esse, ac sepultum. Vulgo *Foignan* appellatur. Decessit A. D. 652. & quidem martyr a latronibus in silva *Sonesia* prope *Nivialiam* cæsus, ut scribit Mabillonius Annal. Bened. lib. XIV. §. XVI

LITA-

LITANIÆ INDICENDÆ.

MENSIS NOVEMBER

Habet dies xxx. Luna vero xxx.

D. KALENDIS NOVEMBRIS 1. *Novem.*



FESTIVITAS Sanctorum omnium. Petente namque Papa Bonifacio, jussit Phocas Imperator, in veteri fano, quod Pantheon vocabatur, & a Domitiano prius factum erat, ablatis idololatriæ sordibus, Ecclesiam beatæ semperque virginis Mariæ, & omnium Martyrum fieri: ut ubi quondam omnium, non deorum, sed dæmoniorum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria Sanctorum: quæ ab illo tempore Kalendis Novembris in urbe Roma celebris, & generalis agitur. Sed & in Galliis, monente sanctæ recordationis Gregorio Pontifice, piissimus Ludovicus Imperator, omnibus regni, & imperii sui Episcopis consentientibus, statuit, ut solemniter festivitas omnium Sanctorum in prædicta die annuatim perpetuo ageretur. Quam sanctam constitutionem reverenti amore suscepit omnis Ecclesia. *Omn. Sanctor.*

Gregor. Turon. de glor. Mar. c. 51. Et in castro Divione, natale sancti Benigni presbyteri. Qui cum Andochio compresbytero, & Thyrso diacono, missus est in Galliam ab Oriente, a sancto Episcopo Polycarpo. Cujus prædicatione comes Terentius comperta, vinctum eum, & cæsum ad se adduci præcepit. Et rursum audita sermonum ejus constantia, nervis durissimis cædi fecit. Post hæc ad trochleas extensus, & cæsus, ac rursum carceri mancipatus, mane idola orando destruxit: & reductus est in carcerem. Cui subulas decem calentes in manibus infixerunt, & cum plumbo remisso pedes in lapide perforato fixerunt, & canes duodecim feroces cum eo incluserunt per sex dies: & attulit ei Angelus panem cælestem, subulas abstulit, & cum de plumbo ac ferro cripuit. Ad ultimum collum ejus vecte ferreo tundi, & corpus lancea forari jubetur. Quo facto, columba nivea de carcere, Christianis adspicientibus, ad cælos ascendit, & odor suavissimus quasi paradisi secutus est. Venit autem beata Leonilla, & conditum aromatibus corpus non longe ab ipso carcere sepelivit. *Benigni.*

Eodem die, natale sancti Cæsarii diaconi, & Juliani presbyteri. Qui videlicet Cæsarius tempore Claudii veniens ex Afri- *Cæsarii, & Juliani.*

ca ad Tarracinam Campaniæ civitatem, dum contra idololatras proclamaret in publico, tentus est a Firmino pontifice, & in custodiam reclusus. Ubi diebus multis maceratus, deinde traditus est Leontio consulari Campaniæ. Quem ille cum verbis superare nequiret, jussit ante carpentum suum duci ligatis manibus vinctum, & nudum usque ad templum Apollinis. Quo cum pervenisset, ad orationem ejus corruit templum, & occidit pontificem Firminum. Post hoc reclusus in carcere a Luxurio primo civitatis, fuit ibi anno uno, & mense uno. Deinde eductus in forum ab eo, dum oraret, cælesti est luce circumdatus, ita ut ipse Leontius crederet, & Cæsarium, qui erat nudus, sua chlamyde indueret, & ab eo baptizaretur, & corpus, & sanguinem Domini acciperet de manu Juliani presbyteri. Nec mora, dicta super eum oratione, tradidit spiritum III. Kalendas Novembris. Tunc Luxurius jussit Julianum, & Cæsarium mitti in saccum, & præcipitari in mare. Qui eo die rejecti sunt ad litus, & sepulti ab Eusebio servo Dei juxta urbem Tarracinam. Et idem Eusebius postea martyrium passus est cum Felice presbytero.

Severini. Item eodem die, depositio sancti Severini monachi, de Tiburtina civitate.

Mariæ. Item natale S. Mariæ virginis: quæ cum esset ancilla, & die natalis filii Domini sui jejunaret, nec ullo modo flecti potuisset ut manducaret de idolothytis: primo duris verberibus afflicta, dein longa carceris custodia, equulei extensione, & ungularum laniatione vexata, martyrium consummavit.

VARIA LECTIO. Post verba: *cum Felice presbytero*, sequitur in cod. 511. 512. 514.

Marcelli. „ Parisius, depositio beati Marcelli Episcopi, & confessoris, cujus vitam inlustrem „ virtutibus ac miraculis Fortunatus Episcopus egregie describit. Eodem die, sancti „ Severini monachi de Tiburtina (cod. 511. Duburtina) civitate, Item ipso die, nata„ lis sanctæ Mariæ Virginis &c. ut in editis usque *consummavit*.

Vigoris. Martini. Sequitur in codice 511. tantum, recentiori manu: *Item in civitate Bajogas, sancti Vigoris Episcopi. In pago Guastunensi, sancti Martini confessoris.*

Festivit. omnium Sanctorũ. ADNOTATIO. *Festivitas omnium Sanctorum* hac die in Ecclesiasticas tabulas primum a Beda relata esse dicitur. Agit autem de ea Beda genuinus a Bollandianis editus, agunt & ejus apographa vetustiora his verbis: *Festivitas omnium Sanctorum*. At Sollerio in Usuardum hac die, Flori potius hæc verba esse, quam Bedæ, videntur, nec immerito, mea quidem sententia. Disertis verbis agit Romanum parvum: *Festivitas Sanctorum, quæ celebris, & generalis agitur Romæ*. Ex apographo Hieronymiano Florentinii nihil elici potest, quia initio hujus diei mutilum est. Invecta est autem hæc celebritas in apographum Hieronymianum Corbejense, Gelloneuse vero silet. Agunt præterea Rabanus, Florus, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobo-

Ottobonianum, & extremo loco Richenoviense, & Augustanum. Agit & Kalendarium Vaticanum 3806. Lis est de genuini Usuardi textu, sed antequam de eo dicamus, recolenda sunt, quæ de hac celebritate tradit Ado noster, nimirum ex instituto *Bonifacii* IV. hujusmodi celebritatem *Romæ* exordium sumpsisse, & agi cœpisse *Kalendis Novembris*, quando *Pantheum* a *Phoca* imp. obtinuit, & illud in honorem *B. Virginis & omnium martyrum* dedicavit, in Gallias vero ejusmodi solemnitatem hortatu *Gregorii* Papæ, *Ludovico Pio* imperante, solemni quotannis cultu peragendam, fuisse translatam. Quæ ad Panthei dedicationem in honorem *B. Virginis & omnium martyrum* pertinent, habentur etiam apud auctorem libri Pontificalis in *Bonifacio* IV. ex quo Ado, & cæteri. Quæ vero ad diem *Kalendarum Novembrium*, neque ibi, neque apud alios eorum temporum scriptores leguntur. Quæ demum de hujusmodi celebritate in *Galliis*, Ludovici Pii imperio, recepta, & *Gregorii* IV. Papæ studio (recte enim id intelligitur, quum *Gregorius* IV. sub *Ludovico* vixerit) ipsius Adonis, qui suppar fuit, auctoritate nituntur. At Usuardus, fidus cæteroquin Adonis interpres, in codice Pratensi ita habet: *Festivitas beatæ Dei genitricis, & omnium martyrum, quam Bonefacius Papa celebrem & generalem instituit agi omnibus annis in urbe Roma. Tertius vero Gregorius Pontifex postmodum decrevit, eandem in honore omnium Sanctorum sollemniter observari perpetuo ab omni Ecclesia*. Loco verborum illorum: *Tertius vero Gregorius*, Sollerius legendum esse vult: *Sed & Gregorius*, prout habent plerique codices, alii vero mediæ notæ: *Gregorius quartus*. Multa porro de origine hujus celebritatis post Baronium in Notationibus hac die proferuntur a recentioribus. Jo: Fronto plura habet in notis ad Kalendarium Romanum *Kalendis Novembris*, ubi, apocrypha esse, quæ apud Usuardum de hac festivitate scribuntur, falso tradit dum opinatur, Usuardum, *Carolo M.* imperante, vixisse. Adoni fidem habendam esse putat, at hujus festivitatis originem petendam potius a *Gregorio* III. ex his, quæ in illius Vita habet auctor libri Pontificalis, contendit. Gregorius enim oratorium in basilica Vaticana fecit, in quo reliquias beatæ Virginis, Apostolorum, & omnium sanctorum martyrum atque confessorum in toto terrarum orbe quiescentium collocavit, vigilias ibi a monachis agi instituit, & a presbyteris hebdomadariis Missarum solemnia celebrari. Ex his arguit Fronto hujus celebritatis, quæ *Kalendis Novembris* agitur, originem. Num vere, aliis judicandum relinquo. Addit Fronto, in Epistola *Cathuulphi ad Carolum M.* scribi, ut unum diem *post jejunium in anno in honore sanctæ Trinitatis & unitatis, & omnium Sanctorum celebrem constituat per regnum suum cum consilio Synodi Francorum*. Martenius quoque de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis celebrandis officiis p. 587. in quibusdam Galliarum Ecclesiis festum omnium Sanctorum, ante *Gregorium* IV. celebratum fuisse colligit ex Adalhardi Corbejensis Abbatis Statutis, lib. II. cap. II. A. D. 822. editis. Abest quidem festum *omnium Sanctorum* a Concilio Moguntino anni 813. sed eodem sæculo, & Ludovico imperante, aut paullo post inter festos dies cooptata fuit celebritas *omnium Sanctorum*, ut colligitur ex Capitulari, cujus caput edidimus ad diem VIII. *Septembris*. Non ubique tamen in Galliis sæculo IX. id obtinuisse conjicimus ex Capitulari Walterii Aurelianensis c. A. D. 871. edito, a quo hæc festivitas abest. *Gregorii* IV. monitis, & hortatu factum esse, ut in Gallia, & Germania omnium Sanctorum festivitas, *Ludovici* Pii studio celebraretur, censet Baronius ad an. 835. n. XLV. cum hactenus *Romæ* ex *Bonifacii* Papæ instituto ageretur. Vide Pagium seniorem ad hanc annum n. XIII. & juniorem in Vita Gregorii IV. §. X. sed inter cæteros Eminentissimum Lambertinum, seu BENEDICTUM XIV. de Festis P. II. §. CXXXIV. *& seq.* ubi fuse de hujus festivitatis origine. Ad libros Liturgicos nos convertamus. In Sacramentariis Gregorianis, sæculo VIII. scriptis Missa hac die *in natali omnium Sanctorum* desideratur, nimirum in Sacramentario Reginæ Suecorum, & Ottoboniano; prout Evangelium deest hac die in Capitularibus Evangeliorum per ea tempora exaratis. In Sacramentariis vero sæculo IX. & X. conscriptis leguntur hac die orationes Missæ in *natali omnium Sanctorum*, atque alia Missa statuitur ea die *in natali sancti Cæsarii*. Habentur enim in Sacramentario Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, Palat. Vatic. 495. Missali plenario Vat. 4770., & aliis. Prima oratio in Palat. Vatic. 495. est: *Omnipotens, sempiterne Deus, qui nos omnium*. Secreta: *Munera tibi, Domine*. Præfatio: *Clementiam tuam*. Ad com: *Da quæsumus, Domine*. Alia: *Omnes Sancti*. In Missali vero plenario Vat. 4770. variarum orationum commixtio est. Introitus exorditur: *Gaudeamus* &c. Oratio: *Omnipotens, sempiterne Deus*. Alia: *Deus, qui nos beatæ Mariæ semper virginis*. Alia: *Adesto*. Alia: *Omnipotens* &c. *qui nobis sancti Emigdii martyris tui*. Alia: *Deus, qui nos beati Cæsarii, solemnitate lætificas*. Alia: *Deus, qui nos martyrum tuorum Cæsarii, & Severi annua solemnitate lætificas*. Ibi habetur etiam Præfatio propria. Cur vero in libris Sacramentorum sæculi VIII. de festivitate omnium Sanctorum hac die sileatur, caussam ignoro, & suspicor ex instituto Romanæ Ecclesiæ ante *Gregorium* IV., de hujusmodi celebritate agi consuevisse die XIII. *Maji*, qua dedicatio basilicæ S. Mariæ ad martyres agebatur. Vide interim, quæ ad eam diem diximus. In di-

vinis

viuis officiis lectiones quædam de hujus celebritatis institutione antiquitus recitari consueverant. Harum initium in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 24. & in codicibus Canonicorum Forojuliensium est hujusmodi: *Legimus in Ecclesiasticis historiis, quod sanctus Bonifacius, qui quartus a beato Gregorio Romanæ urbis Episcopatum tenebat, suis precibus a Foca Cæsare impetraverit donari Ecclesiæ Christi templum Romanum, quod ab antiquis temporibus Pantheon vocabatur* &c. usque, *gaudere mereamur*. Citat hunc Sermonem Baronius in Notationibus hac die ex veteri codice Ecclesiæ S. Mariæ ad martyres in Urbe, qui Sermo in eodem codice *Maximo Tarentino Episcopo* adscribitur, in aliis vero codicibus *Maximo Taurinensi*. Plura ibi Baronius de variis, & apocryphis in hanc celebritatem Sermonibus. De *Panthei* dedicatione idem Baronius ex libro Pontificali in Bonifacio IV. ad an. 607. n. I. De illius dedicatione Pagius ibidem n. III. ut alios omittamus. Græcorum in omnes Sanctos encomia vide apud Combefisium Bibliothecæ Concionatoriæ tom. VIII. pag. 312. & seq.

Benigni. *Benignus* presbyter apud *Divionem* colitur hac die a Hieronymianis, Beda, Gellonensi, Rabano, Adone, Usuardo, Hagiologio Francogallico, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Augustano, Labbeano, & aliis. Circumferuntur illius pervulgata Acta apud Mombritium, & Surium, de quibus vide judicium Henschenii die I. Maji pag. 35. Vide etiam Ruinartium ad Acta martyrum p.68.69. & 504. Bollandus ad diem XXI. Januarii passum existimat sub *Aureliano*: quod etiam habet Martyrologium Fuldense. Alii vero c. A.D. 180. De *Benigno* Gregorius Turonensis libr. X. cap. XXXI. & de gloria mart. cap. LI. & Missale Gothicum n. LXIII. Baronius sub *Marco Aurelio* potius martyrio coronatum censet, quum Polycarpi discipulus *Benignus* ad Aureliani tempora pervenire non potuerit.

Cæsarii. *Cæsarius* diaconus & martyr solemni cultu in fastis omnibus Latinorum hac die celebratur. Agunt de eo simul cum alia martyrum turba, in qua etiam *Julianus*, apographa Hieronymiana. De *Cæsario* Gellonense. De *Cæsario* & *Juliano* Romanum parvum. Plura de utrisque ex Actis Rabanus & Ado., contractius apud Usuardum. Agunt demum de his Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, & Richenoviense. *Cæsarii*, seu *Cæsariæ*, mendose, Augustanum & Labbeanum meminere, prout Kalendarium Palatin. Vatic. 485. & Vatic. 3806. Singulari cultu hac die antiquitus Romæ Missarum solemnia *in natali S. Cæsarii* peragebantur, ut ex vetustioribus Gregorianis Sacramentariis, nimirum ex Sacramentario Reginæ Suecorum, Ottoboniano, Pamelii, & aliis constat. In Sacramentario Reginæ Suecorum, & in aliis Gregorianis, ut admonet Thomasius ad Capitularia Evangeliorum p. 204., quæ circiter Caroli M. ævum circumferebantur, prætermissa hac die celebritate omnium Sanctorum, *Collecta* statuitur ad *SS. Cosmam & Damianum*, ubi dicebatur oratio: *Adesto nobis*. Alia ad Missam: *Deus, qui nos beati Cæsarii* &c. Secreta: *Hostias*. Ad Com. *Quæsumus, omnipotens Deus*. Hæ orationes leguntur etiam in Sacramentariis Pamelii, Menardi, Angeli Rocchæ, & Palat. Vat. 495. In Capitularibus omnibus Evangeliorum tom. II. de Liturgia Rom. Pont. pag. 281. Evangelium habetur in *natali S. Cæsarii*. At quid, quæso, in libris Liturgicis *collecta* ad *SS. Cosmam & Damianum?* Quia solemnis ea die Litania fiebat ab eadem Diaconia ad Ecclesiam *S. Cæsarii*, & *Kalendis Novembribus* solemne jejunium, & universale institutum erat, de quo S. Isidorus lib. I. cap. XXXIX. de Ecclesiasticis officiis, & libellus de officiis apud Bedam operum t. VII. pag. 647. de jejunio *Kalendarum Novembrium*. Vide etiam de Litaniis, bis singulis mensibus faciendis, in libro Diurno cap. II. tit. VII. Vetustissima adhuc superest *Romæ* via Appia, Diaconia *S. Cæsarii*, de qua Baronius in Notationibus hac die, prout de Actis, quæ mendosa in aliquibus sunt, Vide de his Tillemontium tom. II. pag. 574. De iisdem Actis nonnulla disquirit etiam Menardus in notis ad Sacramentarium pag. 184.

Severini. *Severinus* monachus apud *Tiburtinam* civitatem colitur hac die a Beda, Gellonensi, Romano parvo, Adone nostro, Usuardo, Hagiologio Francogallico, Martyrologio Ottoboniano, & Labbeano. Illius corpus in principe Ecclesia S. Laurentii, Tibure colitur. Incertum est, quo tempore vixerit.

Mariæ mart. *Maria* virgo & martyr memoratur a Hieronymianis, ut etiam assentitur Florentinius, a Gellonensi, Adone nostro, Usuardo Sollerii, & ab Usuardo Pratensi ad diem XXI. *Novembris*, & Augustano. Labbeanum habet: *Marneja martyris*. Puto legendum: *Mariæ martyris*. De varia Usuardi lectione adeundi Sollerius, & Bovvillartius ad diem I. & XXI. *Novembris*. Ab Usuardo Pratensi *Neocorensi* urbi adscribitur hæc ancilla virgo, & sub *Adriano*, & *Antonino* passa dicitur. Acta mutila habentur apud Mombritium, nitidiora & integra apud Baluzium Miscellan. tom. II. pag. 115. cum notis, ibidem pag. 491. Cæterum apud veteres nulla *Neocori* nomine urbs occurrit, nisi *Nescoria* villa in Bœotia, & *Neoris* urbs in Iberia.

Marcelli. *Marcellus* Episcopus *Parisiensis* hac die colitur ab apographis nostris, colitur etiam ab Usuardo, a quo primum in Ecclesiasticas tabulas hac die *Marcellum* relatum putavit Sollerius. Agunt præterea Martyrologium Fuldense, Hagiologium Francogallicum, & Richenoviense. *Marcellinus* vocatur in Martyrologio Romano. Ejus gesta a Baronio in Notationibus hac die, & a plerisque recentiorum

rum literis tradita fuisse a Fortunato Episcopo Pictavensi dicuntur, sed aliter existimat Claudius Castellanus apud Gerardum Dubois in Historia Ecclesiæ Parisiensis lib. I. cap. VIII. pag. 146. qui *Fortunatum* vitæ S. Marcelli auctorem, alium esse a *Fortunato* Pictavensi censet. Quo tempore *Marcellus* Parisiensi Ecclesiæ præfuerit, incompertum est ipsimet Gerardo Dubois memorato loco. Vixisse putat, imperante *Theodosio* seniore Augusto, ac *S. Martino* Turonensi æqualem fuisse. *Vivianus* in *Marcelli* locum suffectus dicitur. De *Marcelli* translatione egimus supra ad diem XXVI. *Julii*.

Vigoris. *Vigor* Episcopus *Bajocensis*, de quo item apographa nostra, colitur hac die a Gellonensi, Hagiologio Francogallico, Augustano, & Labbeano. Ab Usuardo tantum memorari scribit Sollerius, quapropter pure Usuardinum esse. At antiquiora Hagiologia, ut Gellonense, de eo agunt. Fuit Episcopus *Bajocensis*, quæ civitas in Notitiis veteribus Galliarum dicitur civitas *Bajocassium*, & *civitas Bajocas*, gens universa *Bajocassi*. Vide Valesium in Notitia pag. 74. Ejus gesta paucis complectitur Cointius in Annalibus ad an. 530. n. XV. XVI. & habentur apud Surium hac die. De tribus monasteriis ab eo conditis, Mabillonius Annal. Bened. lib. V. §. II. ad an. 556.

Sequitur extremo loco in nostris apographis *Martinus*, ab Usuardo genuino hac die *Maturinus* appellatus. Hunc etiam pure Usuardinum esse judicat Sollerius. Acta edidit Mombritius. Ex Actis aliis penes Bollandianos, suo tempore edendis, uberiora percipiemus. Vixisse fertur, ut habet Baronius, temporibus Maximiani Imperatoris. *Wastinensis*, seu *Guastinensis pagus*, de quo Valesius in Notitia pag. 630. unus ex his pagis est, quibus Franci postquam in Galliis sedes occuparunt, lingua patria Germanicum nomen indiderunt, & vulgo nunc dicitur *le Gastinois*. A Germanis, seu Francis silvæ, terræque silvestres & desertæ, *Wastinæ* vocabantur. *Liricanti* nomen esse loco, in quo colitur *Maturinus*, nos docet Castellanus in Martyrologio universali. *Martini, seu Maturini.*

E. IV. NONAS NOVEMBRIS. 2. *Novem.*

Hieron. de script. Eccl. cap. 74. NATALIS sancti Victorini Pitabionensis Episcopi, qui persecutione Diocletiani martyrio coronatus est. *Victorini.*

Eufeb. l. 7. c. 29. Ruff. Apud Laodiciam, natale beati Theodoti episcopi, viri non solum verbis, sed etiam rebus, & virtutibus ornati. Hic arte Medicus quidem fuit, sed ad animarum a Domino translatus est medicinam. Vere incomparabilis, qui super omnes pæne homines fide, misericordia, studio, vigilantia, atque omnibus optimis institutionibus claruit. In scripturis quoque divinis laborem quamplurimum gessit. Quievit autem in senectute bona. *Theodoti.*

Eodem die, natale S. Ambrosii Abbatis monasterii Agaunensis, qui prius apud Lugdunum monasterii Insulæ barbaræ Pater, & magnis virtutibus clarus, cum illuc ob religionis egregiæ normam translatus fuisset, beato fine in Domino requievit. *Ambrosii Ab.*

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. hac de ita incipiunt:
„ Romæ, passio sancti Eustachii martyris, qui antea Placidus vocatus est, cum „ uxore, & duobus filiis Agapio, & Theospite, quorum miri actus leguntur. Eo„ dem die, natalis S. Victorini Pitabionensis &c. ut in editis, usque *quievit* ad extremum: deinde in codice 511. manu recentiore: *Ipso die, commemoratio omnium fidelium defunctorum, & aliorum sanctorum.* *Eustachii & soc.* *Commemorat. Defunct.*

Victorini. ADNOTATIO. *Victorinus* Episcopus *Pitabonienſis*, & martyr ab Adone primum in tabulas Eccleſiaſticas relatus videtur, a quo accepit Uſuardus. Agit etiam Wandelbertus, Apud alios ſiletur. Paſſus eſt c. A. D. 303. Litteris & doctrina claruit, quare de eo Hieronymus de Scriptoribus Eccleſiaſticis cap. LXXI. & alibi, ut Baronius, & alii monuerunt. Multa vero commenticia ei adſcribuntur. Quapropter poſt Baronium in Notationibus hac die, Miræum in memoratum Hieronymi locum, lege Labbeum in Diſſertatione Hiſtorica in ſupplemento ad Bellarminum de Scriptoribus Eccleſiaſticis, Launojum in Diſſertatione de Victorino Epiſcopo & martyre, Tillemontium tom. V. pag. 311. & ſeq. & Ceillerium tom. III. pag. 345. & ſeq. ut alios omittam. *Petavio*, *Petovium*, *Petobia*, ſeu *Pætavium*, aut *Pætabium* a Ptolemæo lib. II. cap. XV. in *Pannonia*, & ab Ammiano lib. XVIII. cap. XXXVII. in *Norica* collocatur, nunc in Ducatu Styriæ, vulgo *Pettavv* dicitur.

Theodoti. *Theodotus* Epiſcopus *Laodicenus* memorat hac die a Romano parvo, deinde ab Adone, Uſuardo, & Martyrologio Fuldenſi. Ab aliis præteritur. Elogium ſumptum eſſe ex Euſebio Rufini lib. VII. cap. XXIX. monet ad oram hujus diei Roſvveidus. In auctorem Romani parvi, quod *Theodotum* ſuo Martyrologio adſcripſerit, invehitur Valeſius; nam *Theodotus* inter prævaricatores Arianos adnumeratur, ut eſt apud Baronium ad annum 325. num. XL. & apud Tillemontium tom. VI. pag. 740. Romani parvi patrocinium ſuſcepit Sollerius in Præfatione ad Uſuardi Martyrologium Par. II. art. I. ubi num. 86. & 87. ad *Theodotum* quod attinet, id ab auctore Romani parvi, & aliis bona fide ex Rufino acceptum cenſet. In Obſervatione vero ad Uſuardum hac die litteras Petri Poſſini profert, in quibus de lite inter viros doctos Romæ an. 1677. ſuborta de *Theodoto Laodiceno* ſignificat, ſuſpicantibus nonnullis, eum immerito in Martyrologium Romanum irrepſiſſe: quare Sollerius fatetur, ſe multum inſudaſſe, ut tenuia quædam reſipiſcentiæ ejus veſtigia erueret, ſed fruſtra hactenus; ideirco, quod de *Euſebio Cæſarienſi* factum fuit, ut a Romano Martyrologio ſit expunctus, fortaſſe de *Theodoto* ſuo tempore fiet.

Ambroſii. *Ambroſius* Abbas Agaunenſis ab Adone, & Uſuardo tantum, hac die colitur. *Ambroſius Inſula-Barbaræ* monaſterio prope Lugdunum Abbas c. A. D. 510. præfuit, Eucherio Epiſcopo Lugdunenſi. *Agaunenſem* Abbatem extitiſſe Ambroſium negat Cointius, ſed auctoritate Adoniani Martyrologii eum refellit Mabillonius Annal. Bened. lib. I. §. LXXV. Incertum eſt, quo anno obierit.

Euſtachii & ſoc. Vetuſtiſſimus eſt quidem *Euſtachii*, ſeu ut alii, *Euſtathii*, & ſociorum in Eccleſia catholica cultus, ſed non una eademque die in Latinorum tabulis de iis agitur. Alia enim Hagiologia die XIX. *Septembris*, alia die XX. & XXI. ejuſdem, alia die I. *Novembris*, alia die II. agunt. Silet Beda genuinus, at illius apographum Palat. Vat. 833. die XIX. *Septembris* habet: *Et natale ſancti Euſtochii*. Ita præfert ea die Martyrologium Ottobonianum. Ea quoque die Wandelbertus. Apographum Hieronymianum Corbejenſe, item Corbejenſe brevius, & Kalendarium Vat. 3806. agunt die I. *Novembris* de *Euſtachio* martyre cum uxore & filiis. Apographa noſtra Adoniana, Uſuardus, Martyrologium Fuldenſe, & Richenovienſe agunt hac die II. *Novembris*. Sed Uſuardi elogium de his proferendum eſt: *Romæ, temporibus Adriani Imperatoris, paſſio beatorum Euſtachii, cognomento Placidi, & uxoris ejus Theoſpis, cum filiis Agapio & Theoſpito, quorum miri actus leguntur. Horum feſtivitas, cum in Kalendis habeatur, hic tamen plenius recolitur.* Hæc ideo protulimus, quia Sollerius, recte factum putat, quod Roſvveidus in Appendicem Adonianam conjecerit *Euſtachium*, quum Adonis elogium cum Uſuardinis non ſatis conſonet. Videat lector, num ſatis cum apographis noſtris conſonet. In Libris Liturgicis S. R. E., nimirum in Capitularibus Evangeliorum, Frontonis, Allatii, & aliis tom. III. de Liturgia Romani Pontificis pag. 280. & in Capitulari Reginæ Suecorum ad diem XX. *Septembris* Evangelium: *Sint lumbi veſtri præcincti*, quod in natali martyrum recitari non ſolet, legendum in *natali ſancti Euſtocii*, ſeu *Euſtochii* ſtatuitur. Deſideratur quidem Miſſa in Sacramentariis Gregorianis vetuſtioribus, ſed forte petebatur ex communi martyrum. Græci quoque in Menologiis agunt die XX. *Septembris*. Exſtat in Urbe vetuſtiſſima ſancti Euſtachii Diaconia, de qua liber Pontificalis in *Leone* III. & *Gregorio* IV. Vulgatiſſima ſunt *Euſtachii* Acta Græca, Metaphraſte auctore, Latine apud Lipomanum, & Surium die XX. *Septembris*. Aliorum Actorum elenchus, & encomia citantur a Fabricio Bibliothecæ Græcæ tom. IX. pag. 77. De horum Actorum dubia fide conſulendi Baronius ad an. 120. numero VI. & Tillemontius tom. II. pag. 226. & 585. Acta Latina in altero ex codicibus Canonicorum Forojulienſium ita incipiunt: *In diebus Trajani Imperatoris idolorum ſævitia fervebat; & erat quidam magiſter militum nomine Placidus, natus ſecundum carnem glorioſiſſimus, & dives valde &c.* uſque, *deinde de ſupervenieute nocte de hoc loco a chriſtianis ſublati ſunt, & in uno loco ſepulti ſunt; ubi pacis tempore, quieſcente perſecutione, baſilica fabricata eſt: quod ſacra devotione, menſe Majo die XX. celebramus, ut de ipſorum interceſſionibus, & in hoc mundo, & in perpetuo gaudeamus. Per Dominum noſtrum &c.* Igitur aliquando horum celebritas Romæ, ob aliquam eorum elevationem, ſeu dedicationem

nem Ecclesiæ die xx. *Maji* agebatur. In tabula marmorea io eadem *S. Eustachii* Diaconia, qua dedicatio ejusdem Ecclesiæ per *Cælestinum* Papam III. peracta A. D. 1196. adootatur, dies dedicationis fuisse dicitur in Dominica, qua cantatur *Modicum*, quod est *Dominica* III. post *Pascha*. Anoo autem 1196. Pascha fuit die xxi. *Aprilis*, & Dominica III. post Pascha ioeidit in diem xii. *Maji*. Celebritas annua dedicationis forte in diem xx. *Maji* translata est. Petrus vero de Natalibus lib. v. cap. xxii. ex pervulgatis Actis de *SS. Eustachio* & sociis, ad calcem habet, eos passos esse xiii. *Kal. Junii*, hoc est die xx. *Maji*. Ad vulgata Acta demum quod pertinet, in codice Reginæ Suecorum 528. pag. 139. ita initio habetur: *Incipit passio sancti Eustachii, quæ celebratur* III. *Nonas Novembris. In diebus Trajani Imperatoris &c.* usque, *promissa sunt sanctis. Per gratiam Domini &c.*

De *commemoratione omnium fidelium defunctorum* manu recenti uni ex nostris apographis addita, vide Baronium in Notationibus hac die, & post alios recentiores novissimam Gavanti editionem, curia Cajetani Mariæ Merati procusam, & Mabillonium sæculo vi. Benedictino P. I. pag. 665. 666. 701. *Commem. Fidel. Defunct.*

F. III. NONAS NOVEMBRIS. *3. Nov.*

NATALIS S. Quarti, discipuli Apostolorum. *Quarti.*

Apud Cæsaream Cappadociæ, natalis SS. Germani, Theophili, Cæsarii, & Vitalis: qui optime duxerunt martyrium, sub Deciana persecutione. *Germani, & soc.*

Eodem die, depositio S. Huberti Episcopi. *Huberti.*

VARIA LECTIO. Post verba: *Deciana persecutione*, sequitur in codicibus 511. 512. 514. *In pago Vilcasino, sancti Clari presbyteri & martyris.* *Clari.* Deinde in codice 511. tantum. *In Britannia, natalis sancti Wenalis abbatis & confessoris.* *Wenalis.* Demum in eodem codice 511. manu recentiori: *Cæsaraugustæ, sanctorum innumerabilium, qui sub Daciano Hispaniarum principe mirabiliter occubuerunt pro Christo. Ipso die, sancti Juvenalis confessoris. Ipso die, apud Viennam, sancti Teonini Episcopi & confessoris. Ipso die, sancti Huberti Episcopi & confessoris.* *Cæsaraug. mart. Juvenalis. Teonini. Huberti.*

Deest a puro textu in codicibus 511. 512. & 514. hac die *S. Hubertus* Episcopus & confessor.

Quarti. ADNOTATIO. *Quartus* in Ecclesiasticas tabulas cooptatus est primum ab auctore Romani parvi, ex quo, ut censet Sollerius, Ado noster, deinde Usuardus. Meminit Martyrologium Fuldense, cujus auctor, ut plurimum, ex Adone & Usuardo sumere solet. Apud alios siletur. De *Quarto* Paulus ad Rom. cap. xvi. 23. Apocrypha sunt, quæ ex Dorothei Synopsi, & ex Hippolyto citantur a Baronio in Notationibus hac die. Græci agunt die x. *Novembris*.

Germani, & soc. *Germanus*, & socii in Cappadocia martyres celebrantur hac die a Hieronymianis, *Egrilio* addito. Item a Gellonensi, Romano parvo, Rabano, Adone nostro, Usuardo, Martyrologio Ottoboniano, Richenoviensi, Augustano, & Labbeano. Corrupta sunt in Hieronymianis, & alia nomina; & turbatus est martyrii locus, cum in quibusdam legitur in *Africa*, pro *Cæsarea*. Wandelbertus ita cecinit:

Ternis Germanus, Vitalis, Cæsariusque,
Theophilusque pari collucent lumine festi.

Propius Hieronymianis accedit Martyrologium Ottobonianum, in quo habetur: *In Cæsarea Cappadociæ, natalis sanctorum Germani, Theophili, Cæsarii, Egrilii, & Vitalis.* Passi sunt Deciana persecutione. Baronius in Notationibus hac die monet, Petrum de Natalibus ex priscis tabulis eorum Acta describere, sed Sollerius animadvertit, eundem Petrum ex Usuardo tantum sumpsisse, qui ab eodem Petro Hieronymiani Martyrologii nomine appellatur.

Clarus presbyter & martyr a nostris apographis hac die recensetur, die vero crastina a genuino Usuardo. Ubi Sollerius, ab uno tantum Usuardo *Clarum* Vilcasinum celebrari *Clari.*

scri-

scribit. De *Claro* Episcopo *Lactoræ* in Gallia, Bolland. tom. I. Junii pag. 7. Passus esse dicitur c. A. D. 275. *Vilcasinus*, *Vircusinus*, & *Veliocassinus pagus*, vulgo *le Pays-Vexin*, olim ab *Isara* flumine ad *Indellam* pertingebat. Hujus regionis populi *Veliocusses*, postea *Veliocussini* dicti sunt, & cæso corruptoque nomine *Vilcassini*. Horum urbs caput fuit *Rotomagum*. Vide Valesium in Notitia pag. 588.

Wenalis, seu *Guinailii*, & *Vinaili*. *Wenalis*, seu *Guinailus* Abbas, de quo in uno ex apographis nostris, memoratur tantummodo in Usuardi Auctariis hac die. Inter recentiores agit Saussayus in Martyrologio Gallicano, & Castellanus in Martyrologio universali hac die, qui vixisse scribit c. An. D. 569. Saussayus, *Guinaili* Abbatis corpus ex minori Britannia, metu Normannorum in opidum *Corbolii* c. A. D. 863. delatum fuisse narrat, ibique ab *Haimone* Comite *Corboliensi* Ecclesiam in illius honorem fuisse ædificatam. De alia illius una cum *S. Maglorio* per *Salvatorem* Alethinæ Ecclesiæ Episcopum c. A. D. 965. translatione *Parisios*, Gerardus Dubois Historiæ Ecclesiæ Parisiensis lib. IX. cap. III. pag. 550. & Mabillonius Annal. Bened. lib. XLVIII. §. LXXXV. ad an. 979. & in Appendice monumentorum, ibidem num. LXIII. prout in fragmento Historiæ Francorum apud Duchesnium tom. III. pag. 334. In his monumentis *Wenulis*, & *Wenialis* sacerdos dicitur. Donec autem uberiora monumenta detegantur, suspicor, a genuino Adone *Wenalium*, seu *Guinuilum* segregandum esse.

Cæsaraug. mart. Inter Auctaria vero a nostro apographo amandantur *Cæsaraugustani mart.*, quia de iis Adoniani codices egerunt die XVI. *Apr.*; quare vide quæ ibi adnotavimus, & ad diem XV. *Aprilis*, ubi agit vulgatus Ado. Hac die vero III. *Novembris* de *innumerabilibus Cæsaraugustanis* martyribus agit tantum Usuardus genuinus. An vero a *decem & octo Cæsaraugustanis* sint distinguendi, consule Ruinartium pag. 518. in hymnum Prudentii. Vide iterum quæ habet Tillemontius tom. V. pag. 230.

Juvenalis *Juvenalis* confessor memoratur hac die in uno ex Auctariis Usuardinis, ubi Sollerius putat, indicari potius *Guinailum* Abbatem: nam si de Narniensi cogitemus, ad III. diem *Maji* spectat.

Teonini, seu *Domnini*. *Teoninus* apud *Viennam* Episcopus, in nostris Auctariis designatus, forte est *Domninus Viennensis Antistes*, de quo die crastina Hieronymiana, Gellonense, Richenoviense, Augustanum, Labbeanum, & Kalendarium Vatic. 3806. At confuse in his deprehenditur civitas, in qua colitur; nam in Hieronymianis, & Richenoviensi est *Nicea*, in Gellonensi, Augustano, & Labbeano, *Cæsarea Cappadociæ*. Incertum est etiam, quo tempore floruerit. *Dominus* in Chronico Adonis ad an. 527. occurrit, & *Domnus Viennensis* Antistes hac die in Martyrologio Romano celebratur, quem *Dominum* ab Adone in Chronico vocari, scribit Baronius in Notationibus. *Domninus* vocatur a Castellano in versione Martyrologii Romani. Auctaria Usuardi hac die III. *Novembr.* de *Domnino* Episcopo agunt.

Huberti. Abest a codicibus nostris in genuino textu *Hubertus* Episcopus, quia de eo egerunt die XXX. *Maji*, quare vide quæ ad eam diem adnotavimus, & quæ in varia lectione ad hanc diem III. *Novembris* habet Sollerius in Usuardum. Agit hac die Kalendarium Vat. 3806.

---

4. *Nov.* *G. PRIDIE NONAS NOVEMBRIS.*

Hierii. APUD Alexandriam, B. * Hierii presbyteri, viri acris ingenii, in divinis Scripturis nobiliter eruditi, vita purissimi, atque ad Christianam philosophiam nudi penitus & expediti, doctoris Ecclesiæ incomparabilis, privatim & publice mirabiliter disputantis. Hic quievit tempore Philippi Imperatoris.

* *al.* Pierii Euseb. l. 7. c. 29. Ruff. Hieron. de script. Eccl. c. 76.

Amantii. In Galliis, civitate Rotenus, natalis S. Amantii Episcopi, cujus vita sanctitate & miraculis extitit gloriosa.

VARIA LECTIO. Ed. *B. Hierii*. Cod. 511. 512. 514. *beati Herii*. Ed. *civitate Rotenus, natalis* &c. Cod. 511. *civitate Rothenus, sancti Amantii* &c. Cod. 512. 514. *civitate Rotenus*. Deinde post verbum *gloriosa* in codice 511.

ad

ad oram manu recentiori hac die adnotatur: *In pago Viltano sancti Cherii martyris. In Galliis, civitate Roteaus, sancti Amaudi Episcopi & confessoris, vita & miraculis clarissimi. Augustoduni, sancti Procli Episcopi & confessoris.* *Cherii: Amantii. Procli, seu Proculi.*

Hierii, seu Pierii. ADNOTATIO. *Hierius* (ut habent fere omnia, quæ allatari summa, Martyrologia, & libri excusi Historiæ Eusebienæ Rufini, tamen *Pierius* re vera, ut censent viri docti, & eliqua Vaticana exemplaria Rufini, in nova editione Romane en. 1740. in notis ad lib. VII. cep. XXIX. *Pierium* præferunt) recosetur primum, ut statuit Sollerius, ab auctore Romani parvi, deinde eb Adone, & Usuardo celebri elogio, quos pene ad verbum imitatur Martyrologium Fuldense. Carpit auctorem Romeni parvi Velesius, quod *Pierium* in suum Martyrologium intulerit, sed eum purget Sollerius. Ob summam doctrinam, ec voluntariam pauperiatem a Hieronymo celebratur in catalogo de Scriptoribus cap. LXXVI., in epistola ed Pammachium, & ad Magnum. De eo Photius in Bibliotheca codice CXVIII. & CXIX. Sed de illius scriptis nihil superest. Photius memorato codice CXVIII. *Pierium* presbyterum, & scholæ Alexandrinæ præfectum una cum *Isidoro* fretre martyrio coronatum tradit, eique templa dedicete, inter quæ, *Alexandriæ* unum, ut habet Epiphanius hæresi LXIX., sed de martyrio nihil in Martyrologiis, & nihil epud Hieronymum. Vide Baronium ed an. 285. num. XVI. *& seq.* Apud Adonem & Usuardum *Philippi Imperatoris tempore* quievisse narratur: Hieronymus vero in catelogo: *Cari & Diocletiani temporibus*, Romæ versatum post persecutionem fuisse nerret. Hieronymum sequitur Martyrologium Romanum. Verum de his & eliis consule Tillemontium tom. IV. pag. 582. 583. & Sollerium in Patrierchie Alexandrinis n. 191. Vide etiam adnotata a Fabricio in Photii Bibliothecam, tom. IX. pag. 412. Bibliothecæ Græcæ, & tom V. pag. 177. si quid tamen cespitet, eum abjice; nam de martyrio cum Photio convenire videtur.

Amantii. *Amantius*, aliis *Amandus*, Episcopus *Rutenensis*, in tabulis fere omnibus Latinorum hac die celebratur, nimirum a Hieronymianis, licet inter Auctaria, ite jubente Florentinio, e Gellonensi, Rabano, Adone, Usuerdo, Wandelberto, Martyrologio Ottobonlano, Richenoviensi, Labbeeno, Corbejensi breviori, & Kalendario Vat. 3806. In apographo Bedæ Palat. Vetic. 833. hac die, quenquam aliene menû, minus antiqua legitur: *In Capua, S. Germani Episcopi, & sancti Domnini. Radomag. Amandi Episcopi*, quæ sanctorum nomine habentur in memorato Kalendario Vet. 3806. hac die. Obiit c. A. D. 487. *Rutenus*, & *Rothenus* in medii ævi monumentis, indeclinabiliter, ut ita dicam, scribitur (prout etiam *Parisius*) vulgo *Rodes* dicitur, & est Aquitaniæ urbs, de qua, ejusque varie inflexione Velesius in Notitia p. 491. De *S. Amantii* Episcopi translatione Gregorius Turonensis in vitis Patrum cap. IV. Breviculum Actorum habetur epud Suriom, alia vero Acta apud Labbeum Bibliothecæ novæ MSS. tom. II. peg. 474. Alia nobis promittit Sollerius, a Bollandianis edenda.

Cherius est idem ac *Clarus*, de quo vide, quæ pridie hujus adnotevimus. *Cherii, seu Clari.*

Inter Auctarie colitur a nostris apographia *Proculus* Augustodunensis Episcopus, de quo hac dia meminere Hieronymiana, seu eorum Auctaria, Gellonense, Rabanus, Usuardus, Martyrologium Ottobonianum, Richenoviense, & Lebbeanum. Sollerius nollet e Rosvveido in Adonianam appendicem fuisse *Proculum* rejectum, sed apographa nostra Rolvveido suffragantur, licet id mirum mihi videatur. Martyrologium Romanum titulo *martyris* exornet *Proculum*, quum in his quæ citevimus Hagiographia *Episcopus confessor* tantum dicatur. Delendum esse *martyris* titulum monet ed hunc locum Castellenus; prout monent Galliæ Christianæ nuperrimi editores in Augustodunensibus n. XII. ubi unum tantum *Proculum* agnoscunt, & quidem incerti temporis, neque, ut vulgatæ tabulæ illius Ecclesiæ præferunt, *Pragmatii* successorem. Falsum præterea esse docent hunc Proculum, illum esse, de quo S. Hieronymus ed Rusticum. *Proculi.*

A. NONIS NOVEMBRIS. *5. Novem.*

ZACHARIÆ Prophetæ, patris Joannis Baptistæ. *Zachariæ.*

In Tarracina civitate Campaniæ, natalis SS. Felicis presbyteri, & Eusebii monachi, temporibus Claudii Imperatoris. *Felicis & Eusebii.* Qui videlicet Eusebius, cum sepelisset sanctos martyres Julianum,

De his in vita S. Cæsarii 2. Novemb.

num, & Cæsarium, & ad sepulchra eorum orans, & jejunans multos converteret ad fidem, quos Felix presbyter baptizabat, tenti sunt ambo a Leontio filio Leontii consularis, ob eam maxime causam, quia Cæsarius patrem ejus Christianum fecisset: & ad forum ejus ducti, nec superati, inde carcere reclusi, & nocte eadem, cum sacrificare nollent, decollati sunt, atque in fluvium jactati. Quorum corpora venerunt usque ad mare, & rejecta sunt ad litus, atque a presbytero quodam de Capua, nomine Quarto, inventa. Qui ea mox imposita vehiculo, duxit in casam suam, & curiose quærens, etiam capita invenit: adiunctaque corporibus, sepelivit juxta S. Cæsarium.

Luxi: *Antonini & soc.* VARIA LECTIO. Post extremum verbum *S. Cæsarium*, sequitur in cod. 511. manu recentiori: *In territorio Aurelianensi, sancti Luxi presbyteri. Cæsarea Cappadociæ, sanctorum martyrum Antonini, Cypriani, Anthoniani, & aliorum.*

Zachariæ. ADNOTATIO. *Zacharias* propheta in fastos Ecclesiasticos cooptatus est primum, ut monet Sollerius, ab auctore Romani parvi, ex quo Ado, & Usuardus, aliis Martyrologiis silentibus, præter Wandelbertum. Græci agunt die v. *Septembris*. De eo pluribus Baronius in Notationibus hac die, & Tillemontius tom. I. pag. 482. *& seq.* Exstant Acta Græca, auctore Cosma Vestitore. Alia anonymi citantur a Lambecio tom. VIII. pag. 236.

Felicis & Eusebii. *Felix & Eusebius* coluntur hac die a Beda, Rabano, Romano parvo, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, & Kalendario Vatic. 3806. Ad hos pertinent, quæ in Actis S. Cæsarii dicuntur. Sollerius in Usuardum hac die in ea opinione esse videtur, ut hæc Acta adversus Tillemontii notam tom. II. pag. 574. propugnari possint.

Luxus presbyter, de quo in nostris Auctariis, forte est *Lætus*; nam genuinus Usuardus hac die ita habet extremo loco: *In territorio Aurelianensi, sancti Læti presbyteri.* Vulgo vocatur *S. Liè*. Floruit c. A. D. 534. De ejus Actis vide Sollerium hac die. *Luxi, seu Læti.*

Antoninus, & alii in Cappadocia martyres memorantur a Gellonensi, Richenoviensi, & Labbeano, turmatim, & nonnullis prætermissis, qui in nostro Auctario leguntur. Memorantur etiam in aliquibus Auctariis Usuardi. Alia sunt nomina horum martyrum in Martyrologio Romano, in quibus aliqua emendat Castellanus. Passi dicuntur A.D. 310. *Antonini & soc.*

---

6. Novem. B. VIII. IDUS NOVEMBRIS.

Felicis. TONIZA Africæ, natalis sancti Felicis. In hujus solemnitate quemdam psalmum beatum Augustinus videtur exponere ad populum, ubi inter cetera, de ejus passione loquitur, dicens: *Felix martyr, vere felix & nomine & corona, cujus hodie dies est. Noveritis autem fratres, non eum passum morte, quam alii martyres passi sunt: confessus enim, dilatus est ad tormenta: alio die inventum est corpus exanime. Clauserant enim illi carcerem corpori, non spiritui: quem illic parabant torquere carnifi-* *Psal. 127.*

ces,

ces, absentem invenerunt. Perdiderunt sævitiam suam: jacebat exanimis, sine sensu illis, ne torqueretur: cum sensu apud Dominum, ut coronaretur.

In Oriente, civitate Theopoli, SS. decem martyrum, qui sub Saracenis passi leguntur in gestis sanctorum quadraginta. *Martyr. decem.*

V*ARIA LECTIO.* Post extremum verbum *sanctorum quadraginta*, sequitur in codice 511. manu recentiori: *Eodem die, natalis sancti Leonardi confessoris in pago Leonicensi. Item in Frigia* (sic) *sancti Autici*. In codice vero 512. post verbum *coronaretur*, ita legitur: *Item, natalis sancti Leonardi confessoris, magnæ, & admirandæ virtutis viri. In Oriente, civitate Theopoli &c.* ut in editis. *Leonardi. Autici. Leonardi.*

Felicis. A*DNOTATIO. Felix* Episcopus *Tonizæ* in *Africa* colitur hac die a Hieronymiano, Romano parvo, Adone, Usuardo, Wandelberto, & Martyrologio Fuldensi. In Richenoviensi una cum aliorum turba Africanorum *Felix* occurrit. De *Toniza*, quæ apud Latinos olim *Tunis*, & *Tunejum* appellata, vulgo *Tunesi*, scite Baronius in Notationibus hac die. De ea mentio apud Polybium lib.I. c. XXX. Strabonem lib. XVII. In collatione Carthaginensi nu. CXXVIII. memoratur *Lucinnus Episcopus plebis Tunejensis*. Aberat a *Carthagine* viginti sex stadiis. Sollerius monet non esse omnino exploratum, utrum S. Augustini verba de *Felice*, huic *Felici* conveniant, an altari *Felici*, quum varii hujus nominis Felices sint. Cæterum, quousque apertiora emergant, Baronio assentitur, opinanti Augustini verba ad Felicem Tunetanum pertinere. Negotium facessunt Sollerio Adonis, & Usuardi verba, usurpata etiam a Martyrologio Fuldensi: *Videtur exponere*.

Martyr. decem. *Martyres decem* in *Theopoli* celebrantur hac die a Romano parvo primum, in quo non *decem*, sed *quadraginta* sunt: *Civitate Theopoli*, inquit, XL. *Martyrum*. Apud Adonem vero, & Usuardum *decem* tantum sunt, qui sub *Saracenis* passi dicuntur, ut in gestis sanctorum Quadraginta. Jure miratur Sollerius de his implexis locutionibus, & percontatur, quinam sint *quadraginta* illi *martyres*, in quorum gestis martyres hi decem passi leguntur, & quo tempore passi, & nodum solvere se non posse fatetur, nec videre, ubi pedem tuto figat. Assentitur Baronio, ut *Theopolis* sit *Antiochia* Syriæ, nec abnuit, quod sub *Cosbroe* passi sint, aut A. D. 637. vel 638.

Leonardus, de quo in Auctariis, colitur hac die in Auctariis Usuardi, & Richenoviensis. Auctor est & conditor Nobiliacensis cœnobii in Lemovicis, cui præfuit, & claruit c. A. D. 559. Vide ejus Acta apud Surium hac die, & apud Mabillonium sæculo I. Bened. in indice prætermissorum. *Leonardi*

Auticus, rectius *Atticus*, decerptus est ex sex martyribus Phrygiæ apud Hieronymiana hac die, ut censet Sollerius ad Usuardum, in quo *Atticus* recensetur. De his martyribus ita habet hac die Martyrologium Ottobonianum: *In Frigia, Attici, Varici, Mammarii, & Veneria*. Vide Florentinii notas in suum Hieronymianum Martyrologium. Præmittuntur ibi, sed absque loci designatione, *Balsamus, & Dulia*. In Romano Martyrologio de *Attico* tantum agitur; & eo loci admonet Baronius, de alio *Attico*, & sociis a Græcis in Menologio agi die XXVI. *Augusti*. Sed non esse sejungendum *Atticum* a sociis hac die adnotat Castellanus. Vide etiam Florentinium in notis. *Autici, seu Attici.*

C. VII. IDUS NOVEMBRIS. *7. Novem.*

Euseb. l. 7. c. 29. Ruff. APUD Alexandriam, Achillæ Episcopi, eruditione, fide, conversatione, & moribus insignis. *Achillæ.*

Eodem die, natalis S. Amaranti martyris, qui apud Albigensem urbem, exacto agonis fidelis cursu, sepultus vivit in gloria. *Amaranti.*

gloria. Cujus sacrum sepulcrum, virtute Christi, miraculis frequentibus illustratur.

Herculani. Apud Perusinam Italiæ urbem, natalis S. Herculani Episcopi & martyris. Greg. l. 3. dial. c. 13.

VARIA LECTIO. Post extremum verbum *martyris*, sequitur in codicibus 511. 512. 514.

„ Cujus caput post abscissionem, ita unitum atque sanum die quadragesimo, ut „ meminit Gregorius Papa, repertum est, ac si nulla hoc incisio ferri tetigisset.
Willebrodi. „ In Frisia, natalis sancti Willebrodi Episcopi, cujus Actus Beda presbyter in ge„ stis Anglorum describit.

Memmæ. Sequitur in codice 511. manu recentiore: *Eodem die, Memmæ mar.*

Achillæ. ADNOTATIO. *Achillas*, Græcis *Archillas*, vel *Archelaus*, in Ecclesiasticus Fastos, a Romano parvo primam invectus esse dicitur Sollerio, his tantummodo verbis: *Alexandriæ, Archillei Episcopi.* Dies etiam natalis pro arbitratu ab eodem auctore selectus videtur eidem Sollerio, prout fecit de *Theodoto*, & *Pieris*, seu *Hierio*. Fons est Eusebius Rufini lib. VII. cap. XXIX. ex quo elogium ornavit Ado, & inde transcripsit Usuardus, ac demum totidem verbis Martyrologium Fuldense. De die obitus, & de ejus gestis Sollerius in serie Patriarcharum Alexandrinorum cap. III. pag. 35. num. 188. Confer etiam post Baronium in Notationibus hac die, Tillemontium tom. VI. pag. 213. 214. Sedisse dicitur quinque tantum mensibus, qui inter annum 311. & 312. intercesserunt. De eo in Actis Petri Alexandrini.

Amaranti. *Amarantus* apud Albigensem urbem martyr colitur hac die primum ab Adone nostro, ut videtur Sollerio, deinde ab Usuardo. Agit autem & Wandelbertus, silentibus cæteris. Fons est, inquit Sollerius, Gregorius Turonensis de gloria martyrum cap. LVII. a quo *Amarandus* vocatur. Nihil de rebus ejus gestis superest. Passus esse dicitur Deciana persecutione. Ejus corpus *Viantii*, vulgo *Viants*, prope Albigensem urbem asservari adnotat Castellanus.

Herculani. *Herculanus* Episcopus *Perusinus* & martyr hac die colitur a Romano parvo, deinde ab Adone, & Usuardo. Quæstionem movit de genuino Usuardi textu Pratensi Sollerius in varia lectione hac die, propter illa: *cujus corpus &c.* quæ ad oram Pratensis codicis leguntur; propterea quia monitus fuerat a Castellano, ea recentiori manu addita fuisse. At Bovillartius in sua Usuardi editione id fatetur, & rationem reddit, cur id accidere potuerit; & lubens concedit totum illud elogium Usuardi esse posse, ut censet Sollerius. At Usuardus ex genuinis Adonianis apographis, prout nostra præferunt, ex more descripsit, quare purum putum Usuardinum non est. Plura de *Herculano* hac die Baronius in Notationibus, qui duos *Herculanos* in Perusina sede, ex his, quæ acceperat a peritis Perusinarum rerum Scriptoribus, distinguendos esse putat; alterum seniorem, qui memoratur in Actis SS. *Carpophori*, & *Abundantii*; & alterum juniorem, qui ut ex Actis apud Mombritium, passus est *anno decimoseptimo Justiniani Imperatoris*, a Christo nato 544. In Annalibus autem de Herculani martyrio egit ad an. 546. num. I. *& seq.* quare in Notationibus monet, se ad hunc annum Herculani martyrium statuisse. Verum *Perusiæ* obsidio, ut videtur Pagio in Critica ad an. 546. n. II. contigit an. 545. De *Herculanis* Perusinis vide Janningum in Tractatu præliminari ad tom. I. Julii cap. VI. pag. 33. *& seq.* ubi disquirit, unusne, an duo fuerint istius nominis Episcopi ac martyres, *Perusiæ*, ac tertius martyr, *Spoleti*, & pro uno *Herculano* Perusino sententiam fert.

Willibrordi. *Willibrordus Trajectensis* in Batavis, seu *Frisonum* Antistes, pridie hujus diei colitur a Rabano, & a Kalendario Vat. 3806., ab auctario Richenoviensi, apographo Bedæ in Ecclesia Wircebargensi, & in Palat. Vat. 833. manu recentiore. Hac die vero ab apographis nostris Adonianis, ab Usuardo, Wandelberto, & Martyrologio Fuldensi. Alcuinus in vita, obiisse scribit *die sexto mensis Novembris, idest VIII. Idus ejus mensis*. A Rosvveido in Appendicem Adonianam rejectus est, non repugnante Sollerio, cui Usuardi de *Willibrordo* elogium totum Usuardinum esse videtur. Hujus rei judicium aliis permittimus. Incertum est, quo loci *Willibrordus* obierit: forte id accidit in suo *Epternacensi* monasterio,

rio, & quidem A. D. 741. ut censet Mabillonius Annal. Bened. lib. XXI. §. LXIV. qui ejus gesta edidit sæculo III. Bened. P. I. pag. 601.

De *Memma* martyre, nihil hac die in veteribus tabulis; forte est *Mamas* martyr, aut *Mennas martyr*, de quo die XI. *Novembris*. *Memmæ*.

D. VI. IDUS NOVEMBRIS. 8. *Novem.*

ROMÆ, natalis SS. martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii, & Simplicii, imperantibus Diocletiano, & Maximiano. Hi cum essent artifices insignissimi, & marmorum cæsores probatissimi, Imperatori Diocletiano valde facti sunt accepti. Cum itaque tempore quodam essent quadraturis marmorum intenti, & artem suam signo Crucis munirent, & ad voluntatem ipsorum artificium fieret, horum unus Simplicius, qui adhuc pagano errore tenebatur, dixit ad quatuor reliquos: Adjuro vos per deum Solem, ut quis iste Deus sit, dicatis mihi, in cujus nomine vos tam bene operamini. Cui Symphorianus: Si potes credere, dicemus tibi, & mox artem consequeris: sed & vitam æternam habebis. Quem cum in fide sociatum beato Cyrillo Episcopo consignassent, isdem Episcopus baptizavit eum, & Christo Domino credere informavit. Non multo post accusati a Philosophis, quod Christiani essent, & quod deum Æsculapium fingere, sicut præceperat Imperator, ex marmore porphyretico, & proconisso noluissent, Diocletianus jussit cuidam Tribuno nomine Lampadio, sub moderatione verborum eos audiri. Quibus isdem Lampadius dixit: Adorate deum Solem, ut destruatis consilium Philosophorum. Qui respondentes dixerunt: Nos nunquam adoramus facturam manuum nostrarum, sed adoramus Deum cæli & terræ, qui imperat in æternum, Jesum Christum filium Dei. Reclusi sunt igitur in custodia publica. Inde cum mutari a fide Christi non possent, jubente Lampadio exspoliantur, & scorpionibus gravissime cæduntur. Mox Lampadius a dæmonio correptus expiravit. Hoc factum cum audisset Diocletianus, nimio furore plenus, jussit cuidam Nicetio togato, ut in loculis plumbeis vivi includerentur, ac sic in fluvium præcipitarentur. Post dies autem XLII. venit quidam Nicodemus Christianus, & levavit cum ipsis loculis corpora martyrum, & in domo sua honorifice posuit. Passi vero sunt VI. Idus Novembris.

Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii, & Simplicii.

Eodem die, natale sanctorum quatuor Coronatorum, id est, Severi, Severiani, Carpophori, & Victorini. Hi cum impellerentur ad sacrificandum, reluctantes, nec consensum impiis præbentes, perstiterunt in fide. Nuntiatum est autem Diocletiano Impe- *Quatuor Coronator.*

Imperatori: qui ilico jussit, ut ante simulacrum Æsculapii ictibus plumbatarum cæsi deficerent. Quorum corpora jussit in platea canibus jactari, & jacuerunt ibi diebus quinque. Tunc pii Christiani venerunt, & collecta corpora sepelierunt in via Lavicana, miliario ab Urbe tertio, in arenario, juxta corpora sanctorum martyrum Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii, & Simplicii. Passi sunt autem sexto Idus Novembris, post duos tamen annos passionis horum quinque martyrum. Cum autem nomina eorum minime reperirentur, statuit beatus Melchiades Episcopus, ut anniversaria quatuor Coronatorum dies sub nominibus sanctorum quinque martyrum recoleretur. Intercurrentibus tamen annis, cuidam sancto viro etiam nomina eorum revelata sunt. Festivitas vero ut fuerat statuta, celebris in aliorum martyrum festivitate permansit, ac locus quatuor Coronatorum nomine insignis.

VARIA LECTIO. Ed. *sociatum*. Cod. 511. *solidatum* Ed: *Æsculapium*. Cod. 511. *Asclepium*. Ed. *proconissa*. Cod. 511. *pertonso*. Ed. *Deum*. Cod. 511. *Dominum* Ed. XLII. Cod. 511. XLIII. Ed. *eodem die*. Cod. 511. *Ipso die*. Ed. *jactari*, *& jacuerunt &c*. Cod. 511. 512. 514. *jactari*. *Quæ jacuerunt ibi diebus quinque. Tunc pii Christiani venerunt, & collecta corpora sepelierunt in via Lavicana, millario ab Urbe tertio, juxta corpora sanctorum martyrum Claudii, Nicostrati, Simphroniani, Castorii, Simplicii*. Cætera, quæ in editis habentur, in codicibus desiderantur.

Claudii & soc.

ADNOTATIO. *Claudii* & sociorum martyrum cultus in Ecclesiasticis Latinorum fastis insignis est hac die; sed aliquando cum *quatuor coronatis* ita commiscentur, ut vix internosci possint. Kalendarium Bucherianum postridie habet: *Clementis, Simproniani, Claudi, Nicostrati in Comitatum*. Hieronymianum Epternacense hac die VIII. *Novembris* habet: *Romæ, natalis Simphoriani, Claudi, Nicostrati, & Castoris*. Apographum Lucense: *Romæ, natalis sanctorum Simphronii, Claudii, Castori, Nicostrati*. Nihil in his de *quatuor coronatis*. At *Claudium* & socios *a quatuor coronatis* aperte distinguit apographum Corbejense, in quo habetur: *Romæ, natalis SS. Simplicii, Symphronii, Claudii, Micostrati* (pro *Nicostrati*) & *sanctorum quatuor coronatorum Severi, Severiani, Carpophori, Victorini*. Kalendarium Bucherianum die VII. *Augusti* habet: *Secundi, Carpophori, Victorini, & Severiani. Albano & Ostiense*. Beda genuinus: *Romæ, quatuor coronatorum, Claudii, Nicostrati, Symphoriani, Castorii, & Simplicii*. Ita Gellonense. Romanum parvum: *Romæ, martyrum Claudii, Nicostrati, Symphroniani, Castorii, Simplicii, artificum insignissimorum. Et ipso die, IV. Coronatorum Severi, Severiani, Carpophori, Victorini, quorum festivitatem statuit Melchiades Papa sub nominibus quinque martyrum celebrari: quia nomina eorum non repericbantur; sed intercurrentibus annis, cuidam sancto viro revelata sunt*. Ex hoc fonte sumpsit Ado, ut Sollerio videtur, deinde summatim ex Adone Usuardus. Quæ adversus Romani parvi lectionem objicit Saussayus, refelluntur a Florentinio in Admonitione prævia pag. 19. & a Sollerio in Usuardum hac die. Interim audi Wandelbertum, qui ita in suo metrico Martyrologio canit:

Claudi, Castori, Simplici, Simphoriane,
Nicostrate, pari fulgetis luce coronæ,
Senas ornantes Idus merito atque cruore.

Martyrologium Fuldense habet: *Romæ, natalis sanctorum quatuor coronatorum*. Deinde sequitur ibi alia manu minus antiqua: *idest Severi, Severiani, Carpophori, Victorini*. Martyrologium Ottobonianum ita habet: *Romæ, natalis sanctorum quatuor coronatorum. Claudii. Nicostrati. Simproniani. Castori, & Simplicii*. Richenoviense: *Romæ, sanctorum quatuor Coronatorum, Simphroniani, Claudii, Nicostrati, Simplicii,*

Casto-

Castoris. Ita ferme Labbeanum. Corbejense brevius: *Romæ, natalis sanctorum Simphronii, Claudii, Castori*. Kalendarium Palat. Vatic. 485. *Natalis sanctorum quatuor Coronatorum*, tantummodo. Kalendarium Vatic. 3806. *Romæ, quatuor Coronatorum, Severiani, Victorini, & Carpofori*. Hactenus Hagiologia. Quid libri Liturgici S. R. E. vetustissimi præferant, nunc accipe. Codex Sacramentorum Gelasianus ad hanc diem p. 175. Missam habet: *In natali sanctorum quatuor Coronatorum, Castiani, Claudi, Castori, Simproniani*. Prima oratio est: *Annua martyrum tuorum*. Secreta: *Hostias*. Post com: *Sanctorum tuorum Coronatorum*. In his orationibus *Coronatorum* vocabulum tantum occurrit. Sacramentarium a Blanchino editum, duas Missas mense Novembris *in natali sanctorum quatuor Coronatorum* statuit. In Sacramentariis Gregorianis omnibus hac die Missa præfigitur *in natali sanctorum quatuor Coronatorum*. Prima oratio hæc est in Sacramentario Reginæ Suecorum 337. Palat. Vatic. 495. & aliis: *Præsta, quæsumus, omnipotens Deus, ut qui gloriosos martyres Claudium, Nicostratum, Simphorianum* (Palat. 495. *Sympronianum*) *Castorium, atque Simplicium fortes in sua confessione cognovimus &c.* Titulus inscribitur de sanctis *quatuor Coronatis*, sed alia sunt martyrum nomina. In Capitularibus quoque Evangeliorum t. III. de Liturgia Romani Pont. pag. 282. Evangelium hac die *in natali sanctorum quatuor Coronatorum* designatur. Nonnulla objicit Menardus in notis ad Sacramentarium pag. 186. quæ diluere satagit Sollerius in Usuardum hac die. Cæterum, si libet interloqui, *quatuor Coronatos*, a *Claudio, Nicostrato*, & sociis distinguendos esse malim: ac puto in libris Liturgicis vetustioribus recoli simul *quatuor Coronatos*, & alios martyres *Claudium*, sociosque. In Notitiis apud Eccardum hæc leguntur: *Juxta viam vero Lavicanam Ecclesia S. Helenæ, ubi ipsa corpore jacet. Ibi sancti isti dormiunt, Petrus, Marcellinus &c.* IV. *Coronati, idest Claudius, Nicostratus, Simpronianus, Castorius, Simplicius*. Nomina vero *Severi*, & sociorum, hic tribui non videntur *quatuor Coronatis*. At distinguuntur ab Anastasio Bibliothecario in vita Leonis IV. ubi habet, ab hoc eodem Pontifice reperta corpora SS. *quatuor Coronatorum*, & ad eorum basilicam, cujus titulum *Leo* ante Pontificatum gesserat, ac tunc splendide a fundamentis restituit, & ornavit, fuisse translata, & ibi, *ipsorum sacratissima corpora Claudii, Nicostrati, Symphoriani, atque Castorii, una cum Symplicio, nec non Severo, Severiano, Carpophoro, & Victorino, quatuor fratribus: verum etiam Marthæ &c.* sub sacro altari recondita. Vetustissimus est in Urbe titulus, seu Ecclesia SS. quatuor *Coronatorum*, Statione etiam in libris Liturgicis insignita, Feria II. hebdomadæ IV. in Quadragesima. De hoc titulo Baronius in Notationibus, & alii recentiores. De utriusque martyrum catervæ Actis Baronius in Notationibus hac die. Apud Mombritium tom. I. pag. 162. ita inscribuntur: *Passio SS. Claudii, Nicostrati, Simphoriani, Castorii, Simplicii, & quatuor coronatorum. Tempore, quo, usque dies eorum*. Passi sunt Diocletianea persecutione A. D. 304. Vide interim, quæ de *Claudio, Nicostrato* & sociis ad diem VII. *Julii* superius sunt adnotata.

Nihil superaddendum esse putamus his, quæ hactenus diximus de *quatuor Coronatis*, nisi, abesse a nostris codicibus nonnulla, quæ in vulgato Adone ad calcem hac die leguntur de inventione corporum sub *Melchiade Papa*. Vide, si iubet, Aringhium lib. IV. cap. X. *Quatuor Coronat.*

E. V. IDUS NOVEMBRIS.

9. Novem.

NATALE sancti Theodori martyris temporibus Maximiani & Maximini Imperatorum. Qui cum esset miles, & vere Christianus, adductus est ad Brincam præpositum legionis, a quo dilatione accepta, ut sententiam fidei mutaret, cum in sententia irrevocabiliter permaneret, judici Popilio sistitur: qui jussit eum mitti in carcerem, & signari ostium carceris: ubi divina consolatur visitatione. Post aliquot dies iterum adductus ante præsidem, suspensus est in ligno, & ungulis ferreis latera ejus rasa quousque costæ ipsius nudarentur. Deinde dictavit sententiam, dicens: Theodorum non obtemperantem præceptis invictissimorum Imperatorum, potentiæque deorum, credentem *Theodori.*

 vero

vero Jesum Christum crucifixum, jubeo ignibus tradi. Igitur beatus martyr signaculo Crucis munitus, manibus post tergum ligatis, in focos propellitur. Et prospiciens, videt in turba lacrymantem Cleonicum, qui cum eo tyro adductus fuerat. Et exclamans dixit: Cleonice, expecto te: festina, & sequere me. Et cum jam flammarum globis undique vallaretur beatus martyr, orationem fudit, laudans & glorificans Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum. Sicque sanctam animam Christo reddidit v. Idus Novembris. Quædam autem mulier, Eusebia nomine, collegit corpus ejus, & sindone munda involvens transtulit in possessionem suam, in locum qui appellatur Euchaita.

Urficini. Item eodem die apud Bituricas, S. Urficini, qui Romæ ordinatus a successoribus Apostolorum, primus eidem urbi destinatur Episcopus. Gregor. Turon. de glor. Confess. c. 80.

VARIA LECTIO. Ed. *& Maximini*. Cod. 511. *& Maximi*. Ed. *suspensus est in ligno*. Cod. 511. *suspensus est in patibulo*: & supra vocem *patibulo* habet: *ligno* Ed. *propellitur*. Cod. 511. *prosternitur*; deinde supra *prosternitur* habet *pellitur*, quasi emendaret. Ed. *prospiciens*. Cod. 511. *circumspiciens*.

Christi sanguin. commemorat. Cod. 512. hac die ita incipit: *Celebratio sanguinis & aquæ. Natalis sancti Theodori &c.* ut in editis.

Theodori. ADNOTATIO. *Theodorus* miles & martyr, cognomento *Tiron*, in tabulis fere omnibus Latinorum hac die colitur. In Hieronymiano Florentinii *Theodorus*, *Nicomediæ* martyr celebratur, de quo apographa Epternacense, & Corbejense silent. Agunt autem Beda, Gellonense, Romanum parvum, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Labbeanum, Corbejense brevius, Kalendarium Palat. Vatic. 485. & Vat. 3806. Romanum parvum implene locum martyrii, seu natalis designare videtur, dum habet: *Euchaitæ, sancti Theodori martyris*; nam *Euchaita* est locus sepulturæ, ut apparet ex Actis penes Adonem. Apud *Amasiam* natalis designatur ab Usuardo. *Romæ*, a Gellonensi, Fuldensi, Richenoviensi, & Labbeano. Certe quidem in libris Liturgicis S. R. E. vetustioribus, ut in Sacramentariis Gregorianis omnibus, Missa hac die in *natali sancti Theodori martyris* habetur, prout Evangelium in Capitularibus omnibus Evangeliorum. Exstat etiam de illius cultu in urbe Roma vetustissima memoria ad Palatini radices, nimirum sancti *Theodori* martyris Ecclesia, olim Diaconia, de qua liber Pontificalis in Leone III. Græci de eo agunt die XVIII. *Februarii*. Circumferuntur pervulgata *Theodori* Acta, sed iis prætermissis, Ruinartius prætulit encomium, seu Orationem S. Gregorii Nysseni de magno martyre *Theodoro*, quam inter Acta selecta prætulit pag. 532. præmissa Admonitione de illius cultu, basilicis, & encomiis. De basilica Theodori in urbe Byzantio Cangius in CPoli Christiana lib. IV. cap. VI num. 102. A nonnullis Græcorum cum alio *Theodoro*, duce copiarum, qui *Heracleæ* sub *Licinio* passus est, commiscetur. *Theodorus* alter passus esse dicitur A. D. 306. De *Theodori* militum præfecti Græcis elogiis & Actis, inter quæ Metaphrastes occurrit, vide Fabricium Bibliothecæ Græcæ tom. IX, pag. 147. 148. Vide etiam Tillemontium. t. V. pag. 369. *& seq.*

Urficinus, seu *Ursinus*, ut Sollerio videtur, a Floro primum in Ecclesiasticas tabulas est adscitus, deinde ab Adone, Usuardo, & Martyrologio Fuldensi. De eo ex Gregorio Turonensi de glor. confess. cap. VIII. vide quæ adnotat Tillemontius tom. IV. pag. 477. & 716. & Galliæ Christianæ nuperi editores in Bituricensibus tom. II. pag. 4. §. I. de *Ursino* ex sancti Gregorii Turonensis lib. de gloria confessorum cap. LXXX. agunt, qui *Ursinum* ab Apostolorum discipulis ordinatum, *Ecclesiæ Bituricensis* institutorem primum vocat. Quando autem id contigerit, accurate expendunt, atque ex alio Gregorii ejusdem loco lib. I. de glor. *Urficini, vel Ursini.*

gior. mart. cap. xxviii. ubi de sancto *Saturnino*, quam licet ab Apostnlorum discipulis ordinatum, tamen ad *Decii* tempora revocat, ex quo priorem opinionem abjecisse videtur. Utra vero sententia amplectenda sit, nolunt definire. Si ad tempora Decii, *Saturnini* & aliorum, qui fidem in Galliam Nabornensem invexerunt, apocha figenda est, floruit *Ursinus* seculo Christi tertio. Ejus corpus inter communia populorum sepulcra conditum, ut loco memorato habet *Gregorius*, c. A. D. 558. ex eo loco tranalatom fuit, & in basilicam sancti Symphoriani illatum, de qua translatione meminit Fortunatus in vita sancti Germani Episcopi Parisiensis. Acta & encomia adidit Labbeus Bibliothecæ novæ MSS. tom. II. pag. 455. *& seq.*

Celebratio sanguinis & aquæ Christi Jesu, de qua nous ex nostris codicibus hac die, recolitur tantummodo in Auctariis Usuardi, in quibus tamen mentio est, aut de miraculo Imaginis Crucifixi apud *Berytum*, aut apud *Edessam*. De *Berytensi* agit Martyrologium Romanum hac die, ad quem locum plura Baronius, ubi *Athanasii* nomine de eo miraculo inscriptum Sermonem, ut commenticium respuit. Vide novam operum Athanasii editionem tom. III. pag. 344. Esse creditur *Athanasii* junioris, qui sedit post *Cosmam*, *Irene* & *Constantino* imperantibus. De eo miraculo res gesta narratur in Synodo VII. Œcumenica Act. IV. ex qua Baronius ad an. 787. n. XXIV. *& seq.* Miraculum contigisse traditur a Sigeberto in Chronico A. D. 765. *Chist. sanguin. commemor.*

F. IV. IDUS NOVEMBRIS. 10. *Nov.*

IN territorio Agathensi, in Cessarione, natalis SS. Martyrum, Tiberii, Modesti, & Florentiæ, qui tempore Diocletiani variis tormentis cruciati, martyrium compleverunt. *Tiberii & soc.*

Item eodem die, Sancti Martini Papæ: qui ob fidem Catholicam ab Imperatore Constantino hæretico, per Theodorum Exarchum de Ecclesia raptus, ac perductus Constantinopolim, relegatus apud Chersonam Lyciæ provinciæ, ibidem vitam finivit, multis in eodem loco virtutum signis usque hodie refulgens. *Martini Papæ.*

VARIA LECTIO. Ed. *In territorio Agathensi in Cessarione, natalis* &c. Cod. 511. *In territorio Agatensi in Cesarione, natalis &c.* Ad oram aliena manu, & recentiore idem codex habet: *Natalis beati Martini &c.* ut in vulgatis. Post verbum *compleverunt*, in codice 511. 512. 514. habetur:

Demetrii & soc. „ Apud Antiochiam, natalis sancti Demetrii Episcopi, Aniani diaconi, Eustosii, „ & aliorum XX. Aurelianis, sancti Monitoris Episcopi. *Monitoris*

Deinde sequitur in codice 511. tantum, manu recentiori: *Sancti Justi Archiepiscopi*. In codice 512. habetur natalis *S. Martini Papæ*, prout in editis, usque ad ea verba: *& usque holie miraculis fulget* (ita codex) post quæ sequitur. *Cujus sacrum sepulchrum virtute Christi miraculis frequentibus illustratur.* *Justi.*

Desideratur hac die in codicibus 511. 514. natalis *S. Martini* Papæ, quia de eo egerunt die XVIII. *Augusti*.

Tiberii & soc. ADNOTATIO. *Tiberius* & socii martyres in Agathensi agro, celebrantur hac die ab Adone primum, deinde ab Usuardo, & a Wandelberto, ceteris silentibus. Nonnulla indigitat de ejus Actis ex Catello, & ex MSS. Sollerius, quæ a Bollandianis suo loco erunt expendenda. Passi feruntur A. D. 304. Diocletianæ persecutione. *Cessero* locus est nunc etiam diœcesis Agathensis, alias *Araura* appellatus, ad *Arauris* fluvium.

Martinus Papa & martyr præteritur hac die ab apographis nostris 511. 514. quia de eo egerunt una cum alio apographo 512. *Martini Papæ.*

die XVIII. *Augusti*: In vulgato vero Adone hac die X. *Novembris* tantum colitur, & iterum a codice 512. & in Auctariis codicis 511. A Romano parvo primum in Ecclesiasticas tabulas *Martinus* relatus, putatur Sollario. Romani parvi verba hac die X. *Novembris* sunt: *Chersona Lyciæ, Martini Papæ, qui ob catholicam fidem ibi relegatus vitam finivit*. Agunt præterea hac die vulgatus Ado, & Usuardus. Hos imitatur Martyrologium Fuldense. Florus agit die X. & XII. hujus. Codices nostri eum celebrant, ut diximus, die XVIII. *Augusti*, qua die colitur a Richenoviensi. A Wandelberto vero die XVI. *Septembris*. Variæ de *natali* die, seu de martyrio *Martini* Papæ feruntur sententiæ, de quibus Baronius in Notationibus ad XII. Novembris. Ab auctore libri Pontificalis in Vita in cælos migrasse dicitur: *Chersonæ in pace Christi confessor, sub die XVI. mensis Septembris, ubi & multa mirabilia per eum operatur Deus usque in hodiernum diem*. Apud Baronium ad an. 654. n. II. ex eodem auctore, seu Anastasio, legitur *die duodecima Novembris*, & ad oram ponuntur variæ lectiones. In Collectaneis Anastasii Bibliothecarii p. 262. narratur: *proprium sanguinem, quantum ipse fuit, effudisse, in lætitia copiosa profectus mense Septembris, die sexta decima, indictione quartadecima, qua & custodientis pietatem, copiosæque certatricis Euphemiæ honoranda memoria per annos singulos celebratur*. In catalogo Romanorum Pontificum in codice Reginæ Suecorum 712. pag. 89. sæculi XIII. *confessor* appellatur: *Martinus*, inquit, *conf. sedit ann. VI. mens. V. diebus* XXVI. In Corbejensi apud Mabillonium sedisse dicitur *an. III. mens. I. d.* XXVI. Alius catalogus ordine VII. apud Pagium: *Martinus cœpit* A. D. DCLII. *sed. an. VI. M. I. d.* XXVII. Græci agunt, ut monet Baronius, *Idibus Aprilis*, & die XVI. *Septembris*. In Actis apud Surium vita migrasse dicitur die XVI. *Novembris*, in aliis die XVI. vel XVII. *Septembris*. Disputatur etiam de anno, quo occubuit. Baronius ad an. 654. n. I. & II. ad superos evolasse scribit eo anno 654. die XII. *Novembris Indictione duodecima*. Pagius in Critica ad eum annum n. II. & III. animam Deo reddidisse anno 655. censet, ex *Indictione quartadecima*, in Anastasii collectaneis designata. At uberiora, & apertiora post Baronium, Cointium, Papebrochium, Pagium, & alios a sociis suis Bollandianis elucidanda, nobis promittit Sollerius in Usuardum hac die. Num titulus *Equitii* in Urbe, qui & S. *Martini* dicitur, in honorem S. *Martini* Papæ conditus fuerit, an S. *Martini* Episcopi Turonensis, disquiritur a Baronio in Notationibus, qui labi eos omnes scribit, qui putarunt, ejusmodi titulum in honorem S. *Martini* Papæ erectum fuisse, cum constet S. Martini Turonensis nomine fuisse olim dedicatum, & a *Sergio* juniore Papa S. Martini Papæ, & martyris corpus eo fuisse translatum, ut docet ibi vetus lapis. Disquirit etiam Jo: Fronto in notis ad Kalendarium die XII. *Novembris*, num *Martinus* in Capitularibus Evangeliorum die XII. *Novembris* celebratus, sit *Martinus* Papa, sed pro *Martino Turonensi* definit. Sane quidem in Sacramentariis vetustioribus Missa de S. *Martino* Papa, tam die X. quam XII. *Novembris* desideratur.

Demetrii & soc.

Demetrius & alii apud *Antiochiam* martyrea, in vetustioribus Latinorum tabulis insignes hac die sunt. Hieronymiana habent: *In Antiochia, natalis sanctorum Demetrii Episcopi, Aniesi diaconi, & Eustosi, & sociorum ejus*. Gellonense: *Antiochia, Demetrii, Saturnini, Anienesi, Eustosi*. Rabanus: *In Antiochia, natale Demetrii Episcopi, Amnesii, Eustochii, & sociorum ejus*. Ottobonianum: *In Antiochia, natalis sanctorum Demetrii Episcopi, & Januarii. In Africa Saturnini, & aliorum* XVIII. Richenoviense: *In Antiochia, Demetrii, Aminesi. In Africa, Saturnini, Donati*. Labbeanum: *Ant.* [pro *Antiochiæ*] *Demetri, Saturnini, Amruisi, Eustosi*. Corbejense brevius: *In Antiochia, natalis Donati. Sanctorum Demetrii Episcopi. Amenensi*. Usuardus genuinus fere ad verbum apographa nostra Adoniana imitatur; at quum in apographis apud Rosvveidum loco: *& aliorum viginti* legeretur: *& sociorum eorundem*, hos martyres Rosvveidus ad Appendicem amandavit, & recte fecisse, judicat Sollerius. At hujus rei judicium aliis defero, interim dum pro nostris apographis pugno.

Monitoris

Additur in apographis nostris *Monitor* Episcopus *Aurelianensis*, de quo quidem silet hac die genuinus Usuardus, & agunt tantum illius Auctaria. Sed colitur a Gellonensi, quod ante Usuardi tempora scriptum esse traditur, & licet *Anctoris* legatur, alia tamen lectio alterius apographi vetustissimi præfert *Monitoris*. Agunt præterea Martyrologium Ottobonianum, Richenoviense, in quo corrupte legitur *Victoris*, & Labbeanum. In Appendicem quoque Adonianam translatus est a Rosvveido, in cujus sententiam non pertrahimur, quum in tabulis Hagiologorum sæculi IX. occurrat. Incertum est, quo tempore floruerit. Ad sæculum V. refert Castellanus, & in pervulgata Galliæ Christianæ Sammarthanorum editione duodecimus ordine est inter Aurelianenses Antistites.

Justi.

Justus Antistes *Cantuariensis*, qui recentiori manu adiectus est, ab Hagiologis vetustioribus præteritur. Agunt solummodo Usuardi Auctaria hac die. De eo ejusque gestis Beda Histor. Eccles. Anglor. lib. I. cap. XXIX. lib. II. cap. III. V. VI. VII. VIII. & XVIII. Decessit hac die A.D. 632. qua de re Pagius ad an. 633. n. XXII. Mabillonius Annal. Bened. lib. XII. §. XXXVII. & alii recentiores.

G. III. IDUS NOVEMBRIS. 11. Nov.

IN Galliis, Turonis civitate, natalis S. Martini Episcopi, & confessoris. *Martini.*

Eodem die in Scythia metropoli Phrygiæ Salutariæ, passio sancti Mennæ martyris: qui persecutione Diocletiani, & Maximiani, cum esset miles nobili genere, ex Ægyptiorum provincia ortus, abrenuntians terrenæ militiæ, primum cælesti Regi secreta conversatione in eremo militavit. Deinde natalitiis præfatorum Imperatorum procedens ad publicum, ac se Christianum libera coram ipsis voce declarans, traditus est Pyrrho duci torquendus. Qui jussit eum in carcerem includi, quamdiu Imperatorum natalitia celebrarentur. Peracta igitur festivitate, ac sedente eo pro tribunali, jussit eum suis adspectibus præsentari; cui & dixit: Hesterna die infauste & temerarie ausus es theatrum introire, & vanissimis, nescio quibus, eloquiis, prophanare, maxime cum de te asseratur, nostræ fuisse militiæ. Sacrifica diis, ut omnia tibi, quæ per ignorantiam gessisti, ignoscantur, & ad honorem pristinum reformeris. Ad hæc beatus Mennas cum respondisset: Ego hoc sæculi honore non delector, sed Christi Domini discipulus effici cupio: jubente duce extensus, & nervis bubulis manibus ligatus, tamdiu a militibus virgis cæsus est, donec sanguine ipsius plateæ locus repleretur. Deinde in equuleo exungulatus, & lampadibus circum latera adustus, ciliciòque plagæ a militibus fricatæ, & carbones ignis super eas impositi, per tribulos quoque & sudes ferreas ligatis manibus ac pedibus tractus, plumbatis etiam collo & maxillis graviter contusus, in laude, & confessione omnipotentis Dei immobilis permansit. Novissime Pyrrhus dux sententiam ex tabella recitari præcepit: Mennatem ex milite omnium Christianorum auctorem, nolentem acquiescere præceptis Imperatorum, neque volentem sacrificare diis, gladio animadverti placet, & corpus ejus igni comburi. Furtim itaque a Christianis corpus ejus e medio ignis ereptum est, & mundis linteaminibus aromatibusque conditum, debita veneratione in cœmeterio III. Idus Novembris curatum est. Cujus deinde sacrum corpus Constantinopolim translatum, civitate regia digno honore veneratur. *Mennæ.*

Item Lugduni, sancti Verani Episcopi, cujus vita, fidei, & virtutum meritis illustris fuit. *Verani.*

VARIA LECTIO. Ed. *Episcopi, & confessoris*, ubi de S. Martino Turonensi. In cod. 511. 512. 514. additur. *Cujus sacrum sepulchrum virtute Christi miraculis frequentibus illustratur. Eodem die in Scythia &c.* ut in editis.

AD-

Martini. ADNOTATIO: *Martini* Turonensis Antistitis *natalis*, seu *depositio*, & *dormitio* in fastis Latinorum omnibus insignis hac die est, nimirum in Hieronymianis, Beda, Gellonensi, Rabano, Romano parvo, Adone, Usuardo, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Richenoviensi, Labbeano, Corbejensi breviori, Kalendario Palat. Vat. 485. Vat. 3806. & aliis. Ritu Gallicano veterrimo *Missa sancti Martini* habetur in Missali Gothico num. LXXIV. In libris quoque Liturgicis Gregoriani ritus, ut in Sacramentario Reginæ Suecorum 337. & aliis Gregorianis omnibus, Missa hac die occurrit *in natali sancti Martini*, Ottobonianum addit *Episcopi*. Palat. Vat. 495. habet: *transf.* Prima oratio est: *Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus*. Secreta: *Da misericors Deus*. Ad com. *Præsta quæsumus*. In Missali vero pleaario Vat. 4770. Duæ simul hac die Missæ copulantur, altera de *S. Martino*, altera de *S. Menna*. Introitus est: *Ecce Sacerdos*. Oratio. *Deus, qui conspicis &c.* Alia de S. Menna: *Præsta quæsumus &c.* deinde sequitur: *Legitur sermo venerabilis Severi de vita sancti Martini. In diebus illis, cum beatus Martinus Ambianensium civitatem intraret &c.* usque *convolavit*. Ibi etiam exstat Præfatio propria. Lectio inter Missarum solemnia, quæ hic recitanda præscribitur, ad veterem morem in Galliis & alibi respicit, quo sanctorum gesta, interdum ante Epistolam, interdum ante Evangelium recitari solebant, ut patet ex Gregorio Turonensi lib. I. de glor. mart. cap. LXXXVI. & de miraculis sancti Martini lib. II. cap. XXIX. & XLIX. De hujusmodi more in Galliis, & in Hispaniis Mabillonius de Liturgia Gallicana lib. I. cap. III. num. 8. & 9. & cap. V. num. 8. In Capitularibus quoque Evangeliorum omnibus, lib. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 282. allatis, Evangelium in *natali sancti Martini* præscribitur, in eorum quibusdam die XII., in quibusdam vero die XI. hujus. *Martini* natalis agebatur etiam in Mediolanensi Ecclesia, ut ex veterrimo Lectionario illius Eclesiæ discimus. Jam inde a priscis temporibus natalis sancti *Martini* festivo cultu in Galliis, ac postea ubique fere agebatur. Ea de re inter cæteros Mabillonius lib. II. de Liturgia Gallicana num. 8. & 9. Concilium Moguntinum an. 813. Capitulare a nobis allatum ad diem VIII. *Septembris*, & alia Conciliorum decreta. Mittimus *Martini* encomia, de quibus Baronius in Notationibus hac die. De ejus translatione egimus ad diem IV. *Julii*. In libris veteribus, quæ Acta sanctorum in divinis officiis legenda continent, passim occurrit vita sancti Martini. Nos Acta hujusmodi offendimus in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 49. quorum exordium est. *Incipit transitus sancti Martini Episcopi & confessoris. Martinus igitur &c.* usque, *te legentem*. Sequitur statim: *Incipit Epistola de obitu sancti Martini Episcopi. Arcbadio vero & Honoria sanctus Martinus &c.* usque: *A passione ergo Domini usque ad transitum sancti Martini* CCCCXII. (supra scriptum est *quadringenti* XII.) *computantur. Item versus de transitu sancti Martini Episcopi. Beatus autem Severinus Coloniensis civitatis Episcopus &c.* usque, *revelatum. Item alius de transitu sancti Martini Episcopi. Eo namque tempore beatus Ambrosius, cujus hodie flores eloqui per totam Ecclesiam redolent, Mediolanensi civitati præerat Episcopus &c.* usque, *historiam explicare*. In codice vero 528. ejusdem Reginæ pag. 209. Acta, præmisso indiculo: *Incipit vita sancti ac beatissimi patroni nostri Martini Episcopi atque confessoris*, ita exordiuntur: *Igitur Martinus &c.* usque, *historiam explicare*.

Mennæ. *Mennæ* martyris *natalis*, æque ac *Martini* Turonensis cultus in fastis omnibus Latinorum insignis quoque hac die est. Imo ipsi Græci de eo hac die agunt. In Hieronymianis quidem legitur: *Alexandria, metropoli natalis sancti Minatis*; quæ verba ad *Mennam* martyrem aptari censet Florentinius, licet ægre ferente Sollerio. Aperte agit Beda. Gellonense *Mennam*, *Romæ* recolit, item, Richenoviense, & Labbeanum. Romanum parvum: *In Scythia*. De loco martyrii silet Rabanus; Ado, & Usuardus martyrii locum statuunt: *In Scythia metropoli Phrygiæ salutariæ*; cujus corpus CPolim translatum fuisse monet Ado, quem fere ad verbum sequitur Martyrologium Fuldense. *Mennæ martyris*, meminere præterea hac die Wandelbertus, Martyrologium Ottobonianum, Corbejense brevius, Kalendar. Palat. Vat. 485. & Vatic. 3806. In libris Liturgicis vetustioribus ritu Gregoriano duæ hac die Missæ exhibentur; quarum princeps est *in natali sancti Mennæ*, altera *in natali sancti Martini*. In Capitularibus quoque Evangeliorum, ut supra, Evangelium hac die *in natali sancti Mennæ*. Fuit olim extra mœnia urbis Romæ vetus S. *Mennæ* memoria, de qua ita habet descriptio veterrima apud Mabillonium Analect. tom. IV. pag. 502. *Inde portam Ostensis. Inde per porticum usque ad Ecclesiam Mennæ, & de Menna usque ad sanctum Paulum Apostolum*. De basilica sancti *Mennæ* meminit liber Pontificalis in Leone III. & in Paschali I. Ob Ecclesiam in honorem hujus martyris Romæ exstructam, factum esse putamus, ut *Romæ* a quibusdam Hagiographis *Mennas* celebretur, in qua Ecclesia probabile est a sancto Gregorio martyre homiliam XXXV. in Evangelia fuisse recitatam, ut colligit Fronto in Notis hac die, non ut præferunt libri editi in *S. Mammæ*, & prout visum est Baronio in Notationibus ad diem XVII. *Augusti*. De alia S. *Mennæ* Ecclesia, CPoli a Justiniano Imperatore excitata, ut habet Procopius lib. I. cap. IX. de ædificiis, vide Cangium in CPoli Christiana lib. IV.

lib. IV. pag. 188. & 189. Cæterum *Mennas* passus est Diocletianea persecutione A. D. 303. in urbe *Cotyæi* in *Phrygia*. Duplex est apud Geographos Phrygia, nempe *Pacatiana*, & *Salutaris*. De *Salutari Phrygia* meminit Idatius in Chronico, *Valentiniano*, *& Valente* imperantibus. Mendum igitur cubat in Martyrolographia, ubi legunt: *In Scythia*, & legendum est: *In Cotyæo*. Supersunt Metaphrastina Acta, quæ Latine habentur apud Surium, & Lipomanum die XI. *Novembris*. Exstant etiam alia Græce scripta a Timotheo Archiepiscopo Alexandrino, Latine apud Surium die X. *Novembris*; denique Græca alia incerti auctoris apud Lambecium lib. VIII. pag. 269.

Verani. De *Veranno* hac die agunt Hieronymiana, Gellonense, Ado, Usuardus, & Hagiologium Francogallicum. Silet Martyrologium Fuldense. Ottobonianum habet: *Lugdunogallia, depositio Veranni Episcopi*. Ita Richenoviense. Labbeanum: *Lugduni, Veranni Episcopi*. Sollerius de *Veranno Lugdunensi* Episcopo ab Usuardo agi, elogio ex Adone sumpto, prout etiam a Hieronymianis, pro certo habet, quidquid velit Castellanus, qui putat *Verannum* fuisse *Venciensium* Episcopum, & ex die IX. *Septembris* in XI. *Novembris* translatum. Disquitionem ea de re instituerunt editores nuperrimi Galliæ Christianæ in Lugdunensibus §. XIX. pag. 24. tom. IV. ac variis aliorum expensis sententiis, eo inclinant, ut *Salonius*, & *Verannus*, sancti *Eucherii* filii, amoris, & reverentiæ causa in diptycha Lugdunensis Ecclesiæ illati sint. Cæterum *Verannum* fuisse Episcopum *Venciensem*, ut in Venciensibus §. IV. pag. 1213. tom. III. ostenderunt. Incertum est, quo anno Episcopalem sedem inierit. Scripsit una cum *Salonio*, & *Ceretio* ad sanctum Leonem. De eo mentio in Epistolis Hilari Papæ. Vivebat adhuc c. A.D. 475. quo interfuit Synodo Arelatensi. Bollandi sententiam ad diem V. Feb. pag. 660. *& seq.* præterea proferunt, qua *Verannus*, alter ab Eucherii filiis Lugdunensis Episcopus statuitur, *Stephanum* inter, & *Viventiolum*, ex auctore vitæ *sancti Aviti Viennensis* Antistitis, sed quum Bollandus fateatur, hujusmodi scriptorem sæculo nono posteriorem esse, Adoni, & aliis eo vetustioribus Martyrologiis fidem non esse detrahendam putant, ac tantas lites se non posse componere reputantes, aliis judicium hujus rei permittunt.

A. PRIDIE IDUS NOVEMBRIS. 12. *Nov.*

Prosper in Chron. anno 437. APUD Africam, commemoratio SS. Arcadii, Probi, Paschasii, & Eutychiani, qui ex Hispania oriundi, cum apud *Sigericum Wandalorum Regem merito sapientiæ & fidelis obsequii chari clarique haberentur, nec in Arianam perfidiam, cui ipse deditus erat, ullatenus declinari paterentur, excitato in rabidissimam iram barbaro, primum proscripti, deinde in exilium acti, tum atrocissimis suppliciis excruciati, postmodum diversis mortibus interempti, illustri martyrio mirabiliter occubuerunt. Puer autem Paulillus nomine, frater Eutychiani, & Paschasii, cum a professione atque amore catholicæ fidei nullis minis deturbari posset: fustibus diu cæsus, & ad infimam servitutem damnatus est; ideo, ut apparet, non occisus, ut de superata sævitia impii, etiam illa ætas gloriaretur. *Arcadii & soc.*

* *al.* Geisericum.

Eodem die, sancti Melanii Redonicæ civitatis Episcopi: qui post innumerabilium signa virtutum, jugiter intentus cælo, emigravit a sæculo. *Melanii.*

VARIA LECTIO. Ed. *Sigericum*. Cod. 511. 512. 514. *Sigiricum*. Ed. *Redonicæ*. Codices memorati: *Rodonicæ*. Post extremum verbum *a sæculo*, sequitur in eisdem codicibus.

„ Apud

Æmiliani. „ Apud provinciam Tarraconensem, civitate Tirassona, beati Æmiliani presbyteri „ & confessoris, cujus admirabilem vitam Braulio Cæsaraugustanus Episcopus sim- „ plici sermone describit.

Arcadii & soc. ADNOTATIO. De his Africanis martyribus primum hac die agit Romanum parvum his verbis: *In Africa, Archadii, Paschasii, Probi, & Eutychiani, Wandalorum persecutione martyrum*. Agit inde Ado noster, & postridie Usuardus. In Martyrologio Fuldensi, aliena manu, & quidem posteriori legitur hac die: *Apud Africam, sanctorum Archadii, Paschasii, Probi*. Alios in *Africa* martyres hac die commemorat Ottobonianum dum habet: *In Africa, natalis sanctorum Maurili, Publii, & Theophili*. Ita Richenoviense, & Labbeanum, prætermisso *Theophilo*. Corbejense brevius ita præfert: *In Africa, natalis sanctorum Ædicti, Aurili, Publii*. Sed perperam in Martyrologiis hos martyres *Africæ* deputari monet Baronius in Notationibus, quum ad *Asiam* pertineant, propterea quia sint ex iis Asiæ Episcopis, qui contra hæresim Cataphrygarum scripserunt, ut habet Eusebius lib. v. cap. xix. Sed alii videant, num id recte sit; nam apud Eusebium inter hos Episcopos nominantur *Aurelius, Cirinus, & Aurelius Publius Julius*. Ad Africanos martyres initio Wandalicæ sub *Genserico* persecutionis redeo, quorum elogium ex vulgato Prosperi Chronico *ad an*. 437. sumptum esse tradunt. Ad Baronium vero, quod ad illos pertinet, in Notationibus die xiii. hujus, & ad Ruinartium in Historica persecutionis Wandalicæ pag. 431. *& seq*. demum ad Tillemontium tom. xvi. pag. 500. amandamur a Sollerio. Hi a Baronio ad an. 437. num. ii. primitiæ martyrum persecutionis Wandalicæ vocantur.

Melanii. De *Melanio* iterum hac die agunt apographa nostra, quum de eo egerint una cum Usuardo genuino & aliis ad diem vi. *Januarii*, quare vide quæ ad eam diem adnotavimus. De ejus translatione agit Gellonense die vi. *Novembris*.

Æmiliani. *Æmilianus* a nostris apographis additur, de quo hac die principe loco Usuardus genuinus, quapropter Sollerius, *Æmiliani* elogium pure Usuardinum esse contendit, quia in vulgato Adone desiderari vidit. Ipsissima sunt codicum nostrorum, & Usuardi verba. Uter primum descripserit, alii videant. *Æmiliani* vitam, ut in elogio præfertur, scripsit Braulio Episcopus Cæsaraugustanus, qui in Præfatione testatur: *ut posset in Missæ ejus celebratione quantocius legi*. De Vita *Æmiliani* a *Braulione* conscripta sanctus Ildefonsus de viris illustribus apud Miræum cap. xii. Hujusmodi Braulionis libellum edidit Mabillonius sæculo I. Bened. pag. 205. *& seq.* ubi admonet in veterrimo Adonis codice Sangermanensi, eadem verba, quæ apud Usuardum, haberi. *Æmilianus*, cognomento *cucullatus* dictus est, vulgo apud Gallos *sanctus Milhau de la cuculle*. Obiit centenarius, & Abbas Vergiegensis in Hispanis monasterii. A.D. 574. hac die xii. *Novembris*. Primus in Hispania Benedictini instituti auctor, seu amplificator esse dicitur, ut habet Mabillonius Annal. Bened. lib. iii. §. xxx. & de illius obitu, ibidem lib. vi. §. lvii. *Tyrassona*, ut ex Actis cap. v. tum fuit civitas Episcopalis, cui *Didymus* Episcopus præerat. Locus vero, in quo sancti *Æmiliani* cœnobium conditum erat, fuerat olim in diœcesi *Turiasonensi*, nunc *Calagurritanæ* subest. De populis *Turiasonensibus*, jure civium Romanorum donatis, Plinius lib. iii. cap. iii. Ptolemæus lib. ii. cap. iv. *Turiasonenses* in *Celtiberis* statuit. Nummus apud Golzium pag. 244. MUN. TURIASO.

---

13. Nov. *B. IDIBUS NOVEMBRIS.*

Valentini & soc. RAVENNÆ, natalis SS. martyrum Valentini, Solutoris, & Victoris.

Brictii. Turonis, S. Brictii Episcopi.

Mitrii. In Provincia, apud civitatem Aquis, B. Mitrii clarissimi martyris.

Valentini & soc. VARIA LECTIO. Cod. 511. hac die ita habet.
„ Romæ, natalis sanctorum Valentini, Solutoris, Victoris. Apud urbem Toletum,

„ tum, depositio sancti Eugenii Episcopi, magnæ virtutis viri. Turonis, Sancti Bri- *Eugenii*:
Bricii: „ cii Episcopi & confessoris. In territorio Senonico, sancti Paterni martyris. Parisius, *Paterni*.
Gendulfi. „ sancti Gendulfi confessoris.

Cod. 512. & 514. pro *Romæ*, habent *Ravennæ*. Cætera conveniunt usque ad natalem sancti *Paterni martyris*. Deest in his S. *Gendulfus*.

Desideratur in cod. 511. 512. 514. B. *Mitrius*.

Valentini & soc. ADNOTATIO. De *Valentino*, & sociis apud *Ravennam* martyribus agunt hac die fere omnia apographa Hieronymiana. Agunt præterea Romanum parvum, Ado noster, & Usuardus. Labbeanum extremo loco hac die ita habet: *Alibi, Jacobi, Solutaris, Valentini*. Tres *Valentinos* martyres *Ravennates*, apud Ravennam coli admonet ex Galesinio Florentinius. Vide Rubeum Histor. Ravennat. lib. II. & Hieronymum Fabrum in sacris monumentis Ravennatis urbis P. I. pag. 383. *& seq.* Passi dicuntur Diocletianea persecutione A. D. 304. Gellonense die XI. hujus habet: *Ravenna, Valentini*. Hac die vero, ut Labbeanum. Hac etiam die Kalendarium Carthaginiense *Valentini* meminit. Estne *Ravennas*, an *Africanus*?

Brictii, seu Bricii. *Brictius*, seu *Bricius*, & *Bricion* Antistes Turonensis, colitur hac die in Hieronymianis, licet inter Auctaria, ut mallet Florentinius item a Beda, Rabano, Gellonensi, Adone, Usuardo, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Richenoviensi, Labbeano, Kalendario Vat. 3806. & aliis. De ejus gestis Venantius Fortunatus, & Gregorius Turonensis lib. II. cap. XXI. & lib. X. cap. XXXI. Acta quæ inter divina officia legi solebant, vidi in codice Canonicorum Forojuliensium, & in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 33. quorum exordium est: *Igitur post excessum beati Martini Turonicæ civitatis Episcopi, summi, & incomparabilis viri &c.* usque, *quo sepulto, sanctus Brictius Episcopus in cathedram suam regressus est, septem postea feliciter vivens annis, cui post quadragesimum septimum Episcopatus sui annum defuncto, sanctus Eustochius successit magnificæ sanctitatis*. Eadem habentur apud Mombritium tom. I. pag. 95. Aliam vitam breviorem vide apud Surium hac die ex Gregorio Turonensi. Confer de ejus exilio, ac reditu ad Episcopatum, Baronium ad an. 432. num. LXXXVII. LXXXVIII. & XCVIII. Pagium ad an. 43x. num. XVII. & Cointium. Obiit *B. Brictius* A. D. 443. hac die XIII. *Novembris*, ut censet Pagius in Critica ad an. 443. num. X.

Mitrii. *Mitrius* apud *Aquas-Sextias* martyr, deest hac die in nostris apographis, & habetur in vulgatis. De eo, silentibus aliis; agit Usuardus genuinus, in quo ex Adone acceptum esse putat Sollerius, apud quem legenda quæ vir clarissimus admonet, nimirum a Gregorio Turonensi de glor. conf. cap. LXXI. *confessorem*, non *martyrem* appellari, nisi *martyrem* velimus ob aliqua certamina, quæ pro fide subiit.

Additur in nostris apographis hac die *Eugenius* Antistes *Toletanus* hujus nominis II. quem ab Usuardo primum certo consignari contendit Sollerius. Num præcesserit Ado, videant alii. De *Eugenio* S. Ildefonsus de Scriptoribus c. LXV. Vide de ejus gestis & scriptis post Labbeum in supplemento Bellarminiano, Mabillonium Annal. Bened. lib. XIII. §. XXXVI. lib. XV. §. VIII. Obiit A. D. 657. ut videtur Pagio in Critica ad hunc annum num. X. vide etiam Baronium ad eum annum num. XXXVII. *& seq.* *Eugenii*.

Paternus martyr, de quo apographa nostra, colitur pridie hujus, ubi Sollerius acriter adversus Mabillonium pugnans, contendit, *Paterni* elogium mere Usuardinum esse, quia neque apud Mosandrum, neque apud Rosvveidum occurrit, neque in MSS. Bollandianis, si solum Lobiensem excipias. En vero *Paterni* elogium hac die in tribus apographis nostris, & in vetustissimo Sangermanensi. Acta edidit Mabillonius sæculo III. Bened. P. I. pag. 363. Passus esse dicitur hac die A. D. 726. *Paterni*.

Gendulfus, de quo unum ex nostris apographis, crucem quodammodo figit; nam silent de eo hac die veteres tabulæ, præterquam Usuardi Auctaria apud Sollerium, in quibus hac die legitur, idest in editione Munerati: *Parisius, transitus sancti Gendulphi Episcopi, a beato Sixto ordinati, cujus jussu mortuum gentilis suscitavit filium; cujus caput requiescit in magna Ecclesia beatæ Mariæ Virginis Parisius*. Apographum Usuardi in codice Reginæ Suecorum sæculi XIV. nunc num. 249. hac die: *Parisius, translatio sancti Gendulfi Episcopi, a beato Sixto ordinati, cujus jussu mortuum gentilis suscitavit filium*. Alia vero Usuardi Auctaria apud eumdem Sollerium die XVII. Januarii, nimirum in codice memorato Reginæ Suecorum legunt: *Item sancti Genulfi confessoris*. In posterioribus Molani editionibus ea die charactere Italico, uti vocant, legitur: *Eadem die, sancti Genulphi, primi Episcopi Caturcensis, & confessoris*. Rursus eadem Auctaria ad diem XVII. *Junii* habent: *In pago, seu in territorio Bituricensi, sancti Gundulfi Episcopi, & confessoris*. Martyrologium Romanum agit tantum die XVII. Junii, & his verbis: *In pago Bituricensi, sancti Gundulphi Episcopi*, ubi notat Baronius sumptum esse ex Molani additionibus, & ex Gale- *Gendulfi*.

Galesinio. At agit codex Usuardi Pratensis ad diem XVII. *Junii*, eisdem verbis prout præferunt Auctaria. Vide ibi Bovvillartii Animadversiones. Castellanus distinguit *Genulfum*, a *Gundulfo*, seu *Gendulfo*; nam de *Gendulfo*, quem Gallice vocat *saint Genou* in pago Bituricensi, uti Episcopo habito, agit in Auctariis Martyrologii universalis die XVII. *Januarii*. De *Gundulfo* vero Episcopo in pago Bituricensi, una cum Martyrologio Romano, die XVII. *Junii*, & hunc Gallice S. *Gondon* appellat; & ad oram monet, *Chorepiscopum* forte esse. At nuperi Galliæ Christianæ editores tom. I. pag. 117. in Cadurcensibus num. I. unum tantum *Genulfum*, eumque in serie Episcoporum Cadurcensium principe loco positum agnoscunt, qui a *Sixto* Pontifice in Gallias medio sæculo III. missus fertur, cujus natalia in ea diœcesi die XVII. *Januarii* celebratur. Addunt, in Biturigibus fuisse vetus sancti *Genulfi* monasterium, antea *Stradense* appellatum, quò c. A. D. 870. translatæ fuerunt sancti *Genulfi* reliquiæ. Mabillonius Annal. Bened. lib. XXX. §. XII. De reliquiis sancti *Genulfi* in eo monasterio Anno Domini 828. asservatis meminit. Item lib. XXXIV. §. XLVIII. de alia ejus translatione die XX. *Junii* A. D. 852. qui dies deinceps celebris apud posteros habitus est. Exstat autem liber de translationibus sancti *Genulfi*, de quo Mabillonius ibidem lib. XLV. §. XLVIII. In apographo nostro *confessor* tantum dicitur, & *Parisiis* colitur.

---

14. Nov. C. XVIII. KALENDAS DECEMBRIS.

Clementini & soc. APUD Thraciam, civitate Heraclea, natalis sanctorum martyrum Clementini, Theodoti, & Philumeni.

Serapionis. Apud Alexandriam, beati Serapionis, quem persecutores sub Decio, in domo sua repertum, crudelissimis affecerunt suppliciis, ita ut omnes ei juncturas membrorum prius solventes, de superioribus eum præcipitarent, ac sic Christi martyr efficeretur. Euseb. l. 6. c. 34. Ruff. 31.

VARIA LECTIO. Ed. *Philumeni*. Cod. 511. *Philumini*. Ed. *Serapionis*. Cod. 511. *Seraphionis*. Ed. *in domo sua*. Cod. 511. *domui suæ*. Post verbum *efficeretur* ad extremum, sequitur in codicibus 511. 512. 514.

Anatolii. „ In Laodicea, sancti Anatolii, qui multa non solum religiosis viris, sed & „ philosophis admiranda scripta dereliquid (sic).

Clementini & soc. ADNOTATIO. De *Clementino* & sociis apud *Heracleam* martyribus agunt in primis hac die Hieronymiana, quæ sibi tamen in numero, & nominibus eorum non cohærent. Epternacense habet: *In Eracla*, *Clementini*, *& Theodoti*, *Filomini*. Lucense: *In Fraclea*, *civitate Thraciæ*, *natalis sanctorum Clementini*, *Theodotæ*, *Philomini*, *& aliorum multorum*, *quorum nomina Deus scit*. Corbejense: *Sanctorum Clementit*, *Clementini*, *Theodotæ*, *Philomini*, *& aliorum multorum*. Apographo Lucensi accedit Ottobonianum, addens tamen *Heraclium*: *In Eraclea*, inquit, *natalis sanctorum Clementini*, *Theodotæ*, *Filemoni*, *Heraclii*, *& aliis multis* (sic), *quorum nomina Deus scit*. Rabanus etiam præter *Heraclium*, recenset *Martialem*, *& Donatum*. Wandelbertus *Clementinum*, *Theodotum*, & *Philominum* tantum nominat. Richenoviense habet: *In Eraclio*, *Clementini*, *Theodoti*, *Filomini*, *Eraeli*, *Variei*, *Marcialis*, *Donati*. Labbeanum: *In Heraclia*, *Clementini*, *Theodoti*, *Philumini*, *Eraeli*. De *Varico*, *Martiale*, & *Donato* in Africa martyribus agit postridie hujus, prout etiam Ottobonianum, in quo tamen *Varicus* comparet, una cum *Fidentiano* & aliis. Luxata sunt ergo Hagiologia in horum nominibus. Vide interim Florentinium & Sollerium. Incertum est etiam tempus, quo passi sunt.

Serapionis. *Serapion* Alexandrinus colitur hac die in primis a Romano parvo, si Sollerium sequimur, deinde ab Adone, & Usuardo. Adde

horum

horum pedissequum Martyrologium Fuldense. *Serapionis* elogium sumptum fuit ab Adone ex epistola Dionysii Episcopi Alexandrini ad Fabianum Antiochenum apud Eusebium Rufini lib. VI. cap. XXXI. ubi legitur juxta novam Romanam editionem ad fidem codicum Vaticanorum: *Serapionem quoque domi suæ repertum crudelissimis affecere suppliciis, ita ut omnes ei juncturas membrorum prius solverent, & de superioribus eum præcipitarent*. In vulgatis legitur: *prius solventes*. Confer Sollerium hac die, ubi Romanum parvum, Adonem, & Usuardum erroris coarguit, quod passum sub *Decio Serapionem* posuerint, quum ex epistola Dionysii constet ante *Decii* edicta, eum ac alios martyres suppliciis affectos. Vide item eundem Sollerium in Patriarchis Alexandrinis pag. 31. num. 164.

Anatolii. *Anatolius* Episcopus *Laodicenus* hac die colitur ab apographis nostris, quum in vulgatis de eo agatur die III. *Julii*, qua die etiam genuinus Usuardus, iisdem, quibus apographa nostra ad hanc diem XIV. *Novembris*, verbis agit. Sollerius ad eam diem *Anatolii* elogium purum putum Usuardinum esse censuit. Agunt autem de *Anatolio* hac die nonnulla Usuardi Auctaria, quare in veteribus etiam tabulis de eo & die III. *Julii*, & XIV. *Novembris* agebatur. Vide quæ ad III. diem *Julii* adnotavimus.

D. XVII. KALENDAS DECEMBRIS. 15. Nov.

Felicis. NATALIS sancti Felicis Episcopi, quia XV. ætatis suæ anno miraculorum gloria insignis fuit, & sub Martiano præside, cum aliis XXX. martyrium complevit. Corpus ejus Elpidius presbyter, in Nolensi Ecclesia sepelivit.

VARIA LECTIO. Ed: *Elpidius*. Cod. 511. *Helpictus*. Cod. 512. *Helpidius*.
Post extremum verbum *sepelivit*, sequitur in codicibus 511. 512. 514.
„ Ipso die, sancti Eugenii: qui apud pagum Parisiacensem consummato mar- Eugenii.
„ tyrii cursu, beatæ passionis coronam percepit a Domino.
Post hæc sequitur codice 511. tantum. „ Ipso die, apud Britanniam Aletis urbem, Macutii.
„ natalis beati Machutii Episcopi, & confessoris. Qui a primævo ætatis suæ tyrocinio
„ innumerabilibus miraculis splendide enituit, uno scilicet eodemque die vitreum de
„ lapide calicem, valde coruscum vinum de aqua, hominemque vivum de morte mirabi-
„ liter redintegrans. Cod. 512. post verba *percepit a Domino*, addit: „ Catureis ci-
Macuti. „ vitate, sancti Desiderii Episcopi & confessoris. Natalis sancti Macuti Episcopi, & Desiderii.
„ confessoris.

Felicis. ADNOTATIO. *Felix* Episcopus *Nolanus* & martyr colitur hac die una cum sociis a Romano parvo, his verbis: *Felicis Episcopi, qui a quintodecimo anno miraculorum gloria insignis fuit, & sub Martiano cum XXX. martyrium complevit*. His similia habent Ado, & Usuardus. Ado paucula addit, Usuardus vero pene ad verbum Romanum parvum sequitur; prout etiam Martyrologium Fuldense. Consule Sollerium in Usuardum hac die, ubi statuit *Felicem* esse Episcopum *Nolanum* & martyrem, atque adnotatiunculas Castellani in Martyrologium Rom. carpit, recentiorum dubitationes, præsertim Tillemontii tom. IV. pag. 655. & 656., *Felicem* Nolanis subripientis, flocci facit, & Romani parvi auctoritatem elevari nunquam se passurum affirmat, quæcumque sit hujus *Felicis* ætas, seu quicumque inter *Nolanos*, seu alterius sedis Episcopos locus ei assignetur, quæcumque demum Acta pervulgata sint.

Eugenii. Additur in nostris codicibus *Eugenius* apud Parisiensem pagum, de quo etiam hac die Usuardus genuinus, & Wandelbertus, silentibus aliis. Consulendus est autem de eo Sollerius hac die, ubi Molanum refellit; qui loco *Eugenii* martyris *Eugenium* Toletanum substituit, quod etiam factum est in Martyrologio Romano, ubi plura Baronius in Notationibus. Castellanus etiam de interpolatione Usuardi meminit in adnotatiuncula in Martyrologium Romanum hac die, & passum asse *Diogili*, vulgo *Dueil*, diœcesis Parisiensis monet. Plura disquirit de illius martyrio,

ævo, atque dignitate Gerardus Dubois in Historia Ecclesiæ Parisiensis tom. I. pag. 33. & 34. ac Tillemontius tom. IV. pag. 453. & 717. A Rosvveido *Eugenius* in Appendicem amandatur. Cur, quæso, quum Usuardus, & Wandelbertus Adoni æquales de eo agant?

Desiderii. Sequitur in altero ex apographis nostris *Desiderius* Episcopus *Cadurcensis*, de quo silent Usuardus genuinus, & plerique alii, ac item Martyrologium Romanum. Unum tantum, aut alterum ex Usuardi Auctariis agit. Cæterum de ejus gestis multa paucis complectuntur novi editores Galliæ Christianæ tom. I. pag. 121. num. XII. in Cadurcensibus. Ubi varias de anno obitus sententias proferunt. Alii enim ad an. 649. alii ad 652. alii ad 654. assignant. Nihil hi definiunt, sed quum anno 630. inchoato Episcopus factus fuerit, & anno XXIII. Episcopatus ad Albiensem agrum se contulerit, ex hac vita migrasse, vel anno 652. vel ineunte anno 653. putant. Mabillonius Analect. tom. III. pag. 531. 532. & Annal. Bened. lib. XIV. §. XXXIII. *Desiderii* obitum in A. D. 654. confert. Illius Acta edita fuere in Gallia christiana editionis anni 1656. Varias scripsit epistolas ad Galliarum Episcopos, quas habes apud Canisium tom. V. antiquarum Lectionum, & in Bibliotheca Patrum tom. VIII. Exstat & Epistola sancti Galli ad *Desiderium* inter epistolas Hibernicas ab Usserio collectas.

Macutus, seu *Machutus*, de quo item unum ex apographis nostris, memoratur hac die in variis Usuardi Auctariis, in quibus varie inflectitur; scribitur enim *Macutus*, *Magutus*, *Machutes*, *Maclovius*, & *Maclonius*. Vulgo vocatur *S. Malo*, &, ut monet Castellanus, apud Normannos *S. Maclou*, Italis *S. Mauto*. In Episcopum consecratus, *Aletenses* ad fidem catholicam adduxit, deinde ab incolis vexatus, in Aquitaniam se recepit, & apud *Archambiacum*, vulgo *Archambray* sancte obiit hac die c. A. D. 565. Ejus corpus *Aletas* revectum fuit, cujus pars in monasterium *Aaronis*, sancto Vincentio sacrum, quod in urbem accrevit, & a *Maclovii* nomine urbs *S. Maclovii*, seu *Macloviopolis* appellatum fuit; & in eum locum sedes Episcopalis *Aletensis* XII. Christi sæculo translata. Hæc ex Mabillonio Annal. Bened. lib. VI. §. XXII. qui Acta edidit sæculo I. Bened. pag. 217. *Aleta*, olim *Diablintum*, quæ in vicum postea redacta, *sancti Servatii* nomen habet. Vide Valesium in Notitia pag. 12. *Macuti.*

---

16. Nov. *E. XVI. KALENDAS DECEMBRIS.*

Eucherii. NATALIS S. Eucherii Lugdunensis Episcopi, admirandæ fidei, vitæ, & doctrinæ viri. Qui ex nobilissimo Senatorum ordine ad religiosam vitam habitumque conversus, diu in agro suo super fluvium * Druentiam intra septa speluncæ sponte conclusus Christo servivit, jejuniis & orationibus vacans. Defuncto autem Pontifice Lugdunensi, cum universa Ecclesia juxta morem a se antiquitus observatum, triduanis jejuniis, & obsecrationibus, qui gubernationem ejusdem Ecclesiæ suscipere deberet, sibi posceret a Domino revelari: cuidam puero apparens in visu Angelus Domini: Est, inquit, senator quidam Eucherius nomine, super fluvium * Druentiam retrusus in specu, qui relictis omnibus, quæ possidebat, sequutus est Dominum: ad hunc deducendum pergite, & vobis pastorem illum constituite, quoniam a Deo electus est. Quod cum puer senioribus diluculo retulisset, omnipotenti Deo, cunctis fratribus convocatis, gratias egerunt: missoque cum clericis ad præfatum locum Archidiacono, qui tunc Ecclesiæ curam gerebat, invenerunt eum, sicut eis Dominus revelaverat. Cumque illi Archidiaconus rem, propter quam venerat, retulisset: cœpit cum juramento dicere, se voluntarie de specu non egressurum, nec cum

* MS. Durentiam.

* al. Durentiam.

cum eo, nisi ligatus duceretur, iturum. Cumque diu talia repeteret, Archidiaconus effracto muro speluncæ eduxit eum, & juxta quod ipse juraverat, vinctum perduxit Lugdunum. Quem pari animo, unoque consensu Clerus, & populus sibi eligens sacerdotem, in pontificali cathedra solemniter collocavit. Hujus uxor Galla, in sancto habitu Deo serviens, speluncam ejus ingressa, omne illic vitæ suæ tempus in studio religionis exegit. Duæ ipsorum filiæ, quarum una Consortia, altera Tullia vocabatur, virginitatis gratia, & signorum gloria claruerunt.

VARIA LECTIO. Ed. *Natalis S. Eucherii &c.* Cod. 511. 512. 514. *Lugduno, natalis sancti Eucherii Episcopi admirandæ &c.* Ed. *Druentiam.* Cod. 511 *Durentiam.* Ed. *a Deo est electus*: Cod. 511. *a Domino est electus*. Cætera cum editis conveniunt.

Eucherii. ADNOTATIO. Duo in veteribus Ecclesiæ Lugdunensis tabulis *Eucherii* coluntur, quorum alter seu senior, qui sæculo Christi v. floruit, & junior qui sæculo vi. At inter recentiores magna animorum contentione disceptatur, num unus, an duo *Eucherii* sint distinguendi. Recentiorum seriem, qui duos *Eucherios* agnoscunt, habes apud Sammarthanos in nova Galliæ christianæ editione tom. iv in Lugdunensibus pag. 20. num. xix. Sunt autem Baronius ad an. 441. num. ix. *& seq.* alias ad an. 529. Spondanus in Epitome, Severtius in Historia Lugdunensium Episcoporum, Bollandiani in vita sancti Hilarii Arelatensis mense Januario, & alibi, Theophilus Raynaudus peculiari opere, Mabillonius sæculo I. Bened. in notis ad vitam sanctæ *Consortiæ*, & Lamureus in Historia Ecclesiæ Lugdunensis; quæ opinio, ajunt Sammarthani, plurimis iisque vix non invictis nititur argumentis. Contra vero unum *Eucherium* agnoscunt Petrus Franciscus Chiffletius in Paulino illustrato P. I. cap. xix. *& seq.* Josephus Antelmius in Disquisitione de Symbolo Athanasiano, & in peculiari Dissertatione posthuma pro unico sancto *Eucherio* Lugdunensi, edita an. 1726. Pagius in Critica ad an. 441. num. v., ac Tillemontius tom. xv. pag. 120. *& seq.* Senior *Eucherius* vita functus est c. A. D. 451. ut videtur Sammarthanis, junior vivebat adhuc an. 529. quo subscripsit Synodo Arausicanæ II. Agit autem Ado noster ex Actis, & in elogio, *Consortiæ* filiæ, & *Gallæ* uxoris meminit: quæ ad juniorem *Eucherium* spectare dicuntur. Agit etiam Rabanus, Usuardus genuinus, Wandelbertus, Gellonense, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum Richenoviense. Vide Sollerium, qui in Hieronymiania de eo agi putat, & recentiorum controversiam attingit.

F. XV. KALENDAS DECEMBRIS. 17. *Nov.*

Euseb. l. 6. c. 33. Ruff. cap. 30. & deinceps. *Dionysii Alex.* APUD Alexandriam, B. Dionysii Episcopi, in multis sæpe confessionibus satis clari, & pro passionum tormentorumque diversitate magnifici, temporibus Imperatorum Valeriani & Gallieni. Denique refertur, insectantibus se persecutoribus, cum ipse adstaret Judici, respondisse: Quid insectando laboratis? Caput meum, pro quo magnopere fatigamini, avulsum cervicibus sumite, & donum magnum ad Tyrannum & Imperatorem vestrum ferte. Præses autem Æmilianus erat. Ante quem Euseb. l. 7. c. 10. Ruff. cum Dionysius unum solum Deum prosequeretur, qui cælum fecisset

fecisset & terram, huncque diceret adorandum, ceteros autem neque esse deos, neque adorari debere: in castrum quoddam deserti, quod Cefro appellatur, in exilium truditur: ob hoc præcipue electum, quod loci incolæ gentiles erant, & idolorum superstitionibus satis dediti. Qui exulem Dionysium primo hostili animo, & satis adversa mente suscipiunt: post vero cum paulatim per Domini gratiam verbum Dei his seminare cœpisset, pars maxima trucis, & barbari populi, relictis idolis, conversa est ad Deum verum, Christoque subjecta. Quo comperto, rursus eum ad alium locum, vicinum quidem Alexandriæ, sed incolis desertum, ac pæne habitatoribus vacuum transtulerunt. Sed & ibi cum pro urbis vicinitate nostrorum populus eum frequentaret, & tanquam pastore recepto grex lætior, & constantior agonibus redderetur, rursum missis cum centurione militaribus viris, ipsum Dionysium, & cum eo Gajum, & Petrum catenis constrictos, & diversis cruciatibus afflictos, in desertum quoddam Libyæ pertraxerunt, ibique eos in loco squalidissimo, & omni usu humanitatis carente, a Paratonio trium dierum itinere in desertum protento, nexos vinculis reliquerunt. Tunc temporis etiam Maximus presbyter, & Dioscorus, Demetrius quoque, & Lucius, nec non Faustinus atque Aquila satis clari & insignes titulo confessionis effecti sunt. Interea beatus Dionysius regressus Alexandriam, senio gravatus quievit in pace, decem & septem annis functus sacerdotio.

Acisceli & Victoriæ. Eodem die civitate Corduba in Hispaniis, passio sanctorum martyrum Acisceli, & Victoriæ: ubi ob commendationem pretiosæ mortis eorum eodem die rosæ ortæ divinitus florentes colliguntur.

Aniani. Aurelianis, sancti Aniani Episcopi. Greg. Tur. lib. 2. hist. Franc. c. 7.

VARIA LECTIO. Post verba *functus sacerdotio*, sequitur in codicibus 511. 512. 514.

Gregorii. „ Apud Pontum, natalis beati Gregorii Gneocesariensis Episcopi, & mart. qui „ magna signorum ac miraculorum gloria præditus, inter cetera quodam tempore, ut „ Ecclesiæ faciendæ locus (sic) perficeret, montem precibus movit. Aurelianis, sancti

Aniani. „ Aniani Episcopi, & confessoris: cujus mortem in conspectu Domini pretiosam, cre„ bra testantur miracula.

Deest in eisdem codicibus hac die natalis SS. martyrum *Acisceli*, & *Victoriæ*.

Dionysii Alex. ADNOTATIO. *Dionysii* Alexandrini Episcopi apographa nostra meminere die XVIII. *Februarii*, & iterum de eo agunt hac die, qua colitur a Romano parvo, Adone nostro, Usuardo, silentibus aliis. Hunc diem ad libitùm ab auctore Romani parvi selectum esse censet Sollerius; nam, ut ostendit in Historia Patriarcharum Alexandrinorum p. 29. n. 157. & seq. *Dionysius* obiit die IX. *Martii* A.D. 265. aliis diem X., ac XIV. *Septembris* an. 264., aliis aliam

aliam diem statuentibus. Interim vide de eo inter selecta Ruinartium pag. 164. *& seq.* Tillemontium tom. IV. pag. 242. *& seq.* De ejus scriptis post alios, vide quæ congessit Fabricius Bibliothecæ Græcæ tom. V. pag. 263. 264. *& seq.*

Aciscli, & Victoriæ. *Acisclus* & *Victoria* in Hispania martyres, postridie coluntur ab apographis nostris: verum Mozarabum ritu hac die in divinis officiis celebrantur, nimirum in Missali, & Breviario Mozarabum, & in Breviario ejusmodi a Blanchino edito inter Opera Card. Thomasii pag. 5. Usuardus genuinus de *Acisclo*, & *Victoria* agit ad hanc diem XVII. *Novembris*. Postridie vero de uno tantum *Acisclo* agunt Hieronymiana, ubi in apographis Lucensibus, miraculum de rosis, & ibi de iis differit Florentinius. Postridie item de *Ascisclo*, & *Victoria*, ac de rosarum miraculo Florus. Postridie agit eadem ratione Martyrologium Fuldense; Ottobonianum vero ea die de uno *Acisclo*, Labbeanum ea die corrupte habet *Adiscle martyris*, *Victoris*. Nil autem præstantius ad *Aciscli* veterrimam in Hispaniis celebritatem demonstrandam, quam Prudentii hymnus IV. vers. 36. de quo Ruinartius pag. 517. ubi disquirit, an *Victoria* verbis illis, *tresque coronas* subintelligatur, ut nonnullis placuit, sed censet, *Faustum*, *Januarium*, & *Martialem* fratres designari. Plura tibi dabit Baronius in Notationibus hac die, ac præsertim de Actis, quæ suspecta recentioribus videntur. Consule Sollerium in Usuardum hac die. In codice Vatic. 3836. de quo nos identidem, post S. Augustini sermonem in natali sanctæ *Perpetuæ*, & *Felicitatis* sequitur ibidem pag. 241. alius Augustini nomine inscriptus Sermo *de natali sanctæ Victoriæ*, & incipit: *Refulget*, usque, *meruerunt*. Sed forte pertinet ad *Victoriam* martyrem in Africa, de qua in veteribus tabulis die XX. *Maji*. De *Victoria* meminit etiam Kalendarium Carthaginense mense *Octobris*.

Gregorii. De *Gregorio Thaumaturgo* iterum agunt codices nostri hac die brevi elogio, prout apud Usuardum die III. *Julii*, qua die apographa nostra de *Gregorio* fuse. Græci autem hac die XVII. *Novembris* in Menologio de *Gregorio* agunt, qua die quoque Beda genuinus, Rabanus, & Usuardi Auctaria. Vide quæ ad diem III. *Jul.* diximus. Martyrologium Fuldense hac die agit de *Gregorio* Turonensi his verbis: *Gregorii Turon.* *Et in Turonis, natalis sancti Gregorii Episcopi miraculorum factoris*. Ita habeat hac die nonnulla Usuardi Auctaria. Vide Baronium in Notationibus.

Aniani Sequitur in nostris apographis *Anianus* Episcopus *Aurelianensis*, de quo meminere hac die Hieronymiana, licet nomen in Epternacensi prætermittatur, Beda, Rabanus, Florus, Gellonense, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Labbeanum, Corbejense brevius, Kalendarium Palat. Vatic. 485. & Vat. 3806. Ejus elogium brevibus verbis texuit Sidonius Apollinaris lib. VIII. epist. XV. fusius lib. II. cap. VII. Acta leguntur apud Surium. Habentur etiam in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 177. præmisso titulo: *Incipit vita sancti ac beatissimi Aniani Episcopi & confessoris, quæ est XV. Kal. Octobris* (sic.) *Illo tempore, quo fulgens in rota sæculi novella plantatio fidei Gallica defundebatur in tellure* &c. usque, *coronat triumphis. Cui est honor* &c. Sed vulgatum libellum de vita S. Aniani erroris coarguit Mabillonius Annal. Bened. lib. I. §. LXXVI. Obiit *Anianus* c. A. D. 453. Inter festos dies illius *transitus*, seu *depositio* colitur in Capitulari Walterii Aurelianensis cap. XVIII. Vide, si lubet, Baronium in Notationibus.

G. XIIII. KALENDAS DECEMBRIS. 18. *Nov.*

Euseb. l. 8. c. 12. Prud. hymn. 10. ANTIOCHIÆ, natale sancti Romani, qui temporibus Diocletiani, cum Asclepiades Præfectus Ecclesiam irrumpere, eamque funditus conaretur evertere, ceteros Christianos hortatus est, ut ei contradicerent. Unde eum protinus vinctum sibi exhiberi jussit, & Christum constantissime confitentem, primum extendi equuleo, deinde plumbatis graviter, & fustibus cædi, post hæc etiam novacula acutissima maxillas ei radi fecit. Tunc ad petitionem ejus puerum parvulum induci præcepit: quem Romanus Christi nomen invocans, utrum unum, an plures deos melius esset colere, interrogavit, ut ex ejus confessione Præfectus confunderetur. Cumque puer unum Deum solum credendum *Romani.*

dum esse dixisset, indignatus Asclepiades, catomo suspendi eum, ac verberari, & postremo etiam decollari jussit. Erat autem nomen puero Baralas. Romanus vero rursus equuleo suspensus, ungulisque exaratus, ad rogum ardentem, in quem præcipitaretur, perductus est. Sed orante eo, venit repente imber inundans, & extinxit ignem. Post hoc jussit ei linguam abscindi. Quo facto, cum Christum voce clarissima collaudaret, reclusus in carcerem, ad extremum laqueo strangulatus est.

Hesychii. Eodem die in eadem urbe, natalis sancti Hesychii, qui sub præfato Imperatore cum esset miles, & præceptum audisset, ut quisquis non sacrificaret idolis, cingulum militiæ deponeret, repente cingulum solvit. Ob hanc causam Imperator colobio indutum, primo in gynæceum eum dedit: deinde ligato in dextera ejus saxo ingenti, in fluvium præcipitari jussit.

Acisli & Victoriæ. VARIA LECTIO. Cod. 511. hac die ita incipit. „ Cordubæ in Hispaniis, „ sanctorum martyrum Acisli & Victoriæ, ubi ob commendationem pretiosæ „ mortis eorum, eodem die rosæ ortæ divinitus colliguntur. Antiochiæ, natalis sancti „ Romani monachi qui &c. ut in editis.

Cod. 512. incipit: *Natalis sancti Acisli &c.* ut in editis. Cod. 514. *In Antiochia &c.* ut in editis.

Ed: *Hesychii*. Cod. 511. 512. *Esichii*. Ed. *gynæceum*. Cod. 511. *giceum*. Post verbum *jussit* ad extremum sequitur in codicibus 511. 512. 514.

Dedic. Eccles. Sancti Germani. „ Antissiodoro, dedicatio basilicæ sancti Germani Episcopi cum superioribus criptis.

Romani. ADNOTATIO. Insignis est hac die ubique gentium *Romanus* martyr *Antiochenus*, Prudentii hymno x. versibus quamplurimis celebratus. Agunt autem de eo Hieronymiana, & apographum Bedæ Palat. Vat. 833. Gellonense, Rabanus ex Actis, Florus, & Ado item ex Actis, contracte Usuardus, Romanum parvum, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Labbeanum, Corbejense brevius, & Kalendarium Vat. 3806. Toletanum Breviarium Mozarabum, a Blanchino editum inter Opera Card. Thomasii pag. 6. & Lectionarius liber Epistolarum ad usum Ecclesiæ Mediolanensis. In his fere omnibus *monachus*, & *martyr* dicitur. Quæ ad *Romanum* pertinent, & ejus Acta, post Baronium, & Florentinium pag. 975. congessit Ruinartius pag. 378. & Tillemontius tom. v. pag. 699. Duos distinguit *Romanos* Baronius, nixus Menologiorum auctoritate, qui duos *Romanos* quidem & martyres, diversis pœnis cruciatos celebrant, & horum alterum Ecclesiæ Cæsariensis diaconum faciunt, de quo Eusebius lib. VIII. cap. XII. Baronio adstipulari videtur Valesius: non acquiescit tamen Ruinartius, donec certiora monumenta proferantur. Vide apud eundem pag. 379. & seq. Acta ex Eusebio Cæsariensi lib. II. de resurrect. & Prudentii hymnum illustratum. Ibi de Homilia Chrysostomi in *Romanum martyrem*, quam ad *Romanum* diaconum Ecclesiæ Cæsariensis pertinere arbitratur Baronius. Ea habetur in nova editione tom. II. pag. 617. Sollerius in hac disceptatione de duobus *Romanis*, adhuc hæret, in quam declinandum sit. Passus est A. D. 303.

Hesychii. *Hesychius*, seu *Isicius* Antiochenus hac item die celebratur a Hieronymianis, Gellonensi, Romano parvo, Floro, Adone nostro, Usuardo, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Richenoviensi, & Labbeano. Romanum parvum habet: *Et sancti Hesychii Palatini & martyris*. Martyrologium Fuldense Usuardum sequitur. Acta apud Mombritium subduntur Actis sancti Romani martyris. Vide quæ habet Sollerius ad hanc diem.

Dedic. Eccles. Sancti Germani. *Dedicatio* Ecclesiæ sancti *Germani* memoratur tantum hac die ab apographis nostris, & a Martyrologio Fuldensi. Facta est An. Dom. 859. a *Christiano* Autissiodorensi Episcopo;

ſcopo ; ſuperiores vero cryptas eadem die *Erchenraus* Epiſcopus *Catalaunenſis* conſecravit, ut ex Anonymo Petaviano narrat Mabillonius Annal. Bened. lib. XXXV. §. XLIX. Vide quæ diximus ad diem VI. *Januarii*.

A. XIII. KALENDAS DECEMBRIS. 19. *Nov.*

ROMÆ via Appia, natalis ſancti Maximi presbyteri, & martyris, qui perſecutione Maximini paſſus, poſitus eſt ad ſanctum Sixtum. *Maximi.*

Apud Viennam, ſanctorum martyrum Severini, Exuperii, & Feliciani: quorum corpora poſt multa annorum curricula ipſis revelantibus inventa, & a Pontifice urbis, clero, & populo honorifice ſublata, in baſilica ſancti Romani, quæ jam dictæ civitatis parte orientali ſita eſt, condigno honore condita ſunt. *Severini, Exuperii, & Feliciani.*

Euſeb. l. 7. cap. 10. Die eodem, natale ſancti Fauſti martyris. Huic tantum fiduciæ & magnanimitatis per Dei gratiam datum eſt, ut cum ad eos qui in carcere tenebantur fratres, nemo prorſus humanitatis & miniſterii cauſa permitteretur accedere, iſte una cum collega ſuo Euſebio indeſinenter & viſeret, & neceſſaria miniſtraret. Et cum per dies ſingulos præſidis furor creſceret, jugulando alios, alios ſuppliciis, & diverſis cruciatuum generibus affligendo, ſqualore carceris & catenarum ponderibus enecando, & ſuper omnia præcipiendo, ne quis ad eos prorſus accederet, ut & inedia quaſi aliud tormenti genus adhiberetur: conceſſit tamen Deus huic diacono & collegæ ejus gratiam, ut invitis omnibus, eis ad confeſſores Chriſti non negaretur acceſſus. Grandævus igitur & plenus dierum confeſſor perdurans, perfecto martyrio beatus Fauſtus obtruncatione capitis conſummatus eſt. *Fauſti.*

VARIA LECTIO. Ed. *Maximi*. Cod. 511. *Maximini*. Ed. *Die eodem, natalis &c.* Cod. 511. *Eodem die, ſancti Fauſtini martyris &c.* ut in editis. Poſt verbum *conſummatus eſt*, ad extremum ſequitur in codice 511.

„ Eodem die, beati Criſpini Epiſcopi, qui in civitate Aſtiagenſi (ſic) capite *Criſpini.*
„ amputato, martyrii gloriam adeptus eſt. Auguſtoduno, natalis ſancti Simplicii con- *Simplicii.*
„ feſſoris. Cod. 512. poſt verba *condigno honore condita ſunt*, habet:
„ Eodem die, Petragoriis ſuper fluvium Viſere (ſic) natalis ſancti Leontii Epi- *Leontii.*
„ ſcopi, & confeſſoris.

Deinde idem codex, & cod. 514. *Eodem die, beati Criſpini &c.* ut in cod. 511.

Maximi. ADNOTATIO. *Maximus* presbyter & martyr *Romanus* colitur hac die a Romano parvo, Adone noſtro, Uſuardo, & Kalendario Palat. Vat. 485. *Maximum* & *Mucianum*, in *Cæſarea Cappadociæ* deſignant Hieronymiane, Gellonenſe, Rabanus, Corbejenſe brevius, Labbeanum, & Martyrologium Ottobonianum. Ita Richenovienſe, in quo *Mucii*, pro *Muciani* legitur, ſed mox *Mucianum* addit. Gellonenſe extremo loco

loco habet : *Romæ, Maximi*. Vide quæ ex Actis adnotat hac die Baronius, & quæ ad hæc expendit Sollerius.

Severini & soc. De *Severino* & sociis agunt hac die Ado, qui de iis etiam in Chronico ad an. 163., Usuardus, & Wandelbertus, silentibus aliis. Vide quæ hac die post Tillemontium tom. II. pag. 321. monet Sollerius.

Fausti. De *Fausto* agit Romanum parvum his verbis: *Et Fausti Diaconi, & Eusebii collegæ ejus, martyrum visitatorum*. Hæc sumpta sunt ex Eusebio Rufini lib. VII. cap. X. ubi ex Epistola Dionysii Episcopi Alexandrini de Valeriani persecutione, hæc narrantur: *In quibus etiam memorat Maximum presbyterum, & Dioscorum, Demetriumque, & Lucium, nec non & FAUSTINUM, atque Aquilam satis claros, & insignes titulo confessionis effectos. Sed & ex diaconis quosdam in insula post pœnas confessionis esse defunctos, superfuisse vero ex his FAUSTUM, & Eusebium*. Post Romanum parvum agit Ado, & Usuardus; apud alios siletur. Vide Baronium in Notationibus, Ruinartium pag. 168. 172. 173. Tillemontium tom. IV. pag. 304. & *seq.* Castellanum ad diem III. *Octobris*.

Crispini. *Crispinus* in *Astiagensi*, seu *Astyagensi* Hispanorum urbe Episcopus & martyr additur ab apographis nostris, de quo etiam Usuardus genuinus hac die, silentibus inde cæteris. Sollerius ignorat, a quo Usuardus arreperit. Si fides habenda est nostris Adonianis apographis, ex eis totidem ferme verbis accepit. Ex Adone citat Petrus Equilinus in catalogo lib. X. cap. XXXXIV. sed ex quo Martyrologio Adonis, inquit Sollerius, prorsus non intelligo. Videant alii, num recte Petrus ex Martyrologio Adonis retulerit. *Crispini* gesta haberi in Breviario Toletano monet Baronius. Passus esse fertur c. A. D. 304.

Pone sequitur in nostris apographis *Simplicius*, Episcopus *Augustodunensis*, de quo hac die iterum Hieronymiana, licet inter Auctaria a Florentinio amandentur, Gellonense, Martyrologium Fuldense, Richenoviense, Labbeanum, Hagiologium Francogallicum, & Kalendarium Vatic. 3806. Apographa nostra, Hieronymiana, & Usuardus genuinus agunt die XXIV. *Junii*, item Richenoviense, & alia, ut ad eam diem diximus. Vide interea Sammarthanorum Galliam Christianam nuperrimæ editionis tom. IV. pag. 334. §. VI. in Augustodunensibus, ubi plura de *Simplicio*; & arduam illam controversiam exagitant, quo potissimum tempore floruerit, nec aliud assignant, nisi æqualem eum fuisse S. *Germano* Antistiti *Autissiodorensi*. Consule etiam Bollandianos ad diem XXIV. *Junii* pag. 812. *Simplicii.*

Extremo loco in uno ex apographis nostris recensetur *Leontius* Episcopus *Petragoricensis*, de quo hac die Usuardi Auctaria tantum. Quis autem sit iste *Leontius*, adhuc ignoro. In serie Episcoporum *Petrocoricensium* non comparet. In Martyrologiis Gallicanis ad diem XVI. *Novembris* colitur *Leontius* Episcopus *Forojuliensis*, die XIX. *Martii Leontius* Episcopus *Santonensis*, *Augustodunensis* die I. *Julii*, *Burdigalensis* senior die XXI. *Aprilis*, junior, die XV. *Novembris*. *Leontii.*

---

20. *Nov.* **B. XII. KALENDAS DECEMBRIS.**

Pontiani. ROMÆ, natalis sancti Pontiani Papæ. Qui, Maximino adversus Ecclesiarum sacerdotes persecutionem commoven- *Pontifical. cap. 19.* te, cum * Hippolyto presbytero Sardiniam deportatus, ibi- ** al. Philippo.* que fustibus mactatus, martyrium consummavit. Corpus ejus a beato Fabiano Papa relatum, atque in cœmeterio Callisti sepultum est. Sedit autem in Episcopatu annos novem, menses quinque, dies duos.

Ampeli, & Caji. Apud Siciliam, civitate Messana, sanctorum Ampeli, & Caji.

Silvestri. Apud Cabilonem, beatissimi Silvestri Episcopi & confessoris, qui quadragesimo secundo anno sacerdotii sui, plenus dierum atque virtutum, migravit ad Dominum. *Greg. Tur. de gloria Conf. c. 85.*

VARIA

VARIA LECTIO. Ed. *Maximino*. Cod. 511. 512. 514. *Maximiano*. Ed. *Messana*. Codices memorati: *Missana*, &c. *& Gaii*: Ed. *Cabilonem*. Codices: *Cavillonem*, *beatissimi Silvestri Episcopi*, *qui* &c.

Pontiani. ADNOTATIO. De *Pontiano* Romano Pontifice hac die agunt Romanum parvum, deinde Ado noster, Usuardus, & Martyrologium Fuldense. Cæterum Hieronymiana, Kalendarium Bucherianum, Gellonense, & Sacramentarium Blanchini agunt die XIII. *Augusti*. Vide ad eam diem, ubi de *S. Hippolyto*. Rabanus agit die XXX. *Octobris*, Wandelbertus vero hac die XX. *Novembris*. Vide quid animadvertat Sollerius hac die, quidque spondeat; interim consulendum monet Tillemontium tom. III. pag. 276. & 692. neque prætereas Pagium in Critica ad an. 235. n. V. & VI. & Coustantium in Epist. Rom. Pont. pag. 115. qui censent, *Pontianum* martyrio affectum A. D. 235. die XXVIII. *Septembris*.

Ampelii, & Caji. *Ampelius*, & *Cajus* in *Sicilia* martyres, coluntur hac die a Hieronymianis, licet corrupte, ab Adone, Usuardo, Martyrologio Ottoboniano, Rhinoviensi, & Richenoviensi. *Gai* tantum meminit Labbeanum. Vide Octavium Cajetanum de Sanctis Siculis, tom. I. pag. 122. Gellonense habet: *Alibi*, *Gagi*, *Maximi*, *Agapæ virg.*

Silvester Episcopus *Cabilonensis*, purus Adonianus est, Sollerii judicio, elogio sumpto ex Gregorio Turonensi de gloria confess. cap. LXXXV. Ex Adone delibavit Usuardus, aliis eum prætereuntibus veteribus Hagiographis. De eo post Baronium in Notationibus, vide Sammarthanorum Galliam Christianam in nova editione tom. IV. pag. 863. §. VI. in Cabilonensibus. Vivebat anno 517. at annus obitus incertus. Illius cultum a *Johanne* VIII. Romano Pontifice A. D. 879. dum in Galliis esset, diei XX. *Novembris* assignatum fuisse, ex veteri monumento, in eadem Gallia Christiana narratur; ac paulo post, scilicet pagin. 876. in sanctorum numerum tunc ab eodem Pontifice *Lupum*, *Silvestrum*, & *Agricolam* Cabilonenses Episcopos fuisse cooptatus una cum aliis, iidem editores tradunt. *Silvestri.*

C. IX. KALENDAS DECEMBRIS. 21. *Nov.*

Rom. 16. NATALIS beatissimi Rufi, de quo Apostolus Paulus ad Romanos scribit: *Salutate Rufum electum, & matrem ejus & meam.* *Rufi.*

In Italia, monasterio Bobio, sancti Columbani Abbatis, qui multorum cœnobiorum fundator, & innumerabilium pater extitit monachorum, multisque virtutibus clarus, quievit in senectute bona. *Columbani*

VARIA LECTIO. Deest in codicibus 511. 512. 514. hac die natalis *S. Columbani*.

Rufi. ADNOTATIO. *Rufus* apud Latinos memoratur primum ab auctore Romani parvi, deinde ab Adone, & Usuardo, ex quibus sumpsit Martyrologium Fuldense hac die, cæteris aliis vetustioribus silentibus. Commenticius videtur Episcopatus Thebanus a Dorotheo in Synopsi adscriptus. Fabulosa alia in Hispanicis Pseudochronicis exploduntur a Tillemontio tom. I. pag. 447.

Columbanus, qui & *Columba* Abbas Bobiensis, hac die colitur a vulgato Adone, ab apographis vero nostris die XXIII. hujus. Hinc magna animorum concertatione pugnatum de vera Martyrologiorum enunciatione. Sollerius ad Usuardum in varia lectione hujus diei, ex his quæ per litteras die XXXI. *Maji* ann. MDCCIX. datas acceperat a Castellano Usuardini codicis inspectore, monet a codice *Columbani*

Pratensi, erasa hac die omnia fuisse, & intrusos post *Rufum*, *Mariam Neocorensem*, *Maurum Histriensem*, *Demetrium*, & *Honoratum Ostienses*, & *Pragmatium* Episcopum *Augustodunensem*, rejecto *Columbano* in diem XXIII. hujus. Vide quid his reponat Bovvillartius in Usuardi Pratensis notis, ubi erasum fuisse ab Usuardo hac die *Columbanum* censet, & ad diem XXIII. *Novembris* amandatum, quod forte inspexisset codicem Gellonensis Martyrologii, in quo colitur die XXIII. *Novembris*. At objecit Sollerius diem obitus *Columbani* a Jona vitæ illius scriptore die XXI. *Novembris* statui, prout etiam ab Adone, & Wandelberto, quapropter ab Adonis textu non recessisse Usuardum, idcirco in sua editione Usuardi huic diei XXI. *Novembris Columbanum* affigit. Fateor quidem Bovvillartius errare potuisse ad diem quod attinet, sed ob errata quædam opus auctori non esse abjudicandum. At Adonis codices nostri, & Sangermanensis agunt de *Columbano* tantummodo die XXIII. *Novembris*, qua die agit Martyrologium Fuldense, a quo Ado, & Usuardus describi solent. Agunt ea die Hieronymiana, fatente ipso Sollerio, item Rabanus, Gellonense, Ottobonianum, Richenoviense, & Labbeanum. Pal. Vat. 39. sæculi XIII. agit die XXI. Satius igitur erit, si cum Mabillonio Annal. Bened. lib. XI. §. XVII. dicamus, obiisse *Columbanum* hac die XXI. *Novembris*, ut habet Jona in vita, & corrigenda esse vetera quædam Martyrologia, nimirum sincerum Usuardum, & Adonem, in quibus obitus illius die XXIII. statuitur, & præferendum esse Wandelbertum. Obiit *Columbanus* in monasterio Bobiensi A. D. 615. Acta ab Jona, & aliis descripta, habes apud Mabillonium sæc. II. Bened. pag. 5. & *seq*.

---

22. *Nov.* *D. X. KALENDAS DECEMBRIS.*

Cæcilia. ROMÆ, natalis sanctæ Cæciliæ virginis, quæ sponsum suum Valerianum, & fratrem ejus Tiburtium ad credendum Christo perdocuit, ac deinde ad martyrium incitavit. Hanc Almachius post martyrium eorum teneri fecit, & ut thura dæmonibus poneret impelli. Apparitores vero attendentes nimium decorem & prudentiam ejus, rogabant eam, ne tale decus amitteret, & tantam pulchritudinem in mortem daret. At illa consilium pietatis eis sufficienter insinuans, & de gratia omnipotentis Dei eos informans, cum ad credendum Christo permotos cerneret, dicit eis: Ite, dicite infelici Almachio, quod ego inducias petam: ut hic intra domum meam faciam venire, qui vos omnes faciat vitæ æternæ participes. Veniens igitur Papa sanctus Urbanus, baptizavit plus minus quam quadringentos promiscui sexus homines: inter quos unus clarissimus vir erat nomine Gordianus. Iterum Almachius beatam Cæciliam sibi præsentari jussit. Et cum insuperabilem eam in confessione fidei permanere videret, jubet, ut ad domum suam duceretur, & ibi flammis balnearibus concremaretur. Ubi inclusa die integro, & nocte quasi in loco frigido integra perstitit sanitate, cum semper incendia lignis congestis ministrarentur. Quod audiens Almachius, misit qui eam decollaret. Quam spiculator tertio ictu percussit; sed caput ejus amputare non potuit. Supervixit autem triduo. Tunc sanctus Urbanus corpus ejus auferens nocte, sepelivit inter collegas suos Episcopos. Passa est autem beata virgo Marci Aurelii, & Commodi Imperatorum temporibus.

VARIA

VARIA LECTIO. In codicibus 511. 512. 514. post verbum *temporibus* ad extremum, ita sequitur:

Longini. „ Apud Cæsaream Cappadociæ, beati Longini militis, & martyris: quem tra-
„ dunt illum esse, qui lancea latus Domini nostri Jesu Christi pendentis in cruce ape-
„ ruit. Hic postmodum ab Apostolis baptizatus, cum apud Cappadociam sanctitate
„ præcipuus degeret, tandem ab Octavio præside comprehensus, post confessionem
„ fidei, lingua abscissa, & dentibus excussis, capite truncatus est. Simul cum eo *Afrodisii*.
„ coronatus est Afrodisius, cui & præses linguam absdidi (sic) jusserat. Quique post
„ abscisionem expedite Christum clara voce loquebatur.

Cæcilia. ADNOTATIO. De *Cæcilia* virgine, & martyre plenæ sunt omnes Latinorum & Græcorum tabulæ hac die, silentibus tantum Kalendario Bucheriano, & Carthaginensi. Agunt autem de ea una cum sociis *Tiburtio* &c. apographa Hieronymiana. Agit de *Cæcilia* tantum cum brevi elogio Beda, item ex eo Rabanus. Deinde Romanum parvum, Gellonense, Ado pluribus, contracte Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Labbeanum, Corbejense brevius, in quo jungitur Cæciliæ *Valerianus*, Kalendarium Pal. Vatic. 485. & Vat. 3806. ut alia Hagiologia recentiora omittamus. At non est prætereundum, in nonnullis agi de ea die XVI. *Septembris*. Corbejense brevius ea die habet: *Romæ, passio sanctæ Cæciliæ virginis*. Meminerunt *Cæciliæ* ea die una cum aliis Richenoviense, Augustanum, & Labbeanum. Cultus item illius Liturgicus non modo in S. R. E. sed ritu Mozarabum, Gothico-Gallicano, & Gregoriano vetustiori insignis hac die est; siquidem in codice Gelasiano pag. 175. pridie hujus Missa in *vigilia sanctæ Cæciliæ* statuitur, & hac die alia Missa in ejusdem natali, ubi tres orationes ante *Secreta* præmittuntur, nimirum: *Omnipotens sempiterne Deus, qui eligis infirma mundi. Exaudi nos Deus salutaris noster. Crescat, Domine.* Secreta: *Quæsumus, virtutum*. Post com. *Hæc nos, Domine*. In Sacramentario Blanchiniano pag. LI. Missæ quinque statuuntur in *natali sanctæ Cæciliæ*. In Missali Gothico pag. 296. Missa legitur in ejusdem virginis natali, ut in Missali Mozarabum, & orationes in Breviario Toletano, ac alio hujusmodi Blanchiniano nuper edito. Missa præterea in illius natali habetur in Gregorianis omnibus, in quibus prima oratio est: *Deus, qui nos annua*. Secreta: *Hæc hostia*. Ad com: *Satiasti, Domine*. Præteritur ab his Missa de *vigilia*; sed habetur in Missali plenario Vatic. 4770. ubi prima oratio: *Deus, qui beatam Cæciliam ita castitatis devotione complacuit* &c. Est ibi etiam Præfatio propria, & sequitur hac die XXII. alia Missa in natali ejusdem cum alia Præfatione propria. Capitularia demum Evangeliorum veterrima tom. III. de Liturgia Romana Pont. pag. 283. Evangelium in natali S. *Cæciliæ* hac die præscribunt. Quid? quod ejus nomen in Canonem Missæ illatum est, & in Litanias veterrimas. Meminit de ea una cum aliis virginibus illustribus Venantius Fortunatus lib. VIII. carmine IV. de virginitate, sed turbat aliquid, dum eam *Siculam* natu facere videtur, versiculo illo:

Cæciliam Sicula profert, Seleucia Theclam.

Cui quidem inhæsisse videtur Tillemontius tom. II. pag. 381. tom. III. pag. 260. 689. 690. Apud Adonem etiam, & Usuardum mendum cubat, dum habent, eam passam *Marci Aurelii & Commodi Imperatorum temporibus*, quod jampridem monuit Baronius in Notationibus, & alii recentiores, inter quos Sollerius in Usuardum hac die, quum passa dicatur c. A. D. 230. Circumferuntur illius Acta a pluribus edita, & ab Antonio Bosio illustrata. Metaphrastina Latine occurrunt apud Lipomanum, & Surium die XXII. *Novembris*. Apud Mombritium tom. I. pag. 188. incipiunt: *Humanas laudes* &c. *usque in hodiernum diem*. A Baronio in Notationibus antiquiora esse putantur, quæ in veteri codice apud Sanctimoniales vetustissimæ Ecclesiæ, seu tituli S. Cæciliæ in Urbe asservantur, & ex Actis aliqua profert idem Baronius ad an. 232. n. XI. *& seq.* Nos Acta S. Cæciliæ conjuncta cum Actis SS. *Valeriani, Tiburtii & Maximi* vidimus in Codice Reginæ Suecorum 523. pag. 35. ubi hic præfigitur titulus, post Acta S. Bricii: *Incipit passio sanctorum martyrum Valeriani, Tiburtii, Maximi, & Cæciliæ. Tempore illo audiens beata Cæcilia* &c. usque: *Dominus autem coronavit martyrem suam in pace*. De translatione S. *Cæciliæ* ex cœmeterio Callisti in Ecclesiam ejusdem Cæciliæ in regione transtiberina sub *Paschali* I. & de illius ibidem inventione sub *Clemente* VIII. Baronius ad an. 821. n. I. *& seq.* Vide, quæ ad diem XIV. *Aprilis* supra adnotavimus.

De *Longino* vide, quæ cum vulgatis diximus ad diem I. *Septemb.* Agunt hac die inter cæteros Gellonense, & Rabanus. *Longini.*

23. Nov. E. IX. KALENDAS DECEMBRIS.

Clementis. NATALIS sancti Clementis, qui sub persecutione Trajani, martyrio coronatur. Vide libellum de fest. Apost.

Tunc etiam illustrissima, & beatissima Dei famula Flavia Domitilla, quæ fuit Flavii Clementis consulis ex sorore neptis, & a sancto Clemente sacro velamine ad integritatis perseverantiam traditur consecrata, ob testimonium quod Christo perhibebat, cum aliis plurimis in insulam Pontiam exilio deportata, longum inibi martyrium duxit.

Felicitatis & fil. Eodem die, natale sanctæ Felicitatis, matris septem filiorum martyrum, quæ jubente Antonino decollata est pro Christo. Idem enim Imperator injunxerat præfecto urbis Publio, ut eam compelleret cum filiis suis deorum sacrificiis inclinari. Qui blando alloquio ad sacrificium eam provocans, minatur pœnarum interitum. Cui B. Felicitas: Nec blandimentis tuis resolvi potero, nec terroribus frangi. Habeo enim Spiritum sanctum, qui me non permittet vinci a diabolo; & ideo secura sum, quia viva te superabo: & si interfecta fuero, melius te vincam occisa. Deinde alia die sedit præfectus in foro, jussitque eam adduci cum filiis suis, cui & dixit: Miserere filiis tuis juvenibus bonis, & flore primæ juventutis florentibus. B. Felicitas respondit: Misericordia tua impietas est, & exhortatio tua crudelitas est. Et conversa ad filios suos dixit: Videte filii cælum, & sursum adspicite ubi vos expectat Christus cum sanctis suis. Pugnate pro animabus vestris, & fideles vos in amore Christi exhibete. Audiens hoc Publius, jussit eam alapis cædi. Tunc convocans filios ejus, cœpit cum eis agere ut sacrificarent. Januarius respondit: Stulta suades; nam sapientia Domini me conservat, & faciet me omnia tormenta superare. Statim Judex jussit eum virgis cædi, & in carcerem recipi. Felix dixit: Unus est Deus, quem colimus, cui sacrificium devotionis offerimus, unde tu ne credas, aut me, aut aliquem fratrum meorum a Domini Jesu Christi amore recedere: & si immineant verba, fides nostra nec vinci potest, nec mutari. Philippus dixit: Isti, de quibus dicis, nec dii sunt, nec omnipotentes, sed sunt simulacra vana, & misera, & insensibilia, & qui eis sacrificare voluerit, in æternum peribit. Sylvanus dixit: Nos si transitorium timuerimus interitum, æternum incurremus supplicium: & quoniam vere novimus quæ præmia sunt parata justis, & quæ pœna sit constituta peccatoribus, idcirco Romanas leges contemnimus, ut jussa divina servemus. Alexander dixit: Ego servus Christi sum, ore confiteor illum, corde teneo, incessanter adoro. Infirma ætas, quam vides, canam

nam habet prudentiam. Vitalis dixit: Melius vivit, qui verum Deum colit, quam qui dæmonia optat habere propitia. Martialis dixit: Omnes, qui non confitentur verum Deum esse, in æternum incendium erunt. Judex gesta omnia scriptis Antonino innotuit. Quos ille jussit diversis suppliciis interire, matre novissime consummata.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. ita incipiunt. „ Natalis sancti „ Clementis, de quo Apostolus Paulus ait: *Cum Clemente & ceteris cooperatoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ*. Hic quartus post Petrum Romæ Episcopus, siquidem secundus Linus fuit, tertius Anacletus sub persecutione Trajani &c. *usque*: hodie Romæ extructa Ecclesia custodit, *prout in libello de festivitatibus Apostolorum*. Deinde sequitur in eisdem codicibus. „ Tunc „ etiam inlustrissima, & beatissima Dei famula Flavia Domitilla, quæ fuit Flavii „ Clementis ex sorore neptis &c. *prout in editis*. Philip.4.

Post verbum *consummata* ad extremum, sequitur in eisdem codicibus. „ In „ Italia, Monasterio Bobio, natalis sancti Columbani Abbatis, qui multorum coenobiorum fundator, & innumerabilium pater extitit monachorum multisque virtutibus clarus quievit in senectute bona. *Columbani*

Clementis. ADNOTATIO. *Clemens* Romanus Pontif. x ubique gentium vetustissima apud Christi fideles veneratione æque ac Cæcilia pridie hujus, ita hac die & paulo ante colitur. Agunt autem de eo hac eadem die iterum Hieronymiana, quum antea die xxi. meminissent. Adde Kalendarium Carthaginense, Bedam, Rabanum, Gellonense, Romanum parvum, Adonem nostrum, Usuardum, Wandelbertum, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Labbeanum, Corbejense brevius, Kalendarium Palat. Vatic. 485. Vatic. 3806. & alios recentiores. In horum plerisque, *Romæ* natalis *Clementis* designatur. Cultus quoque Liturgicus eadem similiter ratione in libris omnibus vetustissimis, nimirum in Gelasiano pag. 176. Missali Gothico pag. 298. Mozarabum, Sacramentario Blanchiniano pagin. LII. in Sacramentariis Gregorianis, & Capitularibus omnibus Evangeliorum tom. III. de Liturgia Roman. Pontif. pag. 283. Neque omittas, *Clementis* nomen sacro Missæ canoni adscriptum. Passus esse fertur c. A. D. 100. & quidem in Taurica Chersoneso, insula *Leucæ*, ut censet Rosvveidus in Notationibus ad Adonem in principio. Superest, ut de pervolgatis Actis aliquid attingamus, de quibus Baronius ad an. 102. num. II. *& seq.* & in Notationibus, & Sollerius in Usuardum hac die, qui nos monet, Tillemontium tom. II. pagin. 149. *& seq.* ac pag. 549 *& seq.* diligenter perscrutatum esse, quæ ad certam *Clementis* laudem pertinent. Acta Græca incerti auctoris, & fere synchroni, ut visum est Allatio in libro de Simeonibus pag. 118. Græce & Latine edita sunt a Cotelerio in Patribus Apostolicis, ut Acta Metaphrastina & sermo *Ephræmii* Episcopi *Chersonensis* de miraculo quodam. Metaphrastina Latine habent Lipomanus & Surius hac die xxiii. *Novembris*. Ante Lasius an. 1551. narrationem quandam edidit & illustravit. Latine miraculum de puero habetur apud Surium hac die, & meminit Gregorius Turonensis de gloria martyrum cap. xxxv. xxxvi. Acta apud Mombritium tom I. pag. 193. incipiunt: *Tertius Romanæ* &c. usque, *sub die nono Kalendarum Decembrium*. Sequitur: *Miraculum ejusdem*. *In voluminibus* &c. usque, *in sæcula sæculorum*. In codice etiam Reginæ Suecorum 523. pag. 239. idem horum Actorum initium est, nimirum: *Tertius Romanæ Ecclesiæ præfuit Episcopus Clemens* &c. usque *æstimabat*. In codice vero ejusdem Reginæ 588. pag. 148. idem est exordium, sed extrema verba sunt: *& benedicitur Christus* &c. Acta quoque Græca a Cotelerio edita pag. 808. editionis primæ incipiunt: *Tertius Romanæ Ecclesiæ præfuit Clemens &c.* Impia, & exercenda sunt, quæ apud Dodvvellum inter Pearsonii Opera posthuma pag. 213. *& seq.* leguntur, in dubium vocantem *Clementis* martyrium, propterea quod Rufinus primum eum *martyrem* appellavit. Nunc addendum est aliquid de illius translatione Romam, quæ a Baronio ad an. 867. num. cxxxii. eo anno contigisse narratur, quo *Cyrillus* & *Methodius* orientales monachi Chersona Romam corpus S. *Clementis* Papæ detulerunt; nam, ut ibi Baro-

Baronius, ex Leone Ostiensi accepta narratione in catalogo SS. lib. x. cap. xcviii., reperto in loco martyrii a quodam Philippo Sacerdote una cum Episcopo Georgiæ, *Clementis* corpore, & Chersonam allato, a *S. Cyrillo* Slavorum Episcopo, *Nicolao* I. Romano Pontifice, Romam delatum fuit, & in illius Ecclesia reconditum. At hæc nutant. Apertiora sunt quæ in vita SS. Cyrilli & Methodii apud Bollandianos die ix. *Martii*, una cum Actis de translatione S. *Clementis*, quorum auctor esse fertur *Gaudericus* Episcopus Veliternus, pag. 19. *& seq.* traduntur. Ibi enim habetur, *Cyrillum & Methodium*, *Nicolao* Pontifice jam vita functo, Romam venisse, *Hadriano* II. ad Pontificatum evecto, secumque detulisse S. Clementis corpus, quod honorifice exceptum, miraculorum signa edidit. De delatione hujusmodi Romam meminit Anastasius Bibliothecarius in litteris ad Carolum Francorum regem scriptis c. A.D. 876. ubi hæc habet: *Vir magnus, & Apostolicæ vitæ præceptor, Constantinus Philosophus* (ita vocabatur *Cyrillus* ante Episcopatum) *Romam sub venerabilis memoriæ Hadriano juniore Papa venit, S. Clementis corpus sedi suæ restituit.* De adventu Romam Cyrilli & Methodii vide Pagium in Critica ad an. 867. n. xxiii. & Bollandianos, ut supra. At brevi tempore *Romæ* substitit *S. Clementis* corpus, si vera narrantur in veteribus monumentis apud Ughellum tom. v. pag. 1298. ubi de dedicatione basilicæ monasterii Casauriensis A. D. 872. vi. *Kalendas Junii*, translato illuc *S. Clementis* Papæ & martyris corpore, quod *Ludovicus* Imperator, qui huic dedicationi interfuisse dicitur, ab *Hadriano* Pontifice hujus nominis II. obtinuerat. Verum hujusmodi narrationem in notis Chronicis nutare monet Mabillonius Annal. Bened. lib. xxxvii. §. xliii. quia in tabulario Farfensi habetur, *Ludovicum* Imperatorem hoc anno Farfense monasterium adiisse, ibique v. *Kalendas Junias* præceptum pro eodem monasterio edidisse. Adversantur etiam Annales Bertiniani, in quibus *Ludovicus* ex Urbe ad Beneventanas partes hoc anno profectus dicitur. Itaque statuit Mabillonius, hujusmodi dedicationem, absente Imperatore, factam fuisse. Cæterum in præceptis ejusdem *Ludovici* pro monasterio Casauriensi, datis A. D. 874. ut idem Mabillonius, ibidem §. lviii. animadvertit, mentio fit de corpore *S. Clementis* Papæ & martyris in monasterium Casauriense translato. Alia porro aliorum Imperatorum & Regum pro eodem monasterio monumenta in Chronico Casauriensium apud Dacherium Spicilegii to. v. primæ editionis, ubi passim de corpore S. *Clementis*, ibidem quiescente. Vide ea de re eundem Dacherium in Præfatione ipsius tomi. Sed quod sæpe alias dictum est, partem pro toto sumi, reliquias vocarunt corpus, & Bollandiani memorato loco p. 15. putant, reliquias S. *Clementis* tantummodo Romam per Cyrillum & Methodium fuisse delatas, propterea quod A.D. 1048. *Henrico* I. Galliæ rege, miraculum *Chersonæ* per S. *Clementis* reliquias editum feratur, & an. 1040. ejusdem *Clementis* caput *Kioviam* delatum fuisse narretur. De vetustissimo *S. Clementis* titulo in Urbe post Baronium in Notationibus, & alios recentiores, nihil ausim proferre.

Felicitas septem filiorum mater celeberrimo quoque majorum impenso studio hac die colitur in fastis Latinorum omnibus, nimirum a Hieronymianis, & cæteris aliis, nuper in Clemente memoratis, si excipias Kalendarium Carthaginense. Ita quoque libri Liturgici omnes, præter Missale Gothicum. De ea vide quæ jam dicta sunt die x. *Julii*. In Liturgicis libris quidpiam indicatur *Kalendis Augusti* de *S. Felicitate*; at ignoro de qua *Felicitate*. Certe quidem ad oram Capitularia Evangeliorum in codice Vat. 7016. a nobis editi tom. II. de Liturgia Rom. Pontificis, licet alieno charactere, eoque minus vetusto indicatur die I. *Augusti* Evangelium in natali *S. Felicitatis*, & in Missali plenario Vat. 4770. eadem die Missa statuitur in natali *sanctæ Felicitatis*, *& sanctæ Justæ*, *& alii sancti* (ut ibi mendose) & habetur etiam Præfatio propria. De *Justa virgine apud Italiam* agunt Auctaria Usuardi die I. *Augusti*, sed de *Felicitate* silent. De Actis diximus ad diem x. *Julii*. Eorum exemplar vidimus in codice Forojuliensi; ac incipiunt, & desinunt, prout in Actis genuinis apud Ruinartium pag. 21. *& seq.* *Felicitatis.*

Vide quæ ad *Columbanum* pertinent, adnotata die xxi. hujus. *Columbani*

---

24. *Nov.* *F. VIII. KALENDAS DECEMBRIS.*

Chrysogoni. ROMÆ, natale sancti Chrysogoni martyris, qui per biennium jussu Diocletiani conjectus est in vincula: ubi multa perpessus, sanctæ Anastasiæ alimoniis fovebatur. Cum igitur beatam Anastasiam zelans vir ejus Publius custodibus adhi-

adhibitis ita clausisset, ut nec cujuscumque fenestellæ aditum adspectaret, ad hunc confessorem Christi Chrysogonum, qui eam in Christo erudierat, talia scripta dirigit: SANCTO CONFESSORI CHRISTI CHRYSOGONO, ANASTASIA. *Licet pater meus cultor fuerit idolorum, mater tamen Fausta Christianissima semper vixisse probatur & casta. Hæc me inter ipsa cunabula fecit fieri Christianam. Post cujus excessum sacrilegi jugum mariti suscepi. Cujus, Deo miserante, torum mentita infirmitate declinans, die noctuque Domini nostri Jesu Christi amplector vestigia. Cum iste patrimonium meum, ex quo illustratur, cum indignis & turpibus idololatris exhauriat, me quoque veluti magam atque sacrilegam custodiæ tam gravissimæ mancipavit, ut vitam me corporalem amittere suspicer. Nihil enim superest, nisi ut, emisso spiritu, morti succumbam: in qua morte licet glorier de confessione Domini nostri Jesu Christi, tamen in eo mens mea valde conteritur, quod opes meæ, quas ego ex asse Deo voveram, alienis a Deo, & turpibus inserviunt. Et idcirco deprecor te, homo Dei, ut instanter Dominum depreceris, ut aut, ad fidem suam venturum si prævidet Publium, sinat vivere, aut, si prævidet eum in hac incredulitatis perversitate mansurum, jubeat eum dare locum suis cultoribus. Melius est enim ei exhalare spiritum, quam Dei filium denegare, & eum confitentes impedire. Etenim Omnipotens testis est Christus, quoniam si liberata fuero, Sanctorum vestigiis adhærebo, & curas omnium exercebo, ut cœperam. Vale vir Dei, & memento mei.* Cum hanc Epistolam legisset Chrysogonus, oratione facta cum multis confessoribus, ita rescripsit: *Fluctuanti tibi inter procellas & turbines mundi, cito super undas deambulans Christus adveniet, & diaboli adversum te flantem spiritum uno jussionis suæ sermone compescet. Patienter, & quasi in medio mari posita, crede ad te Christum esse venturum, & ad temetipsam conversa, exclama cum Propheta, dicens:* Quare tristis es, anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus. *Geminum divini muneris probatur indicium, cum tibi, & terrena reddentur, & donabuntur cælestia. Deus enim beneficium suum ad hoc extremitatibus protrabit, ut non sit nobis vile, quod præstat. Vide ne turberis in hoc, quod pie viventi tibi inserantur adversa. Non enim deciperis, sed probaris. Non est tuta defensio, quam per hominem putas posse constare. Audi Scripturam dicentem*, Maledictus homo, qui spem suam ponit in homine: & benedictus homo, qui spem suam ponit in Deo. *Cave fortiter, vigilanter, stre-*

Anastasiæ epistola.

S. Chrysogoni responsum.

Psalm. 41.

Jerem. 17.

nue universa peccata, & a Deo solo quære solatium, cujus jussa conservas. Cito enim ad te placidum tempus convertetur & quasi post noctis tenebras floridum diei lumen adspicies: atque post glaciale frigus hiemis transeuntis, aurea tibi tempora, & serena succedent, ut omnibus, qui pro Christi amore affliguntur, præbeas temporalem lætitiam, per quam sine dubio consequeris æternam. Vale in Domino, & ora pro me. Hanc epistolam legens Anastasia, fortiores fidei vires accepit, tantum de virtute patientiæ gloriari incipiens, quantum prius de oppressione infidelissimi viri se causabatur affligi. Igitur beata Anastasia, cum ita in custodia stringeretur, ut vix ei aqua daretur, æstimans se in ipsa tribulatione deficere, scripsit epistolam:

Altera S. Anastasiæ epistola.

BEATO MARTYRI ET CONFESSORI CHRISTI CHRYSOGONO, ANASTASIA. *Finis venit corporis, memento mei, ut egredientem animam meam ipse suscipiat, pro cujus amore ista sustineo, quæ ex ore hujus vetulæ recognoveris.* Ad hæc sanctus Chrysogonus talia remisit scripta:

Chrysogoni rescriptum.

CHRYSOGONUS ANASTASIÆ. *Semper est ut lumen tenebræ antecedant. Sic etiam post infirmitatem salus revertitur, & vita post mortem promittitur: Uno fine concluduntur & adversa hujus mundi, & prospera: ne vel tristibus desperatio, vel lætis elatio dominetur. Unum mare est, in quo naviculæ corporis nostri velificant, & sub uno corporis gubernatore animæ nostræ nautico funguntur officio. Quorumdam igitur naves fortissimis carinarum nexibus solidatæ, tenebrosi æquoris concitatos fluctus illæsæ prætereunt. Quorumdam vero fragili junctura lignorum etiam in tranquillo vicinum morti conficiunt cursum. Prope est enim ut pereant, qui non cogitant qualiter ad salutis portum pertingant. Tu autem o Christi irreprehensibilis famula, Crucis Christi trophæum tota mente constringe, & teipsam ad opus Dei præpara. In quo ejus desideriis dum parueris, cum martyrii palma ad Christum pertinges.* Igitur Diocletianus in Aquilejæ partibus positus, interficiens Christianos, jussit sibi adduci Chrysogonum. Cui cum diceret: Accipe Præfecturæ dignitatem, sume etiam Consulatum generis tui, tantum ut adores deos; Beatus Chrysogonus respondit: Unum Deum mente adoro, corde colo, sinceris actibus veneror: istorum autem deorum vestrorum simulacra, quia omnino dæmonum thecas novi esse, execror, atque abjicio. Tunc jussu Diocletiani ductus est ad aquas Gradatas, & ibidem decollatus. Corpus ejus in mare projectum, post modicum in possessione, quæ dicitur ad Saltus, inventum est. Quod sanctus Zoilus, senex presbyter collegit, & in locello subterraneo in cubiculo suo posuit.

posuit. Cui etiam caput ejus revelatum est, ita recens, quasi eadem die fuisset abscissum, quod corpori ejus compaginavit. Passus est autem B. Chrysogonus VIII. Kal. Decembris, V. Kal. ejusdem mensis conditus. Sanctus vero Zoilus tricesimo die passionis ejus, apparente sibi S. Chrysogono, perrexit ad Dominum.

VARIA LECTIO. Post extrema verba *perrexit ad Dominum*, sequitur in Codicibus 511. 512. 514.

„ Romæ, natalis sancti Crescentiani, qui tempore Maximiani, jubente Car- *Crescen-*
„ pasio, in eculeum suspensus, & fustibus cæsus atque ungulis diutius rasus, dein *tiani.*
„ flammis circa latera ejus appositis, diu ustulatus emisit spiritum. Castro Blavia,
„ sancti Romani presbyteri & confessoris, cujus sanctitatis præconium miraculorum *Romani.*
„ gloria declarat. Civitate Corduba, sanctarum virginum Floræ & Mariæ, quæ post *Floræ, &*
„ diuturnos carceres, pro Christo gladio interemptæ sunt. *Mariæ.*

Chrysogoni. ADNOTATIO. In Latinorum & Græcorum tabulis fere omnibus hac die *Chrysogonus*, & quidem *Romæ*, colitur; ac item alia die. Agnot pridie, & hac die *Hieronymianum*; sed *Aquilejæ* eum recolunt. Beda vero genuinus hac die *Romæ*, prout Gellonense, Rabanus, Romanum parvum, Ado noster fuse, ubi Anastasiæ litteras cum responsis Chrysogoni refert. Usuardus contracte, deinde Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Labbeanum, Corbejense breviss, Kal. Palat. Vatic. 485. & Vat. 3806. In his fere omnibus, *Romæ* hac die colitur. Die vero IX. *Novembris* de *Chrysogono* una cum *Theodoro*, *Hippolyto*, *Adria*, & aliis, *Romæ* martyribus agit Gellonense, ac item Labbeanum. In libris porro Liturgicis Gregoriani ritus omnibus, ut in Sacramentariis Gregorianis, Antiphonariis, & Capitularibus Evangeliorum, quæ ad rem Liturgicam de *Chrysogono* pertinent, hac die habentur. Adde ejus nomen in sacro Missæ Canone. Cur vero *Romæ* potius, quam *Aquilejæ*, ubi passus esse dicitur, in Hagiographis recolatur, diligenter persequitur Florentinius. Sollerius ita rem componere studet, ut *Chrysogonus* ex Romana patricia gente, *Romæ* initium confessionis ediderit, quam *Aquilejæ* consummarit. Accedit vetustissimus in Urbe *Chrysogoni* titulus, ubi a Romanis suis coli cœpit. Acta, & epistolæ Anastasiæ cum Chrysogoni responsione inter apocrypha ablegantur, & cum Anastasiæ Romanæ viduæ Actis Metaphrastinis commiscentur; quæ Anastasiæ Acta, auctore Metaphraste, Græce leguntur in Bibliotheca Coisliniana pag. 213. & Latine apud Surium die XXV. *Decembris*. Anastasiæ epistolæ cum responso exstant apud Suidam verbo *Chrysogonos*, & apud Nicephorum Callisti lib. XIV. in fine, ex quibus eas descripsit Baronius ad an. 300. n. V. *& seq.* ac Latine edidit. Recentiores quidam has epistolas adscribendas esse potius putant *Anastasiæ* Romanæ martyri sub Diocletiano, quam *Anastasiæ* alteri, de qua die XXV. *Decembris*. Acta *Chrysogoni, simul & Anastasiæ, Agapes, Chryosæ* (pro *Chioniæ*) *Irenes, & Theodoræ* conjunctim habentur apud Mombritium tom. I. pag. 201. Acta alia Agapes, Chioniæ, & Irenes apud Bollandianos die III. *Aprilis* pag. 245. laudantur, quæ Henschenius magni facienda esse putat, ex cultu sanctorum *Chrysogoni*, & *Anastasiæ*. At Ruinartius ad Acta selecta pag. 419. 420. licet Chrysogoni, & Anastasiæ cultum veterrimum veneretur, id tamen Actorum antiquitati non conferre existimat. Vide quid ibi Ruinartius censura dignum esse in Actis Chrysogoni, Anastasiæ, & aliorum admoneat, & ex eo Pagius in Critica ad ann. 300. num. III. Vide etiam adnotata supra ad diem III. *Aprilis*. Alia Chrysogoni Acta nos vidimus in codice Canonicorum Forojuliensium, quorum exordium est: *Passio sancti Grisocboni martyris. Cum Diocletianus in Aquilejensi civitate positus, interficeret Christianos, relatio cucurrit de Christianis omnibus præfecturæ urbanæ debere omnes interfici, ad se vero Chrisogonum destinari &c.* usque, *decollatus est autem sanctus Chrysogonus sub die octavo Kal. Decembris, & reconditus in loculo a presbytero supradicto, idest Zoelo, Kalendis eisdem.* De *Zoilo* hac die agit Romanum parvum, & apographa nostra die XXVII. *Decembris*.

Crescentianus martyr additur ab apographis nostris, de quo etiam genuinus Usuardus hac die, ubi Sollerius animadvertit, unum esse ex sociis S. *Cyriaci*, de quo Hagiologia die XVI. *Martii*, & Kalendarium Bucherianum die VIII. *Augusti*. Agunt igitur hac die Beda *Crescentiani.*

eum brevi alogio, apographa noſtra cum elogio fere ſimili, Martyrologium Fuldenſe, iiſdem fere verbis, prout in apographis noſtria. Ottobonianum habet: *Et Creſcentiani, qui ſepultus eſt in cimiterio Priſcillæ*. De *Creſcentiano* una cum *S. Marcello* & aliis via Salaria ſepulto maminit Notitia apud Eccardum. Ex tabula marmorea in titulo Equitii, ad eundum titulum a *Sergio* II. translatum eſſe diſcimus, quod monet Baronius in Notationibus hac die.

Romani. Succedit in apographis noſtris *Romanus*, de quo item eiſdem verbis Uſuardus ganuinus. Quare Sollarius pure Uſuardinum eſſe putat. Id alii viderint. Sumptum eſt elogium, ut exiſtimat recte Sollerius, ex Gregorio Turonenſi de gloria confeſſ. cap. XLVI. qui a *S. Martino* ſepultum eſſe ſcribit. Apud alios Hagingraphos veteres de eo filetur. Obiiſſe fertur c. A. D. 383. *Blavia*, vulgo *Blaye*, opidum inſra *Garumnæ* & *Duranii* confluentes. Valeſiua in Notitia pag. 89. De *Blavienſi S. Romani* monaſterio, Gallia Chriſtiana novæ editionis tom. II. pag. 883.

Flora & *Maria* Cordubenſes martyres ab apographis noſtria tantum memorantur, & ab Uſuardo. Apud vulgatum Adonem quum ſileatur, cenſet Sollerius ab uno Uſuardo eas in tabulas Ecclaſiaſticas primum adoptatas. De his meminit Eulogius in Memoriali lib. II. cap. VIII. Paſſæ ſunt Arabica perſecutione An. D. 851. *Flora*, & *Maria*.

---

25. *Nov.*

G. VII. KALENDAS DECEMBRIS.

Petri Alexandrini. NATALE ſancti Petri Alexandrini Epiſcopi. Hic duodecim annos in Epiſcopatu illius urbis exegit: quorum tres ante perſecutionem, reliquos vero novem ſub diverſis tentationum generibus duxit. Cumque ſe ſemper in omni agone perſecutionum poſitus, arctioribus vinculis continentiæ diſtringeret, & ad utilitatem atque inſtructionem Eccleſiæ in verbo Dei nobiliter inſiſteret, ſatiſque vigilanter erga omnem ſacerdotii curam diebus ſudaret ac noctibus, nono perſecutionis anno, Epiſcopatus vero ſui duodecimo, martyrii coronam capitis obtruncatione promeruit. Ad hunc namque comprehendendum Maximinus tyrannus Tribunum quemdam direxit. Qui ingreſſus Alexandriam, reperit eum cum multitudine populi, ſanctorum Apoſtolorum commemorationem celebrantem: quem comprehenſum, & vinculis alligatum, poſuit in cuſtodia carceris. Et poſt dies aliquot Maximinus tyrannus litteris admonuit Tribunum, ut quam celerius eum puniret. Interea dum in carcere ſervaretur, & univerſus populus urbis Alexandriæ, fores carceris obſervaret amore paſtoris ſui, Arius infelix, qui a beato Petro excommunicatus & degradatus propter dogma erroris habebatur, cognita ſententia Maximini adverſus B. Petrum, feſtine pervenit ad Eccleſiam, obſecrans, ut pro eo clerus & populus apud Epiſcopum intercederet, putans quod poſt diſceſſum ejus ipſe levaretur Epiſcopus. Venientes igitur qui rogati fuerant, cœperunt pro Ario beatum Epiſcopum ſupplicare. Quibus ſanctus Epiſcopus magno ſuſpirio reſpondit, quod jam Arius Deo mortuus, a facie Dei projectus eſſet, quia graviter in eſſentiam Deitatis blaſphemaſſet, dogmatizans, Patrem & Fi-

Euſeb. l. 7. cap. ult. & lib. 9. a. 5. Ruff. 6.

& Filium & Spiritum ſanctum non eſſe unius eſſentiæ & naturæ. Et apprehendens duos presbyteros Achillam, & Alexandrum de turba ſeorſum, ait illis ſecrete: Ego quidem etſi peccator ſum, tamen ſcio me vocatione cæleſti ad hunc agonem martyrii eſſe vocatum. Vobis igitur pium eſt confiteri myſterium Dei, quod mihi revelatum eſt, quia vos poſt martyrium meum, ſedem & Epiſcopatum meum conſecuturi eſtis. Et tu quidem primus Achilla: poſt te vero Alexander. In hac hora denique noctis, ut vobis totum de Ario aperiam, cum ſolemni conſuetudine Deo ſacrificium orationum conſummaſſem: ecce ſubito apparuit mihi in habitu pueri Chriſtus Dominus meus, ad cujus præſentiam ſplendore nimio illuſtratus, vultum majeſtatis ejus non valebam adſpicere. Erat autem indutus colobio lineo candido nimis, conſciſſo a ſummo uſque deorſum: & ambabus manibus conjungebat eum circa pectus ſuum, quodammodo cooperiens nuditatem ſuam. Quem ut vidi, timore nimio correptus, tandem confortatus ajo ad eum: Quid eſt, Domine, quod video tunicam tuam ſciſſam a ſummo uſque deorſum? Qui reſpondens, dixit mihi: Quotidie inde tractas, & neſcis quomodo ſciſſa eſt? Arius namque hoc fecit, qui ſeparavit a me populum hæreditatis meæ, comparatum ſanguine meo. Præcipio nunc, & moneo, ne recipias eum in communionem, nec rogantibus his, qui venturi ſunt ad te, quos ille direxit, veniam ei præſtes. Hæc, quæ tibi manifeſtavi, duobus presbyteris nota facias, ut ipſi poſt te, eum anathematizando abjiciant, ne illius errore populi decipiantur. Exhortationis igitur ſermonem eis faciens, & ut in catholicæ fidei unitate manerent, commendans eos Domino, in quem crediderant, dimiſit in pace. Nimio vero amore illius cum populi circa carcerem detinerentur, & aperte de carcere educi beatus Petrus non poſſet: noctis medio Tribunus una cum militibus rupto pariete carceris, per modicum foramen ad locum, ubi decollandus erat, eum perduci fecit. Sanctus itaque Petrus oratione facta ad ſepulcrum beati Marci Evangeliſtæ, & ſanctorum ſucceſſorum ejus Aniani, Demetrii, Eraclii, & Theonæ, inclinans genua ſua, & gratias Deo agens, qui eum martyribus ſuis ſociaſſet, extendit cervicem ſuam gladiatori, atque ita percuſſus, martyrii palmam adeptus occubuit. Et reverenter inde a Chriſtianis ſublatus, in locum, qui dicitur Leocados, in cœmeterio, quod ipſe ædificaverat, ad Orientem civitatis Alexandriæ, ſepultus eſt. Hic quotieſcumque ingrediebatur in Thyſiaſterium, & aſcendebat ad ſuperioris pulpiti locum, oratione facta, & pace data populo, vide-

videbat ignis splendorem quasi egredientem de sede. Ad cujus fulgorem, ejus mens in nimium amorem contemplationis Dei rapiebatur, tantaque (virtutem antecessorum suorum considerans) humilitate tunc se deponebat, ut numquam in throno eminentiori, ubi ipsi resederant, sed sub scabello pedum illorum sederet. Passus est autem hic beatissimus Episcopus tempore Maximini Imperatoris, qui decimam persecutionem a Diocletiano & Maximiano cœptam in Orientis partibus exercuit. Cum quo simul & alii plures ex Ægypto Episcopi trucidantur cum clericis & laicis fere sexcentis sexaginta.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. ita incipiunt: *Natalis sancti Petri Alexandrini Episcopi in ter præcipuos egregii. Hic XII. annos omnes in Episcopatu &c.* ut in editis.

Petri. ADNOTATIO. *Petrum* insignem *Alexandriæ* Antistitem Latinorum & Græcorum tabulæ celebrant die I. *Septembr.* XXIV. XXV. & XXVI. *Novembris*. Hieronymiana colunt die XXVI. Gellonense agit die I. *Septembris* his verbis: *Alexandria, passio Petri Episcopi*. Ea quoque die Augustanum, & Labbeanum. Beda vero, Rabanus, Ado noster, Wandelbertus, Romanum parvum, Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum agunt hac die XXV. *Novembris*. Socii *numero fere sexcenti sexaginta*, de quibus Ado, prætereuntur ab Usuardo. Romanum parvum habet: *Sancti Petri Alexandrini Episcopi cum aliis* DCLX. Martyrologium Fuldense de his sociis ita præfert: *Cum quo simul & alii plures ex Ægypto Episcopi trucidantur. Scriptum in Historia Ecclesiastica*. Hic indicatur Eusebius Rufini lib. VIII. cap. XIV. Eadem ferme Ottobonianum: *In Alexandria*, inquit, *natalis sancti Petri Alexandrini, cum quo simul & alii plures ex Ægypto Episcopi capite sunt truncati*. Passus est Petrus, ut censet Ruinartius in Actis martyrum pag. 328. in notis ad Eusebium de martyribus Palæstinæ cap. XIII. A. D. 311. anno nono persecutionis *Maximini*, ut colligit ex Eusebii lib. VII. cap. XXXII. Vide Sollerium in Chronologia Patriarcharum Alexandrinorum p. 34. n. 180. *& seq.* Acta, ut commenticia & Metaphrastina explodentur a recentioribus, ac ea etiam, quæ Græce & Latine a Combefisio in lectis triumphis pag. 189. vulgata sunt, ut animadvertit Sollerius in Usuardum hac die, qui diligentissime omnia, quæ ad Petrum spectant, collegisse Tillemontium t. V. p. 436. *& seq.* nos docet, & in notis pag. 755. *& seq.*

---

26. Nov. A. VI. KALENDAS DECEMBRIS.

Lini Papæ. NATALIS sancti Lini Papæ, qui post Apostolum Petrum, primus Romanam Ecclesiam tenuit annis duodecim, mensibus tribus, ac duodecim diebus: & martyrio coronatus, sepultus est in Vaticano. Hujus Lini Paulus in epistola ad Timotheum meminit. *Pontificale cap. 2.* *2. Tim. 4.*

Fausti, Dii, & Ammonii. Apud Alexandriam, SS. martyrum Fausti presbyteri, & Dii, & Ammonii: qui cum B. Petro ejusdem urbis Episcopo, jubente Maximino, trucidati sunt. *Euseb. l. 8. cap. 13.* *Ruff. 14.*

Eodem

Eodem die B. Alexandri Episcopi & martyris, sub Antonino Imperatore. Cui beato Episcopo, cum esset famosissimus in miraculis, quodam tempore delatus est quidam mortuus: cujus parentes cum hortaretur sanctus vir, ut crederent in Christum, spoponderunt se facturos, si isdem mortuus suscitaretur. Tunc sanctus vir oratione facta, conversus ad corpus, dixit: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, surge. Qui statim surgens, clamare coepit: Audite parentes, & populus universus. Ductus a duobus Ægyptiis vultu teterrimis, iraque plenis, positus sum in obscurissimo loco, ubi erat puteus: subitoque veniente quodam juvene, nimio splendore corusco, totus ille locus contremuit, & exclamavit juvenis ille splendidissimus: Remittite puerum, quia vocatur a famulo Dei Alexandro. Et ecce reductus sum in corpore. Nunc domine Alexander, baptiza me in nomine Dei tui, ne ultra videam quod hodie vidi. Vocabatur is Lucejus: cum quo baptizati sunt alii centum vigintiquinque. Cumque rumor beatum Alexandrum ubique spargeret, Antoninus direxit Cornelianum præsidem, ut Alexandrum Episcopum ei exhiberet: qui invenit eum die Dominica in Ecclesia docentem, & Missas agentem: & sicut Imperator jusserat, apprehensum perduxit Romam. Secuti sunt autem eum Crescentianus presbyter, Bonifacius, & Vitalio. Præses vero ligatis manibus ejus retro, obtulit eum Antonino: a quo interrogatus, cum de Christo constantissime peroraret, fustibus jussus est mactari, & gravissime cædi, deinde in custodiam claudi. Quo cum a militibus duceretur, Antoninus post illum clamavit: Quatuor dierum a me tibi dantur induciæ, ut deposito cultu vanitatis tuæ, ultroneus advenias. Cui sanctus martyr respondit: Quatuor dies jam æstima præteriisse; quod desideras, hodie comple. Misso igitur illo in custodiam, B. Crescentianus sedens sub arbore, coepit plorare, & præ tristitia soporatus dormire. Cui visus est Angelus Domini, & dixit ei: Jam fui ad Alexandrum, & solvi vincula ejus, & confortavi eum: & nunc ne sedeatis sub hac arbore, ne forte tyranno nuntiemini. Eductus igitur de custodia beatus Alexander, iterum sistitur Antonino, & suspensus in equuleo, jubente impio, lampades ardentes circa latera ei appositæ sunt, ac ungulis corpus illius abrasum. Deinde ex equuleo depositus, ductus est ad templum Apollinis. In quod ingressus, statim ut oravit, pars aliqua templi, & simulacrum Apollinis cecidit. Antoninus vero hoc factum magicis artibus deputans, sedens pro tribunali, sanctum Episcopum

Alexandri.

pum

pum ad bestias damnavit. Et cum nulla eum tetigisset, fornacem igneam parari jussit, & beatum virum in eam jactari: Ut autem sanctus Martyr expansis manibus in medio fornacis oravit ad Dominum, totus ignis ita extinctus est, ut nec vestigium caloris remaneret. Tunc Antoninus de fornace sanctum virum eductum decollari præcepit. Cumque jam duceretur a militibus, quidam juvenis ex officio Antonini, Herculanus nomine, exclamavit, dicens: Antonine insensate tyranne, cur cæcus & surdus perduras? Ecce famulus Dei post virgas, post equuleos tuos, & lampades, atque ungularum attactus, post templi & idoli tui ruinam, post leonum & ursorum rabiem devictam, post fornacis ignem extinctum, nunc ad decollandum gaudio repletus vadit. Quis dubitet verum Deum esse, qui ita suos confortat? Antoninus hæc audiens, Infelix, inquit, juvenis, quid tibi factum est, ut tales sermones loquaris? Et iratus, jussit juvenem teneri, quem cum diversis cruciatibus afflixisset, gladio consummavit. Beatus vero Alexander cum duceretur, obviavit ei quædam vidua, quam beatus martyr rogavit, dicens: Commoda mihi orarium. At illa præstitit ei. Officiales autem dixerunt mulieri: Perdidisti orarium tuum. Facto itaque signo Crucis, expoliavit se beatus martyr tunica, & in linea stans, texit sibi de orario oculos, dein positis genibus suscepit gladium via Claudia, vigesimo miliario ab Urbe. Et factus est terræmotus, & vicus & thermæ ceciderunt. Sanctus autem Crescentianus, & hi qui cum illo erant, revelante martyre, tulerunt sanctas reliquias ejus, & sepelierunt in loco ubi orans fornacis ignem extinxerat. Et posuit supra scriptum marmor continens: *Hic requiescit sanctus & venerabilis martyr Alexander Episcopus. Cujus depositio celebratur undecimo Kalendas Octobris*. Cui Papa Damasus postmodum cryptam condignam faciens, illic eum sexto Kalendas Decembris transposuit, quando & festivitatem ei dicavit. Orarium porro illud sibi præstitum, unde sibi martyr oculos texerat, mox ut decollatus est, mulieri per quemdam puerulum, quem Angelum fuisse non est dubium, reformatum est. Quod illa non sine grandi stupore recepit, & vere martyrem confessa Alexandrum, Christo credidit.

Catherina. VARIA LECTIO. Cod. 511. ad oram aliena manu, quæ videtur sæculi XIII. habet: *Ipso die, natalis beatæ Catherinæ virginis, quæ cum sacrificare idolis noluisset, Mauxencius* (sic) *Imperator jussit eam in carcerem retrudi, deinde rotarum patibulo suspendi, post mammillas ab ipsius pectore avelli, &*

li, & ligari ad stipitem, & flagellari, & caput ejus amputari. In cujus amputatione lac videtur cum sanguine fluitare. Virginis corpus per sanctos angelos in montem (sic) *Sinai collocatur*. In textu vero codex agit primum de *S. Lino* Papa, usque *meminit*. Ad hæc habet: *Apud Alexandriam, natalis sanctorum martyrum Faustini, Dii, & Ammoni &c.* Cod. 512. 514. *Apud Alexandriam sanctorum martyrum Fausti presbyteri, & Detii* (Cod. 514. *Dii*) *& Ammonii &c.* Ed: *Cui Papa Damasus*. Cod. 511. *Cui martyri Papa Damasus*. Ed: *illic eum*. Cod: 511. *illuc eum*.

Lini. ADNOTATIO. *Linus* Papa hac die principe loco in vulgatis & apographis nostris occurrit. Varie autem apud Hagiographos *Linus* signatur, nimirum die XXIII. *Septembris*, & VII. *Octobris*. Agunt die XXIII. *Septembris* Rabanus, Gellonense, Florus, Augustanum, Labbeanum, Kalendarium Vatic. 3806. & Auctaria Usuardi. Die vero VII. *Octobris* Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, & Auctaria Usuardi. Hac die vero XXVI. *Novembris* Romanum parvum, Ado, Usuardus, Wandelbertus, & iterum Martyrologium Fuldense. Quæ ad *Linum* pertinent, post Baronium, Henschenium, & alios, discutiuntur a Tillemontio tom. II. pag. 546. *& seq.* Vide etiam Sollerium in Usuardum hac die, ubi a Baronii sententia ad an. 80. num. I. *& seq.* & in Notationibus ad XXIII. *Septembris* de *Lino* Bollandianos non discessuros affirmat. In tribus vetustissimis catalogis Romanorum Pontificum a Mabillonio editis in Appendice tom. I. Annalium Benedictinorum §. XXXVII. *Linus* post Petrum statuitur. Catalogus ex codice S. Germani *an.* XI. *mens.* III. *& dies* XII. ei statuit. Catalogus Laudunensis *an.* XIII. *mens.* VI. Corbejensis *an.* XII. *mens.* V. *dies* XII. In vulgatis aliis, ut in codice Reginæ Suecorum 718. sæculi XIII. p. 89. *an.* XI. *mens.* III. *dies* XXII. Nihil inde certi statues. Baronius in ea sententia est, ut *Linus* Pontifex martyrio coronatus sit A. D. 80. die XXIII. *Septembris*, postquam sedisset *annos* XI. mens. III. *dies* XXII. Pagius in Critica ad an. 78. num. III. *Linum* passum existimat A. D. 67. & non die XXIII. *Septembris*. Eadem scribit Pagius junior in vita. Alii eum sedisse volunt a die XXX. *Junii* an. 67. ad XXIII. *Septembr.* an. 78. Spuria sunt & erroribus referta, quæ *Lini* nomine circumferuntur Acta Petri, & Pauli Apostolorum, de quibus Baronius ad annum 69. num. VI.

Fausti & soc. *Faustus* & socii ex Eusebio Rufini lib. VIII. cap. XIV. accepti ab Adone primum sunt, ut visum est Sollerio, ex quo adamussim Usuardus, aliis cæteroquin silentibus.

Alexandri. *Alexander* Episcopus & martyr longo elogio hac die ab Adone celebratus, de quo item breviter egit die XXI. *Septembris*, hac die recolitur etiam a Romano parvo. Usuardus genuinus agit tantummodo die XXI. *Septembris*. Vide quæ ad eam diem diximus. Adi etiam Baronium ad an. 154. num. III. Acta, ex quibus Ado, incertæ fidei videntur: incerta quoque est adhuc *Alexandri* sedes Episcopalis.

Catharina. Lacinis uni ex hagiographis nostris recentiori manu hac die assuta, sumpta est ex Auctariis Usuardi apud Sollerium pridie hujus. Hac de re cursim monemus, a Baronio in Notationibus ad diem XXV. *Novembris* tradi, de *Catharina*, in antiquis codicibus *Æcatherina*, agi ea die a Græcis, & Latinis, Acta a Metaphraste scripta fuisse, & aliis; haberi tamen in his aliqua quæ corrigantur, ut quivis rerum gestarum illorum temporum peritus non inficiabitur. Idem ad an. 307. num. XXXI. censet, feminam illam Alexandrinam, quam deperiit *Maximinus*, ut est apud Eusebium lib. VIII. cap. XXVII., fuisse fama in Ecclesia celeberrimam, nomine *Catharinam*, seu *Hecaterinam*, *Æcbaterinam*, neque obstare Eusebium Rufini lib. VI. cap. XVII. qui eam *Dorotheam* vocat. At in aliam sententiam recentiores alii abeunt, nimirum Bollandus ad diem VI. *Februarii* pag. 776. Papebrochius in Ephemeridibus Græco-Moscis ante tomum I. Maji pag. 21. & in Responsionibus ad art. XI. num. 77. *& seq.* Ruinartius ad Acta martyrum pag. 239. Pagius in Critica ad an. 307. num. XVI. Tillemontius tom. V. pag. 447. & 761. & alii. Inter Martyrologos Latinos probatæ antiquitatis agit Richenoviense, die XXV. *Novembris* his verbis: *Et in Alexandria, sancta Katherina virginis & martyrie*.

B. V. KALENDAS DECEMBRIS. *27. Nov.*

Vitalis & Agricola. NATALIS sanctorum martyrum Vitalis & Agricolæ, qui apud Bononiam Italiæ urbem, post alia tormenta, ultimo crucifixi martyrium compleverunt. Quorum corpora post-

modum cum essent posita inter sepulcra Judæorum, & populo Christiano prorsus incognita, beatus Ambrosius (ipsis sanctis martyribus revelantibus) apud Bononiensem civitatem reperit: quæque exstructa ecclesia, cum magna fidelium lætitia, & dæmonum pœnis confitentium merita martyrum, sub altari deposuit.

Maximi. In Galliis, civitate Regiensi, natalis S. Maximi Episcopi, qui a primæva ætate virtutum omnium gratia præditus, primum Lirinensis cœnobii Pater: deinde Regiensis Ecclesiæ Episcopus, signis, & prodigiis inclytus extitit. Denique inter alia gesta magnifica, tres mortuos vivens: unum tactu (quod ad sepulcrum vehebatur) loculi, mortuus suscitavit. Greg. Tur. de gloria conf. c. 83.

VARIA LECTIO. Ed. *civitate Regiensi*. Cod. 511. 512. *civitate Regensi*. Ed. *qui a primæva*. Cod. 511. *qui primæva*.

Vitalis & Agricolæ. ADNOTATIO. De *Vitale & Agricola* apud *Bononiam* martyribus agunt hac die apographa Hieronymiana his verbis: *In Italia, civitate Bononia, Agricolæ, & Vitalis*. Silent Beda, Florus, & Rabanus. Gellonense die IV. Novembris: *Vitalis, Agricolæ mart.* Hac die vero, & III. *Decembris* confuse cum aliis *Agricolam* memorat. Romanum parvum hac die habet: *Bononiæ, Vitalis, & Agricolæ martyrum*. Usuardus genuinus, ut animadvertit Sollerius, fere ad verbum S. Ambrosium describit, dum hac die habet: *Apud Bononiensem civitatem, natalis sanctorum martyrum Agricolæ, & Vitalis, quorum posterior prioris servus fuit antea, nunc consors & collega martyrii*. Martyrologium Fuldense hac die: *In Italia, civitate Bononia, natalis sanctorum martyrum Agricola & Vitalis, quorum agones beatus Ambrosius Episcopus describit*. Ottobonianum: *In Italia, civitate Bononia, natalis sanctorum martyrum Agricoli* (pro *Agricolæ*) *& Vitalis*. Richenoviense hac die: *Et Italia, civitate Bononia, Agricolæ & Vitalis*. Labbeanum meminit *Vitalis & Agricolæ* die III. *Novembris*. Hac die hac vero habet: *Alibi Agricolæ, Severi, Euphimiæ, Lucæ*. Agunt demum hac die Wandelbertus, & Kalendarium Palat. Vatic. 499. Rursus Richenoviense die III. *Decembris* habet: *In Bononia Italiæ, Agricolæ, Lucii Episcopi*. Die vero X. *Decembris* extremo loco: *Arvernis, sancti Agricolæ & Vitalis mart.* Hæc spectant ad celebritatem diei, quo reliquiæ horum martyrum in Ecclesia a Namacio Arvernensi Episcopo extructa colebantur; qua de re Gregorius Turonensis de gloria martyrum cap. XLIV. Labbeanum quoque *Agricolæ* meminit die III. *Decembris*, & die X. habet: *Arvernis, Agricolæ, Vitalis mart.* Notkerus vero ad diem XXVIII. *Aprilis* ita profert: *In Bononia, Vitalis, & Agricolæ*. Martyrologium vero Romanum agit die IV. *Novembris*, qua die hi martyres in Usuardi Auctariis coluntur, qua die etiam in Ecclesia Bononiensi solemni cultu hactenus celebrantur. Insignem præconem hi martyres nacti sunt S. Ambrosium Episcopum Mediolanensem in libro de Exhortatione virginitatis cap. I. & II. ubi de eorum martyrio, inventione, & reliquiis fuse. *Bononiæ* tum temporе morabatur *Ambrosius*, cum horum martyrum inventio, & elevatio facta est, quare narrat ea quæ vidit. Quo potissimum tempore id contigerit, in controversiam adducitur. Baronius ad an. 392. num. XVIII. inventionem horum martyrum ad eum annum referre videtur, dum narrat, Ambrosium, ut *Eugenii* tyranni iram vitaret, *Mediolano* secessisse, ac *Bononiam*, & *Faventiam*, deinde *Florentiam* venisse, quo martyrum reliquias attulit. Baronio assentitur Ruinartius in Acta martyrum pag. 513. Ad annum potius 393. referenda hæc esse putant Hermantius, & Benedictini Monachi in ejusdem Ambrosii Vita pag. LIX. novæ editionis Parisiensis. Cætera, quæ ad horum martyrum cultum, reliquias ad Nolanam sancti Felicis Ecclesiam, & in Gallias delatas, prætereo, quum de his martyribus plura eaque selectiori studio collecta protulerit Eminentissimus Antistes Bononiensis Prosper Cardinalis Lambertinus, nunc BENEDICTUS XIV. PONT. MAX. quem vide in Adnotationibus de Festis P. III. §. XXIV. & seq. Circumferuntur autem Ambrosii nomi-

mine inscripta Acta, quæ vidimus in codice Reginæ Suecorum 523. pag. 197. quorum exordium est: *Incipit passio sanctorum martyrum Vitalis & Agricolæ, qua est III. Non. Novembris. Ambrosius servus Christi Jesu vocatus Episcopus, dilectissimis fratribus &c.* usque, *tertio Nonas Novembris, regnante &c.* Sed inter spuria hæc amandantur, quapropter Ruinartius pag. 514. horum martyrum encomium ex libro Ambrosii de Exhortatione virginitatis protulit. Passi dicuntur A.D. 304. Vide Tillemontium tom. v. pag. 314. & *seq.*

Maximi. *Maximus* in urbe Galliæ *Reiorum Apollinarium*, seu *Regensi* Episcopus, colitur hac die ab Adone primum, & pure Adonianus est, ut censet Sollerius, deinde ab Usuardo, & Martyrologio Fuldensi. Consule Baronii adnotationem hac die, & Sammarthanos in novissima Galliæ Christianæ editione tom. I. pag. 390. ubi summatim de ejus gestis & scriptis. Migrasse ad cælos dicitur hac die XXVII. *Novembris* c. A. D. 460. Vitam ejus scripsit *Dynamius Patricius*, quam habes apud Vincentium Barralim in Chronologia sanctorum Lirinensium pag. 120. & *seq.* Exstat & in codice Reginæ Suecorum 711. pag. 42. ubi habetur: *Incipit vita sancti Maximi Regensis urbis Episcopi. Domino beatissimo Patri Urbico Papæ salutem. Dum Apostolica &c.* Est *Urbicus* Episcopus Regiensis.

C. IV. KALENDAS DECEMBRIS.

28. Nov.

Act. 18. 1. Cor. 1. NATALIS S. Sosthenis Apostolorum discipuli. Sosthenis.

Eodem die, sancti Rufi martyris, quem Dominus noster Jesus Christus, cum omni domo sua per Chrysogonum martyrem lucratus est: quem cum omni domo sua Diocletianus punitum, Christo martyrem fecit. Rufi.

Victor. Afr. lib. 2. & 3. Eodem die apud Africam, natalis sanctorum martyrum Papinii & Mansueti Episcoporum: qui tempore Wandalicæ persecutionis sub Geiserico Rege Ariano, pro fidei Catholicæ defensione, candentibus ferri laminis toto corpore adusti, gloriosum agonem consummaverunt. Quo tempore etiam alii sancti Episcopi, videlicet Quodvultdeus Carthaginensis, Valerianus, Urbanus, Crescens, & qui vocabatur Habetdeum, & Eustachius, Crescentianus, & Cresconius, & Felix, & Hortolanus, & Florentianus, propter eamdem prædicationis veritatem, gravissimo damnati exilio, in confessione pietatis, cursum vitæ suæ consummaverunt. Papinii, Mansueti, & soc.

VARIA LECTIO. *Eustachius &c.* Codic. 511. & 512. *Euthiatyrus.* cod. 514. *Eusthiathius*: deinde codices 511. 512. & 514., *Crescentianus, & Cresconius, Felix, & Hortolanus, & Florentianus.*

Sosthenis. ADNOTATIO. De *Sosthene* bis agunt apographa nostra, die XI. *Junii*, & hac die, prout etiam bis Romanum parvum. Semel autem Usuardus genuinus hac die. Accurate ea de re disquirit Sollerius in Usuardum hac die, & putat ab Adone & Romano parvo distingui *Sosthenem*, de quo Eusebius Valesii lib. I. cap. XIII. ab alio *Sosthene*, qui a Paulo, & cum Paulo in epistola ad Corinthios nominatur. In Martyrologio Fuldensi hac die, aliena manu, & recentiore adnotatur: *Natalis sancti Sostenes, discipuli Apostolorum*. Die vero XXIX. *Decembris* in textu habet: *Natalis sancti Sileosthenis, discipuli sancti Pauli Apost.*

Rufi. *Rufus* colitur primum a Romano parvo, deinde ab Adone, & Usuardo. Ab aliis præ-

termittitur. Eadem, ut scribit Sollerius, *Rufi*, & *Crysogoni* Actorum ratio est.

Papinii, Mansueti, & soc. *Papinius* & *Mansuetus* cum aliis in Wandalica persecutione martyribus celebrantur hac die ab Adone, & Usuardo tantummodo. A Romano vero parvo, & Usuardo *Papinius* & *Mansuetus* tantum memorantur; de quibus seorsim agunt iterum apographa nostra die 1. Decembris. Ex Victore Vitensi lib. 1. elogium sumptum esse, censet Sollerius. Verba Victoris lib. 1. cap. ul. hæc sunt: *Tunc enim & nostræ civitatis venerabilis* PAPINIANUS, *antistes, candentis ferri laminis toto adustus est corpore. Similiter &* MANSUETUS *Uricitanus, in portu incensus est Fornitano*. Hunc locum illustrat Ruinartius in notis n. 2. & 12.

---

29. *Nov.* D. III. KALENDAS DECEMBRIS.

Vig. sancti Andreæ. VIGILIA sancti Andreæ Apostoli.

Saturnini & soc. Et Romæ, natalis sancti Saturnini martyris, Sennis, & Sisinnii diaconorum, sub Maximiano: à quo primo inter alios servos Dei damnati sunt ad fodierdam arenam, ad faciendas thermas Diocletianas: quorum unum Sisinnium præsentatum sibi, cum interrogasset idem Maximianus quis vocaretur, respondit: Ego peccator Sisinnius, servus servorum Domini Jesu Christi. Cui cum post alia diceret Maximianus: Aut sacrifica deo Herculi, aut carnes tuas ignibus cremabo. Respondit, Et ego quidem semper hoc optavi (verumtamen si meritus fuero) ut desideratam coronam accipiam. Traditus igitur Laodicio præfecto, missus est in custodiam decem & septem diebus. Inde exhibitus est ab Aproniano Commentariensi adspectibus Laodicii. Et subito lux de cælo facta est, & vox cum luce audita est: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis paratum est a constitutione mundi*. Tunc Apronianus tremefactus cecidit ad pedes Sisinnii diaconi, dicens: Adjuro te per Christum, quem confiteris, ne tardes me baptizare, & facias me tecum pertingere ad coronam. Qui baptizatus, statim obtruncatione capitis coronam martyrii invenit. Retruditur iterum in custodiam Sisinnius, & senex Saturninus cum illo, ubi multos gentiles venientes ad se docebant, & baptizabant. Post quadraginta duos dies vincti catenis, ac nudis pedibus educti denuo ante præfectum, delata est tripoda ut sacrificarent. Tunc beatus Saturninus dixit: Conterat Dominus deos gentium. Et continuo soluta est tripoda ærea velut lutum. Quod videntes duo milites Papias, & Maurus, crediderunt Christo. Et comprehensi a Laodicio, non multo post martyrio coronati sunt. Deinde Laodicius beatum senem Saturninum, & Sisinnium in equuleo jussit levari, & attrahi nervis, ac fustibus & scorpionibus cædi. Quibus etiam postmodum flammas ad latera jussit apponi, & depositos equuleo, ductosque miliario secundo via Numentana, capite truncari. Quorum corpora cum Joanne presbytero

De his in gestis Marcelli Papæ 16. Jan.

Matth. 25.

sbytero colligens Thrason vir Christianissimus, qui de facultatibus suis martyribus multa ministraverat, sepelivit in prædiolo suo, via Salaria, sub die tertio Kalendar. Decembr.

Greg. Turonen. de glor. MM. cap. 45. Eodem die apud Tolosam, natalis sancti Saturnini Episcopi: qui temporibus Decii, in Capitolio ejusdem urbis a paganis tentus, eo quod ad ejus præsentiam omnes ipsorum dii obmutefacti, nullum sacrificantibus ex more possent dare responsum: tauro ad victimam præparato, funibus religatus est. Quo vehementius stimulato, a summa Capitolii arce per omnes gradus præcipitatus, capite colliso, excussoque cerebro, & universo corpore dilaniato, dignam Christo animam exhalavit. Cujus nunc sacrum corpus in Ecclesia condigno honore veneratur. *Saturnini Episc.*

VARIA LECTIO. Post verba *honore veneratur*, sequitur in cod. 511. 513. 514. *Ipso die, Romæ natalis sanctorum Chrisanti & Dariæ &c.* prout in editis die 1. *Decembris*, usque *& lapidibus obrui*. Cætera verba *passi sunt &c.* desiderantur in eisdem codicibus. *Chrisanti & Dariæ.*

Vigil. sancti Andreæ ADNOTATIO. De *vigilia S. Andreæ* Apostoli meminit Beda, si vere Bedæ verba sunt, ut monet Sollerius, deinde Ado, Usuardus, Martyrologium Fuldense, Lebbeanum, & Ottobonianum. At frequentior est in libris Liturgicis, in quibus vel vetustissimis, ut in Gelasiano pag. 177. & in Gregorianis omnibus, Missa hac die in *vigilia sancti Andreæ* habetur. Evangelium quoque de hac *vigilia* in Capitularibus omnibus, tom. III. de Liturgie Rom. Pontificis pag. 284. In codice Vatic. 3836. sæculi VIII. habetur pag. 104. *Sermo S. Augustini* nomine inscriptus, *de vigilias* (ita ibi) *beati Andreæ Apostoli*. Incipit: *Fratres Karissimi cognoscamus agnum &c.* usque, *super Filium hominis*.

Saturnini. *Saturninus*, *Romæ* martyr una cum sociis insigni olim cultu habitus est. De eo tantum hac die agit Kalendarium Bucherianum his verbis: *Saturnini, in Thrasonis*. Hieronymiana *Saturnino* socios admiscent, prout Beda, Gellonense, Romanum parvum, Rabanus, Ado, Usuardus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Labbeanum, Kalend. Pal. Vat. 485. & Vat. 3806. sed in hac sociorum turba mire dissentiunt, ut monet Sollerius. In libris Liturgicis vetustissimis, nimirum in Gelasiano pag. 177. *Saturninus*, *Crisantus*, *Maurus*, *Daria*, *& alii* socii sacrorum celebratione hac die coluntur. In Gregorianis vero Sacramentariis omnibus, & in Capitularibus Evangeliorum hac die *Saturninus* tantum. De basilica *S. Saturnini*, ejusque cœmeterio, ac item *SS. Chrysanti & Dariæ*, via Salaria, liber Pontificalis in Hadriano I. ex quo Aringhius Rom. subterran. lib. IV. cap. XXXIII. Notitia apud Eccardum: *Juxta eandem viam* (Saleriam) *S. Saturninus cum multis martyribus dormit*. Notitia apud Willelmum Malmesburiensem: *Ibidem* (via Salaria) *in altera Ecclesia sunt Chrysantus, & Daria, & Saturninus, & Maurus, & Jason, & alii innumerabiles*. Celebris est etiam *Saturninus* S. Damasi Papæ Epigrammate ad ejus tumulum posito, inter Damasi carmina n. XXV. quod ex antiquarum inscriptionum collectione edidit Baronius ad an. 384. n. XXIV. Acta ex gestis S. Marcelli martyris vulgatis petuntur.

Saturninus alter *Tolosanus* Episcopus & martyr, hac die quoque colitur ab apographo Hieronymiano Corbejensi, Floro, Adone, Usuardo, Martyrologio Fuldensi, Richenoviensi, & Labbeano. Actum agam, si alia congerem; nam fuse Ruinartius in Admonitione prævia pag. 107. *& seq.* ubi Acta, quæ genuina censuit, in lucem protulit. Id unum ex eo adnotare liceat, Missam in natali *S. Saturnini Episcopi & mart.* haberi in Missali Gothico & Mozarabico. In Martyrologio Corbejensi breviori ad diem XXX. *Octobris* celebratur *translatio S. Saturnini* his verbis: *Tolosa, translatio corporis S. Saturnini Episcopi*. Ita quoque Martyrologium Ottobonianum. *Saturnini*

Subduntur ab apographis nostris hac die *Chrysantus*, & *Daria*, de quibus in vulgatis die *Chrysanthi & Dariæ.*

die I. *Decembris*. Verum in vetustioribus Latinorum tabulis una simul cum *Saturnino*, & *Mauro* hac die coluntur, ut in Hieronymianis, Gellonensi, Floro, Richenoviensi, & Labbeano. Scorsim a *Saturnino* & sociis, agit hac die Martyrologium Fuldense de *Chrysanto*, & *Daria*. Item Kalendarium Palat. Vatic. 485. hac die habet: *Natalis sanctorum Saturnini, Crisanti, Mauri, & Dariæ*. Kalendarium Vatic. 3806. hac item die: *Saturnini, Chrisanti, Mauri, & Dariæ cum* LXX. *militibus*. At variis diebus apud Latinos *Chrysantus*, & *Daria* coluntur. Hieronymiana die XII. Augusti habent: *Romæ, natalis sanctorum Chrysanti, & Dariæ, & qui cum eis passi sunt, Claudius, Helaria, Jason, Maurus, & milites* LXX. Richenoviense ea die: *Romæ, sanctorum Crisanti, Dariæ, Claudii, Mauri*. Augustanum, & Labbeanum ea die agunt de *Macario, Daria, Chrisanto*, & *Juliano* mixtim cum aliis. Iterum de *Chrysanto* & *Daria* die XIX. *Decemb.* agunt Richenoviense & Labbeanum. Martyrologium Reginæ Suecorum die XII. *Aug.* prout in Hieronymianis. Ottobonianum die XXV. *Octobris*: *Eodem die, natalis sanctorum Chrisanti & Dariæ martyrum*. Ea quoque die Capitularia Evangeliorum omnia, ut est tom. III. de Liturgia Rom. Pont. pag. 281. & Usuardi Auctaria. Rursus Richenoviense die XXVII. Octobria: *Romæ, Mariniani, Crisanti*, & *Dariæ*. Græci in Menologio, ut animadvertit Baronius in Notationibus ad diem XXV. *Octobris*, agunt die XIX. *Martii*. In libris Liturgicis S. R. E. vetustioribus ritu Gelasiano agitur die XXIX. *Nov.*, ut ex codice Gelasiano constat, ritu vero Gregoriano die XXV. *Octob.*, ut ex Capitularibus Evangeliorum. Hieronymiana, ut diximus, Gellonense, & alii de *Chrisanto Daria & soc.* agunt die XII. *Augusti*. Acta Metaphrastinam indolem sapiunt, ut monitum est a Baronio in Notationibus, qui scripta esse a *Verino & Armenio* presbyteris S. Stephani Papæ a nonnullis tradi scribit. Id habet etiam ad an. 284. n. VI. ubi eos emendat, qui *Verinum*, & *Armenium* in unum conflant, & num. VII. corrupta Acta esse, & imposturæ coargui scribit. Vide Tillemont. tom. IV. pag. 762. Id etiam de *Verino*, & *Armenio* affirmat Leo Allatius de Simeonibus pag. 110. Exstant Græce in Bibliotheca Coisliniana pag. 110. & Latine apud Lipomanum & Surium die XXV. *Octobris*. In Actis pervulgatis ubi narratur, *Dariam* ex virgine Vestali, Christianam effectam, & nuptui traditam, judicia sententia, terra obrui una cum *Chrysanto* jussam esse, ad ritum Romanorum id Baronius pertinere monet, quo *Vestales* criminis reæ vivæ defodiebantur. Ibi etiam ex S. Ambrosio de Vestalibus emeritis, quibus nubere permissum erat. De eorum martyrio & reliquiis Gregorius Turonensis de gloria mart. cap. XXXVIII. & LXXXIII. & S. Adelhmus de laudib. virg. Passi dicuntur hi martyres sub Numeriano c. A. D. 284. De his martyribus elegans Epigramma scripsit S. Damasus, ut ibidem cap. XXXVIII. affirmat Gregorius Turonensis, & habetur inter Damasi opera Carmin. XXXVI. De *Chrysanti & Dariæ reliquiarum translatione* A. D. 844. in monasterium Prumiense, post Surium ad diem XVII. Januarii, Mabillonius sæculo IV. Bened. P. I. p. 611. & Annal. Bened. lib. XXXIII. §. VII. VIII. Meminit de his reliquiis Lupus Abbas Ferrariensis in epist. XCI. apud Mabillonium ibidem, in qua amico cuidam gratulatur felicem ab Urbe reditum, ubi reliquias SS. martyrum *Chrisanti & Dariæ* dono a *Sergio* Pontifice acceperat, & in suum monasterium retulerat. In historia de hac translatione a Mabillonio edita plura narrantur, quæ prætereunda ducimus, & illud tantum adnotamus, Prumiam allatas esse IV. *Non. Julias*, ibique adservatas in feretro, quo delatæ fuerant usque ad XI. *Kal. Novemb.*, & VIII. *Kalendas Novembris* solemnitas translationis celebrata est. Quapropter Wandelbertus cecinit ea die XXV. *Octobris*:

Chrysanthum Dariamque, novo quos munere Christi
Roma nunc vectos tumulis Nova-cella venustat,
Quà Rheni celsis succedunt æquora silvis.

---

30. *Nov.* — E. *PRIDIE KALENDAS DECEMBRIS.*

Andreæ Apost. Trojani.

NATALIS S. Andreæ Apostoli. — Vid. lib. de fest. Ap.

Ipso die, natalis sancti Trojani Episcopi, apud Santonas, magnæ virtutis & sanctitatis viri: qui sepultus terris, cælo se vivere, multis virtutibus manifestat. — Greg. Tur. de gloria Conf. c. 59.

V*ARIA LECTIO*. Cod. 511. 512. 514. ita incipiunt:
„ In civitate Patras, provinciæ Achajæ natalis beati Andreæ Apostoli &c. *prout in libello de festivitatibus Apostolorum*, *usque*. „ vicesimo Constantini Imperatoris „ anno, ab Achaja Constantinopolim translata sunt.

Tudagauli Deinde sequitur in eisdem codicibus: *Ipso die*, *sancti Trojani Episcopi &c.* ut in editis. In codice vero 511. manu recentiori sequitur: *Ipso die*, *natalis beati Tudagauli Episcopi & confessoris*, *cujus actus inter homines celeberrimi exstiterunt*.

Andreæ Apost. A*DNOTATIO*. Quæ ad *Andreæ* Apostoli cultum & Acta hac die pertinent, delibanda sunt ex accuratissima Sollerii adnotatione in Usuardum, ubi nos monet inter primos celebriori cultu ubique gentium *Andream* fuisse ornatum. Si Hagiologia inspicimus, ea variis diebus *Andream* recolunt. Hac autem die XXX. *Novembris* agunt Hieronymiana, Kalendarium Carthaginense, Beda, Gellonense, Romanum parvum, Florus, Rabanus, Ado, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Labbeanum, Corbejense brevius, Kalendarium Palat. Vatic. 485. & Vat. 3806. & alii. Fere omnes eum in *Achaja*, *civitate Patris* celebrant. Græci quoque de *Protocleto* Andrea hac die agunt. Hieronymiana præterea die V. *Februarii* de *ordinatione Episcopatus Andreæ Ap.* agunt. Die IX. *Maji*, aliqua in illius *basilica*, *Mediolani*, celebritas; qua die alia Hagiologia de illius translatione Constantinopolim. Alia *translatio* in Hieronymiania die III. *Septembris* recensetur, & die III. *Novembris*, *dedicatio basilicæ* ejusdem. Ut Hieronymianis de *Andreæ* variis diebus cultus aliqua Hagiologia subjiciamus, Martyrologium Ottobonianum die V. *Februarii* habet: *Apud Achajam*, *civitate Patras*, *Andreas cæsus pro Christo*, *& dimissus a populo est*. De *translatione Andreæ* die IX. *Maji*, vide quæ ad eam diem supra diximus. Martyrologium Corbejense die IX. *Maji* habet: *Mediolano*, *Apostoli Joannis*, *Andreæ*, *& Thomæ*. Quod vero ad Liturgicum ritum spectat, Missa in *natali S. Andreæ* die XXX. *Novembris* habetur in codice Sacramentorum Gelasiano, in Sacramentario Blanchiniano, Missali Gothico, Mozarabum, in Gregorianis omnibus, & Evangelium in Capitularibus omnibus Evangeliorum: item preces in Breviario Mozarabum. Acta inter apocrypha amandantur in censura Gelasii. A Manichæis corrupta & conficta dicuntur apud Augustinum de Fide contra Manichæos, ut jampridem monuit Baronius ad an. 69. n. VI. & in Notationibus hac die, ubi plura de *Andreæ* cultu & Actis apud Metaphrasten, quæ Latine apud Surium, & alios hac die habentur. Vita *Andreæ*, auctore Epiphanio monacho, expenditur a Tillemontio tom. I. pag. 341. & 620. Vide eundem Tillemontium ibidem pag. 317. *& seq.* ubi *Andreæ* vitam diligentissime scribit. Procli Sermo, Chrysostomi nomine alias donatus, habetur tom. I. Auctarii Combefisii pag. 460., alius inter Athanasii opera editionis Montfauconianæ tom. III. pag. 466. Exstat etiam in codice Vatic. 3836. sæculi VIII. pag. 108. homilia S. Gregorii M. *habita ad populum in basilica beati Andreæ Apostoli*, *die natalis ejusdem*. Incipit: *Audistis*, *fratres Karissimi*, *quia* &c. usque, *perducatur*. Hæc autem Homilia in divinis officiis legitur. De vetustissima in Exquiliis *S. Andreæ basilica*, *in catta-barbara* nuncupata, vide Ciampinum veter. monim. P. I. cap. XXVII. pag. 242. Ceterum ut ad Acta revertamur, metum incutiant, ut inquit Sollerius, ea quæ Tillemontius adversus pervulgata presbyterorum Achajæ Andreæ Acta, scribit, licet repurgare a maculis ea quis conetur.

Trojanus Episcopus *Santonensis* memoratur iterum ab apographis nostris hac die, quum antea de eo egerint die X. *Febr.* Vide quæ ibi diximus. Rursus agunt hac die XXX. *Nov.*, quo etiam colitur ab Usuardo genuino. In aliis vero Hagiographia die X. *Februarii* celebratur. Galliæ Christianæ nuperrimi editores tom. II. pag. 1056. §. VI. *Trojanum* inter Episcopos Santonenses ordine sextum collocant, & post *Petrum*, qui Arelatensi concilio interfuit A. D. 511. Ejus elogium ex Gregorii Turonensis libro de gloria confess. cap. LIX. petendum esse monent, qui juxta *S. Bibianum* sepultum fuisse tradit. Festus dies apud Santonenses die I. *Decembris* est, ut iidem editores docent. De anno obitus nihil habent. *Trojani*

Tudagaulus, aliis *Tugdualis*, seu *Rabutvalis*, in veteribus tabulis desideretur. Agunt solummodo Usuardi Auctaria hac die. Sæculo Christi sexto monasteria *S. Brioci*, & *S. Rabutvali* in Armorica condita fuerunt, quorum alterum *S. Brioci* in sedem & urbem Episcopalem, & alterum *S. Rabutvali* in *Trecorensem* Episcopatum sæculo Christi IX. conversum est, ut inquit Mabillonius Annal. Bened. lib. VI. §. XXV. ad an. 563. Uterque sanctus eo tempore floruit, ut ibidem Mabillonius testatur. *Tudagauli*

LITANIÆ INDICENDÆ.

MENSIS DECEMBER

Habet dies XXXI. Luna vero XXIX.

1. *Decem.* *F. KALENDIS DECEMBRIS.*

Chrysanthi & Dariæ.



ATALE sanctorum martyrum Chrysanthi & Dariæ: qui tempore Numeriani sub judice Celerino Romæ passi sunt. Chrysanthi pater Polemius, vir illustris fuit, Alexandrinus genere. Hic filium suum cuidam virgini elegantis pulchritudinis conjunxit, quam ex nobilissimis Romanis fuisse constat. Hanc Chrysanthus a beato Carpophoro presbytero in divinis litteris satis fideliter eruditus, ad fidem Christi convertens, & prædicatione sua, ut virginitatem suam Deo fideliter conservaret instituens, & ut pariter nomen conjugii habentes, caste viverent, efficiens, baptizari fecit. Factumque est, ut per Chrysanthum multitudo virorum, & per Dariam (sic enim vocabatur) innumerabiles feminæ ad Christi gratiam confluerent. Igitur post aliquod tempus orta est seditio adversus eos, quod essent Christiani, Celerino tunc præfecto Urbis. Qui utrosque comprehensos tradidit tribuno Claudio, ut diversis pœnis eos interficeret. Claudius vero tribunus septuaginta militibus ad torquendum Chrysanthum dedit. Qui nervis crudis eum adstringunt, sed mox ligamenta omnia resoluta sunt. Deinde in eippo nodosissimo, ita ut in tertio puncto ejus tibiam coarctarent, eum mittunt: moxque totum lignum eippi in cinerem resolvitur. Deinde perfundunt eum lotio humano putentissimo, Ut maleficia inquiunt, tua amittas. Sed fœtor in suavem odorem mutatus. Deinde in corio recenti vitulino constringunt nudum, & ad solem ferventem componunt: sed virtute divina corium ut erat molle permansit. Deinde collum, manus, ac pedes catenis constringentes ferreis, claudunt eum in obscurissimo loco: sed statim catenæ resolutæ sunt, & tanta lux infulsit, ut putarentur illic innumeræ lampades fulgere. Milites ergo renuntiaverunt hæc omnia Tribuno, qui jussit eum sibi exhibitum fustibus cædi. Sed allatæ virgæ rigidissimæ, illico cœperunt in manibus cædentium mollescere. Quod videns Claudius, jubet eum erigi, & vestimentis indui: & genibus ejus provolutus, cum universis militibus orabat se fieri Christianum. Quid mora? Catechi-

techizatus Baptismi gratiam percepit: cum illo & Hilaria uxor, duo filii ejus Jason, & Maurus, amici & familiares ejus, septuaginta milites cum universis suis. Quod factum Imperator audiens, Chrysanthum, & Dariam jussit in carcere Tulliano recludi, unde putor horribilis ascendebat, quia domorum & civitatis stercora per cloacarum cuniculos jugiter illuc decurrebant. Exinde Daria in publico meretricum lupanari ponitur. Sed Chrysantho lux divina, & odoramenta suavia præstantur: Dariæ vero leo de cavea fugiens, Domini virtute ad tutelam donatur: qui ingressus cellulam, in qua sancta Dei in oratione prostrata jacebat, juxta eam prosternitur, ut venientes & ingredi volentes, vi sua repelleret. Cumque plures hoc miraculo perculsi, Christi potentiam venerarentur, Celerinus præfectus jussit ignem copiosum in ingressu cellæ, ubi beata Daria cum leone erat, accendi. Tunc cum jam leo paveret, ac rugitum daret, ait beata Daria: Egredere securus, & vale, quia ille, quem in me honorasti, ipse te liberat. Exhibitis iterum, jubente Imperatore, Chrysantho, & Daria Celerino præfecto, Chrysanthus equuleo ingenti suspenditur, sed statim omnia ligna equulei comminuta, ac vincula dirupta sunt: lampades quoque applicatæ lateribus ejus extinctæ. Hoc Celerinus præfectus vehementer expavescens, nuntiavit Imperatori .. Ille hoc maleficiis deputans, jussit eos duci via Salaria in arenario, & vivos deponi, ac terra, & lapidibus obrui. Passi sunt autem die Kalendarum Decembrium. Ad quorum venerandam Memoriam cum multa beneficia Deus præstaret, contigit ut ad diem natalis eorum infinita populi multitudo concurreret. Hoc nuntiatur Imperatori, qui jussit, ut in introitu cryptæ paries levaretur. Ac sic factum est, ut omnes pariter dum Sacramenta Christi perciperent, martyii gloriam celebrarent. Inter quos erat Diodorus presbyter, & diaconus Marianus, & plurimi clericorum.

Ipso die, beati Eligii Episcopi Noviomensis, gloriosi in miraculis. *Eligii.*

V*ARIA LECTIO*. Cod. 511. 512. 514. hac die ita habent.
„ In Africa, natalis sanctorum martyrum Papinii, & Mansueti Episcoporum, *Papinii*
„ qui tempore Wandalicæ persecutionis pro fidei catholicæ defensione candentibus *& Man-*
„ ferri laminis toto corpore adusti, gloriosum agonem consummaverunt. Apud ci- *sueti.*
„ vitatem Magontiam beati Albani martyris. Eodem die „ sancti Eligii Novioma- *Albani.*
„ gensis Episcopi, cujus vitam admirandam multiplex signorum numerus commen- *Eligii.*
„ dat. Apud Bizantium, natalis sanctæ Nathaliæ uxoris sancti Adriani martyris. *Nathaliæ.*
Deest in eisdem codicibus hac die natalis SS. *Chrysanthi, & Dariæ.*

Chryſanthi & Dariæ. ADNOTATIO. Apographa noſtra hac die de *Chryſantho Daria* & ſociis ſilent, quia egerunt die XXIX. *Novembris*. Hac die I. *Decembris* agit Romanum parvum, & Uſuardus. Vide quæ ad diem XXIX. *Novembris* adnotavimus.

Eligii. *Eligius* Epiſcopus *Noviomenſis* & Tornacenſis Epiſcopus, ac Flandrorum & Friſonum Apoſtolus, in tabulas Martyrologicas relatus eſt ab Adone primum, Sollerii judicio, ex Hieronymianis Auctariis acceptus. Agunt autem hac die, Uſuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldenſe, Ottobonianum, Richenovienſe, Corbejenſe brevius, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806. Apographa noſtra de illius translatione egerunt die XXV. *Junii*. Plura de ejus rebus geſtis in Annalibus Benedictinis Mabillonius tom. I. Conſecratus eſt Epiſcopus A. D. 640. ut eſt apud Mabillonium ibid. lib. XIII. §. LV. Obiit die XXX. *Novembris* circa horam primam noctis A. D. 659. ut ex Actis idem Mabillonius lib. XIV. §. LXVII., & translatio anno poſt facta eſt. Ibid. lib. XV. §. V. Ejus obitum Baronius ad an. 665. num. VII. huic anno alligat. Pagius in Critica ad eum annum num. IV. exeunte A. D. 658. obiiſſe putat. Acta, auctore ſancto Audoeno Rotomagenſi, poſt Surium emendatiora vulgavit Dacherius Spicileg. tom. V. pag. 147. primæ editionis.

Papinius & *Manſuetus* iterum recenſentur ab apographis noſtris hac die. At vide quæ diximus ad diem XXVIII. *Novembris*. *Papinii, & Manſueti.*

Albani martyris apud *Moguntiacum* urbem celebritas in apographis noſtris hac die nihil aliud eſt, niſi Eccleſiæ in illius martyris honorem dedicatio, de qua Rabanus hac die, & martyrologium Fuldenſe. Neque mirum eſt, ſi apud Uſuardum genuinum hac die legitur: *Apud civitatem Moguntiam, natalis beati Albani martyris*, quum de Eccleſiæ illius dedicatione agatur; nam, ut alias diximus, *dedicatio Eccleſiæ ſanctæ Mariæ ad martyres*, & *Eccleſiæ ſancti Nicomedis*, aliquando *natalis* dicitur. De *Albano* martyre vide adnotata ad diem XXII. *Junii*, ubi de ſancto *Albino*. *Albani.*

Nathalia Adriani martyris uxor, de qua codices noſtri hac die, memoratur etiam ab Uſuardo genuino, ſilentibus hac die aliis. Quapropter Sollerius Uſuardinam eſſe putat, quum a nullo alio hac die celebretur, ſed die VIII. *Septembris* a Romano parvo. An ex Adonianis apographis excerpſerit Uſuardus, alii videant. *Nathaliæ.*

---

2. Decem. G. IIII. NONAS DECEMBRIS.

Bibianæ. NATALE ſanctæ * Vivianæ martyris, beatorum martyrum Fauſti, & Dafroſæ filiæ. Quæ jubente Imperatore ſacrilego, tam diu plumbatis cæſa eſt, donec ſpiritum redderet. Cujus corpus biduo, juſſu Imperatoris in foro jacuit: tandem raptum a Joanne presbytero, ſepultum eſt in domo, ubi mater & ſoror ejus Demetria jam ſepultæ erant, juxta palatium Licinianum Romæ, quarto Nonas Decembris. * *al.* Bibianæ. De hac in geſtis S. Pigmenii 24. Mart.

VARIA LECTIO. Ed. *Vivianæ*. Ita cod. 511. 512. 514. Poſt verba ad extremum, *quarto Nonas Decembris*, ſequitur in eiſdem codicibus.

Veri & Securi. „ Ipſo die, ſanctorum Veri, & Securi, qui apud Africam martyrio coronati ſunt.

Bibianæ. ADNOTATIO. De *Bibiana*, ſeu *Viviana*, corrupto a librariis nomine, in Hieronymianis agi putat Florentinius, prout vitioſa orthographia de ea meminit Rabanus. At Sollerius inter Martyrolographos agmen ducere cenſet Romanum parvum, in quo ita leges hac die: *Romæ, Vivianæ martyris, Fauſti martyris, & Dafroſæ filiæ*. Aliter cognationem effert Ado, dum *Bibianam Fauſti & Dafroſæ filiam* ſtatuit; & in Romano parvo *Dafroſa*, Fauſti filia perhibetur. De cognatione nihil Uſuardus, at de martyrio, & ſub quo, apertiſſime, dum habet: *Romæ, paſſio ſanctæ Vivianæ martyris, quæ jubente Juliano*

sub Imperatore sacrilego, *tamdiu plumbatis cæsa est*, *donec spiritum redderet*. Solo nomine *Viviana martyr* memoratur a Martyrologio Fuldensi. Richenoviense, nomen, ac genus vitiosa orthographia maculat, dum in virum transfundit; ita enim habet: *Romæ*, *Pimenii & Pontiani*, *Vibiani*. Huic turmæ alii cum *Viviana* commiscentur in Labbeano: *Romæ*, inquit, *Vivianæ*, *Primenti*, *Pontiani*, *Primini*, *Dafrosæ*, *Demetriæ*. In alia hujusmodi turba abest *Viviana* ab Otthoboniano, in quo ita scribitur: *Romæ*, *natalis sancti Primenti*, *Pontiani*, *& Primini*. Gellonense habet: *Romæ*, *Vivianæ*, deinde aliorum turbam subjicit. De vitiosa *Bibianæ*, seu *Vivianæ* orthographia, & de littera V, pro B. Baronius in Notationibus hac die, ubi etiam de Actis, in quibus esse aliqua initio castigatione digna monet. Sed de his Actis, quæ ex vulgatis aliis S. *Pigmenii* conflata sunt, vide quid adnotandum esse ducat Sollerius in Usuardum hac die, ad diem IV. *Januarii*, & XXIV. *Martii*, & Bollandiani ad diem XXI. *Junii* pag. 74. ubi de S. *Demetria*. In Actis S. *Pigmenii Faustus* præses nominatur, & *Flavianus*, pater *Bibianæ* dicitur, mater *Dafrosa*. Licet *Juliani* Imp. jussu passa dicatur *Bibiana*, Tillemontius tamen tom. V. pag. 120. Diocletianea persecutione martyrio coronatam contendit; cui suffragatur Castellanus. De inventione corporis S. *Bibianæ*, deque illius Ecclesia ab Urbano VIII. restituta vide Aringhum lib. IV. cap. XLII. De basilica S. *Bibianæ martyris* juxta palatium Licinianum lib. Pontificalis in Simplicio Papa. In libris Liturgicis S. R. E. vetustis nihil habetur de S. *Bibiana*.

Sequitur in nostris apographis natalis *Veri*, & *Securi* fratrum in Africa, quos Hieronymiana una cum Mauritanorum cohorte commemorant. Meminit Rabanus his verbis: *In Mauritania*, *Veri*, *Securi*, *Januarii*, *Victorini*. Usuardus principe loco hac die iisdem verbis agit, perinde atque in apographis nostris; quamobrem, vulgato Adone silente, & Petro Equilino in catalogo lib. I. cap. XXI. ex Adone citante, & *Wandalica persecutione* aureolam adscribente, cur Adoni adscribantur a Petro, quodammodo miratur. Si nos non fallunt apographa nostra, Adoni Viennensi sunt hi martyres adscribendi, ex quo ad verbum sumpsit Usuardus. Martyrologium Ottobonianum de his martyribus ita præfert: *In Mauritania*, *Veri*, *Securi*, *Januarii*. Wandelbertus, *Verum*, & *Securum* tantum recenset. Richenoviense: *Et in Mauritania*, *Veri*, *Securi*, *Januarii*, *Victorini*, *Fortunati*. Labbeanum: *Alibi*, *Veri*, *Securi*, *Agnetis*. Ad annum Christi 300. eorum martyrium refertur a Castellano. *Veri & Securi.*

A. III. NONAS DECEMBRIS. 3. *Decem.*

TINGI metropoli Mauritaniæ Tingitanæ, natalis sancti Cassiani martyris gloriosi. *Cassiani.*

De his in gest. Chrysanthi & Dariæ 25. Octob. Item, natale SS. martyrum Claudii tribuni, & uxoris ejus Hilariæ, ac filiorum Jasonis & Mauri, & LXX. Militum, qui omnes ad prædicationem B. Chrysanthi crediderunt in Christo. Quod ut nuntiatum est Numeriano Imperatori, jussit Claudium tribunum ingenti saxo alligatum præcipitari in medio mari: Milites vero septuaginta, ac Jasonem & Maurum filios Claudii, capitali sententia puniri. Erat autem in loco, ubi decollati sunt, cuniculus antiquus. Hunc emundantes noctanter Christiani, simul in unum omnia corpora sepelierunt, non longe ab urbe Roma via Salaria. Corpora autem filiorum suorum Jasonis & Mauri collegit sancta Hilaria, relicta martyris Claudii. Quæ dum assiduis obsequiis ad Sanctorum confessionem oraret, a paganis tenta est. Quam dum traherent, rogavit eos dicens: Obsecro vos, permittite me prius orationem meam complere. Et dum fixisset gradum, accepit Sacramentum Domini, & expandens manus suas, projecit se in orationem, *Claudii & soc.*

tionem, & dum oraret, emisit spiritum. Qui tenuerant eam, dolentes super repentinum obitum ejus, reliquerunt duas ancillas ejus, quæ cum ea erant: quæ sepelierunt eam diligentissime in hortis suis, & super eam brevissimam Ecclesiam fabricaverunt.

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. hac die ita incipiunt.

Cassiani. „ Tingi metropolim (sic) Mauritaniæ Tingitanæ, natalis sancti Cassiani, qui „ exceptoris diu gerens officium, tandem cælitus inspiratus, execrabile duxit, Chri„ stianorum neci deservire cruentus: unde renuntians eidem officio, sub christiana „ confessione triumphum meruit obtinere martyrii.

Claudii. „ Eodem die sanctorum martyrum Claudii tribuni &c. *ut in editis.*

Cassiani. ADNOTATIO. De *Cassiano* martyre in *Tingitana* urbe Mauritaniæ principe, agunt hac die Hieronymiana, Rabanus, Ado noster, & antiqua apographa nostra, ex quibus verbatim sumpsit Usuardus. Vulgatum Adonem quum inspexisset Sollerius, Acta ab eo non fuisse visa putavit, quia jejune nimis de eo agit, & quum plura ad Usuardum pervenissent, præclarum encomium texuit. Num encomii auctor fuerit Usuardus, an vero Ado, eruditorum nunc judicium erit. Ante Martyrographos omnes præferenda est Prudentius hymno IV. vers. 45. ubi habet:

Ingeret Tingis sua Cassianum.

Alio versiculo de *Cassiano* agit Wandelbertus. Acta brevissima illa quidem, sed sincera edidit Ruinartius pag. 315. Num ad fidem conversus sit ob iniquam in Marcelli centurionis sententiam, de quo die XXX. *Octobris*, dubitat Tillemontius tom. IV. pag. 577. Passus est A. D. 298.

Claudius & socii ad classem eorum martyrum, qui cum *Chrysanto* & *Daria* passi sunt, pertinent. De his, ut monet Sollerius, agunt Hieronymiana die XII. *Augusti*, & XXIX. *Novembris*. Romanum vero parvum hac die habet: *Romæ, Claudii tribuni, & Hilariæ uxoris ejus, & Jasonis & Mauri, & LXX. militum sub Numeriano*. Contracte ex Adone Usuardus, & Martyrologium Fuldense. *Claudius, & Felix* cum aliis confunduntur hac die in Gellonensi. *Claudii & soc.*

---

4. Decem. B. PRIDIE NONAS DECEMBRIS.

Symphronii & Olympii. ROMÆ, natale sanctorum martyrum Symphronii, & Olympii, temporibus Valeriani, & Gallieni Imperatorum. Horum unum Symphronium, creditarium beati Nemesii, sibi præsentatum Valerianus jussit tradi Olympio tribuno, ut ab eo facultates Nemesi requireret, sub pœnarum examinatione. Præsentatus ergo Olympio, & ab eo interrogatus, respondit: Si facultates quæris Nemesii domini mei, jam eas Christo tradidi, quoniam ipsius fuerant, & erunt. Si autem sacrificium offerre me compellis, sacrifico, sed Christo Jesu Domino meo sacrificium laudis, & confessionis, cui se obtulit & dominus meus Nemesius. Tunc ira repletus Olympius, fecit eum extendi in catasta, atque fustibus mactari, deinde simulacrum Martis

De his in Actis sancti Stephani Papæ 2. August.

Martis aureum una cum tripoda deferri: quod statim ad verba Symphronii resolutum. Videns autem Olympius, cœpit admirari, & veniens ad uxorem suam Exuperiam, indicavit ei quomodo in nomine Dei sui Symphronius simulacrum Martis liquefecisset. Eadem vero nocte venientes cum filio unico nomine Theodulo, prostraverunt se ad pedes Symphronii, agentes pœnitentiam, & Baptismum salutis exposcentes. Evocatus itaque beatus Stephanus Pontifex, venit noctu ad domum Olympii, & catechizatum baptizavit; uxoremque ejus Exuperiam, ac filium Theodulum, & quotquot crediderunt in domo Olympii. Quod ut audierunt Valerianus, & Gallienus, nimio furore accensi, jusserunt Symphronium sibi præsentari, missisque militibus adduxerunt eum vinculis ferreis oneratum, nudumque ac capistratum, simul & Olympium cum uxore sua, & filio Theodulo. Gallienus itaque dixit Olympio: Adhuc quidem differo pœnarum tibi inferre supplicia, quia de tua conscientia dubius non sum, quod nequaquam deseras deos, quos semper adorasti, & alios compellebas adorare: nam & tormentis multis persequebaris usque ad effusionem sanguinis, qui non præberent consensum sacrificare diis nostris. Olympius respondit: Ego quidem feci non quasi Olympius, sed quasi impius, & crudelis, pro quibus commissis pœniteo, & effundo lacrymas amaritudinis in conspectu ejus, cui credo, Deo vivo & vero, Patri, Filio, & Spiritui sancto, ut dignetur mihi remittere iniquitatem, quam exercui in sanguine Sanctorum ejus, quem feci effundi. Tunc data est sententia, ut igne consumerentur. Ducti sunt itaque ante statuam Solis juxta Amphitheatrum, fixisque stipitibus, & ligatis manibus devincti sunt, & in sarmentorum spinarumque congerie ignis suppositus. Statimque in ipso ignis initio, gratias Christo Domino decantantes emiserunt spiritum. Relictis autem corporibus eorum, milites abierunt. Adveniens autem sanctus Stephanus Episcopus cum clericis, & religiosis, & hymnis ex more redditis, abstulerunt corpora martyrum Symphronii, Olympii, Exuperiæ, Theoduli, & sepelierunt juxta viam Latinam miliario primo, sub die septimo Kalendarum Augusti. Translata vero a beato Sixto Pontifice, celebrem diem fecerunt secundo Nonas Decembris.

VARIA LECTIO. Ed: *Adveniens autem*. Cod. 511. *Adveniens vere*. Ed: *Translata vero &c.* Cod. 511. 512. 514.: *Translati deinde a Sixto beato Pontifice, celebrem diem fecerunt pridie Nonas Decembris*. Sequitur deinde in eisdem codicibus.

„ In

Armogasti & soc. „ In Africa natalis sanctorum Armogasti, Archinimi, & Satiri: qui cum essent „ lucidissima membra Ecclesiæ Christi, pro confessione veritatis multa, & gravia „ perpessi supplicia atque opprobria ab Arrianis, cursum gloriosi certaminis imple- „ verunt.

Translat. S. Bened. Sequitur deinde in codice 512. *Eodem die, translatio sancti Benedicti Abbatis.* Cod. 514. habet: *Apud Floriacum monasterium, translatio, sive illatio corporis sanctissimi Benedicti Abbatis; nam cum a Cassina castro tanti pignus confessoris fuisset advectum, incertumque esset quonam sanctissima ejus membra inferrentur tumulanda, tandem aliqua temporis spatio interjecto, tota quadam nocte cælitus luce emissa, tanquam fulgur super locum splenduit, ubi disponente Domino humatus est, tanto præeunte signo.*

Symphronii & Olympii. ADNOTATIO. De his martyribus bis agunt apographa nostra, nimirum die XXVI. *Julii*, ubi de *Simpronio*, *Olympio*, *Theodolo*, & *Exuperia* breviter, hac vero die de *Symphronio* & *Olympio* fuse ex vulgatis Actis sancti Stephani Papæ. Ab Usuardo, ut jam monuimus, coluntur die XXVI. *Julii*. Romanum vero parvum hac die IV. *Decembris* ita habet: *Romæ Symphronii, & Olimpii, Exsuperiæ, & Theodoli die VII. Kalendarum Augusti passorum; a beato Xysto via Latina II. Nonas Decembris translatorum, quando eorum festus dies celebrior agitur.* Silere de his hac die Usuardum, nos monet Sollerius, quia egit die XXVI. *Julii*, agunt vero die IV. *Decembris* ejus Auctaria. Martyrologium Romanum agit die XXVI. Julii, & die XXXI. *Octobris* ob inventa eorum corpora in Diaconia sanctæ Mariæ novæ, illuc a Gregorio V. translata. Octobri mense elabente hos martyres passos esse, suspicatur Sollerius in Usuardum die XXVI. Julii, ubi memoria lapsum esse Baronium putat. Cæterum de horum martyrum corporibus una cum sancto *Stephano* sepultis, ita habet Notitia apud Eccardum: *Ibi S. Nemesus, S. Olimpius, S. Simpronius, S. Theodalus, S. Superius* (forte pro *Exuperia*) *S. Obloterit, S. Tiburtieanus martyres sunt sepulti*. Apud alios Hagiographos de his siletur.

Bis etiam *Armogastus*, & socii ab apographis nostris coluntur, nimirum die XXIX. *Martii*, & hac die. Paullo aliter vero elogium hac die exaratum est, quam die XXIX. *Martii*. Agunt autem de his & hac die Auctaria Usuardi, silentibus cæteris. Vide porro quæ ad diem XXIX. *Martii* adnotavimus. *Armogasti & soc.*

Hagiologia nonnulla hac die de *translatione sancti Benedicti* agunt, sed quum de ea actum sit die XI. *Julii*, vide quæ ibi diximus. Meminit hac die IV. *Dec.* Gellonense his verbis: *Umbini (al. Umbone) monasterio Floriacensi a partibus Roma adventus corporis sancti Benedicti Abbatis.* *Translat. S. Bened.*

---

5. Dec.

C. NONIS DECEMBRIS.

Crispinæ. IN Africa apud Coloniam Thebestinam, natalis sanctæ Crispinæ, quæ temporibus Diocletiani & Maximiani, cum sacrificare noluisset, jussu Anulini proconsulis decollata est. *August. in Psalm. 120. & 137. de virgin. c. 44. Ser. 53. de verb. Dom. & 39. de diversis.*

Dalmatii. Eodem die, natale sancti Dalmatii martyris.

Nicetii. Item ipsa die Treviris, S. Nicetii Episcopi, totius sanctitatis viri, qui in basilica B. Maximini Episcopi sepultus quiescit.

Crispinæ. ADNOTATIO. *Crispina* in *Thebestina* Africæ colonia martyr clarissima celebratur hac die una cum sociis a Kalend. Carthaginensi his verbis: *Sanctorum martyrum Bili* (seu, ut legendum censet Sollerius, *Juli*, vel *Julii*) *Felicis, Potamiæ, Crispinæ, & Cominum*. Apographum Hieronymianum Epternacense habet: *Civitate Tegora, natalis Juli, Pota-*

Potamia, *Crispina*, & *aliorum* VII. *Tegora* eadem est ac *Thagara*, quæ duplex in Africa fuit, inquit Ruinartius, altera in Proconsulari, altera in Byzacena, & in Numidia *Thagara*; ac ita rem conciliat Sollerius, ut *Crispina* natu fuerit *Thagorensis*, & *Thebeste* passa sit. Vide Dictionarium Geographicum Martinerii verb. *Tagorensis*, *Thebeste*, & *Theveste*. Præterea agunt de *Crispina* tantum post Rabanum auctor Romani parvi, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, & Martyrologium Fuldense, in quo etiam aliena manu pridie hujus adnotatur. Richenoviense hac die ita præfert: *In Africa, civitate Tigora, Julii & Potamiena, Crispini* (pro *Crispina*) & *aliorum septem*. Gellonense, & Labbeanum: *Romæ, Crispini, Humili, Trophimi, Felicis, Victoris, Pauli, Marci, Amanti*; mendose nimis, ut vides. Deest: *Romæ* in Gellonensi. Neque mendis caret Ottobonianum, in quo legitur: *In Misitapora, civitate Africæ, natalis sanctorum Homuli, Felicis, & Julia, & aliis*. Corbejense brevius item: *Natalis S. Crispini. In Africa, Humili*. Hæc librariorum vitio exasperata vulnera sanabis, si ad Augustinum te convertas, in quo passim miris laudibus *Crispina* extollitur, & præsertim Enarratione in Psalm. CXX. num. 13. in Psalm. CXXXVII. num. 3. & alibi. Acta sincera a Mabillonio inventa, & edita tom. III. Analect. pag. 483. iterum vulgavit, & adnotatiunculis ornavit Ruinartius pag. 494. & *seq.* cui passa videtur A. D. 304. Consulendus est etiam de hujus martyris gestis Tillemontius tom. V. pag. 317. & *seq.* Seorsim a *Crispina* agit hac die extremo loco Usuardus de *Julio* & *Potamia in civitate Thagora*, ad quem locum vide Sollerium.

Dalmatius martyr memoratur primum, ut videtur Sollerio, a Romano parvo, Rabano, Adone, Usuardo, Wandelberto. & Kalendario Vat. 3806. De loco martyrii, atque *Episcopi* dignitate, in his nihil est, præterquam in Usuardo, qui habet: *In Italia*. Vide quid censura dignum putet Sollerius in Romani Martyrologii enunciatione, ubi de *Dalmatio* agitur. Acta poetice scripta a Hieronymo Vida, exagitat Tillemontius tom. V. pagin. 637. *Dalmatii.*

Nicetius Trevirensis Episcopus colitur hac die ab Adone, & Usuardo tantum, die vero I. *Octobris* ab apographo Hieronymiano Corbejensi, a Corbejensi breviori, & Kalendario Vatic. 3806. Obiit die V. *Decembris* A. D. 566. De cujus obitu, & sepultura in Ecclesia S. Maximini, rebusque gestis, de quibus Gregorius Turonensis, Mabillon. Annal. Bened. lib. VI. §. XXVI. XXVII. & de reliquiarum ejus translatione lib. XV. §. LVIII. ad A. D. 667. Vide etiam Baronium in Notationibus. *Nicetii.*

D. VIII. IDUS DECEMBRIS. 6. Dec.

SANCTI Nicolai Myrorum Lyciæ Episcopi. *Nicolai.*

Vict. Afr. lib. 3. Apud Africam SS. Dionysii, Davitæ, Leontis, & Æmiliani medici, & religiosissimi viri nomine Tertii, & Bonifacii, & Servilii, & Victricis, & Majorici adolescentis: qui omnes in persecutione Wandalica sub Hunnerico Rege Ariano, pro confessione fidei Catholicæ, apud Africam, & ne ab Arianis rebaptizarentur, gravissimis, & innumeris suppliciis excruciati, confessorum Christi numero sociari meruerunt. E quibus prædictus venerabilis adolescens Majoricus Dionysiæ matris exhortationibus roboratus, in certamine confessionis spiritum reddens, cursum palmiferum consummavit. *Dionysiæ & soc.*

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. ita habent.

„ Natale beati Nicholai Episcopi Mirorum (codex 514. *Myrreborum Lichiæ*) „ Liciæ, de quo inter plura miraculorum insignia illud memorabile fertur, quod Imperatorem Constantinum ab interitu quorumdam, longe constitutus, ad misericordiam & monitis per visum deflexit, & minis. Apud Africam, sanctorum Dionysiæ, „ Davite, Leontis, Æmiliani medici, & religiosi viri nomine Tercii, & Bonefacii, „ & Servii &c. *prout in editis*.

ADNO-

Nicolai.

ADNOTATIO. De sancto *Nicolao* Myrensi in Lycia Episcopo, agi primum apud Latinos ab auctore Romani parvi, censet Sollerius. Romanum parvum ita habet: *Nicolai Episcopi Myrorum Lyciæ*. Silent autem antiquiora, nimirum Hieronymiana, & Beda. Agit Rabanus in quo miraculum de *Nepotiano*, *Urso*, & *Epalione*, a Constantino carcere solutis, visu Nicolai admonito, narratur. Deinde Adonis nostri apographa, & Usuardus fere ad verbum apographa nostra imitatus. Meminere *Nicolai* præterea hac die Wandelbertus, Martyrologium Ottobonianum, Richenoviense, & Kalendarium Vat. 3806. Celeberrimus apud Orientales illius cultus, & Constantinopoli a Justiniano in ejus honorem fuit extructa Ecclesia, ut habet Procopius de ædificiis lib. I. Serius ad Latinos *Nicolai* celebritas manasse videtur. Exstat *Romæ* tamen pervetusta *sancti Nicolai in carcere Tulliano Diaconia*, cujus Diaconi Cardinales jam inde ab *Innocentii* II. temporibus memorantur. Variæ subinde Romæ in ejusdem sancti *Nicolai* honorem conditæ fuerunt Ecclesiæ, ut vel in uno Cencii Camerarii Ordine Romano XII. §. XVIII. aliæ septemdecim sæculo XII. elabente, præter Diaconiam memoratam, enumerentur. Hæ vero barbaris agnominibus insignitæ sunt, & hæc eorum sunt nomina, scilicet sancti *Nicolai Funariorum*, *Mocelli*, *de Marmoratis*, *Forbitorum*, *de Trivio*, *Arsionum*, *de Formis*, *de Pinea*, *Melienorum*, *Agonis*, *Calcariorum*, *Gregorii Cencii*, *de Colossa*, *Præfecti*, *de Hospitali*, *de Furca*, & *de Alviatta*. Inter has illa est, de qua ad A.D. 972. mentio fit, ut diximus ad diem VIII. *Augusti*, ubi de sancto *Cyriaco*. Anastasius in Leone IV. de Oratorio sancti Nicolai meminit. Harum aliquot nomina adhuc supersunt. De Actis jampridem disceptavit Baronius in Notationibus hac die, & ad an. 326. num. LXXXVI. & *seq.* Illorum auctores circumferuntur Methodius Episcopus Constantinopolitanus, & Simeon Metaphrastes apud Græcos, apud Latinos vero Jo: Diaconus, seu Archidiaconus, quem, illum non esse putamus, qui res gestas sancti Gregorii M. scripsit, ut censet Baronius. Hi porro longe a Nicolai ætate vixerunt. Alia etiam Græce & Latine circumferuntur, de quibus Combefisius tom. VI. Bibliothecæ Concionatoriæ pag. 68. & *seq.* Narratio de miraculo de *Urso*, & sociis a supplicio per Constantinum liberatis, Græce habetur apud Lambecium lib. IV. pag. 121. & lib. VIII. pag. 308. & 376. Acta translationis ex Myra Lyciæ ad Apuliæ oppidum Barium, jubente Arsone Archiepiscopo c. A.D. 1088. leguntur apud Surium die IX. *Maji*, & de ea translatione Baronius in Notationibus ad eum diem. Confer præterea quæ habet Tillemontius tom. IV. pag. 688. 823. & vide Sollerium in Usuardum hac die. In Codice Canonicorum Forojuliensium habetur vita sancti *Nicolai*, & incipit: *Nicolaus itaque ex illustri prosapia ortus, civis fuit Pataræ urbis &c.*

Dionysiæ, & soc. *Dionysia* cum sociis in Africa martyribus ab auctore Romani parvi primum celebratur his verbis: *In Africa, Dionysiæ, Datiyæ, Leontis, & Æmiliani medici & aliorum.* Scribendum esse *Leontiæ* pro *Leontii*, & *Emelii* pro *Æmiliani*, ex Victore Vitensi lib. V. cap. I. monet Sollerius. Vide Ruinartium in notis num. 162. Agunt præterea Ado noster, & Usuardus. Alia Africanorum martyrum nomina sunt hac die in Ottoboniano, Richenoviensi, & Labbeano. Ottobonianum habet: *In Africa, natalis sanctorum Zetoli, Fortunati, Hermogeni*. Richenoviense: *In Africa, Zeduli, Fortunati, Gathi, Agathæ, Hermogeni, & Rogati*. Labbeanum: *Africa, Zeloti, Fortunati, Gatti, Hermogeni, Rogati, Agathæ*. Corbejense breviuс: *In Africa, Zeloti, Fortunati, Gai*. De *Hermogene*, & *Rogato* meminere hac die Hieronymiana, Gellonense, & Kalendarium Vat. 3806.

---

7. Dec.

E. VII. IDUS DECEMBRIS.

Agathonis.

APUD Alexandriam, natalis B. Agathonis martyris, sub Decio Imperatore. Qui cum esset militaris, & assisteret ubi beatissimi martyres cruciabantur, (inter quos Julianus, & Eunus, in Domini Jesu Christi confessione perdurantes, admiranda spectacula martyrii sui Angelis & hominibus præbuerunt) & quosdam volentes etiam mortuis illudere cadaveribus Martyrum, prohiberet, clamor repente totius vulgi adversus eum extollitur. Offertur judici fortissimus miles jam Domini, & nusquam se inferior factus, in confessione persistens, capite pro pietate damnatur. Passus VII. Idus Decembris. Apud

Greg. Turon. de glor. CC. cap. 37. Apud Sanctonas, B. Martini Abbatis, discipuli sancti Martini Turonicæ urbis Episcopi: qui in monasterio, quod ipse ædificavit, in pace quiescit. Ad cujus tumulum creberrima divinitus fiunt miracula. *Martini Abb.*

VARIA LECTIO. Post verba *fiunt miracula* ad extremum, sequitur in codicibus 511. 512. 514.
„ Eodem die, in Spolitana urbe, sancti Sabini Episcopis, & martyris: qui ob „ confessionem deitatis a persecutore truncatis manibus, post carceris longa custodia „ (sic) maceratus, ad ultimum fustibus cæsus, gloriosum Deo reddidit spiritum. *Sabini.*

Agathonis. ADNOTATIO. *Agathon* apud *Alexandriam* sub *Decio* martyr, a Romano parvo primum colitur hac die, & his verbis: *Alexandriæ, Agathonis martyris & militis sub Decio.* Ex Eusebio Rufini lib. VI. cap. XXXI. seu ex epistola Dionysii Alexandrini ibi recitata, elogium sumptum censet Sollerius, ubi vir militaris describitur, qui dum cruciatibus martyrum *Euni* & *Juliani* adstaret, eorumque corpora custodiret, Judici oblatus, in confessione persistens, capitis damnatus est. Hujus nomen non prodit Rufinus, sed in aliis Eusebii versionibus lib. VI. cap. al. XXXIV. nunc XLI. XLII. *Besas* vocatur. Hunc *Besam* commentitio nomine in Romanum Martyrologium invexerunt illius emendatores die XXVII. *Februarii*, quem ab *Agathone* distinguendum esse putarunt, cujus sententiæ est Baronius in Notationibus ad eam, & ad hanc diem; at ab Eusebii interpretibus deceptum esse monet virum Eminentissimum Sollerius, ac unum tantum in epistola Dionysii recenseri militem & martyrem, quem Hagiographi *Agathonem* appellant, & hac die recolunt. Ita post Romanum parvum eum appellant Ado, Usuardus, & Martyrologium Fuldense, in quo etiam pridie hujus diei: *In Alexandria, beati Agathonis martyris*, sed manu recentiori. *Besas* nusquam in Martyrologiis veteribus occurrit.

Martini Abb. De *Martino* Abbate bis agunt apographa nostra, nimirum die VIII. *Maji*, & hac die VII. *Decembris*, qua die agit etiam Usuardus genuinus. Vide porro, quæ ad diem VIII. *Maji* de Martino diximus.

Sabini. *Sabinus* quoque bis colitur ab apographis nostris, nimirum hac die, & XXX. *Decembris*. Die VII. *Decembris* Sabinum recolunt Rabanus, Auctaria Usuardi, & Kalendarium Vatic. 3806. Cæteri die XXX. *Decembris*. Vide igitur, quæ infra diximus, & Acta apud Baluzium Miscellan. tom. II. pag. 47.

F. VI. IDUS DECEMBRIS. *8. Dec.*

Pontifical. cap. 28. ROMÆ, natalis sancti Eutychiani Papæ, qui rexit Ecclesiam anno uno, & sub Aureliano Imperatore martyrio coronatus, sepultus est in cœmeterio Callisti. Qui & ipse per diversa loca trecentos & quadragintaduos Martyres manu sua sepelivit. *Eutychiani Papæ.*

Euseb. l. 6. c. 34. Ruff. 31. Ipso die apud Alexandriam, sancti Macarii sub Decio: qui gente Libycus, cum multis verbis a Judice ad negandum suaderetur, & eo majore constantia fidem suam profiteretur; vivus ad ultimum jubetur exuri. *Macarii.*

VARIA LECTIO. Ed. *Eutychiani*. Cod. 511. *Euticiani*. Ed. *sancti Macarii*. Cod. 511. *beati Macarii*. Post verbum *exuri* ad extremum, sequitur in codicibus 511. 512. & 514. „ Eodem die, in territorio Dumensi (cod. 512. 514. *Dunensi*), „ depositio sancti Leonardi eximii confessoris. *Leonardi.*

Eutychiani. ADNOTATIO. De *Eutychiano* Papa non uno eodemque die agunt veteres tabulæ. In vetustissimo Kalendario Bucheriano inter depositiones Episcoporum habetur: VI. *Id. Decembris Eutichiani, in Callisti*. Hac die item agunt Hieronymiana, Romanum parvum, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, & Kalend. Palatin. Vatic. 499. Richenoviense hac die habet: *Romæ, in cimiterio Calisti via Appia, depositio Euticiani Episcopi & confessoris*. Pridie hujus: *Et Romæ, Eutaciani Episcopi*. Item Labbeanum pridie hujus: *Romæ, Eutyciani Episcopi*. Ea die Ottobonianum: *Romæ, sancti Euticiani Episcopi de anticis*. Rabanus, Florus, Notkerus, & Auctaria Usuardi de *Eutychiano* Papa, martyrio sub *Aureliano* coronato, agunt die XXV. *Julii*. Quod autem pro *Aureliano*, scriptum sit in Martyrologio Romano, *Numeriano*, id contra Martyrologiorum fidem nonnullis videtur. Confer Tillemontium tom. IV. pag. 365. Kalendarium vero Vat. 3806. agit die XXVI. *Julii*. Quemadmodum varia est dies, qua antiquitus in Ecclesiasticis tabulis *Eutychianus* colebatur, ita varia est de illius martyrio & annis Pontificatus enarratio. Baronius ad an. 283. n. XIV. in ea est sententia, ut sederit annos *octo*, & menses aliquot, licet apud Eusebium legatur, Eutychianum, *octo*, vel decem menses sedisse. Si veteres catalogos a Mabillonio editos consulis, annus unus, & dies aliquot, vel nihil de annis in his legitur. In codice Reginæ Suecorum 712. pag. 89. ubi catalogus sæculo XIII. scriptus habetur, ita legitur: *Euthicianus mart. sedit an. I. mens. I. dieb. I.* *Annis octo, & mensibus undecim* in Pontificatu vixisse *Eutychianum* censet Pagius in Critica ad an. 283. n. IX. sed num. X. *confessorem* tantum, non *martyrem* eum fuisse putat. De annis Pontificatus cum Pagio convenit Constantius in Epist. Roman. Pontificum pag. 098. De eisdem vero annis Sollerius in Usuardum hac die Baronio, Henschenio, & aliis assentitur. De *martyrio* testes plereque sunt Martyrologicæ tabulæ, neque omnino in aliam sententiam trahunt, prout animadvertit Pagius, quod Eutychianus in Indiculo Bucheriano inter depositiones Episcoporum collocetur. Annon inter eas depositiones *Felix, Lucius, & Stephanus*, & alii, qui vere martyres sunt? Acta nulla supersunt: vide interim quæ concinnavit Tillemontius tom. IV. pag. 365.

Macarii. *Macarius* ab auctore Romani parvi celebratus, ex epistola Dionysii Alexandrini apud Eusebium Rufini lib. VI. cap. XXXI. sumptus est; de quo etiam hac die Ado, Usuardus, & Martyrologium Fuldense, silentibus aliis. Et hic ad Decianam persecutionem pertinet.

Leonardi. *Leonardus* ab apographis nostris hac die colitur in pago *Dunensi*. De eo nonnulla diximus ad diem VI. *Novembris*, quare vide ibi adnotata. De *Dunensi* pago Valesius in Notitia pag. 178.

9. Dec. *G. V. IDUS DECEMBRIS.*

Leocadiæ. NATALIS sanctæ Leocadiæ virginis: quæ tempore Diocletiani & Maximiani a præfecto Hispaniarum Daciano, apud Toletum dira carceris custodia macerata est. Ubi cum gravissimos B. Eulaliæ & reliquorum Martyrum, qui a Daciano interficiebantur, audisset cruciatus; genibus in oratione positis, impollutum spiritum Christo reddidit.

Cypriani Abb. Item eodem die, B. Cypriani Abbatis Petragorici, magnificæ sanctitatis, & clarissimi in miraculis viri. Greg. Tur. de gloria Conf. cap. 100.

VARIA LECTIO. Ed: *Leocadiæ*. Cod. 511. *Leocbadiæ*. Ed. *Item eodem die*, B. *Cypriani* &c. Cod. 511. 512. 514. *Ipso die beati Cipri* (Cod. 512. 514. *Cipriani*) *abbatis Petragorici, magnæ sanctitatis viri, & clarissimi miraculis.*

Leocadiæ. ADNOTATIO. *Leocadia* inter præclarissimas Hispaniæ virgines, hac die colitur primum, ut visum est Sollerio, ab auctore Romani parvi, silentibus Hieronymianis, Beda, & Wandelberto; ex Romano parvo agit Ado cum elogio, ex quo Usuardus, & Martyrologium Fuldense. At in vetustis Hispaniæ monumentis *Leocadia* insignis est, ut

ut praeter Baronium in Notationibus hac die animadvertunt Sollerius, & alii; nimirum ex tribus in ejusdem honorem, *Toleti* basilicis, ex concilio Toletano IV. in una ex his basilicis celebrato, ex Missali & Breviario Mozarabum, & alio ejusmodi Blanchiniano. Disquirit etiam obiter Sollerius, num *martyr* sit, qnia *confessor* in concilio Toletano IV. appellatur. Acta sincera non supersunt, & Sollerius testatur, apud Bollandianos socios in Museo domestico eorum aliqua apographa asservari, luce donanda, quæ panegyrim potius sapiunt. De ea paucia Tillemontius tom. v. pag. 57. Num inter Carmelitas adscribenda sit, consule Papebrochium in Responsionibus artic. XVI. num. 77. *& seq.*

Cypriani Abbatia elogium ab Adone sumptum est, ut Sollerio videtur, ex Gregorio Turonensi de gloria confes. cap. c. & ex Adone in Usuardum transiit, ab aliis *Cypriano* prætermisso. Nihil præterea de ejus gestis; neque exploratum est, an fuerit ordinis Benedictini monachus. *Cypriani*.

10. *Decem.*

A. IV. IDUS DECEMBRIS.

Prudentius hymn. 3. APUD Emeritam Hispaniæ civitatem, natale S. Eulaliæ virginis. Quæ cum esset annorum XIII. jussu Daciani præsidis plurima tormenta perpessa, novissime in equuleo suspensa, & exungulata, facibus ardentibus ex utroque latere appositis, hausto igne spiritum reddidit, & cernentibus Christianis in specie columbæ niveæ cælum petiit. Cujus beatum corpus per triduum jussu Præsidis pependit in ligno. Sed cui humana fuerant obsequia denegata, cælestia fuerunt munera concessa, nam nix desuper corpus puellæ adspersit, ut quod ab utraque parte appositus ignis ardoris sui incendio conflagraverat, nivali candore coopertum divina gratia dealbaret. Sicque a Christianis reverenter ablata & devotione debita sub sacro altari deposita, miraculorum gloria illustratur. *Eulalia*.

Eodem die apud præfatam urbem, passio sanctæ Juliæ, quæ fuit convirginalis sanctæ Eulaliæ, illique ad passionem properanti individua comes & sodalis adhæsit. *Julia*.

* al. Spoletanam. Item apud * Hispolitanam civitatem, SS. martyrum Carpophori presbyteri, & Abundii diaconi, qui persecutione Diocletiani, sub judice Martiano, in confessione Christi, primo fustibus crudelissime cæsi, deinde in carcerem, negato cibo & potu, retrusi: unde per Angelum educti, & verbum Dei prædicantes, iterum tenti, & ora ipsorum lapidibus contusa sunt: rursumque equuleo tenti, & post hæc carcere diu macerati, novissime gladio percussi sunt. *Carpophori, & Abundii.*

VARIA LECTIO. Ed. *Hispolitanam*. Ita cod. 512. 514. Cod. 511. *Spoletanam*. Ed: *Abundii*. Cod. 511. *Abundi*. In codice 512. post verba *percussi sunt* ad extremum, sequitur: *Item eodem die, natalis sanctæ Valeriæ virginis & martyris*. *Valeria*.

Eulalia; ADNOTATIO. In tabulis Latinorum omnibus *Eulalia* virgo & martyr celeberrima, partim hac die, partim postridie colitur; de ea enim agit hac die Kalendarium Carthaginense. Hieronymiana vero agunt hac die, & postridie, & *pridie idus*; Beda

da hae die, ut & Gellonense, in quo etiam ad diem XII. hujus de *Eulalia* iterum, Romanum parvum, Rabanus, Ado, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, & Ottobonianum, in quibus hac die X. *Decembris* Eulalia colitur. Richenoviense, & Labbeanum agunt die XI. & XII. hujus, & Labbeanum etiam die X. Corbejense brevius, & Kalendar. Palat. Vat. 485. die XII., Kalendarium Vat. 3806. die X. hujus. In Hieronymiania *Eulalia* celebratur, *Almeri*, mendose pro *Emerita*, a Beda, Rabano, Martyrologio Ottoboniano, & Kalendar. Vat. 3806., *Barcinona*, ab Adone, Usuardo, Martyrologio Fuldensi, Wandelberto, Richenoviensi, & Corbejensi breviori, *Emeritæ*. Rabanus de *Eulalia Emeritensi* agit die XII. hujus. Ado, Usuardus, & alii de *Eulalia Barcinonensi* agunt die XII. *Februarii*, & vide de ea ibi adnotata. Cæterum de *Eulalia Emeritensi*, ut Mabillonius, & Ruinartius opinantur, exstat Missa in Missali Gothico num. XVIII. & Mozarabum. Acta utriusque Eulaliæ ita commiscentur, ut unum & idem videantur, quocirca iis omissis, Ruinartius pag. 497. Prudentii hymnum tertium de martyrio sanctæ *Eulaliæ* virginis *Emeritensis* protulit. Ex Actorum similitudine orta est dubitatio, unane, an duæ *Eulaliæ* sint distingendæ, qua de re Henschenius ad diem XII. *Februarii*, Ruinartius pag 496. & Tillemontius tom. V. pag. 713. Sollerius mallet duas *Eulalias* distingui, prout in Missali, & Breviario Mozarabum, ab Isidoro, Eulogio, & aliis Hispanicarum rerum Scriptoribus distinguuntur. De *Eulalia* Emeritensi Gregorius Turonensis, Fortunatus, & alii apud Baronium in Notationibus, & Ruinartium, ut supra. Passa est c. A. D. 304.

Juliæ. *Julia* unius Adonis, inquit Sollerius, auctoritate fulcitur, ex quo accepit Usuardus. Cæterum altum apud omnes silentium, & frustra in apographo Hieronymiano Epternacensi quæritur, ubi *Julia* pro *Eulalia* scriptam esse comminiscimur.

Carpophori, & Abundii. *Carpophorus* & *Abundius* a Romano parvo primum memorantur his verbis: *Spoleti, Carpophori presbyteri, & Abundii diaconi.* Ex hoc fonte in Adonem manavit, ut censet Sollerius, deinde in Usuardum. Meminit Rabanus sine ulla loci designatione. Acta apud Mombritium tom. I. pag. 4. incipiunt: *Temporibus Juliani &c.* usque, *decimo die mensis Decembris sub Maximiano & Diocletiano Imperatore, præstante &c.* Hæc vero & alia horum apographa, Baronii sententia in Notationibus hac die, admodum depravata sunt, imo, inquit Sollerius, omnium non plane imperitorum judicio. Vide Janningum Julii tom. I. in princip. cap. VII. & Tillemontium tom. V. pag. 132. Utrum vero *Hispali* in Hispania, an *Spoleti*, & an *Hispellate* urbibus Umbriæ sint adscribendi, vide Sollerium in varia lectione. De *Abundio* presbytero, & *Abundantio* diacono, sub Diocletiano martyribus, una cum *Martiano* viro illustri, *Johanne* ejus filio, via Flaminia decimo ab Urbe lapide cæsis, exstant Acta; & *Abundii*, atque *Abundantii* corpora translata fuere in basilicam Farnesianam, Societatis Jesu Romæ primariam, ut habet Baronius ad an. 303. num. CXIII. Vide Aringhium lib. IV. cap. XI.

Valeria. De *Valeria* virgine, & martyre, de qua unus ex nostris codicibus, agunt tantummodo hac die Usuardi Auctaria. Prætermissa est a Romano Martyrologio, & addita a Castellano, qui *Camboni* in Arvernis illius corpus coli scribit. Christi sæculo III. passam putat. Monasterium *sanctæ Valeria de Cambonio* memoratur in testamento Guillelmi Arverniæ Comitis A.D. 1209. VI. Kal. *Junii* condito, quod habes in Gallia Christiana novæ editionis tom. II. pag. 200. in Appendice Documentorum.

---

11. Dec. B. III. IDUS DECEMBRIS.

Danielis. DANIELIS Prophetæ.

Damasi. Romæ sancti Damasi Papæ, qui rexit Ecclesiam annos octodecim, menses tres, dies duos. *Pontifical. cap. 38.*

Pontiani, & soc. Et natalis SS. Pontiani, Prætextati, atque Thrasonis martyrum. Qui Thraso cum esset potens & locuples, ac Christianissimus; de facultatibus suis, SS. Martyribus in carceribus & metallis damnatis, victum ministrabat per beatum Sisinnium & Cyriacum, quos B. Marcellus ad hoc opus diacones consecrarat. Non multo post & ipse tentus a Maximino, Marty- *De his in gestis Marcelli Pap., 16. Jan.*

ribus-

ribusque sociatus, palmam martyrii cum duobus aliis prænominatis percipere meruit.

In Galliis, civitate Ambianis, natalis sanctorum martyrum Victorici & Fusciani, qui gloriosissimam fidei suæ confessionem sanguine passionis decoraverunt. *Victorici, & Fusciani.*

In Hispaniis, S. Eutychii, cujus gesta habentur. *Eutychii.*

VARIA LECTIO. Ed. *Prætextati* &c. Cod. 511. 512. & 514. *Prætextati atque Trasonis. Qui potens & locuples de facultatibus suis cum esset, Christianissimis suis martyribus in carceribus & metallis damnatis* &c. ut in editis.

Danielis. ADNOTATIO. De *Daniele* iterum hac die agit Ado, quum de eo egerit supra die xxi. *Julii*. Græci in Menologiis agunt die xvii. *Decembris*, & pleraque Usuardi Auctaria hac die xi. *Decembris*, imo hac die etiam memoratur a Romano parvo, postquam die xxi. *Julii* egit, & quam ob causam, nescit Sollerius. Ad aliquam illius celebritatem id pertinet. Vide autem quæ de *Daniele* ad diem xxi. *Julii* adnotavimus. De *Daniele Stylita* Græci hac die agunt, cujus Acta Metaphrastina habentur Latine apud Surium hac die. Vide Tillamont. tom. xvi. pag. 439. & 779.

Damasi. *Damasus* Romanus *Pontifex* in vetustis tabulis, & pridie hujus, & hac die colitur. Pridie hujus agunt Hieronymiana, Richenoviense, & Martyrologium Fuldense. Hac die colitur a Beda, Gellonensi, Romano parvo, Rabano, Adone, Usuardo, Wandelberto, Ottoboniano, a Richenoviensi iterum, Labbeano, & Kalendario Vat. 3806. In vetustioribus Sacramentariis Gregorianis Missa in natali S. Damasi desideratur, sed habetur hac die xi. *Decembris* in Palat. Vat. 495. Prima oratio est: *Misericordiam tuam, Domine*. Secreta: *Da nobis*. Ad com: *Sumptum, Domine*. In catalogo Romanorum Pontificum in codice Regiæ Suecorum 719. sæculi xiii. legitur: *Damasus confessor. Sedit an. xiii. mens. iii. dieb. ix.* Non convenit cum Adone, prout variant ex more alii catalogi. Decessit *Damasus* die xi. *Decembris* A. D. 384. et apud Baronium ad eum an. num. xviii. vel die x. *Decembris*, ut Pagius in Critica ad an. 384. n. II. De ejus gestis post Baronium, & alios vide Tillemontium tom. viii. pag. 386. *& seq.*

Pontiani, & soc. *Pontianus*, & socii enuntur hac die a Hieronymianis, licet confusis nominibus, a Romano parvo, Adone, Usuardo, Ottoboniano, Richenoviensi, & Labbeano. In Hieronymianis, & aliis una cum Damaso commiscentur. Gellonense: *Romæ, Damasi Papæ, Eulaliæ, Prætextati. Alibi, Trasonis, Pontiani, Samoni, Eutici, Secundi.* Ottobonianum hac die habet: *Romæ, natalis sancti Damasi Papæ, Trasonis, Pontiani, Capitulini, Prætestati, & aliis multis, quorum nomina Deus scit: etiam concilium sanctorum.* De *Trasone* meminit die xxx. Novembris: *Romæ*, inquit, *natalis sancti Castuli, & Contuli, & Trasonis, & Eupreperis.* Richenoviense die x. *Decembris*: *Romæ, Pontiani, Trasonis, Capitulini, Damasi Papæ.* Labbeanum ad diem xi *Romæ, Damasi Papæ, Eulaliæ, Prætextati. Alibi, Trasonis, Pontiani, Samoni, Eutici, Secundi.* Adi Florentinium in notis. De his martyribus mentio in Actis *S. Marcelli*, & *S. Susannæ*, quare, ut est apud Sollerium, eadem de eorum rebus gestis ratio habenda est, ac de Actis hujusmodi.

Victorici, & soc. *Victoricus*, & socii apud *Ambianos*, vulgo *Amiens*, memorantur hac die a Hieronymianis, Gellonensi, Rabano, Floro, Adone, Usuardo, Martyrologio Fuldensi, Labbeano, Corbejensi breviori, & Kalendario Vatic. 3806. Non conveniunt tamen in nominibus ac numero inter se. In Hieronymiano Lucensi loco *Fusciani* legitur *Faustini*, & additur *Maria*, omisso *Gentiano*. *Gratiani* & *Fusciani* meminit hac die Hagiologium Francogallicum. In apographo Corbejensi leguntur nomina *Victorici*, *Fusciani*, & *Gentiani*, prout in Corbejensi breviore, Rabano, Floro, & Kalendario Vat. 3806. Gellonense pro *Fusciani* habet *Fausciani*, & omisso *Gentiano* addit *Mariam*, *Zosimum*, *& alios*. Ado *Victoricum*, & *Faustianum* tantum commemorat. Hinc arguit Sollerius, Acta Adoni non innotuisse, utique vero Usuardo, qui in elogio, *Victoricum*, *& Fuscianum* una cum *Gentiano* hospite passos esse narrat. Martyrologium vero Fuldense *Gentianum*, & *Fustianum* Quintini discipulos statuit, & eorum hospitem *Victoricum*, qui cum iis gladio cæsus est. Varia igitur in eorum Actis tradita esse oportet.

tet. Es vide apud Mabillonium sæculo IV. Bened. P. II. pag. 487. ubi de eorum translatione; vide etiam Tillemontium tom. IV. p. 454. *Victorici*, & *Fusciani* solummodo meminit Wandelbertus. Passi dicuntur c. A. D. 286. Vide Castellani adnotatiunculam ad hanc diem.

Eutychii. De *Eutychio* agunt Hieronymiana, & quidem Lucense his verbis: *In Hispania, S. Eutici, cujus gesta habentur*. Epternacense: *In Spanis, Eutici*. Ab his forte sumpsit Ado, deinde Usuardus. In aliis siletur, eorumque gesta Adoni & Usuardo ignota fuisse censet Sollerius. In Gellonensi *Euticus* cum *Pontiano* & aliis commiscetur.

---

12. Dec.

C. PRIDIE IDUS DECEMBRIS.

Hermogenis & al. NATALE sanctorum martyrum Hermogenis, Donati, & aliorum viginti duorum. Eufeb. l.6. c.34. Ruff. 31.

Epimachii & Alex. Apud Alexandriam, beatorum martyrum Epimachii & Alexandri: qui multo tempore cum in vinculis & cruciatibus carceris tenti, etiam frequenter & diversis suppliciis confecti perdurassent in fide, ignibus postremo consumi jubentur. Idem ibid.

Ammonariæ & soc. Eodem die, natale SS. quatuor mulierum Ammonariæ, Mercuriæ, Dionysiæ, item Ammonariæ. Adversus primam virginem Ammonariam Judex summa contentione utebatur, & immensis eam atque exquisitis cruciatibus affligebat, & maxime, quod ejus sententiam vincere cupiebat, quia laudabili voce decreverat, nihil se prorsus eorum, quæ sibi contra fas imperabantur, acturam. Quæ statuti sui tenax, ad ultimum capite punitur. Secunda vero, Mercuria, anus venerabilis & fecundissima in filiis, sed quos non prætulit Christo. Tertia, sancta Dionysia: & alia Ammonaria, quarta. Dum nimia utuntur constantia apud Judicem, & ille vinci erubescit a feminis, inauditis tormentorum generibus toleratis, finem omnium ferro cædente suscipiunt, gloriose & venerabiliter apud Alexandriam sepultæ. Scribit B. Dionysius in libro de Martyribus. Idem ibid. Eufeb. l.6. c.33. Ruff. 31.

VARIA LECTIO. Ed. *Epimachii*. Cod. 511. *Epimachi*. Ed. *Ammonariæ &c.* Cod. 511. *Ammonariæ, Mercuriæ, Dionisiæ, item Amonariæ*. Post verbum de *Martyribus* ad extremum, sequitur in codicibus 511. 512. 514.

Pauli. „ Apud Septimaniam, urbe Narbona, depositio beati Pauli Episcopi & confessoris, cujus innocens vita, ut populo panderetur, æmulis invisa, aquila cælitus missa, tam diu Ecclesiæ insedit tecto, quousque obtrectatorum insania ultione feriretur divina. In pago Vimnacense, natalis sancti Walerici, qui super Somnam fluvium heremiticam vitam ducens, etiam miraculis claruit.

Walerici.

Hermogenis & soc. ADNOTATIO. *Hermogenes* & socii commemorantur hac die a Hieronymianis, loco non apte designato. In Epternacensi omnium vetustissimo legitur: *Et alio loco, Hermogenis, Donatæ, & aliorum* XXII. Cæterum in eisdem apographis *Donatæ*, pro Do-

Danati legitur, oulla loci appositione. Gelloncnse: *In Spania, Eulaliæ virg. Hermogenis, Donati, & aliorum viginti duorum.* Apud Rabanum *Emerita* pro loco martyrii designatur, prout etiam in Ottoboniano his verbis: *Emeritu civitate, natalis sanctorum Hermogenis, Donati, & Silviani, & aliis* (sic) xxiii. Usuardus genuinus Adonem secutus habet: *Item sanctorum martyrum Hermogenis, Donati, & aliorum viginti duum.* Nonnulla Usuardi Auctaria apud Sollerium præferunt: *Apud Emeritam.* Richenoviense habet: *In Spaniis, Emeritæ, Eulaliæ. Et in alio loco, Ermogenis, Donati, & aliorum viginti virorum.* Labbeanum: *In Spaniis, Eulaliæ virginis. Alibi, Hermogenis, Donatæ.* De *Hermagene*, & *Donata* cum sociis meminit Wandelbertus. At, quid statues? fontos *Hispaniæ* hi martyres adscribendi? Sollerius eo propendet, licet a loci designatione Ado, & Usuardus abstinuerint. Ego vero in re tam ancipiti nihil proferre ausim.

Epimachi. & Alex. Epimachus & *Alexander* ex epistola Dionysii Alexandrini apud Eusebium Rufini lib. vi. cap. xxxi. sumpti sunt ab auctore Romani parvi, deinde ab Adone, & Usuardo, prout de *Agathone* die vii. & de *Macario* die viii. hujus dictum est. De *Epimacho & Alexandro*, ut monet Ruinartius, Græci agnot die xxxi. *Octobris*. De ejus translatione Constantinopolim die xi. *Martii*, vide quæ diximus ad diem x. *Maii*.

Ammonariæ & soc. Ex eodem fonte profluunt *Ammonaria*, & sociæ, ab eodem Romano parvo, Adone, & Usuardo celebratæ. Ad eandem igitur Decianam persecutionem pertinent, de qua memorata Dionysii Alexandrini epistola.

Pauli. De *Paulo* Narbonensi bis agunt apographa nostra, scilicet die xxii. *Martii* una cum Hieronymianis, & iterum hac die qua ab Usuardo genuino colitur, sed aliud est in nostris apographis hac die elogium, quam apud Usuardum. Sollerius nunquam satis se perspicere testatur, cur Usuardus a ductore suo declinaverit, & omisso *Paulo* die xxii. *Martii*, ad hanc usque diem distulerit. Non deseruit omnino doctorem Usuardus, quoniam Adoniana apographa de *Paulo* etiam hac die agunt. Vide autem quæ de eodem *Paulo* sunt a nobis adnotata ad diem xxii. *Martii*. Consule etiam nuperrimos Galliæ Christianæ editores tom. vi. pag. 5. §. 1. in Narbonensibus, ubi prudenter monent, traditionem Ecclesiæ Narbonensis de Sergii Pauli Proconsulis missione in Galliam Narbonensem Apostolorum ævo, conjectura solummodo niti; alia addunt de illius cultu, ac translationibus, deque Martyrologiis, in quibus die xxii. *Martii*, & die xii. *Decembris*, ab Usuardo, & aliis obitus dies recolitur. Agit de *Paulo* hac die Hagiologium Francogallicum.

Walericus ab apographis nostris die 1. *Aprilis* prætermissus, huc translatus est, qua nempe die memoratur ab Usuardo, & a Martyrologio Fuldensi. Sollerius Usuardinum plane esse contendit, licet Mabillonius Adonem Sangermanensis codicis obtrudat, quia inter alios Adonianos codices Musei domestici, unicum Lobiensem reperit. Accedent nunc apographa nostra, quæ die 1. *Aprilis* Walericum prætereunt, & hac die tantum recolunt, ut ad diem 1. *Aprilis* adnotavimus. Vide interim quæ habent Bollandiani ea die pag. 14. & de *Vimnacensi*, seu *Vinemaca* pago Valesium in Notitiis pag. 612. & de S. *Walerica* in plenis, ibidem pag. 627. Obiit *Walericus*, seu *Walaricus* Leuconanensis in pago *Vinemaca*, seu *Vimnacensi* Abbas, die xii. *Decembris* A.D. 622. Mabillon. Annal. Bened. lib. xi. §. xxxiii. *Walerici.*

D. IDIBUS DECEMBRIS. 13. *Dec.*

APUD Syracusam, Siciliæ civitatem, natale S. Luciæ virginis & martyris, quæ passa est persecutione Diocletiani & Maximiani, sub Paschasio consulari. Hæc nobilissima Syracusanorum, postquam omnia sua (quæ de parentibus ei remanserant) pauperibus, viduis, orphanis, peregrinis, & Deo servientibus distraxit; a sponso suo, quod esset Christiana, Paschasio judici delata, & contra leges Augustorum vivere, impellebatur ad sacrificandum dæmonibus. Tunc beata Lucia Paschasio respondit: *Sacrificium verum & immaculatum apud Deum & patrem hoc est, visitare viduas & orphanos in tribulatione eorum.* Ego per istos tres annos nihil aliud egi, nisi sacrificavi Deo *Luciæ.* Jacobi 1.

Deo vivo: & nunc quia aliud nihil supereſt, me ipſam offero in ſacrificium Deo. Cui Paſchaſius poſt talia dixit: Ceſſabunt verba, cum fuerit perventum ad verbera. Lucia reſpondit: Matth. 10. Dei verba ceſſare non poterunt. Ipſe enim dixit: *Cum ſteteritis ante Reges, & Præſides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*. Mar. 13. *Non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus, qui loquitur in vobis*. Paſchaſius iterum dixit: In te ergo eſt Spiritus ſanctus? Ad hæc Lucia reſpondit: Quod caſte & pie viventes templum Dei ſunt, & Spiritus ſanctus habitat in eis, 1. Cor. 3. teſtatur Apoſtolus. Et eum Paſchaſius iterum dixiſſet: Ego faciam te ad lupanar duci, ut dum fueris ſcortata, fugiat a te Spiritus ſanctus. Beata Virgo reſpondit: Nunquam coinquinatur corpus, niſi de conſenſu mentis: nam etſi in manu mea thura ponas, & per manum meam facias ſacrificium, Deus hæc attendit, & ridet. De ſenſibus enim & voluntatibus judicat. Sic pariter violatorem caſtitatis, ſicut latronem, ſicut barbarum, ſicut ſerpentem: nam ſi me invitam violari feceris, caſtitas mihi duplicabitur ad coronam. Poſt hæc Paſchaſius tradidit eam lenonibus, dicens: Invitate ad caſtitatem ejus populos, & facite eam tam diu illudi, donec mortua nuntietur. Quam lenones nullatenus movere potuerunt, cum ſimul ex officio impellentes * al. additis. acceſſiſſent, nec funibus * additis aut boum paribus plurimis. Tunc præcepit Paſchaſius miniſtris, ut ignem copioſum circa eam accenderent, picem vero, & reſinam, & fervens oleum ſuper eam jactarent. Sed illa in nomine Domini Jeſu Chriſti immobilis ſtetit, dicens: Ego rogavi Dominum meum Jeſum Chriſtum, ut ignis iſte non dominetur mihi, quatenus tibi inſultem plaudens in Domino, & impetravi ab eo inducias martyrii mei, ut credentibus timorem tolleret paſſionis, & non credentibus vocem inſultationis auferret. Tandem gladio in gutture merſo percuſſa, quamdiu voluit, oravit; quamdiu voluit, turbam circumſtantem allocuta eſt. Nec omnino mortua eſt, donec venientibus Sacerdotibus, communionem Dominici corporis & ſanguinis acciperet. Paſſa eſt autem Idibus Decembris, & in loco ubi percuſſa eſt, ſepulta, baſilica ſuper corpus ejus poſtmodum fabricata. Paſchaſius vero Romam perductus, eo quod a Siculis fuiſſet accuſatus, quod deprædaſſet provinciam: ab omni Senatu auditus, accepit capitalem ſententiam.

Auberti. VARIA LECTIO. Cod. 514. poſt verbum *ſententiam* extremo loco hac die habet: *Cumeraco, ſancti Auberti Epiſcopi & confeſſoris, cujus vita miraculis claruit, & mors pretioſa nihilominus miraculis commendatur.*

ADNO-

Luciæ. ADNOTATIO. *Luciæ* virginis *Syracusanæ* natalis in Latinorum quibusque fastis veterrimis hac die colitur, nimirum a Hieronymianis, Beda, Gellonensi, Romano parvo, Rabano, Floro, Adone, Usuardo, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, Richenoviensi, Labbeano, Corbejensi breviori, Kalendario Palat. Vatic. 485. Vatic. 3806. & aliis. In omnibus fere, *Syracusis* recolitur. In libris quoque Liturgicis Gregoriani ritus vetustioribus Missa hac die præfigitur in *natali sanctæ Luciæ virginis*, prout Evangelium in Capitularibus Evangeliorum omnibus tom. III. de Liturgia Rom. Pontificis pag. 285. De ejus nomine in sacro Missæ canone suivis exploratum est. Variæ in Urbe antiquitus in honorem *S. Luciæ* extructæ fuerunt Ecclesiæ, & Diaconiæ, de quibus liber Pontificalis. Plura de *Luciæ* laudibus Adelhmus. Circumferuntur vulgata ipsius Acta, quæ habentur apud Mombritium, Surium, & alios. In codice Reginæ Suecorum 482. pag. 43. ita incipiunt: *Cum per universam provinciam Siciliam* &c. usque, *contingentibus sepulchrum ejus*. Antiqua esse, & gravia nos monet Sollerius, eaque nota fuisse Bedæ, Adelhmo, & aliis, jam patet. Sincera tamen visa non sunt Ruinartio, qui ea omisit. Vide Tillemontium tom. v. p. 142. Passa fuisse fertur c. A. D. 303.

De *Autberto* Episcopo *Cameracensi* agit hac *Autberti.* die unum tantum ex apographis nostris, agit & Usuardus genuinus, quocirca Sollerius existimat purum putum Usuardinum esse, & in sacros fastos ab eo primum *Autbertum* relatum. Non inficias iverimus, quandoquidem codex noster Adonianus non est ex antiquioribus, & Mosander ipse in Appendicem rejicit. Agit autem de *Autberto* hac die Hagiologium Francogallicum, & Kalendarium Vatic. 3806. Obiit c. A. D. 668. Plura de ejus gestis & Actis summatim in nova Galliæ Christianæ editione tom. III. pag. 6. nu. VII. in Cameracensibus.

E. XIX. KALENDAS JANUARII. *14. Dec.*

APUD Antiochiam, natalis sanctorum martyrum Drusi, *Drusi & soc.* Zosimi, & Theodori.

Apud Alexandriam, SS. martyrum Heronis, Arsenii, & *Heronis & soc.* Isidori, atque Dioscori. Hi postquam Judici oblati sunt, Judex primo omnium puerulum Dioscorum tamquam pro ætate facilem flecti (erat enim XV. annorum) ante verbis, post etiam verberibus agit. Quem cum in nullo sibi cedere videret, ferocius eum cruciare contendit. Tum deinde ceteros variis tormentis dilanians, cum pari modo constantia fidei videret armatos, tradi ignibus jubet. Dioscorum vero puerum, quod sibi constanter & sapienter in omnibus respondisset, admiratus Judex differri præcepit, sperans eum pro ætate pœnitudinem acturum. Sed ille confessionis gloria illustratus, divino nutu ad consolationem fidelium dimissus est. Acta hæc sub Deciana persecutione.

Euseb. l. 6. cap. 34. Ruff. 31.

Apud Cyprum, natalis S. Spiridionis Episcopi, admiran- *Spiridionis.* dæ beatitudinis viri, qui fuit unus ex illis Confessoribus, quos Maximianus dextris oculis effossis, & sinistro poplite succiso, per metalla damnaverat. Quique cum propheticam vitam duceret, etiam signorum gloria inclytus fuit.

Ruff. lib. 1. cap. 5.

Nicasii. VARIA LECTIO. Ed. *Spiridionis*. Cod. 511. *Sphiridionis*. Cod. 512. *Spyridionis*. Post *inclytus fuit* ad extremum, sequitur in cod. 511. 512. 514. „ Remis, natalis sancti Nicasii Episcopi, & martyris, qui a Wandalis pro „ fide Christi decollatus est intra domum Ecclesiæ.

Drusi & soc. ADNOTATIO. *Drusi* & sociorum meminere hac die Hieronymiana, Gelloneuse, Rabanus, Romanum parvum, Ado, & Usuardus. Confusio est in Hieronymianis, quia utrum *Drusus*, an *Drusina* in eis scribatur, incertum est. Huic socios tres addunt: et in Romano parvo, Rabano, Adone, & Usuardo *Drusus*, *Zosimus*, & *Theodorus* tantum memorantur. Martyrologium Ottobonianum habet: *In Antiochia, natalis sancti Drusi, & sociorum ejus numero* III. Richenoviense: *In Antiochia, Drusi, Zosimi, & Theodori*. Labbeanum: *Antiochiæ, Drusi, Zosimi*. Corbejense brevius: *In Antiochia, Drusi, & sociorum ejus*. Ex his *Drusum* elicimus, de sociis incerti relinquimur.

Heronis & soc. *Heron* & socii ex memorata sæpius Dionysii Alexandrini Episcopi epistola apud Eusebium Rufini lib. VI. cap. XXXI. excerpti sunt a Romano parvo, deinde ab Adone, & Usuardo. Eorum nomina apud Eusebium Rufini sunt *Heron*, *Arsinus*, *Isidorus*, & *Dioscorus*. Apud Eusebium Christophorsoni, & Valesii *Ater* pro *Arsinus* scribitur, & in Martyrologio Romano *Arsenius*. Vide Ruinartium pag. 105. ad hanc Dionysii epistolam in Actis selectis.

Spiridionis. *Spiridion* apud Latinos recensetur primum hac die ab auctore Romani parvi ex Rufino lib. X. cap. IV. deinde ab Adone, Usuardo, Wandelberto, & Martyrologio Fuldensi. Græci agunt die XII. *Decemb.* De eo vide Baronium in Notationibus, ubi etiam de Actis Metaphrastæis, Latine apud Lipomanum, & Surium. Exstant & alia Græce, auctore Theodoro Paphi Episcopo, quæ citantur a Lambecio tom. VIII. pag. 310. Vide Tillemontium tom. VII. pag. 242. & *seq.* 693. & *seq.* Obiit c. A. D. 350.

Nicasii. Sequitur in codicibus nostris *Nicasius* Episcopus & martyr *Remensis*, de quo hac die Hieronymiana, Gelloneose, Rabanus, Florus, apographa nostra, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Labbeanum, Hagiologium Franco-gallicum, & Kalendarium Vatic. 3806. Quis ergo jure in Adonianam Appendicem conjectum fuisse affirmabit? Wandalica persecutione passus esse dicitur in elogio apud auctorem Martyrologii Fuldensis. Leguntur Acta apud Surium, & Mombritium. Passus esse dicitur c. A.D. 407. Vide Willelmum Marlotum in Metropoli Remensi lib. I. cap. XXXIII. XXXIV. & Ruinartium in Historia persecutionis Wandalicæ P. II. cap. I. n. 6.

---

15. Dec. *F. XVIII. KALENDAS JANUARII.*

Valeriani. APUD Africam, sancti Valeriani Episcopi, & confessoris natale. Qui tempore Wandalicæ persecutionis (cum ex præcepto Geiserici Regis Ariani, ad tradendum ministeria, & libros arctarentur cuncti Domini Sacerdotes, ita ut iidem impii Ariani etiam de ipsis palliis altaris sibi camisias & femoralia facerent) viriliter, ne Sacramenta divina traderet, dimicans, extra civitatem singularis expelli jussus est: & ita præceptum, ut nullus eum neque in domo, neque in agro permitteret habitare. Cumque esset plus annorum octoginta, in stratâ publicâ multo tempore jacuit nudus sub aere. Sicque in confessione Catholicæ veritatis, & defensione sanctimonii, cursum beatæ vitæ implevit. Victor. African. lib. 1.

Maximini. Aurelianis, B. Maximini presbyteri, venerabilis sanctitatis viri.

VARIA

VARIA LECTIO. Ed. *Aurelianis, B. Maximini*. Cod. 511. 512. 514. *In territorio Aurelianensium, beati Maximini*.

Valeriani. ADNOTATIO. *Valerianus* primum colitur ab auctore Romani parvi, deinde fusa ab Adone ex Victore Vitensi. & contractius ab Usuardo. Ab aliis nonnulli Africani martyres hac die memorantur, *Valeriano* in his omisso. Richenoviense habet: *In Africa, Fausti, Lucii, Candidi, Maximi, Marci, Secundi, Primi, Saturnini*. Labbeanum: *In Africa, Fausti, Lucii, Cecili, Primi, Januarii, Macri, Restituti*. Corbejense brevius: *In Africa, Faustini, Luci, Candidi*. Ottobonianum: *In Africa, natalis sanctorum Fausti, Luci, Candidi, & aliis. Valerianus*, ut monet Sollerius, in Victore Vitensi lib. I. pag. 16. editionis Chiffletianæ, *Abensis civitatis Episcopus* dicitur, & in editione Ruinartii, *Albenae*, qua de re Ruinartius in notis pag. 159. Passus in persecutione Genserici c. A. D. 457.

Maximini De *Maximino* Abbate *Miciacensi* agunt hac die apographa omnia Hieronymiana, Gellonense, Florus, Ado, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Hagiologium Francogallicum, & Labbeanum. In his fere omnibus *presbyter & confessor* dicitur, in nonnullis *Maximus* pro *Maximinus* legitur. Obiit *Maximinus* c. A.D. 520. hac die. Inter festos dies recensetur in capitolari Walterii Aurelianensis cap. XVIII. Illius Acta edidit Mabillonius sæculo I. Benedictino pag. 580. *& seq.* Habentur etiam in codice Reginæ Suecorum 528. & ad initium indiculus præfixus est, quem dedimus ad diem XIX. *Januarii*, ubi de S. *Launomaro*. Sequitur autem in eodem codice pag. 2. *Incipit prologus in vitam S. Maximini abbatis. Plures fuisse sectas, quæ sapientiam profiterentur* &c. usque, *mandaremus*. Deinde sequitur: *Explicit prologus in vitam sancti Maximini abbatis. Gentem Francorum fuisse bellicosissimam* &c. usque, *effectus, cui est honor*. Postea sequitur: *Explicit vita, vel translatio corporis sancti ac beatissimi confessoris Christi Maximini abbatis. Incipit prologus Domni Letaldi in libro miraculorum sancti patris Maximini. In flammam sciens & prudens* &c. usque, *universa. Expliciunt miracula sancti Maximini*. Hucusque codex. Vitam S. *Maximini* scripsit Bertoldus Miciacensis. Monasterium *Miciacense S. Maximini*, vulgo *S. Mesmin de Mici pres d'Orleans*, conditum fuit, *Chlodoveo* Francorum rege.

G. XVII. KALENDAS JANUARII. 16. *Dec.*

Ananiæ & soc. MARTYRUM trium virorum sanctorum, Ananiæ, Azariæ, & Misaelis.

De ea alii 4. Dec. In Tuscia, natale sanctæ Barbaræ virginis & martyris, *Barbaræ.* sub Maximiano Imperatore. Hæc primum a patre suo Dioscoro diu afflicta sub dira custodia, dein tradita præsidi Martiano, expoliata, nervis & taureis valde cæsa, discerpta est, & cilicio plagæ ejus defricatæ. Inde reclusa in carcere, ubi luce divina consolata est, mox circa latera ejus lampades ardentes applicatæ, & caput ejus malleis cæsum, & mamillæ ejus præcisæ. Deinde nuda per plateas ducta, & flagellis diutissime afflicta est. Ad extremum gladio data martyrium consummavit decimoseptimo Kalendas Januarii.

Ananiæ & soc. Rufi, & Zosimi. VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. hac die ita incipiunt. „ Trium puerorum, Ananiæ, Azariæ, & Misahelis, quorum corpora apud Babiloniam sub „ quodam specu sunt posita. Eodem die, natalis beatorum Rufi & Zosimi &c. *prout in libello de festivitatibus Apostolorum die* XVIII. *Decembris*.

Deinde post verbum *resurrexit*, sequitur in eisdem codicibus: *In Tuscia, sanctæ Barbaræ &c.* prout in editis. Post verbum XVI. *Kal. Januarii*, sequitur in memoratis codicibus. „ Apud Pontum, sancti Miletii (cod. 512. 514. *Miletii*) Episcopi & confessoris, qui cum esset eruditionum prærogativa magnificus, virtus tamen animi & vitæ sinceritas longe in eo magnificentior extitit.

Meletii.

Anania & soc. ADNOTATIO. Trium puerorum natalis ab apographis nostris aliis verbis, quam in editis enunciatur. iisdem porro verbis utitur Usuardus genuinus, quamobrem scribit Sollerius, elogium apud Usuardum, non ex Adone, sed ex Isidoro Hispalensi sumptum esse. Uter ab Isidoro acceperit, nunc alii judicabunt. De his inter Martyrolographos agi primum ab auctore Romani parvi censet Sollerius, deinde ab Adone, Usuardo, & Wandelberto. De eorum cultu & reliquiis plura indigitat Baronius in Notationibus.

Rufi, & Zosimi. *Rufum* & *Zosimum* apographa nostra hac die recolunt, sed in vulgatis de his agitur die XVIII. hujus, quare vide adnotata ea die.

Barbara. De *Barbara* virgine & martyre *in Tuscia*, hac die agunt Romanum parvum, Ado, & Usuardus. Adde Martyrologium Fuldense, Adonis & Usuardi pedissequum. Die vero IV. *Dec.* de *Barbara* virgine & martyre *Nicomediensi* agunt Rabanus, & Martyrologium Ottobonianum. Gellonense, Richenoviense, & Labbeanum ea die habent: *Romæ, Barbaræ virgin.* Meminere *Barbaræ* ea quoque die Kalendarium Pal.Vat.485. & Vat.3836. Græci agunt solemni cultu de *Barbara* Nicomediensi die IV. *Dec.* An una eademque *Barbara* in duas distincta fuerit, quarum altera *Nicomediæ*, altera *in Tuscia* passa sit, & altera quidem sub *Maximino*, alia sub *Maximiano*, ex Actorum depravatione res adeo, ut inquit Sollerius, gravissimis est implexa difficultatibus, ut quo pacto Acta expurgari, & aliquid certi ex eis erui possit, difficillimum videatur. Apud recentiores male sonant Acta hujusmodi, quia ex Græco fonte Metaphrastino profluunt. Vide interim alia Acta, auctore Jo: Damasceno, operum tom. I. pag. 895. novæ editionis. Exstant & alia Græce, auctoribus Georgio Grammatico, Arsenio Corcyrensi, item incerti apud Lambecium tom. VIII. pag. 308. 382. Post Baronium in Notationibus, Combefisium Bibliothecæ Concionatoriæ tom. VI. pag. 71. *& seq.* vide Papebrochium in Ephemerides Græco-Moscas pag. XXVI. & LIV. & in Responsionibus ad art. XI. n. 106. Sollerium in Usuardum die XVI. Decembris, ac Tillemontium tom. III. pag. 266. 550. 690. 691.

Meletii. *Meletius* ab apographis nostris hac die celebratus, colitur eisdem fere verbis a genuino Usuardo die IV. *Decembris*, & ab ejus Auctariis hac die XVI. Nullum alium præ oculis habuisse ducem Usuardum censet Sollerius, nisi fontem ipsum, nimirum Eusebium Rufini lib. VII. cap. XXIX. ubi de Pierio Alexandrino & de *Meletio*, qui apud *Pontum Episcopus factus fuit*, quique *tanta fuit suavitatis in moribus, & tanta dulcedinis, ut mel Atticum a sodalibus vocaretur*. Post aliqua de summa illius doctrina, addit: *Cumque esset eruditionum prærogativa magnificus, virtus tamen animi & vitæ sinceritas longe in eo magnificentior habebatur*. Nemo non videt, elogium apud Adonem & Usuardum totidem verbis ex hoc fonte manasse. Fuit autem *Meletius* Episcopus *Sebastopolitanus*, ac interfuit concilio Niceno A.D. 325. ut elicitur ex Athanasio Orat. I. in Arianos tom I. pag. 291. & ex Philostorgio lib. I. cap. VIII. Vide Valesium in Eusebium lib. VII. cap. XXXII. Tillemontium tom. VI. pag. 233. 641. 647. 662. 735. tom. VII. pag. 41. Cur vero apographa nostra hanc diem pro cultu *Meletii* delegerint, Usuardus vero diem IV. *Decembris*, id pro cujuscumque arbitrio factum esse puto. In Martyrologio Romano colitur die IV. *Decembris*.

17. *Dec.*

A. XVI. KALENDAS JANUARII.

Translat. S. Ignatii. TRANSLATIO S. Ignatii Episcopi & martyris: qui tertius post beatum Petrum Apostolum, Antiochenam rexit Ecclesiam. *De eo I. Februarii fusius.*

Lazari, & Marthæ. Item eodem die, beati Lazari, quem Dominus Jesus in Evangelio legitur resuscitasse a mortuis: item beatæ Marthæ sororis ejus: quorum venerabilem memoriam extructa Ecclesia *Joh. 11.*

non

non longe a Bethania (ubi e vicino domus eorum fuit) conservat.

In Oriente, apud Eleutheropolim civitatem, sanctorum Martyrum quinquaginta, qui sub Saracenis passi sunt. *Martyr. L.*

VARIA LECTIO. Ed. *Translatio sancti Ignatii &c.* Cod. 511. 512. 514. *Translatio corporis sancti Ignatii Episcopi, martyris, qui passus est Romæ Kalendis Februarii. Eodem die, beati Lazari &c.* ut in editis. Ed. *Marthæ sororis*. Cod. 511. *Mariæ sororis*.

Translat. Ignatii. ADNOTATIO. Ab Hagiographia hac die translatio sancti *Ignatii* Episcopi Antiocheni & martyris Roma Antiochiam recolitur, nimirum a Romano parvo, Adone, Usuardo, & Martyrologio Fuldensi. Sobobscure loquuntur Beda, Rabanus, Wandelbertus, Martyrologium Ottobonianum, Kalendarium Palat. Vat. 485. & Vat. 3806., in quibus hac die *Ignatii natalis*, seu *passio* memoratur. Vide quæ ad diem 1. *Februarii* superius diximus. Græci agunt die XXVIII. XXIX. *Januarii*, & die XX. *Decembris*.

Lazari, & Marthæ, seu Mariæ De *Lazaro* & *Maria* ejus sorore conjunctim agunt apographa nostra hac die, qua in aliis Hagiographia, nimirum a Romano parvo, vulgato Adone, & Usuardo *Lazarus* & *Martha* coluntur, silentibus Beda, Rabano, & Floro. Agit de his pridie Hagiologium Francogallicum. De *Martha* apographa nostra agunt una cum Romano parvo die XVII. *Octobris*, & seorsim de *Maria*, & *Martha* sororibus die XIX. *Januarii*. Vide Sollerium in Usuardum hac die XVII. *Decembris*, ubi a Martyrolographia *Lazari* depositionem, seu obitum in *Bethania* designari existimat, & nos amandat ad Baronii Notationem, ad Tillemontium tom. II. pag. 31. *& seq.* & ad Castellanum in primo bimestri pag. 342. *& seq.*

Martyres quinquaginta Eleutheropolitani - inquit Sollerius, pure Adoniani sunt, ad verbum ab Usuardo transcripti. In Martyrologio Romano *Florianus*, *Calanicus*, & socii alii *quinquaginta & octo* Eleotheropolitani in Palæstina martyres, Heraclii tempore recensentur. Ex Actis hæc sumpta esse, quorum apud Bollandianos apographum ex basilica Vaticana acceptum, ona monet Sollerius; quem consule in Usuardum hac die. *Martyr. L.*

B. XV. KALENDAS JANUARII. 18. *Dec.*

Vide lib. de fest. Apost. NATALIS beatorum martyrum Rufi & Zosimi, qui de illis primis discipulis fuerunt, per quos primitiva Ecclesia in Judæis & Græcis fundata est. Hi requiescunt apud civitatem Macedonum Philippis. *Rufi & Zosimi.*

Apud Africam, natalis S. Moysetis martyris. *Moysetis.*

Turonis, S. Gatiani Episcopi, qui ad ipsam urbem primus ab urbe Roma Episcopus transmissus, multis clarus miraculis, ibi quiescit in pace. *Gatiani.*

VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. hac die ita incipiunt. „ Apud Africam, natalis sancti Moysetis martyris. Eodem die, natalis sanctæ Anatholiæ virginis, quæ simul cum beata Victoria convirginali sua est comprehensa, „ ac sub Decio Principe martyrio coronata. Turonis, sancti Taciani (sic) Episcopi &c. ut *in editis*. *Moysetis,* *Anatholia*

Deest hac die in codicibus memoratis natalis SS. *Rufi* & *Zosimi*.

ADNO-

Rufini & Zosimi. ADNOTATIO. De *Rufo* & *Zosimo* agunt apographa nostra die XVI. hujus, ab auctore vero Romani parvi, vulgato Adone, Usuardo, & Martyrologio Fuldensi hac die coluntur. Vide Sollerium in Usuardum hac die, ubi fontem esse monet Eusebium Rufini lib. III. cap. XXXVI. ex epistola Polycarpi ad Philippenses, ubi haec verba leguntur: *Deprecor*, inquit, *omnes vos obedientiæ operam dare, & meditari patientiam, quam vidistis in Ignatio, & Rufo & Zosimo beatis viris, præcipue autem in Paulo & cæteris Apostolis &c.* Utrum *Philippis* passi sint, hæret Sollerius. Pridie hujus a Wandelberto coluntur.

Moysetis. *Moysetis in Africa* martyris hac die meminere Ado, & ex eo Usuardus, & Wandelbertus. Inter alios Africanos martyres in Hieronymianis, at animadvertit Sollerius, *Monsetis* nomen legitur, at nescit, an apte ad *Moysetem* accommodari possit.

Gatiani. *Gatianus* Episcoporum Turonensium primus ab Adone primum hac die memoratur, deinde ab Usuardo; ac item ab Hagiologio Francogallico. De tempore, quo missus est, nihil. In Martyrologio Romano ad *Fabiani* Papæ tempora hæc missio collocatur, & recte, inquit Sollerius, ex Gregorio Turonensi confirmari poterit. Interim consulendus est Tillemontius tom. IV. pag. 723. & *seq.* Obitus a Castellano in A. D. 289. confertur.

Anatholia. *Anatholia*, de qua apographa nostra hac die, ab eisdem infra die XXIII. hujus una cum *Victoria* recolitur. *Anatholiam*, eandem esse atque illam, quæ una cum *Audace* conjungitur a Martyrographis die IX. *Julii*, existimat Sollerius in Usuardum die XXIII. *Decembris*. Ceterum *Anatholia* hac die XVIII. *Decembris* in Auctariis Usuardinis tantum recensetur. Vide autem quæ ad diem IX. *Julii* diximus.

C. XIV. KALENDAS JANUARII.

19. Dec.

Nemesii. APUD Ægyptum, natale beati martyris Nemesii: qui primo per calumniam quasi latro Judici delatus est Æmiliano. Quo crimine absolutus, post hoc Christianus esse defertur. In hoc vero nulla a Judice moderatio reservatur: sed geminatis suppliciis excruciatum, cum latronibus jussit incendi, ignorans quod crudelitate sua optimo Martyri Salvatoris similitudinem detulit, qui pro salute humani generis una cum latronibus pertulit crucem. *Euseb. l. 6. cap. 34. Ruff. 31. Isa. 53. Joan. 19.*

Aviti Ab. Aurelianis, S. Aviti Abbatis, qui spiritu prophetiæ illustris fuit, & honorifice in eadem urbe tumulatus est. *Greg. Tor. de glor. ce. cap. 99.*

Gregorii. VARIA LECTIO. Cod. 511. 512. 514. hac die ita incipiunt: „ Autissiodoro, depositio beati Gregorii Episcopi, qui sedit annos XII. menses VI. „ dies III. sepultusque est in Ecclesia sancti Germani Episcopi. Apud Ægyptum, „ beati Nemesii martyris, qui &c. *ut in editis*.

Clementis Alex. Post verbum *tumulatus est*, sequitur in eisdem codicibus: „ Alexandriæ, beati Clementis presbyteri, qui in divinarum eruditionum scholis quam maxime effloruit.

Nemesii. ADNOTATIO. *Nemesius* ab auctore Romani parvi primum celebratus, ex Eusebio Rufini lib. VI. cap. XXXI. hoc est ex Dionysii Alexandrini epistola prodit, ex qua latius Ado, & brevius Usuardus. Ad Decianam persecutionem pertinet.

Aviti. Duo in apographis nostris *Aviti* Abbates distinguuntur, quorum alter *Perticensis* Abbas recolitur die XVII. *Junii*, alter *Miciacensis* Abbas hac die, qua etiam die ab Usuardi Auctariis celebratur. Unum & eundem esse *Avitum*, qui ab Usuardo die XVII. *Junii*, & a vulgato Adone die XIX. *Decembris* colitur, existimat Sollerius, at Mabillonius ex apographo Adonis Sangermanensi, Annal. Bened. lib. III. §. XLIV. ad an. 537. in duos dividit, & *Aviti* Miciacensis obitum figit ad diem XIX. *Decembris*, & *Aviti Perticensis* ad diem XVII. *Junii*, ac de

Per-

Pseticensi apud Aurelianos humato mentionem fieri a Gregorio Turonensi de gloria conf:ss. cap. xcix., censet. Vide si lubet, quæ ad diem xvii. *Junii* monuimus.

Gregorii. Positus est in apographis nostris hac die principe loco *Gregorius* Episcopus *Autisiodorensis*, de quo Auctaria Hieronymiana, Gellonense, Florus, Rabanus, Usuardus, Martyrologium Puldense, Ottobonianum, Richenoviense, Labbeanum, & Hagiologium Francogallicum. In vulgatis Adonis exemplaribus quum desit, & a Mosandro, & Rosvveido in Appendicem conjectus fuerit, idcirco existimat Sollerius, de suo ab Usuardo adjectum. A quo acceperit Usuardus, non quæro, illud conqueror in Adonianam Appendicem injuria asse relatum. De eo Hericus monachus in gestis Episcoporum Autisiodorensium cap. xiii. Floruit Christi sæculo vi.

Clementis Alex. In hujus diei fastis ab apographis nostris *Clemens Alexandrinus* statuitur, quum ab Usuardo genuino, & ab Hagiographis recentioribus de eo die iv. *Decembris* agatur. Quod autem insuper mireris, Petrus de Natalibus lib. i. cap. xxviii. ubi de *Clemente Alexandrino*, eum recolit die iv. *Decembris*, & citat Adonem. Quomodo autem in diem xix. *Decembris*, ut habent apographa nostra, transilierit, non satis intelligo, sed in Auctariis Usuardi probæ notæ de eo agi ea die video. Sollerius in Usuardum die iv. *Decembris* putat, a nullo Martyrologo, Usuardo antiquiore, *Clementem* memorari. Huic opinationi adversantur apographa nostra, in quibus eisdem, prout apud Usuardum verbis, de *Clemente* agitur; & Petrus de Natalibus ex Adone testimonium sumit, non ex Usuardo. *Clementis* autem elogium sumptum est ex Eusebii Rufini lib. vi. cap. xi. At *Clemens* a Romano Martyrologio præteritur, quare nonnulli recentiorum de hujus Martyrologii emendatoribus, ac de ipso Baronio conqueruntur, perinde ac si Baronius ipse *Clementem* e Martyrologio expunxerit, ea fortasse motus de caussa quod in censura Gelasii *Clementis Alexandrini Opuscula* inter apocrypha amandentur, ut habes apud Sollerium memorato loco; sed quæ in hujusmodi rem habet Baronius ad annum 196. num. xxiv. satis evincunt, fieri non potuisse, ut ob id *Clementis Alexandrini* elogium e Martyrologio Romano delendum censuerit. Adde, *Clementis* elogium desiderari in editione Martyrologii Romani anni 1582. post Kalendarii emendationem ab *Idibus Octobris* ejusdem anni, Gregorii XIII. Pont. Max. jussu in lucem emissi. Desideratur in altera ejusdem Martyrologii Romani editione anni 1583. cujus excudationi Baronius una cum aliis censoribus præfuit. Quid vero caussæ sit, cur in hujusmodi editionibus *Clemens* omissus fuerit, ignoramus. Scimus autem recoli ab apographis nostris, Usuardo genuino, ab ejus Auctariis veteribus, ac recentioribus, in excusis omnibus Usuardi Martyrologiis, in alio *secundum Romanam curiam*, Bartholomæi de Palazolo ordinis Eremitarum S. Augustini, edito *Papiæ* an. 1487. quod majori ex parte ab Usuardo sumptum est, in Bellini, Maurolyci, & Galesinii Martyrologiis, eorumque variis editionibus, in quibus ad diem iv. *Decembris* eadem fere verborum formula, prout apud Adoniana nostra exemplaria, & apud Usuardum, *Clementis Alexandrini* elogium conceptum est. De ejus laudibus post Eusebium Epiphanius hæresi xxxi. Theodoretus lib. I. de hæreticis fabulis cap. i. Hieronymus in epist. lxxxiv. ad Magnum, & de Scriptoribus cap. xxxviii. Vide insuper post Baronium ad an. 196. num. xxii. & seq., obiter Bollandianos tom. iv. Maji, pag. 777. ac Tillemontium tom. iii. pag. 195. 196., fuse vero de illius operibus omnibus disserentem Nicolaum Nourrium in Apparatu ad Bibliothecam maximam veterum Patrum lib. iii., ut recentiores alios omittamus. De *sancti* titulo, quo eum aliquando ornavit Combefisius, veniam petit Bibliothecæ concionatoriæ tom. I. pag. 9., sed nulli ea res pudori fuit Natali Alexandro Histor. Eccl. sæculo II. cap. iv. §. II. art. vii. Nos vero quidquid Apostolica Sedes ea de re censuit, ultro amplectimur. De Clementis Alexandrini nævis Bellarminus in magno Controversiarum opere.

D. XIII. KALENDAS JANUARII. 20. Dec.

Euseb. l. 6. cap. 34. Ruff. 31. NATALIS beatissimorum martyrum Ammonis, Zenonis, *Ammonii & soc.*
Ptolomæi, Ingenii, & Theophili: qui tribunalibus apud Alexandriam adstantes, cum quidam Christianus a Judice torqueretur, & jam pæne ad negandum declinaret, disrumpebantur intra semetipsos, & vultu, oculis, ac nutibus, velut erigere conabantur illum, qui in suppliciis positus trepidabat. Interdum etiam manus protendere, ac totius reliqui corporis

moti-

motibus & habitu diverse inclinati, tamquam sublevare lapsantis animum gestiebant. Conversi vero ad eos omnes, & quid de semetipsis profiterentur, ex eorum motibus agnoscentes, priusquam in eos vulgus clamoribus insiliret, ipsi in medium prorumpunt, ac sese Christianos esse testantur. Pro quorum victoria, gloriosissime Christus de antiquo generis humani inimico triumphavit, & versa vice, ex eorum confidentia, persecutoribus terrorem, suis constantiam animi dedit.

VARIA LECTIO. Ed. *Natalis beatissimorum &c.* Cod. 511. 512. & 514. ita habent: *Beatissimorum martyrum Ammonis, Zenonis, Tholomei, Ingenii, & Theophili, qui* &c. ut in editis.

Ammonis & soc. ADNOTATIO. *Ammonis* & sociorum natalis a Romano parvo designatus, ex fonte illo provenit, quo martyres alii Decianæ persecutionis celebrantur, nimirum ex epistola Dionysii Alexandrini ad Fabianum Antiochenum apud Eusebium Rufini lib. VI. cap. XXXI. Uberius ad hunc fontem bibit Ado noster, e quo parcius hausit Usuardus, sed apposite. Martyrum nomina, ut vidisti, hæc sunt, *Ammon, Zenon, Ptolomeus, Ingenuus*, & *Theophilus*. Apud alios Martyrolographos Latinos reticentur. Milites hi erant, & a Rufino Eusebii locus vertitur *turma militum*, a Valesio *manipulus*, qui putat hos milites non ex apparitorum, sed ex legionariorum genere fuisse. Cæterum *manipulus*, seu *contubernium* apud Vegetium de re militari lib. II. cap. XIII. XIV. *decem peditibus* constabat, turma vero *triginta duobus equitibus*. Perperam a Rhenano, ut ab aliis est adnotatum, *Ingenuus* adjectivi loco, non pro milite accipitur, perinde ac si hi milites, quatuor tantum, non quinque essent.

---

21. *Dec.*

E. XII. KALENDAS JANUARII.

Thomæ Ap. APUD Edissam Mesopotamiæ civitatem, natalis S. Thomæ Apostoli. Vid. lib. de fest. Ap.

Memmii. Catalaunis, sancti Memmii Episcopi primi illi civitati ab urbe Roma directi: qui inter alia miracula mortuum suscitavit: cujus nunc sepulcrum creberrimis miraculis illustratur. Greg. Tur. de gloria CC. c. 66.

Jo. & Festi. Item in Tuscia, natalis SS. Joannis & Festi.

VARIA LECTIO. Ed. *Apud Edissam* &c. Cod. 511. 512. & 514. *Natalis beati Thomæ Apostoli* &c. prout in libello de festivitatibus Apostolorum. Ed. *Item in Tuscia*. Codices memorati: *In Tuscia*.

Thomæ ADNOTATIO. De *Thomæ* Apostoli natali agunt hac die vetustissimæ Latinorum tabulæ, nimirum Hieronymiana, Beda, Gellonense, Romanum parvum, Rabanus, Florus, Ado, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, Richenoviense, Labbeanum, Corbejense breviar, Kalendarium Palat. Vatic. 485. & Vat. 3806. omissis aliis e recentioribus. Bis vero Hagiologia Latinorum vetertima de *Thoma* agunt, nimi-

nimirum die III. *Julii*, qua illius *translatio*, & hac die, qua ejus *natalis* recolitur. De *translatione* vide, quæ ad III. *Julii* diximus. *Edessa* in *Mesopotamia* celebritatis locus fere in omnibus designatur, & *translationis* apud *Indos*, in urbe *Calamina*, quæ a Gellonensi in breviculo Apostolorum, & a Rabano memoratur. Unus Wandelbertus hac die *Thomæ translationem* recolit, cui adstipulatur Martyrologium Ottobonianum. Cæterum de *Thomæ* cultu, post Baronium in Notationibus vide Florentinium pag. 145. *& seq.* At cultum Liturgicum in S. R. E. ne prætereamus. Missa hac die in *natali S. Thomæ* habetur in codice Sacramentorum Gelasiano pag. 179. Prima est ibi oratio: *Da nobis, quæsumus, Domine*. Secreta: *Debitum, Domine*. Post com: *Conserva, Domine*. Desideratur tamen in Sacramentariis Gregorianis Reginæ Suecorum 337. & Ottoboniano, habetur vero in Menardiano, Angeli Rocchæ, & Palat. Vat. 495. in quo eædem orationes, prout in Gelasiano, leguntur, & Præfatio: *Qui Ecclesiam tuam*, ut in natali *S. Andreæ* præfigitur. In Capitularibus Evangeliorum Frontonis, & aliis a nobis editis tom. III. de Liturgia Romani Pontificis deest hac die Evangelium in natali *S. Thomæ* Apostoli, sed habetur in Capitulari Evangeliorum codicis 4. Reginæ Suecorum, sæculo IX. exarato. Evangelium ibi designatur: *Hoc est præceptum meum*, usque, *det vobis*. Acta inter apocrypha amandantur in censura Gelasii. Circumferuntur & Metaphrastina, quæ Latine apud Lipomanum & Surium leguntur, Græce apud Lambecium tom. VIII. p. 248. 381. 257. 262. Sed collectanea de Thomæ encomiis vide apud Combefisium Bibliothecæ Concionatoriæ tom. VI. pag. 96. *& seq.* & de illius gestis Tillemont. tom. I. pag. 355. *& seq.*

Memmius Episcopus *Catalaunensis* iterum ab apographis nostris hac die recolitur, quum de eo egerint die V. *Augusti*. Vide ergo quæ ibi diximus. Sollerius in Usuardum hac die XXI. *Decembris* sententiam mutat, quod ut ille candide fatetur, se ignorasse scribat, ubi de *Memmio* egit ad diem V. *Augusti*, de eo ab Adone agi die XXI. *Decembris*, quapropter censet, *Memmium*, de quo die V. *Augusti*, ad Adonem minime pertinere. Id nos aliorum judicio permittimus. *Memmii.*

Joannes & *Festus* in *Tuscia* martyres, coluntur hac die a Hieronymiano Epternacensi, & iterum die XXIII. *Decembris*, ut censet Sollerius. Memorantur præterea a Rabano, Adone, & Usuardo. Qui tamen sint hi duo in *Tuscia* martyres, ignotum est Ferrario in Catalogo, & Florentinio in notationibus hac die. *Joannis, & Festi.*

F. XI. KALENDAS JANUARII. *22. Dec.*

ROMÆ, via Lavicana inter duas lauros, natalis XXX. Martyrum, qui omnes uno die persecutione Diocletiani coronati sunt. *Martyr. XXX.*

Eufeb. Eccl. hift. lib. 6. cap. 34. Ruff. 31. Apud Alexandriam, natale beati Ischyrionis martyris. Is namque cum rem cujusdam potentis sub mercede procuraret, jubetur ab eo idolis immolare. Recusans cogebatur injuriis: persistens rursum blanditiis mulcebatur. Cum vero utrumque contemneret, præacuta sude validissime transverberatus per media viscera, neci traditur. *Ischyrionis*

Eufeb. ibid. Ipso die, aliorum quamplurimorum Martyrum, qui in desertis & montibus apud Ægytum oberrantes, fame, siti, frigore, languore, latronibus, bestiisque consumpti sunt, qui omnes imitati electos Dei prophetas, gloria martyrii coronati sunt. Inter quos & venerandus senex Chæremon (Episcopus hic erat urbis Ægypti, quæ dicitur Nilopolis) cum ad Arabicum montem una cum grandæva conjuge discessisset, nulli ultra apparuit. *Martyr plur.*

VARIA LECTIO. Ed: *Apud Alexandriam beati Ischyrionis*. Cod. 511. 512. 514. *Apud Alexandriam, beati Chirionis*. Cod. 512. *Schyrionis*. Post *Theodosiæ.* verum *apparuit* ad extremum, sequitur in eisdem codicibus. „ Eodem die, Theo- *Didymi.* „ dosiæ virginis & martyris. Et sancti Didymi monachi eruditissimi viri.

Martyr. xxx. ADNOTATIO. *Martyres* via Lavicana coluntur hac die a Hieronymianis, Rabano, Romano parvo, Gellonensi, Adone, Usuardo, Wandelberto, Martyrologio Fuldensi, Ottoboniano, & Labbeano. De numero, fortasse librariorum vitio, memorata Hagiologia non conveniunt. In Hieronymianis *trecenti*, pro *triginta* sunt; apud Rabanum, & alios *triginta* tantum sunt. In Romano parvo Adone, & Usuardo *Diocletiani* persecutione passi fuisse dicuntur.

Ischyrionis *Ischyrion* apud *Alexandriam* martyr, monente Sollerio, ab auctore Romani parvi ex memorata sæpe Dionysii Alexandrini Epistula apud Eusebium Rufini acceptus est, lib. VI. cap. XXXI. (in codicibus Vaticanis *Chirion*,) fusiori elogio ex eodem fonte ab Adone celebratus, ac paucis ab Usuardo. Ad persecutionem Decianam pertinet.

Martyr. plur. Qui apud Adonem martyres *Ægyptii* sequuntur, ex eodem fonte profluunt, de quibus primum auctor Romani parvi, deinde Ado noster, silente Usuardo, & cæteris.

Theodosiæ, & Didymi. *Theodosia* virgo & martyr, una cum *Didymo* monacho hac die ab apographis nostris coluntur. Hujusmodi enunciatio aliquantisper turbat. Quid enim hac die *Theodosia* virgo & martyr, ac *Didymus* monachus? An forte *Theodora* & *Didymus* martyres, de quibus in Actis Bollandianis die XXVIII. *Aprilis*, & Ruinartius pag. 425. inter Acta martyrum selecta? Sed hæc minime cum nostris apographis accommodantur. An *Theodosia* apud Cæsaream passa, de qua Eusebius in libro de martyribus Palæstinæ? At hæc die II. *Aprilis* colitur. De *Theodosia* virgin. & mart. & de *Didymo* silet Usuardus genuinus, at agunt ejus Auctaria; & si veterrimas tabulas consulimus, agunt hac die de eisdem apographa Hieronymiana, his verbis: *Et alibi, passio S. Theodosiæ*, (Epternacense, *Theodosiæ virginis*) *& Didimi monachi*. Gellonense: *Et passio Teodosiæ virginis & Didimi monachi*. Martyrologium Fuldense item habet: *Eodem die, natalis Theodosiæ virginis & martyris. Et sancti Didimi eruditissimi viri*. Richenuviense: *Item Romæ, Teudosiæ virginis*; de *Didymo* silet. Labbeanum vero silet de *Theodosia*, & *Didymi* meminit. De qua *Theodosia* igitur agant Hagiographa hac die nil aliud scimus, quam quod nos Florentinius ducet. *Didymi* nodus vix etiam solvi potest; nam præter *Didymum* Alexandrinum, alium ejusdem nominis inter Ægypti anachoretas sanctitate clarum agnoscit Baronius ad an. 393. num. XXIX. ex Evagrio in vitis Patrum cap. XXIV. & Socrate lib. IV. cap. XVIII. Hunc *Didymum* feliciorem *Didymo Alexandrino*, licet doctrina insigni, extitisse scribit, quod *Alexandrinus* præcipiti casu ruerit, & in Origenis errores prolapsus sit. Hic nos hæret aqua, & in apographis nostris prout in Fuldensi Martyrologio, *eruditissimi viri* elogium negotium facessit, ex quo conjicimus, hæc ad *Didymum Alexandrinum* potius pertinere, & ab eisdem forte *Didymum* anachoretam cum *Alexandrino* confusum. In Ottoboniano Martyrologio die IX. *Februarii*, in urbe *Alexandria, natalis sancti Didimi cum aliis* XXVIII. memoratur: sed hunc & socios Africanos martyres esse, putant Bollandiani ad eam diem pag. 293. Idem Ottobonianum die V. *Aprilis* habet: *In Alexandria, Didimi presbyteri*. In Auctariis Usuardi ea die apud Sollerium legitur: *Didimi Alexandrini confessoris, cujus meminit Hieronymus*. Ad quem locum scribit Sollerius: *Est ne forte martyr de quo in Actis?* Innuit hic Sollerius *Didymum* presbyterum, & *Quintum* cum sociis martyribus, de quibus Bollandiani socii die V. *Aprilis* pag. 398. Illustriora nobis commonstrabunt iidem Bollandiani socii, quando eorum commentaria hac die proferent.

23. *Dec.* G. X. KALENDAS JANUARII.

Victoriæ. ROMÆ, natalis sanctæ Victoriæ virginis, & martyris, persecutione Decii Imperatoris. Hæc desponsata Eugenio viro pagano, rogante Tito Aureliano, qui sponsam Anatoliam virginem habebat, ad suadendam eam, ut ei nuberet, perrexit. Cui & dixit: Audi me, domina soror Anatolia: & ego Christiana sum, & novi quia Deus nuptias non condemnat. Prophetæ & Patriarchæ conjuges habuerunt, & posteritas eorum a Deo

a Deo benedicta est. Nunc ergo audi me, & accipe virum, qui te non prodat, quod sis Christiana: sed per maritalem gratiam fiet, ut ipse Christianis consentiat. Hæc dicenti Victoriæ virgo Anatolia respondit: O Victoria, vince diabolum, & esto vera Victoria. Tunc quando tota terra vacua erat, dixit Deus
Gen. 1. hominibus: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Nunc plenæ terræ, postquam Filius Dei de cælo descendit, quotidie clamat: Crescite in fide, multiplicamini in charitate, & replete cælos: quia appropinquavit regnum cælorum. Iterum inter alia & post alia, S. Anatolia intulit: Ego die, qua explicui pretium ornamentorum meorum in pauperes Christi, vidi per visum juvenem auro diadematum, splendidum in vestibus purpureis atque gemmatis, qui grata facie & læto vultu me inspiciens, ait: O virginitas, quæ morte non vinceris, quæ a morte perpetua liberas! O virginitas, quæ non in operibus tenebrarum, sed semper in lumine versaris! Hæc ego audiens evigilavi, & projiciens me in pavimento, rogavi Dominum, ut is, qui mihi loquebatur, dulcissimos sermones iterum prosequeretur. Sic mihi oranti, & prostratæ, idem qui ante loquebatur, talia mihi subsequitur: Virginitas purpura regalis est, quam qui induit, reliquis fit eminentior. Virginitas gemma est pretiosa. Virginitas thesaurus est Regis immensus. Huic fures insidias tendunt. Hanc tu evigilans solicite custodi: quantumque te plus habere cognoscis, instantius custodi, ne perdas. His & similibus verbis & factis incitata Victoria, omne pretium ornamentorum suorum & ipsa distraxit pauperibus. Sicque factum est, ut agentibus sponsis earum Aurelio & Eugenio, quia nubere illis virgines Christi noluerunt, a Decio Imperatore urbe Roma pulsæ, ad prædia sponsorum ducerentur: ubi fame & inedia ita afflictæ sunt, ut vix ad vesperum modicus panis cibarius eis daretur, nulloque pacto efficere sponsi potuerunt, ut vel ad nubendum, vel sacrificandum animi illarum inclinarentur. Beata igitur Victoria in virginitatis proposito invincibiliter persistens, post multa facta miracula, inter quæ plurimas virgines Domino aggregaverat, percussa est gladio in corde a carnifice Taliarcho, quem rogatu Eugenii sponsi sui Julianus Pontifex Capitolii, & comes templorum, ad hoc opus direxerat. Passa est autem decimo Kalendas Januarii. Corpus ejus cum omni reverentia curatum. Taliarchus vero percussor ejus leprosus factus, intra sex dies consumptus a vermibus, exspiravit.

De his Euseb. l. 8. c. 5. Apud Nicomediam, sanctorum martyrum viginti, quos Diocletiana persecutio gravissimis cruciatos tormentis, Martyres Mart. xx.

tyres Christo fecit, & beatos Sanctorum numero in cælis conjunxit.

Servuli. Item Romæ, beati Servuli, de quo beatus Gregorius scribit: Qui rebus pauper, meritis dives, quem longa ægritudo dissolverat: nam a primæva ætate usque ad finem vitæ, paralyticus jacebat. Hic non modo stare, sed ne unquam in lecto surgere vel ad sedendum valebat. Numquam manum suam ad os ducere, nec se potuit in latus aliud declinare. Quidquid ex eleemosyna potuisset accipere, hoc pauperibus erogabat. Litteras non noverat, sed Scripturæ sacræ sibimet codices emerat: & religiosos quosque in hospitalitate suscipiens, hos coram se legere sine intermissione faciebat. Sicque factum est, ut quantum ad mensuram propriam attinet, plene sacram Scripturam disceret. Studebat in dolore semper gratias agere, hymnis Dei & laudibus diebus, ac noctibus vacare. Hic beatissimo fine glorificatus, sepultus est in Ecclesia sancti Clementis Episcopi & martyris: ubi ad commendandam ejus sanctitatem, ad ejus tumbam miracula creberrime fiunt. *4. Dialog. cap. 14. & Hom. 15. in Evang.*

Reliquos dies hujus mensis vide initio Martyrologii Adonis.

VARIA LECTIO. Ed. *Anatolia*. Cod. 511. *Anatbolia*. Ed. *Item Romæ, beati Servuli &c.* Cod. 512. 514. *Apud urbem Romam, beati Servuli*, post verba *creberrime fiunt* ad extremum, sequitur in eisdem codicibus: *Eodem die, natalis sancti Everasti* (sic) *Papæ* [& martyris].

Evaristi Papæ. In nostris codicibus die insequenti sequitur *vigilia natalis Domini &c.* prout in editis. At codices 512. 514 desinunt ad ea verba *plusquam trecentos*, ubi ita habent: *Expliciunt anni circulum.*

Victoriæ. ADNOTATIO. De *Victoria* virgine & martyre agunt Hieronymiana mixtim cum aliis die XXI. hujus, & item Gellonense. Eadem Hieronymiana die X. *Julii* habent: *In Savinis, Anatbolia, Victoriæ.* Hac die vero XXIII. *Decembris* agunt Beda, Romanum parvum, Rabanus, Ado noster, Usuardus, Wandelbertus, Martyrologium Fuldense, Ottobonianum, & Kalendarium Vatic. 3806. Vide adnotata ad diem IX. *Julii*, ac Tillemontium tom. III. pag. 329. *& seq.* & pag. 703. ubi de illius Actis.

Martyr. XX. *Martyres* apud *Nicomediam* CCXLV., seu XXX. aut XXXV., coluntur hac die a Hieronymianis, mendose fortasse in numeris, qua de re Florentinius; nam XX. sunt in Romano parvo, Adone nostro, & Usuardo. In Richenoviensi, Labbeano, & Ottoboniano XXXV. Item in Richenoviensi breviore. Vide, si lubet, Sollerium, qui putat hos martyres recoli una cum *Anthimo* die XXVII. *Aprilis*.

Servuli. *Servulus* memoratur primum a Romano parvo his verbis: *Romæ, Servuli, ægritudine dissoluti, in Ecclesia beati Clementis sepulti; ubi Dominus per illum mira operari dignatus est.* Fons elogii est S. Gregorius in Dialogorum libris, ex quo uberius Ado, & brevius Usuardus. Vide Baronii Notationes hac die, ubi S. Gregorium a Melchioris Cani criminationibus vindicat.

Evaristus Romanus Pontifex ab apographis nostris hac die colitur. Non conveniunt inter se vetera Hagiologia de celebritatis die. Vulgatus Ado agit die XXVII. *Octobris*, silentibus ea die apographis nostris. Mixtim cum aliis, *Evaristi* meminit hac die Gellonense, post Hieronymiana. Silet genuinus Usuardus, sed illius Auctaria agunt die XXVI. *Octobris*, & die XXVIII. *Decembris*. Martyrologium Fuldense convenit cum apographis nostris, nam de eo agit ad diem XXIII. *Decembris*, his verbis: *Eodem die natalis sancti Evaristi Papæ:* aliena manu additum est: *& mar.* Titulus *martyris*, etiam in apographis nostris aliena manu est. Martyrologium Romanum agit die XXVI. *Octobris*. Baronius ad an. 121. n. I. & II. *Evaristi.*

& II. existimat, *Evaristum* passum esse eo anno die XXVI. *Octobris*. Pagius vero in Critica ad ao. 119. n. II. *Evaristi* martyrium ad an. 108. figit, incerto die, & mense. In catalogis Romanorum Pontificum apud Mabillonium in Appendice tom. I. Annalium Bened., nimirum in Sangermanensi sedisse dicitur an. VIII. *mens.* X. *d.* II. In Laudunensi *an.* IX. *men.* X. In Corbejensi *an.* XIV. *m.* III. *d.* XII. In codice Reginæ Suecorum 712. habetur: *Echaristus mart. sedit an.* IX. *mens.* X. *diebus* II. Alia in aliis, ut mos est in his catalogis, in quibus ut plurimum mendosi sunt oumeri.

PRECATIO ADONIS.

CHRISTE, precor, veniam segui des misis alumno:
Tardus sum, tarde sed tibi nema venit.
Longus præteritis tenuit nes error in annis:
Sufficiat meritis hac, rogo, pœna meis.
Vita brevis superest, in mortem & pronior ætas:
Jam peccare senex non queo, nolo tuus.
SANCTORUM *eximiis* MERITIS PRECIBUSQUE *beatis*
Quorum perpetuas memorat liber iste triumphos.
Da, PATER OMNIPOTENS, *veniam; da*, CHRISTE, *medelam*
His, qui supplicibus votis ac mente fideli
Committunt sese tantis per sæcla PATRONIS;
Qui zabulo victo, rutilis super astra coronis
Conspicui, de te, quidquid petiere, merentur.

APPENDIX

AD ADONIS ARCHIEP. VIENN. *Martyrologium*.

AMICE LECTOR.

H*Abes in hac Appendice, quæ hactenus Adonis Martyrologio fuere inserta, cum tamen ab aliena manu sint. Et quidem ea quæ asteriscis notata sunt, etiam Jacobi Mosandri judicio, qui primus Adonem edidit, aliena ab Adone judicata sunt. Quorum rationem ita ipse ad Lectorem reddit:* Martyrologium hoc ex quatuor pervetustis MSS. codicibus sibi mutuo correspondentibus manu propria exaravimus. Verum quartus a monacho ordinis S. Benedicti conscriptus, aliquot Sanctorum nomina continebat, qui in ceteris tribus non habebantur. De quibus cum dubitaremus, an essent Adonis, vel potius per dictum monachum ejus Martyrologio adjecta, doctorum virorum usi consilio, eosdem Sanctos signo *, sic prænotavimus, ad evitandum omnem errorem & scrupulum. *Hactenus Mosander.*

Ego vero collatione trium codicum MSS. Mosandrianis codicibus vetustiorum (de quibus initio Adonis ad Lectorem dixi) multo plura deprehendi Adonis non esse. Quæ in Appendicem quoque retuli, sine asterisci tamen signo, ut constet quæ communi nostro Mosandrique consensu ab Adone resecanda sint, quæ vero præterea judicio trium MSS. quos dixi codicum.

MENSIS JANUARIUS.

Kalendis Januarii. * Eodem die sanctissimi Paragodæ, septimi Viennensis Episcopi. 1. *Jan.*

IV. *Nonas Januarii.* * Item sancti Isidori Episcopi & martyris. 2. *Jan.*

III. *Nonas Januarii.* Item Octavæ sancti Joannis Evangelistæ. 3. *Jan.*

II. *Nonas Januarii.* Item Octavæ Innocentium. 4. *Jan.*

Idibus Januarii. Octava Epiphaniæ. 13. *Jan.*

* Treviris S. Agritii Episcopi & confessoris.

* Rhemis, depositio S. Remigii Episcopi.

XVIII. *Kalendas Februarii.* * Item Mauri Abbatis, discipuli B. Benedicti. 15. *Jan.*

XVII. *Kalendas Februarii. In* Marcello, *post* Priscillæ, *addit Ado vulgatus*: Hic fecit cœmeteria via Salaria, & XXV. titulos in urbe Roma constituit, propter Baptismum & pœnitentiam multorum, qui convertebantur ex paganis, & propter sepulturas Martyrum. 16. *Jan.* Pontific. cap. 31.

XV. *Kalendas Februarii.* Et passio sanctorum martyrum Thyrsi, Leuci & † Galerici. 18. *Jan.* † leg. *Callinici*. De his Ado 18. Jan.

XIV. *Kalendas Februarii.* Jerosolymis, Marthæ & Mariæ sororum Lazari. 19. *Jan.*

XIII. *Kalendas Februarii. In* Fabiano, *post* sepultus, *addit Ado vulgatus*: Hic regiones divisit diaconibus, & fecit septem subdiaconos, qui septem Notariis imminerent, ut gesta Martyrum in integro colligerent. Hujus tempore supervenit Novatus ex Africa, & separavit Novatianum de Ecclesia, postquam Moyses confessor in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses undecim. 20. *Jan.* Pontific. cap. 21.

XI. *Kalendas Februarii.* Ipso die in Galliis, civitate Ebreduno, SS. martyrum Vincentii, Orontii, & Victoris. 22. *Jan.*

* Item natalis sancti Pauli, quem beatus Apostolus ordinatum, urbi Narbonæ Episcopum misit. Quem tradunt ipsum eumdem esse Sergium Paulum proconsulem, virum prudentem, a quo tempore, Pauli sortitus est nomen, quando eum fide Apostolus subegerat Christi. Qui cum ab eodem ad Hispanias prædicandi gratia mitteretur, apud præfatam urbem Narbonam relictus, & prædicationis non segniter impleto ministerio, clarus miraculis, coronatus sepelitur. Ado in lib. de fest. Ap. 21. Mart.

X. *Kalendas Februarii.* * Et alio loco, passio 23. *Jan.*

passio sanctorum Eugenii, Macarii, & Perulvii.

[26 Jan. Ado in lib. de fest. Ap.] vii. *Kalendas Februarii*. *In* Polycarpo *post* consummati sunt, *in edito Adone addebatur*: Tum etiam Germanicus, athleta Christi insignis, glorioso martyrii agone translatus est. Nam cum a Judice damnatus fuisset ad bestias, ultro sibi præparatam bestiam provocavit, despiciens videlicet temporalem mortem, & coronam vitæ æternæ veloci fine adipisci desiderans. Scripsit idem B. Polycarpus ad Philippenses valde utilem epistolam, quæ usque hodie in Asiæ conventu legitur.

[Ado in Martyrol. 17. Jan.] Item apud Bituricas civitatem, beati Sulpitii Episcopi & confessoris, cujus & vita & mors pretiosa, gloriosis miraculis commendatur.

[30. Jan.] iii. *Kalendas Februarias*. Item natalis sanctæ Aldegundæ virginis.

MENSIS FEBRUARIUS.

[2. Feb.] iv. *Nonas Februarii*. Aurelianis, depositio sancti Flosculi Episcopi, & sanctæ Sichariæ, virginis Deo sacratæ, ibidem.

[3. Feb.] iii. *Nonas Februarii*. * Hamburgi, sancti Anscari Episcopi & confessoris, Hamburgensis primi Episcopi, & Bremensis Archiepiscopi.

* Viennæ, S. Evenii Episcopi & confessoris.

[6. Feb.] viii. *Idus Februarii*. * Item eodem die, Vedasti & Amandi Episcoporum & confessorum.

[8. Feb.] vi. *Idus Februarii*. Item depositio sanctæ Helenæ reginæ.

[10. Feb. De ea in vita S. Benedicti. 21. Mar.] iv. *Idus Februarii*. * Item Scholasticæ virginis, sororis sancti Benedicti Abbatis, qui vidit animam ejus in columbæ specie cælum penetrare.

[11. Feb.] iii. *Idus Februarii*. * Apud Lugdunum natalis sancti Desiderii Episcopi & martyris. [† Pristiniaco.] Hic beatus vir passus est quidem in † Prisciniaco villa, territorio Lugdunensi decimo Kalendas Junii: translatus est autem Viennam Episcopatus sui civitatem, tertio Idus Februarii.

[13. Feb. Pontific. cap. 90.] *Idibus Februarii*. Natalis Gregorii Papæ II. qui rexit Ecclesiam annos xvi. Leonis & Constantini temporibus: hic vir castus, in divinis Scripturis eruditus: hic in Germania per Bonifacium Episcopum, verbum salutis prædicavit: Hic quadragesimali tempore ut feria quinta jejunium & Missarum celebritas fieret, quod antea non agebatur, instituit.

[15. Feb. Greg. l. 1. Dialog. c. ult.] xv. *Kalendas Martii*. Item beati Severi Presbyteri & confessoris, cujus meminit in dialogo beatus Gregorius.

Brixiæ, natale sanctorum martyrum Faustini & Jovittæ: Qui nobili progenie in civitate Brixiana sunt orti. Nam parentes eorum in prædicta civitate caput Senatus fuerunt. Jubente Adriano Imperatore, a quodam Italico comite Rhætiarum in jam dicta urbe comprehensi, & in carcerem sunt retrusi. Postea vero Adriano jubente, post multa & diversa tormenta, traditi sunt ad dilacerandum immanissimis feris, id est, leonibus, leopardis, ursis, atque superbissimis tauris. Sed ipsæ feræ, Domino mitigante, velut agni in mansuetudinem sanctis Dei conversæ sunt; ita ut ipsorum pedibus prostratæ, eorum vestigia lingerent, inimicos autem Dei una cum ipso Italico, facto impetu interficerent. Novissime autem in equuleo alligati, & in ignem missi, positi sunt super ollam æneam, in qua hinc inde plumbum liquebatur. Sed ipse ignis nihil sanctis Dei nocuit, inimicos vero illorum, quotquot attingere potuit, una cum Pompejo fratre Adriani exussit. Quo viso sanctus Calocerus, qui tunc curam Palatii habebat, credidit cum officio suo ad duodecim millia hominum. Unde iratus Adrianus ipsis omnibus, excepto Calocero, capita amputari jussit. Deinde admonentibus sanctis Angelis, beatus Apollonius, Brixiensis ecclesiæ Episcopus, sanctum Faustinum consecravit presbyterum, & beatum Jovittam diaconem ordinavit. Post hoc autem jubente Adriano, beatus Faustinus & Jovitta una cum sancto Calocero, vincti ferro Mediolanum ducti sunt. In qua civitate Adrianus plumbum fervescens & liquescens per fistulas in ora ipsorum trium mitti præcepit: sed nihil Sanctos Dei nocuit. Insuper & oculos beatorum Faustini & Jovittæ jussit auferri: sed altera die eis oculos Dominus restituere dignatus est. Deinde traditi sunt ipsi tres sævissimis bestiis, id est tygribus, ursis, atque superbissimis tauris: sed ipsæ feræ sicut priores, Domino operante, sanctis Dei in mansuetudinem conversæ sunt, ex paganis autem maximam multitudinem interfecerunt. Post hæc & alia tormenta, jussit Adrianus cuidam Sapricio primicerio scholæ candidatorum, ut beatum Calocerum in Ambiganum civitatem duceret, & ibi eum puniret, si non præceptis ejus obtemperaret. Nam ibi amputatione capitis post multa tormenta martyr Christi effectus, multo tempore quievit: quamvis postea Angilbertus Archiepiscopus Mediolanensis eum inde transtulerit, & in suæ diœcesis monasterio, quod vocatur Clavate, summa cum diligentia & honore collocare curaverit. Ipse vero beatus Calocerus cum in custodiam Ambinganum iret, devenit in civitatem Astensem, & ibi invenit illustrem virum ipsius civitatis, nomine Secundum. Et cum eidem Secundo Christum prædicaret, & multa de beato Faustino & Jovitta diceret, qualiter Mediolani pro Christi nomine plurima passi, in vinculis detinerentur, credidit ipse, & summa cum festinatione venit Mediolanum, & a sanctis Faustino & Jovitta baptizatus, in civitatem suam reversus est, & ibi amputato capite a prædicto Sapricio, Christi martyr effectus est. Post hoc sancti martyres Faustinus & Jovitta, vincti sub custodia cujusdam Antiochi præsidis, Romam ducti sunt,

sunt, & ibi diversis pœnis afflicti, multos ad fidem converterunt, plurima per eos Domino faciente miracula. Ibi etiam invenerunt sanctum Evaristum urbis Romæ Episcopum, inter sepulcra martyrum latitantem, quem rogaverunt, ut faceret beatum Calimerum, qui per eorum prædicationem, ioter plurimos Romanos eredidit, in Mediolanensi civitate Episcopum. Quo facto, iterum sub custodia Aureliani comitis ducti sunt Neapolim, & ibi multa ac varia tormenta perpessi, plurimis miraculorum ostensis, Domioo juvante, multos ad fidem converterunt. Postea vero manibus pedibusque ligatis, in mare demersi, & ab Angelis Dei liberati, & ad litus deducti sunt. Novissime autem, jussu Adriani Imperatoris, Brixiam reducti sunt: & ibi a præfato Aureliano, post multa iterum tormenta, amputatis capitibus, Christi martyres effecti sunt.

18. *Feb.* xII. *Kalendas Martii*. *In* Simeone, *post*
Greg. Tur. fuisse, *addit Ado vulgatus*: Constat tamen,
lib. 1. hist. quia Cleophas, cujus filius iste fuit, frater erat
Fran. c. 17. Joseph.

19. *Feb.* xI. *Kalendas Martii*. Item sancti Theodori martyris, fratris sancti Georgii.

MENSIS MARTIUS.

1. *Mar.* *Kalendis Martii*. * Eodem die, Svvitberti Episcopi & confessoris.

2. *Mar.* vI. *Nonas Martii*. Romæ, Simplicii Papæ,
Pontific. qui sedit annis quindecim. Hic Acacium Con-
cap. 48. stantinopolitanum Episcopum, & Petrum Alexandrinum Episcopum Eutychianos damnavit.

12. *Mar.* Iv. *Idus Martii*. * Romæ, depositio san-
Pontific. cti Gregorii Papæ, qui nobili genere, libe-
cap. 65. ralibus artibus eruditus est. Deinde defunctis parentibus, sex in Sicilia monasteria construens, septimum intra Urbis muros constituit. In quo ipse post sæcularem habitum multis fratribus aggregatis, sub Abbatis imperio strenue militavit, & suæ oobilitatis lineam moribus extulit, probis actibus decoravit. Nam qui ante sericis vestibus ac gemmis micantibus per Urbem solebat procedere trabeatus, post vili cootectus tegmine, ministrabat pauper ipse pauperibus. Quibus mooasteriis tantom de redditibus prædiorum delegavit, quantum posset commoraotibus ad quotidianum victum sufficere, reliqua vendidit, ac pauperibus erogavit. Deinde coactus & multum renitens, factus urbis Romæ summus Pontifex, Anglorum gentem ad fidem convertit, directis videlicet sui monasterii monachis, Mellito, Augustioo, atque Joanne, & cum eis aliis pluribus fratribus. Rexit autem gloriosissime Romanam Ecclesiam aooia tredecim, mensibus sex, & diebus decem. Augmentavit etiam io precatione Canonis: *Diesque nostros in tua pace dispone*, &c.

Pontific. Item Romæ, Innocentii Papæ, qui rexit
cap. 42. Ecclesiam annis quindecim, mensibus vero xxi. Hic constitutum fecit de Ecclesia: & Pelagium atque Cælestium hæreticos damnavit; & constituit, ut qui natus fuisset de Christiana, per Baptismum renasceretur, quod Pelagius damnabat.

* In Africa, Joannis & aliorum quadraginta quatuor.

* Romæ, depositio SS. Innocentii & Rasi Episcoporum.

Pridie Idus Martii. Eodem die, Zachariæ 14. *Mart.*
Pontificis, qui Romæ sedit annos decem. Pontific.
Hic in Patriarchio beati Georgii martyris ca- cap. 93.
put reperit io capsa recouditom, in qua † pit- † *Malevul-*
tacium pariter invenit, hoc ipsum Græcis *ga* Epite-
litteris exaratum. Sepultus est in Ecclesia S. Pe- phium.
tri Apostoli.

xvII. *Kalendas Aprilis*. * Eodem die sancti 16. *Mart.*
Heriberti Coloniensis Archiepiscopi, vita & miraculis gloriosi, in monasterio Tuitiensi quiescentis.

xIv. *Kalendas Aprilis*. * Item eodem die, 19. *Mart.*
S. Joseph nutritoris Domini.

xIII. *Kalendas Aprilis*. * Item, oatalis 20. *Mart.*
S. Archippi, commilitonis B. Pauli Apostoli.

xI. *Kalendas Aprilis*. Item sanctarum 22. *Mart.*
virginum Herlindæ & Relindæ sororum.

x. *Kalendas Aprilis*. In Antiochia, sancti 23. *Mart.*
Theodori presbyteri & martyris.

vIII. *Kalendas Aprilis*. Jerosolymæ, Domi- 25. *Mart.*
ous noster Jesus Christus crucifixus est.

Et io eadem civitate, passio S. Jacobi Apo- Act. 12.
stoli, sicut in Actibus Apostolorum scribitur.

Eodem die, immolatio Isaac, & transitus filiorum Israel per mare Rubrum.

Et victoria Michaelis Archangeli contra draconem.

vII. *Kalendas Aprilis*. * Eodem die depo- 26. *Mart.*
sitio saocti Lutgeri Episc.

vI. *Kalendas Aprilis*. Item Jerosolymæ, 27. *Mart.*
Resurrectio Domioi.

III. *Kalendas Aprilis*. * Aurelia civitate, 30. *Mart.*
sancti Pastoris Episcopi depositio.

MENSIS APRILIS.

vIII. *Idus Aprilis*. *In* Sixto, *post* Impera- 6. *Apr.*
toris *addit*, *Ado vulgatus*: Hic constituit, ut Pontific.
sacra mysteria noo tractarentur nisi a ministris cap. 8.
sacris: & quicumque Episcopus evocatus fuisset ad Sedem Apostolicam, rediens ad parochiam suam, non reciperetur, nisi salutationis litteras, hoc est, formatas a Sede Apostolica plebi detulisset. Constituit quoque, ut intra actionem Missarum, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, ter decaotaretur.

vII. *Idus Aprilis*. Item Cælestini Papæ, 7. *Apr.*
qui rexit Ecclesiam annos octo. Hic consti- Pontific. c.
tuit, ut Psalmi Davidici ceotum & quinquagin- 44. ubi di-
ta aote sacrificium antiphonatim canereotur: citur obiis-
nam antea tantum Epistola, & sanctum Evan- se 8. Idus
gelium recitabantur. Aprilis.

v. *Idus Aprilis*. * Item quinque Virginum, 9. *Apr.*
quarum nomina Deus scit.

Et Mariæ Ægyptiacæ.

10. *Apr.* IV. *Idus Aprilis*. * Item in Antiochia, sancti Theodori presbyteri.

11. *Apr.* Pont. c. 46. III. *Idus Aprilis*. * Eodem die Romæ, beati Leonis Papæ.

12. *Apr.* Pontific. cap. 36. *Pridie Idus Aprilis*. *In* Julio, *post* reversus est, *editus Ado addit*: Hic constituit, ut nullus Clericus causam quamlibet in publico ageret, nisi in Ecclesia: & notitia fidei per Notarios colligeretur; & sive cautiones, vel instrumenta, aut donationes, aut commutationes, aut traditiones, aut testamenta, aut allegationes, vel manumissiones a Clericis in Ecclesia celebrarentur.

13. *Apr.* *Idibus Aprilis*. * Item sanctæ Euphemiæ virginis & mart.

16. *Apr.* XVI. *Kalendas Maji*. * In Mauritania natalis Basillæ.

Pontific. cap. 11. Item sancti Aniceti Papæ, qui sedit in Episcopatu annis undecim, & temporibus Severi & Marci martyrio coronatur, sepultus in cœmeterio Calisti. Hic constituit, ut clerus comam non nutriret, secundum Apostoli præceptum.

* Eodem die, dedicatio Oratorii S. Gandulphi martyris.

19. *Apr.* XIII. *Kalendas Maji*. * Eodem die, depositio S. Baldrici Episcopi.

20. *Apr.* Pontific. cap. 15. XII. *Kalendas Maii*. *In* Victore, *post* coronatur, *editi hactenus addunt*: Hic constituit, ut sanctum Pascha die Dominico celebraretur, & a quintadecima luna primi mensis usque ad vigesimam primam observaretur: & constituit, ut necessitate faciente, sive in flumine, sive in mari, sive in fontibus, sub Christiana confessione, quicumque hominum ex gentilitate venientes baptizarentur.

21. *Apr.* XI. *Kalendas Maii*. * Romæ, in cœmeterio via Appia, SS. Valeriani, Maximi, & Tiburtii.

* In Campania, natalis sancti Amphelici.

Pontific. cap. 13. Romæ, sancti Soteris Papæ, qui sedit in Episcopatu annos novem, sepultusque est in cœmeterio Callisti. Hic constituit, ut nulla monacha pallam sacratam contingeret in Ecclesia, neque incensum poneret.

22. *Apr.* X. *Kalendas Maji*. In Africa, civitate Hieropoli, natalis sancti Philippi Apostoli.

Pontific. cap. 29. *In* Cajo, *post* Martius *addit Ado vulgatus*: Hic Cajus constituit, ut per omnes gradus primum ascenderet si quis Episcopus fieri mereretur, & esset Ostiarius, Lector, Exorcista, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter.

Pontific. cap. 58. Eodem die Romæ, S. Agapeti Pontificis, qui sedit menses undecim. Hic ingressus Constantinopolim ad Justinianum Imperatorem, Anthimium Episcopum Constantinopolitanum, qui duas in Christo naturas negabat, deposuit, & in ejus loco Menam Catholicum consecravit.

23. *Apr.* IX. *Kalendas Maji*. * Eodem die, passio sancti Adelberti Episcopi & martyris.

* Item eodem die, S. Pysinnæ virginis.

VIII. *Kalendas Maji*. In Babylonia civitate magna, Sidrach, Misach, & Abdenago, qui & mutato nomine Ananias, Azarias & Misael dicebantur, de camino ignis ardentis sunt liberati. 24. *Apr.*

VI. *Kalendas Maji*. * Item Romæ sancti Vindemialis Episcopi & confessoris. 26. *Apr.*

V. *Kalendas Maji*. *In* Anastasio, *post* decem, *Ado vulgatus addit*: Hic constituit, ut quotiescumque sancta Evangelia recitarentur, Sacerdotes non sedeant, sed curvi stent, constituitque, transmarinum hominem in Clerum non recipi, nisi quinque Episcoporum designaretur suffragiis. 27. *Apr.* Pontific. cap. 40.

Pridie Kalendas Maji. * Romæ, sancti Quirini tribuni & martyris, de quo supra tertio Kalendas Aprilis. 30. *Apr.*

* Item Sophiæ virginis.

MENSIS MAJUS.

Kalendis Maji. Autisiodoro civitate, depositio sancti Amatoris Episcopi. 1. *Maji*.

* Tolosæ, natalis sancti Orientii Episcopi.

* Item depositio sancti Justini, Begorra civitate.

* Eodem die, sanctæ Walburgæ virginis.

IV. *Nonas Maji*. * Eodem die, memoria beatissimi Justi Viennensis Episcopi. 4. *Maji*.

Pridie Nonas Maji. * In Galatiæ civitate, natalis B. Gerontii confessoris. 6. *Maji*.

Nonis Maji. * Item † Benedicti Pontificis, qui sedit Romæ menses decem, imperante Constantino. Hic ab ineunte ætate in Ecclesia militavit, paupertatis semper amator, sepultus apud beatum Petrum. 7. *Maji*. Pontific. cap. 82. † Est Benedictus II.

VIII. *Idus Maji*. In monte Gargano, apparitio S. Michaelis Archangeli, quando illa sagitta velut flamine retorta, eum, a quo jacta est, mox reversa percussit: & dictum est ad Episcopum: Ego sum Michael Archangelus, qui in conspectu Dei semper assisto. 8. *Maji*. Fusius in Martyrol. Adonis 29. Sept.

VII. *Idus Maji*. Eodem die, S. Dionysii Viennensis Episcopi, præclarissimi in doctrina viri. 9. *Maji*. Addidi ex MS. E.

V. *Idus Maji*. Eodem die, B. Gandulphi martyris, cujus gesta habentur. 11. *Maji*. Addidi ex MS. E.

Pridie Idus Maji. Mediolani, Victoris, Canoris, Felicis, Rustici, & sanctorum ecccuu. Martyrum, qui cum S. Cirico passi sunt. 14. *Maji*.

XVII. *Kalendas Junii*. * Tricassino, depositio Fidoli † Presbyteri, & confratris Brendani Abbatis. 16. *Maji*. † *Al.* Episcopi.

XIII. *Kalendas Junii*. * Item passio S. Saturninæ virginis. 20. *Maji*.

XII. *Kalendas Junii*. * Autisiodori, depositio beati Valis presbyteri & confessoris, & Valentis martyris. 21. *Maji*.

XI. *Kalendas Junii*. Natale S. Juliæ, quæ cum Carthago civitas capta esset, ducta est captiva; & fortiis in servitutem devenit cujusdam Euchii civis Syriæ Palæstinæ. Cui diligenter serviens, expleto ejus servitio, acceptaque 22. *Maji*.

ptaque requie, aut orationi, aut lectioni insistebat: nam & corpus suum jejuniis affligebat. Unde dominus ejus quamvis paganus, valde eam admirans, sæpius admonebat, ne taliter se affligeret. Sed illa nec blandimentis, nec etiam monitionibus ab hoc, quod inchoaverat, recedebat, excepto die Dominicæ Resurrectionis. Deinde contigit, ut dominus ipsius una cum ipsa veniret in Corsicam, & ibi sacrificantibus aliis, cœpit & ipse diis immolare. Sed beata Julia videns errorem illorum, condolebat. Audiens quidam princeps Felix Saxo nomine, quod illa nollet sacrificare, quæsivit eam a domino suo, ut receptis in illius vice quatuor ancillis, sibi ea daretur. Cui ille pro magno ejus servitio noluit eam tribuere. Tunc præfatus Felix callide fecit domino suo convivium, quatenus ipso ex nimia potatione soporato, & ignorante, de navi ipsius eam tolleret. Quod & factum est. Nam ipso inscio, ducta est beata Julia ante Felicem. Cumque blandimentis Felix ei non potuisset suadere, ut sacrificaret, præcepit eam alapis cædi, deinde crinibus torqueri, atque flagellari, ad extremum etiam crucifigi, & sic in ipso patibulo ultimum efflavit spiritum. De cujus ore sanctissimo columba exivit, & cælum petivit. Tunc per Angelos, divina dispensante gratia, nuntiatum est hoc quibusdam monachis in insula Margarita, quæ nunc vulgo Gorgona dicitur, consistentibus. Illi hoc audito, ascensis navibus, summa cum festinatione venerunt in Corsicam, & invenerunt sicut sibi ab Angelis fuerat revelatum. Dein summa cum reverentia deponentes corpus ejus de cruce, juvante Domino celeriter ad sua reversi sunt. Et ibi, videlicet in ipsa Margarita insula, condientes corpus ejus cum aromatibus, posuerunt in monumento cum gaudio. Postea autem de ipsa insula, Ansa Regina uxor Desiderii Regis Longobardorum, præcepit corpus ejus afferri, & in monasterio, quod ad honorem ipsius construxit, Brixiæ mirificentissime collocavit.

* Romæ, natalis sanctorum Faustini & Timothei, & aliorum.

* Autissiodori, depositio & translatio sanctæ Helenæ virginis.

† Polyeucti. * In Cæsarea Cappadociæ, natalis sancti † Poliocti.

23. Maji. x. *Kalendas Junii*. Apud Viennam, natalis sancti Desiderii Episcopi, qui passus est in territorio Lugdunensi, in villa Prisciniaco, super fluvium Calarona, cujus vita plena miraculis refulsit: qui in Viennensi Ecclesia sepultus honoratur.

(Ado in Chron. an. 583. Erat in MSS. ad margin.)

25. *Maji*. (Pontific. cap. 18.) viii. *Kalendas Junii*. *In* Urbano *addit vulgatus*: Hic sedit in Episcopatu annos iv. menses x. dies x.

26. *Maji*. vii. *Kalendas Junii*. * Item natalis Venerabilis Bedæ presbyteri & confessoris, ac doctoris celeberrimi.

28. *Maji*. v. *Kalendas Junii*. * Romæ via Numentana, miliario quartodecimo, natalis sanctorum Ephycati, Eustasii, Victuriæ, Castulæ.

iv. *Kalendas Junii*. * In Africa, natalis sanctorum Primi, Alcydiæ, Passiomoni, & aliorum ccxv. 29. *Maji*.

iii. *Kalendas Junii*. * In Antiochia, sanctorum Syci & Palatini. 30. *Maji*.

* Item in Nicomedia, natalis multorum sanctorum.

MENSIS JUNIUS.

Nonis Junii. *In* Bonifacio Britanno, *post* Eobano, *addit Ado vulgatus*: & Adelhario. 5. *Jun*.

* Romæ miliario tertio, Feliculæ, Felicitatis, & aliorum.

iii. *Idus Junii*. * Romæ, natalis SS. Basillæ & Basilissæ, & SS. Crispoli & Restituti. 11. *Jun*.

xvi. *Kalendas Julii*. Apud Viennam, sancti Domnoli Episcopi. 16. *Jun*.

* In Moguntia, sanctorum Aurei & Justinæ.

xv. *Kalendas Julii*. * Aurelianis, sancti Aviti presbyteri & confessoris. 17. *Jun*.

xiv. *Kalendas Julii*. * In Alexandria, sanctæ Mariæ virginis & martyris, & Balbinæ. 18. *Jun*.

xii. *Kalendas Julii*. Romæ, S. Silverii Papæ, qui sedit anno uno. Qui consentiente Juliano Imperatore a Belisario patritio depositus, & monachus factus, in exilio confessor moritur. 20. *Jun*. Pontific. cap. 60.

xi. *Kalendas Julii*. * In Cæsarea, depositio sancti Eusebii Episcopi. 21. *Jun*.

viii. *Kalendas Julii*. * Romæ, S. Fausti, cum aliis vigintitribus. 24. *Jun*.

iv. *Kalendas Julii*. *In* Leone *post* Papæ, *addit vulgatus*: Qui sedit menses decem Romæ. Hic eloquentissimus & divinis Scripturis sufficienter instructus, Græca Latinaque lingua eruditus. Hic sanctam sextam Synodum, quæ in Regia urbe celebrata est, ubi damnati sunt Cyrus, Sergius, † Honorius, Pyrrhus, Paulus, Petrus, Macarius, Stephanus, & Polychronius novus Simon, qui unam voluntatem & operationem in Domino Jesu Christo prædicabant, de Græco in Latinum transtulit. Hic constituit, ut qui Archiepiscopus ordinatus fuerit, nulla consuetudine pro usu pallii in diversis officiis persolvere debeat. † Hic cum multis Episcopis fidem Catholicam exponens, Eutychianam & Nestorianam hæresim damnavit, & sanctissimum Concilium Chalcedonicum sua industria congregari fecit. Hic constituit † Monacham non accipere velamen capitis benedictum ab Episcopo, nisi prius probata illius virginitas fuerit. 28. *Jun*. (Pontific. cap. 81. Est Leo II. Erat in MS. P.) († Deest vulgat.) († Hæc sunt de Leone I. ex Pontificali c. 46.) († *Vulgatus addit*: intra actionem dicere, *sanctum sacrificium* &c.)

iii. *Kalendas Julii*. * Romæ, natalis sancti Novatiani cum aliis 977. 29. *Jun*.

MENSIS JULIUS.

Kalendis Julii. * Item Octavæ S. Joannis Baptistæ. 1. *Julii*.

Pontific. * Romæ, Caji Papæ & aliorum.
cap.29. * Augustoduni, depositio Leontii Episcopi.
Ado 28. * In Mesopotamia, Zeli, cum aliis sex.
Aprilis. * Orion, cum aliis octo.

4. *Julii.* IV. *Nonas Julii.* * Eodem die, Augustæ, S. Udalrici Episcopi & confessoris.

7. *Julii.* *Nonis Julii.* * Eodem die, Wilibaldi Episcopi & confessoris.

Et Materniani confessoris.

8. *Julii.* VIII. *Idus Julii.* * Apud Herbipolim, na-
Frat in talis sanctorum martyrum Kiliani & sociorum
MS. E. ejus.

9. *Julii.* VII. *Idus Julii.* * Eodem die, natalis S. Agilolphi Archiepiscopi Coloniensis & martyris.

11. *Julii.* V. *Idus Julii.* * Item Romæ, natalis sanctorum Stephani, Leontii, & aliorum.

* Treviris, sancti Hildulphi ejusdem urbis Episcopi & confessoris.

13. *Julii.* III. *Idus Julii.* * Eodem die S. Margaritæ virginis & martyris.

15. *Julii.* *Idibus Julii.* * Eodem die, divisio Apostolorum.

Ante Catulini *post* Carthagine, *vulgatus interponit*, natalis sanctorum Philippi.

* Item eodem die, sanctæ Reginsuindæ virginis.

16. *Julii.* XVII. *Kalendas Augusti.* * Item SS. Monulphi & Gondulphi Episcoporum & confessorum.

* Item alibi, sancti Mammæ.

17. *Julii.* XVI. *Kalendas Augusti.* * Item Autisiodoro, S. Theodosii Episcopi & confessoris.

18. *Julii.* XV. *Kalendas Augusti.* Brixiæ, depositio sancti Philastrii, ipsius civitatis Episcopi: qui cum fuisset presbyter ordinatus, ductus amore Dei, relictis omnibus, universum pæne ambitum circuivit orbis, quatenus secutus vestigia Pauli Apostoli, per singula loca animas fraude diaboli deceptas, de sempiterno suis prædicationibus liberaret interitu. Unde non solum contra Gentiles atque Judæos, verum etiam contra omnes pæne hæreses; & maxime contra Arianam perfidiam, quæ tunc nimium prævalebat, fidei vigore pugnavit: & ob hoc verberibus castigatus, stigmata Domini nostri Jesu Christi suo portabat in corpore. Nam & in Mediolanensi urbe idoneus custos Dominici gregis fuit, & Auxentio Arianæ perfidiæ Episcopo, priusquam beatus Ambrosius eligeretur, divina gratia fultus nimium repugnavit. Romæ etiam non exiguo tempore demoratus, multos & publica & privata disputatione est in fide lucratus. Et quia valde hæreticos impugnabat, voluit de eorum singulis sectis atque doctrinis nefandissimis li-
Lib. de brum componere, quatenus singularum hæ-
hæres. ad resium errore patefacto, nullus ab eis saltem
Quodvult- simplex in Ecclesia constitutus comprehendi
deum hær. possit. De quo beatus Augustinus ita dixit:
41. Philaster Brixiensis Episcopus in prolixissimo
†Aug.ia8. libro, quem de hæresibus condidit, † centum viginti hæreses arbitratus est computandas.

XIV. *Kalendas Augusti.* * Lugduni, sancti Rustici presbyteri & confessoris. 19. *Julii.*

* Item Treviris, S. Martini Episcopi, & martyris.

XIII. *Kalendas Augusti.* *In* Joseph, *post* Justus, *omissa*, qui, *addit Ado vulgatus*: Hic prædicationis & sanctitatis officiis serviens. 20. *Julii.*

* Item eodem die, Vulmari & Philiberti Abbatum.

XII. *Kalendas Augusti.* * Eodem die sancti Arbogasti Episcopi & confessoris. 21. *Julii.*

X. *Kalendas Augusti.* * Eodem die S. Liborii Episcopi civitatis Cenomanensis, & confessoris. 23. *Julii.*

VII. *Kalendas Augusti.* * Treviris, sancti Beati confessoris. 26. *Julii.*

IV. *Kalendas Augusti.* Item Aurelianis civitate, depositio sancti Prosperi Episcopi. 29. *Julii*

III. *Kalendas Augusti.* * Eodem die, civitate Autisiodoro, sancti Ursi Episcopi & confessoris. 30. *Julii.*

MENSIS AUGUSTUS.

IV. *Nonas Augusti.* *In* Stephano *post* dies 2. *Aug.*
duos, *additur in vulgato*: Hic constituit, ut Sa- Pontific.
cerdotes & Levitæ vestes sacras in quotidiano cap. 24.
usu non haberent, nisi tantum in ecclesia.

Nonis Augusti. * Eodem die sancti Justini presbyteri, de quo ad XV. Kal. Octobris. 5. *Aug.*

Catalaunis, sancti Memmii Episcopi & confessoris.

VIII. *Idus Augusti.* Item Romæ, sancti Hor- 6. *Aug.*
misdæ Papæ, qui sedit annos septemdecim. Pontific.
Hic composuit clerum, & psalmis erudivit. cap. 53.
Sub hujus tempore Anastasius Imperator hæreticus percussus fulmine interiit. Sepultus est
idem Pontifex in ecclesia beati Petri, * VIII. Id. * Male in
Augusti. vulgat. VII.

III. *Idus Augusti.* * Eodem die in Cameraca civitate, natalis sancti Gaugerici Episcopi & confessoris. 11. *Aug.*

Idibus Augusti. Pictavis, sanctæ Radegundæ virginis & Reginæ. 13. *Aug.*

XVIII. *Kalendas Septemb.* Eodem die dedi- 15. *Aug.*
catio Oratorii sanctorum Jacobi Apostoli, Addidi ex
Laurentii, Valentini, Scholasticæ virginis, MS. E.
consecrati per Willibertum Archiepiscopum.

XVII. *Kalendas Septemb.* Metis, sancti Arnulphi Episcopi & confessoris. 16. *Aug.*

XVI. *Kalendas Sept.* Item Octavæ S. Laurentii martyris. 17. *Aug.*

XV. *Kalendas Septemb.* * Eodem die, S. Heleonæ Reginæ. 18. *Aug.*

XI. *Kalendas Septemb.* Item Octavæ Assumptionis B. Mariæ virg. 22. *Aug.*

IX. *Kalendas Septemb.* Eodem die natalis sancti Audoeni Episcopi & confessoris. 24. *Aug.*

VI. *Kalendas Septemb.* Nola civitate, natalis sancti Felicis Episc. 27. *Aug.*

MENSIS SEPTEMBER.

1. *Sept.* *Kalendis Septemb.* * Item sanctorum con-
fessorum Sixti & Sisinnii.
6. *Sept.* VIII. *Idus Septemb.* Romæ, natale S. Eleu-
therii.
7. *Sept.* VII. *Idus Septemb.* Aurelianis, natalis san-
cti Evortii Episcopi & confessoris.
Greg.Tur. Vico Novegento, natalis sancti Clodoaldi
hist.Franc. confessoris.
l. 3. c. 8. Eodem die, sanctæ Reginæ Virg.
9. *Sept.* V. *Idus Septemb.* † Sergii Papæ, qui sedit
† Est Ser- annos tredecim Romæ. Hic invenit miræ ma-
gius I.Pon- gnitudinis portionem ligni salutaris Domini-
tific. c. 85. cæ crucis, in sacrario beati Petri. Hic statuit
in tempore confractionis Dominici corporis,
Agnus Dei a clero & populo decantari, &
constituit, ut in diebus Annuntiationis Domi-
nicæ, Dormitionis & Nativitatis sanctæ Dei
genitricis Mariæ, ac sancti Simeonis, quod
Hypapante Græce dicitur, Litaniæ exeant a
sancto Adriano, & ad sanctam Mariam popu-
lus occurrat.
10. *Sept.* IV. *Idus Septemb.* Romæ, depositio S. Hila-
Pontific. rii Papæ.
cap. 47. III. *Idus Septemb.* * In Apulia, SS. Feli-
11. *Sept.* cis & Donati.
Lugduno Galliæ, depositio sancti Patiantia
Episcopi, & alibi, SS. Felicis & Regulæ.
12. *Sept.* *Pridie Idus Septemb.* * Item in Asia, SS. Dio-
phili, Matronæ, & Theclæ virg.
* Lugduni, depositio S. Sacerdotis Episcopi
& confessoris.
* Nicomediæ, S. Ammoniæ.
* In Sicilia, civitate Catana, SS. Eupli &
Serapionis.
13. *Sept.* *Idus Septemb.* Item Andegavis, depositio
sancti Maurilionis Episcopi & confessoris.
Turonis, sancti Littorii Episcopi & confes-
soris.
17. *Sept.* XV. *Kalendas Octobris.* Romæ, in crypta
arenaria, SS. Martyrum Narcissi & Crescen-
tionis.
19. *Sept.* XIII. *Kalendas Octobris.* * Treviris, depo-
sitio Meletii Episcopi.
20. *Sept.* XII. *Kalendas Octobris.* * Romæ, Natalis san-
ctorum martyrum Eustachii, Agapiti, Theo-
pisti, atque Philistæ.
23. *Sept.* IX. *Kalendas Octobris.* Item passio sancta-
rum virginum, Digmæ & Emeritæ.
Pontific. * Romæ, depositio sancti Liberii Papæ.
cap. 37. * Item passio Lini, ejusdem urbis Episcopi.
Ibid. c. 1. VII. *Kalendas Octobris.* Ambianis, san-
25. *Sept.* cti Firmini Episcopi & martyris.
Ado in * Item natalis sancti Quadrati Apostolo-
Martyrol. rum discipuli, qui in locum beati Publii Athe-
29. Maji, & narum Episcopi substituitur; & Ecclesiam
in lib. Ap. grandi terrore dispersam, fide, & industria
sua congregavit: qui una cum filiabus Philip-
pi in prophetiæ gratia celeberrimus fuit.
26. *Sept.* VI. *Kalendas Octobris.* Romæ, via Appia
Pontific. in cœmeterio Callisti, depositio S. Eusebii Epi-
cap. 32. & scopi & confessoris.
infr. 2. Oct.

* Et in Albano, natale sancti Senatoris.
* In Sardinia, natalis sancti Luxurii.
* Arvernis, depositio S. Apollinarii Epi-
scopi.
V. *Kalendas Octobris.* In Cæsarea Cappa- 27. *Sept.*
dociæ, sancti Eleutherii.
* In Tharso Ciliciæ, sanctorum Tharacii † De his Ado
Presbyteri, & Andronici. in Marty-
* Eodem die, sancti Florentini martyris. rol. 11. Oct.
IV. *Kalendas Octobris.* * Romæ, natalis † al. *Probi*
sancti Stactei. 28. *Sept.*
* Genua civitate, depositio Sionii Episc.
* In monasterio Puldensi, sanctæ Liobæ
virginis.
* Item sancti Wenceslai martyris & Ducis.
III. *Kalendas Octobris.* Eodem die, Anti- 29. *Sept.*
siodoro, sancti Praterni Episcopi.
Pridie Kalendas Octobris. * In Placentina 30. *Sept.*
civitate, sancti Antonini confessoris.
* In Mediolano, translatio sancti Victoris
martyris.

MENSIS OCTOBER.

Kalendis Octobris. Treviris, sancti Nice- 1. *Oct.*
tii Episcopi & confessoris.
* Eodem die, sanctorum Vedasti Episcopi
& Bavonis confessoris.
VI. *Nonas Octobris.* Eadem die sancti Eu- 2. *Oct.*
sebii Papæ, qui sedit in Episcopatu annos sep- Pontific.
tem, sepultus via Appia in cœmeterio Calli- cap. 32. &
sti: sub hujus tempore inventa est Crux Do- supra 26.
mini nostri Jesu Christi, quinto Nonas Maji. Sept.
Hic hæreticos inventos in Urbe manus impo-
sitione reconciliavit.
V. *Nonas Octobris.* In Antiochia, S. Theu- 3. *Oct.*
genii. In Africa, Victoris, Urbani, Sapar-
gi. Et alibi, Felicis, Auponi, & Casti.
IV. *Nonas Octobris.* * Autisiodori, Marsi 4. *Oct.*
presbyteri & confessoris.
* Item Aureæ virginis.
III. *Nonas Octobris.* Autisiodori, depositio 5. *Oct.*
sancti Firmati diaconi, & Flavianæ virg.
Pridie Nonas Octobris. Autisiodori, de- 6. *Oct.*
positio sancti Romani, ejusdem civitatis Epi-
scopi & martyris.
Nonis Octobris. *In* Marco *vulgatus post* 7. Oct.
Ardeatina *addit*: ubi vivens Ecclesiam extru- Pontific.
xit. Hic constituit, ut Episcopus Ostiæ, qui cap. 35.
consecrat Episcopos Urbis, pallio uteretur.
Eodem die, Lini Papæ & martyris. Pontific.
* In Capua Campaniæ, Quarti, & Mar- cap. 2.
cellini.
* Bituricas civitate, sancti Augusti presby-
teri & confessoris.
VIII. *Idus Octobris.* Item Reparatæ & Go- 8. *Oct.*
clæ virginum.
VII. *Idus Octobris.* * In civitate Laodicia 9. *Oct.*
Phrygiæ, sancti Diodori.
* In Provincia Rheta, civitate Augusta,
sanctæ Afræ martyris.
* In civitate Vienna, multorum Marty-
rum.

* Romæ, Marcellini & Genulni. Et inter duas laurna, Primlnæ.

10. Octob. vi. *Idus Octobris*. *In* Mallofo, *post* replerentur, *addit vulgatus*: & aliorum trecentorum triginta, quorum corpura in paluſtria projecerunt loca.

Verona hæc est Bonna. Eodem die, Verouæ, SS. martyrum, Caſſii, Floreotii, & aliorum ſeptem.

11. Octob. v. *Idus Octobris*. Eodem die, natala ſanctorum martyrom Nicaſii Epiſcopi, Quirini presbyteri, Scubiculi diaconi.

Greg. Tur. de glor. conf. c. 25. Turonia, ſancti Veoantii abbatis.

12. Octob. iv. *Idus Octobris*. * Bituricas, S. Oplonis presbyteri.

* In Provincia Syriæ, Evagrii, & Profyriæ.

Item Euſtachii presbyteri.

* Io Campanis, SS. Eucharisti, Fortuuati, & Priſciani.

13. Octob. iii. *Idus Octobris*. In Hiſpania, Corduba civitate, ſanctorum Fauſti, Martialia, & Janoarii martyrum.

14. Octob. *Pridie Idus Octobris*. Apud Viennam, ſancti Agrati Epiſcopi & confeſſoris, & ſancti Caſturi, ejuſdem urbis Epiſcopi.

* Corduba, ſanctorum Lupi & Aureliæ.

* Lugduni io Galliis, translatio ſancti Juſti Epiſcopi & confeſſoria.

* Herbipoli, depoſitio ſancti Burchardi Epiſcopi, ſucceſſoris ſancti Kiliani.

15. Octob. *Idibus Octobris*. Apud Vieonam, ſancti Deodati Epiſcopi. Romæ, via Aurelia, ſancti Fortunati mart.

* Item Lubuli, Modeſti, & Fortunatæ.

19. Octob. xvii. *Kalendas Novembris*. Apud Agrippinam Coloniam, ſancti Elinhii martyris.

* Item depoſitio ſancti Galli Abbatis, multis miraculis elari.

* Eodem die ſancti Lulli Epiſcopi & confeſſoris.

18. Octob. xv. *Kalendas Novembris*. In Campania, civitate Puteolis, Januarii, & Eutychia.

16. Octob. xiv. *Kalendas Novembris*. Io Iſtria, natalis ſanctorum Auſteri, Neapoli, Suffii, Januarii, Feſti, & Deſideril.

21. Octob. xii. *Kalendas Novembris*. Io Galliis apud Coloniam Agrippinam, ſanctarum Virginum undecim millium. Uoa dicitur Urſula, Sentia, Gregoria, Piooofa, Mardia, Saula, Brictula, Saturolna, Saturnia, Rabatia, Palladia, Clementia, Grata: & aliarum nomina ſcripta ſunt in libro vitæ.

* Io Nicæs Bithyaiæ, Afrigis, Macarii, Dicei, Pnculi. Neapoli, Modeſti, & aliorum numero ſeptuaginta duorum.

22. Octob. xi. *Kalendas Novembris*. * Eodem die, ſancti Severi, Epiſcopi Ravenoæ.

23. Octob. x. *Kalendas Novembris*. Coloniæ, depoſitio ſancti Severini Epiſcopi & confeſſoris.

24. Octob. ix. *Kalendas Novembris*. † Bonifacii Papæ, qui ſedit Romæ annos tres. Hic ſepultus eſt via Salaria juxta corpus ſanctæ Felicitatis: hic conſtituit ſervum Clericum oon fieri, nec obnoxium curiæ, vel cujuslibet rei. Pontific. c. 43.

† Est Bonifacius I.

alii habent eū 25. Octob. Coloniæ, ſancti Evergisli Epiſcopi & martyris.

27. Octob. vi. *Kalendas Novembris*. *In* Evariſto *post* Vaticaoo, *addit Ado vulgatus*: Hic titulos in urbe diviſit Presbyteris: & ſeptem Diaconos ordinavit, qui cuſtodirent Epiſcopum prædicantem.

Autiſiodori, depoſitio ſancti Deſiderii Epiſcopi & confeſſoris.

* Item ſancti Florentii presbyteri & confeſſoris.

28. Octob. v. *Kalendas Novembris*. Eodem die, ſancti Farrutii martyris.

30. Octob. iii. *Kalendas Novembris*. * Item paſſio ſancti Feliciani cum ſociis ſuis.

* Civitate Capuæ, depoſito ſancti Germani Epiſcopi & confeſſoris, cujus animam in ſphæra ignea beatus Benedictus Abbas vidit ab Angelis in cælum deferri.

31. Octob. *Pridie Kalend. Novembris*. * Eodem die, ſancti Vvolſgangi Epiſcopi & confeſſoris.

* Item vigilia omnium ſanctorum.

MENSIS NOVEMBER.

1. Nov. *Kalendis Novembris*. In Cæſarea Cappadociæ, ſancti Macedonii.

* In Sithiu monaſterio, depoſitio ſancti Audomari Epiſcopi.

* Auguſtoduni, ſancti Primi Epiſcopi.

* Bajocas civitate, S. Victoris Epiſcopi.

2. Nov. iv. *Nonas Novembris*. Apud Viennam, ſancti Georgii, ejuſdem urbis Epiſcopi.

* Item paſſio ſancti Euſtachii, uxoris, ac filiorum ejus.

3. Nov. iii. *Nonas Novembris*. Apud Viennam, ſancti Domnini confeſſoris & Epiſcopi glorioſi.

4. Nov. *Pridie Nonas Novembris*, * Auguſtoduni, ſancti Proculi Epiſcopi.

* Item ſanctarum virginum Modeſtæ & Perpetuæ.

5. Nov. *Nonis Novembris*. * Capua civitate, ſanctorum Euſæ, & Quarti, & Pardi martyrum.

6. Nov. viii. *Idus Novembris*. * In civitate Regidonas, depoſitio ſancti Melanii Epiſcopi & confeſſoris.

* Item eodem die ſanctorum Leooardi confeſſoris, diſcipuli ſancti Remigii Epiſcopi, & Vvinoci Abbatis.

7. Nov. vii. *Idus Novembris*. Item Epternaco monaſterio, natalis ſancti Willibrordi Epiſcopi & confeſſoris.

* Item ſanctorum Rufi Epiſcopi, & Herculani presbyteri, & martyris.

8. Nov. vi. *Idus Novembris*. Item ipſo die, ſancti Willehadi Epiſcopi & confeſſoris.

9. Nov. v. *Idus Novembris*. * Romæ, ſanctorum Clementis & Symphoriani.

* In

* In Hispania, SS. Fausti, Januarii, & Martialis martyrum.

* In Beryto civitate, crucifixio Imaginis Domini nostri Jesu Christi.

10. *Nov.* IV. *Idus Novembris*. * In Antiochia, sanctorum Demetrii Episcopi, Auiani diaconi, Eustosii, & sociorum coromdem.

* In civitate Aurelianensi, depositio sancti Monitoris Episcopi & confessoris.

11. *Nov.* III. *Idus Novembris*. * Ravennæ, sanctorum Feliciani & Victorini mart.

12. *Nov.* *Pridie Idus Novembris*. Natalis † Boni-
Pontifis. facii Papæ, qoi Romæ sedit meoses octo,
cap. 67. dies XII. Hic obtinuit apud Phocam princi-
† Est Bo- pem, ot Sedes Apostolica beati Petri, caput
nifac. III. esset omnium Ecclesiarum Romana, quia Ecclesia Constantinopolitana primam se omnium Ecclesiarum scribebat.

Apud Viennam, sancti Isicii Episcopi, qui post B. Pantagatum præsedit Ecclesiæ.

* Item sanctorum Livini martyris, & Cuniberti confessoris, Episcoporum.

* In Cæsarea Cappadociæ, natalis sanctorum Germani, Theophili, Cæsarii, & Eusebii.

* Daventriæ, sancti Lubuini presbyteri & confessoris.

13. *Nov.* *Idibus Novembris*. * Apud Vienoam, sancti Leonici ejusdem Ecclesiæ miraculis clari.

* Rotenis civitate, sancti Amaotii Episcopi & confessoris.

14. *Nov.* XVIII. *Kalendas Decembris*. * Item sancti Eraclii Episcopi & confessoris.

15. *Nov.* XVII. *Kalendas Decembris*. Item S. Eugenii Episcopi & martyris.

16. *Nov.* XVI. *Kalendas Decembris*. * Eodem die in Svevia, monasterio sancti Galli, natalis beati Othmari, ejusdem monasterii post obitum S. Galli primi Abbatis.

17. *Nov.* XV. *Kalendas Decembris*. Viennæ, S. Manati Episcopi & confessoris.

* Item natalis sancti Gregorii Episcopi & martyris apud Pontum.

* Item sancti Joannis monachi.

18. *Nov.* XIV. *Kalendas Decembris*. * In Hispaniis, civitate Corduba, sancti Acisoleni.

* Item Heraclea, sancti Cortheri, & aliorum quadraginta.

19. *Nov.* XIII. *Kalendas Decembris*. Romæ, S. Ge-
Pontific. lasii Papæ, qui sedit in Episcopatu annos qua-
c. 50. erat tuor. Hic Messeoum Episcopom, quem Fe-
in solo P. lix antecessor ipsius damnaverat, revocavit,
sed præc. & commoninni, Ecclesiæque suæ restituit. Hic
die. libros adversus Eotychen & Nestorium composuit.

* In Eraclea, sanctæ mulieres cum viduis quadraginta.

* Augustoduni, sancti Simplicii Episcopi & confessoris.

20. *Nov.* XII. *Kalendas Decembris*. * Item Regenfledis virginis.

23. *Nov.* IX. *Kalendas Decembris*. *In* Clemente
Pontific. (*de quo fusius habes in libello Apostolorum*)
cap. 4.
post in libro vitæ, *editi interserunt*: Hic septem regiones divisit Notariis fidelibos Ecclesiæ, qui gesta Martyrum sollicite & curiose perquirerent. Hic ex præcepto B. Petri suscepit Ecclesiæ Pontificatum. Linus & Cletus ideo ante eum scribuntur, quia ab ipso principe Apostolorum ad ministerium sacerdotale Episcopi sunt ordinati.

Vico Sarchinio, depositio sancti Trudonis presbyteri & confessoris.

VII. *Kalendas Decembris*. * Eodem die, 25. *Nov.*
S. Catharinæ virginis & martyris.

* Item S. Mercurii martyris, qui passus est sub Decio Imperatore.

VI. *Kalendas Decembris*. *In* Lino *post*; 26. *Nov.*
meminit, *additur in vulgata*: Hic ex præ- Pontific.
cepto beati Petri constituit, ut mulier in ec- cap. 2.
clesia velato capite introiret.

* Item Augustoduni, depositio sancti Amatoris Episcopi.

IV. *Kalendas Decembris*. Romæ, S. Gre- 28. *Nov.*
gorii Papæ, qui rexit Ecclesiam annos de-
cem. Hic constituit io Canone a Sacerdote
diccndum: *Quorum solemnitas hodie in con-* Pontifical.
spectu gloriæ tuæ celebratur, Domine Deus cap. 91.
noster toto orbe terrarum: intra quorum nos Est Grego-
consortium &c. Sepultus est in ecclesia san- rius III.
cti Petri.

Apud Viennam, sancti Philippi, ejusdem urbis Episcopi.

In Sosthene, *post* discipuli, *addebatur in*
vulgata, sancti Pauli, cujus meminit idem
Apostolus in prima epistola ad Corinthios: 1. Cor. 1.
& sancti Trophimi, de quo scribit Apostolus
ad Timotheum: *Trophimum reliqui infirmum* 2. Tim. 4.
Mileti. Hic ab Apostolis Romæ ordinatus est De Tro-
Episcopus, & ad Arelatem urbem Galliæ, phimo A-
ob Christi Evangelium prædicandum directus. do 29. De-
Ex cujus fonte (ut beatus Papa Zosimus scri- cemb. tam
bit) tota Gallia fidei rivos accepit. Qui in libell.
apud eamdem urbem in pace quievit. Apost. quã

III. *Kalendas Decembris*. Item Romæ, Martyrol.
Arasonis, Saturnini, Crisanthi, Mauri, & 29. *Nov.*
Dariæ, & aliorum septuaginta duorum.

Pridie Kalendas Decembris. * Eodem 30. *Nov.*
die † festivitas sancti Ambrosii Mediolanensis † Baptis-
Episcopi. mus.

MENSIS DECEMBER.

Kalendis Decembris. Item Ipso die, Vir- 1. *Dec.*
dunensi civitate, transitus beatissimi Agerici
Episcopi.

Pridie Nonas Decembris. * In Tusciis, san- 4. *Dec.*
ctæ Barbaræ virginis & martyris. De ea Ado
VII. *Idus Decembris*. Item octavæ S. An- 16. Dec.
dreæ Apostoli. 7. *Decem.*
VI. *Idus Decembris*. *In* Eutychiano *post* se- 8. *Dec.*
pelivit, *addit Ado vulgatus*: Hic constituit,
ut fruges super altare, tantum fabæ & uvæ Pontific.
benedicerentur: & constituit, ut qui Mar- cap. 28.
tyrem sepeliret, sine dalmatica, aut colobio
purpureo nullo ratione sepeliret.

* Item

* Item Zenonis Episcopi apud Veronam. Ipso die Treviris, sancti Eucharii Episcopi & confessoris.

10. Dec. Pontific. cap. 33. iv. *Idus Decembris*. Romæ, sancti Melchiadis Papæ, qui sedit in Episcopatu annos quatuor, sepultus est in cœmeterio Callisti. Hic constituit, ut die Dominica, aut quinta feria, nullus fidelis jejunaret: quia ipsos dies pagani, quasi sacro jejunio celebrant. Et hic constituit, ut ex consecratu Episcopi oblationes propter hæreticos per Ecclesias dirigerentur.

Viennæ, S. Sindulphi Episcopi & confess.

11. Dec. Pontific. cap. 38. iii. *Idus Decembris*. *In Damaso, post duos, additur in Adone vulgato:* Hic constituit, ut Psalmi die noctuque canerentur per omnes ecclesias: & in fine: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto*. Hic multa corpora Sanctorum requisivit, & invenit, quorum memoriam etiam versibus declaravit: qui sepultus est via Ardeatina in basilica sua, juxta matrem & germanam suam.

13. Dec. *Idibus Decembris*. * Ipso die, S. Autberti Episcopi & confessoris.

* Item sanctæ Othiliæ virginis.

14. Dec. xix. *Kalendas Januarii*. Eodem die, beati Lupicini, Viennensis Ecclesiæ octavi Episcopi.

* Lugduni, sancti Nicasii ejusdem urbis Episcopi & martyris.

20. Dec. xiii. *Kalendas Januarii*. * Autisiodori, beati Gregorii Episcopi & confessoris.

22. Dec. xi. *Kalendas Januarii*. * In Antiochia sancti Basilei Episcopi.

* Civitate Ostia, sanctorum Demetrii, Honorati, & Flori martyrum.

* Romæ, via Portuensi, depositio S. Felicis Episcopi.

* Item passio sanctæ Theodosiæ virginis, & Didymi monachi.

23. Dec. x. *Kalendas Januarii*. * Item Romæ, natalis sanctorum Eugenii, Eleutherii, Urbani, Cornelii, Trajani, Victoris, Castulæ, Eutychiani, ac sociorum ejus, & aliorum octingentorum triginta duorum.

27. Dec. vi. *Kalendas Januarii*. * Item ipso die, ordinatio sancti Jacobi fratris Domini, qui ab Apostolis primus ex Judæis Jerosolymis est ordinatus Episcopus, & in medio Pascha martyrio coronatus.

30. Dec. iii. *Kalendas Januarii*. * Item in insula Oya, sanctorum, Florentii, Sereni, Pauli, Stephani, Papiani, & Cleti.

Greg. Tur. hist. Fråc. l. 2. c. 14. * Turonis civitate, sancti Perpetui Episcopi & confessoris.

31. Dec. *Pridie Kalendas Januarii*. * Rhætiariæ, beati Hermetis exorcistæ.

* Romæ, Donati, Pauli, Rogatæ, Dominandæ, & Hilarinæ.

* In provincia Sicilia, civitate Catana, sanctorum Stephani, Potiani, Attali.

Soli Deo honor & gloria.

HERIBERTI ROSWEYDI

E Societate Jesu Notationes in horum Martyrologiorum difficiliora aliquot loca.

NE expectes, Lector, amplas hic Notationes. Habes eas apud virum, omnia antiquitatis Ecclesiasticæ exequentissimum, Cardinalem Baronium. Et quid celox ferat post onerariam? Satis mihi nunc erit loca quædam attingere, vel ab aliis prætereita, vel depravata, vel minus intellecta. Nihil sine veterum librorum fide mutavi, transposui. Memineris multa alia in textu Adonis correcta, quorum hic rationem non reddo. Longæ enim id operæ esset, & minus fortassis gratæ. Rariora tantum quædam delibavi.

Quæ si non ingrata fuisse intellexero, & pari felicitate nancisci aliquando detur Bedam, Usuardum, aliosque veteres Martyrologos, a vetusta & incorrupta manu (cujus rei partem nunc accepi, & porro spes lautior ab amicis inviolatæ antiquitatis amatoribus affulget) fors erit, ut omnia veterum Martyrologia una cum Græcorum Menologio, sub unum quandoque conspectum statuam, brevibus Notis illustrata. Ita fiet, ut collisis inter se unionibus, hoc est, collatis inter se sanctorum gestis, & gemmarum spiritualium immortalis claritas sese reverberans mutuati luminis detrimenta non noscat, & amico radiorum concursu magis magisque effulgescat.

Si quæ locutionum formulæ minus notæ, nec ad Prisciani semper regulam, in his Martyrologiis subinde intercurrant, dabis eas sæculo: quas intactas relinquere visum, ut sæculi sui auctorem proderent. In civitatum tamen nominibus, quæ MSS. plerumque accusandi casu ponunt, secutus sum fere sæculi nostri morem, ne & in textu affectatam interpretareris barbariem, & in me scrupulosam superstitionem reprehenderes. Cujus tamen rei nunc indicium ad fidem facio.

Et sane post omnem diligentiam adhibitam, vereor, ut non satis caverim, ne quid alienum ab Adone in ejusdem Martyrologium irreperet. Si quæ forte talia Sanctorum nomina irrepserunt, sunt fere Episcoporum aliquot Viennensium, & quorumdam aliorum sanctorum, haud multum ætate Adonis superiorum, quæ non semper omnes tres codices MSS. repræsentabant. Nam Scriverii libro, qui omnium vetustissimus erat, quædam horum deerant. Non dubium mihi, quin quod aquæ contingit, idem libris evenire. Quo enim illa a fonte magis recedit, eo impurior est, trahens semper aliquid ex puris minus, quos perlabitur, locis. Ita quo quis liber vetustior proxime ad auctoris ætatem accedens, eo integrior & minus admixtionis habens a librariorum per ætates succedentium manu,

manu. Nota hæc antiquariis, quibus MSS. librorum fuit inspectio. Ego certe, qui millenos aliquot ejusmodi tractavi, numquam aliter deprehendi.

Codicum MSS., quibus nunc usus sum, hæc notatio est.

E. Notat codicem Everbodiensem.
P. Notat codicem S. Pantaleonis.
S. Notat codicem Petri Scriverii.

IN VETUS ROMANUM

Martyrologium.

2. *Jan.* IV. NONAS JANUARII.

B. Macarii] *Post* xv. *Jan.* : Et Macarii Abbatis, Antonii discipuli. *Duo hi sunt Macarii celebres, in Ægypto olim monachi, & monachorum Patres. Non dubium existimant designari Ægyptium & Alexandrinum. Sed quis, qua die, hoc vero non æque certum. Et verear, ne hactenus aliter notatum, quam oportuit. Volunt Alexandrini natalem celebrari* II. *Januarii, Ægyptii vero* xv. *ejusdem: quod nescio quibus auctoribus adstrui possit. Certe hoc Martyrologium, & cum eo Beda, Usuardus, Ado, non aliter hos Macarios distinguunt, quam quod eum, cujus natalis est* xv. *Januarii, vocent Antonii discipulum. At qui Antonii discipulus, non Ægyptius, sed Alexandrinus fuit, ut colligere est ex Palladii Lausiaca historia cap.* xx. *vel tertius aliquis. Vide Notationes nostras ad Vitas Patrum.*

8. *Jan.* VII. IDUS JANUARII.

Neapoli Severini confess. Victorini fratris.] *Post* v. *Sept.* : Romæ Victorini martyris, fratris Severini, qui post miram pœnitudinem Amiterninæ urbis Episcopus & martyr factus est. *Non igitur tam Ado (quod existimavit Baronius ad diem* VIII. *Junii) Victorinum hunc fratrem fecit Severini Neapolitani, quam vetus Romanum secutus Martyrologium, uti se res vere habuit, hac quidem in re expressit.*

22. *Jan.* XI. KALENDAS FEBRUARII.

Ad Aquas Silvias S. Anastasii Monachi] MS. *liber diserte hic habet:* Silvias. *Sic in vita S. Gordiani* x. *Maji* : Uxorem ejus Marinam in pago quodam, quem Aquas Silvias vocant, rusticorum servituti adduci præcepit. *Ubi tamen excerpta apud Adonem exhibent* : Salvias. *Seu* Silvias *legas cum* MS., *seu cum vulgato* Salvias, *eumdem tamen locum putem designari. Vide Baronium ad diem* XXIII. *Jan. &* IX. *Julii.*

20. *Apr.* XII. KALENDAS MAII.

Inventio sanct. Reliq. multar. in Stabel.] *Hic vero non mediocriter hæsi, & etiamnum hæreo. Nihil hujus rei in Adone, vel in alio Martyrologio occurrit. Suspicor additum hoc ab exscriptore, & designari celebre monasterium apud Eburones* Stabeletum, *seu* Stabuletum. *Suspicionis meæ fundus est, quod hic postea habetur* XVII. *Novembris* : Dedicatio sancti Petri ad Malmundar, *quod* Malmundarium *esse, vicinum Stabuleto monasterium, ibi firmabimus. Sed quæ multa hæc, & quando inventæ reliquiæ in Stabuleto? Certius dixerim, quando reconditæ & occultatæ sint. Sigebertus in Chronico anno Christi* DCCCLXXXII. Eodem anno Godefridus & Sigifridus Reges Northmannorum, cum inæstimabili multitudine juxta Mosam in loco Haslon considentes, Leodium, Trajectum, Tungros, Coloniam Agrippinam, Bonnam cum adjacentibus castellis comburunt. Aquis in palatio equos stabulantes, oppidum & palatium incendunt. Præterea monasteria Stabulaus, Malmundarium, Indam, Prumiam, sacri Ordinis in utroque sexu ministri, ubi poterant opportunius, latebant; & sanctorum corpora & pignora locis tutioribus absconderant. *Paria habet Anselmus Canonicus Leodiensis in Gestis Pontificum Leodiensium cap.* XXXVII. *qui exhibet*, apud Hains juxta Mosam conscendentes. *Atque hæc Northmannica vastatio, aliquot annos tenuit. Unde fieri potuit, ut reliquiæ ante annos aliquot occultatæ, post inventæ fuerint, & inventionis memoria in sacros Fastos relata.*

Vocis etymon exprimit Harigerus, abbas Lobiensis, in gestis Episc. Leodien. cap. III. Invenit tandem locum (*Remaclus*) operi futuro competentem, cui ob confluentiam ferarum undique illuc, vel ad potum vel ad pastum concurrentium, velut ad stabulum, inditum *Stabulaus* antiquitus erat vocabulum. *Ita vocis affinitate etymon venatur Harigerus. Non minus festive Everhelmus, abbas Altimontensis in vita sancti Popponis Stabulensis abbatis* XXV. *Januarii cap.* XXI. Stabulaus, ubi stabilis laus a fidelibus perpetuo concinitur. *Ut appareat nullo horum respectu nomen olim inditum, sed post pro cujusque captu etymon accommodatum. Conditum hoc fuit monasterium anno* DCLI. *a Sigeberto Rege, Sigeberto teste in Chronica. Vide infra ad diem* XVII. *Novembris, ubi de Malmundario.*

VII. KALENDAS MAII. 25. *Apr.*

Erminonis confes.] *Deest hic Adoni, & in nullo Martyrolog., ea quidem terminatione, comparet. Existimo indicari* sanctum Erminum, *Episcopum & abbatem Lobiensem; quem hoc die invenio in Martyrologio Usuardi, aucto a Carthusia Coloniensi anno M.D.*XXI. *de quo ita Molanus in Additionibus ad Usuardum* XXV. *Aprilis ex proprio loci Martyrologio* : Laubiis, transitus sancti Ermini, Episcopi & con-

confessoris. Ex quo Baronius Martyrologio Romano a se aucto inseruit. Sed vetusta Ermini memoria in hoc veteri Romano Martyrologio. Quamquam cum Erminus Adoni desit, qui sanctos omnes veteris Romani Martyrologii exprimit, videtur Adonis tempore non fuisse in veteri Romano Martyrologio, sed post additus. Fort a religioso sancti Pantaleonis Coloniæ, ubi liber hic scriptus est.

Meyerus lib. I. Annal. Flandriæ notat eum successisse sancto Ursmaro in regimine Episcopatus & abbatiæ anno DCCXIII. Florarium vetus sanctorum MS. ponit ejus obitum anno Christi DCCXXXVII. Meminit ejus Trithemius de vir. illustr. Ord. sancti Benedicti lib. III. cap. CLX. & lib. IV. cap. CLXXX. ubi utrobique Hervvinus pro Erminus. Meminit & Molanus in Indiculo & Natalibus sanctorum Belgii. Acta ejus Laubiis, seu Lobiis in monasterio apud Binchium reperiuntur scripta a synchrono.

Nec mirum hic Erminonem dici, ab aliis Eeminum. Sic qui nunc usitate Servatius dicitur, dictus est olim etiam Servatio, ut habetur apud Severum Sulpitium libro II. Hist. sacr.

30. Apr. PRIDIE KALENDAS MAJI.

Quirini M.] Deest hic hoc loco Adoni aliisque Martyrolog. Puto intelligi Quirinum tribunum martyrem, cujus natalem hic ante habes XXX. Martii. Hoc autem loco rursus insertus est a Martyrologii hujus exscriptore ob translationem corporis ejus: de qua ita Carthusia Coloniensis ad Usuardum XXX. Aprilis: In diœcesi Coloniensi, oppido Nussia, Translatio sancti Quirini tribuni & martyris. Cujus sacrum corpus nobilis domina Gepa Abbatissa a Papa impetratum, ab urbe Roma Nussiam transtulit, & in suo monasterio venerabiliter collocavit. Atque hinc existimo sua Molanum ad Usuardum hausisse.

10. Junii. IV. IDUS JUNII.

Et S.Maurini M.] Deest hic Adoni. Non expressi hunc in textu, quia adscriptus erat recentiori manu: haud dubie a religioso S. Pantal. libri hujus exscriptore, nam Coloniæ in sancto Pantaleonis templo, corpus sancti Maurini in veneratione habetur. Ibidem martyrio coronatus est die X. Junii, cujus sepulcrum usque ad annum DCCCCLXVI. occultum fuit. Quod quomodo detectum sit, post obitum Brunonis Archiepiscopi Coloniensis, Præsule Folcmaro ejus successore, vide apud Stephanum hujus inventionis descriptorem circa annum Domini DCCCC. XC. ad Christianum Abbatem, cujus Inventionis memoria recolitur XIII. Octobris. Hac autem die passum testatur sarcophagi inscriptio, quæ apud eumdem extat:

HIC REQUIESCUNT OSSA BONÆ
MEMORIÆ MAURINI QUI IN
ATRIO ECCLESIÆ MARTYRIUM
PERTULIT SUB DIE QUARTO
IDUS JUNII.

Quo vero anno hic martyrium pertulerit, non invenio expressum: nam quod Baronius ad diem X. Junii, & Erhardus Winheim in Sacrario Agrippinæ, notant annum DCLXX. ex Trithemio de vir. illustr. Ord. sancti Benedicti lib. III. cap. CXXXIV. vereor ut labantur. Non enim de nostro hoc Maurino agit Trithemius, sed de alio, Cianzangi olim in Arvernio Abbate, socio sancti Præjecti Episcopi, quorum natalis dies in Romano Martyrologio apud Baronium extat XXV. Januarii, qui Maurinus, nunc Marinus, nunc Marianus, nunc Amarinus dicitur. Labendi occasionem dedit, quod Maurinus noster dicatur in atrio Ecclesiæ pertulisse. Et paria de altero Maurino scribit Trithemius: quamquam in Præjecti & Maurini martyrio XXV. Januarii nulla atrii Ecclesiæ mentio habeatur, sed occisi dicantur, in loco quodam, quem Volonicum appellant: unde forte Trithemius, quod de Maurino Coloniensi martyre in sarcophago legitur, Maurino Arverno martyri attribuit.

III. IDUS JUNII. 11. Junii.

Et Sosthenis apud Corinth., discipuli Pauli.] Infra XXVIII. Novemb. Sostenis discipuli Ap. Ita Martyrologium hoc duos videtur facere Sostenes, & alterum ab altero distinguere. Duplex Sosthenis memoria in sacris litteris. Actorum cap. XVIII. Apprehendentes autem Sosthenem, Principem Synagogæ. Et I. Corinth. I. Paulus vocatus Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei, & Sosthenes frater; Interpretes unum eumdemque hunc statuunt. Quæ si vera sententia, potuit ejusdem diverso die diversas ob causas memoria agi.

XIII. KALENDAS JULII. 19. Junii.

Et com. Nazarii, & Celsi.] Deest quidem horum commemoratio hoc loco in Adone, tam vulgato, quam MS. Idem tamen XII. Junii, cum de Inventione Nazarii, & Celsi agitur, addit: Commemoratio etiam eorum publica, & celebris in die sanctorum Gervasii & Protasii a fidelibus populis frequentatur, & venerabiliter excolitur. Qui hic ipse dies est. Cum quo convenit Florarium sanctorum MS. quod XII. Junii, in die Inventionis SS. Nazarii & Celsi habet: Apud quosdam in die sanctorum Gervasii, & Protasii agitur eorum (Nazarii & Celsi) festiva commemoratio. Quare vides, non sine ratione vetus hoc Martyrologium Romanum, hoc die, quo de Gervasio & Protasio agitur, etiam junxisse commemorationem Nazarii & Celsi.

X. KA.

22. *Junii.*

X. KALENDAS JULII.

Albani martyria.] *Correctum erat* Albini, *uti etiam in Adone est. Quod factum puto in posterioribus exemplaribus scriptis post an.* DCCCCXCI. *Nam cum eo anno Theophania Ottonis* II. *uxor S. Albani corpus Roma Coloniam transferens, sanctorum Gervasii, & Protasii templo huic, olim sic vocato, nunc sancto Pantaleoni sacro, donasset, veniens ex itinere Moguntiam, ad differentiam Moguntinensis Albani, de consilio ejus loci Episcopi, hunc Albinum, qui sub Diocletiano anno* CCLXXXVI. *mense Junii* XXII. *passus est, vocavit. Ita Erhardus Winheim in sacrario suo Agrippinæ pag.* CXLI. *Vide Serarium nostrum rerum Moguntiacarum lib.* II. *cap.* XXVIII.

28. *Julii.*

V. KALENDAS AUGUSTI.

Nicom. S. Pantal. mart.] *Scripta hæc erant capitalibus, iisque miniatis litteris, quod scilicet hic Patronus sit templi & monasterii sancti Pantaleonis Coloniæ, ubi Martyrologium hoc exscriptum est. Habent ibi caput sancti Pantaleonis, quod ex Constantinopoli delatum est ab Equite Henrico van Ulmen, an. Christi* MCCVIII. *Cujus translationis memoria Coloniæ celebratur* XVIII. *Januarii, ut habet Martyrologium Germanicum P. Canisii. Alius igitur Pantaleon, cujus caput Lugdunum delatum, ut habet Sigebertus in Chronico anno Christi* DCCCII. Legati imperatoris Caroli ab Aaron Amira venientes, inter cetera munera, etiam ossa Cypriani Carthaginiensis martyris, & Sperati primi Scillitanorum martyrum, & caput Pantaleonis martyris in Franciam adferunt. *Fortassis hic Pantaleon unus fuit e sociis Sperati, aliorumque Scillitanorum martyrum; etsi inter eos Pantaleonis nomen in Martyrologiis non exprimatur. Colligere quis possit ex Adone in Chronico anno* DCCCVI. Tunc temporis delata sunt ossa beati Cypriani a Carthagine cum reliquiis beatorum Scillitanorum martyrum, Sperati sociorumque ejus, & posita sunt in Ecclesia beati Joannis Baptistæ in civitate Lugdunensi. *Non meminit hic Ado Pantaleonis, fors eum sub Sperati sociis comprehendens. Quamquam idem in Martyrologio* XVII. *Julii exprimit caput Pantaleonis, & a reliquiis Scillitanorum martyrum distinguit. Agobardus quoque Lugdunensis Episcopus carmine de harum Reliquiarum adventu Pantaleonis nomen exprimit. Plures igitur fuerunt Pantaleones. Certe in Martyrologio Romano* XXVII. *Julii, & Pantaleonem Medicum Nicomediæ habes, & Pantaleemonem Vigiliis in Apulia. Pantaleon autem & Pantaleemon idem quibusdam nomen: nam qui Pantaleon Romano Martyrologio, Pantaleemon in Menologio dicitur: ubi & alius Pantaleon occurrit* XVII. *Septembris, socius Charalampi martyris.*

V. NONAS OCTOBRIS.

3. *Octob.*

Athenis Dionysii Areopagitæ, sub Adriano diversis tormentis passi &c.] *Mox* IX. *Oct.*: Parisiis, Dionysii Episcopi cum sociis suis a Fescennino gladio animadversi. *Vides, auctoritate hujus Martyrologii, duos distingui Dionysios, die & loco. Nec aliter vetusti Martyrologi, Beda, Usuardus, Ado, Notkerus. Ut suspicio esse non possit apud hos aliquid post additum, cum ipsi, quod in veteri hoc Romano Martyrologio invenerint, ex fide dederint. Accuratam hujusce rei disquisitionem audio in viri docti manibus esse; quare supersedeo.*

IX. KALENDAS NOVEMBRIS.

24. *Octob.*

Ded. S. Pantal.] *Hoc additum erat ad marginem, post sanctos ea die positos. Quare non expressi in textu. Certum enim hoc adscriptum postea a religioso sancti Pantaleonis, Martyrologii hujus exscriptore, qui solemnitatem sua Ecclesiæ hic quoque constare voluit. Nam & Adoni deest, qui antiquior est illa dedicatione: cum ille circa annum Domini* DCCCLXXIX. *vixerit, & Romanum Martyrologium acceperit. Ecclesia vero sancti Pantaleonis primum fundata sit anno Christi* DCCCCLIV. *a Brunone Coloniensi Archiepiscopo, uti habet Sacramentarium Agrippinæ a P. Erhardo Winheim edito pag.* CXLI.

XV. KALENDAS DECEMBRIS.

17. *Nov.*

Ded. S.P. ad Mal M Dac.] *Nulla hujus memoria apud Adonem exstat; nec dubium mihi, quin & hoc addititium sit. Voluit Coloniensis exscriptor duo antiquissima & celeberrima, in Arduenna saltu ad agrum Eburonum, hic intexere monasteria. Supra* XX. *April. habuimus* Stabuletum, *vulgo* Stavelo, *hic vero* Malmundarium, *vulgo* Malmedy. *De utroque ita Sigebertus in Chronico anno Christi* DCLI. Rex Sigebertus, de posteritate prolis desperans, duodecim monasteria hinc inde Deo construxit, in quibus *Stabulaus* & *Malmundarium* eminebant, cooperante sibi in his Majore domus Grimoaldo & Trajectensium Episc. Remaclo. Qui Remaclus non multo post pertæsus secularium tumultuum, in ipso *Stabulaus* monachicæ vitæ assumpsit habitum.

Quod vero sancto Petro dicatum sit Malmundarium, ejus rei memoria exstat apud Notgerum in vita sancti Remacli III. *Septemb. cap.* XX. *ubi hoc Regis Sigeberti fundatoris diploma:* Sancta ac venerabilia monasteria *Stabulaus*, sive *Malmundarium* cognominata, ubi vir venerabilis Remaclus Episcopus & Abba, Christo auspice præesse videtur, quæ vir illustris Grimoaldus, Major domus, in honore sancti Petri ac sancti Pauli, vel S. Martini, seu ceterorum sanctorum, suo opere in vasta eremi Ardennensis construxit, quemad-

modum nos loca ipsa ad ipsa monasterio ædificanda pro nostra præceptione ex foreste nostra concessimus, *&c.*

Nescio an de hac prima monasterii templique dedicatione intelligendus sit locus hic Martyrologii. Nec enim certum diem vel Sigebertus, vel Notgerus exprimit. Quare certius, ad secundam monasterii templique Malmundariensis dedicationem respicere Martyrologium. Ita enim Gesta MSS. Abbatum Malmundariensium: Decimusquintus Abbas Absalon anno DCCCI. Hic anno DCCCXVII. Indictione X. renuvari fecit monasterium Malmundariense, tempore Ludovici Regis piissimi, cujus adjutorio & sumptu renovatum fuit. Quod XV. Kalendas Decembris dedicatur ab Williberto Archiepiscopo Coloniensi: *quod Gestorum indicium R. P. Ægidio Bouchier, strenuo Chronologiæ indagatori, debeo.*

De nominis etymo Herigerus Abbas Lobiensis cap. LV. de Gestis Leodien. Episc. ubi de sancto Remaclo: Et quia eumdem locum a superstitionum emundavit pollutione, Malmundarium, quasi a malo mundatum, placuit vocitare. *Ita videlicet tunc placuit ex syllaborum aucupio etymon quoque captare.*

HERIBERTI ROSWEIDI

NOTATIONES

In Adonis Libellum de Festivit. Apost.

IX. KALENDAS DECEMBRIS.

23. *Nov.* Trans Pontum mare in eremo, quod adjacet civitati Chersonæ.] *Ad verbum, ex Actis apud Mombritium t. I. quibus consentiunt mea MSS. Ita Beda quoque, & Rhabanus. Menæa* XXIV. *Novembris:* Ἐν ἐρήμῳ πόλει παρακειμένῃ τῇ Χερσῶνι, in deserta civitate, quæ adjacet Chersoni. *Metaphrastes eadem die cum Menæis:* Ultra mare & Pontum, in desertam civitatem, sitam prope Chersonem. *Ita vides πόλιν a quibusdam conjunctum cum ἐρήμῳ, ut quasi ἐρημόπολις seu* deserta civitas *indicetur; ab aliis vero cum Χερσῶνι, ut quasi eremus adjacens civitati Chersonæ insinuetur.*

Sed quis locus exilii sancti Clementis Papæ fuerit, nondum video clare explicatum. Breviarium Romanum ante postremam correctionem exhibebat: A Trajano Imperatore relegatus est in insulam Lyciæ: *nunc pro* in insulam Lyciæ, *substitutum,* trans mare Pontum. *Utrumque in Actis Clementis habes apud Mombritium. Quod autem Baronius ad diem* XXIII. *Novembris ait in Actis Clementis nullam de Lycia haberi mentionem, recte quidem si de Actis apud Metaphrastem intelligat. Nam apud Mombritium tom. I. ad calcem Actorum ita habetur:* Passus est autem venerabilis Dei sanctus, Clemens Episcopus urbis Romæ, sub Trajano Imperatore & Aufidiano duce in Chersona civitate Lyciæ sub die IX. Kalend. Decembris. *Quomquam hæc in MSS. Actis desint in fine. Quidquid sit, creditum olim Clementem passum in* Chersona Lyciæ *vel* insula Lyciæ, *ut Breviarium olim exhibebat.*

Sed quæ hæc Chersona *vel* insula Lyciæ? *Baronius ad Martyrologium Romanum* XXIII *Novemb. respiciens, opinor, ad verba Breviarii Romani ante ultimam correctionem, ait:* Quod autem Lycia Chersonesus dicta reperiatur, non utique ex ea caussa, quod sit in provincia Lyciæ in Asia, in qua nulla reperitur nominata Chersonesus, sed irrepsisse puto errorem ut pro Bycia, Lycia scriptum sit. Alluit enim Bycis palus, sic dicta a Byco fluvio, Chersonesum a superiori parte, ut docet Ptolemæus tab. VIII. Europæ. *Atque hactenus Baronius.*

Plausibilis sane conjectura, si litterarum affinitatem spectes. Sed non est passus Clemens in Chersoneso, Byciæ paludi proxima, sed in alia Insula, Chersoneso vel Chersonæ proxima. Clare Acta inventionis corporis ejus apud Petrum a Natalibus in Catalogo sanctorum lib. x. cap. XCVIII. *quæ & ipse Baronius recitat tom. x. Annalium anno Christi* DCCCLXVII. Leo, *inquit*, Episcopus Ostiensis tradit, quod tempore Michaelis Imperatoris Constantinopolitani, quidam Philippus Sacerdos Chersonam veniens, de his, quæ narrantur in historia sancti Clementis, de maris apertione habitatores interrogavit. Qui nihil de hoc scire professi sunt, eo quod advenæ magis quam indigenæ erant. Siquidem miraculum illud jamdudum ob habitantium culpam cessaverat; & ob incursu barbarorum templum illud destructum erat, & arca cum corpore marinis fluctibus obruta. Tunc assumpto Episcopo Georgiæ civitatis cum Clero, & populo accesserunt ad Insulam, in qua putabant esse Martyris corpus. Ubi divina revelatione fodientes corpus invenerunt, & anchoram cum qua fuerat in mare projectum. *Quare alia insula Chersonæ vicina investiganda est.*

Venia, spero, mihi dabitur, si certum exilii locum, in quem Clemens Papa relegatus fuit, coner producere, idque non tam conjecturis, quam certa indicio. Existimo igitur eum in Leucam insulam (quæ Achillea insula dicitur) Chersonæ proximam relegatum. Quod si quis Leucæ *nomen post in* Lyciæ *migrasse velit, non magnopere refragabor. In Leucam autem insulam ablegatum Clementem Papam astruo.*

Primo, quia Anastasius Bibliothecarius in vitis Pontificum cap. IV. *de Clemente ait:* Qui etiam sepultus est in Græcia, *quem locum Baronius Notation. ad Martyrologium Romanum* XXIII. *Novembris mendosum existimavit. At vero sanum esse vel inde patet, quod* Ma-

Marius Niger, homo Geographiæ peritissimus, asserit etiam hodierno die Leucam *insulam vocari, vulgo* Græciariam: *quod quam parum abit ab Anastasii* Græcia? *Apud quem forte etiam* Græciaria *legendum quis divinaverit. Forte,* Græcia *vel* Græciaris *dicta ea insula, quod Taurica Chersonesus, in qua hæc insula teste Ammiano Marcellino lib.* xxii., *plena sit Coloniarum Græcarum, ut ibidem habet.*

Secundo, quia hæc insula exilii aptissima, quia deserta. Arianus in Periplo Ponti Euxini: Ἡ δὲ νῆσος ἀνθρώπων μὲν ἐρήμη ἐστὶ, insula hæc deserta est ab bomioibus. *Ammianus Marcellinus lib.* xxii. In hac Taurica (*Chersoneso*) insula Leuce fine habitatoribus ullis Achilli est dedicata. In quam si fuerint forte quidam delati, visis antiquitatis vestigiis, temploque & donariis eidem Heroi consecratis, vesperi repetunt naves. Ajunt enim non sine discrimine vitæ illic quemquam pernoctare. *Atqui in Actis Clementis locus exilii ejus* ἐρῆμος, *seu desertus dicitur.*

Tertio, quia insula illa tota saxosa. Unde Festus Avienus in Orbis terræ descriptione:

. . . . ubi concava vasto
Cedit in antra sinu rupes; ubi saxa dehiscunt.
Molibus exesis, & curvo fornice pendent.

Jam vero in Actis Clementis habes: Invenerunt ibi ad secanda saxa amplius quam duo millia Christianorum, diuturna relegatione damnatos.

Atque hæc de insula, in quam sanctus Clemens Papa relegatus fuit, disputata sunto; tum ad lucem veteris Breviarii, tum ad Anastasii lectionem stabiliendam & explicandam, quæ omnia doctiorum judicia submitto, non tam docere quam discere paratus.

2. *Jul.* VI. NONAS JULII.

Mag. Mellopr.] *Locus hic miro hactenus depravatus fuit. Ado vulgatus legit:* Magistri Animelli principis. *Surius in Actis horum martyrum* 11. *Julii:* Magistriani Melloprincipis; *notatque in margine,* Animelli. *Ita vel* Mellum, *vel* Animellum *proprium Principis alicujus nomen existimarunt. Mombritius tom.* II. *in horum Actis habet:* Magistri Principes. *quem puto* Mello, *vel* Animello *omisisse, tamquam nihili verbum. Vera lectio est, quam exhibui, quæ nunc explicanda.*

Magistriani, *seu* Magisteriani *ex officio sunt militiæ Palatinæ, qui &* Agentes in rebus, Μαγιστριανοὶ, *quos eosdem cum* Castrensiis, *seu* Castrensianis *faciunt Glossæ Basilicorum, in quibus* Μαγιστριανὸς, ὁ Καστρήσιος. *Codex Justin. l.* xii. *diverso titulo Agentes in rebus a Castrensianis distinguit. Castrensiani tamen etiam Magistro officiorum suberant (uti Magistriani) ut habet titulus* xxvi. *Alii sunt Magisteriani apud Suidam,* qui & Κανστρίσιοι *dicti a* κανστρίῳ, canistro, *qui magistratus est Ecclesiasticus: vide Meursium in Glossario Græco-barbaro. In Glossis Basilicorum* Μαγιστριανὸς *dicitur quoque* Μανδάτωρ. *Magisteriani occurrunt in Actis sancti Avercii Episcopi Hierapolitani* xxii. *Octobris apud Metaphrastem, ubi Antoninus Imp.* Valerium & Bassianum Magisterianos divinorum nostrorum officiorum misimus. *Et apud Evagrium lib.* iii. *cap.* xvi. Οἱ παρὰ τοῖς Μαγιστριανοῖς ἀγγελιαφόροι. *Malchus in Byzanticis:* Ἀδαμάντιος ἐπὶ τούτῳ συλλέγεται, προτιμηθεὶς ἐκ τῶν Βασιλικῶν τινὰ, οὓς Μαγιστριανοὺς καλοῦσι.

Mellopeinceps *est, qui proximus est principatui, qui proxime futurus Princeps. Ita* μέλλων *Græcum & cum Græcis & cum Latinis vocibus componitur. Græca compositio notior, quam ut exemplis sit opus. Latina rarior. Apud Jurisconsultos habes* Melloproximos, *Cod. Justin. lib.* xii. *tit.* xix. *L.* v. vii. & xiv. *id est, qui proximi sunt ad gradum proximatus, seu qui futuri sunt proximi Scriniorum.*

Sed quis hic Princeps, *cui proximus est* Melloprinceps? *Turbat hic varia Codicum lectio. Si legas,* qui erant Magistriani Melloprincipi, *vel* Melloprincipis, *videtur insinuari, quod Processus & Martinianus mox futuro Principi alicui inservierint. Sed nullus Neronis Imperio proximus fuit ad principatum, quippe cui nec proles fuit, qui Princeps juventutis esse posset, nec ullus adoptatus. Quare veriorem lectionem hanc quorumdam MSS. judico:* qui erant Magistriani Melloprincipes. *Inter Magistrianos seu Agentes in rebus quidam erant Principes. Unde Cod. Justin. lib.* xii. *titulus est* xxii. De principibus agentium in rebus. *Ubi L.* i. *dicitur:* Agentes in rebus post palmam laboris emeriti principatus honore remuneramus: *Hinc qui proximi erant huic principatui, dicebantur* Melloprincipes. *Tales erant Processus & Martinianus, non Magistriani tantum, sed &* Melloprincipes. *Formulam Magisteriæ dignitatis, cui subserviebant Magistriani, & de ejus excellentia habes apud Cassiodorum lib.* vi. *form.* vi. *ubi ejus officia exprimuntur; & tandem dicitur:* Sic nominis sui gravitate perfunctus ornat actibus principatum. *Et post:* Officium vero ejus tanta genii prærogativa decoratur, ut militiæ perfunctus muneribus, ornetur nomine principatus.

IV. KALENDAS SEPTEMBRIS. 29. *Aug.*

Quod deinceps Emesam, &c.] *Loco hujus clausulæ Everbodiensis Codex substituit, sed recentiore manu:* Quod inventum, sed negligenter servatum, perditum fuit. Sed ab aliis inventum apud Edissam civitatem Phœniciæ delatum: & ignobiliter repositum latuit, donec Jorioramus ejusdem civitatis Episcopus, indicante Marcello Abbate, cui se, caputque suum idem Joannes ostenderat, reinventum honorifice collocavit, & ex ea die decollatio ejus celebrata est. *Vide apud Adonis Martyrologium*

XXIV. *Februarii de hac re fusius. Sigebertus in Chronico anno Christi* DCCLXI. *juxta Aquicinctinum, & Ortelianum codicem:* Caput Joannis Baptistæ in Emesa civitate transfertur. *Ubi ex Lipsiano codice alia fusior attexitur historia.* Caput Joannis Baptistæ ab Alexandria in Aquitaniam transfertur hoc modo. Quidam laudabilis vitæ monachus, nomine Felicianus, ex Galliarum partibus, cum paucis sociis Jerusolymam gratia orationis adiit, & post expleta piæ devotionis obsequia, angelica allocutione commonitus, Alexandriam expetivit, & caput Baptistæ Joannis a loco, in quo olim a Theophilo, ejusdem urbis Episcopo, reconditum fuerat, eodem Angelo revelante sustulit, & ad Aquitaniam in territorio Engolismo detulit. Pipinus Rex tunc morabatur ibidem in palatio, quod Angiriacum dicitur, cernensque per eum quotidiana indigenis beneficia, sibique crebras ex hostibus Aquitanicis victorias provenire, regii operis basilicam construxit, non longe a Vulturni fluminis litore, & in ea, ciborio constructo mirifici operis, caput decenter adoratum recondidit Præcursoris. Monachorum etiam cœnobium illic constituit, & prædiis regiis magnifice ditavit. Idem Rex fecit fontem lacunarium, de quo a duobus fere millibus sub terra, per ædificia cœmentaria in palatium ejus aquæductus influebat, & ipsam dividens aquam, in basilicam sancti Joannis Baptistæ per ferrum & æs introduxit, ita ut sub ciborio per marmoream columnam interius concavam ebulliret, ibique sacri Baptismatis ablatio, in honore Domini nostri JESU Christi, & sancti Joannis Baptistæ fieret, atque iterum in ipsa lacunaria remearet. Hoc cœnobium Angliaca vocatur. *Hactenus apud Sigebertum, a Miræo, amico nostro, recensitum.*

IN ADONIS ARCHIEP. VIENN.

Martyrologium.

Litaniæ indicendæ.] *Hoc singulis mensibus in MSS. tribus præmittitur. Unde apparet, olim initio cujusque mensis Litanias indictas fuisse: sed quæ illæ, & qua die celebratæ, non habeo affirmare. Præter duas per totam Ecclesiam solemnissimas Litanias, majorem videlicet, auctore Magno, ut fertur, Gregorio, quæ XXV. Aprilis, qui D. Marco fixus & permanens dies sacer est, peragitur; & minorem, auctore Mamerto Viennensi Archiepiscopo, cui triduum rogationum ante Domini ascensionem impenditur, plures aliæ Litaniæ in anno celebrari solitæ pro Ecclesiarum diversitate. Gregorius Magnus lib.* VII. *epist.* LXXVI. *Indict.* II. *ad Castorium Notarium Ravennæ, quatuor aut quinque solemnium meminit Litaniarum, quibus Episcopus Ravennatium pallio utebatur, cujus usum eidem concedi non vult in aliis Litaniis communibus, seu non solemnibus.*

Menstruanarum aliquot Litaniarum, certo solemnitatis die meminit Anastasius Bibliothecarius in vitis Pontificum, in Sergio I. *circa annum Domini* DC. LXXXVII. Constituit autem, ut diebus Annuntiationis Domini, Nativitatis & Dormitionis sanctæ Dei genitricis, semperque virginis Mariæ, ac S. Simeonis, quod Hypapantem Græci appellant, Litania exeat a S. Adriano, & ad sanctam Mariam populus occurrat. *Ubi* II. *Februarii diem habes pro Hypapante;* XXV. *Martii pro Annuntiatione Dominica;* XV. *Augusti pro Dormitione S. Dei Genitricis;* XXV. *Dec. pro Domini Nativitate.*

Hebdomadariarum Litaniarum, & quidem stato Sabbati die, mentio apud eumdem Anastasium in Honorio I. *circa annum Dom.* DC. XXVI. Hic fecit constitutum in Ecclesia, & decrevit, ut per omnem hebdomadam Sabbato die exeat Litania a B. Apollinare, & ad B. Petrum Apostolum cum hymnis & canticis populus omnis occurrere debeat. *Apud eumdem in Stephano* III. *circa annum Christi* DCC. XXXII. Hic beatissimus vir pro salute provinciæ, & omnium Christianorum, omni Sabbatorum die, Litaniam omni postposito neglectu fieri statuit, uno quidem Sabbato ad sanctam Dei genitricem ad præsepe; alio vero ad B. Petrum Apostolum, & alio ad B. Paulum Apostolum.

Pridianæ Litaniarum indictionis memoria exstat apud Gregorium I. *Papam lib.* XI. *Registr. cap.* II. Crastina die primo diluculo ad septiformem Litaniam juxta distributionem inferius designatam, devota mente cum lacrymis veniamus. *Quæ Litania procedebat* XXIX. *Augusti die. De qua vide Baronium tom.* VIII. *Annalium anno Christi* DXC. *& aureolos Serarii nostri libellos Litaneuticos.*

Litaniarum Sanctorum originem refert Walafridus Strabo ad Martyrologium. Ita enim ille lib. de rebus Eccles. cap. XXVIII. Litania autem Sanctorum postea creditur in usum assumpta, quam Hieronymus Martyrologium, secutus Eusebium Cæsariensem, per anni circulum conscripsit.

V. IDUS JANUARII. 9. *Jan.*

Oleoque infuso liciniis manus & pedes eorum ligantur.] *Ita restitui ex MSS. Male vulgo* lignis *pro* liciniis. *quod posterius, quia rarius est, & minus intellectum, errorem nati,* lignis *substituere. Sed qui lignis pedes & manus ligentur?* Liciniis *igitur ligati, id est, funiculis stuppeis aut xylinis, e quibus candelarum ellychnia fiunt, materia utique, cui oleum infundatur, apta. Isidorus Orig. lib.* XX. *cap.* X. Lucerna a licinio dicta est, unde & brevis est lux, ut Persius.

Dispositæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.

Si enim a luce diceretur, non staret versus. Licinius autem quasi lucinius; est enim cicindela

dela lucernæ. *Vide eundem lib.* XIV. *cap.* XIX. *& lib.* XVII. *cap.* VI. *Glossarium Cimberonense MS.* Lucinium dicitur illud, quod de licinio candelæ ardentis in fumo extinguitur. *Omitto alia recentiorum Glossographorum loca.*

10. *Jan.* IV. IDUS JANUARII.

Et Adventio sancti Martyris Hermetis] *Non recte in vulgato* Inventio. *Intelligit enim S. Hermetis translationem Roma in Gallias. Atque huc refer, quod Molanus exoclissimus sanctorum historiæ indagator, in natalibus SS. Belgii ad diem* XXVIII. *Augusti notat, se in vetusto quodam Martyrologio annotatum observasse:* IV. Idus Januarii, Adventio S. Hermetis martyris apud Indam. *Atque hæc de die primæ Translationis. Annum exprimit Sigebertus in Chronico* DCCCLI. Reliquiæ S. Hermetis martyris per Lotharium Imperatorem in Gallias mittuntur, & apud Indam monasterium honorifice conduntur. *Inda locus est juxta Aquisgranum, ubi S. Cornelii monasterium, in quod hæ reliquiæ primo fuere illatæ. Inde Rothnacum, quæ villa Brabantiæ est, anno* DCCCIX. *deductæ* VI. *Julii, ut habetur in Martyrologio propriæ Ecclesiæ:* Ipso die, Translatio corporis S. Hermetis martyris in Rothnaco. *Hinc Danis Belgicam vastantibus, Othone Imperatore rursus Indam relatæ. Post rebus pacatis ad Rothnacenses rediere.*

17. *Jan.* XVI. KALENDAS FEBRUARII.

Ligatis manibus sursum, & pedibus jusum] *Ita constanter MSS.* jusum *vel* josum: *pro* jursum, jorsum, *pro quo vulgo substitutum* deorsum. *Sic infra* XIV. *Maji:* Deinde triduo capite jusum suspendi; *ubi non recte vulgatus:* deinde jussit capite suspendi. *Præcessit enim* jussit. *Quod & illi membro respondet.* Jussit *igitur Sebastianus Dux Alexandriæ Victorem* capite jusum suspendi, *id est, deorsum. Non dubium mihi antiquum adverbium esse, ex forma, qua* susum. *Habes apud Varronem libro* IV. *de LL. & Catonem de re RR. cap.* CLVII. *pro* sursum. *Ita* susum, jusum *vel* josum *olim dictum, quod postea* sursum, jorsum, *seu* deorsum. *Scaliger quoque ad lib.* V. *Manilii ex vetustissimo Martyrologio prid. Eid. Maji citat,* capitejocsum suspendi, *qui hic ipse locus est* XIV. *die Maji, quem produxi.*

26. *Jan.* VII. KALENDAS FEBRUARII.

Jusserunt propius accedere confectores] *Eusebius lib.* IV. *cap.* XIV. *hoc ipso Latino confectoris verbo in eadem de Polycarpo narratione utitur:* Πέρας γοῦν ἰδόντες οἱ ἄνομοι μὴ δυνάμενον τὸ σῶμα ὑπὸ τοῦ πυρὸς δαπανηθῆναι, ἐκέλευσαν προσελθόντα αὐτῷ κομφέκτορα παραβῦσαι τὸ ξίφος. *Ubi Christophorsonus* κομφέκτορα carnificem *vertit:* Ad extremum igitur cum nefarii & impii homines ejus corpus ab igne minime posse consumi viderent, carnifici mandata dederunt, ut propius ad rogum progressus, illum ense constricto confoderet. *Sed proprie* confectores *ferarum sunt, ut apud Suetonium Augusto c.* XLIII. In circo aurigas, cursoresque, & confectores ferarum, & nonnumquam ex nobilissima juventute, produxit. *Non plura de his, quia res jam nota. Quod in Glossis Basilicorum est* κομφέκτωρ, κατακοπτευτὴς *non est* confector, *ut exponit Meursius in Glossario Græco-barbaro, sed* compactor, *huc non spectant.*

X. KALENDAS MARTII. 20. *Febr.*

Bestiarum morsibus Martyrium complevit] *Ita MSS. Male vulgo,* compleverunt. *Nec enim Tyrannio & Sylvanus Episcopi, pari mortis genere palmam martyrii adepti sunt. Nam Tyrannio non bestiis fuit objectus, sed in mare demersus. Eusebius lib.* VIII. *cap.* XXV. θαλαττίοις παραδοθεὶς βυθοῖς ὁ Ἐπίσκοπος, Tyrannio Episcopus in profundos maris vortices demergitur. *De Sylvano vero & aliis sociis:* Ἀλλ' ὅ γε μὴν Σιλουανὸς θηρίων βορὰ σὺν ἑτέροις ἐπ' αὐτῆς Ἐμέσης γενόμενος χοροῖς ἀνελήφθη μαρτύρων. Hic Sylvanus cum aliis in eadem urbe Emesa bestiarum præda factus, in Martyrum chorum relatus fuit.

VI. KALENDAS MARTII. 24. *Febr.*

In Libro Sacramentorum] *Intelligit, opinor, librum Sacramentorum divi Gregorii, in quo* IV. *Kalendarum Septemb. habes:* Eodem die decollatio seu passio S. Joannis Baptistæ. *Quem librum divo Gregorio asserit doctissimus Pamelius in Prolegomenis ad tomum* II. *Liturgicorum.*

V. IDUS MARTII. 11. *Mar.*

Sanctorum corpora birotis, id est plaustris superposita] *Explicatio hæc* birotarum, *quæ vulgato deerat, ita erat in MSS.* Birota, *vehiculi genus, nomen suum a duabus rotis sortitur. Infra etiam occurrit* XIII. *Junii, ubi non* birota, *sed* birotia *dicitur:* Et per noctem in birote perduxit ad casellam suam. *Mentio ejus in Cod. Theod. de curs. publ.* Statuimus rhedæ mille pondo tantummodo superponi, birotæ ducenta, veredo triginta.

VI. IDUS MAJI. 10. *Maji*

In Tellude] *Idem occurrit infra* XXX. *Julii, &* VI. *Augusti. Acta MSS. Cornelii Papæ* XXIV. *Septembris:* Exhibitusque est ei noctu, & in Tellude, Præfecto quoque Urbis præsente auditus. *Acta Hippolyti, Eusebii, & sociorum,* II. *Decemb.* In Tellude sibi tribunal parari fecit. *Templum est, in quo sæpe Senatus cogi consuevit, ut apparet ex* Cice-

Cicerone, Dione, & aliis. Vbi locus hic fuerit, exprimunt Acta Abundii & sociorum: Jussit Diocletianus produci Sanctos de custodia Abundium, & Abundantium, & præsentari in Tellude, in foro, ante templum. *Omnino videtur compositum, ut* Telludis *sit quasi* Telluris *ædes*.

25. *Junii.* VII. KALENDAS JULII.

Catomis cædi] *Infra* XVIII. *Novembris* catomo suspendi. *Existimo* catomis & catomo *adverbialiter usurpata. Nihil enim est aliud quam suspendi vel cædi capite deorsum: quod fiebat maxime in pueris, cum ex alterius humeris, erectis in altum pedibus suspendebantur: quod & viris & feminis quandoque ignominiæ caussa factum. Acta Afræ* v. *August.* Catomis nudam te cædi jubebo. *Quod inepte Scaliger ad Manilii librum* v. *interpretatur*, nudatam in cervice plumbatis cædi. *Victor libro* I. *persec. Wandal.* Quodam tempore venerabilem senem in publica facie catomis ceciderunt. *Aristoph. in Ireno & Acharn. dicitur* κατωμαδία. *Josepho lib.* v. *cap.* x. *antiq. Judaic.* κατωμαδὸν.

27. *Junii.* V. KALENDAS JULII.

Ad septem Biothanatos.] *Christiani olim ab Ethnicis ignominiæ caussa* Biothanati *dicti, quod tam prompte se morti exponerent, & violenta morte e vita excederent, non naturali. Infra* III. *Sept.* Biothanata & malefica. *Apud magicæ vanitatis auctores vox hæc usitata, ut ostendit Tertullian. lib. de Anima cap.* LVII. Aut optimum est hic retineri, secundum ahoros: aut pessimum secundum Biæothanatos, ut ipsis jam vocabulis utar, quibus auctrix opinionum istarum Magica sonat. *Item apud Physicos. Servius* IV. *Æn.* Dicunt Physici, biothanatorum animas non recipi in originem suam. *Apud Genethliacos vox ea crebra. Lampridius in Heliogabalo*: Et prædictum eidem erat a sacerdotibus Syris, biothanatum se futurum. *Sic apud Julium Firmicum* mors biothanata. *Græcis dicitur* Βιοθάνατος; *&* Βιαιοθανὴς *a* Βία *vis &* θάνατος *mors; non ut est apud Isidorum lib.* X. *Orig. littera* B. Biothanatus, quod est bis mortuus. *Immo a violenta morte, quam vel sibi quis consciscit, qui alias* Αὐτοθάνατος, *vel quam quis sponte incurrit. Cassianus Collat.* XI. *de Discretione cap.* V. *de Herone sene, qui a diabolo deceptus se in puteum, præcipitem dederat*: Quamobrem pro meritis laborum tantorum, & annorum numerositate, qua in eremo perduravit, ac miseratione, & humanitate summa, ab his, qui ejus compatiabantur exitio, vix a presbytero, & Abbate Paphnutio potuit obtineri, ut non (inter Biothanatos reputatus) etiam memoria & oblatione pausantium judicaretur indignus.

III. KALENDAS AUGUSTI. 30. *Julii.*

Et stativam ad bibendum offerri] *Ita MSS. omnes. Hactenus editum*: & statuam ad libandum offerri. *Quod supposititium, & affictum. Intelligit aquam stativam, quæ Plinio stagnans, Varroni reses dicitur.*

IV. IDUS AUGUSTI. 10. *Aug.*

Batuli] *Omnino intelliguntur, qui aliis dicuntur* batilli, *vel* batilla. *Plinius libro* XXXIII. *cap.* VIII. Argenti duæ differentiæ: batillis ferreis candentibus ramento imposito, quod candidum permaneat, probatur, & lib. XXXIV. cap. XI. Experimentum in batillo ferreo. *Trebellius Pollio in Claudio*: Coctilium quotidiana batilla quatuor. *Horatius Sat.* V. prunæque batillum. *Abdias lib.* IX. *hist. Apostolicæ*: Alii cum vatillis & thuribulis. *Minora forte hæc ignaria vascula* batilli *dicti, unde Glossis* vatillum πυράμμα, *vel* ἀναφάμμα, *majora* batuli, *uti hic bis habes, quibus sancti superponuntur.*

XVIII. KALENDAS OCTOBRIS. 14. *Sept.*

Cum cereis & scolacibus] *Hæc sincera lectio, atque ita vetustissimi libri MSS. de vita S. Cypriani. Vulgo hactenus in omnibus libris impressis fuit* scholaribus, *quod Baronio in Notation. ad Martyrolog. Roman.* VI. *Februarii occasionem dedit, ut* scholares *interpretaretur* diversarum classium clericos. *Sed vera lectio est, quam dixi: quæ nunc explicanda, quia apud paucos auctores mihi hactenus occurrit. Isidorus Orig. lib.* XX. *cap.* X. Funalia sunt, quæ intra ceram sunt, dicta a funibus, quos ante usum papyri cera circumdatos habuere majores, unde & funera dicuntur. Funalia autem Græci scolaces dicunt, quod sint scolicia, hoc est mortia. *Lege*, quod sint σκολιοὶ, hoc est intorti. *Ad eam lectionem viam aperiunt Glossæ Isidori*: Scolaces, quod nos funalia dicimus, eo quod sint scoliæ, hoc est, intorti. Hos Romani funes & funalia nominabant. *Petrus Damianus libro* VI. *epist.* XVII. Quis enim accendit lucernam, ut videat solem: quis scolacibus utitur, ut stellarum micantium videat claritatem? *Cypriani igitur funus & cereis, & scolacibus cohonestatum est. Sic in funeribus antiquorum sæpissime junctim cerei & faces, uti hic cerei & scolaces.*

V. IDUS NOVEMBRIS. 9. *Nov.*

Judici Popillo sistitur] *Vulgati*: Judici & populo sistitur. *Quis vulgata legens, errorem subesse fuisset suspicatus? Recte MSS. nomen judicis* Popilium *exhibent, quem Metaphrastes* Judicem & Præsidem Publium *vocat. Acta MSS. quæ nactus sum ex Bibliotheca Fuldensi.*

deaſi. Cronides vero tabularius, cum cognoviſſet hoc factum metu, perterritus comprehendit B. Theodorum, & obtulit eum Popilio Præſidi. *Ita & in Hiſtoriis plurimorum Sanctorum, editis Lovanii anno* 1485. *Male apud Mombritium tom.* II. Populi Præſidi. *Rectius apud Adonem* Popilius, *quam apud alios* Populius. *Notiſſima* Popilia *inter Romanas familias*.

2. *Nov.* PRIDIE IDUS NOVEMBRIS.

Apud Sigericum Wandalorum Regem] *Ita conſtanter MSS. Vulgo* Genſericum, *vel ut alii vocant* Geiſericum, *forte rectius: quare & hoc in margine appoſui. Exiſtimo errorem ex litterarum tranſpoſitione ortum, ut* Sigericum *ſcripſerint pro* Giſericum. *Certe* Geiſericus *Wandalorum Rex fuit, ut habes apud Proſperum in Chronico an. Chriſti* CCCCXXXVII. *in hac ipſa Martyrum narratione; ex quo Ado deſumpſit*. Sigericus *vero Gothorum Rex apud Iſidorum in Chronico Gothorum Æra* CCCCLIV. *anno* VII. *Theodoſii junioris. Quod vero Victor Africanus in Wandalica perſecutione horum Martyrum non meminerit, cauſam exiſtimat Baronius tom.* V. *an. Chriſti* CCCCXXXVII. *quod Wandalicas clades in Numidiam, aliaſque illi proximas provincias illatas ſcribere haud admodum laborarit, rebus tantum Eccleſiæ Carthaginenſis, ubi agebat, intentus*.

23. *Dec.* XI. KALENDAS JANUARII.

Via Lavicana inter duas Lauros] *Locus ita Romæ dictus via Lavicana, multorum Sanctorum martyrio nobilitatus. Eumdem hoc die Martyrologium Romanum repræſentat. Anaſtaſius Bibliothecarius de vitis Pontificum cap.* XXXIV. *in Silveſtro de munificentia Conſtantini*: Fecit baſilicam via Lavicana inter duas Lauros B. Petro & Marcellino martyribus, & mauſoleum, ubi beatiſſimam Auguſtam matrem ſuam poſuit in ſarcophago porphyretico. *Ita hæc exhibet MS. Bertinianum. Ado Viennenſis in Chronico circa annum Chriſti* CCCVI. Fecit baſilicam via Lavicana inter duas Lauros B. Petro & Marcellino martyribus, & mauſoleum, ubi matrem ſuam poſuit in ſarcophago purpureo. *Meurſius in Gloſſario ſuo Græco-barbaro duobus his poſtremis locis mutabat* lauros *in* lauras, *ſed jam facile perſpiciet nihil mutandum. Eſt & alius via Latina, apud Adonem ſupra* IX. *Septembris, ad quem S. Gorgonius fuit translatus*, poſituſque eſt via Latina inter duas lauros; *niſi mendoſus ſit locus, & Lavicana legendum ſit, quomodo Breviarium Romanum* IX. *Septemb. in lectione de S. Gorgonio. Tamen MSS. Adonis cum vulgata ejus lectione conſpirant*.

IN APPENDICEM
AD ADONIS MARTYROLOGIUM.

Nominum hujus Appendicis fidem non præſto, nec enim emendare mihi quidquam viſum ſine libris. Non dubito multa corrupta nomina intercurrere, ex vulgatis & promiſcuis Martyrologiis inſerta. Quin & dies ſæpe ab aliis Martyrologiis diſſentit, ut Moſander ſuo Adoni hæc inſeruerat, ita ſeorſum ea nunc repræſento. Unius loci a me correcti, & alterius inſerti, ecce rationem habe.

PRIDIE IDUS MARTII. 14. *Mart.*

In qua pittacium pariter invenit] *Quia hoc minus intellectum fuit ab editore, ideo ſubſtituit* epitaphium. *Sed auctor* pittacium *ſcripſit, uti MSS. exhibent. Gloſſæ*, πιττάκιον, pittacium, brevis. *Gloſſæ Iſidori*, Pictatium, epiſtola brevis & modica. Pictatiuncula, membrana. *Utitur ea voce Lampridius in Alexandro*: De promovendis etiam militibus ſibi adnotabat, & perlegebat cuncta pittacia. *Occurrit & apud Caſſiodorum. Celſus lib.* III. *cap.* X. Deinde habere duo pittacia, quæ latitudinem frontis, longitudinemque æquent. *Plura non congero, hæc ad lucem ſufficiunt*.

XVIII. KALENDAS SEPTEMBRIS. 15. *Aug.*

Dedicatio Oratorii] *Hæc inſerui ex MS. E. qui ſolus habebat. Haud dubie inſerta hæc Adoni ab eo, qui eum codicem ſcripſit, ubi Oratorium hoc dedicatum eſt, cum aliis deſit. Codex mihi vetuſtior videtur fundatione ipſius Everbodienſis Abbatiæ. Oratorium hoc, cum dicatur conſecratum per Willibertum Archiepiſcopum, valde vetuſtum eſt. Willibertus enim Archiepiſcopus Colonienſis obiit circa annum Domini* DCCCXC. *Omnino librum illum Adonis Everbodium delatum exiſtimo ex veteri aliqua Abbatia vel Eccleſia diœceſis Colonienſis, ubi Willibertus Oratorium hoc conſecravit*.

MAR-

I

MARTYROLOGIUM FULDENSE

Ab anonymo ex Adone & Usuardo excerptum.

Ex cod. Reg. Suec. 441. p. 46. sæculi x.

MENSIS JANUARIUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

*Alio charactere antiquæ manus. R. C. F. ııl.

* *Principium Jani sancit tropicus capricornus.*

K*Alendis Januarii*. CIRCUNCISIO DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI. Roma, sancti Almachii martyris. Et sanctæ Martinæ virginis: quæ tempore Alexandri Imperatoris multis & diversis suppliciis afflicta, ad ultimum decollata est. Eodem die, natalis sancti Eugendi Jurensis Abbatis, cujus vita virtutibus & miraculis plena refulsit. Cartagine, depositio sancti Fulgentii Episcopi, qui ab Arrianis multa perpessus, cæsus, ac decalvatus, in sanctæ fidei doctrina consenuit. Eodem die, sancti Basilii Archiepiscopi, magnarum virtutum viri. Et apud Alexandriam, transitus sanctæ Eufrosinæ virginis, quæ clam se tonderi fecit, monasticam vitam expetens, atque in omni sanctitate perdurans, in pace quievit.

ıııI. *Non.* In Ægypto, depositio sancti Macharii Abbatis.

ııI. *Non.* Natalis sancti Anteros Papæ & martyris, qui xıı. annis rexit Ecclesiam suam, & sepultus est in cimiterio Calisti. Parisius, depositio sanctæ Genovefæ virginis, quam beatus Germanus Autisiodorensis Episcopus Christo virginem consecravit.

ıI. *Non.* Natale sancti Titi Apostolorum discipuli: qui ordinatus a beato Paulo Apostolo Cretensium Episcopus, prædicationis officium fidelissime complevit, atque beatum finem adeptus, sepultus est in Ecclesia, ubi ab eodem Apostolo fuerat dignus minister constitutus.

NONAS. (sic). In Antiochia, depositio sancti Symeonis confessoris & monachi, magnarum virtutum viri.

vııı. *Id. Jan.* EPIPHANIA DOMINI. Autisiodoro, translatio corporis sancti Germani Episcopi & confessoris. Antiochia, natalis sancti Juliani martyris, & Celsi pueri & Marcianillæ matris ejusdem. Et Antonii quoque presbyteri, & Anastasii: quorum miræ passiones leguntur. Eodem die apud Remis (sic) passio sanctæ Macræ virginis: quam cum Ricovarus præses torqueri, & in ignem præcipitari jussisset, illæsa permansit. Deinde mamillis abscissis, & squallore carceris afflicta, super testas acutissimas & prunas volutata, migravit ad Christum, corpusque ejus honorifice Christiani sepellerunt.

vıı. *Id.* Nicomedia, natalis sancti Luciani presbyteri & martyris, qui in quatuor partes discerptus, quatuor lapidibus alligatus in mare mersus est: sed alia die Helenopolim corpus ejus integrum cum ipsis lapidibus inventum est: ibique sepultum. In Tracia, Ysidori Episcopi, & sanctorum Faustæ & Evilasii mart.

vı. *Id.* In Galliis, Bellovacus civitate, natalis sanctorum mart. Luciani, Maxiani, & Juliani.

v. *Id.* In Mauritania Cæsariensi, natalis sanctæ Martianæ virginis & martyris.

ıııI. *Id.* Natalis sancti Pauli primi heremitæ: qui a sextodecimo anno usque ad centesimum tertium decimum solus in heremo permansit: cujus animam Antonius inter Apostolorum & prophetarum choros ad cælum ferri ab angelis vidit: quod in Thebaida actum est, ut beatus Jheronimus scribit.

ııI. *Id.* In Affrica, natale sancti Salvii martyris.

ıı. *Id.* Apud Achajam, natalis sancti Saturi martyris, civis Arabiæ: qui transiens ante quoddam idolum, cum exufflasset illud, statim corruit, ob quam causam decollatus est.

IDUS. (sic). Pictavis, depositio sancti Hilarii Episcopi. Remis, depositio sancti Remigii Episcopi. Sanctorum martyrum Juliani & Basilissæ. Octavas Epiphaniæ.

xvıııı. *Kal. Feb.* In civitate Nola, natalis sancti Felicis presbyteri & conf. Et sancti Pontiani mart.

xvııı. *Kal.* In Ægypto, natalis sancti Macharii discipuli beati Antonii, vita & miraculis celeberrimi. Et beati Ysidori, in sanctitate vitæ, fide, ac miraculis præclari.

xvıı. *Kal.* Romæ, passio sancti Marcelli Papæ. Arelato, depositio sancti Honorati Episcopi & confessoris. Arvernus, natalis sancti Boniti Episcopi.

xvı. *Kal.* In Ægypto, depositio sancti Antonii monachi. Eodem die apud Lingones, passio sanctorum geminorum Speusippi, Eleusippi, & Melausippi. Bituricas civitate, depositio sancti Sulpicii Episcopi & confessoris.

xv. *Kal.* Cathedra sancti Petri Apostoli apud Romam. Romæ, natalis sanctæ Priscæ virginis & martyris. Et in Ponto, natalis sanctorum Mosei & Ammonii: qui cum essent milites, primo ad metalla deputati, novissime igni traditi sunt. Eodem die, passio sanctorum Tyrsi, Leuci, & Gallerici.

xıııı. *Kal.* Hierosolyma, Marthæ & Mariæ sororum Lazari. Et in Smirna, natalis sancti Germanici martyris: qui dentibus cujusdam bestiæ pro fide Christi comminutus, cælestia

lestia regna contendit. Monasterio Corbionis, depositio sancti Launomari Abbatis & confessoris.

XIII. *Kal.* Roms, natalis sanctorum Fabiani Episcopi, & Sebastiani martyris. Marii quoque & Marthæ cum filiis eorum Audifax & Abbacuc.

XII. *Kal.* Romæ, passio sanctæ Agnetis virginis. Et in Hispaniis, Tarrachona civitate, passio sanctorum martyrum Fructuosi Episcopi, Augurii presbyteri, & Eulogii diaconi: qui per ignem martyrium compleverunt. Trecas, passio sancti Patrocli martyris. Natalis, sancti Publii Atheniensis Episcopi. Quem beatus Paulus Apostolus ordinavit Episcopum, & ad prædicandum direxit. Qui postmodum Atheniensium Ecclesiam nobilissime rexit: & præclarus virtutibus, ac doctrina præfulgens, glorioso martyrio est coronatus. Nam primus Dionisius, deinde Publius iste Athenis præfuit.

XI. *Kal.* In Hispaniis, civitate Valentia, passio sancti Valerii Episcopi, & Vincentii diaconi cum sociis suis. Ad aquas Salvias, sancti Anastasii monachi & martyris de Persida: qui post multa tormenta, detruncatione capitis martyrium complevit sub Chosroe rege. Hic in Persida quidem passus est, sed emergentibus annis Romam translatus.

X. *Kal.* Roma, natalis sanctæ Emerentianæ virginis, quæ erat conlactanea sanctæ Agnæ: quæ dum oraret ad sepulchrum ejus a paganis lapidata est. Et in civitate Neocesariæ, passio sancti Severiani & Aquilæ uxoris ejus, ignibus combustorum. Et sanctorum Macharii atque Eugenii martyrum.

IX. *Kal.* Apud Ephesum, natalis S. Timothei Episcopi, & martyris, discipuli S. Pauli Apostoli. Et in Antiochia, passio S. Babillæ cum tribus parvulis: qui sub Decio Imperatore martyrio coronati sunt. Et in Neocesaria civitate, natalis sanctorum martyrum Mardoni, Musoni, Eugenii, Metelli, qui omnes igni sunt traditi, & reliquiæ eorum in Axum fluvium dispersæ.

VIII. *Kal.* Conversio sancti Pauli Apostoli. Et in civitate Arvernis, passio sancti Projecti Episcopi & martyris. Eodem die, natalis sancti Gregorii Nazianzeni, Episcopi & confessoris, viri sanctissimi, & eruditissimi.

VII. *Kal.* Apud Smirnam, natalis sancti Policarpi Episcopi & martyris, discipuli sancti Johannis Evangelistæ: qui sub Marco Antonino igni traditus est. Et in Bethleem, dormitio sanctæ Paulæ, cujus mirabilem vitam sanctus Jheronimus presbyter scribit.

VI. *Kal.* Constantinopolim, depositio sancti Johannis Episcopi & confessoris, qui Chrisostomus appellatus est, vir eruditissimus.

V. *Kal.* Roma, sanctæ Agnetis de nativitate. Et octava passionis ejus. Et in Ternodorensi pago, sancti Johannis Abbatis. Apud Alexandriam, natalis sancti Cirilli Episcopi, qui catholicæ fidei præclarissimus extitit propugnator.

IV. *Kal.* Roma, natalis sanctorum Papiæ & Mauri militum tempore Diocletiani. Qui videntes constantiam Saturnini & Sisinii martyrum, conversi sunt ad fidem: statimque jussum est a Laoditio præfecto Urbis, ut os eorum, quo Christum confitebantur, cum lapidibus contunderetur, & retruderentur in carcerem, ubi baptizati erant a beato Marcello Papa. Quos post dies XII. eductos, jussit sterni, & fustibus ac plumbatis cædi, donec spiritum exalarent. Quorum corpora colligens Johannes presbyter sepelivit via Nomentana. Eodem die, Treveris depositio, sancti Valerii Episcopi, qui fuit discipulus sancti Petri Apostoli.

III. *Kal.* Malbodio monasterio, depositio sanctæ Aldegundis virginis. Monasterio Kale, obitus sanctæ Balthildis reginæ, quæ inter cætera bona, plurima construxit monasteria. Hierosolimis, beatissimi Mathiæ Episcopi, de quo mira, & plena fide gesta narrantur: qui multa pro Christo perpessus, tandem in pace vitam finivit. Hic octavus post beatum Jacobum Apostolum rexit Ecclesiam Hierosolimorum.

II. *Kal.* In Alexandria, Metrani martyris, quem pagani post multa supplicia lapidibus obruerunt.

FEBRUARIUS HABET DIES XXVIII.
LUNA XXIX.

** Mense Numæ in media soli distat sidus aquari.* *Alio charactere.

Kal. Feb. In Scotia, natalis sanctæ Brigidæ virginis, quæ magnis vitæ meritis florens, etiam miraculis claruit. Eodem die, passio sancti Ignatii Episcopi Antiocheni & martyris, apud Romam a bestiis suffocati.

IV. *Non.* PURIFICATIO SANCTÆ DEI GENITRICIS. Et oblatio Christi in templo.

III. *Non.* Natalis sancti Blasii Episcopi & martyris. Et sanctorum Celerini diaconi, & Celerinæ aviæ ejus, & Laurentini, & Ignatii: in quorum laudibus extat beati Cypriani Epistola. Ep. XXXIV.

II. *Non.* In civitate Ægypti, quæ appellatur Timos (sic) passio beati Phileæ ejusdem urbis Episcopi. Et Philoromi tribuni militum Romanorum: cum quibus etiam innumera fidelium multitudo ex eadem urbe pastoris sui sequens exemplum, tempore Diocletiani martyrio coronata est. In cujus laudem octavus liber Ecclesiasticæ historiæ sic inquitur: *O vere mirabilis, & omni veneratione dignus grex ille beatorum, turma virorum fortium &c.* quæ de eorum gloriosa passione referuntur. Euseb. Ruf. l. VIII. c. X.

Nonas. Sicilia Catanensium, passio sanctæ Agathæ virginis. Vienna, natalis sancti Aviti Episcopi, admirandæ fidei, doctrinæ, & eruditionis viri.

VIII. *Id. Feb.* In Cæsarea Cappadociæ, natalis

talia fanctæ Dorotheæ virginis, quæ fub Apricio provinciæ ipfius præfide, primum aculei (fic) extenfione vexata, ad ultimum capitali fententia punita eft. Atrebatis civitate, depofitio fancti Vedafti Epifcopi & confefforis. Et in pago Tornacenfe, Helnone monafterio, depofitio fancti Amandi Epifcopi & confefforis.

vii. *Id.* In Brittanniis, civitate Augufta, natalis fancti Augali Epifcopi & martyris. Et fancti Moyfetis, qui primum mirabilis heremita, poftea Epifcopus fuit.

vi. *Id.* Roma, S. Pauli Epifcopi depofitio.

v. *Id.* Natalis fanctæ Appolloniæ virginis, quæ apud Alexandriam prius omnibus dentibus excuffis, deinde igne cremata eft. Et Fontanella monafterio, depofitio S. Anfberti Archiepifcopi.

iv. *Id.* In monte Cafino, tranfitus fanctæ Scolafticæ virginis, fororis fancti Benedicti Abbatis. Roma, paffio fanctorum Sotherii, Zotici, Hyrenei, Hiacinthi, & Amantii.

iii. *Id.* Lugduno, Defiderii Epifcopi. Et Alexandria civitate, depofitio fanctæ Eufrafiæ virginis, quæ in monafterio miro virtute abftinentiæ, & miraculis claruit.

ii. *Id. Feb.*

Act. xi. & xxi. *Idus*. Natalis fancti Agabi prophetæ, apud Antiochiam: cujus meminit beatus Lucas in Actibus Apoftolorum.

xvi. *Kal Mar.* Roma, natalis fancti Valentini presbyteri, qui poft multa fanitatum & doctrinæ infignia fuftibus cæfus, & fic decollatus eft fub Claudio Cæfare. Eodem die, natalis fancti Valentini Interamnenfis Epifcopi, qui tantus a paganis, ac virgis cæfus, & carceri mancipatus, ad ultimum decollatus eft. Et apud Alexandriam, natalis fanctorum martyrum Baffi, Antonii, Protolici, qui in mare merfi funt. Item Chyrinnis presbyteri, Moifeos, Baffiani lectoris, Agathoni exorciftæ, qui omnes igni combufti funt. Item Dionyfii, Ammonii decollatorum.

xv. *Kal. Mar.* Natalis fancti Silvini Epifcopi & confefforis, cujus gefta habentur. Roma, fancti Cratonis martyris. Et SS. Fauftini & Jovittæ martyrum.

xiv. *Kal.* Natalis fancti Onefimi difcipuli fancti Pauli: qui ab eodem, ut beatus Ignatius dictus Epifcopus eft, ordinatus Ephefiorum. Hic Romam perductus, atque ibi pro fide Chrifti lapidatus, primum ibi fepultus eft, fed poftea ad locum, ubi fuerat Epifcopus ordinatus, corpus ejufdem delatum eft. Et in Cumas civitate, depofitio fanctæ Julianæ virginis, quæ tempore Maximiani Imperatoris omni genere tormentorum afflicta, ad ultimum decollata eft.

xiii. *Kal.* In Babilonia, paffio fancti Polochronii Epifcopi ejufdem civitatis, qui præfente Decio, dum crudeliter cæderetur, oculis pariter & manibus ad cælos extenfis amifit fpiritum.

xii. *Kal.* Hierofolymis, beati Symeonis Epifcopi & martyris, qui traditur propinquus Salvatoris fecundum carnem fuiffe. Conftat namque quia Cleophas, cujus filius fuit frater Jofeph. Hic cum effet cxx. annorum crucifixus eft, tempore Trajani Imperatoris.

xi. *Kal.* Roma, fancti Gabini presbyteri tempore Diocletiani.

x. *Kal.* Depofitio fancti Eucherii confefforis.

ix. *Kal.* In Sicilia, natalis lxxix. martyrum.

viii. *Kal.* Apud Antiochiam, cathedra fancti Petri Apoftoli.

vii. *Kal.* Apud Syrmium, natalis fancti Severi monachi, qui tempore Maximiani Imperatoris, cum unius ex domefticis ejus uxorem per hortum, quem ipfe fibi excolebat, deambulantem acrius increpando repuliffet, jubente Maximiano tentus, & Chriftianum fe effe confeffus, capite cæfus eft.

vi. *Kal.* Natalis fancti Mathiæ Apoftoli, qui duodecimum Apoftolatus locum provide fortitus eft. Et inventio capitis Præcurforis.

v. *Kal.* Apud Ægyptum, natalis fanctorum Victorini, & Victoris, Nicophori, Claudiani, Diofcori, Serapionis, & Papiæ, qui fub Sabino duce perempti funt. Quorum primus in pilam ex robore cavam, & undique transforatam miffus, atque per fingula foramina diutiffime transpunctus, cum jam nimius fanguis efflueret, eductus de pila, capite cæfus eft. Secundus manibus ac pedibus amputatis, in eandem pilam miffus, priora tormenta fuftinuit, & noviffime gladio cæfus eft. Tertius cum ultro in pilam fuiffet ingreffus, indignatus dux juffit, eum inde perduci, & fuper craticulam prunis fubftratis affari. Cumque in confeffione perfifteret, fublatus inde, ac minutatim gladio concifus fpiritum reddidit. Reliqui quatuor, Claudianus & Diofcorus flammis incenfi, Serapion & Papias gladio confummati funt.

iv. *Kal.* In civitate Perfida, natalis fancti Neftorii Epifcopi, qui crucis patibulo martyrium confummavit. Alexandria, fancti Portunati.

iii. *Kal.* Apud Hifpaniam, civitate Hifpali, natalis fancti Leandri, ad quem B. Gregorius libros Moralium fcripfit. Et in Alexandria, fancti Juliani fenis & podagrici martyris.

ii. *Kal.* Natalis fancti Romani, Jurenfis Abbatis, qui primus illic heremiticam vitam duxit.

MARTIUS HABET DIES XXXI.
LUNA XXX.

* *Procedunt duplices in martia tempora pifces.* *Alio charactere.

Kal. Mar. Andegavis, depofitio fancti Albini Epifcopi, qui multis miraculis claruit. In Africa Donati martyris. Et fancti Leonis.

vi. *Non.*

vi. *Non.* Roma, sanctorum Jovini & Basilei, qui passi sunt sub Gallieno & Valeriano Imperatoribus.

v. *Non.* Natalis sanctorum martyrum Emiterii, & Celedonii: qui primum apud Legionensem urbem Galliæ (sic) milites, exurgente persecutionis procella, pro confessione nominis Christi plurimis afflicti tormentis, Calagurrim usque perducti, atque ibi martyrio coronati sunt. Euntes autem ad consummandæ victoriæ locum, alter anulum, alter orarium suum Deo munus obtulerunt: quæ statim in conspectu omnium circumstantium flatu portante suscepta, tamdiu cunctis mirantibus in sublime perlata sunt, donec penitus humanis visibus non parerent.

S. VVIGO iiii. *Non.* Roma, passio sancti Lucii Papæ, qui a Valeriano capite truncatus est. Et in Nicomedia, passio sancti Adriani martyris cum aliis xxx. tribus, quorum miræ passiones leguntur.

VII. EMBL. iii. *Non.* In Antiochia, passio sancti Focæ Episcopi & martyris.

III. EMBOL. ii. *Non.* Nicomedia, natalia sanctorum Victoris & Victorini, qui per triennium cum Claudiano & Bassa uxore ejus tormentis multis afflicti, & retrusi in carcerem, ibidem vitæ suæ cursum impleverunt. Et natalis sancti Quiriaci presbyteri.

NONAS. Apud Affricam, passio sanctorum Saturi, Saturnini, Revocati. Et Cartagine, natalis sanctarum virginum Felicitatis & Perpetuæ, quæ sub Severo principe bestiis sunt deputati. (sic)

PRIMA INCENSIO LUNÆ PASCHALIS. viii. *Id. Mar.* Natalis sancti Philemonis martyris, qui cum esset gentilis publicus coraula, postea ad fidem conversus, glorioso martyrio vitam finivit. Apud Cartaginem, sancti Pontii, diaconi sancti Cypriani Episcopi, qui usque ad diem passionis ejus cum ipso exilium sustinens, coronam vitæ promeruit.

vii. *Id.* In Sebaste, Armenia minore, xl. militum, tempore Licinii regis, sub præside Agricolao. Qui post vincula & carceres creberrimos, post cæsas lapidibus facies, missi sunt in stagnum, ubi gelu constricta corpora eorum, nocte disrumpebantur, & mane crurifragio martyrio consummarunt. Deinde corpora eorum combusta, & in fluvium sunt projecta. Sed divina dispensatione reliquiæ eorum integræ sunt repertæ, & honore digno conditæ. Erant autem nobiliores inter eos Quirion & Candidus.

vi. *Id.* Natalis sanctorum martyrum Alexandri & Gagi de Eumenia, qui apud Apamiam persecutione Antonini martyrio coronati sunt. Scribit Apollinaris Hierapolitanus Episcopus. Euseb. l. v. cap. xv.

v. *Id.*

iiii. *Id.* Roma, depositio sancti Gregorii Papæ & doctoris eximii. Et natalis sancti Innocentii confessoris. Nicomedia, natalis sanctorum Egdoni presbyteri, & aliorum vii. suffocatorum. Eodem die, apud Nicomediam, beati Petri martyris, cujus gloriosissimos agonea Historia Ecclesiastica narrat. Euseb. lib. viii. c. vi.

iii. *Id.* In Nicomedia, natalis sancti Macedonii presbyteri, & Patriciæ uxoris ejus, & filiæ Modestæ. Nicea civitate, natalis sanctorum martyrum Theusetæ & Horis filii ejus, Theodoræ, Nimpodoræ, Marci, Harabæ, qui omnes igni traditi sunt.

ii. *Id.* Apud Thessalonicam civitatem, natalis sanctæ Matronæ, quæ cum esset Plautillæ cujusdam Judææ ancilla, & occulte Christum colens, cotidie furtivis orationibus Ecclesiam frequentaret, deprehensa a domina sua, in scamno extensa & ligata, & pene usque ad mortem flagellata, atque ita vincta in scamno, obsignatis diligentissime januis per noctem relicta, ubi die altero divinitus soluta, & cum ingenti oris gratia orans inventa est. Rursumque nervis crudis in eodem scamno constricta, & loris quousque obmutesceret cæsa est. Ibique per triduum obsignatis januis relicta. Facta autem die tertia iterum soluta & orans inventa est. Tunc robustis fustibus usque ad mortem cæsa, in confessione Christi incorruptum spiritum reddidit.

IDUS.

xvii. *Kal. Apr.* Roma, natalis sancti Cyriaci diaconi, qui post longam carceris macerationem, quam sub Maxiano (sic) pertulit cum Sisinnio condiacono suo, & Smaragdo & Largo, post multa facta miracula, in quibus filiam Diocletiani Artemiam, ipsius rogatu a dæmonio liberavit, ac baptizavit cum ipso rege & aliis ccccxxx., rediens Romam post mortem Diocletiani, tentus est inter alios christianos a filio ejus Maximiano, & in custodiam missus, eo quod sororem suam Christianam fecisset. Deinde præcepit, ut die processionis suæ nudus catenis ligatus ante redam ejus traheretur. Et post hoc eductus est de carcere cum sociis Largo & Smaragdo, & Crescentiano per Carpasium Vicarium, pice liquata caput ejus perfusum est. Et rursus post dies iiii. eductus denuo de carcere, in catasta extentus, ac tractus nervis, & fustibus cæsus, post dies, jubente Maximiano, capite truncatus est cum Largo & Smaragdo & aliis xx. Scriptum in gestis Marcelli Papæ. Ipso namque die Maximianus interfecit sororem suam Artemiam.

xvi. *Kal.* In Scotia, natalis sancti Patricii Episcopi & confessoris, qui a beato Germano Autissiodorensium Episcopo edoctus, in Hibernia primus Christum evangelizavit. Nivigella monasterio, natalis sanctæ Gerdrudis virginis.

xv. *Kal.* Natalis sancti Alexandri Episcopi, qui de Cappadocia civitate sua veniens, cum Hierosolymam pergeret, sancto Narcisso Episcopo jam seni revelatum est, altera die mane intrare Episcopum, qui adjutor sacerdo-

talis cathedræ ejus esse deberet. Quod & factum est. Qui postea persecutione Decii, cum jam veneranda canitiu præfulgeret, ductus Cæsariam, & clausus carcere, martyrio coronatus est. Roma, sancti Pimenii martyris.

xiiii. *Kal.* Natalis beati Johannis heremitæ, qui de Syria veniens Italiam. *Cætera desunt*. In Bethleem, sancti Joseph nutritoris Domini.

xiii. *Kal.* Natalis, sancti Cuthberti Episcopi, cujus vitam Baeda (sic) presbyter plenam virtutibus scripsit.

ÆQUINOCTIV. SEDES EPACTARV ET PRIMUM PASCHA.

xii. *Kal.* In monte Casino, transitus sancti Benedicti Abbatis.

xi. *Kal.* Narbona, natalis sancti Pauli Episcopi & confessoris, Apostolorum discipuli, qui a beato Clemente cum sancto Dionysio & cæteris prædicatoribus verbi Dei Galliam missus est.

x. *Kal.* Natalis sanctorum Victoriani & Frumentii.

SEDES CONCURRENTIUM.

viiii. *Kal.* Roma, natalis sancti Pigmenii presbyteri. Hic Julianum apostatam a puero nutrivit, & sacris litteris erudivit: a quo postea ipse pro fide Christi necatus est.

viii. *Kal.* Annunciatio Dominicæ incarnationis. Eodem die, Hierosolima Dominus noster Jesus Christus crucifixus est. Roma, passio sancti Cirini, qui interfectus a Claudio, in Tiberim jactatus est. Et in pago Namnetico, insula, quæ dicitur antrum, depositio sancti Ermelandi confessoris. Apud Smirnam, natalis sancti Hirenei Episcopi, qui tempora Maximiani Imperatoris diversis tormentis afflictus, novissime capite truncatus est.

vii. *Kal.* In Sirmia, Montani presbyteri, & Maximæ uxoris ejus. Roma, sancti Castuli presbyteri, cujus mentio & passio legitur in passione sancti Sebastiani martyris. *Depositio sancti Liudgeri Episcopi & confessoris:* Alio charactere.

vi. *Kal.* Hierosolimis, Resurrectio Domini nostri Jesu Christi. Apud Ægyptum, beati Johannis heremitæ, qui prophetico spiritu Theodosio Imperatori victoriam de tyrannis prædixit.

v. *Kal.* Cæsarea Palæstinæ, sanctorum Prisci, Malchi, & Alexandri, qui persecutione Valeriani, bestiis devorati sunt.

iiii. *Kal.* Depositio beati Eustasii Abbatis, discipuli sancti Columbani. Qui pater ferme sexcentorum extitit monachorum, & vitæ sanctitate conspicuus, etiam miraculis claruit.

iii. *Kal.* Silvanectis civitate, natalis sancti Reguli Episcopi, qui ibidem primus verbum Dei prædicavit. Roma, sancti Quirini tribuni, qui tempore Trajani Imperatoris capite truncatus est, eo quod ad prædicationem sancti Alexandri Papæ, monitis Hermetis præfecti Christo credidisset.

ii. *Kal.* Roma, natalis sanctæ Balbinæ virginis, quæ fuit filia Quirini martyris.

APRILIS HABET DIES XXX. LUNA XXVIIII.

* *Respicis Apriles aries frixee Kalendas.* *Alio charactere.

Kal. April. In Thessalonica, natalis sanctorum Agapis & Chioniæ sub Diocletiano: primo in carcere maceratæ, post in ignem missæ sunt: sed post orationem ad Dominum fusam animas reddiderunt. Roma, sanctæ Theodoræ sororis sancti Hermetis. Sancti Venantii Episcopi & martyris.

iiii. *Non.* Natalis sancti Nicetii Lugdunensis Episcopi, cujus vita mirabilis claruit, & pretiosa mors miraculis nihilominus commendatur.

iii. *Non.* In Cæsarea Palæstinæ, passio sanctæ Theodosiæ virginis, quæ tempore Diocletiani, cum esset annorum xviii. ultro se sanctis confessoribus in custodia socians, tenta ab Urbano præfecto, & in eculeo cruciata: deinde ferro onusta, & in carcerem trusa, ubi virtute Dei omnia vincula disrupta sunt. Post hæc saxo alligata, in mare demersa est: sed mox litoribus incolumis reddita, martyrium capitis abscisione complevit.

ii. *Non.* Mediolano, depositio sancti Ambrosii Episcopi & confessoris.

NONAS. In Thessalonica, natalis sanctæ Herenæ virginis, quæ post tolerantiam carceris, inter orationes sagitta percussa est.

viii. *Id.* Roma, natalis sancti Sixti Episcopi, qui tempore Adriani passus est.

vii. *Id.* Hejesippi, viri sanctissimi & eruditissimi.

vi. *Id.*

v. *Id.* In Smirna, natalis vii. virginum; qui (sic) in uno meruerunt coronari. Apud Antiochiam, beati Procori diaconi, ab Apostolis ordinati, fide & miraculis præclarissimi viri, glorioso martyrio consummati, ibique quiescentis.

iiii. *Id.* Hiezechiel (sic) prophetæ. Et apud Romam, passio plurimorum martyrum, quos sanctus Alexander Papa in carcare baptizavit.

iii. *Id.* Roma, depositio sancti Leonis Papæ & confessoris.

ii. *Id.* Roma, depositio sancti Julii Episcopi & confessoris: qui sub Constantio Ariano, filio Constantini, decem mensibus tribulationes & exilia perpessus, post ejus mortem cum gloria Romam reversus est.

IDUS. In Calcadonia, natalis sanctæ Euphemiæ virginis. Hispania, Harmenegildi regis, qui jussu perfidi patris interfectus est. Scribit beatus Gregorius in Dialogorum libro.

xviii. *Kal. Mai.* Roma, natalis sancti Tiburtii, Valeriani, & Maximi.

xvii. *Kal.* In civitate Cordula, natalis sanctorum Olympiadis & Maximi nobilium. Qui jubente Decio, fustibus cæsi, & deinde plumbatis, ad ultimum decollati sunt.

xvi. *Kal.*

xvi. *Kal. Mai*.

SOL IN TAURUM. Epist. IX. xv. *Kal.* Apud Affricam, natalis sancti Mappalici martyris cum sociis suis. Scribit beatus Cyprianus.

xiiii. *Kal.* Roma, depositio sancti Eleutherii Episcopi. *Ob. Wigo prerbyter & monachus*. Alio charactere.

HUCUSQUE LUNA. XIV. xiii. *Kal.* Apud Corinthum, sancti Timonis diaconi de septem primis, qui a zelantibus Judæis, & nomen Christi blasphemantibus, apud Beroeam Græcis traditus, primo flammis est injectus, sed nihil læsus; deinde crucifixus martyrium suum complevit. Sepultus apud Corinthum gloriose.

xii. *Kal.* Autisiodoro, depositio sanctorum confessorum Mamertini & Mariani presbyterorum, quorum primus dum sacrificaret idolis, cæcitatem unius oculi & ariditatem manus pertulit; qui postea mirabilis (sic) visione admonitus beatum Germanum expetens, ab eo non solum baptismum percepit, sed & sanitatem promeruit, atque congregationi monachorum ipsius se socians, & vitæ sanctitate conspicuus extitit, & patri monasterii Alodio, qui tunc forte præerat, vitæ meritis successit. Alter vero in eodem monasterio non longo post tempore monachus fuit, cujus & vita mirabilis claruit, & mors pretiosa nihilominus miraculis refulsit.

xi. *Kal.* Evreduno, natalis sancti Marcellini, primi civitatis ipsius Episcopi & confessoris.

x. *Kal.* Roma, depositio sancti Gagi Papæ, qui cum Ecclesiam xi. annis, menses iiii. dies xii. rexisset, martyrio coronatus sub Dioclitiano principe cum Gavino fratre. Eodem die in Cordnia civitate, natalis Parmenii, Helime, & Crisotheli presbyterorum, & Lucæ, & Muci diaconorum de Babilonia: quorum primus, præcisa etiam lingua, loquebatur; omnes in aculeo suspensi, & nexibus arcti sunt. Deinde laminis ardentibus circum latera adpositis, ustulati & ungulis lacerati, ad ultimum gladio trucidati sunt, præsente persecutore Decio. Et in Lugduno civitate, natalis sancti Eppepodii martyris, qui persecutione Antonini post gloriosos xlviii. martyrum agones cum Alexandro carissimo collega tentus, ipso interim in carcere (sic) truso, primo os diris nugnorum ictibus cæsus, deinde aculei extensione vexatus, postremo martyrium capitis abscissione complevit. Senonas, depositio sancti Leonis Episcopi & confessoris.

viiii. *Kal.* Natalis sancti Georgii martyris. Et in Galliis civitate Valentia, natalis sanctorum Felicis presbyteri, Fortunati & Achillei diaconorum, qui a beato Hyreneo Lugdunensi Episcopo ad prædicandum verbum Dei missi, cum maximam partem supradictæ urbis ad fidem Christi convertissent, a duce Cornelio in carcerem trusi, deinde durissima nervorum flagellatione afflicti: post etiam revinctis post tergum manibus, renibus, cruribusque confractis, tandem gladio consummati sunt.

viii. *Kal.* Lugduno, natalis sancti Alexandri martyris, qui tertia die post passionem beati Eppepodii martyris perductus e carcere, primo ita laniatus, ut crate soluta, costarum patefactis visceribus, secreta animæ panderentur. Deinde crucis affixus patibulo, spiritum exalavit. Eodem die in Brittannia, natalis sancti Mellini Episcopi & confessoris.

vii. *Kal.* In Alexandria, natalis sancti Marci Evangelistæ.

vi. *Kal.* Roma, natalis sancti Cleti Papæ & martyris, discipuli sancti Petri Apostoli: qui persecutione Domitiani martyrio coronatus est. Et in eadem urbe, depositio sancti Marcellini Papæ: qui tempore Diocletiani pro fide Christi cum Claudio & Cirino & Antonino capite truncatus est. Cœnobio Centulæ, natalis sancti Richarii confessoris.

v. *Kal.* Apud Nicomediam, natalis sancti Antimi Episcopi & martyris.

iiii. *Kal.* Ravenna, sancti Vitalis martyris, qui fuit pater sanctorum Gervasii & Protasii martyrum.

iii. *Kal.* In Tuscia, natalis sancti Turpetis martyris. Hic magnus in officio Cæsaris Neronis fuit. Hunc vero cum cognovisset esse Christianum, primum ligatum ad columnam tamdiu jussit eum verberibus affici, quousque sanguis guttatim de corpore ipsius deflueret. Exinde feris objicitur, sed minime læditur: ad ultimum foras civitatem Pisanam ductus, decollatus est. In Alexandria, natalis sanctæ Teodoræ virginis, quæ sacrificare contemnens, in lupanar est missa: jamque adstante ad ostium cellulæ multitudine juvenum impudicorum, repente quidam ex fratribus plenus fide, Didimus nomine, divinitus inspiratus, sumptu militari habitu, primus lupanar irrupit, & sanctæ virgini, cur venisset exponens, illi militares imponit exuvias, ipse virginali veste induitur. Sic ergo egressa, & a nullo agnita, ad civitatem fugiens, evasit: Didimus vero præsidi exhibet omne factum, constanter exponens christianum se esse, excisoque capite igni traditus.

ii. *Kal.* Natalis sanctorum martyrum Mariani lectoris, & Jacobi diaconi. Eodem die apud Sanctonos, natalis sancti Entropii Episcopi & martyris, qui a beato Clemente in Gallias directus, insurgentibus in eum paganis, quos auctor invidiæ credere non permisit, infixa capiti ejus securi occubuit.

MAJUS HABET DIES XXXI.
LUNA XXX.

* *Majus agenorei miratur cornua tauri*. *Alio charactere.

Kal. Mai. In Africa, Hierapoli, natalis sancti Philippi Apostoli. Hierosolimis, passio D.

san-

ſancti Jacobi Apoſtoli, fratris Domini. Et ſancti Quiriaci Epiſcopi, qui ante Judas vocatus eſt. Autiſiodero, natalis ſancti Amatoris Epiſcopi, magnarum virtutum viri. Eodem die, paſſio ſancti Sigiſmundi regis & martyris, qui a Francis interfectus, & in quodam puteo projectus eſt.

VI. *Non.* Natalis ſancti patris noſtri Athanaſii, Alexandriæ Epiſcopi & confeſſoris.

V. *Non.* Hieroſolima, inventio ſanctæ Crucis. Roma, paſſio ſanctorum Alexandri Epiſcopi, Eventii presbyteri, & Theodoli presbyteri.

IIII. *Non.* Autiſſiodero, depoſitio & tranſlatio corporis ſancti Corcodomi diaconi, qui cum eſſet ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus, a beato Sixto Papa diaconus ordinatus eſt: & cum ſancto Peregrino Epiſcopo Galliam ad prædicandum verbum Dei miſſus. Nicomedia, natalis ſanctæ Antoniæ martyris, quæ nimium torta, & variis cruciatibus afflicta, uno brachio tribus diebus ſuſpenſa, & in carcere biennio truſa a Priſcilliano præſide, ad ultimum flammis exuſta eſt. Et in Norico ripenſe, loco Lauriaco, natalis ſancti Floriani, qui præſidis juſſu, ligato ad collum ejus ſaxo, in flumen præcipitatus eſt: ſed mox præcipitantis oculi, mirantibus omnibus, crepuerunt.

III. *Non.* Autiſſiodero, paſſio ſancti Joviniani lectoris & martyris: qui cum beato Peregrino Epiſcopo & martyre, imperio Sixti Papæ Antiſſiodorum veniens, cum eſſet vir per omnia eloquens, & in divinis ſcripturis egregie eruditus, dum ſuperſtitionibus paganorum fortiter reſiſteret, tentus eſt, atque in Chriſti confeſſione perdurans, ab eis interemptus. Scriptum in paſſione ſancti Peregrini.

II. *Non.* Natalis ſancti Evodii, qui ab Apoſtolis Antiochiæ Epiſcopus primus ordinatus eſt. De quo beatus Ignatius ita ſcribit ad Antiochenam Eccleſiam: *Mementote, digne beatiſſimi Evodii patris veſtri, qui primus vobis ab Apoſtolis antiſtes ordinatus eſt* &c. quæ ſequuntur. Hic glorioſo martyrio vitam finivit. Autiſſiodero, depoſitio ſancti Valeriani Epiſcopi & confeſſoris, qui tertius poſt beatum Peregrinum Epiſcopum, cum multos ad fidem converteret, quodam tempore cum a progenitoribus ſancti Amatoris ad ejus fuiſſet nuptias rogatus, videlicet ut eas ſua benedictione confirmaret, Dei nutu arrepto Sacramentorum libello utroſque levitico gradui mancipavit. Eodem die natalis ſancti Johannis Apoſtoli ante portam Latinam: qui ab Epheſo juſſu Domitiani Romam perductus, & præſente Senatu, ante portam Latinam in ferventis olei dolio miſſus eſt: ſed minime læſus: ubi feſtum concurſum uſque hodie fideles populi faciunt.

Epiſt. ad Antioch.

NONAS. Arelato, depoſitio ſancti Hilarii Epiſcopi & confeſſoris, a quo magnus & venerabilis pater ſanctus Germanus Autiſſioderenſis Epiſcopus Arelas adveniens, valde honorifice, ut tantum virum decebat, ſuſceptus eſt. Natalis ſanctæ Domitillæ virginis, quæ cum eſſet Flavii Clementis conſulis ex ſorore neptis, a ſancto Clemente ſacro velamine conſecrata, perſecutione Domitiani, pro Chriſto in inſulam Pontianam exilio deportata, noviſſime tempore Trajani igne conſumpta eſt.

VIII. *Id. Mai.* In Sanctonico pago, Vertavenſe monaſterio, natalis ſancti Martini presbyteri & confeſſoris. Mediolano, natalis ſancti Victoris martyris, qui natione Maurus, & a primæva ætate chriſtianus, cum eſſet in caſtris Imperialis miles, cum ſacrificare idolis nollet, jubente Maximiano Imperatore, multis ſuppliciis tortus, ad ultimum decollatus eſt. Autiſſiodero, depoſitio ſancti Eladii Epiſcopi & confeſſoris.

VII. *Id.* Conſtantinopoli, natalis ſancti Timothei, quando ab Epheſo ejus ſacra oſſa delata ſunt.

VI. *Id.* Roma, paſſio ſanctorum martyrum Gordiani & Epimachi. Et in eadem urbe, natalis ſancti Calepodii ſenis presbyteri, ſub Alexandro Imperatore, qui cum fecit occidi a Laodicio, & corpus trahi per civitatem, atque in Tiberim jactari.

V. *Id.* Vienna, depoſitio ſancti Mamerti Epiſcopi, cujus inſtitutione in Galliarum Eccleſias (ſic) excrevit conſuetudo tribus diebus ante Aſcenſionis Dominicæ diem ſollempne jejunium celebrare.

IIII. *Id.* Roma, natalis ſanctorum Nerei & Achillei martyrum: qui a beato Petro Apoſtolo baptizati ſunt, & fuerunt eunuchi beatæ Domitillæ: quique cum ea apud inſulam Pontiam longum pro Chriſto duxerunt exilium. Sed poſtmodum ab ejus ſponſo Aureliano, quem ipſa ſpreverat, decollati ſunt. Et ſancti Pancratii, qui cum eſſet annorum XIIII. ſub Diocletiano martyrium capitis detruncatione complevit.

III. *Id.* Autiſſiodero, depoſitio ſancti Marcelliani Epiſcopi, ſucceſſoris ſancti Peregrini. Eodem die, natalis ſancti Servatii Trejectenſis Epiſcopi.

II. *Id.* In Ægypto, depoſitio ſancti patris Pachomii Abbatis, qui ſcripſit monaſteriorum regulas, quas Angelo dictante didicerat. Et in Siria, natalis ſanctorum Victoris & Coronæ, ſub Antonino Imperatore, & Sebaſtiano duce: quorum primus omni genere tormentorum afflictus, ad ultimum decollatus eſt. Corona autem duobus (ſic) arboribus ad invicem curvatis, pedibus & manibus colligata, arboribus in proprium ſtatum redeuntibus, in duas partes diviſa eſt.

IDUS. Apud inſulam Chium, natalis ſancti Yſidori martyris: in cujus baſilica extat puteus, in quo eſſe fertur projectus. De cujus aqua energumeni febricitanteſque, vel reliqui infirmi ſæpius potati, ſalvantur. Et in Lac

moſaco

mosaco civitate, passio sanctorum Petri & Andreæ: quorum miræ passiones leguntur.

XVII. *Kal. Jun.* Autissiodero, vico Baugiaco, passio sancti Peregrini Episcopi & martyris: qui a beato Sixto, Romæ Episcopus ordinatus, cum omni ministrorum officio Galliam ad prædicandum verbum Dei gentibus ab eo missus est. Autissioderum autem perveniens, cum multos ad fidem Christi ibidem convertisset, quadam die cum Interamnum perrexit, ubi tunc temporis diversorum numinum portenta venerabantur. Cumque cœpisset Christum publica voce prædicare, a ministris templorum tentus, & diversis suppliciis afflictus, deinde apud Baugiacum obscurissimo carceri mancipatus, ad ultimum capitis abscissione gloriosum complevit martyrium. Tricassino pago, natalis sancti Fidoli presbyteri & confessoris.

XVI. *Kal.* Papia, natalis sancti Siri Episcopi & confessoris.

SOL IN GEMINOS. XV. *Kal.* In Ægypto, passio sancti Dioscori lectoris, qui multa passus, novissime laminis ardentibus adustus, martyrium consummavit.

XIV. *Kal.* Roma, natalis sanctorum Calocerii & Parteni eunchorum uxorum (sic) Decii Imperatoris: qui cum esset unus ex his præpositus cubiculi, alter primicerius, nolentes sacrificare idolis, a Decio occisi sunt: & requiescunt in cimiterio juxta viam Appiam. Eodem die, natalis sanctæ Potentianæ virginis.

XIII. *Kal.* Romæ, natalis sanctæ Basillæ virginis: quæ cum esset ex regio genere, credidit Christo per beatam Eugeniam, quod audiens Gallienus decrevit, ut, aut sponsum suum nomine Pompejum reciperet, aut gladio interiret; quæ cum respondaret, se regem regum sponsum habere, qui est Christus filius Dei, gladio transverberata est. In civitate Nemauso, natalis sancti Baudelii, qui a pagania Deorum suorum sacrificia celebrantibus comprehensus, cum sacrificare nollet, & in fide Christi immobilis inter verbera & tormenta persisteret, martyrii palmam gloriosa morte percepit. Bituricas, depositio S. Austregesili Episcopi. In basilica sancti Germani Autissioderensis, dedicatio subteriorum criptarum: & in occidentali parte ejusdem basilicæ, consecratio oratorii S. Johannis Baptistæ.

XII. *Kal.* Autissiodero, depositio S. Valis presbyteri & confessoris.

XI. *Kal.* Autissiodero, natalis sanctæ Helenæ virginis, quæ, sicut in gestis S. Amatoris Episcopi legimus, & multimoda meritorum virtute claruit, & miraculis effulsit. In Africa, Casti & Emilii, qui per ignem passionis martyrium consummavit. Scribit Cyprianus in libro de Lapsis. De lapsis cap. VI. Et apud Corsicam, natalis sanctæ Juliæ, quæ crucis supplicio coronata est.

X. *Kal.* Apud Lingones, passio sancti Desiderii Episcopi, qui cum plebem suam ab exercitu Wandalorum vastari cerneret, ad regem eorum pro ea supplicaturus exivit, a quo statim jugulari jussus, pro ovibus sibi creditis cervicem libenter tetendit, & percussus gladio migravit ad Christum. Percussor vero ejus mox amentia correptus interiit.

IX. *Kal.* Namnetis, natalis sanctorum Rogatiani & Donatiani germanorum & martyrum. ÆSTAS ORIT. ULTIM. TER. ROG. D.

VIII. *Kal.* Mediolano, natalis sancti Dionysii Episcopi & confessoris, qui ab Imperatore Constantio Arriano apud Cappadociam pro fide catholica damnatus exilio, ibidem requievit. Reliquias corporis ejus per sanctum Basilium præfatæ urbis Episcopum receptas, beatus Ambrosius condigno honore condidit. Roma, natalis sancti Urbani Papæ & martyris.

VII. *Kal.* Autissiodero, loco Quotiaco, passio sancti Prisci cum sociis suis, innumera martyrum multitudine, tempore Aureliani Imperatoris, sub Alexandro præside. Qui cum Christum negare cogerentur, & idolis sacrificare, atque illi nequaquam adquiescerent, sed magis Deum verum esse proclamarant, mox a gladiatoribus interempti, atque in puteum jactati sunt. Unus autem ex commilitonibus Quottus nomine, arripiens caput sancti Prisci fugam iniit, sed insequentibus eum pagania, & ipsa vitam pretiosa morte finivit. Et in Brittannia, depositio beati Augustini, Anglorum Episcopi.

VI. *Kal.* Apud Mesiam civitatem, natalis sancti Julii: qui cum esset veteranus & emeritæ militiæ, comprehensus ab officialibus, & Maximo præsidi oblatus, cum nollet sacrificare idolis, & nomen Domini Jesu Christi constantissima confiteretur, decollatus est. In civitate Arausica, sancti Eutropii Episcopi, cujus vitam illustrem Verus Episcopus plenam virtutibus descripsit. In pago Atrebatense, depositio sancti Ragnulfi Episcopi.

V. *Kal.* Roma, depositio sancti Johannis Papæ, quem quia orthodoxus erat, Teodericus Rex Arrianorum in Ravenna custodia detentum, ad mortem usque perduxit. Parisius, depositio sancti Germani Episcopi & confessoris.

IV. *Kal.* Natalis sanctorum martyrum Sisinni atque Alexandri; qui in Anauniæ partibus, persequentibus gentilibus viris, martyrii coronam adepti sunt. Quorum reliquias, cum postmodum Mediolanenses susciperent, quidam cæcus adveniens, tacto loculo, lumen recepit, ut scribit sanctus Paulinus in vita beati Ambrosii. Treveris, depositio sancti Maximini Episcopi, a quo Athanasius persecutionem Constantii fugiens honorifica susceptus est.

III. *Kal.* Antiochia, natalis sanctorum Isicii & Palatini, qui multa tormenta passi sunt.

II. *Kal.*

II. *Kal.* Ruioa, uatalis fanctæ Petronellæ virginis, quam cum quidam Romanorum in conjugio accipere vellet, ipfa acceptis triduo induciis, orando impollutum Dumino reddidit fpiritum. Et fanctorum Cantii, Cantiaui, & Cantianillæ virginis. Qui germana nobilitate infignes, etiam martyrii gloriam confecuti funt.

JUNIUS HABET DIES XXX. LUNA XXIX.

*Alio charactere.

* *Junius æquatos cœlo vidit ire locanas.*

KAL. JUNII. Apud Cæfaream Palæftinæ, natalis fancti Pamphili presbyteri, admirandæ fidei, & fanctitatis viri: qui fub perfecutione Maximini martyrio coronatus eft, cujus vitam Eufebius Cæfarienfis Epifcopus
De Scrip. Ecclefiaft. cap. LXXV. tribus libris comprehendit. Sed & B. Hieronymus fcribit, quædam volumina manu ejus exarata fe repperiffe: *Quæ tanto*, inquit, *amplector & fervo gaudia, ut Chræfi oper habere me credam.* Commemoratio fancti Nieumedis.

IV. *Nonas.* Roma, uatalis fanctorum Marcellini & Petri gloriofiffimorum martyrum. Lugduni, paffio fauctorum XL. & octo mar-
Eufeb. l. v. cap. II. & III. tyrum, fub Antoninu Imperatore. Scriptum in Hiftoria Ecclefiaftica libro quinto.

III. *Nonar.* Aurelianis, vico Maiduno, natalis fancti Lifardi presbyteri & confefforis. Et in Campania, natalis fancti Herafmi Epifcopi & martyris: qui fub Diocletiano omni genere tormentorum afflictus, gloriofo martyrio coronatus eft.

II. *Nonar.* Apud Illiricum, civitate Sifcia, oatalis fancti Quirini Epifcopi, qui perfecotiooe Maximiani, pro fide Chrifti ligato ad manum molari faxo, lu flumen præcipitatus eft. Et cum circumftantibus diu conlocutus, ne ejus terrerentur exemplu: vix precibus ut mergeretur obtinuit.

NONAS. Paffio fancti patris noftri Bonifatii, viri Apoftolici, & omni fapientia adornati: qui de Anglorum gente nobilem ducens originem, ibidem in fancto propufito educatus, & doctrioa nihllominus infignis fuit, & miraculis elaruit. Poftea vero divina admonitus pietate, Germauiæ fiues adiit, Francorum gentem divarfis errorum laqueis irretitam nobiliter inftruxit, & hæreticorum pravitates inftantiffime fuperavit. Evangelica etiam doctrina adeo præcipuus extitit, ot Apoftolorum tempora in ejus prædicatione laudares. Itaque meritis illius circumquaque clarefcentibus, a viro fanctiffimo Gregorio Papa Romano accerfitus; ad illuminationem totius Germaniæ traufmiffus, & ab eodem Epifcopus ordinatus, in eivitate, quæ Moguntia dicitur, Pontificatus honore meruit fublimari. Ibi ioter homines conftitutus angelicam vitam exercuit. Francorum gentem, Thuringorum, & Saxonum populos Deo adquifivit, & in omni fanctitate gloriofiffimus fuit. Noviffime ergo com multos ex Frefonibus Chriftianæ Religioni fubjugaffet, a paganis, qui fupererant, gladio peremptus, eum martyrii gloria migravit ad cæleftia regna, corpufque illius comitaote fidelium maxima turba, ad Fuldeufe monafterium, quod ipfe fibi in folitudine Bocnnia conftruxerat, cum magnis Dei laudibus tranfportatum, & condigoo honore tumulatum, miraculis ibidem plurimis claret. Paffi funt autem cum eo & alii ex clero ejus viri religiofi, presbyteri, diacones, & monachi: fed nobiliores iuter eos fuerunt Eobanus Epifcupus, & Adalharius Sacerdos; qui primitus in monafteriu, quod Trieth nuuinatur, honorabilem meruernot fepulturam; fed emergentibus annis, etiam ipfi Fuldam traoslati, in Eeclefia Domini Salvatoris juxta corpus fancti paftoris fui & martyris Chrifti Booifatii fatis pulcherrime requiefcunt.

VIII. *Id. Jun.* Natalis fancti Philippi apud Cæfaream, qui fuit unus de feptem diaconibus primis, ab Apoftolis ordioatis.

VII. *Id.* Conftantinopoli, natalis S. Pauli ejufdem civitatis Epifcopi: qui tempore Arrianæ perfidiæ, a Conftantino Imperatore apud civitatulam quandam Capaduciam (fic) Cucufam nomine, ob catholicam fidem, pulfus exilio, Arriauorum infidiis crudeliter ftrangulatus, ad cæleftia regna migravit.

VI. *Id.* Sueffionis civitate, depofitio fancti Medardi Epifcopi & confefforis.

V. *Id.* Roma, natalis fanctorum Primi & Feliciani martyrum: qui tempore Diocletiani ferru vincti, & in carcere miffi funt: ubi adfuit eis angelus Domini, qui eos confolaretur. Poft aliquot vero dies virgis cæfi, & in eculeo lampadibus adofti, & diutiffime torti, ad ultimum decollati fuot. . D. OBIIT XVOGGI ABBA.

IV. *Id.* Autiffiodero, depofitio S. Cenfurii Epifcopi & eoofefforis.

III. *Id.* Natalis fancti Barnabæ Apoftoli, qui cum beato Paulo Apoftolo diverfis provinciis evangelizavit.

II. *Id.* Roma, uatalis fanctorum Bafilidis, Cyrioi, Naboris, & Nazarii martyrum. Et Octab. fancti Bonifatii Archiepifcopi & martyris.

IDUS. Natalis fanctæ Feliculæ, quæ fuit conlactanea fanctæ Petronellæ virginis.

XVIII. *Kal. Jul.* In territorio Sueffionis, oatalis fanctorum Valerii & Rufi martyrum: qui Romæ quidem orti, fed in Gallia gloriofo funt martyrio coronati.

XVII. *Kal.* In Sicilia, uatalis SS. Viti & Modefti martyrum.

XVI. *Kal.* In Antiochia, Cirici, & Julitæ matris ejus cum aliis CCCCIV. martyrum, fub Alexandro duce: quorum primus poft dira verbera, etiam calcem cum aceto, & finapi in os ac-

os accepit, deinde evulsis oculis, decalvati & excoriati, super carbones in lecto æreo assati, & ad ultimum decollati sunt. Eodem die, Ferreoli presbyteri, & Ferrutionis diaconi in civitate Vesoncensi. Qui sub Claudio judice ad trocleas extenti, & flagellati: deinde in carcerem reclusi, & manu amputatis linguis prædicabant verbum Dei. Post hoc subulæ xxx. utrisque infixæ in manibus & pedibus. Ad ultimum pectore gladio feriuntur.

SOL IN CANCRV. xv. *Kal.* Aurelianis, depositio sancti Aviti presbyteri & confessoris, qui cum esset monachus, heremum expetiit. Ubi aliquanto commoratus, etiam miraculis claruit: ac postea glorioso fine in pace quievit.

✠ ● HEMNO ✠ xiv. *Kal.* Roma, natalis sanctorum Marci & Marcelliani martyrum. In Alexandria, natalis sanctæ Marinæ virginis, quæ multis suppliciis pro fide Christi macerata est.

xiii. *Kal.* Mediolano, passio SS. Gervasii & Protasii martyrum.

xii. *Kal.* Roma, natalis sancti Novati, fratris Timothei presbyteri, qui a beatis Apostolis eruditi sunt. Scriptum in passione sanctæ Praxedis virginis.

xi. *Kal.* Cæsarea Palæstinæ, natalis sancti Eusebii Episcopi, Historiographi. *In civitate Maguntia, natalis sancti Albani martyris.* Alio charactere fere suppari.

x. *Kal.* Item in Brittannia, natalis sancti Albani martyris, qui tempore Diocletiani post verbera, & tormenta acerbia (sic) capite plexus est. Ad cujus sepulchrum cum Germanus Autissioderensium sacratissimus Pontifex quodam tempore advenisset, oratione facta, illud revelli præcepit. Ubi diversorum sanctorum reliquias, quas habebat secum, recondens, ipsius secum portaturus abstulit. Ubi & eadem die multa gentilium turba ejus prædicatione ad fidem conversa est. Scriptum in historia Anglorum. Et in Nola civitate, natalis sancti Paulini Episcopi & confessoris: qui se temporibus Wandalorum pro filio cujusdam viduæ in servitutem tradens, & terribili visione regi eorum quis esset agnitus, reddita sibi omni captivitate civitatis suæ, & onustis frumento navibus, cum ingenti gloria ad sedem suam reversus est.

ix. *Kal.* In Brittannia, natalis S. Ædiltrudæ virginis.

viii. *Kal.* Nativitas præcursoris Domini nostri Jesu Christi.

HOLF RAH. ● vii. *Kal.* Roma, natalis sanctæ Luceiæ virginis, & Aciæ regis barbari.

● . SUNZO EPS. vi. *Kal.* Roma, natalis sanctorum Johannis & Pauli martyrum.

v. *Kal.* In Oja monasterio, natalis sancti Florentii confessoris. Apud Galatiam, beati Crescentii Episcopi, discipuli sancti Pauli Apostoli: qui & in Gallias transitum faciens, multos ad fidem Christi convertit.

iv. *Kal.* Roma, natalis sancti Leonis Papæ. Lugduno, natalis sancti Hirenei Episcopi, qui persecutione Severi, post multa tormenta, inter quæ ab angelo meruit confortari, gloriosam martyrii accepit coronam.

iii. *Kal.* Roma, natalis sanctorum Apostolorum Petri & Pauli.

ii. *Kal.* Limovicas, natalis sancti Martialis Episcopi & confessoris.

JULIUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

** Solstitis ardentis cancifer Julius austrum.* * Alio charactere.

KAL. JULII. Natalis Carelessi presbyteri & confessoris. Ingolisma civitate, depositio sancti Ebarchii Episcopi & confessoris.

vi. *Non.* Roma, natalis sanctorum Processi & Martiniani martyrum, qui a beatis Apostolis Petro & Paulo baptisati & instructi sunt.

v. *Non.* In India, passio sancti Thomæ Apostoli. Eodem die, natalis sancti Gregorii Episcopi, & martyris: qui, ut liber historiæ Ecclesiasticæ refert, doctrina & miraculis clarus fuit. Hic quoddam stagnum, pro cujus piscibus duo fratres inter se litigabant, cum eos pacificare non posset, mox orando arefecit, & arentem campum germanis jam concordibus dereliquit. Euseb. lib. vii. c.xxviii.

iv. *Non.* Turonis, ordinatio Episcopatus & translatio corporis sancti Martini Episcopi. Bituricas, vico Væstenno, passio sancti Laurian Hispalensis Episcopi & martyris: qui cum a persecutoribus esset interemptus, corpus quidem ibidem sepultum, sed caput Hispaniam ad propriam sedem est destinatum.

iii. *Non.* Romæ, Zoæ uxoris Nicostrati.

ii. *Non.* Octab. Apostolorum. Eodem die, Roma, natalis Tranquillini patris sanctorum Marci & Marcelliani martyrum. Et sancti Goaris confessoris.

NONAS. Alexandria, sancti Panteni viri Apostolici, & omni sapientia adornati.

viii. *Id. Jul.* In Palestina, natalis sancti Procopii, qui ab Schthopoli (sic) ductus Cæsaream, ad primam responsionum ejus confidentiam, irato judice Fabiano, capite cæsus est. *In Germania sancti Kiliani martyris & sociorum ejus.* Alio charactere, sed fere suppari.

vii. *Idus.* In civitate Tyræ, natalis sanctorum Anatholiæ & Audacis, sub Decio Imperatore: quorum Anatholia cum multos in Piceno infirmos curasset, ducta est, jubente Festiano, ad civitatem Tyræ, & diversis plagarum generibus vexata, ad ultimum gladio transverberata, cum staret in oratione extensis manibus occubuit. Audax vero ob confessionem veritatis in custodiam missus, nec mora capitali sententia coronatus est. Eodem die, depositio sancti patris nostri Effrem diaconi & heremitæ. Eodem die, Cirilli Episco-

pi, qui flammis injectus, inlæsus evasit. Sed postea decollatus est.

vi. *Id.* Romæ, natalia vii. fratrum, idest Falicis, Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri, Silani, & Januarii. In cœnobio sancti Germani Autissiodorensis, consecratio altaris sancti Aniani Episcopi & confessoris.

v. *Id.* In Floriaco monasterio, depositio corporis sancti Benedicti Abbatis. In Armenia minore, civitate Nicopoli, natalis sanctorum martyrum Januarii & Pelagiæ, qui æculeo, ungulis, & testarum fragmentis diebus quatuor cruciati, martyrium impleverunt.

DIES CANICUL. iiii. *Id.* Mediolano, natalis sanctorum Naboris & Felicis. In quorum basilica sanctus Ambrosius corpora martyrum Gervasii & Protasii, Domino revelante, invenit.

iii. *Id.* In Antiochia, passio sanctæ Margaritæ virginis & martyris. Apud Affricam, natalis sancti Eugenii Carthaginensis Episcopi, fide & miraculis gloriosi.

ii. *Id.* Natalis sancti Focati Episcopi Ponti: qui sub Trajano Imperatore, præfecto Africano, carcerem, vincula, ferrum, ignem etiam pro Christo superavit.

IDUS. Natalis sancti Jacobi Niceni (sia) Episcopi: qui in corpore multa signa fecit, suamque civitatem sæpe a multo discrimine precibus liberavit.

xvii. *Kal.* In civitate Hostiæ, natalis sancti Hilarini, qui sub persecutione Juliani cum nollet sacrificare, fustibus cæsus, martyrium sumpsit.

xvi. *Kal.* In Cartagine, natalis sanctorum martyrum Scillitanorum, idest Sperati, Martialis, Cithii, Vectorii, Felicis, Aquilini, Lactantii, Januarii, Generosi, Honestæ, Donatæ, & Secundæ, sub Saturnino præfecto. Qui post primam confessionem in carcerem missi, & in ligno confixi, & mane gladio decollati sunt. Autissiodoro, depositio Theodosii Episcopi, qui cum rexisset Ecclesiam suam annos xxviiii. & dies viii. tandem in pace quievit, & sepultus est in Ecclesia sancti Germani Episcopi.

SOL IN LEONE. xv. *Kal.* Mettis, natalis sancti Arnulfi Episcopi, qui vitæ sanctitate perspicuus, etiam miraculis claruit.

xiiii. *Kal.* Natalis sancti patris nostri Arsenii, de quo in verbis seniorum refertur, quia propter redundationem lacrimarum tergendam, sudarium semper in manu, vel in sinu habuerit. Et apud Hispaniam, Hispali civitate, natalis sanctarum Justæ & Rufinæ: quæ a Diogeniano præside comprehensæ, aculei extensione extensæ, & ungularum laniatione vexatæ sunt. Deinde in carcerem trusæ, tanta sunt inedia afflictæ, ut ibi Justa spiritum exalaret, Rufina vero, confracta cervice, igni tradita est.

xiii. *Kal.* Natalis beati Joseph, qui cognominatus est justus.

xii. *Kal.* Natalis sanctæ Praxedis virginis. Et apud Tiburtinam Italiæ civitatem, natalis sanctæ Simphorosæ cum septem filiis, cum quibus simul passa est ab Adriano principe, qui ipsam jussit palmis cædi, deinde suspendi crinibus. Sed cum superari nullatenus posset, jussit alligato saxo in fluvium præcipitari, cujus frater Eugenius curiæ principalis Tiburtinæ colligens corpus ejus sepelivit. Et mane Imperator jussit, septem figi stipites, ibique filios ejus ad trocleas extendi. Et Crescentem in gutture transfigi, Lucianum in pectore, Nemesium in corde, Primitivum per umbilicum, Luscinum per membra distensum scindi per singulos corporis nodos atque juncturas, Stacteum lanceis innumerabilibus, donec moreretur, in terram configi, Eugeolum findi a pectore usque ad inferiores partes. Eodem die in Galliis, civitate Massilia, natalis sancti Victoris, qui tempore Diocletiani cum esset miles, nec militare vellet, nec sacrificare, multis plagis afflictus, martyrium consummavit.

xi. *Kal.* Natalis sanctæ Mariæ Magdalenæ. In Fontanella monasterio, depositio sancti Wadragesili Abbatis. In Philippis, natalis beatæ Siotichen, de qua beatus Paulus Apostolus ad Philippenses scribit: *Evodiam rogo, & Sintichen deprecor idipsum sapere in Domino.* Philipp. iv.

x. *Kal.* Ravennæ, natalis sancti Apollinaris martyris, qui a beato Petro Apostolo Episcopus ordinatus, sed postmodum sub Vespasiano Cæsare glorioso martyrio est coronatus. Natalis sancti Liborii confessoris.

viiii. *Kal.* In Tyro civitate, natalis sanctæ Christinæ virginis, quæ multis suppliciis afflicta, post abscissionem linguæ, etiam sagittis confixa, cursum martyrii sui complevit. Apud Emeritam, Hispaniæ civitatem, natalis sancti Victoris, qui multa tormenta passus est cum duobus fratribus Stercatio & Antinogeno.

viii. *Kal.* Natalis sancti Jacobi Zebedei, Apostoli. Et in Licia, civitate Samon, natalis sancti Christophori, qui virgis ferreis attritus, & a flammis incendii Christi virtute salvatus, deinde sagittarum ictibus confossus, ad ultimum decollatus est. Barchinona civitate, natalis sancti Cucuphatis martyris, qui post plurima tormenta carceris, verberum, laminarum ardentium, ad ultimum decollatus est.

vii. *Kal.* Romæ, natalis sancti Jacinti, qui missus in ignem, sed minime læsus, tandem jussit Leontius consularis militibus, ut eum comprehensum gladio ferirent.

vi. *Kal.* Apud Nicomediam, natalis sancti Ermelai presbyteri, cujus doctrina beatus Pantaleon ad fidem conversus est. Qui tentus a Maximiano, capitali sententia punitus est. In Siria, natalis sancti Symeonis monachi. Et. ....

v. *Kal.*

v. *Kal.* Nicomedia, passio sancti Pantaleonis, qui jubente Maximiano, eculei, & lampadum exustione cruciatus, sed inter hæc, Domino sibi apparente, refrigeratus, tandem ictu gladii martyrium consummavit. Eodem die, natalis sancti Innocenti. Mediolano, passio sanctorum Nazarii Episcopi, & Celsi pueri martyrum.

IIII. *Kal.*

III. *Kal. Aug.* Roma, natalis sanctorum Abdon & Sennes martyrum. Autissiodero, depositio sancti Ursi Episcopi, qui rexit Ecclesiam suam annos VI. menses IIII. & plenus sanctitate quievit in pace, sepultusque est in Ecclesia beati Germani Episcopi. Eodem die vigilia ejusdem sancti ac beatissimi Germani Episcopi & confessoris.

II. *Kal. Aug.* Ravenna, transitus sancti Germani, viri Apostolici, doctoris Ecclesiæ mirabilis, & omni sapientia adornati: qui multis virtutibus, doctrina, & continentia clarus, etiam Brittonum fidem per duas vices a Pelagiana hæresi defendit: atque exinde ad Ravennam pro pace Armoricanæ regionis obtinenda veniens, a Valentiniano & Placidia ejus matre gloriose susceptus est. Ubi & inter cætera virtutum suarum insignia, etiam cujusdam Volusiani adolescentem puerum a morte resuscitavit, atque tandem, Domino sibi apparente, gloriosa morte temporalem vitam relinquens, ætherea regna conscendit.

AUGUSTUS HABET DIES XXXI. LUNA XXVIIII.

Augustum mensem leo fervidus igne perurit. (*Alio charactere.)

KAL. AUG. Roma, festivitas sancti Petri Apostoli, quando liberatus est a vinculis. Passio VII. fratrum Machabeorum. In civitate Vercellis, passio sancti Eusebii Episcopi: qui moventibus persecutionem Arrianis sub Constantio martyrium passus est. In Hispaniis, Gerunda civitate, passio sancti Felicis martyris: qui tempore Maximiani Imperatoris a Rufino præside pro fide Christi primo cæsus, deinde in carcerem missus, ubi & angelica visione confortatus est. Exinde ungulis usque ad ossa laniatus, tamdiu vulnera vulneribus sunt addita, donec spiritum exalaret.

IIII. *Non.* Roma, natalis sancti Stephani Papæ & martyris. In Nicea civitate, passio sanctæ Theodotæ, quæ cum tribus filiis suis igne consumpta est. Scriptum in passione sanctæ Anastasiæ.

III. *Non.* Inventio corporis sancti Stephani protomartyris, & Nicodemi, & Gamalihelis, & Abibon, quæ Luciano presbytero a Domino revelata, & Hierosolymis sunt translata.

II. *Non.* Roma, natalis sancti Justini presbyteri, qui multorum martyrum corpora sepulturæ tradidit.

NONAS. Catalaunis, natalis sancti Memmii Episcopi primi civitatis ipsius. Augustiduno, natalis sancti Cassiani Episcopi & confessoris, qui primum Hostiensi Ecclesiæ Episcopus ordinatus, sed postmodum amore peregrinationis Æduam veniens, ibidem in pace quievit. Ad cujus sepulcrum cum quodam tempore beatæ memoriæ sanctus Germanus Episcopus advenisset, quod est ad dicendum mirabile, mutua confabulatione ad invicem sunt locuti.

VIII. *Id. Aug.* Roma, natalis sancti Sixti Papæ, & Pelicissimi & Agapiti martyrum. (*D. Initium autumni.*)

VII. *Id.* In Ricio (sic) natalis sancti Donati Episcopi. Et Octav. sancti Germani Episcopi.

VI. *Id.* Roma, commemoratio sancti Cyriaci martyris, sociorumque ejus.

V. *Id.* Roma, natalis sancti Romani militis & martyris.

IIII. *Id.* Roma, natalis sancti Laurentii gloriosissimi martyris.

III. *Id.* Roma, natalis sancti Tyburtii martyris. Camaraco civitate, natalis sancti Gaugerici Episcopi & confessoris.

II. *Id.* In Sicilia, Catanensium civitate, natalis sancti Eupli diaconi, qui tempore Diocletiani a Calosione (sic) consulari diutissime tortus, ad ultimum decollatus est.

IDUS. Roma, passio sancti Ypoliti martyris. Pictavis, natalis sanctæ Radegundis reginæ.

XVIIII. *Kal. Sept.* Roma, natalis sancti Eusebii presbyteri confessoris.

XVIII. *Kal.* Adsumptio sanctæ Dei genitricis Mariæ.

XVII. *Kal.* Romæ, natalis sanctæ Serenæ, uxoris quondam Diocletiani Augusti. Et in Nicea, natalis sancti Ursacii confessoris sub Licinio persecutore, qui relicta militia, solitariam vitam elegit, tantisque virtutibus claruit, ut & dæmones expulisse, & ingentem draconem orando interemisse legatur. Scriptum in Historia Ecclesiastica. (Cassiodor. Hist. Tripartit. l. V. c. XXXIII.)

XVI. *Kal.* Natalis sancti Mammetis monachi & martyris.

XV. *Kal.* Natalis sancti Agapiti martyris. (SOL IN VIRGINE.)

XIIII. *Kal* Natalis sanctorum Magni & Andreæ mar. cum aliis duobus milibus D. XCVII.

XIII. *Kal.* Here insula, natalis sancti Philiberti monachi & confessoris.

XII. *Kal.* Gavalis, vico Mimatense, passio sancti Privati martyris.

XI. *Kal.* Roma, natalis sancti Timothei martyris. Augustiduno, natalis sancti Simphoriani, qui tempore Aureliani Imperatoris cum idolis sacrificare nollet, primo verberibus affectus, deinde carceri mancipatus, ad ultimum decollatus est.

X. *Kal.* Remis, natalis sanctorum Timothei & Apollinaris martyrum. (AUTUMNUS ORITUR.)

VIIII. *Kal.* In India, natalis sancti Bartholomei Apostoli. Roma, natalis sancti Genesii mar-

martyris, qui cum esset in Urbe magister ludi mimici: & quadam die cum vellet Diocletiano Imperatori, cui Christiani semper exosi erant, de mysteriis Christianæ observantiæ ludum exhibere: & hujus rei gratia, spectante Imperatore, & omni populo, in medio theatri quasi ægrotus decumbens, se posceret baptizari, evocato presbytero, exorcista, repente a Deo inspiratus credidit, ac fidem Christi toto corde confessus, baptismi gratia purificatus est. Cumque veluti per ludum a militibus raptus, & ad similitudinem sanctorum martyrum de Christi discutiendus nomine Imperatori fuisset exhibitus, stans in editiori loco narravit omnibus, qualiter in hora baptismatis, cælis apertis Christum viderit, & angelos Dei circa sa adstantes, cunctaque ejus facinora ex libro recitantes, & mox delenda aquis salutaribus pollicentes: quique ei confestim baptizato eundem librum candidiorem nive ostenderunt: atque, ut in gratia Christi permaneret, hortati sunt. Ad hæc Diocletianous vehementissime indignatus, statim cum crudelissime cæsum, Plautiano præfecto tradidit ad sacrificia compellendum: a quo in æculeo suspensus, & ungularum diutissima laceratione vexatus, lampadibus etiam inflammatus, cum in fide persisteret; dicens: Si centuplicaveris circa me ista tormenta, Christum mihi de ore, Christum mihi de corde auferre non poteris, martyrium capitis obtruncatione promeruit. In civitate Rotomagensi, depositio sancti Audoeni Episcopi & confessoris. In territorio Nevernensis civitatis, natalis sanctorum confessorum Patricii Abbatis, & Geldardi presbyteri.

VIII. *Kal.* Natalis sancti Genesii Arelatensis, qui ante tribunal judicis, exceptoris functus officio, cum impia, quibus Christiani puniri, jubebantur edicta, nollet excipere, projectis in publico tabulis, se Christianum esse testatus, abscessit. Et post modicum intervallum ab apparitoribus deprehensus, atque in ripa fluminis Rodani decollatus, martyrii gloriam proprio cruore baptizatus suscepit. In Hispaniis, civitate Compluto, Justi & Pastoris fratrum, qui cum adhuc pueri litteris imbuerentur, projectis in schola tabulis, sponte ad martyrium cucurrerunt: moxque a Datiano teneri jussi, cum se mutuis exhortationibus constantissime roborarent, extra civitatem producti, & in campo a carnificibus sunt jugulati. Roma, natalis sanctorum quatuor martyrum Eusebii, Pontiani, Peregrini, atque Vincentii, sub Commodo Imperatore: qui multis suppliciis afflicti, & in carcerem missi, deinde plumbatis usque ad emissionem spiritus mactati sunt.

VII. *Kal.* Roma, natalis sanctorum Herenei & Abundii, quos Deciana persecutione jussit Valerianus interfici.

VI. *Kal.* Natalis, sanctorum martyrum Marcellini tribuni, & uxoris ejus Mannæ, & filii ejus Johannis, & Serapionis clerici, & Petri militis. Nola civitate, natalis sanct. Felicis Episcopi: qui miraculorum gloria insignis fuit, & sub Martiano præside cum aliis XXX. martyrium complevit. Capua, natalis sancti Rufi martyris. Eodem die, natalis sancti Cæsarii Arelatensis Episcopi & confessoris, doctrina & miraculis præclari.

V. *Kal.* Constantinopolim, sancti Alexandri Episcopi, & gloriosi senis, cujus virtute orationis Arrius divino judicio condempnatus crepuit medius, & effusa sunt viscera ejus. Roma, natalis sancti Ermetis martyris. Apud Ipponam, natalis sancti Augustini Episcopi, & doctoris egregii. Arvernis, vico Brivatense, passio sancti Juliani martyris, qui ab infidelibus tentus, desecto gutture, horribili morte necatus est.

IIII. *Kal.* Passio sancti Johannis Baptistæ. Roma, natalia sanctæ Sabinæ virginis.

III. *Kal.* Natalis sanctorum Felicis & Adaucti martyrum sub Diocletiano Imperatore; quorum primus cum duceretur ad martyrium, obvius ei fuit quidam christianus, omnibus ignotus; qui cum proclamaret, se christianum essa, comprehensus est, & cum beato Felice decollatus: quem christiani Adauctum appellaverunt, eo quod beato Felici auctus fuerit ad coronam.

II. *Kal.* Treveris, natalis sancti Paulini Episcopi, qui cum a Constantio principe Arriano pro fide catholica exilio fuisset dampnatus, ibidem quievit.

SEPTEMBER HABET DIES XXX. LUNA XXX.

KAL. SEPT. Natalis sanctorum confessorum Sixti & Sinitii. In Capua, natalis sancti Prisci martyris, qui fuit de septuaginta duobus discipulis Christi. Cinomannis, natalis sancti Victoris Episcopi & confessoris. Senones, depositio sancti Lupi Episcopi & confessoria. (*Natalis sanctæ Verenæ virginis.*) Alio charactere, minus antiquo.

IIII. *Non.* Natalis sancti Justi Lugdunensis Episcopi, miræ sanctitatis viri: qui apud Ægyptum quidem obiit, sed corpus ejus Lugdunum relatum, & condigno est cultu in basilica reconditum. Eodem die apud Pamiam (sic) civitatem, passio sancti Antonini martyris.

III. *Non.* Roma, natalis sanctæ Serapiæ virginis, sub Adriano Imperatore, quæ post multa tormenta decollata est.

II. *Non.* Cavillono, natalis sancti Marcelli martyris, temporibus Antonini, qui primum Lugduno cum aliis commartyribus carcere trusus est; sed patefactis divinitus claustris, cum Valeriano aufugit, Cavillonum expetens civitatem: ubi Priscum quandam præsidem incurrit. Cumque ab eo ad profanum convivium fuisset invitatus, & hujusmodi execrans epulas, omnes, qui aderant,

cur

cur idolis deservirent, libera increpatione corriperet, inaudito crudelitatis genere defodiri (sic) eum cingulo tenus erectum, præses jussit; sicque sanctus Dei martyr tertio diei in Dei amore & laudibus perseverans, in secundo ab oppido Cabilonense miliario incontaminatum reddidit spiritum.

NONAS. Roma, natalis sancti Victorini martyris; qui sub Imperatore Nerva ab Aureliano præside jussus est suspendi capite deorsum per triduum in loco, ubi putentes aquæ & sulphureæ emanant. Sicque sanctus martyr gloriose coronatus migravit ad Dominum.

VIII. *Id. Sept.* Roma, natalis sancti Eleutherii Episcopi. Eodem die, natalis sancti Honesiphori Apostolorum discipuli: de quo

2. Tim. 1. Apostolus Paulus: *Det*, inquit, *misericordiam Dominus Honesiphori domui, qui sæpe me refrigeravit, & catenam meam non erubuit*.

VII. *Id.* Aurelianis, natalis sancti Evurtii Episcopi & confessoris. Vico Novegento, natalis sancti Chlodoaldi confessoris. Eodem die, natalis sanctæ Reginæ virginis ac martyris.

VI. *Id.* NATIVITAS SANCTÆ DEI GENETRICIS MARIÆ VIRGINIS. Eodem die, natalis S. Adriani martyris.

V. *Id.* Roma, natalis sancti Gorgonii martyris. Eodem die, sanctorum Dorothei & Gorgoni, apud Nicomediam, sub Diocletiano Imperatore: quos ipse cum cognovisset christianos, jussit appendi, & flagris toto corpore laniari, & visceribus jam pelle nudatis, jubentur aceto & sale perfundi, ac demum craticula superpositi, quod relicum (sic)

Euseb. lib. viii. c. vi. supererat corpori, igne succendi. Ad ultimum laqueo appensos, jussit necari. Corpus beati Gorgoni, interjecto tempore, Romam transfertur. Horum socius fuit Petrus martyr gloriosus, qui simili pœna necatus est.

IV. *Id.* Roma, depositio sancti Hilarii (sic) Papæ. Eodem die Calcedonia sanctorum Sostenis & Victoris, qui cum beata Eufemia pro Christi nomine sub Prisco consule decertarunt.

III. *Id.* Roma, natalis sanctorum Proti & Jacincti martyrum. Lugduno, depositio sancti Patientis Episcopi: cujus hortatu Constantius presbyter vitam beatissimi Germani Episcopi, virtutibus plenam nobilissimo stilo conscripsit.

II. *Id.* Apud urbem Papiam, natalis sanctorum confessorum Syri & Iventii: qui a beato Hermagoro (sic) Aquilejensi Episcopo, discipulo sancti Marci Evangelistæ, ad præfatam urbem directi, primi illic Christi Evangelium prædicantes, & magnis virtutibus ac miraculis choruscantes (sic) glorioso fine quieverunt in pace.

IDUS. Indegavia (sic) depositio S. Manrilionis Episcopi & confessoris: qui & vitæ sanctitate conspicuus extitit, & multis virtutibus floruit. Alexandria, beati Philippi Episcopi & martyris. Hic Præfectus primum, sed prædicatione sanctæ Eugeniæ filiæ suæ credidit, & baptizatus est: & postmodum Episcopus, dum oraret, interfectus est.

XVIII. *Kal.* EXALTATIO SANCTÆ CRUCIS. Roma, natalis sancti Cornelii Episcopi. Cartagine, natalis sancti Cypriani Episcopi & martyris.

XVII. *Kal.* Natalis sancti Nicomedis martyris. Tullo civitate, depositio sancti Apri Episcopi. In territorio Cavillonense, natalis sancti Valeriani martyris.

XVI. *Kal.* Calcedoniæ, natalis sanctæ Eufemiæ virginis. Eodem die, natalis sanctorum Luciæ & Geminiani, sub Diocletiano Imperatore. Nam cum sancta Lucia in viduitate sua Domino jugiter deserviret, accusata est a filio suo, eo quod Christum coleret; quam jussit Diocletianus cum beato Geminiano nobilissimo viro artari (sic), & diversis pœnis affligi: sed cum eos superare non posset, gladio eos animadverti præcepit.

XV. *Kal.* In Galliis, vico Leodico, natalis sancti Lamberti Episcopi & martyris. SOL IN LIBRA.

XIV. *Kal.* Natalis sancti Metholi (sic), Olimpi, & Liciæ & Tyri Episcopi.

XIII. *Kal.* Vienna, natalis sancti Ferreoli martyris, qui cum esset tribunitiæ potestatis, & sacrificare nollet, a paganis tentus, & Brivatem usque perductus, pariter cum sancto Juliano gloriosum peregit martyrium. Corpus ejus Viennam cum capite S. Juliani relatum est, & condignæ sepulturæ traditum. In territorio Lingonicæ civitatis, natalis sancti Sigonii presbyteri & confessoris. In Neappoli (sic) Campaniæ, natalis sancti Januarii Beneventanæ civitatis Episcopi cum aliis VII. qui cum eo decollati sunt.

XII. *Kal.* In Cisico, natalis sanctorum Faustæ virginis, & Havilasii: qui cum multis pœnis essent afflicti, gloriosum compleverunt martyrium.

XI. *Kal.* Natalis sancti Mathei Apostoli & Evangelistæ.

X. *Kal.* Natalis sanctorum Mauritii & sociorum ejus martyrum. Autissiodero, adventus & exceptio corporis sancti Germani Episcopi & confessoris ab Italia.

IX. *Kal.* In oriente, Seleucia civitate, natalis sanctæ Theclæ virginis: quæ a beato Paulo Apostolo instructa, in confessione Christi ignem ac bestias Romæ devicit: & postea apud Seleuciam in pace quievit.

VIII. *Kal.* In territorio Augustudunense, vico Sedeloco, natalis sanctorum Andocii presbyteri, & Tyrsi diaconi: qui a sancto Policarpo Episcopo ab oriente directi ad occidentalem Galliam, sub Aureliano principe cum sancto Felice, qui eos hospitio susceperat, gloriosissime sunt coronati.

VII. *Kal.* Autissiodero, natalis & translatio

tio

tio corporis sancti Aunarii Episcopi & confessoris in basilica sancti Germani Episcopi & confessoris: cujus & vita virtutibus insignis fuit, & mors nihilominus signis & prodigiis decoratur. Ambianis civitate, natalis Firmini Episcopi & martyris primi civitatis ipsius. Natalis sancti Cleophe, qui fuit unus de LXX. Christi discipulis: cui post resurrectionem Dominus eunti cum alio condiscipulo in castellum nomine Emmaus, apparuit. Quem tradunt, in eadem urbe, in eademque domo, in qua mensam Domino quasi peregrino paraverat, pro confessione illius, quem ibi ipse cognoverat, a Judæis occisum, & gloriosa memoria sepultum.

VI. *Kal.* Natalis sanctorum martyrum Cypriani Episcopi, & Justinæ virginis. Quorum Justina sub Diocletiano multa propter Christum perpessa, ipsum quoque Cyprianum, cum esset magus, & magicis suis eam dementare conaretur, convertit ad Christum: cum quo postea, jam Episcopo & nobili doctore facto martyrium, sumpsit.

V. *Kal.* Natalis sanctorum Cosmæ & Damiani, sub persecutione Diocletiani & Maximiani, præside ejus Lisia in civitate Egia (sic): qui post multa tormenta, vincula, & carceres, post mare, & ignes, crucem, lapidationem, & sagittas divinitus superatas, capite plectuntur.

IV. *Kal.* In monasterio Fuldensi, depositio sanctissimæ virginis Liobæ, quæ, ut fertur consanguinea fuit sancti Bonifatii Episcopi & martyris: & ab eodem de Anglorum terra in Franciam ob vitæ sanctitatem advocata, in loco qui dicitur Biscofesheim, monasterium puellarum nobiliter rexit, & in omni sanctitate gloriosa, ut etiam virtutes plurimas & miracula per eam Dominus ostendere dignaretur. In tantum itaque sanctissimus vir Bonifatius eam pro vitæ suæ meritis diligebat, ut juberet monachis Fuldensibus, quatinus post obitum illius, in sepulchro suo, quod sibi vivens paraverat, corpus sanctæ virginis ponerent, & illud veneratione dignissima in perpetuum custodirent. Cumque per plurima annorum spatia in sancto proposito feliciter beata Lioba permaneret, & multas animas per sanctitatis suæ exempla veneranda Domino redderet, ac pene in omni Germania signorum gloria, & doctrinæ fama coruscaret; tandem in pace quievit. Corpus vero illius honorifice ad prædictum Fuldense cœnobium transportatum est, & in Ecclesia sancti martyris Bonifatii dignis cum laudibus tumulatum, ibidem multo tempore miraculis claruit: sed interjectis aliquot annis per venerabilem virum Hrabanum Abbatem ossa ejus inde translata ad montem orientalem, qui vocatur sancti Petri, XII. fere stadiis distans a monasterio, & in cripta ejusdem basilicæ post altare sanctæ Mariæ honorabiliter posita, signis ac virtutibus merita illius sedulo circumquaque declarantur.

III. *Kal.* In monte Gargano, commemoratio sancti Michaelis archangeli. Autissiodero, passio sancti Fraterni Episcopi: quem ferunt, eodem die esse interemptum, quo & Antistitem ordinatum, sepultusque est in basilica sancti Germani Episcopi & confessoris. D.

II. *Kal.* Bethleem, depositio sancti Hieronymi presbyteri, eruditissimi viri.

OCTOBER HABET DIES XXXI. LUNA XXIX.

* *Æquat & October sementis tempore Libram.* *Alio charactere.

KAL. OCTOB. In Galliis, civitate Autissiodorense, depositio sacratissimi corporis beati Germani Episcopi & confessoris; qui apud Ravennam quidem, Italiæ civitatem, Domino Christo sibi apparente, & ad cælestia regna invitante, plenus Spiritu sancto obiit: sed Placidia agente regina, quæ eo tempore cum filio suo Valentiniano adhuc juvene regebat imperium, honorifico agmine, comitantibus virtutum operibus, suæ est redditus civitati. Ubi a propriis civibus condigno cultu honorifice traditus sepulturæ, innumerabilibus virtutibus fulgens, ut tantum decet patronum, summa excolitur gloria. Remis, translatio corporis sancti Remigii. Eodem die, natalis sanctorum confessorum Piatonis, atque Bavonis.

VI. *Non.* In pago Pictavo, natalis sancti Leudegarii Episcopi & martyris.

V. *Non.* Antiochia, Theugenii. In Africa Victoris, Urbani, Sapargi; & alibi, Felicis, Ammoni, & Casti. In Gallia, apud antiquos Saxones, natalis duorum Hevualdorum presbyterorum: qui cum Willebrordo Episcopo venientes in Germaniam, transierunt ad Saxones, & cum prædicare ibi Christum cœpissent, comprehensi sunt a paganis, & sic occisi sunt: ad quorum corpora multa diu lux apparens, & ubi essent, & cujus essent meriti, declaravit.

IV. *Non.* In Ægypto, natalis SS. Marci & Marciani. In Africa civitate, natalis sanctorum Adaucti, Maurini, Restituti. In Axiopoli, natalis sancti Dasii; & alibi, Marcelli Episcopi & confessoris. Antissiodero, depositio sancti Marsi presbyteri, qui cum beato Peregrino Episcopo & martyre ad prædicandum verbum Dei, imperio Sixti Papæ, Galliam venit. Eodem die, natalis sanctorum Crispi & Gai: quos apud Corinthios bea- 1. Cor. 1.
tus Paulus Apostolus, se dicit baptizasse, de
quo ad Romanos scribens idem Apostolus: Rom. 16.
Salutat vos, inquit, *Gajus hospes meus*, &
universa Ecclesia. Cujus & beatus Johannes Jo. 3.
Apostolus scribens ei epistolam, meminit: *Senior Gajo karissimo, quem ego diligo in veritate.*

III. *Non.* In Gallia, civitate Valentia, depo-

depofitio fancti Apollinaris Epifcopi & confeſſoris. Ec io Gallia, civitate Autiffiodero, depofitio SS. germanorum Firmati diaconi, & Flavianæ virginis, Deo facratæ.

II. *Non.* Autiffiodero, depofitio S. Romani Epifcopi: qui cum rexiffet Ecclefiam divinitus fibi commiffam annos III. dies XV. tandem, ut fertur, martyrio vitam finivit. Sepultus quoque eft in bafilica fancti Germani Epifcopi & confefforis.

NONAS. Roma, natalis fancti Lini Papæ, qui fuit difcipulus fancti Petri Apoftoli, & gloriofo martyrio coronatus eft. Eodem die, natalis fancti Marci Papæ & confefforis. Et alibi, paffio fanctorum Bacchi, & Sergii martyrum, quorum miræ paffiones leguntur.

VIII. *Id. Octob.* Natalis fanctorum martyrum Marcelli, & Apulei: qui primum quidem adhæferunt Symoni mago, fed videntes mirabilia, quæ operabatur Dominus per beatum Petrum Apoftolum, relicto Simone, Apoftolicæ doctrinæ fe tradiderunt.

VII. *Id.* Parifius, paffio fanctorum Dionyfii, Ruftici, & Eleutherii martyrum. Colonia, natalis fancti Gereon cum aliis CCCXVII.

VI. *Id.* In Brittannia, natalis fancti Paulini, Eburaci Epifcopi. Apud Cretam, beati Piniti inter Epifcopos nobiliffimi, qui in fcripturis fuis, velut in quodam fpeculo, fui dereliquit imaginem.

V. *Id.* Turonis, natalis fancti Venantii Abbatis & confefforis. Apud Tarfum, natalis fanctorum Taraci, Probi, & Andronici: qui perfecutione Diocletiani, pro fide Chrifti gloriofo funt martyrio coronati.

IIII. *Id.* Apud Africam, natalis fanctorum confefforum & martyrum quatuor milium nongentorum feptuaginta fex: qui perfecutione Wandalica apud Africam, cum effent Ecclefiarum Dei Epifcopi, presbyteri, & diacones, adfociatis fibi turbis fidelium populorum, juffu Unrici (fic) regis Arriani exilium cum crudeliter minarentur (fic): inter quos erant Cyprianus & Felix, præcipui facerdotes, cum jam fatigati aliqui fenio, vel infirmitate citius ire nequirent, velut cadavera, per dura & afpera loca trahebantur. Huic caput conterebatur. Alii latera findebantur: & inter manus trahentium fpiritum exalabant. Extat per totum aggerem publicum fepultura fanctorum.

III. *Id.* Apud Troadam, natalis beati Carpi Epifcopi, difcipuli fancti Pauli Apoftoli. Antiochia, fancti Theophili, qui fextus ab Apoftolis Pontificatum Ecclefiæ tenuit, viri erudiciffimi.

II. *Id.* Roma, natalis fancti Calixti Papæ. qui in perfecutione Alexandri Imperatoris diutius fame cruciatur, & cotidie fuftibus cæfus, ad ultimum ligato ad collum ejus faxo, in puteum eft demerfus.

IDUS *Octob.*

XVII. *Kal. Nov.* Natalis fancti Ambrofii presbyteri & confefforis.

XVI. *Kal.* Natalis beati Heronis, de quo beatiffimo Ignatio pergenti ad paffionem revelatum eft, quod ipfe Antiochenam poft eum recturus effet Ecclefiam. Erat enim hic beati martyris Ignati tunc diaconus. fed poft Epifcopus factus, viam magiftri pius imitator fequitur, & pro commendeto grege amator Chrifti occubuit.

Eufeb. l. III. cap. 30.
Ignat. epift. 10.

XV. *Kal.* In oriente, natalis fancti Lucæ Evangeliftæ. In territorio Belloacenfe, paffio fancti Jufti martyris, cujus caput Autiffiodero delatum eft. Roma, natalis fanctæ Triphoniæ uxoris Decii Cæfaris.

SOL IN SCORPIONEM.

XIIII. *Kal.* Apud Alexandriam, fanctorum Ptolomei & Luci martyrum, qui quodam centurione comprehenfi, interrogantur, fi chriftiani effent. Qui, chriftianos fe effe confeffi funt. Tunc juffu Urbicii judicis in cuftodia carceris diutiffime macerati, ad ultimum decollati funt, temporibus Antonini Imperatoris.

D.
Eufeb. l. IV. cap. 16.

XIII. *Kal.* In Galliis, civitate Agenno natalis fancti Caprafii martyris.

XII. *Kal.* Natalis fancti Hilarionis monachi, cujus vitam beatus Hieronimus fcribit. Roma, natalis fancti Afterii presbyteri, quem Alexander Imperator interfici juffit, eo quod fanctum Calixtum elevatum de puteo, fepeliffet.

XI. *Kal.* Colonia, natalis fancti Severini Epifcopi & confefforis. Hierofolimis, beati Marci Epifcopi, qui primus Hierofolimis ex gentibus, poft Epifcopos ex circumcifione, facerdotium civitatis illius accepit, clariffimi & doctiffimi viri, ac non multo poft martyrio confummati.

Eufeb. l. IV. cap. 17.

X. *Kal.* In Hifpaniis, natalis fanctorum Servandi & Germani, qui poft verbera, fqualorem carceris, & fitis ac famis iniuriam, & longiffimi itineris, quem (fic) jubente Viatore præfide, ferro onufti pertulerunt laborem, noviffime martyrii fui curfum, ferro cæfis cervicibus compleverunt. Ex quibus Germanus, Emeritæ juxta beatam Eulaliam, Servandus vero Hifpali circa fanctam Juftam & Rufinam conditus eft.

VIIII. *Kal. In Venufia civitate, natalis fancti Felicis Epifcopi.* Alio charactere, minus antiquo.

VIII. *Kal.* In Galliis, civitate Seffionis (fic), natalis fanctorum Crifpini & Crifpiniani: qui perfecutione Maximiani ad trocleas extenti, & fuftibus cæfi, poftquam digiti eorum fubulis transfixi funt, & de dorfo eorum lora præcifa, ad ultimum gladio trucidati, coronam martyrii confecuti funt. Eodem die, Petragoricas civitate, natalis fancti Frontonis, qui Romæ a beato Petro Epifcopus ordinatus, cum Georgio presbytero ad prædicandum Evangelium miffus eft. Cumque tertio die itineris idem Georgius fuif-

fet

ſet mortuus, mœrens Fronto, reverſus ad Apoſtolum, accepto ejus baculo, & ſuper corpus defuncti poſito, ſocium de mora recepit. Sicque ad prædictam civitatem veniens, magnam gentis illius multitudinem ad Chriſtum convertit, & multis miraculis clarus, in pace quievit. Ipſo die, via Salaria, natalis XLVI. militum: qui ſimul baptizati a Dionyſio Papa, & mox jubente Claudio Imperatore, decollati ſunt. Ubi ſunt poſiti & alii martyres CXXI. inter quos fuerunt IIII. milites Chriſti Theodoſius, Lucius, Marcus, & Petrus.

VII. *Kal.* Apud Africam, natalis ſanctorum Rogatiani presbyteri, & Feliciſſimi: qui perſecutione Decii & Valeriani illuſtri ſunt martyrio coronati: in quorum laude beatus

Epiſt. 81. Cyprianus in epiſtola ad confeſſores Ita ſcribit: *Ut ſequamini*, inquit, *Rogatianum presbyterum glorioſum, qui cum Feliciſſimo fratre noſtro excipiens ferocientis populi impetum, primum hoſpitium vobis in carcere præparavit, & metator quodammodo veſter, nunc quoque vos antecedit &c.* quæ ſecuntur.

VI. *Kal. Nov.* In pago Pictavo, natalis ſancti Florentii Epiſcopi & confeſſoris. Autiſſiodero, depoſitio beati Deſiderii Epiſcopi & confeſſoris, qui cum eſſet multis divitiis ditatus, baſilicam ſancti Stephani protomartyris a parte orientis multo ampliavit decore, ubi & altare in medio poſuit, & conſecravit. Rexit autem Eccleſiam ſibi commiſſam per annos XVIII. dies XXV. tandemque quievit in pace. Corpus ejus in Eccleſia ſancti Germani honorifice eſt traditum ſepulturæ, quam ipſe multis ditaverat opibus.

V. *Kal.* Natalis ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ. Roma, natalis ſanctæ Cyrillæ filiæ Decii Cæſaris, quæ ſub Claudio principe pro fide Chriſti eſt necata.

IV. *Kal.* Natalis beati Nareiſſi Hieroſolymorum Epiſcopi, viri ſanctitate, & patientia, ac fide laudabilis. Hic in die ſolemnitatis vigiliarum Paſchæ, cum oleum deeſſet luminaribus, aquam benedixit, & infundi pro oleo luminaribus præcepit. Tunc repente, miro genere virtutis, natura aquæ in olei pinguedinem verſa, ſplendorem luminum ſolito

Euſeb. l. VI. cap. VII. reddidit clariorem. Scriptum in hiſtoria Eccleſiaſtica.

III. *Kal.* Civitate Tingitana, paſſio ſancti Marcelli Centurionis, qui capitis abſciſſione martyrium conſummavit. Apud Antiochiam, beati Serapionis Epiſcopi, eruditi viri, fide clariſſimi.

II. *Kal.* In Galliis, natalis ſancti Quintini martyris, qui ſub Maximiano Imperatore martyrium paſſus eſt.

NOVEMBER HABET DIES XXX. LUNA XXX.

* *Scorpius hibernum præceps jubet ire Novembrem.* — *Alio charactere.

KAL. NOVEMB. Memoria omnium ſanctorum. Eodem die in Fulda monaſterio, dedicatio Eccleſiæ ſancti Bonifatii Epiſcopi & martyris, & translatio corporis ejus in occidentalem partem ejuſdem baſilicæ. Natalis ſanctorum Cæſarii diaconi, & Juliani presbyteri, quos tempore Claudii juſſit Luxurius mitti in ſaccum, & præcipitari in mare. Et in caſtro Divione, natalis ſancti Benigni presbyteri, qui tempore Aureliani Imperatoris ſub Terentio comite glorioſum conſummavit martyrium. Pariſius, depoſitio ſancti Marcelli Epiſcopi & confeſſoris.

IV. *Nonas.* Roma, natalis ſancti Euſtachii martyris, qui antea Placida (ſic) vocatus eſt, cum uxore, & duobus filiis, quorum miræ paſſiones leguntur. Apud Laodiciam, beati Theodoti Epiſcopi, viri non ſolum verbis, ſed & omnibus virtutibus ornati.

III. *Non.* Natalis ſancti Quarti, Apoſtolorum diſcipuli. D.

II. *Non.* Apud Alexandriam, beati Hierii presbyteri, in divinis ſcripturis nobiliter eruditi, vita puriſſimi, atque ad chriſtianam Philoſophiam nudi & penitus expediti, doctoris Eccleſiæ mirabilis, privatim & publice diſputantis.

NONAS. In Terracina, Campaniæ civitate, natalis ſanctorum Felicis presbyteri. & Euſebii monachi, qui cum ſepeliſſent ſanctos Cæſarium & Julianum, a Leontio tenti ſunt, & multis tormentis afflicti, ad ultimum decollati ſunt.

VIII. *Id. No.* Redonis, natalis ſancti Melanii Epiſcopi, cujus geſta habentur. Tonita Africæ, natalis ſancti Felicis. In hujus ſollempnitate quendam Pſalmum beatus Auguſti- Pſalm. 127.
nus videtur exponere ad populum: ubi inter cætera de ejus paſſione loquitur, dicens: *Felix martyr, vere Felix, & nomine, & corona, cujus hodie dies eſt. Noveritis autem, fratres, non enim paſſum morte, quam alii martyres paſſi ſunt. Confeſſus enim, dilatus eſt ad tormenta. Alio die inventum eſt corpus exanime &c.* quæ ſequuntur.

VII. *Id.* Natalis ſancti Willibrordi Epiſcopi & confeſſoris. Apud Alexandriam, B. Achillæ Epiſcopi, eruditione, fide, converſatione & moribus inſignis.

VI. *Id.* Roma, natalis ſanctorum IV. Coronatorum martyrum: *ideſt Severi, Severiani, Carpophori, Victorini.* Alio charactere, minus antiquo.

V. *Id.* Roma, natalis ſancti Theodori martyris, qui tempore Maximiani Imperatoris, in mediis ignibus orando, purum reddidit ſpiri-

ſpiritum. Bituricas, beati Urſicini, qui Romæ ordinatus a ſucceſſoribus Apoſtolorum ipſi urbi deſtinatur Epiſcopus.

IV. *Id.* Natalis ſancti Martini Papæ, qui tempore Conſtantii Arriani, ob fidem catholicam de Eccleſia raptus, Conſtantinopolim perductus, & apud Cherſonam relegatus, ibidem vitam finivit, ubi uſque hodie miraculis fulget.

III. *Id.* Turonis, depoſitio ſancti Martini Epiſcopi & confeſſoris. Eodem die, natalis ſancti Mennæ martyris, qui tempore Diocletiani, & Maximiani pro fide Chriſti tamdiu eſt virgis cæſus, donec ſanguine ipſius plateæ locus repleretur: deinde in æculeo exungulatus, & lampadibus aduſtus; per tribulos quoque, & ſudes ferreos ligatis manibus, & pedibus tractus: plumbatis etiam collo & maxillis graviter contuſus, noviſſime igne crematus eſt. Cujus ſacrum corpus Conſtantinopolim eſt translatum.

II. *Id.* [*Apud Africam, ſanctorum Archadii, Paſchaſii, Probi*] Alio charactere, minus antiquo.

IDUS *Nov.* Turonis, natale ſancti Bricii Epiſcopi & confeſſoris.

XVIII. *Kal. Dec.* In Alexandria, beati Serapionis, quem perſecutores tempore Decii crudeliſſimis affecerunt ſuppliciis, ita ut omnes ei juncturas membrorum prius ſolventes, de ſuperioribus præcipitarent.

XVII. *Kal.* Natalis ſancti Felicis Epiſcopi qui ſub Martiano cum aliis XXX. martyrium complevit. Hic miraculorum gloria inſignis fuit.

XVI. *Kal.* Lugduno, depoſitio ſancti Eucherii Epiſcopi admirandæ fidei, & vitæ, & doctrinæ viri. [*Et ſancti Otmari Abbatis.*] Alio charactere, minus antiquo.

XV. *Kal.* Aurelianis, depoſitio S. Aniani Epiſcopi & confeſſoris. Et in Turonis, natalis ſancti Gregorii Epiſcopi, & miraculorum factoris.

XIV. *Kal.* In Antiochia, natalis ſancti Romani monachi, qui tempore Diocletiani diverſis maceratus ſuppliciis, etiam lingua abſciſa, laqueo ſtrangulatus eſt. Et in eadem civitate, ſancti Eficii martyris, qui cum eſſet miles, & ſacrificare idolis nollet, ligato in dextera ejus ingenti ſaxo, in fluvium eum Imperator præcipitari juſſit. In Hiſpaniis, civitate Corduba, paſſio ſanctorum martyrum Aciſcli & Victoriæ, ubi ob commendationem pretioſæ mortis eorum, roſæ ortæ divinitus colliguntur. Autiſſiodero, dedicatio baſilicæ ſancti Germani Epiſcopi & confeſſoris, cum ſuperioribus criptis: & translatio multarum reliquiarum in ipſa baſilica.

XIII. *Kal.* Auguſtiduno, natalis S. Simplicii Epiſcopi & confeſſoris.

XII. *Kal.* Roma, ſancti Pontiani Papæ, qui Maximino adverſum ſacerdotes perſecutionem commovente, Sardiniam deportatus eſt: ibique fuſtibus mactatus, martyrium conſummavit. Corpus ejus a beato Fabiano Papa relatum atque in cimiterio ſepultum eſt.

XI. *Kal.* Natalis ſancti Ruſi, de quo Apoſtolus Paulus ad Romanos ſcribit: *Salutate* Rom. 16.
Rufum electum, & matrem ejus & meam.

X. *Kal.* Roma, natalis ſanctæ Cæciliæ virginis & martyris. D.

VIIII. *Kal.* Roma, natalis ſancti Clementis Epiſcopi & martyris. Et ſanctæ Felicitatis matris ſeptem fratrum martyrum, quæ jubente Antonino decollata eſt pro Chriſto. In Italia, monaſterio Bobio, natalis ſancti Columbani Abbatis & confeſſoris.

VIII. *Kal.* Roma, natalis ſancti Criſogoni martyris, qui ſub Diocletiano pro fide Chriſti decollatus eſt. Ipſo die, natalis ſancti Creſcentiani, qui tempore Maximiani, jubente Carpaſio, in æculeum ſuſpenſus, & fuſtibus cæſus, atque ungulis diutius raſus: deinde flammis circa latera ejus appoſitis, diu uſtulatus emiſit ſpiritum. HIANPS OAITUR.

VII. *Kal.* Natale ſancti Petri Epiſcopi Alexandriæ, qui cum eſſet omnibus adornatus virtutibus, in ſcripturis quoque divinis nulli priorum inferior, vere Sacerdos & hoſtia Dei, ſubito rapitur, atque ex Maximini præcepto, capite obtruncatur. Cum quo ſimul, & alii plures ex Ægipto Epiſcopi trucidantur. Scriptum in Hiſtoria Eccleſiaſtica. HIC EST SALTUS. Euſeb. lib. VII.c.XXIX. l.IX.c.XI.

VI. *Kal.* Roma, natalis ſancti Lini Papæ, qui poſt Apoſtolum Petrum primus Romanam rexit Eccleſiam, & martyrio coronatus, ſepultus eſt in Vaticano.

V. *Kal.* In Italia, civitate Bononia, natalis ſanctorum martyrum Agricolæ & Vitalis: quorum agones beatus Ambroſius Epiſcopus ſcribit. Et in Galliis, civitate Regenſi, natalis ſancti Maximi Epiſcopi, qui primæva ætate virtutum omnium gratia præditus, primum Lirinenſis cœnobii pater, deinde Regenſis Eccleſiæ Epiſcopus, ſignis & prodigiis inclitus extitit.

IIII. *Kal.* [*Natalis ſancti Soſtenes, diſcipuli Apoſtolorum.*] Alio charactere, minus antiquo.

III. *Kal.* Vigilia ſancti Andreæ Apoſtoli. Et Roma, natalis ſancti Saturnini martyris, & Sennis, & Siſinnii diaconorum, ſub Maximiano, a quo primo inter alios damnati ad fodiendam arenam, ad ſaciendas thermas Diocletianas. Deinde in carcere diu ſunt macerati, ubi multos gentiles docentes, baptizabant: & denuo educti, vincti catenis, ac nudis pedibus ante præfectum Urbis Laudicium juſſi ſunt in æculeo levari, & attrahi nervis, & fuſtibus ac ſcorpionibus cædi: quibus etiam poſtmodum flammas ad latera juſſit apponi: & depoſitos de eculeo capite truncari. Quorum corpora cum Johanne preſbytero colligens Traſon vir chriſtianiſſimus, qui de facultatibus ſuis martyribus multa miniſtraverat, ſepelivit in prædio ſuo, via Salaria.

laria . Eodem die , apud Tolofam , natalia fancti Saturnini Epifcopi , qui in Capitolio ejufdem urbis a paganis tentus , eo quod ejus præfentiam omnes ipforum dii obmutefacti , nullum facrificantibus ex more poffent dare refponfum , tauro ad victimam præparato , funibus religatus eft . Quo vehementius ftimulato , a fumma Capitolii arce per omnes gradus præcipitatus , capite conlifo , excuffoque cerebro , totoque corpore dilaniato , dignam Chrifto animam exalavit . Eodem die Roma , natalia fanctorum Crifanti & Dariæ martyrum , qui poft multorum , quos Chrifto lucrati fuerant , paffiones , a Celerino Urbis præfecto juffi funt , via Salaria in arenario deponi , atque illic viventes terra & & lapidibus obrui .

II. *Kal. Dec.* Natalia fancti Andreæ Apoftoli .

DECEMBER HABET DIES XXXI. LUNA XXVIIII.

*Alio charactere . * *Terminat arcitenens medio fua figna Decembri .*

KAL. DEC. in Galliis , civitate Noviomo , natalia fancti Elegii Epifcopi , miræ fanctitatis viri . Et ordinatio fanctiffimi Bonifatii in Pontificatus gradum a Domino Gregorio Papa Romano . In civitate Mogontia , dedicatio Ecclefiæ fancti Albani martyris .

I. EMBOL. IIII. *Nonas.* Vivianæ martyris .

III. *Non.* Roma , natalia fanctorum Claudii tribuni , & uxoris ejus Hilariæ , ac filiorum Jafonis & Mauri , & LXX. militum : qui omnes ad prædicationem beati Chrifanti crediderunt Chrifto . Quod audiens Numerianus , juffit Claudium , ligato ad collum ejus faxo , in mare præcipitari , cæteros vero decollari .

IIII. EMBOL. II. *Non.* [*Apud Coloniam , natalis fanctæ Crifpinæ .*] Alio charactere , minus antiquo .

NONAS . Apud coloniam Thebaftinam , natalia fanctæ Crifpinæ , quæ tempore Diocletiani , cum facrificare idolis noluiffet , juffu Anolini proconfulis decollata eft .

VIII. *Id. Dec.* [*In Alexandria , beati Agathonis martyris .*] Alio charactere minus antiquo .

VII. *Id.* Agathonis martyris .

VI. *Id.* Roma , Eutieiani Papæ , qui ab Aureliano Imperatore , martyrio coronatus eft . Eodem die beati Macarii , qui jubente Decio vivus exuftus eft .

V. *Id.* Natalis fanctæ Leocadiæ virginis , quæ temporibus Diocletiani & Maximiani a præfecto Hifpaniarum apud Toletum dura carceris cuftodia macerata eft , ubi cum graviffimos beatæ Eulaliæ , & reliquorum martyrum , qui a Datiano interficiebantur , audiffet cruciatus , genibus in oratione pofitis , impollutum Chrifto reddidit fpiritum .

IIII. *Id.* Roma , natalis fancti Damafi Papæ . Et apud Emeritam , Hifpaniæ civitatem , natalis fanctæ Eulaliæ virginis , quæ cum effet annorum XIII. , juffu Datiani præfidis plurima tormenta perpeffa , noviffime in eculeo fufpenfa , & exungulata , faculis ardentibus ex utroque latere appofitis , haufto igne , fpiritum reddidit , & cernentibus Chriftianis , in fpecie columbæ niveæ , cælum petiit .

III. *Id.* Ambianis , natalis fanctorum Gentiani & Fufciani , qui cum fancto Quintino Galliam ad prædicandum verbum Dei venerunt ; fed cum a quodam Victorico nomine hofpitio fufcepti effent , a paganis tenti , & cum eodem hofpite fuo , jam ad fidem converfo , gloriofo martyrio coronati .

II. *Id.* Natalis fancti Walerici , qui fuper Somnam fluvium hereniticam vitam ducens , etiam miraculis claruit .

IDUS . Siracufa , natalis fanctæ Luciæ virginis & martyris .

XVIIII. *Kal. Jan.* Remis , natalis fancti Nicafii Epifcopi & martyris , qui a Wandalis pro fide Chrifti decollatus eft . Apud Ciprum , fancti Spiridionis Epifcopi , qui fuit unus ex illis confefforibus , quos Maximianus , dextris oculis effoffis , & finiftro poplite fuccifo , poft metalla , damnaverat .

XVIII. *Kal.* Aurelianis , depofitio fancti Maximini presbyteri & confefforis .

XVII. *Kal.* In Tufcia , fanctæ Barbaræ virginis , quæ fub Maximiano diutiffime torta , etiam mamillis abfciffis , & nuda publica virgis cæfa , ad extremum gladio data , martyrium confummavit .

XVI. *Kal.* Natalis fancti Ignatii Epifcopi & martyris , qui tertius Antiochiæ poft Petrum Apoftolum Epifcopus , XI. Trajani anno ad beftias vinctus Romam miffus eft : apud Romam paffus Kal. Februarii , fed Antiochiæ fepultus eft XVI. Kal. Jan.

XV. *Kal.* Beatorum martyrum Rufi & Zofimi : qui de primis illis difcipulis fuerunt , per quos primitiva Ecclefia Judæis & Græcis fundata eft . SOL IN CAPRICORNUM .

XIIII. *Kal.* Autiffiodero , depofitio beati Gregorii Epifcopi , qui fedit annos XII. menfes VII. dies III. fepultus eft in Ecclefia fancti Germani Epifcopi .

XIII. *Kal.*

XII. *Kal.* In India , feftivitas fancti Thomæ Apoftoli . SOLSTITIUM .

XI. *Kal.* Roma , natalis fanctorum XXX. martyrum : qui omnes una die coronati funt . Eodem die , natalis Theodofiæ virginis & martyris . Et fancti Didimi , eruditiffimi viri .

X. *Kal.* Roma , natalis fanctæ Victoriæ fub Decio , quæ cum effet defponfata viro pagano Eugenio , & nec nubere vellet , nec facrificare , poft multa facta miracula , inter quæ plurimas virgines aggregaverat , percuffa eft gladio in corde a carnifice Taliano , comite

templo-

templorum, rogatu sui sponsi. Deposita est autem decimo Kalendarum earundem. Eodem die, natalis sancti Evaristi Papæ [*& mart.*] Aliena manu.

IX. *Kal.* Vigilia nativitatis Domini.

VIII. *Kal.* NATIVITAS DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI SECUNDUM CARNEM. Romæ, sanctæ Eugeniæ virginis. Eodem die natalis S. Anastasiæ virginis: quæ tempore Diocletiani primo diram & immitem custodiam a viro suo Publio perpessa, in qua tamen a Chrisogono confessore Christi multum consolata & confortata est. Deinde a præfecto Yllirici in gravissima & diutina custodia macerata est, in qua duobus mensibus refecta est cælestibus escis per sanctam Theodeten, quæ martyrium prius passa est. Deinde navi imposita cum ducentis viris & DCC. feminis, ut demergerentur in mari, perlata est ad insulas Palmarias. Ubi per manus & pedes extensa, & ligata ad palos fixos, & circa media ejus ignis accensus est: in quo martyrium consummavit: & omnes, qui cum illa venerant, variis interfectionibus martyrium celebrarunt.

VII. *Kal.* Natalis sancti Stephani protomartyris.

VI. *Kal.* Adsumptio sancti Johannis Evangelistæ. Et ordinatio sancti Jacobi.

V. *Kal.* Bethleem, sanctorum martyrum Innocentum.

IIII. *Kal.* Depositio David regis & prophetæ. Natalis sancti Sileosthenis (sic), discipuli sancti Pauli Apostoli. Et Trofimi, de quo idem Apostolus scribit ad Timotheum: *Trophimum autem reliqui infirmum Mileti*. Hic ab Apostolis, Romam (sic) ordinatus Episcopus, primus ad Arelatum, urbem Galliæ ob Christi Evangelium prædicandum directus est. Ex cujus fonte, ut beatus Papa Zosimus scribit, tota Gallia fidei rivos accepit. Qui apud eandem urbem in pace quievit. II. Tim. 4.

III. *Kal.* Natalis sanctorum Mansueti & Severi. Apud Spoletum, passio sancti Sabini Episcopi cum sociis suis, qui jussu Maximiani Imperatoris tamdiu a Lucio tribuno virgis cæsus est, quousque spiritum reddidit.

II. *Kal.* Romæ, depositio sancti Silvestri Papæ, Senones, passio sanctæ Columbæ virginis, quæ superato igni, gladio cæsa est. Eodem die, natalis sancti Saviniani, Episcopi primi Senonicæ urbis.



II.

MARTYROLOGIUM OTTOBONIANUM

Sæculi circiter decimi.

Initia a Kalendis Januarii usque ad x. Kal. Februar. mutilum est, & incipit a natali S. Anastasii martyris Persæ, in hæc verba.

. . . . capitis martyrium sub Chosroe rege cum aliis lxx. ut legitur, complevit. Item sancti Gaudentii Episcopi. Et natalia sancti Timothei Apostoli.

C. x. *Kal. Feb.* Romæ, sanctæ Emerentianæ virg. & mar. & passio sanctorum Macharii & Eugenii mar. In Mauritania, civitate Neocæsareæ, natalis sancti Severiani & Aquilæ uxoris ejus, ignibus combustorum.

D. viii. *Kal. Feb.* Apud Ephesum, natalis S. Timothei Episcopi & mart. discipuli beati Pauli Apostoli. In Antiochia, sancti Babillæ Episcopi. Eodem die, sanctæ Sabinæ virg. Et sancti Euthemii Episcopi.

Vide Martyrol. Reg. Suec.

E. viii. *Kal. Feb.* Conversio S. Pauli Apostoli. Eodem die apud Damascum, natalis sancti Ananiæ, qui beatum Paulum Apostolum baptizavit. Eodem die, sancti Gregorii Episcopi & confess. Nazianzeni.

F. vii. *Kal. Feb.* Apud Smirnam, natalis S. Policarpi Episcopi & mart. discipuli sancti Johannis Apostoli & Evangelistæ. Apud Bethleem, oppidulum Dominica nativitate gloriosum, dormitio sanctæ Paulæ, cujus vitam virtutibus admirandam sanctus Hieronymus scribens, testatur eam longo coronatam esse martyrio.

G. vi. *Kal. Feb.* Constantinopoli, depositio sancti Johannis Episcopi, viri eruditissimi, qui Chrisostomus dictus est. Roma, Vitaliani Pap.

H. v. *Kal. Fab.* Romæ, S. Agnetis. Apud Alexandriam, natalis sancti Cyrilli Episcopi.

I. iiii. *Kal. Feb.* Romæ, passio sanctor. Papiæ & Mauri. Eodem die, Treveris, depositio sancti Valerii Episcopi, qui fuit discipulus sancti Petri Apostoli.

K. iii. *Kal. Feb.* Apud Antiochiæ (sic), passio sancti Yppoliti mart. Hierosolymæ, Mathei Episcopi.

L. ii. *Kal. Feb.* In Alexandria, Metrani mar. Abbacyri. & Johannis. Zutici. Et Julii presbyteri.

MENSIS FEBRUARIUS HABET DIES XXVIII. LUNA XXVIIII.

Nox horas xiiii. *dies* x.

M. *Kal. Febr.* In Scotia, nat. sanctæ Brigidæ virg. Eodem die, Romæ, passio sancti Ignatii Episcopi Antiocheni. In Ravenna, sancti Severi Episcopi & conf. Et sancti Ursi. Et sancti Efrem mon. *D. Ægyptiaca.*

N. iiii. *Non. Feb.* Purificatio sanctæ Dei genitricis, & oblatio Christi in templo. Apud Cæsaream, Centurionis, quem beatus Petrus baptizavit. Eodem die, Romæ, sancti Aproniani mart.

O. iii. *Non. Feb.* Passio S. Blasii Episcopi & mar. In Africa, beati Celerini diac. & conf. Et sanctorum mart. Celerinæ aviæ ejus. Et Laurentini & Ignatii.

P. ii. *Non. Feb.* In civitate Ægypti, quæ vocatur Tymos (sic), passio beati Phileæ, ejusdem urbis Episcopi. Et Philoromi tribuni militum Romanorum, temporibus Diocletiani Imp.

Q. *Non. Feb.* Apud Siciliam, civitate Catanensium, passio sanctæ Agathæ virg. sub Quintiano consule.

R. viii. *Id. Feb.* Atrebatis civitate, depositio Vedasti Episcopi & conf. In Cæsarea Cappadociæ, sanctæ Dorotheæ virg. Apud Achajam, civitate Patras, Andreas cæsus pro Christo, & dimissus a populo est.

S. vii. *Id. Feb.* In Brittaniia, civitate Augusta, natalis sancti Auguli Episcopi & mart. Anatholii & Ammonia.

T. vi. *Id. Feb.* In Armenia minore, natalis sanctorum Dionisii & Æmeliani. *D. Ægyptiaca.*

V. v. *Id. Feb.* Suevo apud Cyprum, natalis sanctorum Alexandri. Alexandria, natalis sancti Didimi, & aliorum xxviii.

A. iiii. *Id. Feb.* Romæ, nat. sanctorum Zotici. Herenei. & Jacincti. Et Amantii. Alexandri. Passio Apollonis. Protenis. Orionis. & aliorum xx. Sanctonis civitate, depositio sancti Trojani Episcopi & conf. In Campania, depositio sanctæ Scolasticæ virg.

B. iii. *Id. Feb.* In Campania, nat. sanctorum Pœnis. & Eufraxi. Basiliani. Amanti, Eulici. Romæ, Caloceris & Parthenii.

C. ii. *Id. Feb.* In Africa, S. Damiani. Cartagine. Modesti. Alexandria, natalis sanctorum Juliani. Victoris. & Felicis.

D. *Id. Feb.* In Alexandria, nat. sanctorum Tulliani & Ymmoni. Lugduno, depositio beati Stephani Episcopi & conf.

E. xxvi. *Kal. Mar.* Romæ, nat. sancti Valentini presbyteri & mar. Qui post multa sanitatum & doctrinæ insignia, fustibus cæsus: & sic decollatus est sub Claudio Cæsare. Eodem die, natalis alii (sic) sancti Valentini Interammensis Episcopi. Qui tentus a paganis, & virgis cæsus, & post diuturnam cædem custodiæ mancipatus, cum separari (pro

(pro *superari*) non posset, medio noctis silentio eductos de carcere decollatus est jussu furiosi Placidi Urbis præfecti. Tunc * . . . . & Apollonio (sic) discipuli ejus transferentes corpus ad suam Ecclesiam Interammanæ urbis noctu sepelierunt. Quos ille jussit noctis medio suis tribunalibus præsentari. Et cum ad fidem revocari, * nec blandimentia, nec minis possent, jussit capite cædi. Qui non longa sunt a corpore sancti Valentini sepulti.

* Apud Adonē. *Tunc Proculus, Ephybus & Apollonius*

* Apud Adonem: *a fide revocari*.

F. xv. *Kal. Mar.* In Antiochia, nat. sanctorum Josippi diaconi & Zenonis. Interamnes, nat. sanctæ Agape virg. Saturnini. Castulæ. Magni, & aliorum xx. In Syria, Aventi & Pomponii. Et passio sanctorum Faustini & Jobitæ mar.

G. xiiii. *Kal. Mar.* In Cumis, nat. *sanctæ* Julianæ virg. quæ tempore Maximiani Imperatoris primo a suo patre Africaneo cæsa & graviter cruciata. Deinde a præfecto Eolesio, quem sponsum babuerat, nuda virgis cæsa, & capillis suspensa, & plumbo a capite perfusa. Et rursus in carcere recepta, ubi palam cum diabolo conflixit. Et iterum evocata rotarum tormenta, flammas igneum olla fervente * superavit: ac decollatiune capitis martyrium consummavit. Quæ percussa est in Nicomedia civitate. Post paucum tempus in Campaniam translata est. Barcinona civitate, passio sancti Cocofati. In Africa, natalis sanctorum Maximi. Vincenti. Honorati, & cum eis Lini. Pheophili. & Juliani cum Ægyptios numeros (sic) quinque milia. quorum nomina Deus scit.

* Apud Adonē: *flammas ignis, ollam ferventem superavit*.

H. xiii. *Kal. Mar.* In Babilonia, Polocronii Episcopi ejusdem civitatis. Qui præsente Decio persecutore, hos (pro os) lapidibus cæsum, manibus extensum, oculos ad cælum elevans emisit spiritum. In Aquileja, Crisantiani. Eutici. Concordiæ, Silvani, & aliorum LXXXIIII. martyrum.

Vide Adonem hac die.

I. xii. *Kal. Mar.* In Africa, nat. sanctorum Rutuli. Silvani. & Secundini. Interrapis. Pauli. Martialis. & Maximi.

K. xi. *Kal. Mar.* In Africa, nat. sanctorum Publi. Piarubi. Marcelli. Julii, & Juliani. Eodem die, depositio sancti Barbati Episcopi Beneventani.

L. x. *Kal. Mar.* Apud Cyprum, nat. S. Potamine. Et Didimi. Romæ, depositio Gagi Episcopi.

M. viiii. *Kal. Mar.* In Africa, civitate Adromito, nat. sanctorum Neruli. Secundini. Servuli. & aliorum xvii.

N. viii. *Kal. Mar.* Apud Antiochiam, cathedra S. Petri Apostoli. In Africa, natalis sanctorum Fortunati, & aliorum xxviii. Syrmio castello, natalis sancti Sereni * & alii LXXII.

* Richenovien. & Augustan. *Severi*. Labb. *Sereni*.

O. vii. *Kal. Mar.* In Pannonia, nat. S. Serenoti *, & Antigoti. In Africa, Crisconii, Iminandri. Diodori, & aliorum xxxvi. *D. Ægyptiaca*.

* Martyr. Reg. Suec. *Senerati, Antigoni*.

P. vi. *Kal. Mar.* Natalis sanctorum. (sic) In Cæsarea Cappadociæ, Luci. Sirici. Sergi. Romæ, Primitivæ. Natalis sanctorum Luciani presbyteri. Petri. Palatini. & Ævitii. In Ægypto, passio Victorini. Victoris. Eodem dia, natalis sancti Mathei Apostoli.

Vide Martyrol. Reg. Suec. hac die.

Q. v. *Kal. Mar.* In Africa, nat. sanctorum Donati. Aurili. & alios (sic) XLV. Pamphilia, natalis sanctorum Nestoris. & Castæ.

R. iiii. *Kal. Mar.* In Alexandria, natalis SS. Alexandri. Theonis. Donati. Ampliati. Ingenii, & aliorum xxvi.

S. iii. *Kal. Mar.* In Thessalonica, nat. sanctorum Antigoni. Habundantii. Utiani *, & Furtuniani. In Africa, sancti Dionisii presbyteri & aliorum xxiii. In civitata Smirna Asiæ, sanctorum Serviliani. Doenavi * & Leandri.

Martyrol. Reg. Suec. *Titiani, Severiani*.

* Idē Martyrol. *Dotiani, Leandri*.

T. ii. *Kal. Mar.* Lugduno, beati Romani abbatis.

MENS. MAR. HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

Nox horas xii. *Dies vero* xii.

A. *Kal. Mar.* Passio sanctorum Leonis. Donati. Karisii, & aliorum viiii. In Africa, nat. sanctorum Mariani. Victori. & Secundillæ. Massilia, natalis sanctorum Hermetis. Guthei cum aliis xxiiii. Andegavis, depositio sancti Albini Episcopi & conf.

B. vi. *Non. Mar.* Nat. sanctorum Herolis. Lorgii. Absalonis. In Cæsarea, Luci Episcopi. In portu Romano, Pauli. Secundulæ, & Januarii.

C. v. *Non. Mar.* Nat. sanctorum Lucioli. Fortunati, Antigoni. Marini. In Africa, Gajolæ. Et depositio Emeteri. & Basillissæ. & Basilei. *D. Ægyptiaca*.

D. iiii. *Non. Mar.* Romæ, nat. sanctorum mart. octingentorum. Et depositio Juli Episcopi, & aliorum xxvii. Roti. Archæi. Pilatini in mare mersi. Austeri. Urani. Sisinni. Philippi. & aliorum numero xvi.

Vide Richenovien. Augustan. Labbean.

E. iii. *Non. Mar.* In Africa, nat. sanctorum Adriani. Evvoli, & Eusebii. In Antiochia, passio sancti Focis.

F. ii. *Non. Mar.* In Nicomedia, nat. sanctorum Victorini & Victoria. In Africa, Diodoris & Claudiani. In Nicomedia, Saturni. Cassi & Victoris cum aliis duobus. Papiæ & Niceforia.

G. *Non. Mar.* In Africa, nat. sanctorum Satyri. Revocati. Jocundi & Rogati. In Antiochia, Leucii & Saturi. Apud Cartaginem, natalis sanctæ Perpetuæ & Felicitatis, quæ bestiis (sic) sunt deputatæ sub Severo principe.

H. viii. *Id. Mar. Prima incensio Lunæ Paschalis*. In Nicomedia, S. Quintilini Episcopi & Capitulini. In Africa, Rogati. Heremæ. Cyrilli Episcopi.

I. vii. *Id.*

I. vii. *Id. Mar.* In Sebaſte, Armenia minore, nat. ſanɛtorum xl. militum tempore Licinii regis, ſub præſide Agricolao. Qui poſt vincula & carceres creberrimos, poſt cæſas lapidibus facies, miſſi ſunt in ſtagnum, ubi gelu conſtricta corpora eorum (deeſt *nocte*) dirrumpebantur, & mane crurifragio martyrium conſumarunt. Deinde corpora eorum combuſta & in flumina projecta, ſed divina diſpenſatione reliquiæ eorum integræ repertæ ſunt, & honore digno conditæ. Erant autem nobiles inter eos Cyrion & Candidus.

Vid. Martyrolog. Reg. Suec.

K. vi. *Id. Mar.* In Nicæa, nat. ſanɛtorum Gorgoni & Firmi. In Smirna, ſanɛti Phionis. In Perſida, natalis ſanɛtorum xlii. martyrum. Alexandria, natalis ſanɛtorum Eracli & Zoſimi.

L. v. *Id. Mar.* In Alexandria, natalis ſanɛti Philomi Epiſcopi, Candidi, Valeri. Quirilli, Petroni, & aliorum xv.

M. iv. *Id. Mar.* Romæ, depoſitio ſanɛti Gregorii Pa œ, beatæ memoriæ. In Nicomedia, natalis ſanɛti Egdnni presbyteri, & al. vii. In Alexandria, Z·ni Epiſcopi, Alexandri, & Niconis diac. In Aſia, Petuni Epiſcopi, & Firmi.

N. iii. *Id. Mar.* In Nicomedia, natalis ſanɛti Mace·loni presbyteri, & Patriciæ uxoris ejus, & filiæ Modeſtæ, & natalis Eufraxiæ.

O. ii. *Id. Mar.* In Nicomedia, nat. ſanɛtorum Feliciſſimi, & Frontinæ. * In Theſſalonica, Eufraſi & Franivis. In Antiochia, Nicomedis & Pionis.

* Richenovien. *Florentini*.

P. *Id. Mar.* In Cappadocia, natalis ſanɛti Longini. In Nicomedia, Luci Epiſcopi & mar. Fauſtæ. Silvii. Ingenuæ. Cartagine, Pauli. Solutorii.

Q. xvii. *Kal. Apr.* Romæ, nat. ſanɛti Cyriaci, qui cum Siſinnio diacono ſuo, Largo & Smaragdo, & al. xx. capite truncatus eſt a Maximiano ſocio Diocletiani Imperatoris.

R. xvi. *Kal. Apr.* Romæ, ſanɛti Pigmenii Presbyteri, magiſtri Juliani Apoſtatæ. In Scotia, natalis ſanɛti Patricii conf. & Epiſcopi. Romæ, ſanɛti Alexandri Epiſcopi & Theodoli diac. Ipſo die, depoſitio ſanɛtæ Gertrudæ virg.

S. xv. *Kal. Apr.* In Alexandria, natalis ſanɛtorum Collegi, Ettolati diac. cum aliis vii. In Nicomedia, Aprili, Servuli, & militum xxiv. In Campania, Quinti & Rogati.

T. xiv. *Kal. Apr.* In Africa, natalis ſanɛtorum Baſſi. Lucelli. Fiſiani. Ammoni, & aliorum vii. Et depoſitio ſanɛti Leontii Epiſcopi Sorrentini cum al. ix.

V. xiii. *Kal. Apr.* Nat. Gudberti Epiſcopi. In Antiochia, ſanɛti Joſeph Mariæ virginis ſponſu (ſic). Pauli. Cyrilli & Eugenii.

A. xii. *Kal. Apr.* Depoſitio ſanɛti Benedicti Abbatis. In Alexandria, natalis ſanɛti Seraphionis monachi. Et Joſeppi, & Voluntiani.

B. xi. *Kal. Apr.* In Narbona civitate, natalis ſanɛti Pauli Conf. In Africa Saturnini & alior. ix. In Sebaſtia, Decronis & Arionis.

C. x. *Kal. Apr.* In Africa, ſanɛti Fidelis. In Antiochia, Theodori presbyteri. In civitate Cæſarea. Agatii. Alexsodri. Fidelis, & Himoli.

D. ix. *Kal. Apr.* In Syria, nat. Leuci. In Mauritania, Secundoli. Veroli. Felici.

E. viii. *Kal Apr.* Annuntiatio ſanɛtæ Mariæ. Et in Hieroſolyma, Dominus noſter Jeſus Chriſtus crucifixus eſt. In Nicomedia, natalis ſanɛtæ Dulæ ancillæ militis, quæ pro caſtitate occiſa eſt. Romæ, natalis ſanɛti Cyrini, qui interfectus eſt a Claudio, & in Tiberim jactatus, in inſula Licaoniæ inventus, & in cymiterio Pontiani conditus eſt.

Vid. Adonem.

F. vii. *Kal. Apr.* In Syrmio, natalis ſanɛti Monanti * presbyteri. Romæ, natalis ſanɛti Caſtuli. In Saluſtia * Petri Epiſcopi. In Eraclea, Marcioni Epiſcopi. *D. Ægyptiaca*.

* Richenovien. *Montani*.

G. vi. *Kal. Apr.* In Hieruſolima, Reſurrectio Domini noſtri Jeſu Chriſti. In Africa, natalis ſanɛtorum Romuli. Acuti. Pinnari. Maroli. Et Succeſſæ. *

* Richenovien. *Sebaſte civit.*

* Richenovien. *Succeſſi*.

H. v. *Kal. Apr.* In Cæſarea, nat. ſanɛtor. Rogati. Dorothei, & Audacte *. In Tharſo Ciliciæ, ſanɛti Caſtori. Cavillona civitate, depoſitio Cuntranni Regis.

*Richenovien. *Audacti*.

I. iv. *Kal. Apr.* In Nicomedia, nat. ſanɛtorum Paſtoris. Victoris. Saturnini. Juliani, & aliorum ix. In Antiochia, Pentalis. Theodori, & Achaciæ. Et ordinatio Gregorii Papæ.

K. iii. *Kal. Apr.* In Africa, natalis ſanɛtorum Aneſi. Felicis. Diolia. Theſſalonica, ſanɛti Domnini.

L. ii. *Kal. Apr.* Sanɛti Romani monachi. In Africa, ſanɛti Aniſii & Felicis.

MENS. APR. HABET DIES XXX. LUNA EJUS XXIX.

Dies vero horas xiv. *Nox horas* x.

M. *Kal. Aprilis*. In Armenia minore, natalis ſanɛtorum Partini, & Quintiani. In Theſſalonica, Ingenianæ, Panteri. Et nat. ſanɛtarum Agapes & Cyoniæ, tempore Diocletiano (ſic) & Siſinnio comite. Sed intactæ a flammis, poſt orationem ad Deum fuſam animas reddiderunt.

N. iv. *Non. Apr.* In Africa, natalis ſanɛtorum Amminiani & al. xiv. In Theſſalonica, Macedoniæ. Theodoli, & Valerii, cum aliis iv. Lugdunogallia, depoſitio Nicenti (ſic) Epiſcopi. Et ſanɛtæ Mariæ Ægyptiæ.

O. iii. *Non. Apr.* In Sicilia, nat. ſanɛtorum Thomæ, & Vacri *, & Siſinnii. Rufi patricii. In Cæſarea Theodoſiæ virginis.

*Richenovien. *In Thomis, Evagrii, & Benignæ*.

P. ii. *Non. Apr.* In Theſſalonica, nat. ſanɛti Agathoni diac. & al. ii. Mediolano, depoſitio

sitio sancti Ambrosii Episcopi & conf.

Q. *Non. Apr. Ultimam* (sic) *iactasio Luna Paschalis*. In Nicomedia, natalis sancti Claudiani. In Ægypto, Mareianæ. Nicanoris. Apollonia. In Alexandria, Didimi presbyteri. In Sicilia Traciæ (sic), natalis sanctorum Honori, & Theodali. In Thessalonica, nat. sanctæ Herenæ: quæ post tolerantiam carceris, inter orationes sagittis percussa est a Sisinnio comite. Sub quo & sorores ejus Agapis & Jonia martyrizatæ.

R. VIII. *Id. Apr.* In Nicomedia, natalia sanctorum Firmi, & Romanæ, & Quiriacæ. In Syrmia, Rasinæ & Moderatæ cum al. VII. In Africa, Æpyphanii Episcopi cum al. X. In Alexandria, Clusi presbyteri. Ipso die sanctæ Ecaterenæ.

S. VII. *Id. Apr.* Libiæ superiora (sic), natal. sanctorum Coprici & Victoria. Alexandria, Pelusii presbyteri. *In* Scotia, Finani (sic) & Tosti conf.

T. VI. *Id. Apr.* In Africa, sanctorum Timori. Machari, & Couexi, & alior. V. milia mar.

V. V. *Id. Apr.* In Syria, nat. sanctarum quinque virg. quarum nomina Deus seit. Aliæ II. & Demetri diacon. In Syrmio, nat. VII. virg. quæ in uno coronatæ sunt.

A. IV. *Id. Apr.* Nat. Apolloni presbyteri. Et Concessi. In Tracia, Gagani. In Africa mar. XXVII. In Antiochia, Salonis & Maximi & al. CCXL. *D. Ægypt.*

B. III. *Id. Apr.* In Salonica (sic) Dalmatiæ, nat. S. Domionia Episcopi. Et miliario octavo, Donati & al. CCXLII. In Nicomedia, Eustorgi presbyteri. Filoni, & Ceremoniæ. Roma, depositio sancti Leonis Papæ & conf.

C. II. *Id. Apr.* In Asia, Pergamo, nat. sancti Carpi Episcopi, Pauli, Ysaac. Roma, depositio Ju ii Episcopi & conf. qui sub Constantio Arriano, filio Constantini X. mensibus tribulationes, exilia perpessus: qui post ejus mortem cum magna gloria ad sedem suam reversus est. In Wapingua (sic) civitate, depositio sancti Constantini Episcopi.

D. *Id. Apr.* In Calcedonia, nat. Eufeimi. Eocapi. * qui post multa tormenta requiescentes cum sociis suis, idest Secutoris, & Januarii.

*Richenovien. *In civitate Calcedonia, Fasemiæ, Et Romæ, Januarii martyris Secutaris, Eucarpi, Catuli.*

E. XVIII. *Kal. Majas*. Romæ, nat. sanctorum mar. Tiburtii & Valeriani, & Maximi sub Almachio urbis præfecto. Interamne (pro, *Interamna*) natal. Dominæ virg. cum suis virginibus simul coronatæ. Et nat. sancti Valeriani. In Alexandria, nat. sancti Frontonis monachi.

F. XVII. *Kal. Maj.* Pycino (pro *Piceno*) in aureo monte, nat. sanctorum Maronis & Messoris. In Mesopotamia, Diogetus (sic) diac. cum duobus fratribus. In Spanis (sic) Cordoba civitate, nat. Olimpiadia. & Maximi, qui jubente Decio, fustibus cæsi, & capita eorum securibus tonsa sunt, donec emitterent spiritum.

G. XVI. *Kal. Maj.* In Achaja Corinto civitate, nat. sanctorum Calesti, Carisi, Leonidis. Nat. Galliniæ, & al. V. omnium in mare mersorum. In Mauritania, sanctæ Basiliæ.

H. XV. *Kal. Maj.* In Antiochia, nat. Petri diac. Hermogenis, ministri sancti Petri. Fortunati, Marciani. In Africa, Barucci, Quintini, Juliani presbyteri. Macedoni, & aliorum IV.

I. XIV. *Kal. Maj.* In Salona civitate, nat. Septimi disc. Victorici. In Africa, Victoria, Pamphili, Donati.

K. XIII. *Kal. Maj.* In Armenia, Militana civitate, nat. sanctorum Expediti, Fortunati, & Gagi, & Aristodici, uno die coronatorum. In Africa, Helladiæ, Sericiani, & al. CI.

L. XII. *Kal. Maj.* In Africa, nat. sanctorum Serhani, Araniei, Fortunati, Johannia, Orati, & Gemini. Roma, depositio sancti Victoria Episcopi. Autusiodoro, depositio sancti Martini presbyteri & conf. *D. Ægypt.*

M. XI. *Kal. Maj.* In Africa, nat. sancti Oratoris presbyteri. Silvii, & Vitalia. In Sicilia, Amfeliei, & Apruncusi Episcopi.

N. X. *Kal. Maj.* Roma, depositio sancti Gagi Papæ, qui cum Ecclesiam undecim annis, menses III. dies XII. rexit (pro *rexisset*) martyrio coronatus sub Diocletiano principe. In Cordula civitate, natal. Parmenii. Helimæ, & Crisoteli presbyterorum. Et Lucas & Macas diaconi de Babilonia.

O. IX. *Kal. Maj.* In Africa, nat. sanctorum Catalini, Saturnini. Chori, Theone, Venusti, Silvii, Faustini, & Ursi. In Valentia civitate Galliæ, passio sanctorum martyrum Felicia presbyteri, Fortunati, & Azilei diac. Et Pantaleonis pueri, & nat. sancti Coorgii mar.

P. VIII. *Kal. Maj.* In Alexandria, nat. sanctorum Coronæ virginis. & Victoria. In Africa, Faustini, & Victorini. Lugdunogallia, passio sancti Alexandri cum aliis numero XXXIV. Et commemoratio sancti Georgii mart. & Pullumis. In Brittania, depositio Melliti Episcopi.

Q. VII. *Kal. Maj.* Letania majorea (sic). In Sicilia, Siracusa civitate, nat. sanctorum Evodi, Hermogenis, & Balistæ. Lugdunogallia, depositio beati Rustici. In Alexandria, nat. sancti Marci Evangelistæ, quem pagani videntes diem sanctum (sic) Paschæ Missas celebrare, miserunt funem in collo ejus, & trahebant eum ad locabuculi, quæ erat juxta mare sub rupibus, ubi erat Ecclesia constructa: & definebant carnes ejus in terram, ac saxa inficiebantur sanguine. Vespere autem facto, miserunt eum in carcerem: mane autem cum traheretur ad locabuculi gratias agens & dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum, & defunctus est, a viris religiosis sepultus.

R. VI. *Kal. Maj.* Romæ, nat. sancti Cleti Papæ

Papæ & mar. Ipsa die, sancti Marcellini Papæ, qui cum Ecclesiam novem annis & mensesIV. rexisset temporibus Diocletiani & Maximiani, ab eodem Diocletiano præsule [pro *præsul*] Christi cum Claudio & Cyrino & Antonino capite truncatus est.

S. V. *Kal. Maj.* In civitate Tharso Ciliciæ, nat. sancti Castori. In Nicomedia, Anthimi & Stephani Episcoporum, & Antonini presbyteri mar. In Caprea, Mauri & Capti.

T. IV. *Kal. Maj.* Romæ, nat. sancti Vitalis mar. Eodem die, nat. sancti Christophori mar. In Tharso Ciliciæ, nat. sancti Maline cum aliis CLXX. & Carippi presbyteri, & Agapi lectoris. In provincia Numidia, nat. Manili & Mauroli, & Niceæ virg. cum aliis LXXII.

A. III. *Kal. Maj.* In Alexandria, nat. Germani presbyteri, & Prosdoci diac. In Nicomedia, Prudenti & Martialis. In Africa, Grati & aliorum VI. In Neapoli, nat. sancti Severini confessoris.

B. II. *Kal. Maj.* In Alexandria, natalis sancti Dorothei presbyteri & Rodociani diaconi. Promediani cum aliis XXIII. In Frodisia (sic), Marini presbyteri & Daeari, cum aliis XII. Et nat. Polochronii Episcopi.

MENSIS MAJUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

Dies horas XVI. Nox VIII.

C. *Kal. Maj.* *Initium prædicationis Domini nostri Jesu Christi.* In Africa (pro *Asia*) Hierapolim, nat. sanctorum Philippi & Jacobi fratris Domini. Altiodoro (pro *Altisiodoro*) civitate Galliæ, sancti Amatoris Episcopi. In Tolosa. Orientis Episcopi. In Begorra civitate, Justini.

D. VI. *Non. Maj.* In Alexandria, natalis sancti Athanasii Episcopi & conf. Et nat. Saturnini in carcere quiescentis cum Neapolim socio suo. Et nat. sancti Celestini, & Sancti Nestori. Autisiodoro, translatio corporum sanctorum confessorum Optati Episcopi, Memori, & Satiani presbyterorum.

E. V. *Non. Maj.* Hierosolyma, Inventio sanctæ Crucis Domini nostri Jesu Christi ab Helena regina post passionem Domini anno ducentesimo tricesimo tertio, regnante Constantino Imperatore. Romæ, nat. sancti Alexandri Papæ, & Eventi, & Theodoli presbyterorum: quorum primus post vincula & carceres, equuleum, & ungulas, & ignes, punctis creberrimis per tota membra peremptus est. Sequentes ad ultimum decollati sunt sub Aureliano judice, tempore Trajani principis. *D. Ægyptiaca.*

F. IIII. *Non. Maj.* In Nicomedia, passio sanctæ Antoniæ, nimium tortæ & variis tormentis afflictæ: ab uno brachio tribus diebus suspensa, a Priscilliano præside flammis exusta obiit in pace. Roma, Mittuni presbyteri. Et in Repinsi (pro *Ripensi*) loco Lauriaco, Floriani, principis officii præsidis: ex cujus jussu ligato saxo ad collum ejus deponente (sic) in fluvio Anisi missus est, oculis crepantibus præcipitatoribus illius, videntibus omnibus circumstantibus. In Cæsarea, Silvani. Alexandria, XL. mar. Altiodoro, depositio & translatio corporis Corcodomi diaconi, & depositio Gnise frit sacerdotis.

G. III. *Non. Maj.* Ascensio Domini ad cælos. Et nat. Eutimi diac. In Thessalonica, Heroe & Peregrini. Bienna, civitate Galliæ, depositio Nectari & Niceti Episcoporum. Autisiodoro, Juniani lectoris & mar.

H. II. *Non. Maj.* In Africa, nat. S. Secundiani Episcopi. Mariani, Concordii, Heliodori. Mediano (pro *Mediolano*) Victoris, & Felicis.

I. *Non. Maj.* In Nicomedia, nat. sanctor. Flavii & Augustini Episcopi. In Africa, Faustini Episcopi, & Fiori diac. cum al. LXV. Arelato, depositio Ylarii Episcopi & confessoris. Augustoduno, depositio Placidi presbyteri.

K. VIII. *Id. Maj.* Mediolano, nat. S. Victoris, capite cæsi: cujus passio celebratur pridie Idus Maji. Constantinopolim, Agati militis. Maximi presbyteri. Anthis diac. Arestini, Marini, Floridi. Autisiodoro, depositio Peladii Episcopi. Et dedicatio Ecclesiæ sancti Michaelis in monte Gargano.

L. VII. *Id. Maj.* In Tharso Ciliciæ, natalis Afrodisi. In Persida, mar. CCCCX.

M. VI. *Id. Maj.* Romæ, nat. sanctorum Gordiani & Epymachi mar. Et nat. Calepodi senis presbyteri, sub Alexandro Imperatore. Tunc decollatus est ab Alexandro Palmachius consul cum uxore & filiis & al. promiscui sexus XLII. & Simplicius Senator, qui per doctrinam Calixti Papæ, & Calepodii presbyteri nuper fuerant baptizati.

N. V. *Id. Maj.* In Asia, nat. sanctor. Majoli. Victorini. Septimini. Comini. Crispini. Primoli. Manili. Romæ, Achilli. Sipponi Episcopi. Et Antimi. Bienna, depositio Mamberti conf.

O. IIII. *Id. Maj.* Roma, nat. sanctorum Nerei & Achilei. Et nat. Pancratii: qui quartodecimo ætatis anno sub Diocletiano pro Christo decollatus est. Et nat. sancti Epyphanis Episcopi. *Hodie obiit Leo presbyter.* Alio charactere.

P. III. *Id. Maj.* Nat. sanctæ Mariæ ad martyres. Et nat. sancti Servatii. In territorio sancti nicosalicona (pro *Sanctonico, anisola*) monasterio, depositio sancti Martini presbyteri & abbatis. In Palæstina, nat. Probi, Taraci, Andronici. Autisiodoro, depositio Marcelliani Episcopi.

Q. II. *Id. Maj.* In Ægypto, nat. sancti patris Pachomii: qui cum esset factus Apostolicæ gratiæ insignis * angelo dictante, tempore Paschali monstravit. Ipso die in Syria, ... nat.

* Martirolog. Reg. Suec. ad-

dit : *fundatorque Azypticæ nobiorum*, *scripsit monasteriarii irgulos*, *quas angelo dictante didicerat*, *simul & de tempore Paschali*. *Ipso die*&c. prout in apographo nostro.

uat. Victores & Coronæ, sub Autonino Imperatore, & duce Alexandriæ Sebastiauo. Erat Victor miles a Cilicia, cui Sebastiauus in confessione fidei confringi digitos, & evelli jussit a cute; deinde oculos erui, & triduo jussit capite suspendi. Et dum udhuc spirari (pro *spiraret*) jussit eum excoriari. Tunc Corona cum esset uxor militis cujusdam cœpit beatificare sanctum Victorem, pro gloria martyrii. Et dum hoc ageret, vidit duas coronss de cælo lapsæ (pro *lapsas*) uuam Victori, & alteram sibi missam. Cumque & hoc cunctis audientibus protestaretur, tenta est a duce, jussitque duas urbores palmæ curbare (pro *curvari*) ad invicem, & a canabis (pro *cannabinis*) funibus ligari Coronam in utraque, manibus & pedibus, & sic arbores dimitti. Quod dum fieret, divisa est Corona in duas partes. Erat autem annorum xvi. Mediolano, nat. Victoris. Namoris (sic) Felicis. Rustici. Et cccc. mar. qui cum sancto Cyrico passi sunt. *Et Bonifatii*. Alio charactere.

R. *Id. Maj*. *Primum Pentecostes*. In Sardinia uat. sancti Simplicii. Iu portu Romano Prestabilis. Cyriaci. Janusrii. Esuli. Menerbi. Aquilini, & Eracli.

S. xvii. *Kal. Jun.* In Isauria, nat. sanctorum Aquilini & Victoriani. In civitate Pyoiuo Ausurml (pro *Anxini*, *Sisinii*), & Floreutii. In Efeso, Mengeui. Lajani. Jovini. In territorio Aotisiodoreuse, vico Bajaco (pro *Baugiaco*) passio Peregrini primi civitstis ipsius (supple *Episcopi*). In territorio Tricassinæ civitatis, loco Locamplę, depositio Fidoli presbyteri & cousef.

T. xvi. *Kal. Jua.* Roma, nat. sanctorum Patyrii. Gallicori, & Primi. Et depositio Liberii Episcopi. Niviuduno, Heracli, Paulu. Ardemii.

V. xvi *Kal. Jun.* In Alexandria, uatal. sancti Ponamonis. Ortesii, & Seraphionis presbyterorum, Dativi, Luci, Maximi, Hermeti lectorum, cum al. IIII. In Ægypto in Anaxypoli, Dioscori lectoris multa passua (pro *passi*), ad cujus memoriam multæ curationes fiunt.

A. xIIII. *Kal. Jun.* In Getthulia, nat. sanctæ Potentianæ virg. Romæ, Caloceri & Partheni eunuchorum uxoris Decii Imperatoris. Ex his unus erat præpositus cubiculi, alter primicerius, qui nolentes sacrificare idolis, u Decio occisi sunt.

B. xIII. *Kal. Jun.* In Africa nat. sanctorum Marcellinæ & Salsæ. Nemauso civitate Galliæ, passio sancti Baudili mar. Beturica, depositio sancti Austrigisili Episcopi & cous.

C. xII. *Kal. Jua.* In Mauritauia uat. Timothei, Poli, & Eutici diac. In Cæsarea Helieberti, uua die martyrio corouati. Romæ, passio sancti Eleutheri Episcopi Apuliensis, & Autiæ matris ejus.

D. xI. *Kal. Jua.* In Africa, nat. sanctorum Csſti & Emilii. Romæ, nat. Cati & Maxentii. Iu Corsica insula, passio sanctæ Juliæ.

E. x. *Kal. Jun.* In Spania, nat. sanctorum Epictiti & Obtoni. In Africa, Quinti, Luci, Heliæ. Et Basilii Episcopi.

F. vIIII. *Kal. Jun.* Iu Istria, Zebelli, & Servuli. In Syria, Zoeli, Saturi, Tumini. In Gallia, Nampnetis civitate, natalis sanctorum Rogatiani & Donatiani germanorum & mar. Beturicas, depositio Bajoladi & Syri Episcoporum.

G. vIII. *Kal. Jun.* Romæ, nat. sancti Urbani Papæ. Mediolano, depositio Dioni (pro *Dionysii*) Episcopi. Bienna, passio S. Desiderii Episcopi. *D. Ægyptiaca*.

H. vII. *Kal. Jua.* In Britania, depositio sancti Augustini primi Anglorum Episcopi. In Africa, nat. sanctorum Quarti & Rufini.

I. vI. *Kal. Jun.* In Alexandria, natal. Aquilini presbyteri & aliorum xIIII. In Tinnis * Luciani. In Sardinia, Salutiani, Etici Episcopi, Crescentiani, Quintiani, & Quinti. [* Martyrolog. Reginæ Suec. *In Thamis*.]

K. v. *Kal. Jun.* Parisius civitate, depositio sancti Germani Episcopi & conf. Ipso die, depositio sancti Johsunis Papæ. Quem, quia orthodoxus erat, & a Justino Imp. orthodoxo Coustautiuopolim veniens, gloriose susceptus erat, Theodoricus rex Arrianus revertentem iu Raveuna custodia teutum usque ad mortem, cum aliis catholicis viris *. Cujus corpus translatum de Ravenua, sepultum est in basilica sancti Petri Apostoli v. Kal. Jun. tempore Olibrio consule (pro *Olybrii consulis*.) [* Martyrolog. Reginæ Suec. addit: *perduxit* xv. *Kal. Jun.*]

L. IIII. *Kal. Jun.* In Treberia, nat. sancti Maximi Episcopi & cous. In Africa, Primi. Et passio Simonii, & al. cIII.

M. III. *Kal. Jua.* Iu Autiochia, natal. sanctorum Sicci & Palatiui. Turribus Sardiniæ, Gabini & Crispoli. Nicomedia, multorum sanctorum.

N. II. *Kal. Jun.* Romæ, uat. sanctæ Petronellæ virg. In Aquileja, natal. sanctorum Canti, Cantiani, & Cantianellæ. Turribus Sardiniæ, Christiani. Iu Syrta civitate (pro *Cirtha*) * Donatiani. [*V. Hieronymiana.]

MENSIS JUNIUS HABET DIES XXX. LUNA EJUS XXVIIII.

Dies hor. xvi. *Nox hor.* vIII.

O. *Kal. Juniis*. Nat sancti Nicomedis mar. Romæ, nat. sanctorum Juventi & Cyrisci. Iu Pictavi, depositio sancti Vibini Episcopi. Bienna, depositio Eladii Episcopi.

P. IIII. *Non. Jun.* Romæ, nat. sanctorum Marcellini presbyteri, & Petri exorcistæ. Et sancti Erasmi: qui decollati sunt sub judice Sereno. Lugduno, nat. sanctæ Blaudinæ cum xLvi. mar.

Q. III. *Non. Jun.* In Africa, nat. sanctorum Avidiani. Neporis. & alior. cLxvi.

Aurelianis civitate, vico Maiduno, depositio Leifardi presbyteri.

R. II. *Non. Jun.* Noviduno civitate, nat. sanctorum Zotici, Eutici, Fortunionis, & al. xxv. Romæ, Picti. Datiani. Pannoniæ Sabaria, nat. Quirini. Rusticuli, & al. II.

S. *Non. Jun.* In Presionia, nat. sancti Archiepiscopi & mar. (supple *Bonifatii*). Et Eobanei Episcopi. Romæ, via Ardiatina, nat. sanctæ Feliculæ & Felicitatis. *Ipsa die ob. Sabina diacona.* Alio charactere.

T. VIII. *Id. Jun.* Noviduno civitate, nat. sancti Amantii. In Africa, Itali. Zotici. Kamassi. & Philippi. Et depositio Clandii Episcopi. Gratianopoli, nat. sanctorum Pauli. Fortunati. Macris. Primosi. Acaci. & Mohii.

V. VII. *Id. Jun.* Suessionis, nat. sancti Medardi Episcopi & conf. In Toronia, vernogiba villa, translatio corporis Baldoni Episcopi & conf.

A. VI. *Id. Jun.* Nat. sanctorum Primi & Feliciani. In Alexandria, Maximi presbyteri. In Nicea civitate, Diomedis.

B. V. *Id. Jun.* Romæ, Aurisi. Jannarii, & al. xx. In Spania, Crispoli. In Nicomedia, Zachariæ. In Autisiodoro, depositio Censoris Episcopi. *D. Ægyptiaca.*

C. IIII. *Id. Jun.* Nat. sancti Barnabæ Apostoli. Romæ, Basillæ. Crispoli, & Restituti. In Aquileja, Emereti, & Victoriani.

D. III. *Id. Jun.* Nat. sanctorum Basilidis. Cyrini. Naboris, & Nazari.

E. II. *Id. Jun.* Helisei prophetæ. Et Bartholomæi Apostoli.

F. *Idibus Jun.* In Africa Juliani. Portunati. Criscentiani. & Tecle.

G. XVIII. *Kal. Jul.* Depositio sancti Helisei prophetæ. In Laudacia (pro *Laodicee*) civitate, nat. Antonii. In Aquileja, Proti. In Aurelia, translatio sancti Aniani Episcopi & conf. Et Marciani conf. In monasterio, quod est in monte petroso, depositio sancti Zosimi translati de Putheolo.

H. XVII. *Kal. Jul.* Nat. sanctorum Viti. Modesti. & Crescentiæ. In civitate Barbaria, Gajani. Johannis, & Philippi.

I. XVI. *Kal. Jul.* Nat. sanctorum Diogenis. Mariæ, & Marciæ. In civitate Visoncensi nat. Ferreoli presbyteri. & Ferrucionis diac. Qui sub Claudio judice gladio necati sunt. Eodem die, natal. sanctorum Nicandri. & Marciani.

K. XV. *Kal. Jul.* Romæ, ad septem palumbas via Salaria vetere, nat. sanctorum Quiriaci. Blastini. Dorostoli. Isici. Aquilæ, & Diogenis. Alexandria, Dioscori. In India ultima, sancti Bartholomæi Apostoli.

L. XIV. *Kal. Jul.* Roma, nat. sanctorum mar. Marci & Marcelliani. Ravenna, Marthari & Crispini. In Abella, sanctæ Marinæ.

M. XIII. *Kal. Jul.* Mediolano, nat. sanctorum Gervasii & Protasii, quorum sepulcra Ambrosius, Domino revelante, repperit, & ita incorrupta eorum corpora, ac si eodem die fuissent interempta. Qui cum in urbem introducerentur, quidam diu cæcus feretri tactu lumen recepit.

N. XII. *Kal. Jul.* In Thomis civitate, nat. Pauli. Cyriaci. Feliciane. Vitalis. & Martyriæ,

O. XI. *Kal. Jul.* In Africa, nat. Bellici. Persei. & Erissimi. In Cæsarea Palæstinæ, depositio sancti Eusebii.

P. X. *Kal. Jul.* In Brittania, nat. Albini mar. Qui tempore Diocletiani in Verolamio civitate, post verbera & tormenta acervi (pro *acerba*) capite plexus est. In civitate Nola, depositio sancti Paulini Episcopi & conf.

Q. VIIII. *Kal. Jul.* In Brittania, natal. sanctæ Ediltrudæ reginæ. In Nicomedia, Viti. Capitonis. Meriti, & Aritionis lectoris. Et Vigil. sancti Johannis Baptistæ.

R. VIII. *Kal. Jul.* Nativitas sancti Johannis Baptistæ. Augustiduno, depositio Simplicii Episcopi. Eodem die, nat. sanctæ Febroniæ.

S. VII. *Kal. Jul.* In Tesalonica, nat. Januarii. & Vitati. Romæ, Encejæ virginis. & Acejæ regis de barbaria.

T. VI. *Kal. Jul.* Romæ, nat. sanctorum Johannis & Pauli: qui sub Juliano martyrium (sic, pro *martyria*) capita eorum abscissa sunt. *D. Ægyptiaca.*

A. V. *Kal. Jul.* Roma, nat. sancti Crispi. & Crispiniani. Felicis. Spinelle. Et septem germanorum.

B. IIII. *Kal. Jul.* Roma, translatio corporis Leonis Papæ. Lugdunogallia, nat. sancti Herenei Episcopi & mar. cum al. VI. Eodem die, vigil. Apostolorum Petri & Pauli.

C. III. *Kal. Jul.* Roma, nat. sanctorum Apostolorum Petri & Pauli. Petri in Vaticano, Pauli in via Ostiensi. Utrumque (sic) in catacumbas. Passi sub Nerone. Via Aurelia, nat. Nevatiani. Viviani. & al. mar. DCCCCLXXIIII. *

* Martyrolog. Reginæ Suec. DCCCCLXXIX.

D. II. *Kal. Jul.* In Africa, nat. Zotici. Itali. Gelati. Gitte Italie. Cursici presbyteri. & Leonis diac. In Agrippina, Asclidi. Pamphili. Lemosicas (pro *Lemovicas*) civitate, depositio sancti Marcialis Episcopi & confessoris.

MENSIS JULIUS HABET DIES XXXI. LUNA EJUS XXX.

Nox bor. VIII. *Dies* XVI.

F. *Kal. Julii.* In monte Hor, depositio Aaron sacerdotis. In Nicomedia, nat. sancti Leontii Episcopi & mar. Egolisma civitate, depositio sancti Eparci Episcopi. Ipso die, depositio Symon Chananei. & Judæ frat. Jacobi.

F. VI. *Non.*

F. vi. *Non. Jul.* Romæ, nat. sanctorum Processi & Martiniani. In Mesopotamia, Hasi. Cyammude, Arixi. Turonis civitate, depositio sanctæ Monegunde.

G. v. *Non. Jul.* In Alexandria, nat. sancti Triphonis. Menelai. Cyrionis. Eurili. Apici. Cologi. In Tharso, Severi. Helionis. & Partheni. Constantinopoli, Eufemiæ. Ipso die, passio Thomæ Apostoli.

H. iv. *Non. Jul.* In Africa, nat. Jocundiani, in alto (sic) missi. In Syrmia, Innocenti. Sabatiæ cum al. xxx. Turonis, ordinatio Episcopatus sancti Martini. Et translatio corporis ipsius. Et dedicatio basilicæ ejus. Byturicas civitate, vico Bessuno, Lauriani mar.

I. iii. *Non. Jul.* In Sicilia, natal. sancti Agathonis. In Thomis, Stratonis. Theodotis. Merone. In Alexandria, Arphotis.

K. ii. *Non. Jul.* Esaiæ prophetæ. Et Octabas Apostolorom Petri & Pauli. In Alexandria, nat. Palladi. Athoti. Severi. & Aratonis. *D. Ægyptiaca.*

L. *Non. Jul.* Augustidono, nat. Eraclei. In Alexandria, nat. Partheni. Endemoni. Apollonii. Publii. Parmeni. & al. xxv.

M. viii. *Id. Jul.* In Palestina, nat. sancti Procopii. Qui tempore Flaviano judice (pro *Flaviani judicis*) capite cæsus est. In Tauromeni, nat. Seperi. & Cormiliani cum al. xl. Ipso die, sancti Apollonii Benaventanæ sedis Episcopi.

N. vii. *Id. Jul.* Nat. sanctorum Anatholiæ & Audacia sub Decio passi. Romæ, x. mil. ecc. mar. Et sancti Vitalis. Et depositio patris nostri Ephrem.

O. vi. *Id. Jul.* Romæ, nat. septem fratrum filiorum sanctæ Felicitatis. idest Januarii. Felicis. Philippi. Silani. Alexandri. Marcialis. Vitalis. passi (sic) tempore Antonini Imp. & præfecto Publio. Ipso die, nat. sancti Jason & Mauri. Et sanctæ Rufinæ.

P. v. *Id. Jul.* In Floriaco monasterio, depositio sancti abbatis Benedicti de translatione. In Armenia, nat. sanctorum Januarii & Pelagii.

Q. iiii. *Id. Jul.* In Aquileja, nat. sanctorum Fortunati armigeri. & Tamnasi. In Mediolano, passio sanctorum Naboris & Felix (sic). Lugdunogallia, depositio Juventii Episcopi.

R. iii. *Id. Jul.* Seraphionis. Tropimei. Meli. Propili. Menei presbyteri. Et Trophime virginis.

S. ii. *Id. Jul.* Nat. sancti Focati Episcopi, tempore Trajani Imp. & Præfecto Africano passi. Et nat. Amici Episcopi.

T. *Idibus Jul.* Nat. sancti Qoirici, & Julittæ matris ejus. Nisibia civitate, Jacobi Episcopi. In Cartagine, nat. sancti Catholioi diae.

V. xvii. *Kal. Aug.* In civitate Hostia, nat. sancti Larini (pro *Hilarini*) mar. tempore Juliani. In Antiochia, Theodoti. Ipso dia, sancti Valeriani.

A. xvi. *Kal. Aug.* In Cartagine, nat. sanctorum Sicala diaconor. (pro *Srillitanorum*) Sperati, Martialis, Chitai, Vesturii, Felicia, Aquilini, Lactani, Januarii, Generosi, Vesti, Donate, & Secunde, sub Saturnino præfecto passi. *Alexiti, & Marinæ.* Alio charactere.

B. xv. *Kal. Aug.* Nat. sancti Arnolfi Ep. & conf. In Dorostoro, * Emiliani, Bassi, Maximi, Paoli, Secundæ, Donati. *Sanctæ Symphorosæ cum* vii. *filiis suis.* Alio charactere.

C. xiv. *Kal. Aug.* Nat. sancti Patris nostri Arsenii. In Antiochia, Lampadi, Luciani, & Torqoati.

* Martyrolog. Reginæ Suec. *In Dorostoro, Miliani* &c.

D. xiii. *Kal. Aug.* In Africa nat. sanctorum Sabini, Amabilis, Respectati cum aliis xxiii. In Damasco, Macrobi, & Cassi cum al. x.

E. xii. *Kal. Aug.* Nat. sanctæ Praxedis virg. Et sancti Daniheli prophetæ. Apud Tiburtinam urbem Italiæ, nat. sanctæ Symphorosæ cum septem filiis ejus. Juliano, Nemesio, Primitivo, Justino, Stacteo, Eugenio: cum quibus simul passa est ab Adriano principe. *D. Ægyptiaca.*

F. xi. *Kal. Aug.* Nat. Mariæ Magdalenæ. In Antiochia, nat. Cyrilli, Andreæ, Stertei. In Ancyra Gallitia (pro *Galatiæ*) nat. Maxcelitanorum, Elliani, & Aboni.

G. x. *Kal. Aug.* In Ravenna, nat. sancti Apollenaris Episcopi, passi sub Vespasiano Cæsare, & Demostene patricio. Rexit autem Ecclesiam annis xxviii. dies xiiii.

H. ix. *Kal. Aug.* Nat. sanctæ Christinæ virg. In Armania, civitate Sabacia, nat. Theozoni. Victoris & militaris.

I. viii. *Kal. Aug.* Nat. sancti Jacobi, fratris Johannis. In porto urbis Romæ, nat. sancti Agontii.

K. vii. *Kal. Aug.* In Laudicia Frigiæ, nat. sanctorum Gobiani, Juliani, Emeli, Felicis, Martiani, Maximi, & Gloriosæ.

L. vi. *Kal. Aug.* In Syria, nat. Symeonis monachi. In civitate Autissiodoro, depositio sancti Etheri Episcopi.

M. v. *Kal. Aug.* Nat. sanctorum Nazari, & Celsi. In Britannia, nat. sancti Samsoo. Laodicia Frigiæ, Septimiæ, & Augustæ virg.

N. iv. *Kal. Aug.* Nat. sanctorum Felicis. Simplici. Faosti. & Beatricis. Eodem die, depositio sancti Lupi Episcopi.

O. iii. *Kal. Aug.* Romæ, nat. sanctorum Abdon & Sennes, tempore Decii passi (pro *passorum*).

P. ii. *Kal. Aug.* In Africa (pro *Asia*) civitate Synnada, nat. Democreti, Secundæ, Dionysi, Tyrsi.

MENSIS AUGUST. HABET DIES XXXI. LUNA DIES XXIX.

Nox hor. x. *Dies hor.* xiv.

Q. *Kal. Augustis*. Ad vinsula Edoxiæ (pro *Eudoxiæ*) Apostoli Petri obsculant populi catenas. Et nat. Machabeorum. Aitisiodoro, nat. sancti Germani Episcopi. In Vercellis, Eusebii Episcopi, qui sub Constantio principa passus (supple *est*).

R. iv. *Non. Aug.* Romæ, nat. sancti Stephani Papæ. Eodem die, nat. sanctæ Theodosiæ cum tribus filiis suis.

S. iiI. *Non. Aug.* Depositio sancti Gregorii. Matrophili Episcopi, & Eruli mar. In Constantinopoli, sancti Acilli. Romæ, Drogenis. Augustoduno, depositio Eufroni Episcopi.

T. iI. *Non. Aug.* Romæ, via Tiburtina, nat. Crescentiani, Justi, & sancti Sauciutie.

V. *Nonis Aug.* In Axiopoli, nat. Romedi diac. In civitate Augusta, passio sancti Afri. Catalunia civitate, Misonii Episcopi, & al. cLxxvii. mar. *D. Ægyptiaca*.

A. viii. *Id. Aug.* Romæ, nat. sancti Xisti papæ. Felicissimi & Agapiti diac. & subdiac. Januarius, Magnus, Vincentius, & Stephanus. In Galilea, transfiguratio Domini.

B. vii. *Id. Aug.* In Tuscia, civitate Aretis, nat. sancti Donati Episcopi & conf. Romæ, xxv. mar.

C. vi. *Id. Aug.* Nat. sancti Cyriaci mar. In Nicomedia, nat. Caritonis, Diomedis, & Metrodæ virginis. In Filadelfia sancti Leonidia.

D. v. *Id. Aug.* Vigilia sancti Laurentii. Romæ, sancti Romani militis. Via Appia, depositio Dionysii Episcopi. Eodem die, sancti Mathei Apostoli.

E. *Id. Aug.* Nat. sancti Laurentii diac. Suevo, Criscentiæ & Archinarei cum aliis xxx.

F. iiI. *Id. Aug.* Nat. sancti Tiburtii mar. & Susannæ. Nicopoli, passio multorum martyrum.

G. iI. *Id. Aug.* In Sicilia, civitate Catenensium, nat. Eupli diac. In Syria, vico Magaroto, nat. sancti Macharii. Eodem die, sancti Cassiani Episcopi.

H. *Idibus Aug.* Romæ, nat. sancti Ypoliti mar. & Concordiæ nutricia ejus, & aliorum xix. de domo ejus. Eodem die, nat. sancti Cassiani.

I. xix. *Kal. Sept.* Nat. sancti Eusebii presbyteri. Eodem die, vigilia Assumptionis sanctæ Mariæ,

K. xviii. *Kal. Sept.* Assumptio sanctæ Mariæ semper virginis, matris Domini. In Nicomedia, nat. sancti Stratonis, Philippi, & Eutaciani cum sociis eorum.

L. xvii. *Kal. Sept.* In Alexandria, nat. sancti Orionis, Emeli, Aguati. In Persida, Thyrsi cum sociis suis.

M. xvi. *Kal. Sept.* Octabas sancti Laurentii. In Cæsarea, sancti Mammetis monachi.

N. xv. *Kal. Sept.* Penestrina civitate, nat. sancti Agapiti mar. In ponto * Amaciæ civitate, nat. Pontiani, & Marcianæ virg.

O. xiv. *Kal. Sept.* Nat. sancti Magni mar. & sancti Andreæ mar. cum sociis suis duobus militibus * & dxc. & vi. mar. [Ad oram adnotatur: *Quingenti & nonaginta sex*.

* Richenovien. & Reg. Suec. *In Ponto*, *Pontoni*.
* Reginæ Suec. *duo mil. quingentorum* cx. *&* vii.

P. xiii. *Kal. Sept.* Depositio Samuhelis prophetæ. In Caynone castro, depositio sancti Maximi Abbatis & conf. In Lucania, nat. Valentiniani & Leontis.

Q. xii. *Kal. Sept.* In Gavalia civitate, vico Memmatense, nat. sancti Privati mar. In Ispania, Julius, & Juliani.

R. xi. *Kal. Sept.* Nat. sancti Timothei mar. juxta Apostolum Paulum sepulti. In Gallia, civitate Augustiduno, nat. sancti Symphoriani mar.

S. x. *Kal. Sept.* In portu Romano nat. sancti Ypoliti, qui dicitur Nunnus cum sociis suis. Augustiduno, depositio sancti Flaviani Episcopi. Aurelianis, depositio sancti Sidonii Episcopi.

T. ix. *Kal. Sept.* Sanctæ Cyriacæ. In Galilea (pro *Gallia*) civitate Neverno, nat. sancti Patricii Abbatis & conf. Æduæ civitate, vico Ternidorensi, depositio Ebtadi presbyteri & conf. Rodomis civitate, depositio Adoenis Episcopi & conf.

A. viii. *Kal. Sept.* Nat. sancti Bartholomæi Apostoli. In Syria, nat. sancti Juliani. Arelato, nat. sancti Genesii mar. In Ispania, nat. sanctorum Justi & Pastoris mar.

B. vii. *Kal. Sept.* Sancti Adriani. In civitate Scalona (pro *Salona*) sancti Anasii (pro *Anastasii*) mar. qui follo fuit. Romæ nat. sanctorum Erenci & Abundi juxta beatum Laurentium sepulti.

C. vi. *Kal. Sept.* In Tumu * civitate, nat. sancti Marcellini tribuni, & Manna uxoris ejus, & filiis (sic) Johannem & Serapionem clericos. Et Petri militis. Arelato civitate, translatio corporis & dedicatio sancti Sulpicii Episcopi & conf. In Græcia, xL. martyrum.

* Richen. *Thomis*.

D. v. *Kal. Sep.* Betnricas civitate nat...... sancti Hermetis mar. In Africa, civitate Yppona, depositio Augustini Episcopi. Arvernis, vico Bibrate, passio sancti Juliani mar. Ipso die, sanctæ Balbinæ.

E. iv. *Kal. Sept.* Romæ, nat. sanctæ Sabinæ. Eodem die, decollatio sancti Johannis Baptistæ. *D. Ægyptiaca*.

F. iiI. *Kal. Sept.* In Venusia civitate Epuliæ [pro *Apuliæ*] nat. sancti Felicis Episcopi, civitate Buzocense [forte *civitatis Tubzocensæ*] Audacti, & Jannarii presbyterorum. Fortunati, & Septimini lectorum, tempore Diocletiani passi.

Vid. Martyrolog. Reg. Suec.

G. iI. *Kal.*

G. II. *Kal. Sept.* Treveris depoſitio ſancti Paulini Epiſcopi & conf. Ancyra Galatiæ, nat. ſanctorum Gajani & Emelioi.

MENS. SEPT. HABET DIES XXX. LUNA EJUS XXX.

Nox hor. XII. *Dies* XII.

H. *Kal. Sept.* In Capua, nat. ſancti Priſci mar. In Tudertina Tuſciæ, nat. ſancti Marciani Epiſcopi. Cynnomannia civitas, depoſitio Victoria Epiſcopi & conf. In Cartagine, nat. duodecim fratrum, Donati, Arontii, Felicis, & al. IX.

I. IV. *Non. Sept.* Sancti Zenonis. In Nicomedia ſancti Genonis [forte *Gorgonii*]. In partibus Appamiæ, Antnoi, & Antonini.

K. III. *Non. Sept.* Sancti Timothei Apoſtoli. In Alexandria, nat. ſancti Ariſtonippi Epiſcopi. In Siria, regione Appamiæ, vico nprogn, nat. Antonini pueri, anni (ſic) XX. vinctum (ſic) ſub Conſtantio Imperatore. Et Areſti Epiſcopi. *D. Ægyptiaco.*

L. II. *Non. Sept.* Moyſi prophetæ. In Ancyra Galliea [pro *Galatiæ*] ſanctorum Rufini, Silvani, Marcelli. Romæ, depoſitio Bonifatii Papæ. In Galliis, civitate Gavilonno, nat. Marcelli mar.

M. *Non. Sept.* In portu Romano, nat. ſanctorum Taurinis, Erculani, Auriſtoſi. In Alexandria, depoſitio Ingenii Epiſcopi.

N. VIII. *Id. Sept.* Romæ, ſancti Eleutheri Epiſcopi. In Cappadocia, nat. ſancti Secundi. Eodem die, depoſitio Zachariæ prophetæ.

O. VII. *Id. Sept.* Arelato civitate, depoſitio ſancti Auguſtalis Epiſcopi. Aurelianis civitate, Evorne (pro *Everti*) Epiſcopi & conf. Pariſius, vico Vegento, depoſitio ſancti Clodoaldi Regis & conf. Edua civitate, loco Maliſſana, nat. ſanctæ Reginæ mar.

P. VI. *Id. Sept.* Nativitas ſanctæ Dei genitricis Mariæ. In Nicomedia, nat. S. Adriani mar. cum al. XXIII.

Q. V. *Id. Sept.* Jacobi fratris Johannis Evangeliſtæ. Romæ, nat. ſancti Gorgoni. In Cæſarea Cappadociæ, Fortunati & Ammonii.

R. IV. *Id. Sept.* In Alexandria, nat. ſanctorum Nemmeſii, Ammonis, Orionis, & aliorum nongentorum ſex. Romæ, depoſitio Ylarii Papæ.

S. III. *Id. Sept.* Romæ, nat. ſanctorum Proti & Jacinthi. Lugdunogallia, depoſitio ſancti Patientis Epiſcopi.

T. II. *Id. Sept.* In Sicilia, ſancti Serapionis Epiſcopi. In Nicomedia, nat. ſancti Ammonis. In Aſia, Dioſili, & Matronæ.

V. *Idibus Sept.* Turonis civitate, depoſitio Litoris Epiſcopi. Andegavis civitate, depoſitio Maurilionis Epiſcopi & conf. In Alexandria, nat. ſancti Theodoli Epiſcopi.

A. XVIII. *Kal. Octob.* Romæ, nat. ſancti Cornelii Epiſcopi cum aliis XXI. Cerealis, & Saluſtia. Et ſancti Cypriani Epiſcopi in Cartagine. Eodem die, Exaltatio ſanctæ Crucis.

B. XVII. *Kal. Octob.* In Alexandria, nat. ſanctorum trium fratrum, ideſt Cyrini, Serapionis, & Leontii. In Cavillonno, caſtro Trenortio, nat. ſancti Valeriani mar. Eodem die, nat. ſancti Apri Epiſcopi.

C. XVI. *Kal. Octob.* In Civitate Calcedonia, nat. ſanctæ Euphemiæ virg. Luciæ & Geminiani.

D. XV. *Kal. Octob.* Nat. ſancti Landeberti Epiſcopi & mar. In Brittania, Socratis, & Stephani. In Noceria, Conſtantini.

E. XIV. *Kal. Octob.* In Alexandria, Trophimi. Mediolano, depoſitio ſancti Euſtorgii Epiſcopi.

F. XIII. *Kal. Octob.* In Neapoli Campaniæ, nat. ſanctorum Januarii Beneventani Epiſcopi cum Soſſio diacono Meſſenate (ſic) civitatis, & diacono ſuo Feſto, & lectore ſuo Deſiderio, Proculum (ſic) diaconum, & Euticen, & Acutinm, & Deſiderium. Eodem die, nat. ſancti Euſtochii.

G. XII. *Kal. Octob.* In Cizico, nat. ſanctorum martyrum Pauſtæ virginis & Evigilaſii. Eodem die, vigilia ſancti Mathei Apoſtoli & Evangeliſtæ.

H. XI. *Kal. Octob.* Nat. ſancti Mathei Apoſtoli & Evangeliſtæ. Mediolano, nat. ſancti Victoris mar.

I. X. *Kal. Octob.* In Gallia, civitate Sedunis, ſen Octodoro Valinſi, loco Agauno, nat. ſanctorum mar. Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, Vitalis cum ſociis eorum ſex milia & quingentos quinque martyribus de Thebaidis.

K. IX. *Kal. Octob.* Nat. Soſſii diaconi Meſſenæ (ſic) civitas in Campania. Eodem die, nat. Theclæ virginis in oriente de Iconia civitate, & requieſcit Seleucia.

L. VIII. *Kal. Octob.* Conceptio ſancti Johannis Baptiſtæ. In Auguſtiduno, nat. ſancti Andochii presbyteri. Tyrſi diaconi, & Felicis. *D. Ægyptiaca.*

M. VII. *Kal. Octob.* In Aſia, nat. ſanctorum Eucarpi, & Bardoniani, & al. XXVI.

N. VI. *Kal. Octob.* Nat. ſanctorum mart. Cypriani Epiſcopi. & Juſtinæ.

O. V. *Kal. Octob.* Nat. ſanctorum Coſmæ & Damiani in civitate Egea.

P. IV. *Kal. Octob.* In Africa, nat. ſanctorum Martialis, Laurentii, Mari, Fauſtini, & alior. XX. In Gallia, civitate Genua (ſic) depoſitio Saloni Epiſcopi.

Q. III. *Kal. Octob.* Dedicatio Eccleſiæ ſancti Michaelis archangeli. In Tracia, nat. Eutici, Plauti, & Placidi. Antiſſiodero, depoſitio ſancti Paterni Epiſcopi.

R. II. *Kal. Octob.* In Placentia civitate, nat. ſancti Antonini mar. Hieroſolymis in

Bethleem

Bethlecm Judæ, depoſitio ſancti Hieronymi presbyteri. Eodem dic, nat. ſanctorum virginum Piſtis. Helpis, Agapis, & ſanctæ Sophiæ matris earum.

MENS. OCTOB. HABET DIES XXX. LUNA XXIX.

Nox hor. xiv. *Dies* x.

S. *Kal. Octob.* Remis civitate, feſtivitas ſancti Remigii Epiſcopi. In civitate Thomis, nat. ſanctorum Priſci, Fauſtini, & Creſcentii.

T. vi. *Non. Octob.* In Nicomedia, nat. ſancti Eleutheri. In Antiochia, Primi, Quirilli, Pitini.

V. v. *Non. Octob.* Apud antiquos Saxones, nat. duorum Heguaidorum (pro *Ewaldorum*) presbyterorum, & Willebrurdo Epiſcopo. *D. Ægyptiaca.*

A. iv. *Non. Octob.* In Ægypto, nat. ſanctorum Mecrici * & Marciani. In Cartagine Audacti, Caruſi, & Reſtituti. Autiſiodoro nat. ſancti Marſi presbyteri.

* Richenovien. ad v. Non. *Mrrci, & Mrrcelliani.*

B. iii. *Non. Octob.* In Sicilia, ſanctorum Placidi, Euticii, & aliorum xxx. In Gallis, civitate Valentia, nat. ſancti Apollinaris Epiſcopi & confeſſoris.

C. ii. *Non. Octob.* Romæ, nat. ſanctæ Balbinæ. In Gallia, civitate Genns (ſic) ſanctæ Fides virg. & mar. In civitate Autoſiodoro, nat. ſancti Romani Epiſcopi.

D. *Non. Octob.* Sanctorum Marci Papæ, & Lini Papæ. In Capua Campaniæ, nat. ſanctorum Quarti & Marcelliani. Et nat. ſanctorum Sergii, & Bachi. Eodem dic, nat. ſanctorum Marcelli & Apulei.

E. viii. *Id. Octob.* In Antiochia, nat. ſanctorum Januarii & Dioniſii Epiſcoporum. Et ſancti Fauſtini mar. Roma, translatio ſanctæ Petronillæ.

F. vii. *Id. Octob.* In Pariſius civitate, nat. ſanctorum mar. Dionyſii Epiſcopi, Eleutherii presbyteri, & Ruſtici diac. Colonia civitate, nat. ſanctorum mar. Gereon cum cccxvii. In Italia, nat. ſancti Domnini mar.

G. vi. *Id. Octob.* Paſſio ſancti Victoris mar. In Britanis, civitate Eburaci, nat. ſancti Paulini Epiſcopi. In Africa, Eracli, & Malloſi cum aliis cccxxx.

H. v. *Id. Octob.* In Acervo Siciliæ, nat. ſancti Taraci, Probi, Ampedi, Placidi, & Fauſti.

I. iv. *Id. Octob.* In provincia Syriæ, nat. ſanctorum Evagrii & Proſeriæ. In Ægypto, Euſtaſii presbyteri. In Ravenna, nat. ſancti Edeſti.

K. iii. *Id. Octob.* In Alexandria, nat. ſancti Athanaſii Epiſcopi. In Iſpania, in Cordoba, Fauſti & Marciæ.

L. ii. *Id. Octob.* Romæ, nat. Calixti Papæ.

M. *Idibus Octob.* In Gallia, nat. ſanctorum Maurorum, & de militibus Lupuli & Fortunatæ.

N. xvii. *Kal. Nov.* In Africa, nat. Etere, & aliorum martyrum clxx., qui pariter paſſi ſunt.

O. xvi. *Kal. Nov.* In Mauritanis, nat. ſancti Nini, Novilitani, Mariani, Lucii, Entini, Creſcentiani, Ruſiani, & Donati, & Defenſoria.

P. xv. *Kal. Nov.* In Axiopolim, nat. ſancti Taxii. Eodem die, nat. ſancti Lucæ Evangeliſtæ Syrus (ſic) Antiocenſius, arte medicus. Et Roma, ſanctæ Triphoniæ uxoris Decii Cæſaris.

Q. xiv. *Kal. Nov.* In Antiochia Syriæ, nat. ſanctorum Pelagiæ, & al. xxix.

R. xiii. *Kal. Nov.* Puteolis civitate, nat. ſancti Zoſimi Epiſcopi. In Nicomedia, Primacii & Saſimi. In Gallis, civitate Agenno, paſſio ſancti Capraſii mar.

S. xii. *Kal. Nov.* Nat. ſancti patris noſtri Ylarionis monachi, cujus vitam Hieronymus virtutibus plenam ſcripſit. Romæ, nat. ſancti Aſterii presbyteri. *D. Ægyptiaca.*

T. xi. *Kal. Nov.* In Trajanopolim Traciæ, nat. ſanctorum Philippi Epiſcopi, Euſebii, & ſancti Leogadii.

A. x. *Kal. Nov.* In Atrianopoli Traciæ, nat. ſancti Dorothei. In Cæſarea Cappadociæ, Longini, & aliis multis. (ſic)

B. ix. *Kal. Nov.* In Nicomedia, nat. ſanctorum Vitalis, Felicis, Rogati, & Flaviani. Hierapolim, Claudiani & Clavini.

C. viii. *Kal. Nov.* Gueſſionis (pro *Sueſſionis*) nat. ſanctorum mar. Criſpini & Criſpiniani. Ipſo die, Romæ via Salaria, nat. xlvi. militum cum alii martyres (ſic) cxxi. inter quos fuerunt quatuor milites Chriſti Theodoſius, Lucius, Marcus, & Petrus. Eodem dic, nat. ſanctorum Chriſanti & Dariæ mar.

D. vii. *Kal. Nov.* In Nicomedia, nat. ſanctorum Luciani, Marciani, Flori, Heracli, & Viti.

E. vi. *Kal. Nov.* In Frigia, nat. ſanctorum Tarſi, Policarpi, Gagi, Eumenii Et Metrobri. Romæ, Mariani, Luci, & Victi. Eodem dic vigil. Apoſtolorum Symonis & Judæ. Romæ, nat. ſanctæ Cyrillæ, filiæ Decii Cæſaris.

F. v. *Kal. Nov.* Nat. ſanctorum Symonis & Judæ. (*Ipſo die, obiit Franca presbyter*) Alio charactere minus antiquo.

G. iv. *Kal. Nov.* In Lucania, nat. ſanctorum Jacinthi, Quinti, & Feliciani, & Lucii.

H. iii. *Kal. Nov.* In Nicomedia, nat. ſanctorum Kalendionis & Theophili. Eodem die in Africa, paſſio ſanctorum numero cxx. Toloſa civitas (pro *civitate*) translatio corporis ſancti Saturnini Epiſcopi & mar. Eodem die in Capua, nat. ſancti Germani Epiſcopi.

I. ii. *Kal.*

I. II. *Kal. Nov.* In Galliis, nat. sancti Quintini mar. In Macedonia, nat. sanctorum Ammari & Vigilantii.

MENS. NOV. HABET DIES XXX. LUNA XXX.

Nox habet horas xv. Dies horas ix.

K. *Kal. Novemb.* Nat. sancti Cæsarii mar. & festivitas omnium Sanctorum. Et in castro Divion, nat. sancti Benigni presbyteri. Eodem die nat. sancti Cesarii diaconi, & Juliani presbyteri. Et sancti Severini monachi de Tiburtina civitate.

L. IV. *Non. Nov.* In Africa, nat. sanctorum Papliciani. Victoria, & Justi. Romæ, depositio Vitalis PP. (sic)

M. III. *Non. Nov.* In Cæsarea Cappadociæ, nat. sanctorum Germani, Theophili, Cæsarii, Egrili, & Vitalis.

N. II. *Non. Nov.* In Africa, nat. sanctorum Primi, Porphirii, Amanti, Publi, Secundæ, Victorinæ. Augustidunogallia, depositio Proculi Episcopi. Roteaus galliæ, Amantis Episcopi. *D. Ægyptiaca*.

O. *Non. Nov.* In Tarracina civitate, nat. sancti Felicis presbytari & Eusebii monachi.

P. VIII. *Id. Non.* Nat. sanctorum Balsami & Duliæ. In Frigia, Attiai, Valerici, Mammari, & Veneriæ.

Q. VII. *Id. Non.* In Nicomedia, nat. sanctorum Eustasii, Marii, Rogatiani, & Optati.

R. VI. *Id. Nov.* Romæ, nat. sanctorum quatuor coronatorum, Claudii, Nicostrati, Simporiani, Castorii, & Simplicii.

S. V. *Id. Nov.* Nat. sancti Theodori mar. In Nicomedia, nat. sanctorum Restituti. & Nemesii diaconi, Damiani, & Donati. Et Campania (sic) Neapolim, nat. sancti Agrippini Episcopi.

T. IV. *Id. Nov.* In Antiochia, nat. sanctorum Demetri Episcopi, & Jantarii. In Africa, Saturnini, & aliorum XVIII. Aurelianis, depositio Monitoris Episcopi.

V. III. *Id. Nov.* Turonis civit. nat. sancti Martini Episcopi & confess. & sancti Mannæ mar. Lugdunogallia, depositio Verani Episcopi.

A. II. *Id. Nov.* In Africa, nat. sanctorum Maurili, Publi, & Theophili.

B. *Idibus Nov.* Turonis civitat. nat. sancti Bricii Episcopi & confess. In Tracia, nat. sanctorum Enticis. Eodem die, nat. sancti Johannis Episcopi & conf.

C. XVIII. *Kal. Dec.* In Eraclea, nat. sanctorom Clamentini, Theodotæ, Filamoni, Haraalii, & aliis (sic) multis, quorum nomina Deus scit.

D. XVII. *Kal. Dec.* In Africa, nat. sanctorum Fidentiani, Varici, Sitdini, Servii, Kalendionis, & Primigenii.

E. XVI. *Kal. Dec.* In Antiochia. nat. sanctorum Justi, Pontii, Auricii, Fiste, & Fortunata. Lugdunogallia, depositio Eucharii Episcopi.

F. XV. *Kal. Dec.* In Auralianis civit. nat. sancti Anniani Episcopi & conf. In Cartagina nat. sanctorum Dubitati, & Tusci.

G. XIV. *Kal. Dec.* In Antiochia, nat. sancti Romani monachi. In Hispania, in Cordoba, nat. sancti Acisali mar. In Eraclea, Carterii, & aliis XL.

H. XIII. *Kal. Dec.* In Cæsarea Cappadociæ, nat. sanctorum Maximi, & Muciani. In Eraclea, sanctarum viduarum XL.

I. XII. *Kal. Dec.* In Eraclea, nat. sanctorum Bassi & Horionis. In Sicilia civit. Misina (sic) Amphili, & Gagi. In Taurinis civit. nat. sanctorum Octavi, & Solumtoris.

K. XI. *Kal. Dec.* In Antiochia, nat. sanctorum Basilai & Auxilii. In civitate Asta, nat. sanctorum Sisinni, Demetrii, & Honori.

I. X. *Kal. Dec.* Romæ, nat. sanctæ Cæciliæ. In Cappadocia, Longini militis, qui Christum Dominum lancea percussit. Et Euticini, Augustiduno, Pragmati Episcopi.

M. IX. *Kal. Dec.* Romæ, nat. sancti Clementis Episcopi. Eodem die, nat. sanctæ Falicitatis, matris septem filiorum mar. In Italia, Bobio monasterio, nat. sancti Columbani Abbatis.

N. VIII. *Kal. Dec.* Nat. sancti Grisogoni & Crescentiani, qui sepultus ast in cimiterio Priscillæ.

O. VII. *Kal. Dec.* In Alexandria, nat. sancti Petri Episcopi Alexandrini, cum quo simul & alii plures ex Ægypto Episcopi capite sunt truncati. In Africa, nat. sanctorum Luciani, Claudiani, & Quiriaci.

P. VI. *Kal. Dec.* Romæ, Cirisicii (pro *Siricii*) Papæ. In Aquileja sancti Valeriani Episcopi & conf. & sanctæ Serenæ. In Africa, Monnæ, & Melisi.

Q. V. *Kal. Dec.* In Nicomedia, nat. sanctorum Nomeri & Victorini. In Italia, civitate Bononia nat. sanctorum Agricoli (sic) & Vitalis. (*Ipso die obiit Johannes presbyter*) Alio charactere.

R. IV. *Kal. Dec.* In Syria, nat. sanctorum Trophimi, Theodolæ, Expicasi, Eucherii, & Julii. *D. Ægyptiaca*.

S. III. *Kal. Dec.* Romæ, nat. sancti Saturnini mar. & Sennas, & Sisinni diac. Eodem die, vigilia sancti Andreæ Apostoli.

T. II. *Kal. Dec.* In provincia Achajæ, civitate Patras, nat. sancti Andreæ Apostoli. In Nicomedia, natalis sanctorum Carionis (supple, & *Turrionis*). Romæ, nat. sancti Castuli, & Centuli, & Trasonis. & Euprepetis.

MENS.

MENS. DEC. HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

Nox habet hor. xvi. Dies hor. viii.

V. *Kal. Decembr.* Romæ, nat. sanctæ Candidæ. Umboni, Philati, & Lucii. In Africa, Rogati, Mammarii, Quintani. Et in Novio (pro *Noviomo*) civit. depositio beatissimi Elegii Episcopi & conf.

A. iv. *Non. Dec.* Romæ, nat. sancti Primenti *, Pontiani, & Primini. In Mauritania, Veri, Securi, & Januarii.

* Richen. *Pimeni*.

B. iii. *Non. Dec.* In oriente, nat. sanctorum Merohii, & Claudici. In Nicomedia, Umbici, & Felicia. In Africa, Crisinni * Magnæ, & Johannis.

*Richeno-vier. *Crispini, Magni*.

C. ii. *Non. Dec.* In Laodicea, nat. sanctorum Eracli, & Christiani, Pudentia * & Maggini. In Nicomedia nat. sanctæ Barbaræ mar.

* Richen. *Prudentii*.

D. *Non. Dec.* In Misitagora * civitate Africæ, nat. sanctorum Homuli Felicia & Juliæ & aliis. (sic)

* Richen. *Tigora*.

E. viii. *Id. Dec.* In Africa, nat. sanctorum Zetoli, Fortunati, Hermogenis, & sancti NICOLAI.

F. vii. *Id. Dec.* In Antiochia, nat. sanctorum Policarpi, Theodori, Sapidici. Romæ, sancti Eutíciani Episcopi de anticia. Eodem die, in Mediolano nat. sancti Ambrosii Episcopi.

G. vi. *Id. Dec.* Nat. sancti Eusebii Episcopi. Urani presbyteri. Successi Episcopi.

H. v. *Id. Dec.* In Antiochia, nat. sancti Gereonti, Juventii, & Agnellæ. In Africa Bassini, & al. xii.

I. iv. *Id. Dec.* In Barcellona civit. nat. sanctæ Eulaliæ virg. Et nat. sanctorum Cousentis, & Orbanellæ. *D. Ægyptiaca*.

K. iii. *Id. Dec.* Romæ, nat. S. Damasi Papæ, Trasonia, Pontiani, Capituliui, Prætestati, & aliis multis, quorum nomina Deus scit, etiam concilium sanctorum.

L. ii. *Id. Dec.* Emerita civit. nat. sanctorum Hermogenia. Donati. & Silvani, & aliis xiii.

M. *Idibus Dec.* Nat. sanctæ Luciæ virg. de Siracusis. Ravenna, nat. sanctorum Ursicini. & Leocadii conf.

N. xix. *Kal. Jan.* In Antiochia nat. sancti Drusi. & sociorum ejus num. iv. Lugdunogallia, sancti Victoria Episcopi. Bienna, Lupicini Episcopi.

O. xviii. *Kal. Jan.* In Africa, nat. sanctorum Fausti. Luci. Candidi. & aliia. In Aureliania civit. nat. sancti Maximini presbyteri & conf.

P. xvii. *Kal. Jan.* Ravenna, nat. sanctorum Navalis. & Concordi. Arelato, dedicatio basilicæ sancti Genesi mar.

Q. xvi. *Kal. Jan.* In Antiochia S. Ignati Episcopi & mar. In Africa, nat. sanctorum Adjutoria. & Victoris. & Victoriani. & aliia xxiv.

R. xv. *Kal. Jan.* Laodicia civit. nat. sanctorum Theotini. Basiliani. In Africa, Pomponii. Datuli. & Rogatiani mar.

S. xiv. *Kal. Jan.* In Nicea civitate Bithiniæ, nat. sanctorum Zosimi & Pauli Episcoporum. Autisiodoro, Gregorii Episcopi.

T. xiii. *Kal. Jan.* In Tracia, Gyldoba civitate, nat. sancti Julii. Roma, nat. sancti Zepherini Episcopi. In Oriente, sancti Liberati.

A. xii. *Kal. Jan.* In Mesopotamia, civitate Edessa, translatio corporis sancti Thomæ Apostoli ab India, cujus passio ibidem celebratur v. Non. Julii. Roma, depositio sancti Innocentii Episcopi.

B. xi. *Kal. Jan.* Roma, via Latina inter duos lauros, nat. sanctorum xxx. mar. uno die coronatorum. Et depositio sancti Felicia Episcopi. *D. Ægyptiaca*.

C. x. *Kal. Jan.* Roma, depositio sanctæ Victoriæ. In Nicomedia, nat. sanctorum xxxv. mar. quorum nomina Deus scit.

D. ix. *Kal. Jan.* Vigilia nat. Domini nostri Jesu Christi, Romæ, nat. sanctorum Metrobi. & Zenoti. In Anthiciæ Syria (pro *Antiochia Syriæ*) nat. sanctorum xl. virginum canonicarum.

E. viii. *Kal. Jan.* Nativitas Domini nostri Jesu Christi secundum carnem. Romæ, nat. sanctæ Eugeniæ virg. Et sanctæ Anastasiæ martyr.

F. vii. *Kal. Jan.* Sancti Stephani protomar. Romæ, depositio Heliæ, & Dorotoli.

G. vi. *Kal. Jan.* Nat. sancti Johannis Apostoli & Evangelistæ dilecti Domini. Et ordinatio Episcopatus sancti Jacobi fratris Domini.

H. v. *Kal. Jan.* Nat. sanctorum Innocentum. Ancyra Latiæ (pro *Galatiæ*) nat. sanctorum Eutiei presbyteri. Donatiani diac.

I. iii. *Kal. Jan.* In Africa, nat. sanctorum Domicii. Primiani. Livosi Episcopi. Crescentii. Honorati. Saturi. & Cælesti.

K. iii. *Kal. Jan.* In Alexandria, nat. sanctorum Mansueti. Securi. Honorii. Apiani. Sereni. Papiniani. Cleti. In Oja insula, nat. sancti Florentii.

L. ii. *Kal. Jan.* Roma, depositio S. Silvestri Papæ. In Gallia, civitate Senonaa, passio sanctæ Columbæ virginia.

KA-

III.

KALENDARIUM LAURESHAMENSE.

Ex Cod. Palat. Vat. 485. fæcoli IX. inclinaotia.

A. I. *KALENDIS JANUARII.*
Circumcifio Domini noftri Jefu Chrifti.
B. II. IV. *Non.*
C. III. III. *Non.* Nat. fanctæ Genneveæ virg.
D. IV. II. *Non.* *gerbrath. pb.*
E. V. *Nonis.*
F. VI. VIII. *Id.* Epiphaoia Domini noftri Jefo Chrifti.
G. VII. VII. *Id.*
A. I. VI. *Id.* Paffio faocti Luciani mar.
B. II. V. *Id.* *obiit Volerus.*
C. III. IV. *Id.* Nat. faocti Pauli primi heremitæ.
D. IV. III. *Id.*
E. V. II. *Id.* Nat. fancti Johanoia Papæ.
F. VI. *Idus Jan.* Nat. fancti Hilurii Epifcnpi.
G. VII. XIX. *Kal. Feb.* Nat. fancti Falicis mar.
A. XVIII. *Kal.*
B. XVII. *Kal.* Nat. fancti Honorati Epifcopi. Et nat. S. Furfei. Et S. Marcelli Papæ.
C. XVI. *Kal.* Nat. fancti Antonii monachi.
Sol in aquarium.
D. XV. *Kal.* Paffio fanctorum Leuci, Tyrfi, & Gallenici. Et nat. fanctæ Prifcæ virg.
E. XIV. *Kal.*
F. XIII. *Kal.* Paffio fancti Sebaftiani mar. OBIIT HLUDOVVICUS IUNIOR REX.
G. XII. *Kal.* Paffio fanctæ Agnetia virg. Et nat. fancti Patrocli mar.
A XI. *Kal.* Paffio fancti Vinceotii mart.
Sedis Epaftarum.
B. X. *Kal.* Nat. fanctorum Emerentiani (fic) & Macharii mar.
C. IX. *Kal.* Nat. fancti Babili Epifcopi & triom puerorum.
D. VIII. *Kal.* *Converfio fancti Pauli.* [Alio charactere minus antiqoo.]
E. VII. *Kal.* CONCURR. LOCUS. VI. *Ægypt. menf. Mechyr.*
F. VI. *Kal.*
G. V. *Kal.* Nativitas fanctæ Agnetia virg. mar.
A. IV. *Kal.*
B. III. *Kal.*
C. II. *Kal.*
Nox hararum XVI. *Dies hararum* VIII.

KALENDIS FEBRUARII.
Nat. fancti Policarpi Epifcopi mar. (*Et nat. fanctæ Brigidæ virg.*) [Alio charactere, fed ejufdem ferme ætatis.]
IV. *Non.* Beata Maria Dominum noftrum Jefum Chriftum offerebat in templum.
III. *Non.*
II. *Non.*
Nonas. Nat. fanctæ Agathæ virg. & mar.
VIII. *Id.* *Nat. fancti Vedafti conf.* [Alio charactere, fed ejufdem ferme ætatia.]
VII. *Id.* *Veris initium: habet dies* XCI.
VI. *Id.*
V. *Id.*
IV. *Id.* Nat. fancti (fic) Soteria mar. & fanctorum Ireneî, Zotici, & Jacinti mar.
III. *Id.* Nat. fancti Caftrenfis mar. *Brgonh.* [Alio charactere.]
II. *Id.*
Idus.
XVI. *Kal. Mar.* Nat. fancti Valentini; Felicole & Zenooia mar.
XV. *Kal.* *Diabolus fuperatur receffit a Domino.*
XIV. *Kal.* Nat. fanctæ Jullanæ virg. mar.
Sol in pifces.
XIII. *Kal.*
XII. *Kal.*
XI. *Kal.*

II. *Id. Jan. fancti Johannis Papæ.*] Vide quæ de S. Johanne Papa, & martyre diximus ad diem XXVII. *Maji* in Notationibus ad Adonem. In quibufdam monafteriis, & Ecclefiis Franciæ Orientalis de eo agebatur hac die XII. *Januarii*, nam ea die agit Martyrologium monafterii S. Maximini Trevirenfis, apud Bollandianos ad diem XXVII. Maji pag. 709. & apographum Bedæ in Ecclefia Virzburgenfi, editum ab Eccardo in Appendice tom. I. hiftoriæ Franciæ Orientalis habet: II. *Id. Januar. Depofitio Johannis Papæ.*

XIII. *Kal. Feb. Obiit Hludovvicus junior rex.*] Necrologium Augienfe apud Mabillonium Analectorum tom. IV. pag. 645. habet: XIII. *Kal. Feb. Ludovicus rex.* Necrologium Laureshamenfe apud Schannatum in Vindemiis litterariis: XIII. *Kal. Feb. Ludovvici regis. Hic fanctæ Nazario prædium fuum dedit in Scarra, Suntbone, Dienenheim.* Eft autem *Ludovicus junior*, feu hujus nominis III. Germaniæ rex, Ludovici regis filius, qui juxta patrem in monafterio Laureshamenfi fepultus eft, & obiit hac die XX. *Januarii* A. D. 882. De ejus fepultura juxta patrem apud *Laureshamam* in Ecclefia, quæ *Varia* dicitur, ab eodem Ludovico rege conftructa, Annales Laureshamenfes poft an. 881. & de ejus liberalitate erga Laureshamenfe monafterium iidem Annales ibidem apud Duchefnium Hiftor. Franc. tom. III. pag. 501. Ita recte de die, & anno obitus *Ludovici* regis Mabillonius Annal. Bened. lib. XXXVIII. § LIX. Librariorum mendo corrupte legitur in Petri Bibliothecarii Hiftoria Francorum abbreviata apud Duchefnium tom. III. pag. 543. poft A. D. 881. *fequenti anno* IV. *Kal. Jan. ante gallicinium Magonciæ terraemotus magnus, &* XV. *Kal. Septembris Hludovvicus moritur, cujus corpus in monafterio fancti Nazarii juxta corpus patris fepelitur.* Mendofe item in Annalibus Fuldenfibus apud eundem Duchefnium tom. II. pag. 573. ad menfis nomen quod attinet fcriptum eft *Decembris* pro *Februarii*. Accipe horum verba ad A. D. 882: *Nam Hludovvicus invalefcente morbo* XIII. *Kal. Decemb.* (pro *Februar.*) *diem ultimum clausit, cujus corpus tranflatum, & in monafterio fancti Nazarii, quod dicitur Lauresbaim, juxta patris fui tumulum fepultum eft.* Ex hujufmodi mendofis locis factum eft, ut Baronius ad ann. 882. num. XIII., *Ludovicum* Germaniæ regem obiiffe XIII. *Kal. Decembris* fcripferit. Vide Pagium ad an. 882. num. XI.

VIIII. *Kal. Mar. Nat. fancti Hilarii Papæ.*] Vide Notationes noftras in Adonem die X. *Septembris*.

x. *Kal.* *Sedis Epactarum.*
ix. *Kal.* Nat. sancti Hilarii papæ.
viii. *Kal.* Nat. sancti Siricii Papæ. Cathedra sancti Petri Apostoli. *Verans oritur.*
vii. *Kal.*
vi. *Kal.* Nat. sancti Mathiæ Apostoli.
v. *Kal.* vii. *Ægypt. men. Eaminoth.*
iv. *Kal.*
iii. *Kal.*
ii. *Kal.*

KALENDIS MARTII.
Nat. sancti Donati mar.

vi. *Non.*
v. *Non.*
iv. *Non.* Nat. sanctorum ducentorum martyr.
iii. *Non.* *Obitus Hruodgangi Episcopi. End.* vii. *Embolismus. Ogd.* iii. *Embolismus.*
ii. *Non.*
Nonas. Nat. sanctarum Perpetuæ & Felicitatis mar.
viii. *Id.* *Prima incensio Lunæ Paschalis.*
vii. *Id.*
vi. *Id.*
v. *Id.*
iv. *Id.* Nat. sancti Gregorii Papæ.
iii. *Id.* *In Attica milvus apparet.*
ii. *Id.* *Natale sancti Leonis Papæ.* [Alio charactere sed fere suppari.]
Idus.
xvii. *Kal. Apr.* Nat. sanctæ Eugeniæ virg. mar.
xvi. *Kal.*
xv. *Kal.* *Primus dies sæculi. Sol in arietem. Italiæ Milvus ostenditur.*
xiv. *Kal.*
xiii. *Kal.* Nat. sancti Cutberti Episcopi conf. *Hic esset si non bissextus pervenisset. Itaque non hoc die, sed cras prima ....* ÆQUINOCTIUM EST.
xii. *Kal.* Nat. sancti Benedicti abbatis.
xi. *Kal.* *Primum Pascha. Sedis Epactarum.*
x. *Kal.*
ix. *Kal.* *Concurr. locai.*
viii. *Kal.* Adnuntiatio archang. ad sanctam Mariam. Et Dominus crucifixus est.
vii. *Kal.*
vi. *Kal.*
v. *Kal.* Resurrectio Domini nostri Jesu Christi. viii. *Ægypt. mens. Pharmothi.*
iv. *Kal.*
iii. *Kal.*
ii. *Kal.*

KALENDIS APRILIS.
Nat. sanctor. Venantii & Anastasii.

iv. *Non.*
iii. *Non.* *In Attica Vergiliæ vesperi occultantur.*
ii. *Non.* Nat. sancti Ambrosii Episcopi & conf.
Nonas. *Infra nunquam incenditur Luna Paschalis.*
viii. *Id.*
vii. *Id.*
vi. *Id.*
v. *Id.* Nat. vii. virginum, quæ in unum meruerunt coronari.
iv. *Id.*
iii. *Id.* Nat. sancti Leonis Papæ.
Idus Ap. Nat. sanctæ Eufemiæ virg.

XVIII.

---

viii. *Kal. Mar. Nat. S. Siricii Papæ.*] De *Siricio* agunt vetustiorum Latinorum tabulæ, sed fere omnes die xxvi. *Novembris*. Eum nimirum illa die recolunt omnia apographa Hieronymiana, Rhinaut, Gellonense, Richenoviense, Labbeanum, Corbejense breviis, Ottobonianum, Auctaria Bedæ, Usuardi apud Grevenium, & Molanum; in editione Grevenii tamen colitur etiam die xxii. *Februarii*, ac *martyris* titulo ea die ornatur. Recensetur inter *Damasum*, & *Innocentium* in Litaniis a Morino vulgatis in Appendice librorum de Pœnitentia pag. 65. ex codice Tolosano ante annos octingentos scripto. In nonnullis Hagiographis, orthographiæ, seu librariorum vitio *Siricus*, *Circus*, *Cyriacus*, *& Syricus* scribitur. Si libri Pontificalis auctoritatem sequimur, *sepultus est* [Siricius] *in cœmeterio Priscillæ, via Salaria*, viii. *Kal. Martias*, quod est die xxii. *Februarii*, idcirco Baronius ad an. 398. num. 1. *Siricii* obitum diei xxii. *Februarii* alligavit. At recentiores omnes censent, diem *Siricii* emortualem esse xxvi. *Novembris*, & diem xxii. *Februarii* in Hagiologiis ad aliquam illius translationem pertinere. Ita sentiunt Papebrochius in Propylæo P. i. pag. 59. & ex eo Pagius in Critica ad ann. 398. num. ii. Tillemontius tom. x. pag. 567 & 791. Vignolius ad librum Pontificalem in Siricio, Fontaninus in Historia litteraria Aquilejensi lib. v. cap. iii. §. ii. & alii recentiores. Prætermissus est *Siricius* a Martyrologii Romani emendatoribus, ac de illius sanctitate parce Baronius in magnis Annalibus; cur id factum sit, expendit Florentinius Exercitatione xvi. pag. 1001. & postmodum Henricus Cardinalis Norisius, qui perbrevem de *Siricii* Papæ *sanctitate* dissertationem edidit, & Hieronymo Cardinali Casanatæ inscripsit, cum quæreretur, an basilicæ Lateranensis Canonicis officium & Missa de S. *Siricio* permitti posset. De Martyrologiorum vetustiorum fide, in quibus *Siricius* colitur, non est dubitandum. Sed alia insuper Norisius profert, quæ id testentur, nam de illius sanctitate constare sit, ex synchronis patribus, & Pontificibus, nimirum ex epistola *Innocentii* I. *ad Anisium* Thessalonicensem, & ex *S. Leone* in epistola ad *Anastasium* in collectione Holstenii pag. 145. Neque *Siricii* famæ obesse, quod a *Rufino*, ejusque collegis Origenistis allusus fuisse dicatur, quodque *Rufino* Roma discedenti commendatorias litteras tradiderit; nam plerique hæretici sub initia hæresis eorundem, ovina pelle non semel Romanis Pontificibus illuserunt. *Praxeas* initio *Aniceto* fucum fecit. *Marcellus Ancyranus Julio Papæ. Pelagius Zosimo Papa. Vitalis & Apollinarista Damaso*. Demum de celeriori *Siricii* morte conjectura, propterea quia *Origenistas* non damnaverat, sinistra est; nam *Rufinus* A. D. 397. ex Oriente Romam venit, verno tempore, ut probabile est, ac tum *Macarii* rogatu, manum admovit ad interpretationem libri *Periarchon*, quem in Pineti secessu tardius absolvit, ubi fere semper a vere anni 397. ad autumnum usque an. 398. constitit. Hæc ex Norisio de *Siricio* delibare placuit. Sed his de rebus accuratissime Fontaninus in Historia litteraria Aquilejensi lib. v. cap. i. §. iii. cap. ii. §. iv. cap. iii. §. ii. cap. v. §. vi. cap. xvii. §. ii. cap. xix. §. iv. & cap. xv. §. iv.

iii. *Non. Mar. Obitus Hruodagangi Episcopi.*] Obiit *Chrodegangus* Episcopus *Metensis*, qui in Annalibus Petavianis & Mascianensibus *Frotegandus*, & *Frotgaudus* dicitur, *Pridie Nonas Martias* A. D. 765. ita statuit Mabillonius Annal. Bened. lib. xxiv. §. vi. & sepultus est in Gorziensi monasterio, quod ipse a fundamentis extruxerat. Id colligit ex ejus epitaphio, quod eruit ex codice Vitoniano, & edidit Analectorum tom. i. pag. 415. & ex Paulo Diacono in Episcopis Metensibus. Id etiam habet Pagius in Critica ad an. 766. num. vi. Post hæc Eccardus rerum Francicarum lib. xxiv. §. lxxxiv. ubi verba Metensis Martyrologii profert, in quo ad diem vi. *Martii* legitur: *Metis, depositio Grodegangi Archiepiscopi, & confessoris*. Ejus Acta ex codice Guelphebytano edidit Eccardus ibidem pag. 912.

xviii. *Kal. Maji*. Nat. ſanctorum Tiburtii & Valeriani mar.
xvii. *Kal.*
xvi. *Kal.*
xv. *Kal.* *Sol in Taurum.*
xiv. *Kal.* Nat. ſancti Eleutherii Epiſcopi cum matre ſua.
xiii. *Kal.*
xii. *Kal.* *Sedis Epactarum.*
xi. *Kal.* Nat. ſancti Oednvaldi pbri, anachoritæ. *Concurr. locus.*
x. *Kal.*
ix. *Kal.* Nat. ſancti Georgii mar.
viii. *Kal.* Nat. ſanctorum Vu fridi, & Egberti Epiſcoporum.
vii. *Kal.* Nat. ſancti Marci Evangel. Letania major ad ſanctum Laureotium.
vi. *Kal.* Nat. ſancti Cleti Papæ.
v. *Kal.* ix. *Ægypt. men. Pacho.*
iv. *Kal.* Nat. ſancti Vitalis mar.
iii. *Kal.*
ii. *Kal.*

KALENDIS MAJI.
Nat. ſanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum. (*Nat. ſanctæ Walburgæ virginis*). Manu recentiori.
vi. *Non.* Inventio ſanctæ Crucis, & nat. ſancti Juvenalis Epiſcopi. (*Alexandri, Eventii & Theodoli, ſancti Philippi*). Alio charactere, ſed ejuſdem ferme ætatis.
v. *Non.*
iiii. *Non.* *Umbra abſumitur in Meroe ſole abtinente.*
iii. *Non.* Adſcenſio Domini ad cælos.
ii. *Non.* Nat. ſancti Johannis Apoſtoli ante portam Latinam.
Nonas. *Ægyp. canis veſpere occidit.*
viii. *Id.*
vii. *Id.* *Æſtas initium habet. Dies xc. Ortus Vergiliarum.*
vi. *Id.* Nat. ſancti Gordiani mar. [*atque Epimachi.*] Alio charactere.
v. *Id.*
iiii. *Id.* Nat. ſanctorum Nerei. Achillei. Pancratii mar.
iii. *Id.* Dedicat. Eccleſiæ beatæ Mariæ ad martyres. Et nat. ſancti Servaſii Ep. conf.
ii. *Id.*
Idibus. *Primum Pentecoſten.*
xvii. *Kal. Jun.*
xvi. *Kal.*
xv. *Kal.* *Sol in geminos.*
xiv. *Kal.* Nat. ſanctæ Pudentianæ mar.
xiii. *Kal.* Nat. ſanctæ Baſillæ virg. mar.
xii. *Kal.* *Ceſ. arianis gladius occidere incipit.*
xi. *Kal.*
x. *Kal.*
viiii. *Kal.* *Æſtus oritur.*
viii. *Kal.* Nat. ſancti Urbani Papæ mar.
vii. *Kal.* Nat. ſancti Auguſtini Ep. & conf. x. *Ægypt. men. Paon.*
vi. *Kal.*
v. *Kal.* Nat. ſancti Germani Ep. conf.
iv. *Kal.* Nat. ſancti Maximi Ep. & conf.
iii. *Kal.*
ii. *Kal.* Nat. ſanctæ Petronellæ.

KALENDIS JUNII.
Nat. ſancti Priſci, & ſancti Nicomedis mar.
iv. *Non.* Nat. ſanctorum Marcellini & Petri mar.
iii. *Non.*
ii. *Non.*
Non. Jun. Nat. ſancti Bonifacii Epiſcopi mar.
viii. *Id.*
vii. *Id.*
vi. *Id.* Nat. ſancti Medardi Ep. & conf.
v. *Id.* Nat. ſanctorum Primi & Feliciani mar.
iv. *Id.*
iii. *Id.* Nat. ſancti Barnabæ Apoſtoli.
ii. *Id.* Nat. ſanctorum Baſilidis. Cyrini. Naboris, & Nazarii mar.
Idus.
xviii. *Kal. Jul.*
xvii. *Kal.* Nat. ſancti Viti mar.
xvi. *Kal.* [*Nat. ſanctorum Aurei & Juſtinæ mar.*] Manu recentiori.
xv. *Kal.*
xiv. *Kal.* Nat. ſanctorum Marci & Marcelliani mar.
xiii. *Kal.* Nat. ſanctorum Gervaſii & Protaſii mar.
xii. *Kal.* *Solſtitium.*
xi. *Kal.* Nat. ſancti Albani mar.
x. *Kal.*
ix. *Kal.*
viii. *Kal.* Nat. ſancti Johannis Baptiſtæ.
vii. *Kal.*
vi. *Kal.* Nat. ſanctorum Johannis & Pauli mar.
v. *Kal.*
iv. *Kal.* Vigilia ſanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum.
iii. *Kal.* Nat. ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.
ii. *Kal.* Nat. ſancti Pauli Apoſtoli. [Litteris ferme deletis.]

KALENDIS JULII.
Nat. ſancti Gagi Ep.
vi. *Non.* Nat. ſanctorum Proceſſi & Martiniani mar.
v. *Non.*
iv. *Non.*
iii. *Non.* [*Peſſimum bellum de gentilibus.* Manu recentiori.
ii. *Non.* Octab. Apoſtolorum Petri & Pauli. Et nat. ſancti Goari conf.
Nonas.

xi. *Kal. Maji. Oedunaldi pbr. anachoretæ.* De Æthelwaldo presbytero & anachoreta in *Anglia* vide Bollandianos die xxiii. Martii tom. iii. pag. 463. Floruit ſæculo vii.

viii. *Id.* Nat. sancti Kyliani Ep. mar.
vii. *Id.* Nat. sanctorum vii. fratrum filiorum sanctæ Felicitatis.
vi. *Id.* Adventus sancti Nazarii in Lauresham. Et. nat. sancti Benedicti abbatis.
iv. *Id.* Felicis & Naboris mar.
iii. *Id.* [*Nat. sanctæ Margaretæ virginis Christi.*] Manu recentiori.
ii. *Id.*
Idus Jul. Nat. sancti Cyrici. Cassiani. Juliæ.
xvii. *Kal. Aug.*
xvi. *Kal.* Nat. sancti Sperati Ep. & mar.
xv. *Kal.* Nat. sanctæ Symphorosæ. vii. germanorum.
xiv. *Kal.*
xiii. *Kal.*
xii. *Kal.* Nat. sanctæ Praxedis.
xi. *Kal.* Sanctæ Mariæ Magdalenæ.
x. *Kal.* Nat. sancti Appollonaris Episcopi mar.
ix. *Kal.*
viii. *Kal.* Nat. sancti Jacobi fratris Johannis. Et sancti Christophori.
vii. *Kal.*
vi. *Kal.* Nat. sancti Simeonis monachi.
v. *Kal.*
iv. *Kal.* Nat. sanctorum Felicis. Simplicii. Faustini. Viatricis. Et sancti Lupi conf.
iii. *Kal.* Nat. sanctorum Abdo & Sennes mar.
ii. *Kal.*

KALENDIS AUGUSTI.

Nat. sanctorum Machabæorum mar.
iv. *Non.* Nat. sancti Stephani Episcopi mar.
iii. *Non.*
ii. *Non.* [*Nat. sancti Justini mar.*] Manu recentiori.
Nonas. Nat. sancti Osuvaldi regis mar. Et sancti Mimmii Episcopi.
viii. *Id.* Nat. sancti Xisti Episcopi. Felicissimi. Agapiti mar.
vii. *Id.* Nat. sancti Donati Episcopi conf. [*Et sanctæ Afræ.*] Charactere minus antiquo.
vi. *Id.* Nat. sancti Cyriaci mar.
v. *Id.*
iv. *Id.* Nat. sancti Laurentii mar.
iii. *Id.* Nat. sancti Tiburtii mar.
ii. *Id.*
Idus. Nat. sancti Yppoliti mar.
xix. *Kal. Sep.* Nat. S. Eusebii sacerdotis.
xviii. *Kal.* Adsumptio sanctæ Mariæ matris Domini nostri Jesu Christi.
xvii. *Kal.*
xvi. *Kal.*
xv. *Kal.* Nat. sancti Agapiti mar.
xiv. *Kal.*
xiii. *Kal.*
xii. *Kal.*
xi. *Kal.* Nat. sancti Timothei & Symphoriani mar.
x. *Kal.* Nat. sancti Cyriaci. *Autumnus oritur.*
ix. *Kal.* *Nat. sancti Bartholomei Apostoli.* Charactere minus vetusto, sed veteri lectioni addito.
viii. *Kal.*
vii. *Kal.*
vi. *Kal.* Nat. sancti Rufi mar.
v. *Kal.* Nat. sancti Hermetis. Et S. Augustini Episcopi.
iv. *Kal.* Passio sancti Johannis Baptistæ, & sanctæ Sabinæ.
iii. *Kal.* Nat. sanctorum Felicis & Audacti.
ii. *Kal.*

KAL. SEPTEMB.

Nat. sancti Prisci. Et translatio corporis, & dedicat. Ecclesiæ sancti Nazarii.
iv. *Non.*
iii. *Non.*
ii. *Non.*
Nonas. Nat. sancti Quintini confessoris.
viii. *Id.*
vii. *Id.* Nat. sancti Sinoti mar.
vi. *Id.* Nativitas sanctæ Mariæ matris Domini.
v. *Id.* Nat. sancti Gorgonii mar.
iv. *Id.* Nat. sanctorum necctorum mar.
iii. *Id.* Nat. sanctorum Proti & Jacinthi mar.
ii. *Id.*
Idus.
xviii. *Kal. Octob.* Exaltatio sanctæ Crucis. Et nat. sanctorum Cornelii & Cypriani mar.
xvii. *Kal.* Nat. sancti Nicomedis martyr. [*Rapoto obiit de hoc seculo.*] Alio charactere, minus antiquo.
xvi. *Kal.* Nat. sanctæ Eufemiæ. Et sanctorum

---

v. Id. Jul. Adventus S. Nazarii Lauresham.) *SS. Gorgonii, Naboris*, atque *Nazarii* reliquiarum translatio *Roma* in Franciam, A. D. 765. facta fuisse dicitur, cura & studio *Chrodegangi Metensis* Episcopi, qui S. *Nazarii* reliquias in *Laureshamensi* monasterio reponendas curavit. In perantiquo Kalendario Laureshamensi, apud Mabillonium Annal. Bened. lib. xxiv. §. vi. *adventus S. Nazarii Lauresham. v. Id. Julii* adnotatur, prout in Kalendario Palat. Vat. 499. inferius. Hujus translationis Historia scripta est a Gorziensi monacho anonymo, in qua tamen mendosa aliqua esse, monet Mabillonius loco memorato.

Kal. Septemb. Translatio corporis & dedicatio Eccles. S. Nazarii) de translatione corporis seu reliquiarum *S. Nazarii* vide supra ad v. *Id. Julii*, & Pagium ad an. 764. num. 1. De ea hac die Kalendarium Palat. Vat. 499. ubi de *dedicatione* Ecclesiæ ejusdem *S. Nazarii* in monasterio Laureshamensi. Facta fuit enim hæc dedicatio *Kalendis Septembris* A. D. 774. per *Lullum Moguntinum*, *Wiomadum Trevirensem* Archiepiscopos, & nonnullos Episcopos, cui *Carolus* M. interfuit, ac tunc S. *Nazarii* reliquiæ celebri pompa translatæ sunt. Vide de ea Mabillonium Annal. Bened. lib. xxiv. §. lxix. ad an. 774. ubi citat Kalendarium Laureshamense, seculo ix. scriptum.

vii. Id. Sept. Nat. sancti Sinoti Mar.) Forte est *Sinotus*, seu *Sinotus* in *Capua*, vel *Benevento*, de quo hac die Rhinoviense, Richenoviense, Corbejense breviar, & Martyrologium Reginæ Suecorum.

rum Lucii (ſic) & Geminiani.
xv. *Kal.* Nat. ſancti Lamberti Epiſcopi martyr.
xiv. *Kal.*
xiii. *Kal.*
xii. *Kal.* *Æquinoctium eſt.*
xi. *Kal.* Nat. ſancti Mathei Apoſtoli & Evangeliſtæ.
x. *Kal.* Nat. ſanctorum Mauritii & ſociorum ejus VIM.LXXXV. mar.
ix. *Kal.*
viii. *Kal.*
vii. *Kal.* Nat. ſancti Firmini Epiſcopi.
vi. *Kal.* Nat. ſanctorum Sulpicii & Serviliani mar.
v. *Kal.* Nat. ſanctorum Coſmæ & Damiani mar.
iv. *Kal.*
iii. *Kal.* Dedicatio baſilicæ Michaelis archangeli.
ii. *Kal.* Nat. ſancti Hieronymi presbyteri.

KALENDIS OCTOB.
Nat. ſanctorum Remegii & Germani Epiſcoporum.
vi. *Non.* [*Nat. ſancti Laudegarii mar.*] Manu recentiori.
v. *Non.*
iv. *Non.* Natal. ſanctorum Heovaldi & Heovaldi mar.
iii. *Non.* Nat. ſanctæ Chriſtinæ.
ii. *Non.*
Non. Octob. Nat. ſancti Marci Ep. & conf. [*Nat. ſanctorum Sergii & Bachi.*] Aliena manu.
viii. *Id.* BELLA INTER CARLO ET HLUDOVVICO.
vii. *Id.* Nat. ſanctorum Dionyſii Ep. Eleutheri & Ruſtici mar.
vi. *Id.* Nat. ſanctorum Gereoni. Victori, & aliorum CCCXVIII. mar. Et ſancti Paulini Epiſcopi.
v. *Id.*
iv. *Id.* Nat. ſancti Heudiſti.
iii. *Id.*
ii. *Id.* [*Nat. ſancti Kaliſti Papæ.*] Manu recentiori.
Idibus.
xvii. *Kal. Nov.* Nat. ſanctæ (ſic) Galli conf.
xvi. *Kal.*
xv. *Kal.* Nat. ſanctæ (ſic) Lucæ Evangeliſtæ. [*Ebrigiſus Ep. ob.*
xiv. *Kal.*
xiii. *Kal.* Nat. ſancti Neonis mar.
xii. *Kal.* Nat. ſancti Hilarionis. [*Et ſolemnitas ſanctarum virginum ad Agrip.*] Alio charactere.
xi. *Kal.*
x. *Kal.*
ix. *Kal.*
viii. *Kal.* Nat. ſanctorum Criſpini & Criſpiniani mar.
vii. *Kal.*
vi. *Kal.*
v. *Kal.* Nat. ſanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ. Et ſancti Sirmicii conf.
iv. *Kal.*
iii. *Kal.*
ii. *Kal.* Nat. ſancti Quintini mar.

KALENDIS NOVEMB.
Nat. ſancti Cæſarii mar. Et natal. omnium ſanctorum.
iv. *Non.*
iii. *Non.* Nat. ſancti Cæſarii diac.
ii. *Non.*
Nonas.
viii. *Id.*
vii. *Id.* [*Nat. ſancti Rufi mar.*] Alio charactere.
vi. *Id.* Natal. ſanctorum quatuor Coronatorum.
v. *Id.* Nat. ſancti Theodori mar.
iv. *Id.*
iii. *Id.* Nat. ſancti Martini Epiſcopi. Et ſancti Mennæ mar.
ii. *Id.*
Idus. Nat. ſancti Bricii Ep. Et ſancti Felicis presbyteri.
xviii. *Kal. Decemb.*
xvii. *Kal.*
xvi. *Kal.*
xv. *Kal.* Nat. ſancti Aniani Ep. conf. Et ſanctæ Teclæ virg.
xiv. *Kal.*
xiii. *Kal.* Nat. ſancti Maximi.
xii. *Kal.*
xi. *Kal.*
x. *Kal.* Nat. ſanctæ Cæciliæ virg. mar.
ix. *Kal.* Nat. ſancti Clementis Epiſc. mar. Et ſanctæ Felicitatis mar. Et S. Throdonis conf.
viii. *Kal.* Natal. ſancti Chriſogoni mar. *Et hiemps oritur.*
vii. *Kal.*
vi. *Kal.* Nat. ſanctorum Neandri. Caſſiani, & Feliciſſimi.
v. *Kal.* Nat. ſancti Optati Epiſcopi.
iv. *Kal.*

iii. *Kal.*

VIII. *Id. Octob. Bella inter Carlo, & Hludovvico.*] De bello inter *Carolum calvum*, & *Ludovicum* Germaniæ regem, deque inita pugna VIII. *Idus*, ideſt die VIII. *Octobris* A. D. 876. qua die divinitus ab exercitu *Ludovici* victus fugatusque eſt *Carolus*, & *Ludovicus* triumphans *Francofurtum* perrexit, Annales Bertiniani cap. XXXIV. tom. III. Hiſtor. Francorum pag. 250. Annales Francorum Fuldenſes, ibidem tom. II. pag. 570. & ex iis, ac ex Aimoinio lib. V. cap. XXXIV. Baronius ad ann. 876. & ſeq. & Pagius ad eum annum num. 12.

Idibus Nov. Et ſancti Felicis pbr.) De *Felice* presbytero *Romæ*, hac die Richenovienſe, & Labbeanum.

VI. *Kal. Dec. Nat. SS Neandri, Caſſiani, & Feliciſſimi.* Richenovienſe hac die: & *in Capua, Neandri, Caſſiani, & Feliciſſimi, Saturnini.*

III. *Kal.* Nat. sanctorum Saturnini, Crisanti, Mauri, & Dariæ.
II. *Kal.* Nat. sancti Andreæ Apostoli.

KALENDIS DECEMB.
Natal. sanctæ Candidæ. Et sancti Elegii Ep. conf.
IV. *Non.*
III. *Non.*
II. *Non.* Nat. sancti (sic) Barbari.
Nonas.
VIII. *Id.*
VII. *Id.*
VI. *Id.*
V. *Id.*
IV. *Id.* Nat. sancti Melciadis Papæ.
III. *Id.* Nat. sancti DamasiPapæ.
II. *Id.* Nat. sanctæ Eulaliæ virg. mar.
Idus. Nat. sanctæ Luciæ virg. mar.
XIX. *Kal. Jan.*
XVIII. *Kal.*
XVII. *Kal.*
XVI. *Kal.* Nat. sancti Ignatii mar.
XV. *Kal.*
XIV. *Kal.*
XIII. *Kal.* Nat. sancti Athanasii Ep.
XII. *Kal.* Natal. sancti Thomæ Apostoli. *Solstitium.*
XI. *Kal.*
X. *Kal.* Nat. sanctæ Eugeniæ virg.
IX. *Kal.*
VIII. *Kal.* Nativitas Domini nostri Jesu Christi. Et nat. sanctæ Anastasiæ mar.
VII. *Kal.* Nat. sancti Stephani mar.
VI. *Kal.* Nat. sancti Johannis Apostoli & Evangelistæ.
V. *Kal.* Nat. sanctorum Innocentum mar.
IV. *Kal.*
III. *Kal.*
II. *Kal.* Nat. sancti Silvestri Papæ.



KALEN-

I V.

KALENDARIUM VATICANUM

Præfixum Sacramentario Gregoriano, edito ab Angelo Roccha.

Ex Cod. Vat. 3806. initio fæculi xi.

. . . Hebræor. M. *Tebeth*. Græcorum 1I. *Eydinios*. *Urinthormanath*. R. L. ix.

R. F. 11I. *Principium Jani fancit Tropicus, Capricornus.*

MENS. JAN. HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

● 11I. A. K*Al. Jan.* Circumcifio & oct. Domini. Romæ, S. Concordii martyria. Et fanctæ Martinæ, uxoris Adriani.

B. iv. *Non.* Romæ, fancti Teleafori Papæ & mar. viii.

IA. xi. C. 11I. *Non.* Parif. depofitio fanctæ Genovefæ virg. Romæ, fancti Anteri Papæ & mar. xviii.

IB. D. 1I. *Non.* In Antiochia, S.Symeonis monachi. Et Hierufalem, fancti Symeonis prophetæ.

IΓ. xix. E. NONAS.

IΔ. viii. F. viii. *Id.* Aepiphania Domini noftri Jefu Chrifti.

IE. G. vii. *Id.* In Thracia, fancti Ifidori Epifcopi, & fanctor. martyrum Fauftæ & Ejulafi.

Iς. xvi. A. vi. *Id.* In Gallia, civitate Bellovacus, natalia fanctorum martyrum Luciani, Maximiani, Juliani. DELFINI OCCASUS.

IZ. v. B. v. *Id.* Romæ, fancti Igoni (fic) Papæ viii. Et fancti Agathonis Papæ LXXX.

IH. C. iv. *Id.* In Thebaidis, depofitio fancti Pauli primi heremitæ. Eductio Domini de Ægypto.

IΘ. xiii. D. 11I. *Id.*

K. 1I. E. 1I. *Id.*

KA. F. IDUS. Octab. Epiph. & Pictavis, S. Hilarii Epifcopi. Et fanctorum Juliani & Bafillæ.

KB. x. G. xix. *Kal.* In Campania, civitate Nola, paffio S. Felicis presbyteri. Agapiti & Pontiani mar.

KΓ. A. xviii. *Kal.* Rhemis, depofitio fancti Remigii conf. ABBACUC PROPHETA LUCTATOR.

KΔ. xviii. B. xvii. *Kal.* Romæ, fancti Marcelli Papæ xxx. Et Petrona, fancti Forfei Abbatia. Et Honorati mar.

KP. vii. C. xvi. *Kal.* Bituricas, fancti Sulpicii Epifcopi. Et in Thebaidia, fancti Antonii monachi.

Kς. D. xv. *Kal.* Romæ, fanctæ Prifcæ virginis. Et cathedra fancti Petri.

KZ. xv. E. xiv. *Kal.*

KH. iv. F. xiii. *Kal.* Romæ, Fabiani Papæ xx. Sebaftiani, Marii, Marthæ, Andifax, & Ablacug.

KΘ. G. xii. *Kal.* Romæ, paffio fanctæ Agnæ virginis.

A. xii. A. xi. *Kal.* In Spania, paffio fancti Vincentii mar. & diaconi. Et Anaftafii mar. de Perfida.

A. i. B. x. *Kal.* Romæ, paffio fanctorum Emerentianæ. Et Macharii atque Eugenii.

B. C. ix. *Kal.* In Antiochia, Babillæ Epifcopi cum tribus parvulis.

Γ. ix. D. viii. *Kal.* Damafco, converfio fancti Pauli. Et Arvernis, S. Præjecti mar.

Δ. E. vii. *Kal.* VI. Æ M. MECHIR.

E. xvii. F. vi. *Kal.* Romæ, S. Vitelliani Papæ LXXVII.

ς. vi. G. v. *Kal.* Romæ, fanctæ Agnæ virg.

Z. A. iv. *Kal.* Sancti Valerii Epifcopi. Papiæ & Mauri.

H. xiv. B. 11I. *Kal.* Malbodio monafterio, fanctæ Aldegundia virginia.

N. M. XVI. D. VIII.

Θ. 11I. C. 1I. *Kal.*

Jani prima die, & feptima fine timetur.

xi. Hebr. M. *Sabath*. Græcorum *Peritias*. *F. Harbube*. *A. Solmouth*. R. L. X.

Menfe Numæ in media Soli diftat Aquari.

MENSIS FEB. HABET DIES XXVIII. LUNA XXIX.

I. D. *Kal. Feb.* In Scotiia, fanctæ Brigidæ virginis. Smirna, fancti Policarpi Epifcopi.

IA. xi. E. iv. *Non.* Purificatio fanctæ Dei genitricia.

IA. xix. F. 11I. *Non.* Sancti Blafii Epifcopi & mar.

IE. viii. G. 1I. *Non.* *Fidicula vefperi accidit.*

IA. A. *Non.* In Sicilia, paffio S. Agathæ virg.

ΓE. xvi. B. viii. *Id.* Helnone monafterio, depofitio beati Amandi. Et Atrebaa, fancti Vedafti Epifcopi. Et fanctæ Dorotheæ virginia.

IS. v. C. vii. *Id.* Sanctæ Helenæ. Initium veria fecundum GR. T. R. INIT. X. KAL.

IZ. D. vi. *Id.*

IH. xiii. E. v. *Id.*

IC. 1I. F. iv. *Id.* Romæ, fanctæ Sotheria. Et Scolafticæ virg. Zotici, Herenei, & Jacincti.

K. G. 11I. *Id.* Sancti Caftrenfi mar. Romæ, fancti Gregorii Papæ LXXXVIII.

KA. x.

KA. x. A. II. *Id.*
KB. B. *Idus.*
KΓ. xviii. C. xvi. K. M. Interamnis, Valentini Episcopi. Romæ, Valentini presbyteri, Vitalis, Feliculæ, Zenonis.
KΔ. vii. D. xv. *Kal.* Depositio sancti Silvini Episcopi. Et sanctorum mar. Faustini & Jovitæ.
Sol in pisces.
KE. E. xiv. *Kal.* Incombas (sic), passio sanctæ Julianæ virg. Et sancti Onesimi conf.
Kϛ. xv. F. xiii. *Kal.*
KZ. iv. G. xii. *Kal.*
KH. A. xi. *Kal.*
KΘ. xii. B. x. *Kal.* Sancti Eucharii Episcopi & conf.
A. i. C. ix. *Kal.* Idem (sic) *die oritur ver secundum Isidorum Hispaniensem.*
B. D. viii. *Kal.* In Antiochia cathedra sancti Petri. & sanctarum virg. Teclæ & Concordiæ.
Γ. viiii. E. vii. *Kal.*
Δ. P. vi. *Kal.* Sancti Mathiæ Apostoli. *Hic bisextus.*
E. xvii. G. v. *Kal.*
ϛ. vi. A. iv. *Kal.* In Alexandria, sancti Fortunati conf.
Z. B. iii. *Kal.*
H. xiv. C. II. *Kal.* N. H. XIV. N. X.

Memento, quod anno bissextili Lunam Feb. mense computes xxxam, & tam Luna Martii mensis dies habeat, ne Paschalis Lunæ ratio vacillet.

Ast Februi quarta est: praecedit tertia finem. Mense Mar. ebdom. I. est celebratio jejuniorum, iv. & vi. fer. & in sabb. xii. lectiones.

Heb. M. *Apar.* Græcorum. *Dystros* F. *Lezin-maaabs.* A. *Rhedomenath.*

Procedunt duplices in Martia tempora pisces.

MARTIUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

Θ. iii. D. *Kal. Mar.* Andegavis, depositio sancti Albini. In Africa, Donati mar. & Leonis.
I. E. vi. *Non.* Romæ, sancti Simplicii Papæ XLVIII.
IA. xi. F. v. *Non.*
IB. xix. G. iv. *Non.* Nicomedia, Adriani mar. cum sociis suis. Romæ, sancti Lucii Papæ & mar. Hic jussit, duo presbyteri & III. diaconi Episcopum in omni loco non deserant, propter testimonium Ecclesiæ.
IΓ. xix. A. iii. *Non.* Antiochiæ, passio sancti Focæ Episcopi.
IΔ. viii. B. II. *Non.* Sancti Quiriaci presbyteri.
IE. C. *Non. Mar.* Cartagine, passio sanctarum virginum Perpetuæ & Felicitatis.
Iϛ. xvi. D. viii. *Id.*
IZ. v. E. vii. *Id.* In Sebaste, Armenia minore XL. militum.
IH. F. vi. *Id.*
IΘ. xiii. G. v. *Id.*
K. II. A. iv. *Id.* Romæ, sancti Gregorii Papæ. Hic augumentavit in canone: *Diesque nostros.* Et instituit super sanctorum mar. Missas celebrare. Ipse etiam in Ecclesia sancti Petri eadem fecit. Et Letaniam majorem propter morbum inguinarium statuit.
KA. B. III. *Id.*
KB. x. C. II. *Id.*
KΓ. D. *Idus.*
KΔ. xviii. E. xvii. *Kal. Apr.* Sancti Cyriaci mar. Et in territorio Austrobantensium, sanctæ Eusebiæ virginis.
KE. vii. P. xvi. *Kal.* In Scotia, sancti Patricii. Et in Nivella, sanctæ Gertrudis virginis.
Kϛ. G. xv. *Kal.* Romæ, sancti Pimenii mar.
Sol in in Arietem. primus dies sæculi.
KZ. xv. A. xiv. *Kal.* In Bethleem, sancti Josephi nutritoris Domini.
KH. xiv. B. xiii. *Kal.* Fontanella, depositio sancti Vulframmi Episcopi. Cuthberti Abbatis & Episcopi.

ÆQUINO. VERNALE INIT. XIIII. L.

SEDES EPACT. PRIMA CELEB. PASCH.

KΘ. C. xii. *Kal.* Depositio sancti Benedicti Abb.
A. xii. D. xi. *Kal.*
A. i. E. x. *Kal.*
B. F. ix. *Kal.*
Γ. ix. G. viii. *Kal.* Annuntiatio, conceptio, & passio Domini. Et passio sancti Jacobi fratris Domini.
Δ. A. vii. *Kal.* Romæ, sancti Castuli presbyteri. Et Acatii.
E. xvii. B. vi. *Kal.* Resurrectio Domini nostri Jesu Christi.
ϛ. vi. C. v. *Kal.*
Z. D. iv. *Kal.*
H. xiv. E. iii. *Kal.* In Tessalonica, sancti Victoris mar.
Θ. iii. F. II. *Kal.* Silvanectis, sancti Reguli Episcopi & conf.

Martii prima necat, cujus sceus pridie quarta est.

I. I. Hebr. M. *Nisan.* Græcorum II. *Xanticor.* F. *Ostramabeth.* A. *Eosturmaaath.*

IA. G. iii. *Respicis Aprilis aries, Frixese Kalendas.*

MEM-

MENSIS APR. HABET DIES XXX.
LVNA XXVIIII.

I. G. *Kal. April.* In Theſſalonica, ſanctorum Quintiani, Agapis, & Chioniæ.
IA. xi. A. iv. *Non.*
IB. B. iii. *Non.* In Cæſarea Paleſtinæ, paſſio ſanctæ Theodoſiæ virg.
IΓ. xix. C. ii. *Non.* Mediolani, depoſitio ſancti Ambroſii Epiſcopi & conf.
IΔ. viii. D. *Nonas.*
Vltimæ emb. end.
Vltima incenſio Lunæ Paſchal.
IE. xvi. E. viii. *Id.* Romæ, ſancti Cæleſtini Papæ xliiii. Hic conſtituit, ut Pſalmi David cl. ante ſacrificium pſallerentur antiphonatim. Nam antea ſolummodo Epiſtola Pauli recitabatur, & Evangelium.
Iϛ. v. F. vii. *Id.*
IZ. G. vi. *Id.*
IH. xiii. A. v. *Id.* Sancti Antonii conf. & in Sirmia vii. virg.
IΘ. ii. B. iiii. *Id.* Sancti Antonii mar.
Hiezechiel, fortitudo Domini.
K. C. iii. *Id.* Romæ, ſancti Leonis Papæ xlvi. Et ſancti Zenonis mar. Item Romæ, ſancti Julii Papæ xxxv. Hic ſtatuit, ut nullus clericus cauſam quamlibet in publico ageret, niſi in Eccleſia, & notitia, quæ omnibus pro fide eſt. Et dedit porticum ſanctorum Conii, & Antonii.
KA. x. D. ii. *Id.* *Diluvium factum eſt.*
KB. E. *Idus.* In civitate Calcedona, paſſio ſanctæ Euſemiæ virg.
KΓ. xix. F. xviii. *Kal. Maj.* Romæ, ſanctorum mar. Tiburtii, Valeriani, & Maximi. Et Frontonſ.
KΔ. vii. G. xvii. *Kal.*
KE. A. xvi. *Kal.*
Kϛ. xv. B. xv. *Kal.*
Sol in Taurum.
KZ. iv. C. xiv. *Kal.* *Hucuſque xiv. Luna Paſch.*
KH. D. xiii. *Kal.*
KΘ. xii. E. xii. *Kal.* Sanctorum Victoria Epiſcopi, Felicis, Alexandri, Papiæ, Seneſii mar. Et ſancti Aniciti Papæ x.
A. i. F. xi. *Kal.* Sancti Maximi mar.
B. G. x. *Kal.* Romæ, ſancti Sotheris Papæ xii. Hic inſtituit, ut nullus monachus ſacratam pallam contingeret, vel menſam poneret. Eodem die, Romæ, ſancti Gai Papæ xxviii. Hic conſtituit, ut omnes ordines in Eccleſia ſic aſcenderent, ut eſſet boſtiarius; lector, & eſſet uſque ad Epiſcopum.
Γ. ix. A. viiii. *Kal.* Sancti Georgii.
Δ. B. viii. *Kal.*
E. xvii. C. vii. *Kal.* In Alexandria, ſancti Marci Evangeliſtæ.
ϛ. vi. D. vi. *Kal.*
Z. E. v. *Kal.* Romæ, ſancti Anaſtaſii Papæ & conf. xl. Hic ſtabilivit, ut quotieſcunque Evangelia ſancta recitantur, Sacerdotes non ſederent, ſed curvi ſtarent.
H. xiiii. F. iiii. *Kal.* Sanctorum mar. Vitalis, & Torpetis.
Θ. iii. G. iii. *Kal.* Romæ, ſancti Cleti Papæ & mar. ii. & translat. S. Richarii ſacerdotis.
I. A. ii. *Kal.* Romæ, Quirini Epiſcopi & mar.

Aprilis decima eſt, undena a fine minatur.
Nox H. x. Dies xiiii.
ii. Hebr. mens. *Idir.* Græcorum vi. *Artemiſeos.* F. *Vabnimaboth.* A. *Thrimilchi.* a. l. xi.
R. F.
Majus agenorei miratur cornua tauri.

MENSIS MAJUS HABET DIES XXXI.
LVNA XXX.

IA. xi. B. *Kal. Maj.* Natalis Apoſtolorum Philippi & Jacobi. Et paſſio ſancti Cyriaci Epiſcopi, per quem crux ſalutaris inventa eſt anno ccxxxiii. poſt paſſionem Domini. Et paſſio ſancti Sigiſmundi Regis. Sanctæ Vvaltpurgæ virginis.
IB. C. vi. *Non.* Alexandria, ſancti Athanaſii Epiſcopi conf.
IΓ. xix. D. v. *Non.* Romæ, ſancti Alexandri Papæ vi. & ſanctorum Eventii, & Theodoli. Et inventio ſanctæ Crucis.
IΔ. E. iiii. *Non.* Sancti Floriani mar.
IE. viii. F. iii. *Non.*
Iϛ. xvi. G. ii. *Non.* Sancti Johannis ante portam Latinam, quando a Domitiano Imperatore in dolium ferventis olei miſſus eſt.
IZ. v. A. *Nonas.*
IH. B. viii. *Id.* Mediolano, ſancti Victoris mar.
IΘ. xiii. C. vii. *Id.* Sancti Beati presbyteri & conf. *Init æſtas in ortu vergil. matut.*
K. ii. D. vi. *Id.* Romæ, natalis ſanctorum mart. Gordiani & Epimachi.
KA. E. v. *Id.* Vienna, depoſitio ſancti Mamerti Epiſcopi, cujus conſultu triduanum ante aſcenſionem Domini celebratur jejunium.

junium. Sanctus Augustinus ab hinc usque in v. Id. Aug. tempus æstivum in diebus xc. esse confirmat.

KB. x. F. iiiI. *Id.* Romæ sanctorum mar. Nerei, Achillei, & Pancratii.

KΓ. G. iiI. *Id.* Trejecto, sancti Servacii Episcopi. Taraci, Probi, & Andronici.

KΔ. xviii. A. iI. *Id.* Romæ, sancti Theodori Papæ LXXXIII.

KE. vii. B. *Idus.*

Primum Pentecosten.

Kϛ. C. xvii. *Kal. Jun.*

KZ. xv. D. xvi. *Kal.*

KH. iiiI. E. xv. *Kal.*

Sol in geminos.

KΘ. F. xiiii. *Kal.* Romæ, sanctæ Potentianæ virginis.

Λ. xii. G. xiii. *Kal.* Sancti Cononis, & sanctæ Basillæ virg.

A. i. A. xii. *Kal.* In Cœnobio Augiense, sancti Valentis mar.

B. B. xi. *Kal.* Sancti Faustini conf. & sanctæ Helenæ virg.

Γ. viiii. C. x. *Kal.* Sanctorum Desiderii Episcopi, Sulpicii, & Serviliani.

Δ. D. viiii. *Kal.* In civitate Namnetis, passio sanctorum Donatiani & Rogatiani.

E. xvii. E. viii. *Kal.* Romæ, sancti Urbani Papæ & mar. xvii. Et sancti Desiderii mar.

ϛ. vi. F. vii. *Kal.* In Brittannia, sancti Augustini primi Anglorum Episcopi. Et sancti Simmetri presbyteri. x. *Ægypt. mens Pauni.*

Z. G. vi. *Kal.* Parisius, depositio sancti Germani Episcopi.

H. xiiii. A. v. *Kal.* Treveris, depositio sancti Maximini Episcopi.

Θ. iiI. B. iiiI. *Kal.* Romæ, sancti Felicis Papæ & mar. xxvi. Qui super memorias mar. Missas celebrare deliberavit.

I. C. iiI. *Kal.* Romæ, sanctæ Petronellæ virg. Et sanctorum mar. Cantii, Cantiani, & Cantianillæ.

IA. xi. D. ii. *Kal.*

Nox H. viii. D. xvi.

Tertius in Majo lupus est, & septimus anguis.

Mense Jun. Ebdom. iI. est, celebratur jejunium iiiI. & vi. fer. & in Sab. xii. lect.

iiI. Hebr. mens. *Ivab.* Græcor. *Desyphus.* P. *Brahmanoth.* A. *Lida.*

R. F. vi.

Junius æquatos cœlo videt ire laconas.

MENSIS JUNIUS HABET DIES XXX. LUNA XXIX.

IB. xix. E. *Kal. Jun.* Sancti Pamphili mart.

IΓ. viii. F. iiiI. *Non.* Romæ, natalis sanctorum Marcellini & Petri. Et sanctæ Martinæ, cum aliis XLVII.

IΔ. G. iiI. *Non.*

IE. xvi. A. iI. *Non.* Sancti Quirini Episcopi & mar.

Iϛ. v. B. *Nonas.* Fuldensi in cœnobio, Christi mart. Bonifatii natalis celebratur & passio.

IZ. C. viii. *Id.* Sanctorum mar. Vincentii & Benigni.

IH. xiii. D. vii. *Id.*

IΘ. iI. E. vi. *Id.* Suessionis civitate, natalis sanctorum Medardi, & Gildardi.

K. F. v. *Id.* Romæ, sanctorum Primi & Feliciani.

KA. x. G. iiiI. *Id.* Sancti Getulii mar.

KB. A. iiI. *Id.* Sancti Barnabæ, adjutoris Pauli.

KΓ. xviii. B. iI. *Id.* Romæ, sanctorum Basilidis, Cirini, Naboris, Nazarii, Tripodis, & Mandalis.

KΔ. vii. C. *Idus.* Sanctæ Felicolæ virg.

KE. D. xviii. *Kal. Jul.* In pago Suessonico, passio sanctorum Valerii, & Rufini.

Kϛ. xv. E. xvii. *Kal.* In Sicilia, passio sanctorum Viti, Modesti, & Crescentiæ.

KZ. iiiI. F. xvi. *Kal.* In civitate Vesoncense, sanctorum Ferioli & Ferrucionis. Aurei & Justini.

KH. G. xv. *Kal.* Aurelianis, depositio S. Aviti presbyteri. Et Diogenis mar.

KΘ. xii. A. xiiii. *Kal.* Romæ, passio sanctorum mar. Marci & Marcelliani.

Λ. i. B. xiii. *Kal.* Mediolano, passio sanctorum Gervasii & Protasi.

B. C. xii. *Kal.*

Γ. ix. D. xi. *Kal.* In Alemannia, passio sancti Albani mar. Et sancti Eusebii historiographi.

Δ. E. x. *Kal.* In civitate Nola, depositio sancti Paulini Episcopi. Et sancti Jacobi Apostoli Alphei.

E. xvii. F. ix. *Kal.* Vigilia S. Johannis baptistæ.

ϛ. vi. G. viii. *Kal.* Natalis S. Johannis baptistæ.

Z. A. vii. *Kal.*

H. xiv. B. vi. *Kal.* Romæ, sanctorum mar. Johannis & Pauli fratrum. Et Valentiania, sancti Salvi Episcopi & mar.

Θ. iii. C. v. *Kal.* In Epheso, revelatio sanctorum vii. dormientium.

I. D. iiiI. *Kal.* Romæ, sancti Leonis Papæ. Et vigil. Apostolorum.

IA. xi. E. iiI. *Kal.* Romæ, sanctorum Apostolorum

rum Petri & Paoli.

IB. F. iI. *Kal.* Celebritas sancti Pauli. Et sancti Marcialis Episcopi & conf.

Nox H. vi. Dies xviii.

Junius in decimo quindenum a fine salutat.

Hebr. mens. *Thamul.* Græc. viii. *Panemae.* F. *Hevvimanoth.* A. *Lida*

Salstitio ardentis cancri fert insius astrum.

R. F. I.

JULIUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

IΓ. xix. G. *Kal. Jul.* Romæ, sancti Gal Episcopi. Cinomannis, S. Carelefi conf. Et sanctarum Fidei, Spei, Caritatis, cum Sophia matre earum.

IΔ. viii. A. vi. *Non.* Romæ, sanctorum Processi & Martiniani. Et sanctæ Monagundis.

IE. B. v. *Non.* Translatio sancti Thomæ Apostoli.

Iς. xvi. C. iv. *Non.*

IZ. v. D. iiI. *Non.*

IH. E. iI. *Non.* Octab. Apostolorum. Et sancti Goaris conf. Isaia salna Domini.

IΘ. xiii. F. *Nonas.* Sancti Willipaldi Episcopi & conf.

K. iI. G. vii. *Id.* In Garmania, sancti Cyliani & sociorum ejus.

KA. A. vii. *Id.* In Ægypto, passio sancti Cirilli Episcopi. Procopii. Et sancti Effrem monachi.

KB. x. B. vi. *Id.* Romæ, passio sanctorum vii. fratrum, filiorum sanctæ Felicitatis, idest Philippi, Vitalis, Martialis, Alexandri, Silani, Januarii, Felicis.

KΓ. C. v. *Id.* Floriaco, translatio sancti Benedicti Abbatis.

KΔ. xviii. D. iv. *Id.* Sanctorum mar. Felicis & Primitivi.

KE. vii. E. iiI. *Id.* Sanctæ Margaretæ virginis.

Hς. F. iI. *Id.* *Dies caniculares.*

HZ. xv. G. *Idus.* xii. Apostolorum divisio ad prædicandum.

KH. iv. A. xvii. *Kal. Aug.*

KΘ. B. xvi. *Kal.* In Cartagine, natalis sanctorum Sperati Episcopi, Marcialis, Januarii, Cithii, Vestiarii, Felicis, Aquilini, Lactantii, Generosi, Vestæ, Donatæ, & Secundæ mar.

Λ. C. xv. *Kal.*

Sol in Leonem. Ab hinc usque in Non. Sept. nullus sanguinem minuat.

A. D. xiv. *Kal.* Sancti Arsenii monachi.

B. E. xiii. *Kal.* Gemmetico in Galliis, sancti Philiberti Abb. Daniel, judicium Dei.

Γ. ix. F. xii. *Kal.* Sanctæ Praxedis virg. Et passio sanctæ Simphorosæ cum vii. filiis.

Δ. G. xi. *Kal.*

E. xvii. A. x. *Kal.* Ravenna, sancti Appollonaris Episcopi & mar.

ς. vi. B. ix. *Kal.* In civitate Tyro, sanctæ Christinæ virg. Et sancti Simplicii.

Z. C. viii. *Kal.* Sancti Jacobi, fratris sancti Johannis Evangelistæ. Et passio sanctorum Georgii, Aurelii, Natholiæ. Et Christofori mar.

H. xiv. D. vii. *Kal.* Et Romæ, sancti Euticiani Papæ xxvii. Hic statuit, super altare uvas & fabas benedici.

Θ. iiI. E. vi. *Kal.* In Syria, Symeonis monachi. Romæ, sanctorum Acontii & Emeriti mar.

I. F. v. *Kal.* Romæ, Innocentii Papæ xli. Hic sabbato Paschæ jejunandum decrevit, eo quod eo die Dominus in sepulchro jacuit, & discipuli jejunaverunt.

IA. xi. G. iv. *Kal.* In Africa, Felicis, Simplicii, Faustini, & Beatricis. Trecas, sancti Lupi conf. In altera die Pantaleonis mar.

IB. A. iiI. *Kal.* Romæ, Abdon & Sennes. Et sancti Ursi Episcopi. *Hic est saltus in anno* xix.

IΓ. xix. B. iI. *Kal.* Antisiodero, depositio sancti Germani Episcopi & conf.

Nox H. viii. D. xvi.

Tredecimus Julii, decimo innuit ante Kalendas.

V. Hebr. mens. *Ab.* Græc. viiii. *Lous.* F. *Aranmanoth.* A. *Usudmaboth.*

R. F. iv.

Augustum mensem Leo fervidus igne perurit.

AUGUSTUS HABET DIES XXXI. LUNA XXIX.

IΔ. viii. C. *Kal. Aug.* Romæ, sancti Petri ad vincula. In Antiochia, passio Machabeorum vii. fratrum, cum matre sua.

IE. xvi. D. iiI. *Non.* Romæ, sancti Stephani Papæ xxiii. Hic prohibuit sacerdotibus, levitis, vestes sacratas in usu cotidiano uti, excepto in Ecclesia.

Iς. v. E. iiI. *Non.* Hierosolim. inventio corporis protomar. Stephani.

IZ. F. iI. *Non.* Romæ, sancti Justi presb. & conf. qui corpora sanctorum collegit.

IH. xiii. G. *Nonas.* Augustiduni, Cassiani Episcopi. Memmei Episcopi. Et Hosvvaldi regis.

IΘ. iI. A. viii. *Id.* Romæ, sanctorum mar. Syxti Episco-

Episcopi, Feliciſſimi & Agapiti, Magni & Januarii. Juſti & Paſtoria.

K. B. vii. *Id.* In civitate Aretil, paſſio ſanctorum Donati Epiſcopi. Clarini monachi. Et S. Afræ.

KA. x. C. vi. *Id.* Romæ, ſancti Cyriaci diac. & mar. cum aliis xx. mar.

KB. D. v. *Id.* Romæ, ſancti Romani mar. Firmi & Ruſtici mar.

KΓ. xviii. E. iv. *Id.* Romæ, paſſio ſancti Laurentii mar. & levitæ.

KΔ. vii. F. iii. *Id.* Romæ, ſanctorum mar. Tiburtii & Suſannæ. Cameraco, ſancti Gaugerici Epiſcopi & conf.

KE. G. ii. *Id.* In civitate Catenenſium, paſſio ſancti Eupli diaconi.

Kς. xv. A. *Idus.* Romæ, ſanctorum mar. Ypoliti, Caſſiani. Wicberti conf. & Radegundia regia. (ſic)

KZ. iv. B. xix. *Kal. Sept.* Romæ, ſancti Euſebii ſacerdotis.

KH. C. xviii. *Kal.* Aſſumptio ſanctæ Dei genitricia.

KΘ. xii. D. xvii. *Kal.* Mettia, depoſitio ſancti Arnulfi Epiſcopi & conf.

A i. E. xvi. *Kal.* Octab. ſancti Laurentii mar. Et S. Mammetia mon. & mar.

B. F. xv. *Kal.* Criſtina (ſic) civitate, paſſio ſancti Agapiti mar.

Γ. ix. G. xiv. *Kal.* In Alexandria, ſancti Magni mar. Felicia & Fortunati.

Δ. A. xiii. *Kal.* Cainone caſtro, depoſitio ſancti Maximi Epiſcopi.

E. xvii. B. xii. *Kal.* Mimate, ſancti Privati mar.

ς. vi. C. xi. *Kal.* Remia, ſancti Timothei. Et Auguſtiduno, ſancti Simphoriani mar.

Z. D. x. *Kal.* In civitate Agen., paſſio ſanctorum Timothei, Apollonaria, Clandii, Aſterii, & Neconis.

H. xiv. E. ix. *Kal.* In India, paſſin Bartholomæi Apoſtoli. Romæ, Geneſit mar. Rodomo, S. Audoeni Epiſcopi & conf.

Θ. iii. F. viii. *Kal.* Arelato, paſſin ſancti Geneſii martyr.

I. G. vii. *Kal.* Romæ, paſſio ſanctorum Erenei & Abundii.

IA. xi. A. vi. *Kal.* Capua, ſancti Rufi mar.

IB. B. v. *Kal.* Romæ, paſſio ſancti Hermetis mar. In Affrica, ſancti Auguſtini; Sanctonia. Bibiani. Arvernia, paſſio ſancti Juliani mar.

IΓ. xix. C. iv. *Kal.* Romæ, ſanctæ Sabinæ mar. Et decollat. S. Joh. baptiſtæ.

IΔ. ix. D. iii. *Kal.* In Apuleja (ſic), paſſio ſanctorum Falicia & Audacti.

IE. E. ii. *Kal.* Treveria, depoſitio ſancti Paulini Epiſcopi & conf.

Auguſti in Epa, prima fugat de fine ſecundam.

Menſe Sept. ebdom. iii. eſt celebratio jejuniorum iv. & vi. fer. & ſabb. xii. Lect.

vi. Hebr. menſ. *Elul.* Græc. x. *Gorpieos.* F. *Witamanobt.* A. *Helagmanoth.*

R. L. V.

MENSIS SEPTEMBER HABET DIES XXX. LUNA XXX.

Sidere Virgo tuo Bacchus Septimber opimat.

Iς. xvi. F. *Kal. Sept.* In Capua aquaria, ſanctorum mar. Priſci, Petri, Felicia, Donati. Cinomannia, ſancti Victoria Epiſcopi. Sennia, ſancti Lupi Epiſcopi. Remia, ſanctorum Syxti, & Sinnicii Epiſcoporum.

IZ. v. G. iv. *Non.* Sanctorum mar. Aniciti & Fotini. Et ſancti Juſti Lugdunenſia Ep.

IH. A. iii. *Non.* Sancti Antonii mar.

IΘ. xiii. B. ii. *Non.* Sanctorum martyr. Marcelli & Juſti.

K. ii. C. *Nonas.* Vienna, ſancti Ferioli Epiſcopi. Ferucii, Quinti, Ingenni, Taurini, Acentii (ſic), Erculani.

KA. D. viii. *Id.* Zachariaa, memor Domini.

KB. x. E. vii. *Id.* Aurelianis, Evurtii Epiſcopi: Clodnaldi regia, & Reginæ virg.

KΓ. F. vi. *Id.* Nativitaa Dei genitricia. Sancti Adriani mar. Et Diſſiboti conf. Et ſancti Corbiniani.

KΔ. xviii. G. v. *Id.* Sancti Gorgoni mar. Et ſancti Audomari Epiſcopi.

KE. vii. A. iv. *Id.* Sancti Salvii martyr. in Alexandria.

Kς. B. iii. *Id.* Romæ, ſanctorum mar. Proti & Jacincti.

KZ. xv. C. ii. *Id.*

KH. iv. D. *Idus.* Turonia, depoſitio ſancti Lidorii Epiſcopi.

KΘ. E. xviii. *Kal. Octob.* Exaltatio ſanctæ crucia. Et ſanctorum mar. Cornelii, Cypriani. Et Eparci Epiſcopi.

AA. xii. F. xvii. *Kal.* Sancti Nicomedis presbyteri & mar.

A. i. G. xvi. *Kal.* Calcedonia, paſſio ſanctæ Eufemiæ, & ſanctorum Luciæ & Geminiani.

B. A. xv. *Kal.* In vico Leodico, paſſio ſancti Lantberti Epiſcopi.

Sol in libram.

Γ. ix. B. xiv. *Kal.*

Δ. C. xiii. *Kal.* In Campania, paſſio S. Januarii Epiſcopi. Et ſancti Theodori Epiſcopi.

E. xvii. D. xii. *Kal.* Sanctorum mar. Fauſtæ. Et Ejula-

Ejulaſi. Et ſanctæ Euſtochiæ (ſic).

ϛ. vi. E. xi. *Kal.* In Perſida, ſancti Mathei Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Z. F. x. *Kal.* Apud Agaunum, paſſio ſanctorum mar. Mauricii, Exuperii, Candidi, Victoris, Innocentii, & Vitalis cum VIDCLVI. Radesbona, ſancti Emmerammi Epiſcopi & mar. Et ſanctæ Luitrudia virg.

H. xiv. G. ix. *Kal.* Romæ, ſancti Lini Papæ I. poſt beatum Petrum. Et ſanctæ Teclæ virg.

Θ. iii. A. viii. *Kal.* Conceptio ſancti Joh. baptiſtæ. Saltiaburgo, ſancti Rundberti Epiſcopi. Et ſancti Conii. *Æquinoct. locus concept. Hic indictiones incipiunt & finiuntur.*

I. B. vii. *Kal.* In civitate Ambiani, paſſio ſancti Firmini Epiſcopi.

IA. xi. C. vi. *Kal.* Sanctorum mar. Cypriani & Juſtinæ.

IB. D. v. *Kal.* In civitate Ægea, paſſio ſancti Coſmæ & Damiani. Et in monte pinn, S. Timothei, diſcipuli Pauli Apoſtoli.

IΓ. xix. E. iv. *Kal.* In territorio Fuldenſi, depoſitio ſanctæ Liobæ virg. Stactei mar. Wancizlavvoni mar.

IΔ. viii. F. iii. *Kal.* In monte gargano, dedicatio baſilicæ archangeli Michaelis.

IE. G. ii. *Kal.* In Bethleem, depoſitio ſancti Hieronimi presbyteri.

Tertia Septembris vulpis ferit a pede denam.

N. H. xii. D. xii.

vi. Hebr. menſ. *Theſeris* Græcor. xi. *Tperberteos*. F. *Wiademanoth*. A. *Wiaterfyllint*.

R. F. ii.

Æquat & Octimber ſementis tempora libram.

MENSIS OCTOB. HABET DIES XXXI. LUNA XXIX.

Iϛ. xvi. A. *Kal. Octob.* In pago Medenentinſe, Piatonis mar. Treveris, ſancti Niceti Epiſcopi. Canda, ſancti Bavonis. Et translatio ſanctorum Præſulum Remigi, Germani, Vedaſti.

IZ. v. B. vi. *Non.* In Gallia, nigra Silva, paſſio ſancti Leodegarii mar.

IH. xiii. C. v. *Non.*

IΘ. ii. D. iv. *Non.* Sancti Marſi conf.

K. E. iii. *Non.*

KA. x. F. ii. *Non.* Sanctorum Capraſi & Fidei mar.

KB. G. *Non.* Roma, ſancti Marci Papæ. Et ſanctorum Marci. Apulei, Sergii & Bachi mar.

KΓ. xviii. A. viii. *Id.* Sanctæ Reparatæ virg. & depoſitio ſancti Amoris conf.

KΔ. vii. B. vii. *Id.* Pariſius, miliario uno ab urbe, paſſio ſancti Dionyſii Epiſcopi, cum ſociis ſuis. Colonia, ſancti Gereonis cum CCCXVIII. martyr. & depoſitio ſancti Richarii ſacerd.

KE. C. vi. *Id.* In Africa, ſancti Victoris mar. Et ſancti Paulini conf.

Kϛ. xv. D. v. *Id.* RECORDATIO FRATRUM NOSTRORUM.

KZ. iv. E. iv. *Id.*

KH. F. iii. *Id.* Sancti Lupentii, presbyteri & confeſa.

KΘ. xii. G. ii. *Id.* Roma, ſancti Calixti Papæ XVI. Hic inſtituit jejunium trium temporum in anno fieri, frumenti, vini, & olei juxta prophetam.

A. i. A. *Idus.*

B. B. xvii. *Kal. Novemb.* Sancti Galli conf.

Γ. ix. C. xvi. *Kal.*

Δ. D. xv. *Kal.* Bithinia, ſancti Lucæ Evangeliſtæ.

Sol in Scorpionem.

E. xvii. E. xiv. *Kal.* Sancti Januarii cum ſociis ſuis.

ϛ. vi. F. xiii. *Kal.*

Z. G. xii. *Kal.* Depoſitio S. Hilarionis mon. In baſone villari, natalis ſancti Wandelini conf. Et ſancti Quirini mar.

H. xiiii. A. xi. *Kal.* In Tracia, ſancti Philippi Epiſcopi & mar. Et ſancti Severini conf.

Θ. iii. B. x. *Kal.* Pariſ. ſancti Venantii abb.

I. C. viiii. *Kal.* Sancti Columbani monac. & mar. (ſic)

IA. ix. D. viii. *Kal.* In civitate Sueſſonica, ſanctorum mar. Criſpini & Criſpiniani.

IB. E. vii. *Kal.* Sancti Amandi conf. atque pontif.

IΓ. xix. F. vi. *Kal.* Vigil. Simeonis & Judæ.

IΔ. viii. G. v. *Kal.* Natalis Apoſtolorum Simonis & Judæ.

iii. *Æg. m. Athir.*

IE. A. iiii. *Kal.*

Iϛ. xvi. B. iii. *Kal.*

IZ. v. C. ii. *Kal.* In Gallia, paſſio ſancti Quintini mart. Euſebii & Gavinii.

N. H. xiiii. D. x.

Tertius Octobris gladius decimum ordine nectit.

viii. Hebr. menſ. *Mareſuvab.* Græc. xii. *Dyos*. F. *Herbiſtmanoth*. A. *Blotmanath*.

a. l. viii.

Scorpius hibernum praeceps jubet ire Novembrem.

R. F. V.

NOVEM-

NOVEMBER HABET DIES XXX.
LUNA XXVIIII.

IH. · D. *Kal. Nov.* Romæ, ſancti Cæſarii diaconi. Et expanthenn dedicatum eſt templum in honorem omnium ſanctorum. Et paſſio ſancti Euſtachii cum filiis ſuis. Fuldenſi in cœnobio, dedicatio baſilicæ ſancti Bonifatii pontif.

Iͽ.xiii. E. iiii. *Noa.*

K. ti. F. iii. *Non.* Sancti Hunberti conf. Valentini presbyteri. & Hilarii Diaconi.

KA. G. ii. *Non.* Sancti Germani Epiſcopi. Domnini, & Amandi Epiſcopi.

KB. x. A. *Nonas.* Sancti Pelicis presbyteri. Et Euſebii mar.

KΓ. B. viii. *Id.* Depoſitio ſancti Willibrordi Epiſcopi.

KΔ.xviii. C. vii. *Id.*

Hiemis initium.

KE. vii. D. vi. *Id.* Roma, iiii. coronatorum, Severi, Severiani, Victorini, & Caepofori. S. Julianæ.

Kϛ. E. v. *Id.* Sancti Theodori mar.

Abbiae ſanctas Augaſtinus uſque in v. Id. Feb. biemale tempus decerait.

KZ. xv. F. iiii. *Id.*

KH.iiii. G. iii. *Id.* Turonis, depoſitio ſancti Martini. Et ſancti Menne mar.

KΘ. A ii. *Id.*

A· xii. B. *Idus.* Turonia, depoſitio ſancti Bricii Epiſcopi.

A. I. C.xviii. *Kal. Decemb.*

B. D. xvii. *Kal.*

Γ. ix. E. xvi. *Kal.* In Alemannia, ſancti Magni conf. & ſancti Otmari conf.

Initium xima, tempore biemis.

Δ. F. xv. *Kal.* Aureliania, depoſitio ſancti Aniani Epiſcopi.

E. xvii. G. xiiii. *Kal.* Sancti Romani mon. & mar.

Sol in ſagittarium.

ϛ. vi. A. xiii. *Kal.* Sancti Simplicii Epiſcopi & conf.

Z. B. xii. *Kal.*

H. xiiii. C. xi. *Kal.* In Hyſtria civitate, ſancti Mauri mar.

Θ. iii D. x. *Kal.* Romæ, paſſio ſanctæ Ceciliæ virg.

I. E. viiii. *Kal.* Romæ, ſancti Clementis. Et ſanctæ Feliciſatis. Et ſancti Trudonis conf.

IA. xi. F. viii. *Kal.* Roma, ſancti Cheiſogoni mar. Et translatio ſanctæ Feliculæ.

Hiemps oritur.

IB. G. vii. *Kal.*

IΓ. xix A. vi. *Kal.*

IΔ. viii. B. v. *Kal.*

IE. C. iiii. *Kal.* Roma, ſancti Gregorii Papæ LXXXVIIII. Hic auxit in Canone: *Nec non & illorum ſanctorum*, & reliqua.

Iϛ. xvi. D. iii. *Kal.* Roma, Saturnini, Chriſanti, Mauri, & Dariæ cum LXX. militibus.

IZ. v. E. ii. *Kal.* In Achaja, paſſio ſancti Andreæ Apoſtoli.

Quinta Novembris acus vix tertia manſit in urna.

Memento ſemper, quod noviſſimo Decennovali ciliſano, Luna novi menſis xxix. erit, propter ſaltum, qui eo anno inſerendus eſt.

Menſe Decembr. in proxima ebdom. ante vigiliam natalis Domini eſt celebrandum jejunium iiii. & vi. fer. & in Sabb. xii. lect.

viiii. Hebr. menſ. *Caſlea.* Græc. I. *Apileos.* F. *Hſilacmanoth.* A. *Giuli.*

R. P. VI.

Terminat arcitenens, medio ſua ſigna December.

MENSIS DECEMBER HABET DIES XXX.
LUNA XXVIIII.

X. L. VII.

IH.xiii. F. *Kal. Dec.* Noviomo, ſancti Eligii conf. Candidæ virg. Et ordinatio ſancti Bonifatii ad Pontif. ſed. CCCXXXV.

Iͽ. ii. G. iiii. *Non.* Capua, ſancti Longini militis, qui lancea latus Domini perforavit.

K. A. iii. *Non.* In Alemannia, depoſitio ſanctæ Solæ virg.

KA. x. B. ii. *Non.* Sanctæ Barbaræ. Et illatio corporis ſancti Benedicti in Floriaco.

KB. C. *Nonas.* Sancti Dalmatii mar.

KΓ.xviii. D. viii. *Id.* Sancti Nicolai. Hermogenis, & Rogati.

KΔ.vii. E. vii. *Id.* Sancti Sabini Epiſcopi.

KE. F. vi. *Id.*

Kϛ. xv. G. v. *Id.*

KZ.iiii. A. iiii. *Id.* In Barcilona, civitate Hiſpaniæ, paſſio ſanctæ Eulaliæ virg. & mar. Romæ, ſancti Melchiadis Papæ xxii. Hic inſtituit, ut Dominica, & v. feria non jejunaretur.

IH. B. iii. *Id.* Roma, ſancti Damaſi Papæ xxxviii. Hic ſtatuit, ut die noctuque Pſalmi canerentur per omnes Eccleſias. Ambiania, ſanctorum mar. Victorici, Fusciani, & Gentiani.


KΘ. xii. C. ii. *Id.*

A.

A.	I. D.		*Idus.*	Siracuſa, paſſio ſanctæ Luciæ. Cameraco, ſancti Autberti Epiſcopi & conf.
B.	E.	xviiii.	*Kal. Jan.*	Remis, depoſitio ſancti Nicaſii Epiſcopi & mar.
Γ.	ix. F.	xviii.	*Kal.*	
Δ.	G.	xvii.	*Kal.*	
E. xvii.	A.	xvi.	*Kal.*	In Antiochia, paſſio ſancti Ignatii Epiſcopi & mar. ☉ STYRMI ABB.
ς.	vi. B.	xv.	*Kal.*	
Z.	C.	xiiii.	*Kal.*	
H. xiiii.	D.	xiii.	*Kal.*	
Θ.	iii. E.	xii.	*Kal.*	In India, paſſio ſancti Thomæ Apoſtoli.
I.	F.	xi.	*Kal.*	
IA. xi.	G.	x.	*Kal.*	Romæ, ſanctæ Victoriæ. Et ſancti Gregorii presbyteri.
IB. xix.	A.	viiii.	*Kal.*	
IΓ.	B.	viii.	*Kal.*	Natalis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Et paſſio ſanctarum virg. Anaſtaſiæ, & Eugeniæ.
IΔ. viii.	C.	vii.	*Kal.*	In oppido Hierl. paſſio ſancti Stephani protomar.
IE.	D.	vi.	*Kal.*	In Epheſo, aſſumptio ſancti Johannis Apoſtoli & Evangeliſtæ.
Iς. xvi.	E.	v.	*Kal.*	In Bethleem, ſanctorum innocentum.
IZ.	v. F.	iiii.	*Kal.*	
IH.	G.	iii.	*Kal.*	Turonis, Perpetui Epiſcopi & conf.
IΘ. xiii.	A.	ii.	*Kal.*	Roma, ſancti Silveſtri Papæ xxxiii. Hic conſtituit, ut baptizatum & a fonte levatum presbyter chriſmate liniat, ut propter occaſionem tranſitus mortis. Et item nullus laicus crimen de clero audeat inferre. Nec non & diaconibus dalmaticis uti in Eccleſia inſtituit. Senonis, ſanctæ Columbæ.

Dat dena cohors ſeptem inde decemque December.

N. H. xviii. D. vi. D. An. cccLxv.



KALEN-

V.

KALENDARIUM PALATINO - VATICANUM

Sacramentario Gregoriano Sæculi XII. præfixum.

Ex Cod. Palat. Vat. 499. sæculi XII.

DIES XXXI. LUNA XXX.

Jani prima dies, & septima fine timetur.

A. *Kal. Jan.* Circumcisio Domini.
B. IIII. *Non.* Octava sancti Stephani.
C. III. *Non.* Octava sancti Johannis. ʘ. *Heramannus frater & subdiaconus. Wolbertus. intr. II. sol. de duobus jugeris in Wibre.*
D. II. *Non.* Octava sanctorum Innocentum.
E. *Nonas.* Symeonis conf.
F. VIII. *Id.* *Epiphania Domini.* ʘ. *Hervvinus frater & presbyter.*
G. VII. *Id.* Isidori Episcopi.
A. VI. *Id.* Juliani mar.
B. V. *Id.* Saturnini & Vitalis. ʘ. *Hadevvica laica, uxor Erelvvini.*
C. IIII. *Id.* Pauli primi herem.
D. III. *Id.* Salvii mar.
E. II. *Id.* Archadii mar.
F. *Idus.* *Oct. Epiphaniæ. Hilarii Ep.* ʘ. *Voda laica. intr. uncia de manso in Obrabo, qui venditus est.*
G. XIX. *Kal.* Felicis presbyteri & mar.
A. XVIII. *Kal.* Mauri Abb.
B. XVII. *Kal.* Marcelli Papæ & mar. ʘ. *Wecel. laicus, pro quo & filia ejus Widegovvo, & uxore Fromuda data domus juxta S. Quintinum.*
C. XVI. *Kal.* Sanctorum Geminorum.
D. XV. *Kal.* Priscæ virg. & mar.
E. XIIII. *Kal.* Marii & Marthæ. Audifax & Abacuc.
F. XIII. *Kal.* *Fabiani, & Sebastiani mar.* ʘ. *Rezaiaica, intr. II. sol de ossophunn.*
G. XII. *Kal.* *Agnetis virg. & mar.*
A. XI. *Kal.* Vincentii mar.
B. X. *Kal.* Emerentianæ virg.
C. VIIII. *Kal.* Babillæ Episcopi & mar.
D. VIII. *Kal.* *Conversio sancti Pauli.*
E. VII. *Kal.* Policarpi Episc. & mar. ʘ. *Constantinus presb. Marcvvart laicus. intr. II. sol. de domo juxta Mulbonem.*
F. VI. *Kal.* Johannis Chrisostomi.
G. V. *Kal.* Oct. sanctæ Agnetis. ʘ. *Zeizol frater & diac.*
A. IIII. *Kal.* Valerii Episcopi. ʘ. *Ruodolfus comes. intr. XXX. sol. de Nordenstat.*
B. III. *Kal.* Aldegundæ virg.
C. II. *Kal.* Metraoi mar.

Ast Februi quarta est, præcedit tertia finem.

FEB. DIES XXVIII. LUNA XXIX.

D. *Kal. Febr.* Brigidæ virg. ʘ. *Razo frater & presbyter.*
E. IIII. *Non.* *Purificatio sanctæ Mariæ*
F. III. *Non.* Blasii Episcopi & mar. ʘ. *Fregeza frater & presb. intr. II. sol. de manso ad Bertheim.*
G. II. *Non.* Fileæ Episcopi & mar.
A. *Non.* *Agathæ virg. & mar.*
B. VIII. *Id.* Vedasti Episcopi & conf.
C. VII. *Id.* Aguli Episcopi ʘ. *Wolframus laic. intr. III. sol. de manso ad Bertheim.*
D. VI. *Id.* Pauli Episcopi.
E. V. *Id.* Alexandri mar. *Et Apoloniæ virg.*] ✝ Alio charactere minus antiquo.
F. IIII. *Id.* *Scolasticæ virg.*
G. III. *Id.* Desiderii Episcopi & mar.
A. II. *Id.* Damiani mar.
B. *Idus.* Polieucti mar.
C. XVI. *Kal.* *Mar.* Valentini mar.
D. XV. *Kal.* Faustini & Jovittæ.
E. XIIII. *Kal.* Julianæ virg. & mar. ʘ. *Sigefridus Archiepiscopus.*
F. XIII. *Kal.* Polichronii Episcopi & mar. ʘ. *Wezel frater & presbyter.*
G. XII. *Kal.* Symeonis Episcopi & mar.
A. XI. *Kal.* Maximillæ virg. ʘ. *Bervvardus laic. intr. III. sol. de V. jugeris in Langevvinda, & uno vineti in Becchelheim.*
B. X. *Kal.* Gai Episcopi,
C. VIIII. *Kal.* Ferreoli mar. ʘ. *Richmundus frater & diac.*
D VIII. *Kal.* *Cathedra sancti Petri.*

E. VII. *Kal.*

XIIII. *Kal. Mart. Sigefridus Archiepiscopus.*] Ad hanc diem signatur obitus *Sigefridi Archiepiscopi Moguntini*, prout legitur in Necrologio Ecclesiæ Metropolitanæ Moguntinæ, edito a Jo. Friderico Schannato in Vindemiis Litterariis pag. 1. *Sigefridus*, ut habent nuperi Galliæ christianæ scriptores in Moguntinis num. VI. obiit A D. 1084. in monasterio Hasungensi, quod construxerat, ibique sepultus est, postquam Ecclesiam Moguntinam annos XXIV. rexerat. Plura de *Sigefrido* hujus nominis I. summatim complectuntur iidem nuperi Galliæ Christianæ editores.

E. VII. *Kal.* Vigilia S. Mathiæ.
F. VI. *Kal.* *Mathiæ Apostoli.*
G. V. *Kal.* Nestoris mar.
A. IIII. *Kal.* Alexandri mar.
B. III. *Kal.* Juliani mar. ☉. *Bezecba. intr. fol. in villa castello.*
C. II. *Kal.* Claudii mar. ☉. *Anno frater & presb. & præpositus ac frater.* ☉. *Et Gerardus Vicedominus.*

Martis prima necat, cujus sub cuspide quarta est.

DIES XXXI. LUNA XXX.

D. *Kal. Mar.* Albioi Episcopi & mar. ☉. *Anselmus diac. intr. v. fol.* ☉. *Regenboldo de Ostovvn, & Luitgart lude unc.*
E. VI. *Non.* Simplicii Papæ.
F. V. *Non.* Emeterii & Celidonii mar.
G. IIII. *Non.* Julii Episcopi.
A. III. *Non.* Eusebii Episcopi.
B. II. *Non.* Victorioi mar.
C. *Nonas.* Perpetuæ & Felicitatis.
D. VIII. *Idus.* Cipriani Episcopi & mar.
E. VII. *Id.* Quirionis mar. ☉. *Malcba. intr. v. fol. ad Winchelin.*
F. VI. *Id.* Agapæ virg. ☉. *Imeza uxor Regezonis. intr. II. fol. de domo eorum. Burchardus monachus Everbacensis & noster Canonicus contulit Ecclesiæ duo talenta argenti, & duas casulas purpureas & cappam.*
G. V. *Id.* Gregorii Episcopi. ☉. *Barbo puer. int. II. fol. de domo juxta Ecclesiam sancti Gingolfi.*
A. IIII. *Id.* *Gregorii Papæ.*
B. III. *Id.* Macedonii presbyteri.
C. II. *Id.* Quadraginta VII. mar.
D. *Idus.* Longini mar.
E. XVII. *Kal. April.* Ciriaci mar.
F. XVI. *Kal.* Gertrudæ virg.
G. XV. *Kal.* Alexandri Episcopi & mar.
A. XIIII. *Kal.* Johannis conf.
B. XIII. *Kal.* Gothberti Abb. ☉. *Vodelricus frater & præpositus.*
C. XII. *Kal.* *Benedicti Abb.* ☉. *Sigeboda frater & custos, bonæ memoriæ dignus.*
D. XI. *Kal.* Paoli Episcopi.
E. X. *Kal.* Victoriani mar.
F. VIIII. *Kal.* Pigmenii presbyteri.
G. VIII. *Kal.* *Annuntiatio Sanctæ Mariæ.*
A. VII. *Kal* Castuli mar.
B. VI. *Kal.* *Resurrectio Domini nostri Jesu Christi.*
C. V. *Kal.* Sixti Papæ.
D. IIII. *Kal.* Satiri mar.
E. III. *Kal.* Tithici diac.
F. II. *Kal.* Balbinæ virg.

Aprili decima est undena a fine mutatur.

DIES XXX. LUNA XXIX.

G. *Kal. Apr.* Victoris mar.
A. IV. *Non.* Nicetii Episcopi.
B. III. *Non.* Evagrii Episcopi.
C. II. *Non.* Ambrosii Episcopi. ☉. *Adelbertus. int. II. fol. de curia Illa Sinsterzerbgazzim.*
D. *Non.* Didimi presbyteri.
E. VIII. *Id.* Quirini Episcopi.
F. VII. *Id.* Celestini Papæ.
G. VI. *Id.* Perpetoi Episcopi. ☉. *Regenolt frater & presbyter.* ☉. *Adelvvib. intr. II. fol.*
A. V. *Id.* Septem virg. ☉. *Fromuth laica & soror, mater Widegonis.*
B. IIII. *Id.* Hiezechiel prophetæ. ☉. *Vilkburc.*
C. III. *Id.* Leonis Papæ.
D. II. *Id.* Jolii Episcopi. ☉. *Burchardus frater & Basiliensis Ep. b. m.*
E. *Idus.* Eufemiæ virg. ☉. *Cuonradus Episcopus & frater.*
F. XVIII. *Kal. Maj.* Tiburtii, Valer. Maximi. ☉. *Dieza v. fol.*
G. XVII. *Kal.* Maximi mar.
A. XVI. *Kal.* Aniceti Papæ & mar.
B. XV. *Kal.* Petri diaconi.
C. XIV. *Kal.* Eleutherii presbyteri. ☉. *Vuodo frater. int. II. fol. & Friderunt laica int. IV. fol.*
D. XIII. *Kal.* Expediti mar.
E. XII. *Kal.* Sulpicii conf.
F. XI. *Kal.* Symeonis Episcopi.
G. X. *Kal.* Gai Papæ.
A. IX. *Kal.* *Georgii mar. & Adalberti.*
B. VIII. *Kal.* Alexandri mar.
C. VII. *Kal.* Marci Evangelistæ Episcopi & mar. Letania major. ☉. *Albericus acolitus & frater. In. uncia in Selebosan.*
D. VI. *Kal.* Cleti Papæ & mar.

Vuou E. v. *Kal.*

II. *Id. April. Burchardus frater & Basileensis Episcopus.*] Duo hujus nominis *Burchardi* in serie Episcoporum Basileensium leguntur. Alter sedit ab ann. 1072. & vivebat adhuc an. 1105. quo diploma *Hugoni* Abbati Cluniacensi concessit, datum *anno* XXXII. *Episcopatus*, sed quo anno & die obierit, nihil certi traditur in Gallia Christiana primæ editionis in Basileensibus. Alter fuit *Burchardus* de *Hommeburg*, qui sedit ab an. 1252. ad 1256. de cujus obitu, deque emortuali die nihil in eadem Gallia Christiana.

Idibus April. Cuonradus Episcopus, & frater.] Est forte *Conradus* Episcopus *Vvormatiensis*, ut colligo ex Chronica Vvormatiensi apud Petrum Ludevvigium in reliquiis MSS. diplomatum tom. II. pag. 29. Ibi enim in veteri quodam Kalendario, Missali libro præfixo, legitur: *Idibus Aprilis obiit Conradus Episcopus*, scilicet *Vvormatiensis*. At in Gallia Christiana novæ editionis tom. v. in Vvormatiensibus col. 674. num. XXXIV. XXXV. duo *Conradi*, *Vvormatienses* Antistites unus post alterum recensentur; quorum prior obiisse dicitur die XIX. *Martii* an. 1163. posterior, non an. 1187. die XVIII. *Januarii*, ut habent Demochares, & Bucelinus, sed an. 1192. ut narrat Godefridus monachus S. Pantaleonis in Chronico.

E. v. *Kal.* Anastasii Papæ. ☉. *Henricus frater & presb. int.* x. *sol. de manso in Wienheim.*
F. IIII. *Kal.* Vitalis mar.
G. III. *Kal.* Antoniæ virg.
A. II. *Kal.* Jacobi diac. ☉. *Hartwvinus laic. int.* IV. *unc. in Hildesheim.*

Tertius in Majo lapus est, septimus anguis.

DIES XXXI. LUNA XXX.

B. *Kal. Maji. Philippi & Jacobi.*
C. VI. *Non.* Athanasii Episcopi. ☉. *Werinh.*
☉. *Egilosus frater & decanus.*
D. V. *Non.* *Inventio sanctæ Crucis. Alexandri, & soc. ejus.*
E. IIII. *Non.* Floriani mar. ☉. *Harwvinus frater & presbyter & decanus.*
☉. *Constantinus laicus. int.* IV. *unc. de domo ante monasterium.*
F. III. *Non.* *Ascensio Domini nostri Jesu Christi.*
G. II. *Non.* Johannis Apostoli & Evang. ☉. *Sigefridus comes.*
☉. *Diedericus acolitus.*
A. *Non.* Domitillæ virg.
B. VIII. *Id.* Victoris mar. ☉. *Harwvinus laic. int.* II. *sol.*
C. VII. *Id.* Gregorii Theologi.
D. VI. *Id.* Gordiani & Epimachi.
E. V. *Id.* Mamerti Episcopi.
F. IIII. *Id.* Nerei, Achillei, & Pancratii.
G. III. *Id.* Gingolfi mar.
A. II. *Id.* Victoris & Coronæ.
B. *Idus.* Isitii Episcopi. ☉. *Hizela soror.* XXX. *den. de Summisten.*
C. XVII. *Kal.* *Jun.* Maximæ virg.
D. XVI. *Kal.* Torpetis mar.
E. XV. *Kal.* Dioscori mar. ☉. *Gebehaldus, & Wolframus, & Guntramus.*
F. XIIII. *Kal.* Potentianæ virg.
G. XIII. *Kal.* Basillæ virg. & mar.
A. XII. *Kal.* Valentis Episcopi & mar.
B. XI. *Kal.* Venusti mar.
C. X. *Kal.* Desiderii Episcopi & mar.
D. IX. *Kal.* Donatiani mar.
E. VIII. *Kal.* Urbani Papæ & mar.
F. VII. *Kal.* Jacobi Episcopi.
G. VI. *Kal.* Julii mar. ☉. *Engelmannus laic.* V. *sol.*
A. V. *Kal.* Johannis Papæ & mar.
B. IIII. *Kal.* Maximini Episcopi. ☉. *Walbertus presb. int.* III. *sol. de domo in cimiterio sancti Johannis.*
C. III. *Kal.* Felicis Papæ & mar.
D. II. *Kal.* Petronellæ virg.

Junius in decuma, quindecumena a fine salutat.

DIES XXX. LUNA XXIX.

E. *Kal. Junii.* Claudii Episcopi.
F. IV. *Non.* *Marcellini & Petri.*
G. III. *Non.* Herasmi Episcopi & mar. ☉. *Hartwvinus frater & subdiaconus.*
A. II. *Non.* Quirini Episcopi & mar.
B. *Nonas. Bonifacii Episcopi & mar.* ☉. *Gnoda laic. intr.* XXX. *den.*
C. VIII. *Id.* Philippi diac. ☉. *Walbertus frater, & diac. & cantor.*
D. VII. *Id.* Luciani mar.
E. VI. *Id.* Medardi Episcopi.
F. V. *Id.* Primi & Feliciani.
G. IV. *Id.* Basilidis & soc. ejus. ☉. *Bardo Archiepiscopus.*
A. III. *Id.* Barnabæ discipuli.
B. II. *Id.* *Sanctorum NAZARII, Basilidis, Cirini, & Naboris.*
C. *Idus.* Feliculæ virg.
D. XVIII. *Kal.* *Jul.* Valerii & Rufini. ☉. *Egil laicus int.* II. *sol.*
E. XVII. *Kal.* Viti, Modesti, & Crescentiæ.
F. XVI. *Kal.* Aurei & Justini.
G. XV. *Kal.* Aviti mon.
A. XIV. *Kal.* Marcii & Marcelliani. ☉. *Leizolus frater, & dec. majoris Ecclesiæ.*
B. XIII. *Kal.* Gervasii & Protasii. ☉. *Arnoldus frater & præpositus.*
C. XII. *Kal.* Silverii Papæ & mar. ☉. *Wigerus comes in marca.*
D. XI. *Kal.* Albani mar.
E. X. *Kal.* Paulini Episcopi & conf. ☉. *Adalbertus Archiepiscopus. Hermannus Episcopus. In* IV. *unc. de manso in Hildesheim. Emberebta*

IIII. *Id. Jun. Bardo Archiepiscopus.*] Est *Bardo* Archiepiscopus *Moguntinus*, cujus obitus in Necrologio Moguntino apud Schannatum signatur hac die IIII. *Id. Junii*, Mabillonius Annal. Bened. lib. LX. §. VI. obiisse scribit, *Bardonem* Archiepiscopum A. D. 1051. III. *Idus Junii*, ætatis septuagesimo, Pontificatus vicesimo primo. In beatorum virorum numero collocatur, & de eo agunt Bollandiani socii die x. *Junii* pag. 299. & ibi in Appendice pag. 89. *& seq.* De die obitus, an fuerit dies XI. an. x. *Junii* an. 1053. Papebrochii & aliorum sententias exponunt Galliæ Christianæ recentiores editores in Moguntinis tom. V. pag. 465. num. 4. Papebrochius obitum figit die XI. *Junii* an. 1053. *feria sexta*. Scriptores alii, & fere suppares de die XI. *Junii* conveniunt, at Martyrologia & Necrologia fere omnia diem x. *Junii*, scilicet IV. *Idus Junii* designant. Janningus in Appendice Bollandiana, tom. 6. Junii pag. 91. §. III. num. 21. *& seq.* obiisse censet *Bardonem* A. D. 1051. & probabilius die x. *Junii*, licet ab auctore vitæ, *feria sexta* obiisse dicatur; quæ quidem verba interpolatoris potius esse, quam auctoris, censet idem Janningus, cujus sententia est, ut *Bardonis* obitus in *feriam secundam* inciderit, eruditioribus interim controversiam solvendam relinquens.

X. *Kal. Jul. Adalbertus Archiepiscopus.*] Est *Adalbertus* Archiepiscopus *Moguntinus*, hujus nominis I. cujus dies emortualis ad X. *Kal. Jul.* figitur in Necrologio Laureshamensi a Schannato edito in Vindemiis litterariis. In Gallia Christiana primæ editionis obiisse dicitur an. 1137. die XIV. *Julii*, sepultusque esse in monasterio Erbacensi, quod extruxerat. At in novissima editione tom. V. pag. 469. num. IX. non ita certum esse diem obitus, tradunt iidem præclari editores; nam a Dodechino, & postmodum a Trithemio in Chronico, ad IX. *Kal. Julii* statuitur, a Stederburgensi Chronico die XIV. *Julii*, a Dieffenbachio in catalogo MS. ad diem XXIV. *Julii*. Nec nodum solvunt verba Chronici Erbacensis manu exarati, quæ sunt: *Verum perpetua laude sanctus patronus senatio, postquam Ruthardus ex Claravalle venisset*, IX. *Kal. Aug.* MCXXXVII. *sepultus est in eo ipso loco* (Ebetbaco) *quem novis sacris, & religione donavit, fundator, & conditor de re monastica meritissimus.*

berchto præpositus. ⊖. *Regenbardus frater & diaconus.*
F. ix. *Kal.* Vigil. S. Johannis baptistæ.
G. viii. *Kal.* *Johannis baptistæ.*
A. vii. *Kal.* Gallicani mar.
B. vi. *Kal.* Johannis & Pauli.
C. v. *Kal.* Simphorolæ cum vii. fil.
D. iv. *Kal.* Leonis Papæ. Vigil. Apostolorum. ⊖. *Willechimus frater & diaconus.*
E. iii. *Kal.* *Petri & Pauli.*
F. ii. *Kal.* Marcialis mar. ⊖. *Hesso.*
Tredecimus Julii, decimo innuit ante Kalendas.

DIES XXXI. LUNA XXX.

G. *Kal. Julii.* Aaron sacerd.
A. vi. *Non.* Processi & Martiniani.
B. v. *Non.* Translat. S. Thomæ.
C. iv. *Non.* Vodalrici Episcopi. Translat. S. Martini.
D. iii. *Non.* Domitii mar.
E. ii. *Non.* Oct. Apostolorum. Goaris conf.
F. *Nonas.* Willibaldi conf.
G. viii. *Id.* *Wiliani & soc. ejus.*
A. vii. *Id.* Zenonis mar.
B. vi. *Id.* Septem frat.
C. v. *Id.* *Translat. S. Benedicti. Et adventus* S. NAZARII *in Lauresham.*
D. iv. *Id.* Cleti Papæ. ⊖. *Richardus frater & decanus.*
E. iii. *Id.* Margaretæ virg.
F. ii. *Id.* Focæ Episcopi.
G. *Idus.* Jacobi Episcopi.
A. xvii. *Kal.* *Aug.* Hilarini mar.
B. xvi. *Kal.* Sperati mar. ⊖. *Aldebertus Archiepiscopus secundus.*
C. xv. *Kal.* Arnolfi Episcopi & conf. ⊖. *Meguvvardus frater & presb.*
D. xiv. *Kal.* Lampadii mar. ⊖. *Hizela laica* iv. *fol.*
E. xiii. *Kal.* Sabini mar.
F. xii. *Kal.* Praxedis virg.
G. xi. *Kal.* Mariæ Magdalenæ. ⊖. *Ruodeger frater & presb.*
A. x. *Kal.* Apollinaris Episcopi & mar.
B. ix. *Kal.* Christinæ virg. Vig. S. Jacobi.
C. viii. *Kal.* *Jacobi Apostoli.* *Christophori mar.*
D. vii. *Kal.* Herasti Episcopi & conf.
E. vi. *Kal.* Hermolai presb.
F. v. *Kal.* Pantaleimonis mar.
G. iv. *Kal.* Felicis, Simplicii, Faust., & Beatricis.
A. iii. *Kal.* Abdo & Sennes.
B. ii. *Kal.* Germani Episcopi. ⊖. *Erlevvin laic. in.* iv. *unc. & dimi.*
Augusti nepa fugat de fine secundam.

DIES XXXI. LUNA XXVIIII.

C. *Kal. Aug. Vinc. S. Petri.* vii. *Mach.* ⊖. *Folevvin. in* ii. *fol.*
D. iv. *Non.* Stephani Papæ & mar.
E. iii. *Non.* *Inventio Stephani protomar.*
F. ii. *Non.* Justi Episcopi.
G. *Nonas.* Osuvaldi regis & mar.
A. viii. *Id.* Sixti, Felicissimi, & Agapiti.
B. vii. *Id.* Donati Episcopi & martyr. Afræ mar. ⊖. *Gerlieb frater, & diac. Heinricus Imp.*
C. vi. *Id.* Ciriaci mar. & soc. ejus.
D. v. *Id.* Vigil. S. Laurentii mar. ⊖. *Regenboldus frater & presb.*
E. iv. *Id.* *Laurentii mar.*
F. iii. *Id.* Tiburtii mar.
G. ii. *Id.* Eupli diac. & mar. ⊖. *Gozebertus presb. & decanus.* ⊖. *Godescalcus.*
A. *Idus.* Yppoliti mar. & sociorum ejus. ⊖. *Adalbertus frater & presb.*
B. xix. *Kal.* *Sep.* Eusebii presb. ⊖. *Ganiz laica.*
C. xviii. *Kal.* *Assumpt. S. Mariæ.*
D. xvii. *Kal.* Arnolfi Episcopi & conf.
E. xvi. *Kal.* Oct. S. Laurentii. Mammetis mar.
F. xv. *Kal.* Agapiti mar. ⊖. *Regeavvith, mater comitis Wigeri.*
G. xiv. *Kal.* Magni mar.
A. xiii. *Kal.* Filiberti abb.
B. xii. *Kal.* Privati Episcopi & mar. ⊖. *Henricus frater & presb.*
C. xi. *Kal.* Timothei & Simphoriani.
D. x. *Kal.* Vig. S. Bartholomei. ⊖. *Brunvvith. in* ii. *fol.*
E. viiii. *Kal.* *Bartholomei Apostoli.* *Wolframus laicus. in* v. *fol de Mendbach.*

Vnnos F. viii. Kal.

xvi. *Kal. Aug. Aldebertus Archiepiscopus secundus.*] Est *Adelbertus* alter Archiepiscopus *Moguntinus*, qui *Adelberto* proxime successit. Hujus obitum Galliæ Christianæ editores nuperrimi in Moguntinis num. x. ob varias Chronographorum sententias, implexum esse monent. Otto Frisingensis habet, eum obiisse xvi. *Kal. Aug.* ut & Dodechinus ac Trithemius, at Chronographus S. Petri Erphordiensis, x. *Kal. August.*, Pater Anselmus Augustinianus, die xvii. *Augusti*, & Dieffembachius, die xxvii. *Augusti*. At, inquiunt iidem editores, litem dirimit Necrologium Ecclesiæ Moguntinæ, in quo legitur ix. *Kal. Julii, vigilia Jo. Baptistæ, obiit Albertus Archiepiscopus Moguntinus, sepultus in capella S. Gothardi.* At vereor, ne a Chronographo *Adelbertus* I. cum II. commisceatur; nam ex nostro Necrologio dies obitus *Adelberti* II. est dies xvii. *Julii*. Annus emortualis apud eosdem editores est A. D. 1141.

vii. *Id. Aug. Heinricus Imp.*] Est *Henricus* Imp. hujus nominis IV. qui die vii. *Augusti* A. D. 1106. obiit ut ex Orderico Vitali, & aliis habet Pagius ad an. 1106. num. II. Hac die in Necrologio Laureshamensi apud Scannatum signatur *Henrici* IIII. *Imp.* obitus. Domnizo vero in vita Comitissæ Mathildis lib. II. cap. xv. Henrici mortem die iv. *Id. Augusti* statuit, dum ita canit.

Augusti quarto defungitur Idus, in anno
Christi milleno, centeno denique seno,
Ad templum Spiræ dormit, quod struxerat idem.

Mabillonius Annal. Bened. lib. lxxi. §. i. ad an. 1106. narrat, Henricum, mœrore confectum, Spiræ interiisse, ibique Romani Pontificis jussu per quinquennium insepultum jacuisse, ut habet Chronicon Saxonicum, apud eundem Mabillonium in Appendice monumentorum, ibid. num. lxxviii. ubi ann. 1111. Apostolica auctoritate, postquam *Paschalis* II. ex Episcopis, & Abbatibus, qui Romam ad Lateranense Concilium venerant, de ipsius Henrici pœnitentia testimonia accepit, eidem Ecclesiasticam sepulturam concessit, quapropter mense Augusto magna pompa, & apparatu solemnes ei in urbe Spiræ sunt exequiæ celebratæ, & juxta majores suos in Ecclesia sepultus fuit.

F. VIII. *Kal.* Genesii mar.
G. VII. *Kal.* Zepherini Papæ.
A. VI. *Kal.* Rufi mar.
B. V. *Kal.* Hermetis mar. Augustini Episcopi.
C. IV. *Kal.* Decoll. S. Johannis. Sabinæ virg.
D. III. *Kal.* Felicis & Audacti.
E. II. *Kal.* Paulini Episcopi.
Tertia Septembris vulpis ferit a pede dena.

DIES XXX. LUNA XXX.

F. *Kal. Sep.* Prisci mar. DEDICATIO ECCLESIÆ S. NAZARII. Egidii conf.
G. IV. *Non.* Antonini mar.
A. III. *Non.* Seraphiæ virg. & mar.
B. II. *Non.* Rufini mar.
C. *Nonas.* Victorini mar.
D. VIII. *Id.* Magni conf.
E. VII. *Id.* Reginæ virg. & mar.
F. VI. *Id.* *Nativitas S. Mariæ. Adriani mar.* Θ. *Vodelricus frater & subdiac. in II. fol.*
G. V. *Id.* Gorgonii mar.
A. IV. *Id.* Hilarii Papæ.
B. III. *Id.* Prothi & Jacincti.
C. II. *Id.* Eventii Episcopi. Θ. *Hartwinus frater & presb.*
D. *Idus.* Philippi Episcopi & mar.
E. XVIII. *Kal. Octob. Exalt. S. Crucis. Cornel. & Cipriani.*
F. XVII. *Kal.* Nicomedia mar.
G. XVI. *Kal.* Eufemiæ, Luciæ, & Geminiani.
A. XV. *Kal.* Lamberti Episcopi & mar.
B. XIV. *Kal.* Ferreoli mar.
C. XIII. *Kal.* Januarii Episcopi & mar. cum sociis suis. Θ. *Dicmo præpositus. in. VIII. anc.*
D. XII. *Kal.* Vig. S. Mathei.
E. XI. *Kal.* *Mathei Apostoli & Evang.*
F. X. *Kal.* *Mauricii & soc. ejus.*
G. IX. *Kal.* Teclæ virg.
A. VIII. *Kal.* Andochii & Thirsi mar.
B. VII. *Kal.* Cleopæ discipuli.
C. VI. *Kal.* Cipriani & Justinæ mar.
D. V. *Kal.* Cosmæ & Damiani. Θ. *Ruothart, & Mechiswt.*
E. IV. *Kal.* Venceslai mar. Θ. *Bertholt frater & diac.*
F. III. *Kal.* *Michaelis archangeli.* Θ. *Henricus frater.*
G. II. *Kal.* Jeronimi presbyteri.
Tertius October gladium decimo ordine nectit.

DIES XXXI. LUNA XXIX.

A. *Kal. Oct.* Remigii, Germani, Vedasti.
B. VI. *Non.* Luidgeri Episcopi.
C. V. *Non.* Leodagarii Episcopi & mar.
D. IV. *Non.* Crispi & Gaii mar.
E. III. *Non.* Placidi mar. Θ. *Cuonradus frater in II. fol. de Stochusun.*
F. II. *Non.* Casti & Emilii. Θ. *Wigo frater & præpositus.*
G. *Nonas.* Marci Papæ. Sergii, & Bachi.
A. VIII. *Id.* Philippi Episcopi. Θ. *Walbertus laic. in V. fol.*
B. VII. *Id.* Dionisii mar. & soc. ejus.
C. VI. *Id.* Gereonis & Victoris.
D. V. *Id.* Tharaci, Probi, & Andronici. Θ. *Rugerus frater & presb. in II. fol.* Θ. *Welleelinus presb. & decanus S. Petri, qui dedit vineam in Waldophe.*
E. IV. *Id.*
F. III. *Id.* Theophili Episcopi. Θ. *Diedericus laicus filius Regezonis.*
G. II. *Id.* Calisti Papæ. Burchardi Episcopi.
A. *Idus.* Fortunati mar.
B. XVII. *Kal. Nov.* Galli conf. Lulli Archiepiscopi. Θ. *Adelbun frater & presb.*
C. XVI. *Kal.* Maximæ virg. & mar.
D. XV. *Kal.* Lucæ Evang.
E. XIV. *Kal.* Januarii cum sociis suis. Θ. *Bruno frater & Spirensis Episcopus.*
F. XIII. *Kal.* Caprasii mar.
G. XII. *Kal.* Hilarionis mon.
A. XI. *Kal.* Marci Episcopi & mar.
B. X. *Kal.* Teodorici presbyteri.
C. IX. *Kal.* Vitalis mar.
D. VIII. *Kal.* Crispini & Crispiniani.
E. VII. *Kal.* Amandi conf.
F. VI. *Kal.* Vigilia Apostolorum. Θ. *Widegowo laicus. in. domus illa juxta sanctum Quintinum.* Θ. *Votowinlaicus in. II. fol.*
G. V. *Kal.* Simonis & Judæ. Θ. *Gerbertus frater & subdiac.*
A. IIII. *Kal.* Narcissi Episcopi.
B. III. *Kal.* Marcelli mar.
C. II. *Kal.* Quintini mar. vig.

Quinta

II. *Id. Octob. Burchardi Episcopi.*] *Sanctus Burchardus* Episcopus *Vuirceburgensis* obiit an. 753. IV. *Non. Februarii.* Corpus ejus translatum fuit in monasterium S. Andreæ c. A. D. 984. die XII. *Octobris*, & die XIV. ejusdem celebritas de eo agitur. In apographo Bedæ ad usum Ecclesiæ Vuirceburgensis apud Eccardum, ad II. *Id. Octobris* habetur natalis S. *Burcardi Vuirceburgensis Episcopi.* Vide de eo Eccardum Historiæ Franciæ Orientalis lib. XXIII. §. CXXIII. & *seq.*

XVII. *Kal. Novembr. Lulli Archiepiscopi.*] Obiit S. *Lullus* A. D. 787. seu ut placet recentioribus Galliæ Christianæ editoribus, A. D. 786. hac die XVI. *Octobris*, qua nunc etiam colitur in Ecclesia Moguntina, ut inter alios tradit Mabillonius Annal. Bened. lib. XXV. §. LXXIV. De die obitus consentiunt etiam Galliæ Christianæ editores novissimi in Moguntinis num. II. tom. V. pag. 442. Vide Eccardum rer. Francicar. lib. XXV. §. VII.

XIIII. *Kal. Nov. Bruno frater & Spirensis Episcopus.*] *Bruno* Episcopus *Spirensis* ex Galliæ Christianæ Scriptoribus novissimis tom. V. num. XXXVIII. pag. 725. vivebat adhuc A. D. 1124. quo inter testes recensetur in diplomate *Adelberti* Archiepiscopi Moguntini pro Ecclesia S. Petri apud Moguntiam; adeo falluntur, ajunt iidem editores, Dodechinus, ac Trithemius, qui mortuum fuisse putant die XIX. *Octobris* an. 1113. vel 1123. De die obitus nihil affirmant Sammarthani, sed cum Dodechino, & Trithemio convenit Necrologium nostrum.

Quinta Novembris, ad tertiam mansit in urna.

DIES XXX. LUNA XXX.

D. *Kal. Non.* *Commemoratio omnium sanctorum.*
E. iiii. *Non.* Victorini Episcopi & mar. ✠. *Bervvardus laicus. in. ii. fol.*
F. iii. *Non.* Pirmini Episcopi. ✠. *Guda laica in. v. fal.*
G. ii. *Non.* Amantii Episcopi. ✠. *Ebbo laicus in. iv. fol. Guoda laica in ii. fol.*
A. *Nonas.* Felicis & Eusebii mar. *Leonardi*] Alio charactere minus antiquo.
B. viii. *Id.* Willibrordi conf.
C. vii. *Id.* Herculani Episcopi.
D. vi. *Id.* Quatuor coronatorum.
E. v. *Id.* Theodori mar.
F. iiii. *Id.* Martini Papæ & mar.
G. iii. *Id.* *Martini Episcopi. Menne mar.* ✠. *Wernherus frater.*
A. ii. *Id.* Paschasii mar.
B. *Idus.* Briccii Episcopi.
C. xviii. *Kal. Dec.* Serapionis mar.
D. xvii. *Kal.* Felicis Episcopi & mar.
E. xvi. *Kal.* Othmari abb.
F. xv. *Kal.* Dionysii Episcopi & mar.
G. xiv. *Kal.* Romani mar. ✠. *Wernherus frater & presb.*
A. xiii. *Kal.* Gelasii Papæ.
B. xii. *Kal.* Pontiani Papæ & mar. ✠. *Liebesta laica in. xxx. den.*
C. xi. *Kal.* Mauri mar.
D. x. *Kal.* Ceciliæ virg. & mar. ✠. *Diedo Episcopus in. v. fol.*
E. ix. *Kal.* Clementis Papæ & mar. Columbani abb. & Felicitatis.
F. viii. *Kal.* Crisogoni mar.
G. vii. *Kal.* Petri Episcopi & mar.
A. vi. *Kal.* Lini Papæ & mar.
B. v. *Kal.* Vitalis & Agricolæ mart.
C. iiii. *Kal.* Trophimi Episcopi.
D. iii. *Kal.* Saturnini mar. vig.
E. ii. *Kal.* *Andreæ Apostoli.*

Dat duodena cohors, septima inde decemque Decembris.

DIES XXX. LUNA XXIX.

F. *Kal. Dec.* Candidæ virg.
G. iiii. *Non.* Januarii.
A. iii. *Non.* Claudii mar.
B. ii. *Non.* Barbaræ virg.
C. *Nonas.* Cristinæ virg.
D. viii. *Id.* Nicolai Episcopi. ✠. *Adalbertus frater & presb. in. curia illa in Stercergazim.*
E. vii. *Id.* Agathonis mar.
F. vi. Eutichiani Papæ & mar. ✠. *Richardus frater & subdiac.*
G. v. *Id.* Leocadiæ virg.
A iiii. *Id.* Eulaliæ virg.
B. iii. *Id.* Damasi Papæ.
C. ii. *Id.* Alexandri mar.
D. *Idus.* Luciæ virg. & mar. ✠. *Hezeb. frater & presb. in. ii. fol.*
E. xix. *Kal. Jan.* Dioscori mar.
F. xviii. *Kal.* Valeriani Episcopi & mar.
G. xvii. *Kal.* ✠. *Bezbelinus laicus in. ii. fol.*
A. xvi. *Kal.* Lazari & Marthæ. ✠. *Raudolfus diacon.*
B. xv. *Kal.* Zosimi mar. ✠. *Edelvvinus frater in. v. fol.*
C. xiv. *Kal.* Nemesii mar. ✠. *Einmecho frater & presb.*
D. xiii. *Kal.* Vigil. sancti Thomæ. ✠. *Hermannus frater & diac.*
E. xii. *Kal.* Thomæ Apostoli. ✠. *Mengolz laic. in. xxx. den.*
F. xi. *Kal.* Cheremonis mar. ✠. *Bevvnhelmus frater.*
G. x. *Kal.* Victoriæ virg. & mar.
A. ix. *Kal.* Vigil. natalis Domini. ✠. *Hugo comes. in. v. fol.*
B. viii. *Kal.* *Nativitas Domini nostri Jesu Christi. Anastasiæ virg.*
C. vii. *Kal.* *Stephani protomar.*
D. vi. *Kal.* *Johannis Apostoli & Evang.* ✠. *Regezalvicus. in. ii. fol. de domo juxta pistriniam fratrum.*
E. v. *Kal.* Innocentum mar. ✠. *Wezel frater & presb.*
F. iiii. *Kal.* Crescentia Episcopi.
G. iii. *Kal.* Sabini Episcopi.
A. ii. *Kal.* Silvestri Papæ. ✠. *Berhdolfus frater & cantor in. v. fol. de Hachenbach.*

VI.

KALENDARIUM CISTERCIENSE.

Ex Codice Ottoboniano sæculi XIII. ad calcem sacrorum Bibliorum.

JANUARIUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

A. *Kal. Januarii.* Circumcisio Domini. *Lect.* XII. *Hic mutatur cursus Lunæ.*
b. IV. *Non.* Octavæ sancti Stephani. *Com.*
c. III. *Non.* Octavæ sancti Johannis. *Com.*
d. II. *Non.* Octavæ sanctorum Inocentum. *Com.*
e. *Nonar.*
f. VIII. *Id.* Epiphania Domini. *Lect.* XII.
g. VII. *Id.*
A. VI. *Id.*
b. V. *Id.*
c. IIII. *Id.* Pauli primi heremitæ. *Com.*
d. III. *Id.* Commemoratio Episcoporum & Abbatum defunctorum ordinis nostri.
e. *Pridie Id.*
f. *Idibus Jan.* Oct. Epiphaniæ. *Lect.* XII. Hylarii & Remigii Episcoporum. *Com.*
g. XIX. *Kal. Feb.* Felicis in pincia. *Com.*
A. XVIII. *Kal.* Mauri abbatis. *Com.*
b. XVII. *Kal.* Marcelli Papæ & mar. *Com.*
c. XVI. *Kal.* Aotonii conf. *Com.* Speusippi. Meuxippi, & Leusippi martyrum. *Com.*
d. XV. *Kal.* Priscæ virg. & mar. *Com.* *Sol in aquario.*
e. XIV. *Kal.*
f. XIII. *Kal.* Fabiani & Sebastiani mar. *Lect.* XII.
g. XII. *Kal.* Agnetis virg. & mar. *Lect.* XII.
A. XI. *Kal.* Vincentii mar. *Lect.* XII.
b. X. *Kal.* Emereotianæ virg. & mart. *Com.*
c. IX. *Kal.*
d. VIII. *Kal.* Cooversio sancti Paoli. *Lect.* XII. Præjecti martyris. *Com.*
e. VII. *Kal.*
f. VI. *Kal.*
g. V. *Kal.* Agnetis secundo. *Com.* Juliaoi Episcopi & conf. *Com.*
A. IV. *Kal.*
b. III. *Kal.*
c. *Pridie Kal.*

FEBRUARIUS HABET DIES XXVIII. LUNA XXIX.

d. *Kal. Feb.* Ignatii Ep. & mar. *Com.* Brigidæ virg. *Com.*
e. IV. *Non.* Purificatio sanctæ Mariæ. *Lect.* XII.
f. III. *Non.*
g. *Pridie.*
A. *Nonas.* Agathæ virg. & martyris. *Lect.* XII.
b. VIII. *Id.* Vedasti & Amaodi Episcoporum. *Com.*
c. VII. *Id.*
d. VI. *Id.*
e. V. *Id.*
f. IV. *Id.* Sotheris virg. & mar. *Com.* Scolasticæ virg. *Com.*
g. III. *Id.*
A. *Pridie.*
b. *Idibus.*
c. XVI. *Kal. Martii.* Valentini martyris. *Com.* Vitalis. Feliculæ & Zenonis. *Com.* *Sol in piscibus.*
d. XV. *Kal.*
e. XIV. *Kal.* Julianæ virg. & martyris. *Com.*
f. XIII. *Kal.*
g. XII. *Kal.*
A. XI. *Kal.*
b. X. *Kal.*
c. IX. *Kal.*
d. VIII. *Kal.* Cathedra sancti Petri. *Lect.* XII. *Ver oritur.*
e. VII. *Kal.*
f. VI. *Kal.* Mathiæ Apostoli. *Lect.* XII. *Locus bisextus.*
g. V. *Kal.*
A. IV. *Kal.*
b. III. *Kal.*
c. *Pridie.*

MARTIUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

d. *Kal. Mart.* Aibini Episcopi.
e. VI. *Non.*
f. V. *Non.*
g. IV. *Non.*
A. III. *Non.*
b. *Prid. Non.*
c. *Nonas.* *Prima incensio Lunæ.*

d. VIII. *Id.*

III. *Id. Jan. Commemoratio Episcoporum, & Abbatum defunctorum ordinis nostri.*] Martyrologium Cisterciense Claudii Chalemoti hac die ita exorditur: *Commemoratio solemnis Episcoporum, & Abbatum ordinis Cisterciensis per totum eundem ordinem Anniversario celebranda, & a Capitulis generalibus a pluribus annis instituta.*

V. *Kal. Feb. Juliani Ep. & conf.*] Forte est *Julianus* Episcopus, Cenomanorum in Gallis Apostolus, de quo pridie hujus Hagiologia, & Acta apud Bollandianos die XXVII. Januarii pag. 761. & *seq.* nisi malis, hic agi de S. *Juliano* Episcopo *Conchensi* in Hispania, qui colitur hac die XXVIII. *Januarii*, & obiit A. D. 1207. de quo ejusque Actis Bollandiani ad diem XXVIII. Januarii pag. 893. & *seq.*

d. viii. *Id.*
e. vii. *Id.*
f. vi. *Id.*
g. v. *Id.* *Clavis Paschæ.*
A. iv. *Id.* Gregorii Papæ. *Lect.* xii.
b. iii. *Id.*
c. *Pridie Id.* *Ultima quadragesima.*
d. *Idibus.*
e. xvii. *Kal.* *Aprilis.*
f. xvi. *Kal.*
g. xv. *Kal.* *Primus dies sæculi.*
A. xiv. *Kal.*
b. xiii. *Kal.*
c. xii. *Kal.* Benedicti abbatis: *Lect.* xii. *Æquinoctium. Primum Pascha. Sedes Epactarum.*
d. xi. *Kal.*
e. x. *Kal.*
f. ix. *Kal.* *Concurrentium locus.*
g. viii. *Kal.* Annuntiatio Dominica.
A. vii. *Kal.*
b. vi. *Kal.*
c. v. *Kal.*
d. iv. *Kal.*
e. iii. *Kal.*
f. *Pridie Kal.*

APRILIS HABET DIES XXX. LUNA XXIX.

g. *Kal.* *Aprilis.*
A. iv. *Non.*
b. iii. *Non.*
c. *Prid. Non.* Ambrosii Episcopi. *Lect.* xii.
d. *Nonas.* *Ultima incensio Lunæ Paschalis.*
e. viii *Id.*
f. vii. *Id.*
g. vi. *Id.*
A. v. *Id.*
b. iv. *Id.*
c. iii. *Id.*
d. *Prid. Id.*
e. *Idibus.*
f. xviii. *Kal.* *Maj.* Tiburtii, Valeriani, & Maximi. *Com.*
g. xvii. *Kal.*
A. xvi. *Kal.*
b. xv. *Kal.* *Sol in Tauro.*
c. xiv. *Kal.*
d. xiii. *Kal.*
e. xii. *Kal.*
f. xi. *Kal.*
g. x. *Kal.*
A. ix. *Kal.* Georgii mar. *Com.*
b. viii. *Kal.*
c. vii. *Kal.* Marci Evang. *Lect.* xii. *Ultimum Pascha.*
d. vi. *Kal.*
e. v. *Kal.*
f. iv. *Kal.* Vitalis mar. *Com.*
g. iii. *Kal.*
A. ii. *Kal.*

MAJUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

b. *Kal. Maji.* Philippi & Jacobi Apostolorum. *Lect.* xii.
c. vi. *Non.*
d. v. *Non.* Inventio sanctæ Crucis. *Lect.* xii. Alexandri, Eventii, & Theoduli mar. *Com.*
e. iv. *Non.* Monacæ.
f. iii. *Non.*
g. ii. *Non.* Johannis Apostoli ante portam Latinam.
A. *Nonas.*
b. viii. *Id.* Petri Episcopi & conf. *Lect.* xii. *Æstas oritur.*
c. vii. *Id.*
d. vi. *Id.* Gordiani & Epimachi mar. *Com.*
e. v. *Id.* Mamerti Ep. & conf. *Com.*
f. iv. *Id.* Nerei, & Achillei, atque Pancratii mar. *Com.*
g. iii. *Id.*
A. ii. *Id.*
b. *Idus.*
c. xvii. *Kal.* *Jun.*
d. xvi. *Kal.*
e. xv. *Kal.* *Sol in geminis.*
f. xiv. *Kal.* Pudentianæ virg. *Com.*
g. xiii. *Kal.*
A. xii. *Kal.*
b. xi. *Kal.*
c. x. *Kal.* Desiderii Ep. & mar. *Com.*
d. ix. *Kal.* Donatiani & Rogatiani mar. *Com.*
e. viii. *Kal.* Urbani Papæ & mar. *Com.*
f. vii. *Kal.*
g. vi. *Kal.*
A. v. *Kal.*
b. iv. *Kal.*
c. iii. *Kal.*
d. ii. *Kal.* Petronillæ virg. *Com.*

JUNIUS HABET DIES XXX. LUNA XXVIIII.

e. *Kal. Junii.* Nichomedis mar. *Com.*
f. iv. *Non.* Marcellini & Petri mar. *Com.*
g. iii. *Non.*
A. ii. *Non.*
b. *Non.*
c. viii. *Id.*
d. vii. *Id.*

e. vi. *Id.*

viii. *Idus Maji Petri Episcopi, & conf.*] Est Petrus Archiepiscopus Tarantasiensis, antea monachus Cisterciensis & Abbas Stamediensis. De eo Martyrologium Cisterciense hac die. Obiit A. D. 1173. Vide Bollandianos die viii. Maji pag. 320, & *seq.* & ibi pag. 347. *Cœlestini* Papæ III. Apostolicæ litteræ, A. D. 1191. die x. *Maji* datæ habentur, quibus *Petrum* sanctorum numero adscribit, ac statuit, ut illius natalis singulis annis e Cisterciensibus die 21. *Septembris* celebretur.

e. vi. *Id.* Medardi Ep. & conſ. *Com.*
f. v. *Id.* Primi & Feliciani mar. *Com.*
g. iv. *Id.*
A. iii. *Id.* Barnabæ Apoſtoli. *Com.*
b. ii. *Id.* Baſilidis. Cyrini. Naboris, & Nazarii mar. *Com.*
c. *Idus.* [*Antonii conf.*] Manu recentiori.
d. xviii. *Kal.* *Jul.*
e. xvii. *Kal.* Viti martyris. *Com.*
f. xvi. *Kal.* Cyrici & Julitæ mar. *Com.*
g. xv. *Kal.*
A. xiv. *Kal.* Marci & Marcelliani mar. *Com.*
b. xiii. *Kal.* Gervaſii & Protaſii mar. *Com.*
c. xii. *Kal.* *Solſtitium ſecundum Græcos.*
d. xi. *Kal.*
e. x. *Kal.* Albani martyris. *Com.*
f. ix. *Kal.* Vigilia ſancti Johannis Baptiſtæ.
g. viii. *Kal.* Nativitas ſancti Johannis Baptiſtæ. *Lect.* xii.
A. vii. *Kal.*
b. vi. *Kal.* Johannis & Pauli mar. *Com.*
c. v. *Kal.*
d. iv. *Kal.* Vigilia Apoſtolorum. Leonis Papæ. *Com.* Hirnei cum ſociis ſuis.
e. iii. *Kal.* Natale Apoſtolorum Petri & Pauli. *Lect.* xii.
f. ii. *Kal.* Commemoratio ſancti Pauli. *Lect.* xii. Marcialis Ep. & conſ. *Com.*

JULIUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

g. *Kal.* *Jul.* Octavæ ſancti Johannis Baptiſtæ. *Lect.* xii.
A. vi. *Non.* Proceſſi & Martiniani mar. *Com.*
b. v. *Non.*
c. iv. *Non.* Translatio ſancti Martini. *Com.*
d. iii. *Non.*
e. ii. *Non.* Octavæ Apoſtolorum. *Lect.* xii.
f. *Nonas.*
g. viii. *Id.*
A. vii. *Id.*
b. vi. *Id.* Septem fratrum. *Com.*
c. v. *Id.*
d. iv. *Id.*
e. iii. *Id.*
f. ii. *Id.*
g. *Idus.*
A. xvii. *Kal.* *Aug.*
b. xvi. *Kal.*
c. xv. *Kal.* *Sol in Leone.*
d. xiv. *Kal.*
e. xiii. *Kal.*
f. xii. *Kal.* Praxedis virg. *Com.*
g. xi. *Kal.* Mariæ Magdalenæ. *Lect.* xii.
A. x. *Kal.* Apollinaris Ep. & mar. *Com.*
b. ix. *Kal.* Criſtinæ virg. *Com.*
c. viii. *Kal.* Jacobi Apoſtoli. *Lect.* xii. Criſtophori & Cucuphati mar. *Com.*
d. vii. *Kal.*
e. vi. *Kal.*
f. v. *Kal.* Nazarii, Celſi, & Pantaleonis mar. *Com.*
g. iv. *Kal.* Felicis Ep. *Com.* Simplicii, Fauſtini, & Beatricis martyrum. *Com.*
A. iii *Kal.* Abdon & Sennes martyrum. *Com.*
b. ii. *Kal.* Germani Ep. & conſ. *Com.*

AUGUSTUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

c. *Kal.* *Aug.* Ad vincula ſancti Petri. *Lect.* xii. Sanctorum Machabæorum. *Com.* Euſebii Epiſcopi [*& mar.*] Manu recentiori. *Com.*
d. iv. *Non.* Stephani Papæ & martyris. *Com.*
e. iii. *Non.* Inventio ſancti Stephani protomartyris. *Lect.* xii.
f. ii. *Non.*
g. *Nonas.* [*Dominici conf.*] Manu recentiori.
A. viii. *Id.* Sixti Papæ & martyris. *Com.* Feliciſſimi & Agabiti martyrum. *Com.*
b. vii. *Id.* Donati Ep. & mar. *Com.*
c. vi. *Id.* Cyriaci mar. cum ſociis ſuis. *Com.*
d. v. *Id.* Vigilia ſancti Laurentii. Romani mar. *Com.*
e. iv. *Id.* Laurentii mar. *Lect.* xii.
f. iii. *Id.* Tiburtii martyris. *Com.*
g. ii. *Id.*
A. *Idus.* Ypoliti mar. ſociorumque ejus. *Com.*
b. xix. *Kal.* *Sept.* Vigilia Aſſumptionis ſanctæ Mariæ. Euſebii presbyteri. *Com.*
c. xviii. *Kal.* Aſſumptio ſanctæ Mariæ. *Lect.* xii.
d. xvii. *Kal.*
e. xvi. *Kal.* Octavæ ſancti Laurentii. *Com.*
f. xv. *Kal.* Agapiti martyris. *Com.*
g. xiv. *Kal.* Magni mar. *Com.* *Sol in virgine.*
A. xiii. *Kal.* Bernardi Abbatis. *Lect.* xii.
b. xii. *Kal.*
c. xi. *Kal.* Octavæ ſanctæ Mariæ. *Lect.* xii. Timothei & Symphoriani mart. *Com.*
d. x. *Kal.*
e. ix. *Kal.* Bartholomæi Apoſtoli. *Lect.* xii.
f. viii. *Kal.* Geneſii mar. *Com.*
g. vii. *Kal.*
A. vi. *Kal.* Rufi martyris. *Com.*
b. v. *Kal.* Auguſtini Ep. *Lect.* xii. Hermetis mart. *Com.*
c. iv. *Kal.* Decollatio ſancti Johannis Baptiſtæ. *Lect.* xii. Sabinæ virg. & mar. *Com.*
d. iii. *Kal.* Felicis & Audacti. *Com.*
e. ii. *Kal.*

SEPTEMBER HABET DIES XXX. LUNA XXIX.

f. *Kal.* *Sept.* Priſci mar. *Com.* Ægidii abbatis. *Hic mutantur Epactæ.*
g. iv. *Non.*
A. iii. *Non.*
b. ii. *Non.* Marcelli mar. *Com.*
c. *Nonas.* *Dies canicalares.*
d. viii. *Id.*
e. vii. *Id.* Evurgii Ep. & conſ. *Com.*
f. vi. *Id.* Nativitas ſanctæ Mariæ. *Lect.* xii. Adriani mar. *Com.*

g. v. *Id.* Gorgonii mar. *Com.*
A. iv. *Id.*
b. iiI. *Id.* Prothi & Jacinthi mar. *Com.*
c. iI. *Id.*
d. *Idus.*
e. xviii. *Kal.* *Octob.* Exaltatio sanctæ Crucis. *Lectiones.* xii. Cornelii & Cypriani mar. *Com.*
f. xvii. *Kal.* Nichomedis mar. *Com.*
g. xvi. *Kal.* Euphemiæ virg. & mar. *Com.* Luciæ & Geminiani mar. *Com.*
A. xv. *Kal.* Lamberti Ep. & mar. *Com.*
b. xiv. *Kal.* Commemoratio omnium fratrum & familiarium ordinis nostri.
c. xiii. *Kal.* Sequani abbatis. *Com.*
d. xii. *Kal.* Vigilia sancti Mathei Apostoli. *Æquinoctium autumnale.*
e. xi. *Kal.* Mathei Apostoli & Evangelistæ. *Lectiones.* xii.
f. x. *Kal.* Mauricii cum sociis suis. *Lect.* xii.
g. ix. *Kal.*
A. viii. *Kal.* Andochii, Tyrsi, & Felicis. *Com.*
b. vii. *Kal.*
c. vi. *Kal.*
d. v. *Kal.* Cosmæ & Damiani mar. *Com.*
e. iv. *Kal.*
f. iiI. *Kal.* Michaelis archangeli. *Lect.* xii.
g. iI. *Kal.* Jeronimi presbyteri. *Lect.* xii.

OCTOBER HABET DIES XXXI.
LUNA XXX.

A. *Kal.* *Octob.* Remigii Ep. *Lect.* xii. Germani & Vedasti Episcoporum. *Com.*
b. vi. *Non.* Leodegarii Ep. & mar. *Com.*
c. v. *Non.*
d. iv. *Non.* [*Sancti Francisci conf.*] Manu recentiori.
e. iiI. *Non.*
f. iI. *Non.*
g. *Nonas.* Marci Papæ & conf. *Com.* Marcelli & Apulei, Sergii & Bacchi. *Com.*
A. viii. *Id.*
b. vii. *Id.* Dionisii cum sociis suis. *Lect.* xii.
c. vi. *Id.*
d. v. *Id.*
e. iv. *Id.*
f. iiI. *Id.*
g. iI. *Id.* Callyxti Papæ & mar. *Com.*
A. *Idus.*
b. xvii. *Kal.* *Nov.*
c. xvi. *Kal.*
d. xv. *Kal.* Lucæ Evangelistæ. *Lect.* xii.
Sol in Scorpione.
e. xiv. *Kal.*
f. xiii. *Kal.*
g. xii. *Kal.*
A. xi. *Kal.*
b. x. *Kal.*
c. ix. *Kal.*
d. viii. *Kal.* Crispini & Crispiniani mar. *Com.*
e. vii. *Kal.*
f. vi. *Kal.* Vigilia Apostolorum Simonis & Judæ.
g. v. *Kal.* Natal. Apostolorum Simonis & Judæ *Lect.* xii.
A. iv. *Kal.*
b. iiI. *Kal.*
c. iI. *Kal.* Vigilia omnium sanctorum. Quintini mar. *Com.*

NOVEMBER HABET DIES XXX.
LUNA XXX.

d. *Kal.* *Novemb.* Festum omnium sanctorum. *Lectiones.* xii. Cesarii & Benigni. *Com.*
e. iv. *Non.* Commemoratio omnium fidelium defunctorum.
f. iiI. *Non.* Malachiæ Ep. & conf. *Lect.* xii.
g. iI. *Non.*
A. *Nonas.*
b. viii. *Id.*
c. vii. *Id.* *Hiemps oritur.*
d. vi. *Id.* Quatuor Coronatorum. *Com.*
e. v. *Id.* Theodori mar. *Com.*
f. iv. *Id.*
g. iiI. *Id.* Martini Ep. & conf. *Lect.* xii. Mennæ mar. *Com.*
A. iI. *Id.*
b. *Idus.* Bricci Ep. & conf. *Com.*
c. xviii. *Kal.* *Decemb.*
d. xvii. *Kal.*
e. xvi. *Kal.*
f. xv. *Kal.* Aniani Episcopi. *Com.*
Sol in sagittario.
g. xiv. *Kal.*
A. xiii. *Kal.*
b. xii. *Kal.* Commemoratio parentum nostrorum.
c. xi. *Kal.* Columbani abbatis. *Com.*
d. x. *Kal.* Ceciliæ virg. & mar. *Lect.* xii.
e. ix. *Kal.* Clementis Papæ & mar. *Lect.* xii. Sanctæ Felicitatis mar. *Com.*
f. viii. *Kal.* Crisogoni mar. *Com.*
g. vii. *Kal.*
A. vi. *Kal.*

Xxxx b. v. *Kal*

xiv. Kal. *Octob.* *Commemoratio omnium fratrum, & familiarium ordinis nostri.*] De hujusmodi commemoratione agit pridie hujus Martyrologium Cisterciense, his verbis. *Absolutio generalis omnium parentum, familiarium, & benefactorum ordinis in capitulo facienda ab Abbate, & a cantore denuncianda, præsente toto Conventu.* De ea liber usuum Cisterciensium.

iii. *Non. Nov. Malachiæ Episc., & conf.*] De eo Martyrologium Cisterciense hac die his verbis: *Festivitas sancti Malachiæ Archiepiscopi Hiberniæ, in hanc diem ob impeditam præcedentem translatus.* Fusius vero de eo ibidem pridie hujus. Obiit A.D. 1148. die iI. *Novembris*, apud *Claramvallem* sepultus; & sanctorum canoni adscriptus est a *Clemente* III. datis Apostolicis ea de re litteris A. D. 1190. die vi. *Julii*. Vitam scripsit S. Bernardus Claravallensis Abbas, quæ inter ipsius Bernardi opera legitur.

xii. Kal. *Dec. Commemoratio parentum nostrorum.*] De hujusmodi commemoratione nihil hac die in Martyrologio Cisterciensi.

b. v. *Kal.* Agricolæ & Vitalis mar. *Com.*
c. iv. *Kal.*
d. iii. *Kal.* Vigilia sancti Andreæ Apostoli. Saturnini mar. *Com.*
e. ii. *Kal.* Andreæ Apostoli. *Lect.* xii.

DECEMBER HABET DIES XXXI.
LUNA XXX.

f. *Kal. Decemb.* Crisanti, Mauri, & Dariæ mar. *Com.*
g. iv. *Non.*
A. iii. *Non.*
b. ii. *Non.*
c. *Nonas.*
d. viii. *Id.* Nicholai Ep. & conf. *Lect.* xii.
e. vii. *Id.* Octava sancti Andreæ. *Com.*
f. vi. *Id.*
g. v. *Id.*
A. iv. *Id.*
b. iii. *Id.* Damasi Papæ. *Com.*
c. ii. *Id.*
d. *Idus.* Luciæ virg. *Lect.* xii.
e. xix. *Kal.* *Januar.*
f. xviii. *Kal.*
g. xvii. *Kal.*
A. xvi. *Kal.*
b. xv. *Kal.* *Sol in Capricorno.*
c. xiv. *Kal.*
d. xiii. *Kal.*
e. xii. *Kal.* Thomæ Apostoli. *Lect.* xii. *Solstitium hyemale.*
f. xi. *Kal.*
g. x. *Kal.*
A. ix. *Kal.* Vigilia natalis Domini.
b. viii. *Kal.* Nativitas Domini. *Lect.* xii. Anastasiæ virg. *Com.*
c. vii. *Kal.* Stephani protomartyris. *Lect.* xii.
d. vi. *Kal.* Johannis Apostoli & Evangelistæ. *Lection.* xii.
e. v. *Kal.* Sanctorum Innocentum. *Lect.* xii.
f. iv. *Kal.* Thomæ Ep. & mar. *Lect.* xii.
g. iii. *Kal.*
A. ii. *Kal.* Silvestri Papæ. *Lect.* xii.



VII.

VII.

KALENDARIUM MEDIOLANENSE I.

Ex Breviario Ambrofiano, fcripto initio an. 1465.

Incipit Kalendarium fecundum morem fancti Ambrofii Epifcopi Mediolani.

Prima dies Jani tibi eft & feptima nani.

JANUARIUS HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

Nox habet horas XVI. *dies vero* VIII.

Aureus num.

III. A. *Kal. Jenuariis.* *Circumcifio Domini noftri Jefu Chrifti.*
b. IIII.
XI. c. III.
d. II.
XIX. e. *Non.*
VIII. f. VIII. *Epiphania Domini.*
g. VII. Sancti Chriftophori mar.
XVI. A. VI. Sanctorum quadraginta mar.
V. b. V. Sanctorum Saturnini & Vitalis martyrum.
e. IV. Sancti Pauli primi heremitæ.
XIII. d. III. Sancti Johannis Epifcopi Mediol.
II. e. *Prid. Id.* Sancti Ciriaci Ep. & mar.
f. *Idibus.* Sancti Ilarii Epifcopi.
X. g. XIX. *Kal. Feb.* Sancti Dati Epifcopi.
A. XVIII. Sancti Mauri Abbatis.
XVIII. b. XVII. Sancti Marcelli Papæ & mar.
VII. c. XVI. *Sancti Antonii Abbatis & conf.*
d. XV. Sanctæ Liberatæ virg. & mar.
XV. e. XIV. Sancti Baffiani Ep. Laudenfis.
IV. f. XIII. Sanctorum Fabiani & Sebaftiani. Et Solutoria mar.
g. XII. *Sanctæ Agnetis virg. & mar.*
XII. A. XI. Sancti Vincentii Levitæ & mar.
I. b. X. Sancti Anaftafii mar.
c. IX. Sanctorum Babillæ & trium parvulorum.
IX. d. VIII. *Converfio fancti Pauli.*
e. VII. Sanctorum Pancratii & Policarpi Epifcoporum & martyrum.
XVII. f. VI. Sancti Johannis Grifoftomi Epifcopi, five os auri.
VI. g. V. Sancti Johannis Booi Archiep. Mediol.
A. IV. Sancti Valerii Epifcopi.
XIV. b. III. Sanctæ Savinæ virg.
III. c. *Prid. Kal.* Sancti Julii presbyteri.

Annus habet menfes XII. *Septimanas* LII. *diem unum, & habet dies* CCCLXV. *&* VI. *horas.*

Martius menfis poft quartum tertius exfit.

Februarius apud Hebraos dicitur Sechath, *apud Gracos* Endicos.

FEBRUARIUS HABET DIES XXVIII. LUNA XXIX.

Quando eft bifeft. habet dies XXIX. *Luna* XXX.

d. *Kal. Feb.* Sancti Ignatii Ep. & mar. & Brigitæ virg. & mar.
XI. e. IV. *Purificatio beatæ Mariæ virg.*
f. III. Sancti Blafii Ep. & mar.
XIX. g. *Prid.* Sanctæ Veronicæ virg. & mar.
VIII. A. *Nonis.* *Sanctæ Agathæ virg. & mar.*
XVI. b. VIII. Sanctæ Dorotheæ virg. & mar.
V. c. VII. *Sancti Mathiæ Apoftoli.*
d. VI. Sanctæ Eugeniæ virg.
XIII. e. V. Sanctæ Apoloniæ virg. & mar.
II. f. IV. Sanctæ Scolafticæ virg. & mar.
g. III. Sanctæ Eufrafiæ virg. Caloceri mar.
X. A. *Prid. Id.* Sanctorum Macharii, Rufini, & Jufti martyrum.
b. *Idibus.* Sanctæ Eulariæ virg.
XVIII. c. XVI. *Kal. Mart.* Sancti Valentini presbyteri & mar.
VII. d. XV. Sanctorum Fauftini & Jovitæ martyrum.
e. XIV. Sanctæ Julianæ virg. & mar.
XV. f. XIII. Sanctorum Donati cum fociis martyribus.
IV. g. XII. Sanctæ Conftantiæ virg. & mar.
A. XI. Sancti Marcellini Ep. & mar.
XII. b. X. Sancti Gaii Epifcopi.
I. c. IX. *Sancti Ambrofii de Victoria.*
d. VIII. *Cathedra fancti Petri Apoftoli.*
IX. e. VII. Sancti Policarpi presbyteri & mar.
f. VI. *Inventio capitis Johannis Baptiftæ.*
XVII. g. V. Sanctorum Victorini & Victoria martyrum.
VI. A. IV. Sancti Alexandri Epifcopi.
b. III. Sancti Abundi conf.
XIV. c. *Prid. Kal.* Sancti Romani abbatis.

Nulius vel octava vel denæ dixerit ave.
Martius in prima cum quarta dividit ymu.

Martius apud Hebraos dicitur Adar, *apud vero Gracos* Difcon.

MARTIUS HABET DIES XXXI. ET LUNA XXX.

Nox habet horas XII. *dies vero totidem.*

III. d. *Kal. Martiis.* Sancti Albini confefforis.
e. VI. Sancti Simplitiani Papæ & mar.

xi. f. v. Sancti Marini mar.
g. iv. Sancti Lucii Papæ & mar.
xix. A. iii. Sancti Eusebii & aliorum novem mar.
viii. b. *Prid. Non.* Sancti Victoris mar.
c. *Nonis.* Sancti Thomæ de Aquino.
xvi. d. viii. Sancti Felicis Episcopi.
v. e. vii. Sanctorum quatuor Coronatorum martyrum.
f. vi. Sanctorum xlii. martyrum.
xiii. g. v. Sancti Benedicti abbatis.
ii. A. iv. *Sancti Gregorii Papæ & conf.*
b. iii. Sancti Valerii mar. & Eufrasiæ virg.
x. c. *Prid. Id.* Sancti Lazari conf. Archiepiscopi Mediol.
d. *Idibus.* Sancti Longini mar.
xviii. e. xvii. *Kal. April.* Sanctæ Eugeniæ virg. & Pauli Ep.
vii. f. xvi. Sancti Patritii Episcopi.
g. xv. Sancti Anselmi conf.
xv. A. xiv. Sancti Johannis Abbatis, & Ciriaci Episcopi:
iv. b. xiii. Sanctorum Pauli & sociorum martyrum.
c. xii. Depositio sancti Benedicti abb.
xii. d. xi. Sancti Pauli Episcopi.
i. e. x. Sancti Victorini & sociorum mar.
f. ix. Sancti Pigmenii Ep. (pro pbri) & mar.
ix. g. viii. *Annuntiatio beatæ Mariæ virg.*
A. vii. Sancti Martiani mar.
xvii. b. vi.
vi. c. v. Sancti Theodori Ep. & mar.
d. iv. Ordinatio sancti Gregorii Papæ.
xiv. e. iii. Sancti Secundi mar.
iii. f. *Prid. Kal.* Sanctorum Tiburtii & Quirini m. & Balbinæ virg.

Sexta minus fordet, cum vulnera dena remordet.

Cui decimus cedit, undecimus Aprilis obedit.

Aprilis apud Hebræos dicitur Yar, *apud Græcos dicitur* Sandicoa.

APRILIS HABET DIES XXX. LUNA XXIX.

Nox habet horas x. *dies vero* xiv.
g. *Kal. April.* Sanctæ Theodoræ virg.
xi. A. iv. Sancti Abundii Episcopi Cumarum.
b. iii. Sanctæ Theodosiæ virg. & mar.
xix. c. *Prid. Non.* Sancti Remigii conf.
viii. d. *Nonis. Depositio sancti Ambrosii Episcopi.*
xvi. e. viii. Sancti Celestini Papæ & mar.
v. f. vii. Sanctorum Timothei & Diogeniæ mar.
g. vi.
xiii. A. v. Sancti Antonii Episcopi.
ii. b. iv. Sancti Apolonii Episcopi & sociorum martyr.
c. iii. Sancti Leonis Papæ & conf.
x. d. *Prid. Id.* Sancti Zenonis Episcopi.
e. *Idibus.* Sanctorum trecentorum mar.
xviii. f. xviii. *Kal. Madii.* Sanctorum Tiburtii & Valeriani martyrum.
vii. g. xvii. Sancti Calixti & sociorum martyrum.
A. xvi. Sancti Innocentii Episcopi & conf.
xv. b. xv. Sancti Vincentii & sociorum martyr.
iv. c. xiv. Sancti Majoli Episcopi. Sancti Baldini Episcopi.
d. xiii. Sancti Victoris Papæ & mar.
xii. e. xii. Sancti Simeonis Ep. & mar.
i. f. xi. Sancti Sotheris mar.
g. x. Sancti Maroli Archiepiscopi Mediol.
ix. A. ix. *Sancti Georgii mar.*
b. viii. *Sancti Marci Evangelistæ mar.*
xvii. c. vii. Sanctorum Victoria & Coronæ martyrum.
vi. d. vi. Sancti Veneri Episcopi.
e. v. Sanctorum Vitalis & Valeriæ martyr.
xiv. f. iv. Sancti Petri mar. Ord. Prædicatorum.
iii. g. iii.
A. *Prid. Kal.* Sanctorum Valentini & Damiani martyrum.

Prima petit tellus, quem nona requirit Aprilis.

Tertius hic aptat Madii, quod septimus aptat.

Madius apud Hebræos dicitur Sciban, *apud vero Græcos* Animoscos.

MADIUS HABET DIES XXXI. ET LUNA XXX.

Nox habet horas viii. *dies vera* xvi.
xi. b. *Kal. Madii. Sanctorum Philippi & Jacobi Apostolorum.* Et sancti Sigismundi.
c. vi. Sancti Athanasii Doct.
xix. d. v. *Inventio sanctæ Crucis.*
viii. e. iv. Sancti Gothardi Episcopi.
f. iii. Sancti Geruntii Episcopi.
xvi. g. *Prid. Non. Sancti Johannis Evangelistæ in oleo fervente. Et Veneri Ep.*
v. A. *Nonis.* Sancti Placidi mar.
b. viii. Sancti Victoris mar.
xiii. c. vii. Sanctorum Casti, & Polemii martyr.
ii. d. vi. Translatio sancti Lazari (pro *Nazarii*) martyr.
e. v. Depositio sancti Majoli abbatis.
x. f. iv. Sancti Pancratii mar.
g. iii. Sanctæ Eugeniæ virg.
xviii. A. *Prid. Id.* Sanctorum Felicis & Fortunati martyrum.
vii. b. *Idibus.* Sancti Ylarii Episcopi.
c. xvii. *Kal. Jun.* Sancti Victorini mar.
xv. d. xvi. Translatio sancti Syri Episcopi.
iv. e. xv. Sancti Johannis Papæ.
f. xiv. Sancti Petri Celestini conf.
xii. g. xiii.
i. A. xii. Sancti Valentini mar.
b. xi. Sancti Boni conf. & Juliæ virg. & mar.
ix. c. x. Sancti Desiderii Episcopi.
d. ix. Translatio sancti Dominici conf.
xvii. e. viii. Depositio sancti Dionysii Episcopi.
vi. f. vii. Sancti Theodori mar.
g. vi. Sancti Johannis Papæ & mar.

xiv. A.

xiv. A. v. Sancti Senatoris Episcopi Mediol.
iii. b. iv. Sanctorum Sisinnii & Alexandri mar.
c. iii. Sanctorum Petri & Laurentii mar.
xi. d. *Prid. Kal.* Sanctæ Petronillæ virg. & mar.

Nona parit bellum, sed quinta dat hora flagellum.

Cum nil dena dabit, Junii quindena negabit.

Junius apud Hebræos dicitur Tebath, *apud Græcos* Desciis.

JUNIUS HABET DIES XXX. ET LUNA XXIX.

Nox habet horas sex, dies vero xviii.
e. *Kal. Junii.* Sanctorum Firmi & Gratiani martyrum.
xix. f. iv.
viii. g. iii. Sancti Erasmi Episcopi & mar.
xvi. A. *Prid. Non.* Sanctorum Quirini & Nicomedis martyr.
v. b. *Nonis.* Sancti Bonifacii Episcopi & mar.
c. viii. Depositio sancti Eustorgii Episcopi Mediol.
xiii. d. vii. Sancti Celestini mar.
ii. e. vi. Sanctorum Primi & Feliciani mar.
f. v. Sancti Maurilii Episcopi.
x. g. iv. Sancti Pantaleonis mar.
xviii. A. iii. *Sancti Barnabæ Apostoli.*
b. *Prid. Id.* Sanctorum Cirini, Basilidis, & Naboria mar.
vii. c. *Idibus.* Sancti Antonii confessoris de Padua.
d. xviii. *Kal. Jul.* Sanctorum Cantianorum martyr.
xv. e. xvii. Sanctorum Viti & Modesti martyr. & Bernardi.
iv. f. xvi. Sancti Ferreoli presbyteri & mar.
g. xv. Sanctorum Marci & Marcelliani mar.
xii. A. xiv. Sancti Imerii Episcopi.
i. b. xiii. Sanctorum Prothasii & Gervasii mar.
c. xii. Sanctæ Florentiæ virg.
ix. d. xi. Sancti Albini mar.
e. x. Sancti Juliani mar.
xvii. f. ix. Sancti Johannis presbyteri & mar.
vi. g. viii. *Nat. sancti Johannis Baptistæ.*
A. vii. Sanctæ Febroniæ virg. Et translatio sancti Ello (pro *Eligii*) Episcopi.
xiii. b. vi. Sanctorum Johannis & Pauli mar.
iii. c. v. Sancti Crescentis Episcopi.
d. iv. Sancti Leonis Papæ & conf.
xi. e. iii. *Apostolorum Petri & Pauli.*
f. *Prid. Kal.* Commemoratio sancti Pauli. Et ded. sanctæ Valeriæ virg.

Lædit quinta cutem; nulla dat quarta salutem.

Terdecimus fortis Julii; sed decima via mortis.

Julius apud Hebræos dicitur Thamul, *apud Græcos* Paneus.

JULIUS HABET DIES XXXI. LUNA VERO XXX.

Nox habet horas viii. *dies* xvi.
xix. g. *Kal. Julii.*
viii. A. vi. *Visitatio beatæ Mariæ virginis ad Helisabeth.*
b. v. Translatio sancti Thomæ Apostoli.
xvi. c. iv. Sancti Vodelrici conf.
v. d. iii. Sanctæ Margaritæ virginis.
e. *Prid. Non.* Sancti Tranquillini mar.
xiii. f. *Nonis.* Sancti Apolonii conf.
ii. g. viii. Sancti Ampeli Archiepiscopi.
A. vii. Sancti Cirilli Ep. & mar.
x. b. vi. Sanctæ Felicitatis cum suis septem filiis.
e. v. Translatio sancti Benedicti abbatis.
xviii. d. iv. Sanctorum Naboris & Felicis martyrum.
vii. e. iii. Sancti Anacleti Papæ & mar.
f. *Prid. Id.* Sancti Justi Ep. & sanctæ Mariæ (al. *Marinæ*) virg.
xv. g. *Idibus.* Sancti Jacobi Episcopi.
iv. A. xvii. *Kal. Aug.* Sancti Quirici mar.
b. xvi. Sanctæ Marcellinæ virg.
xii. c. xv. Sancti Materni Archiep. Mediol.
i. d. xiv. Sancti Anselmi (al. *Arsenii abb. &*) conf.
e. xiii. Sancti Joseph justi. conf. & Savinæ virg.
ix. f. xii. Sanctæ Praxedis virg.
g. xi. *Sanctæ Mariæ Magdalenæ.*
xvii. A. x. Sancti Apolinaris mar.
vi. b. ix. Sanctæ Susannæ virg. & Victoris cum sociis.
c. viii. *Sancti Jacobi Apostoli.* Et Christophori mar. & Christinæ virg.
xiv. d. vii. Sanctæ Annæ matris *beatæ Mariæ virg.*
iii. e. vi. Sanctorum Nasarii & Celsi mar. Sancti Simeonis conf.
f. v. Sanctæ Marthæ Christi hospitæ.
xi. g. iv. Sanctorum Abdon & Sennen martyrum.
A. iii.
xix. b. *Prid. Kal.* Sancti Kalimeri Ep. & mar.

Est lupus undenus, pariterque nona leæna.

Sexta prima furit, a fine secunda perurit.

Augustus apud Hebræos dicitur Ebal, *apud Græcos* Yor.

AUGUSTUS HABET DIES XXXI. ET LUNA XXX.

Nox habet horas x. *dies vero* xiv.
viii. c. *Kal. Aug.* Sanctorum Machabæorum, & Eusebii Episcopi.
xvi. d. iv. Sancti Germani mar.
v. e. iii. Sancti Gaudentii Episcopi.
f. *Prid. Non.* Sanctæ Perpetuæ virg. & mar.

xiii. g.

xiii. g. *Nonis*. Sancti Domini presbyteri & mar.
ii. A. viii. Sancti Systi Papæ & mar.
b. vii. Sanctorum Donati & Carpofori martyrum.
x. c. vi. Sanctæ Claræ virg.
d. v. Sanctorum Firmioi & Rustici martyrum.
xviii. e. iv. *Sancti Laurentii mar.*
vii. f. iii. Sanctæ Redegundæ virg.
g. *Prid. Id.* Sancti Eusebii Archiep. Medinl.
xv. A. *Idibus*. Sanctorum Ypoliti, & Cassiani mar.
iv. b. xix. *Kal. Septemb.*
c. xviii. *Assumptio Virginis Mariæ*.
xii. d. xvii. Sancti Theodori Episcopi.
i. c. xvi. Sanctorum Mametis & Agapiti martyrum.
f. xv. Sanctæ Elenæ virg.
ix. g. xiv. Sancti Ludnvici Episcopi.
A. xiii. *Sancti Bernardi abbatis*.
xvii. b. xii. Sancti Luxurii mar.
vi. e. xi. Sancti Timnthei mar.
d. x. Sancti Thomæ Episcopi.
xiv. e. ix. *Sancti Bartholomæi Apostoli*.
iii. f. viii. Sancti Genesii mar.
g. vii. Sancti Alexandri mar.
xi. A. vi. *Dedicatio sancti Salvatoris*. Et sancti Rusi mar.
xix. b. v. *Sancti Augustini Episcopi*.
c. iv. *Decollatio sancti Johannis Baptistæ*.
viii. d. iii. Sanctorum Felicis & Audacti martyrum.
c. *Prid. Kal.* Sanctorum Marci & Robustiani martyrum.

Augustus nempe prima fugat de fine secunda.

Cuspide prima quam septima pridem quærit.

Tertia turbatur, Septembris dena miratur.

September apud Hebræos dicitur Trasi, *apud Græcos* Cyrcon.

SEPTEMBER HABET DIES XXX. ET LUNA XXIX.

Nox habet horas xii. *& dies similiter* xii.

xvi. f. *Kal. Septemb.* Sancti Egidii conf.
v. g. iv. Sancti Justini presbyteri & mar.
A. iii. Sancti Ansani (al. *Auxani*) Episcopi Medinl.
xiii. b. *Prid. Non.* Sancti Bonifatii Episcopi.
ii. c. *Nonis*. Sancti Victurini mar.
d. viii. Sancti Elentherii Episcopi.
x. e. vii. Sancti Johannis mar.
f. vi. *Nat. beatæ Mariæ virg.*
xviii. g. v. Sancti Adriani mar.
vii. A. iv. Sancti Nicolai de Tolentioo, & Illarii Papæ & conf.
b. iii. Sanctorum Protbi & Jacinti martyrum.
xv. c. *Prid. Id.* Sancti Aniceti mar.
iv. d. *Idibus*. Sancti Maurelii Episcopi.
e. xviii. *Kal. Octob. Exaltatio sanctæ Crucis*, & sancti Cornelii & Cypriani martyrum.
xii. f. xvii. Sancti Nicomedia mar.
i. g. xvi. Sanctæ Eusemiæ virg.
A. xv. Sancti Sathiri conf.
ix. b. xiv. *Sancti Eustorgii Ep. Mediol.*
c. xiii. Sancti Clirici (al. *Clicerii*) Archiep. Mediol.
xvii. d. xii. Sancti Eustachi mar.
vi. e. xi. *Sancti Mathei Apostoli & Evangelistæ*.
f. x. Sancti Mauritii cum sociis.
xiv. g. ix. Sancti Lini Papæ & mar.
iii. A. viii. *Sanctæ Teclæ virg. & mar.*
b. vii. Sancti Anatulonis Episcopi.
xi. c. vi. Sanctæ Justinæ virg.
xix. d. v. Sanctorum Florentii & Ylarii martyrum.
e. iv. Sancti Justini presbyteri & mar.
viii. f. iii. *Sancti Michaelis archangeli*.
g. *Prid. Kal. Sancti Jeronymi presbyteri & confess.*

Tertia Septembris & quarta dabit mala membris.

Tertius October nulli, decimusque salubris.

October apud Hebræos dicitur Marisan, *apud Græcos* Periberos.

OCTOBER HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

Nox habet horas xiv. *dies vero* x.

xvi. A. *Kal. Octob.* Sancti Remigii Episcopi.
v. b. vi. Sancti Eusebii Papæ.
xiii. c. v. Sanctæ Candidæ virg.
ii. d. iv. Sancti Francisci conf.
e. iii. Sancti Monæ Ep. Mediol.
x. f. *Prid. Non.* Sanctæ Sophiæ virg.
g. *Nonis*. Sancti Marci Papæ.
xviii. A. viii. Sanctæ Pelagiæ virg.
vii. b. vii. Sancti Domnini mar.
c. vi. Sancti Dionysii mar.
xv. d. v. Sancti Eustachi, uxoris & filiorum mar.
iv. e. iv.
f. iii. Sancti Geraldi conf.
xii. g. *Prid. Id.* Sancti Callixti Papæ & mar.
i. A. *Idibus*. *Dedicatio Ecclesiæ, sequenti Dominica.*
b. xvii. *Kal. Nov.* Sancti Galli conf.
ix. c. xvi. Sancti Florentini Ep. & Maximi Ep.
d. xv. *Sancti Lucæ Evangelistæ*.
xvii. e. xiv. Sancti Columbani Episcopi. (al. *ob.*)
vi. f. xiii. Sanctæ Ursulæ virg.
g. xii. Sancti Ylarionis abbatis.
xiv. A. xi. Sanctorum Cosmæ & Damiani martyrum.
iii. b x. Sancti Saturnini mar.
c. ix. Sancti Severini Episcopi.

xi. d. viii. Saoctorum Crifpini & Crifpiniaoi martyrum.
xix. e. vii. Sanctorum Lutiani & Martiniani martyrum.
f. vi. Sancti Quirini mar.
viii. g. v. *Santiorum Simeonis & Judæ Apostolorum*, & Fidelis mar.
A. iv. Sancti Germani mar.
xvi. b. iii. Sancti Saturnini mar.
v. c. *Prid. Kal.* Sancti Antonii Ep. Medinl.

Quinta Novemb. obest, nulli lux tertia prodest.

Novemb. apud Hebræos dicitur Caslcu, *apud Græcos* Didioa.

NOVEMBER HABET DIES XXX. ET LUNA XXIX.

Nox habet horas xvi. *dies vero* viii.
d. *Kal. Novemb. Festum omnium sanctorum.* Et Magoi coof.
xiii. e. iv. *Commemoratio omnium mortuorum.*
ii. f. iii. Sancti Valentini mar.
g *Prid. Non.* Saoctorum Vitalia & Agricolæ mar.
x. A. *Nonis.* Sancti Felicis presbyteri.
b. viii. Sancti Iennardi conf.
xviii. c. vii. Sancti Harculani Ep. & mar.
vii. d. vi. Sanctorum quatuor Coronatorum mar.
a. v. Sancti Aurelii Episcnpi.
xv. f. iv. Sancti Theodori mar.
iv. g. iii. *Sancti Martini Ep. & conf.*
A. *Pridie Id.* Saocti Arfatii Ep. Mediol.
xii. b. *Idibus.* Sancti Antonini mar.
i. c. xviii. *Kal. Dec.* Sancti Desidarii Ep. & mar.
d. xvii. Sancti Britii Ep.
ix. a. xvi. Sanctæ Trasilæ virg.
f. xv. Sanctorum Anomiani (pro *Aniani*) & Gregorii martyrum.
xvii. g. xiiii. Sancti Romaoi Ep. & mar.
vi. A. xiii. Sanctæ Halisabeth virg.
b xii. Sancti Benigni Ep. Mediol.
xiv. c. xi. Saoctæ Columbæ virg. & mar.
iii. d. x. Sanctæ Ceciliæ virg. & mar.
e. ix. Saocti Clamentis Ep. & mar.
xi. f. viii. Sancti Prothasii Ep. & coof.
xix. g. vii. Sanctæ Katarinæ virg. & mar.
A. vi. Sanctæ Mustiolæ virg. & mar.
viii. b v. Sancti Jacobi intercisi mar.
c. iv. Sancti Evasii Ep. & mar.
xvi. d. iii. Sanctorum Crisanti & Dariæ martyrum.
v. e. *Prid. Kal. Sancti Andreæ Apostoli, & baptismas sancti Ambrosii Ep. Mediol.*

Est octova canis, forte quorta videtur inanis.

Hoc dat bissena decimi quod septima dena.

December apud Hebræos dicitur Teleth, *apud Græcos* Apileos.

DECEMBER HABET DIES XXXI. LUNA XXX.

Nox habet horas xviii. *dies vera* vi.
f. *Kal. Decemb. Sancti Castritiani Ep. Mediol.* & jacet in sancto Johanna ad concham in porta Romana.
xiii. g. iv. Saoctæ Candidæ virg.
A. iii. Saocti Mirocletis Ep. Mediol.
b. *Prid. Non.* Sanctæ Barbaræ virg.
x. c. *Nonis.* Sancti Dalmatii mar.
d. viii. *Sancti Nicolai Ep. & conf.*
xviii. e. vii. *Ordinatio sancti Ambrosii Ep. Mediol.*
vii. f. vi. Sancti Zennnis Ep.
xv. g. v. Sancti Syri Episcopi.
iv. A. iv. Sancti Banigni Episcnpi.
b. iii. Sanctæ Eulariæ (pro *Eulalia*) virg.
xii. c. *Prid. Id.* Sancti Pauli conf.
i. d. *Idibus. Sancta Lutiæ virg.*
e. xix. *Kal. Jan.* Sancti Matroniani conf.
ix. f. xviii. Sancti Antonini Ep. Mediol.
g. xvii.
xvii. A. xvi. Sancti Lazari Episcopi.
vi. b. xv.
c. xiv. *Sancta Maria fabrica mundi.*
xiv. d. xiii.
iii. e xii. *Sancti Thomæ Apostoli.*
f. xi.
xi. g. x.
xix. A. ix.
b. viii. *Nat. Domini nostri Jesu Christi.*
viii. c. vii. *Sancti Stephani protomar.*
d. vi. *Sancti Johannis Apostoli & Evang.*
xvi. a. v. *Sanctorum Innocentum.*
v. f. iv. *Ordinatio sancti Jacobi Apostoli.*
g. iii. Sancti Eugenii Episcopi.
xiii. A. *Prid. Kal. Sancti Silvestri Papæ & conf.*

Prima parit luctam; nullam dat septima fructam.

VIII.

KALENDARIUM MEDIOLANENSE II.

Ex eodem Breviario Ambrosiano.

JANUARIUS HABET DIES XXXI. ET LUNA XXX.

Aur. num.
iil. A. *Kal. Jan. Circumcisio Domini*. Et sancti Basilii. Et sanctæ Martinæ virg. & mar. dup.
b. iv. *Octava sancti Stephani*.
xi. c. iil. *Octava sancti Johannis*.
d. il. Octava Innocentum.
xix. e. *Non*. Sancti Simeonis conf.
viii. f. viii. *Epiphania Domini*.
g. vii. Sancti Lutiani pbri & mar.
xvi. A. vi. Sancti Savini Ep. & conf.
v. b. v. Sanctæ Martianæ virg. & mar.
c. iv. Sancti Pauli primi heremitæ conf.
xiii. d. iil. Sancti Igini Papæ & mar.
il. e. il. Sancti Archadii mr. & sancti Satiri mr.
f. *Idus*. Sancti Ilarii Ep. & conf. *Octava Epiphaniæ*. Semiduplex.
x. g. xix. *Kal. Feb.* Sancti Felicia pbri & mar. in pincia.
A. xviii. Sancti Mauri Abb. & sancti Macharii abb.
xviii. b. xvii. Sancti Marcelli Pp. & mr.
vii. c. xii. Sancti Antonii abb. & conf.
d. xi. Sanctæ Priscæ virg. & mar.
xv. e. xiv. Sanctorum mrr. Marii. Marthæ. Andifax. Et Abacuch.
iv. f. xiii. Sanctorum mar. Fabiani & Sebastiani.
g. xii. *Sanctæ Agnetis virg. & mar.* semidup.
xii. A. xi. Sanctorum mr. Vincentii & Anastasii.
i. b. x. Sanctæ Emerentianæ virg. & mr.
c. ix. Sancti Timothei Ep. & mr. Et Feliciani Ep. & mar.
ix. d. viii. *Conversio sancti Pauli*. dupl.
e. vii. Sancti Policarpi Ep. & mr.
xvii. f. vi. Sancti Johannis Grisostomi Ep. & conf. Et sancti Adinti mar.
vi. g. v. Sanctæ Agnetis secundo.
A. iv. Sanctorum martyrum Papiæ & Mauri militum.
xii. b. iil. Sancti Flaviani mar.
iil. c. il. *Kal.* Sanctorum Ciri & Johannis.

FEBRUARIUS HABET DIES XXVIII. ET LUNA XXVIIII.

d. *Kal. Feb.* Sancti Ignatii Ep. & mar. Et Brigidæ virg.
xi. e. iv. *Purificatio sanctæ Mariæ virg.* Et sancti Amproniani mar. dup.
xix. f. iil. Sancti Blasii Ep. & mar.
viii. g. *Prid.* Sancti Giliberti conf.
A. *Non*. *Sanctæ Agathæ virg. & mar.*
xvi. b. viii. Sanctæ Dorotheæ virg. & mar.
v. c. vii. Sancti Auguli Ep. & mar.
d. vi. Sancti Salomonis mar.
xiii. e. v. Sanctæ Apoloniæ virg. & mr.
il. f. iv. Sanctæ Scolasticæ virg. & mar.
g. iil. Sancti Desiderii Ep. & conf.
x. A. il. Sanctorum mrr. Macharii. Rufini. Et Justi.
b. *Idus*. Sancti Castoris conf.
xviii. c. xvi. *Kal. Mart.* Sancti Valentini pbri & mr.
vii. d. xv. Translatio sancti Antonii conf.
Sol in pisce.
e. xiv. Sanctæ Julianæ virg. & mr.
xv. f. xiii. Sancti Policronii Ep. & mar.
iil. g. xii. Sancti Simeonis Ep. & mr.
A. xi. Sancti Galbini pbri & mar.
xii. b. x. Sancti Eucherii Ep. & conf.
i. c. ix. Sancti Felicis Ep. & conf.
d. viii. *Cathedra sancti Petri*.
ix. e. vii. Vigil.
f. vi. *Sancti Mathiæ Apostoli*.
xvii. g. v. Sanctorum mrr. Ananiæ & Petri.
vi. A. iv. Sancti Nestoris Ep. & mr.
b. iil. Sancti Juliani mr.
xiv. c. il. *Kal.* Sancti Romani abbatis.

MARTIUS HABET DIES XXX. ET LUNA XXX.

iil. d. *Kal. Martii*. Sancti Herculani Episcopi & conf. Et sancti Albini Ep. & conf.
e. vi. Sancti Simplicii Pp. & mr.
xi. f. v. Sanctorum mrr. Marini & Asterii.
g. iv. Sancti Lutii Pp. & mr.
xix. A. iil. Sancti Focæ mr.
viii. b. *Prid.* Sanctorum mrr. Victoria & Victorini.
c. *Non*. Sanctarum Perpetuæ & Felicitatis mrr. Et sancti Thomæ de Aquino.
xvi. d. viii. Sancti Pontii mr.
v. e. vii. Sanctorum Quadraginta mrr.
f. vi. Sanctorum mrr. Alexandri & Gaii.
xiii. g. v. Sancti Constantini conf.
il. A. iv. *Sancti Gregorii Pp. & conf.* dupl.
b. iil. Sanctæ Eufrasiæ virg.
x. c. il. Sancti Eustosii conf.
d. *Idus*. Sancti Longini mr.
xviii. e. xvii. *Kal. Apr.* Sancti Patritii Ep. & conf.
vii. f. xvi. Sancti Agricolæ Ep. & conf.
g. xv. Sancti Alexandri Ep. & mr.
xv. A. xiv. Sancti Joseph conf. & Calcerii mr.
iv. b. xiii. Sanctorum mrr. Cirilli & socior. ejus.
c. xii. *Sancti Benedicti Abbatis*.
xii. d. xi. Sanctorum mrr. Saturnini & alior. ix.
i. e. x. Sanctorum mrr. Victorini & soc.
f. ix. Sancti Pigmenii pbri & mar.
ix. g. viii. *Annuntiatio beatæ Mariæ virg.* Et sancti Cirini mr.

A vii.

A. vii. Sancti Lugerii Ep. & conf.
xvii. b. vi. Sancti Alexandri mar.
vi. c. v. Sanctorum mrr, Castoris, & Dorothei.
d. iv. Sancti Eustacii abbatis.
xiv. e. iii. Sancti Quirini mr.
iii. f. ii. Sanctæ Balbinæ virg.

APRILIS HABET DIES XXX. ET LUNA XXIX.

g. *Kal. Apr.* Sancti Venantii Ep. & mr.
xi. A. iv. Sanctæ Mariæ Ægiptiacæ.
b. iii. Sancti Pancratii conf.
xix. c. ii. Sancti Isidori Ep. & conf.
viii. d. *Non.* Sanctæ Yrenis virg. & mr.
xvi. e. viii. Sanctorum mrr. Timothei, & Diogenis.
v. f. vii. Sancti Celestini Pp. & mr.
g. vi. Sancti Perpetui Ep. & conf.
xiii. A. v. Sancti Procoli mar.
ii. b. iv. Sancti Apolonii Ep. & conf.
c. iii. Sancti Leonis Pp. & conf.
x. d. *Prid.* Sancti Zenonis Ep. & mr.
e. *Idus.* Sanctorum mrr. Carpi, & Papiri.
xviii. f. xviii. *Kal. Maji.* Sanctorum mrr. Tiburtii, Valeriani, & Maximi.
vii. g. xvii. Sanctorum mrr. Maronis & Victorini.
A. xvi. Sanctorum mrr. Calisi (pro *Calixti*) & sociorum ejus.
xv. b. xv. Sancti Anieeti Pp. & mr.
iv. c. xiv.
d. xiii. Sancti Vincentii mr.
xii. e. xii. Sancti Martiani pbri & conf.
i. f. xi. Sancti Simeonis Ep. & mr.
g. x. Sancti Sotheris Pp. & mr. & Gaii Pp. & mar.
ix. A. ix. Sancti Georgii mr. & sancti Adalberti Ep. & conf.
b. viii. Sancti Matelli (pro *Melliti*) Ep. & conf.
xvii. c. vii. *Sancti Marci Evangelistæ, & Litaniæ majores.*
vi. d. vi. Sanctorum mrr. Cleti & Marcelli.
e. v. Sancti Antimi Ep. & mr.
xiv. f. iv. Sancti Vitalis mr.
iv. g. iii. Sancti Petri mr.
A. ii. Sancti Eutropii mr.

MAJUS HABET DIES XXXI. ET LUNA XXX.

xi. b. *Kal. Maji. Apostolorum Philippi & Jacobi.*
c. vi. Sancti Athanasii Ep. & conf.
xix. d. v. *Inventio sanctæ Crucis.* Et Alexandri. Eventii. Teodoli, & Juvenalis.
viii. e. iv. Sancti Quiriaci Ep. & mr.
f. iii. Sancti Ilarii Ep. & conf.
xvi. g. ii. *Sancti Johannis ante portam Latinam.* dup.
v. A. *Non.* Sanctæ Domitillæ virg. & mr. [*Et sancti Mamerti Ep. & conf.*] Manu recentiori.
b. viii. *Apparitio sancti Michaelis.* Et sancti Victoris mr. semidupl.
xiii. c. vii. Sancti Hermeti mr.
ii. d. vi. Sanctorum mrr. Gordiani & Epimachi.
e. v. Sancti Antimi pbri & mr.
x. f. iv. Sanctorum mrr. Nerei, Archillei, & Paneratii mrr.
g. iii. Sancti Mutii pbri & mr.
xviii. A. ii. Sancti Bonifatii mris.
vii. b. *Idus.* Sancti Isidori mr.
c. xvii. *Kal. Junii.* Sancti Peregrini Ep. & mar.
xv. d. xvi. Sancti Torpetis mr.
iv. e. xv. Sancti Felicis Ep. & mr.
f. xiv. Sanctæ Potentianæ virg. & mr.
xii. g. xiii. *Sancti Bernardini conf. de Senis.*
i. A. xii. Sancti Secundini mr.
b. xi. Sanctæ Elenæ virg.
ix. c. x. Sancti Desiderii Ep. & mr.
d. ix.
xvii. e. viii. Sancti Urbani Pp. & mr.
vi. f. vii. Sancti Eleutherii Pp. & mr.
g. vi. Sancti Johannis Pp. & mr.
xiv. A. v. Sancti Germani Ep. & mr.
iii. b. iv. Sancti Restiani mr.
c. iii. Sancti Felicis Ep. & mr.
xi. d. ii. Sanctæ Petronillæ virg.

JUNIUS HABET DIES XXX. ET LUNA XXIX.

e. *Kal. Jun.* Sancti Proculi Ep. & mr.
xix. f. iv. Sanctorum mrr. Marcelli, Petri, & Erasmi.
viii. g. iii. Sanctorum mrr. Progenti (pro *Pergentini*) & Laurentini.
xvi. A. ii. Sancti Quirini Ep. & mr.
v. b. *Non.* Sancti Bonifatii Ep. & mr.
c. viii.
xiii. d. vii. Sancti Lutiani mr.
ii. e. vi. Sancti Salustiani conf.
f. v. Sanctorum mrr. Primi & Feliciani.
x. g. iv. Sancti Maurini mr.
A. iii. *Sancti Barnabæ Apostoli.* Et sanctorum Felicis & Fortunati mrr.
xviii. b. ii. Sanctorum Basilidis. Cirini. Naboris, & Nazarii mrr.
vii. c. *Idus.* *Sancti Antonii conf. de ordine minorum in Padua.*
d. xviii. *Kal. Julii.* Sanctorum Rufini & Valerii.
xv. e. xvii. Sanctorum mrr. Viti & Modesti, atque Crescentiæ.
iv. f. xvi. Sancti Aureliani Ep. & conf.
g. xv. Sancti Mnii pbri & mr.
xii. A. xiv. Sanctorum mrr. Marci & Marcelliani.
i. b. xiii. Sanctorum mrr. Gervasii & Protasii.
c. xii. Sancti Silverii Ep. & mr.
ix. d. xi. Sancti Albini pbri & mr.
e. x. Sancti Paulini Ep. & conf.
xvii. f. ix. Sancti Johannis pbri & mr.
vi. g. viii. *Nativitas sancti Johannis Baptistæ.*
A. vii. Sancti Gallicani mr.
xiv. b. vi. Sanctorum mrr. Johannis & Pauli.
iii. c. v. Sancti Crescentis Ep. & conf.

d. iv. Sancti Leonis Pp. & conf.
xi. e. iiI. *Nat. Apoſtolorum Petri & Pauli*.
f. iI. *Commemoratio ſancti Pauli Apoſtoli*.

JULIUS HABET DIES XXXI. ET LUNA XXX.

xix. g. *Kal. Jul.* Octave ſancti Johannis Baptiſtæ.
viii. A. vi. *Viſitatio virg. Mariæ*. Et ſanctorum Proceſſi, & Martiniani mrr. dupl.
b. v. Sancti Gregorii Ep. & mr.
xvi. c. iv. Sanctorum Jocundiani, & Lauriani mrr.
v. d. iiI. Sancti Domitii mr.
e. iI. Sancti Tranquillini mr.
xiii. f. *Non.* Sanctorum mrr. Claudii, Nicoſtrati, & Caſtorii.
iI. g. viii. Sancti Protepii mr.
A. vii. Sancti Cirilli Ep. & mr.
x. b. vi. Sanctorum mrr. vii. fratrum. Et ſanctorum Rufinæ & Secundæ virg.
c. v. Sancti Pij Pp. & mr.
xviii. d. iv. Sanctorum mrr. Naboris, & Felicis. [*Et SS. mrr. Hermacoræ & Fortunati*] Manu recentiori.
vii. e. iiI. Sancti Anacleti Pp. & mr.
f. iI. Sanctæ Margaritæ virg. & mr.
xv. g. *Idus*. Sanctorum mrr. Quirici, & Julitæ. Et ſancti Encæ Ep. & mr.
iv. A. xvii. *Kal. Aug.* Sancti Euſaſii Ep. & conf.
b. xvi. Sancti Alexii conf.
xii. c. xv. Sanctæ Simphoroſæ cum vii. filiis. Et ſancti Materni Ep. & conf.
i. d. xiv. Sancti Arſenii conf.
e. xiii. Sanctæ Severæ virg.
ix. f. xii. Sanctæ Praxedis virg.
g. xi. *Sanctæ Mariæ Magdalenæ*. Semidupl.
xvii. A. x. Sancti Apollinaris Ep. & mr.
vi. b. ix. Sanctæ Criſtinæ virg. & mr.
e. viii. *Sancti Jacobi Apoſtoli*. Et ſancti Chriſtophori mr. dupl.
xiv. d. vii. Sancti Paſtoris pbri & conf. *Et ſanctæ Annæ matris virg. Mariæ*.
iiI. e. vi. Sancti Pantaleonis mr.
f. v. Sanctorum mr. Nazarii & Celſi. Victoris Pp. & Innocentii Pp. & conf.
xi. g. iv. Sanctorum mr. Simplicii. Fauſtini, & Beatricis. Et ſanctæ Marthæ virg.
xix. A. iiI. Sanctorum mr. Abdon & Senen.
b. iI. Sancti Kalimeri Archiepiſcopi & mr.

AUGUSTUS HABET DIES XXXI. ET LUNA XXX.

viii. e. *Kal. Aug. Sancti Petri ad vincula*. Et ſanctorum Machabæorum. dupl.
xvi. d. iv. Sancti Stephani Pp. & mr.
v. e. iiI. *Inventio ſancti Stephani protomartyris*.
f. iI. Sancti Juſtini pbri & mr.
xiii. g. *Non. Sanctæ Mariæ ad nives*. Et ſancti Dominici conf.
iI. A. viii. Sancti Siſti Pp. & mr. Et Feliciſſimi, & Agapiti mr.
b. vii. Sancti Donati Ep. & mr.
x. c. vi. Sanctorum mr. Ciriaci. Largi, & Smaragdi.
d. v. Sancti Romani mr. *Vigil.*
xviii. e. iv. *Sancti Laurentii mr.*
vii. f. iiI. Sanctorum mr. Tiburtii & Suſannæ.
g. iI. Sanctæ Claræ virg.
xv. A. *Idus.* Sanctorum mr. Ipoliti & Caſſiani.
iv. b. xix. *Kal. Sept.* Sancti Euſebii pbri & conf. *Vigil.*
c. xviii. *Aſſumptio beatæ Mariæ*.
xii. d. xvii. Sancti Urſatii conf.
i. e. xvi. *Octava ſancti Laurentii*.
f. xv. Sancti Agapiti mr.
ix. g. xiv. Sancti Ludovici Ep. & conf.
A. xiii. Sancti Bernardi abbatis.
xvii. b. xii. Sancti Privati Ep. & mr.
c. xi. *Octava beatæ Mariæ*, & ſanctorum Timothei, Ypoliti, & Simphoriani.
d. x. Sancti Ludovici conf. Regis Franciæ. *Vigil.*
xiv. e. ix. *Sancti Bartholomæi Apoſtoli*.
iiI. f. viii. Sancti Geneſii mr.
g. vii. Sancti Zephirini Pp. & mr.
xi. A. vi. Sancti Ceſarii Ep. & conf.
xiv. b. v. *Sancti Auguſtini Ep. & conf.* & ſancti Hermetis mr.
c. iv. *Decollatio beati Johannis Baptiſtæ*, & ſanctæ Sabinæ virg. & mr.
viii. d. iiI. Sanctorum mr. Felicis & Adaucti.
c. iI. Sancti Aptati (pro *Amati*) Ep. & conf.

SEPTEMBER HABET DIES XXX. ET LUNA XXIX.

xvi. f. *Kal. Septemb.* Sanctorum mr. vii. fratrum, & ſancti Egidii ab.
v. g. iv. *Non.* Sancti Antonini mr.
A. iiI. Sancti Manſueti Ep. & conf.
xiii. b. iI.
c. *Non.* Sancti Victorini mr.
d. viii. Sancti Magni conf.
x. e. vii. Sancti Johannis mr.
f. vi. *Nat. beatæ Mariæ*, & ſancti Adriani mr. dupl.
xviii. g. v. Sancti Gorgoni mr.
vii. A. iv. Sancti Ilarii Pp. & mr.
b. iiI. Sanctorum mr. Proti & Jacinti.
xv. c. iI. Sancti Maximi Archiep. & mr.
iv. d. *Idus.* Sancti Amati Abbatis & conf.
e. xviii. *Kal. Oct. Exaltatio ſanctæ Crucis*, & Cornelii & Cipriani mrr.
xii. f. xvii. Sancti Nicomedis mr.
i. g. xvi. Sanctorum mr. Luciæ & Geminiani, & ſanctæ Euphemiæ virg. & mr.
A. xv. Sancti Lamberti Ep. & mr.
b. xiv. Sancti Satiri conf.
c. xiii.
xvii. d. xii. Sanctorum mr. Euſtachii & ſociorum ejus.
vi. e. xi. *Sancti Mathei Apoſtoli & Evangeliſtæ*.

f. x.

f. x. Sanctorum mr. Mauritii cum sociis ſuis.
xiv. g. ix. Sancti Lini Pp. & mr.
iii. A. viii. Sanctæ Teclæ virg. & mr. & Ruſtici Ep. & conf.
b. vii. Sancti Firmini Ep. & mr.
xi. c. vi. Sancti Cipriani Ep. & mr. & ſanctæ Juſtinæ virg. & mr. & ſancti Gaii Ep. & conf.
xix. d. v. Sanctorum mr. Coſmæ & Damiani, & ſancti Elziani conf.
e iv.
viii. f. iii. *Dedicatio ſancti Michaelis archangeli.*
g. ii. *Sancti Jeronymi presbyteri & conf.*

OCTOBER HABET DIES XXXI. ET LUNA XXX.

xvi. A. *Kal. Octob.* Sancti Remigii Ep. & conf.
v. b. vi. Sancti Euſebii Pp. & mr.
xiii. c. v. Sancti Dionyſii Ep. & mr.
ii. d. iv. Sancti Franciſci conf. Ord. minorum.
e. iii. Sanctorum Firmati & Flaviæ mr.
x. f. ii. Sanctorum mr. Marcelli & Caſti, & ſociorum ejus.
g. *Non.* Sanctorum mr. Sergii, Bachi, Marci, & Apulei. Et Marci Papæ & conf.
xviii. A. viii. Sanctæ Reparatæ virg. & mr. & ſanctæ Benedictæ virg. & mr.
vii. b. vii. Sanctorum mr. Dionyſii, Ruſtici, & Eleutherii m.
c. vi. Sancti Cerbnni Ep. & conf.
xv. d. v. Sancti Canici abbatis.
e. iv. Sancti Ediſti mr.
f. iii. Sancti Venantii abbatis.
xii. g. ii. Sancti Calixti Pp. & mr.
i. A. *Idus.* Sancti Fortunati mr.
b. xvii. *Kal. Novemb.* Sancti Galli abbatis & conf.
ix. c. xvi. Sancti Florentii Ep. & conf.
d. xv. *Sancti Lucæ Evangeliſtæ.* dupl.
xvii. e. xiv. Sanctorum mrr. Proculi & Vicee.
vi. f. xiii. Sancti Maximi mr. & Urſulæ virg. cum xi. milibus virg.
g. xii. Sancti Ilarionis abbatis, & ſanctæ Cordulæ virg. & mr.
xiv. A. xi. Sancti Marci Ep. & mr.
b. x. Sancti Teodori presbyteri & mr.
c. ix.
xi. d. viii. Sanctorum mr. Griſanti & Dariæ.
xix. e. vii. Sancti Evariſti Pp. & mr.
f. vi. Sancti Florentii mr.
viii. g. v. *Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ.* dupl.
A. iv. Sancti Zenobii presbyteri & mr.
xvi. b. iii. Sancti Germani Ep. & conf.
v. c. ii. Sancti Quintini mr.

NOVEMBER HABET DIES XXX. ET LUNA XXIX.

d. *Kal. Nov. Feſtum omnium Sanctorum*, & ſancti Ceſarii mr. dupl.
xiii. e. iv. Sancti Victorini Ep. & mr. *& commemoratio omnium defunctorum.*
ii. f. iii. Sancti Quarti conf.
g. ii. Sanctorum mr. Vitalis & Agricolæ.
x. A. *Non.* Sancti Malachiæ Ep. & conf.
b. viii. Sancti Leonardi confeſſoris.
xviii. c. vii. [*Sancti Herculani Ep. & conf.*] Manu recentiori.
vii. d. vi. Sanctorum mr. Quatuor Coronatorum.
e v. *Dedicatio baſilicæ Salvatoris*, & Theodori mr. dupl.
xv. f. iv. Sanctorum mr. Triphonis, Reſpitii, & Nimphæ.
iv. g. iii. *Sancti Martini Ep. & conf.* & ſancti Menæ mr.
A. ii. Sancti Martini Pp. & mr.
xii. b. *Idus.* Sancti Britii Ep. & conf.
i. c. xviii. *Kal. Decemb.* Sancti Serapionis mr.
d. xvii. Sancti Eugenii mr.
ix. e. xvi. Sancti Eucherii Ep. & conf.
f. xv. Sancti Aniani Ep. & conf.
xvii. g. xiv. *Dedicatio baſilicæ Apoſtolorum Petri & Pauli.* dupl.
A. xiii. Sanctæ Heliſabeth, & ſancti Pontiani Pp. & mr.
b. xii.
xiv. c. xi. Sancti Columbani abbatis.
iii. d. x. Sanctæ Ceciliæ virg. & mar. ſemidupl.
e. ix. Sancti Clementis Pp. & mr. & ſanctæ Felicitatis mr.
xi. f. viii. Sancti Criſogoni mr.
xix. g. vii. Sanctæ Caterinæ virg. & mr.
A. vi. Sancti Petri Alexandrini Ep. & mr.
viii. b. v. Sancti Maximi Ep. & conf.
c. iv. Sanctorum mrr. Manſueti & Pipimii.
xvi. d. iii. Sancti Saturnini mr. *Vigil.*
v. e. ii. *Sancti Andreæ Apoſtoli.*

DECEMBER HABET DIES XXXI. ET LUNA XXX.

f. *Kal. Decemb.* Sancti Anſiani mr.
xiii. g. iv. Sanctæ Bibianæ virg. & mr.
ii. A. iii. Sancti Caſſiani mr.
b. ii. Sanctæ Barbaræ virg. & mr.
x. c. *Non.* Sancti Sabbæ abbatis.
xviii. d. viii. *Sancti Nicolai Ep. & conf.*
vii. e. vii. *Sancti Ambroſii Ep. & conf.*
f. vi. *Conceptio virginis Mariæ.* dupl.
xv. g. v. Sancti Cipriani abbatis.
iii. A. iv. Sancti Melchiadis Pp. & mr.
b. iii. Sancti Damaſi Pp. & conf.
xii. c. ii. Sancti Pauli conf.
i. d. *Idus.* *Sanctæ Luciæ virg. & mr.*
e. xix. *Kal. Jan.* Sancti Lupicini Ep. & conf.
ix. f. xviii. Sancti Valeriani Ep. & conf.

	g.	xvii.	Sanctorum mr. Valentini & sociorum ejus.
xvii.	A.	xvi.	Sancti Lazari Ep. & conf.
vi.	b.	xv.	Sancti Gratiani Ep. & conf.
	c.	xiv.	Sancti Darii mr.
xiv.	d.	xiii.	Sancti Julii mr. *Vigil.*
iii.	e.	xii.	*Sancti Thomæ Apostoli.*
	f.	xi.	Sanctorum mr. Demetrii & sociorum ejus.
xi.	g.	x.	Sanctæ Victoriæ virg. & mr.
xix.	A.	ix.	Sancti Lutiani conf.
	b.	viii.	*Nat. Domini nostri Jesu Christi*, & sanctæ Anastasiæ mr. dupl.
viii.	c.	vii.	*Sancti Stephani protomar.* dupl.
	d.	vi.	*Sancti Johannis Apostoli & Evangelistæ.* dupl.
xvi.	e.	v.	*Sanctorum Innocentum.* semidupl.
v.	f.	iv.	*Sancti Thomæ Archiep. & mar.*
	g.	iii.	Sancti Felicis Ep. & conf.
xiii.	A.	ii.	*Sancti Silvestri Papæ & conf.*

FINIS.



IN-

I N D E X

Omnium Sanctorum, qui in his Martyrologiis occurrunt.

Admonitio Heriberti Rosvveidi.

„ UT uno veluti conspectu haberes, benevole lector, quæ de singulis sanctis in his Martyrologiis propria occurront, ecce Indicem, qui diem mensis, nomen, conditionem, aureolam, locum, & tempus martyrii vel depositionis exprimit.

„ Quia vero velut quadruplex hic Martyrologium habes, vetus Romanum, Adonis, quod ille in Libellum de festivitatibus Apostolorum, & Martyrologium distinxit; item ea quæ Adoni ab aliena manu accesserant, in Appendicem rejecta; suo singula charactere distinximus. Hæc autem characteris quadruplicis designatio est.

„ R. Designat vetus Romanum Martyrologium.

„ L. Libellum Adonis de festivitatibus Apostolorum.

„ M. Ipsum Adonis Martyrologium.

„ A. Appendicem ad Adonis Martyrologium.

„ Ubi in Indice non exprimitur vel conditio, vel aureola, vel locus, vel tempus (etsi eorum pleraque aliunde certo hauriri possent) ea scias in textu horum Martyrologiorum non satis exprimi, quorum hic vestigiis institimus. In aureola vero M. signat martyrem, C. confessorem.

Hucusque Rosvveidus. Nos autem, ne index nimis protrahetur, si singulis diebus e regione nominis proprii sanctorum, conditio, locus, ac tempus apponerentur, his omissis, nomen tantum, & sæpe conditionem, ac aureolam retinuimus. Quia porro in nostris apographis multi sancti adduntur, nonnulli desunt, nonnulli recentiori manu adscripti sunt, singula siglis distinximus, hoc pacto.

Litera D. ante nomina sanctorum significat, eos in nostris codicibus deesse, & in vulgato Adone haberi.

Signum † ante eadem nomina designat, eos abesse a vulgato Adone, & haberi in nostris codicibus, aut alio die memorari, ac passim a Mosandro & Rosvveido in Appendicem rejectos.

Duo signa †† ante nomina indigitant Auctaris nostrorum codicum.

A

aga-

† apol-

†	*apollinaris ep.*		7. *feb.*
	— *ep. m.*	R. L. M.	23. *jul.*
	— *m.*	M.	23. *aug.*
	— *ep.*	M.	5. *oct.*
	apollinarius ep.	A.	26. *sept.*
†	*apollinius m.*		8. *mar.*
	apollonia vir. m.	R. M.	9. *feb.*
†	— *m.*		20. *feb.*
	apollonius m.	M.	14. *feb.*
	—	R. M.	5. *apr.*
	— *senator m.*	R. M.	18. *apr.*
	— *m.*	M.	2. *jun.*
	— *m.*	M.	5. *jun.*
	aprilis m.	M.	22. *aug.*
	apronianus m.	R. M.	2. *feb.*
	— *m.*	M.	29. *nov.*
	aprus ep.	M.	15. *sept.*
†	—		8. *jul.*
† †	*aptonius*, seu *abtonius ep.*		26. *oct.*
	apuleius m.	R. M.	7. *oct.*
	aquila uxor severiani m.	R. M.	23. *jan.*
	— *maritus priscillæ.*	R. M.	8. *jul.*
	— *vir. m.*	M.	24. *jul.*
	— *m.*	M.	1. *aug.*
	— *conf.*	M.	17. *nov.*
	aquilinus m.	M.	4. *jan.*
	—	R. M.	16. *maj.*
	— *m.*	M.	17. *jul.*
	arabia m.	M.	13. *mar.*
	arufon.	A.	29. *nov.*
	arator presb. m.	M.	21. *apr.*
	arbogastus ep. conf.	A.	21. *jul.*
	arcadius m.	R. M.	12. *jan.*
	— *m.*	R. M.	12. *nov.*
	archillaus:	R. M.	23. *aug.*
	archinimus m.	R. M.	29. *mar.*
†	—		4. *dec.*
†	*archippus soc. pauli.*	R. A.	20. *mar.*
D.	*arcontius m.*	M.	5. *sept.*
	argeus m.	R. M.	2. *jan.*
	aristarchus ep.	R. L. M.	4. *aug.*
	aristæus m.	M.	2. *jun.*
	aristeus ep.	M.	3. *sept.*
	aristides	R. M.	31. *aug.*
	aristion	M.	22. *feb.*
	—	R. M.	17. *oct.*
	— *cum soc. m.*	R. M.	2. *jul.*
	armogastus m.	R. M.	29. *mar.*
† †	—		4. *dec.*
	arnulphus ep.	M.	18. *jul.*
	—	A.	16. *aug.*
†	*arrianus m.*		8. *mar.*
	arsenius	M.	19. *jul.*
	— *m.*	R. M.	14. *dec.*
	artemius m.	R. M.	6. *jun.*
† †	— *conf.*		12. *jan.*
	ascisclus, V. acisclus.		
†	*ascla m.*		23. *jan.* & 1. *mar.*
	asclepiades ep. m.	R. M.	18. *oct.*
†	— *ep. m.*		6. *jun.*
	asterius senator m.	R. M.	3. *mar.*
†	— *m.*		23. *aug.*
	— *presb. m.*	M.	21. *oct.*

	athanasius m.	M.	11. *mar.*
	— *ep. conf.*	R. M.	2. *maj.*
†	*athenodorus ep.*		9. *feb.*
	attalus m.	M.	2. *jun.*
	—	A.	31. *dec.*
† †	*atticus*, seu *anticus m.*		6. *nov.*
	audactes presb. m.	R. M.	24. *oct.*
	audax m.	R. M.	9. *jul.*
	audifax m.	R. M.	20. *jan.*
†	*audoenus ep. conf.*	A.	24. *aug.*
†	*audomarus ep.*		9. *sept.*
	—	A.	1. *nov.*
†	*aventinus ep. conf.*		4. *feb.*
†	*aventius m.*		7. *jun.*
	augulus ep. m.	M.	7. *feb.*
	augurius diac. m.	M.	21. *jun.*
	augustinus m.	R. M.	7. *maj.*
	— *ep. conf.*	M.	26. *maj.*
	— *ep. conf.*	R. M.	28. *aug.*
	augustus m.	R. M.	7. *mar.*
	avitus ep. conf.	M.	5. *feb.*
†	— *presb. conf.*	A.	17. *jun.*
	— *ab.*	M.	19. *dec.*
†	*aunarius ep.*		25. *sept.*
	auponus.	A.	3. *oct.*
†	*aurea virg.*	A.	4. *oct.*
	aurelia.	A.	14. *oct.*
D.	*aurelianus ep.*	M.	16. *jun.*
†	*aurelius m.*		27. *aug.*
	aureus.	A.	16. *jun.*
	ausonia m.	M.	2. *jun.*
†	*ausonius ep. m.*		22. *maj.*
	austerus.	A.	19. *oct.*
†	*austregisilus ep.*		20. *maj.*
†	*autbertus ep.*		12. *dec.*
	—	A.	13. *dec.*
	anticus, V. atticus.		
	azaria cum fratribus.	R. M.	16. *dec.*

B.

	Babylas ep. m.	R. M.	24. *jan.*
	bacchus m.	R. M.	7. *oct.*
	balbina vir. m.	R. M.	31. *mar.*
	—	A.	19. *jun.*
	baldemerus.	M.	27. *feb.*
	baldricus ep.	A.	19. *apr.*
†	*baltildis regina.*		26. *jan.*
	barbara vir. m.	R. M.	16. *dec.*
	—	A.	4. *dec.*
	barnabas ap.	R. L. M.	11. *jun.*
	bartholomæus ap.	R. L. M.	24. *aug.*
	basileus m.	R. M.	2. *mar.*
	— *ep.*	A.	22. *dec.*
	basilides m.	R. M.	10. *jun.*
	—	M.	12. *jun.*
	basilissa m.	R M.	9. *jan.*
†	—		8. *jan.*
	—	A.	11. *jun.*
D.	*basilius ep.*	R. M.	14. *jun.*
†	—		1. *jun.*
	basilla.	A.	16. *apr.*
	— *vir. m.*	R. M.	20. *maj.*
	—	A.	11. *jun.*

bassa

C.

cerealis

	cerealis m.	R.	10. jun.
	— m.	R.	14. sep.
†	charanus, seu charanuns		28. maj.
	chæremon ep. m.	R. M.	22. dec.
	cheledonius m.	R. M.	3. mar.
† †	cherius m.		4. nov.
	chionia vir. m.	R. M.	3. apr.
†	—		1. apr.
†	chilianus m.		8. jul.
	christete m.	R. M.	17. oct.
† †	christi sanguinis commemorat.	A.	9. nov.
	christina vir. m.	R. M.	24. jul.
D.	christophorus m.	R. M.	25. jul.
†	chrysanthus m.		29. nov.
	—	A.	29. nov.
D.	—	R. M.	1. dec.
	chrysogonus m.	R. M.	24. nov.
	chrysotelus pbr. m.	R. M.	22. apr.
	chudion m.	M.	11. mar.
	chutbertus ep.	M.	20. mar.
	circumcisio D.N.J.C.	R. M.	1. jan.
	ciricus m.	A.	14. maj.
	cirinus m.	R. M.	25. mar.
	V. cyrinus		
	clarentius ep.	M.	25. apr.
†	clarius pbr. m.	M.	3. nov.
	claudianus m.	R. M.	25. feb.
	— conf.	M.	6. mar.
	claudius m.	R. M.	18. feb.
	— m.	M.	11. mar.
	— m.	M.	26. apr.
D.	— ep.	M.	1. jun.
	— m.	R. M.	7. jul.
	— m.	M.	10. aug.
†	— m.		23. aug.
	— m.	R. M.	8. nov.
	— m.	R. M.	3. dec.
	clemens.	A.	9. nov.
	— pp. m.	R. L. M.	23. nov.
†	— pbr. alex.		19. dec.
	clementia vir. m.	A.	21. oct.
	clementinus m.	M.	14. nov.
	cleophas discip. domini	R. L. M.	25. sep.
	clerici fere cc. mrr.	M.	22. apr.
	— plurimi mrr.	M.	4. mai.
	— plurimi mrr.	M.	19. sept.
	clerus m.	R. M.	7. jan.
†	— diac. m.		14. jan.
	— diac. conf.	R. M.	13. jul.
D.	cletus pp.	M.	12. jul.
†	—		26. apr.
†	clodoaldus pbr. conf.	A.	7. sep.
	cointha m.	R. M.	8. feb.
†	columba conf.		9. jun.
	— vir. m.	R. M.	31. dec.
D.	columbanus ab.	M.	21. nov.
†	—		23. nov.
	cominus m.	M.	2. jun.
	concordia m.	R. M.	13. aug.
	concordius m.	R. M.	1. jan.
	confessores 4976.	R. M.	12. oct.
	— aiii.	R. M.	6. dec.
	conon cum fil. mrr.	M.	29. maj.
	constantia m.	M.	19. sept.
†	corcodomus conf.		4. maj.
	cordianus m.	M.	17. sept.
†	corintha m.		20. feb.
	cornelius centurio ep.	R. M.	2. feb.
	— m.	M.	2. jun.
	— pp. m.	R. M.	14. sept.
	—	A.	23. dec.
	corona m.	R. M.	14. maj.
†	corsicus pbr.		30. jun.
	corthcrus.	A.	18. nov.
	cosmas m.	R. M.	27. sept.
	craton m.	R. M.	25. feb.
	crescens ep.	R. M.	27. jun.
	— m.	M.	27. jun.
	— ep. m.	M.	28. nov.
D.	— discip. pauli.	M.	29. dec.
	crescentia m.	R. M.	15. jun.
	crescentianus m.	R. M.	16. mar.
	— m.	M.	31. maj.
	— m.	M.	14. sept.
	— m.	R. M.	2. jul.
	— m.	R.	17. sept.
†	— m.		24. nov.
	— ep. m.	M.	28. nov.
	crescentio m.	M.	10. aug.
	— m.	M. A.	17. sept.
D.	crescentius m.	R. M.	1. oct.
	cresconius ep. m.	M.	28. nov.
	crispina m.	R. M.	5. dec.
	crispinianus m.	M.	25. oct.
	crispinus m.	M.	25. oct.
†	— ep. m.		19. nov.
	crispolus m.	A.	11. jun.
	crispulus m.	R. M.	30. maj.
	crispus.	M.	28. mar.
	— pbr.	R. M.	18. aug.
	—	R. L. M.	4. oct.
†	crucifixio d. n. j. christi		24. mar.
	—	R. A.	25. mar.
	s. crucis inventio.	R. M.	3. maj.
	— exaltatio.	R. M.	14. sept.
	ctesiphon conf.	R. M.	15. maj.
	cucufas m.	M.	25. jul.
	cunibertus ep.	A.	12. nov.
	cutias m.	R. M.	18. feb.
	cyprianus ep. m.	R. M.	14. sept.
D.	— translatio.	M.	17. jul.
	— ep. m.	R. M.	26. sept.
	— ab.	M.	9. dec.
	cyriacus diac. m.	R. M.	16. mar.
	—	R. M.	8. aug.
†	— m.		18. jun.
†	— m.		20. jun.
	cyricus m.	R. M.	16. jun.
	cyrilla m.	R. M.	28. oct.
	cyrillus ep.	M.	28. jan.
	— m.	M.	11. mar.
	— ep.	R. M.	9. jul.
	— m.	R. M.	1. aug.
†	cyrinus m.		3. jan.
	— m.	M.	26. apr.
	—	M.	22. jun.

† — ep.

†	— ep.		26. aug.
	—	A.	6. sept.
	—	A.	27. sept.
	— m.	R. M.	2. oct.
	— pbr. m.	M.	9. oct.
	—	A.	23. dec.
† †	eligius ep. ejus translat.		25. jun.
	— depositia.	M.	1. dec.
	elisæus propheta.	R. M.	14. jun.
†	elodia vir. m.		22. oct.
	elyphius m.	A.	16. oct.
	emerentiana vir. m.	R. M.	23. jan.
	emerita virg. m.	A.	23. sept.
	emitherius, al. hemitherius.	R. M.	3. mart.
†	emmanus conf.		16. maj.
†	emmerammus m.		22. sep.
	eobanus ep. m.	M.	5. jun.
	epaphras ep. m.	L. M.	19. jul.
†	eparchius ep.		1. jul.
D.	ephræm diac. mon.	M.	1. feb.
†	—		9. jul.
	ephybus m.	M.	14. feb.
	ephrecatius m.	A.	28. maj.
	epictetus m.	R. M.	12. aug.
†	epimachus m.		20. feb.
	— m.	R. M.	10. maj.
	— m.	R. M.	12. dec.
	epiphania domini	R. M.	6. jan.
	epiphanius ep.	M.	12. maj.
†	—		7. apr.
	epipodius m.	M.	22. apr.
	episcopi VII.	R.	10. sept.
†	epolonus puer m.		24. jan.
	— ep. conf.	A.	14. nov.
†	eraclius ep.		8. jun.
	erasmus ep. m.	R. M.	3. jun.
	erastus ep. m.	L.	26. jul.
†	ermelandus ab.		25. mar.
	erminon conf.	R.	15. apr.
	esaias propheta	R. M.	6. jul.
	esdras propheta	R. M.	13. jul.
	esitius conf.	R. M.	15. maj.
	— m.	M.	27. maj.
	esychius, al. hesychius m.	R. M.	18. nov.
	— m.	R. M.	15. jun.
D.	etherius ep.	M.	14. jun.
†	— ep. autisiod.		27. jul.
	evagrius	R. M.	2. apr.
D.	—	R. M.	1. oct.
	—	A.	12. oct.
D.	evaristus pp. m.	M.	27. oct.
†	—		23. dec.
	eucharistus	A.	12. oct.
	eucharius ep.	A.	8. dec.
	eucherius ep.	M,	16. nov.
	evellius m.	M.	17. maj.
	eventius ep.	A.	3. feb.
	— pbr. m.	R. M.	3. maj.
	— conf.	R. M.	12. sept.
	evergislus ep. m.	A.	24. oct.
	eugendus ab.	M.	1. jan.
	eugenia vir. m.	R. M.	25. dec.
†	eugenianus m.		8. jan.
	eugenius	A.	23. jan.
	— m.	M.	24. jan.
	— m.	M.	27. jun.
	— conf.	R. M.	13. jul.
†	— ep.		13. nov.
	— archiep. m.	A.	15. nov.
†	— m.		15. nov.
	—	A.	23. dec.
	eugentus m.	M.	4. jan.
	evilasius m.	R. M.	20. sept.
	eulalia vir. m.	R. M.	12. feb.
	— vir. m.	R. M.	10. dec.
	eulogius diac. m.	M.	21. jan.
	— conf.	R. M.	3. jul.
†	eumasius conf.		3. jan.
	eumenia m.	M.	12. aug.
	euncieus m.	M.	11. mar.
†	eunus m.		20. feb.
	— m.	R. M.	27. feb.
	— m.	M.	7. dec.
	evodius ep. m.	R. L. M.	6. maj.
	— m.	M.	2. aug.
D.	evoldus ep.	M.	7. jul.
†	evortius ep.	A.	7. sept.
	evotus m.	M.	15. apr.
†	euphemia vir. m.	A.	13. apr.
	—	R. M.	19. sept.
	euphrasia vir.	R. M.	11. feb.
	euphrasius conf.	R. M.	15. maj.
	euphrosyna vir.	M.	1. jan.
	euplus diac. m.	R. M.	12. aug.
	—	A.	12. sept.
	euprepia m.	M.	12. aug.
	euprepius m.	R. M.	27. sept.
	eurus m.	A.	5. nov.
	eusebius m.	R. M.	5. mar.
	— m.	M.	28. apr.
	— m.	M.	22. oct.
†	— ep.	A.	21. jun.
	— ep. m.	R. M.	1. aug.
	— pbr. conf.	R. M.	14. aug.
†	— m.		15. aug.
	— m.	R. M.	25. aug.
	— ep. conf.	A.	26. sept.
	— pp.	A.	2. oct.
†	— m.		22. oct.
	— mon. m.	R. M.	5. nov.
	—	A.	12. nov.
	— m.	R.	19. nov.
	eustachius ep. conf.	R. M.	16. jul.
	— m.	A.	20. sept.
	— pbr.	A.	12. oct.
†	m. cum soc.	A.	2. nov.
	— ep. m.	M.	28. nov.
	eustasius ab.	M.	29. mar.
	— m.	A.	28. maj.
†	eustesius & soc. mrr.	A.	10. nov.
	euthyches m.	R. M.	15. apr.
	— m.	R. M.	19. sept.
	— m.	A.	18. oct.
	eutychianus m.	R. M.	2. jul.
	— m.	R. M.	12. nov.
	— pp. m.	R. M.	8. dec.

	florus m.	A.	22. *dec.*
†	*floscellus m.*		17. *sept.*
	flosculus ep.	A.	2. *feb.*
	fortunata	A.	15. *oct.*
	fortunatianus lector m.	R. M.	24. *oct.*
†	*fortunatus m.*		9. *jan.*
	—— *m.*	M.	21. *apr.*
	—— *diac. m.*	M.	23. *apr.*
	—— *m.*	R. M.	11. *jun.*
†	—— *m.*		14. *aug.*
	——	A.	12. *oct.*
	—— *m.*	A.	15. *oct.*
† †	*franciscus conf.*		4. *oct.*
†	*fraternus ep.*	A.	29. *sept.*
	fratres VII. *mrr.*	M.	9. *jan.*
	—— II. *mrr.*	R. M.	23. *mar.*
	—— VII. *mrr.*	R. M.	29. *maj.*
	—— VII. *mrr.*	R. M.	10. *jul.*
† †	*fredebertus ep.*		25. *jul.*
	fronta ab.	M.	14. *apr.*
	—— *m.*	M.	15. *apr.*
	—— *ep.*	M.	25. *oct.*
	fructuosa m.	M.	23. *aug.*
	fructuosus ep.	M.	21. *jan.*
	frumentius m.	R. M.	23. *mar.*
	—— *m.*	R. M.	23. *mar.*
	fulgentius ep. conf.	R. M.	1. *jan.*
† †	*fullanus ep.*		31. *oct.*
†	*furseus conf.*		16. *jan.*
	fuscianus m.	M.	11. *dec.*
	fuscolus ep. conf.	M.	6. *sept.*

G.

	Gabinius pbr. m.	R. M.	19. *feb.*
	—— *m.*	R. M.	30. *maj.*
†	*gaius m.*		4. *jan.*
	galatas m.	R. M.	19. *apr.*
	galerius. V. callinicus.		
†	*galia vir.*		1. *feb.*
	gallicanus m.	R. M.	25. *jun.*
	gallus ab.	M.	10. *feb.*
	——	A.	16. *oct.*
	gamaliel. inventio	R. M.	3. *aug.*
†	*gangulphus m.*	A.	11. *maj.*
	—— *dedicat.*	A.	16. *apr.*
	gatianus ep.	M.	18. *dec.*
*	*gaugericus ep.*	A.	11. *aug.*
	gedeon propheta	R. M.	1. *sept.*
	gelasius pp.	A.	19. *nov.*
	geldurdus pbr.		24. *aug.*
	geminianus m.	M.	2. *jun.*
	—— *m.*	R. M.	16. *sept.*
	geminus m.	M.	2. *jan.*
	—— *m.*		4. *jan.*
†	*gendulphus al. gemgulfus conf.*		13. *nov.*
	generalis m.	M.	14. *sept.*
	generosa m.	M.	17. *jul.*
	genesius areiat. m.	R. M.	25. *aug.*
D.	—— *mimus m.*	R. M.	25. *aug.*
†	——		24. *aug.*
	genevefa vir.	M.	3. *jan.*
†	—— *translat.*		18. *oct.*
	genuinus.	A.	9. *oct.*
	georgius m.	R. M.	23. *apr.*
†	—— *diac. m.*		27. *aug.*
	—— *ep.*	A.	2. *nov.*
D.	*gereon & soc. mrr.*	M.	10. *oct.*
†	——		9. *oct.*
	gertrudes vir.	M.	17. *mar.*
	germanicus m.	R. M.	19. *jan.*
	——	L. A.	26. *jun.*
	germanus ep. paris.	M.	28. *maj.*
	—— *et*	M.	25. *jul.*
	—— *ep. autisiod.*	M.	31. *jul.*
†	—— *translat.*		6. *jun.*
†	—— *exceptio corporis.*		22. *sept.*
	—— *ep.*	M.	6. *sept.*
	—— *ep. autisiod.*	M.	1. *oct.*
	—— *m.*	R. M.	23. *oct.*
† †	—— *ep. capuae.*	A.	30. *oct.*
	—— *m.*	R. M.	3. *nov.*
	——	A.	12. *nov.*
	gerontius.	A.	6. *maj.*
	gervasius m.	R. M.	19. *jun.*
	getulius m.	R. M.	10. *jun.*
†	*gildardus ep.*		8. *jun.*
†	*girinus m.*		2. *oct.*
D.	*glodesindes vir.*	M.	25. *jul.*
	goar.	R. M.	6. *jul.*
	gocla vir.	A.	8. *oct.*
	gondulphus ep.	A.	16. *jul.*
	gordianus m.	R. M.	10. *maj.*
	gorgonius m.	M.	11. *mar.*
	—— *m.*	R. M.	9. *sept.*
†	*gracianus, seu gracilianus m.*		12. *aug.*
	grata vir. m.	M.	2. *jun.*
	——	A.	21. *oct.*
† †	*gratulfus ep.*		11. *oct.*
	gregoria vir. m.	A.	21. *oct.*
	gregorius II. pp.	A.	13. *feb.*
	—— *ep.*	R. M.	9. *mart.*
	—— I. *pp.*	R. M. A.	12. *mar.*
D.	—— *ep.*	R. M.	9. *maj.*
†	——		25. *jan.*
	—— *ep. m.*	R. M.	3. *jul.*
†	*ep. m.*	A.	17. *nov.*
	—— *pp.*	A.	28. *nov.*
	—— *ep. autisiod.*	A.	20. *dec.*
†	——		19. *dec.*
	—— *pbr. m.*	R. M.	24. *dec.*
D.	*guddene vir. m.*	R. M.	18. *jul.*
†	——		27. *jun.*
	guinuilus. V. vvenalis.		
	guntramnus.	M.	28. *mar.*

H.

	Haberdeum ep. m.	M.	28. *nov.*
	hammonius m.	M.	14. *feb.*
	hedditius m.	M.	21. *mar.*
	hedistius.	R. M.	12. *oct.*
	helena regina.	A.	8. *feb.*
	——	A.	18. *aug.*
†	—— *vir. & transiat.*	A.	22. *maj.*
	helianus m.	M.	11. *mar.*
	helivenas pbr. m.	R. L. M.	22. *apr.*

† helio-

I.

—— *m.*

	—— *m.*	M.	11. *mar.*
	——	A.	12. *mar.*
	—— *ab.*	R. M.	19. *mar.*
	—— *eremita.*	R. M.	27. *mar.*
	—— *pp. m.*	R. M.	28. *maj.*
	—— *pbr. m.*	R. M.	23. *jan.*
†	——		8. *jul.*
	—— *pbr.*	R. M.	18. *aug.*
	—— *m.*	M.	27. *aug.*
	—— *m.*	R. M.	7. *sept.*
†	—— *m.*		27. *sept.*
	—— *mon.*	A.	17. *nov.*
	——	R. M.	21. *dec.*
	—— *ap. & evang.*	R. L. M.	27. *dec.*
	—— *ante portam lat.*	R. M.	6. *maj.*
†	—— *dormitio.*		24. *jun.*
	job propheta.	R. M.	10. *maj.*
	joel propheta.	R. M.	6. *jul.* & 13. *jul.*
	jonius. V. hyonius.		
	joseph nutritor domini.	A.	19. *mar.*
	—— *justus.*	R. M.	20. *jul.*
	jovilla m.	M.	17. *jan.*
	jovinianus lector m.	M.	5. *maj.*
	jovinus m.	R. M.	2. *mar.*
†	—— *ab.*		1. *jun.*
	jovitta m.	A.	15. *feb.*
	irenæus m.	R. M.	10. *feb.*
	—— *ep. m.*	R. M.	25. *mar.*
	—— *diac.*	M.	26. *mar.*
	——	M.	5. *maj.*
	—— *ep. lugd.*	M.	28. *jun.*
	—— *m.*	R. M.	26. *aug.*
	irene vir. m.	R. M.	5. *apr.*
	—— *m.*	M.	4. *maj.*
	isaac immolatio.	A.	25. *mar.*
†	—— *mon.*		3. *jun.*
	ischyrion, al. *schyrion.*	R. M.	22. *dec.*
D.	*iscius ep.*	M.	16. *mar.*
†	—— *m.*		30. *maj.*
	——	A.	12. *nov.*
†	*isidorus ep. m.*	A.	2. *jan.*
	——	R. M.	15. *jun.*
†	—— *ep. hispal.*		4. *apr.*
	—— *m.*	M.	15. *maj.*
	—— *m.*	R. M.	14. *dec.*
	jucundianus m.	R. M.	4. *jul.*
	judas ap.	R. L. M.	28. *oct.*
D.	*julia vir. m.*	R. A.	22. *maj.*
	—— *m.*	M.	2. *jun.*
	——	M.	15. *jul.*
†	—— *vir. m.*		21. *jul.*
	—— *m.*	R. M.	7. *oct.*
	—— *m.*	M.	10. *dec.*
	juliana vir. m.	R. M.	16. *feb.*
D.	——	A.	7. *aug.*
†	*julianus m.*		6. *jan.*
†	——	R. M.	9. *jan.*
† †	—— *ep.*		27. *jan.*
	—— *m.*	M.	16. *feb.*
†	—— *m.*		20. *feb.*
	—— *m.*	R. M.	27. *feb.*
†	—— *ep.*		6. *mar.*
	—— *ep. conf.*	M.	22. *apr.*

	—— *m.*	M.	27. *jun.*
	——	M.	20. *jul.*
	—— *m.*	M.	7. *aug.*
D.	——	R. M.	12. *aug.*
	—— *m.*	M.	28. *aug.*
	—— *pbr.*	R. M.	1. *nov.*
	—— *m.*	M.	7. *dec.*
	julitta m.	R. M.	16. *jun.*
	julius pp. conf.	R. M.	12. *apr.*
	—— *m.*	M.	15. *apr.*
	—— *m.*	R. M.	27. *maj.*
	—— *m.*	M.	2. *jun.*
	—— *m.*	M.	22. *jan.*
	—— *senator m.*	R. M.	19. *aug.*
†	*junianus conf.*		16. *oct.*
	justa m.	M.	2. *jun.*
	—— *m.*	M.	15. *jul.*
	—— *m.*	R. M.	19. *jul.*
	justina.	A.	16. *jun.*
	—— *m.*	R. M.	26. *sept.*
	justinus m.	M.	13. *apr.*
	——	A.	1. *maj.*
	—— *m.*	M.	27. *jun.*
†	—— *pbr. conf.*		4. *aug.*
	——	A.	5. *aug.*
D.	——	R. M.	17. *sept.*
† †	—— *ep. & m.*		8. *aug.*
	justus ep.	A.	4. *maj.*
	—— *m.*	M.	2. *jul.*
	—— *ep. conf.*		4. *aug.*
D.	—— *m.*	M.	6. *aug.*
†	—— *m.*		25. *aug.*
	—— *ep. conf.*	M.	2. *sept.*
	—— *ep. conf. translat.*	M. A.	14. *oct.*
†	—— *m.*		18. *oct.*
† †	—— *archiep.*		10. *nov.*
	juvenalis ep. conf.	M.	3. *maj.*
D.	—— *m.*	R. M.	7. *maj.*
† †	—— *conf.*		3. *nov.*

K.

Kilianus. V. Chilianus.

L.

	Lætus ep. m.	M.	6. *sept.*
	lambertus ep. m.	M.	17. *sept.*
† †	*landericus ep.*		10. *jun.*
	largus m.	R. M.	16. *mar.*
†	*launomarus conf.*		19. *jan.*
	laurentius m.	R. M.	3. *feb.*
	—— *m.*	R. M.	3. *jun.*
	laurentius archidiac. m.	R. M.	10. *aug.*
	—— *octava.*	A.	17. *aug.*
	laurianus m.	M.	4. *jul.*
	lazarus.	R. M.	17. *dec.*
†	—— *translat.*		1. *sept.*
	leander ep. conf.	M.	27. *feb.*
†	*leo I. pp.*	A.	11. *apr.*
†	—— *ep.*		22. *apr.*
†	—— *conf.*		25. *maj.*
D.	—— II. *pp.*	R. M.	28. *jun.*
†	—— *diac.*		30. *jun.*
†	*leobinus ep.*		14. *mar.*

leoca-

M.

— *diac. m.* R. M. 30. *dec.*
† *marcianilla m.* 6. *jan.*
marcus m. M. 13. *mar.*
— al. *martia* R. M. 19. *mar.*
— *evang.* R. L. M. 23. *apr.*
— *m.* R. M. 18. *jun.*
— *m.* R. M. 4. *oct.*
— *pp.* R. M. 7. *oct.*
— *ep. m.* M. 22. *oct.*
— *m.* M. 25. *oct.*
mardia vir. m. A. 21. *oct.*
mardonius m. M. 24. *jan.*
mareas ep. m. M. 22. *apr.*
† *margarita vir. m.* 15. *jun.*
† — A. 13. *jul.*
†. — 19. *jul.*
maria virgo dei genitrix. V. hypapante. Annuntiatio.
— *assumptio*, al. *dormitio* R.L.M. 15. *aug.*
— *nativitas* R. L. M. 8. *sept.*
mariæ ad martyres dedic. R.M. 13. *mar.*
† *maria soror lazari* A. 19. *jan.*
† — *ægyptiaca* 2. *apr.*
— A. 9. *apr.*
— *vir. m.* A. 18. *jun.*
— *magdalena* R. L. M. 22. *jul.*
— *vir. m.* M. 1. *nov.*
† — *m.* 24. *nov.*
† *marina vir. m.* 18. *jun.*
† *marianus pbr.* 20. *apr.*
— *lector m.* R. M. 30. *apr.*
† — *conf.* 19. *aug.*
marinianus diac. m. R. M. 1. *dec.*
marinus m. R. M. 3. *mar.*
— *m.* R. M. 10. *jul.*
† — *m.* 26. *dec.*
marius m. R. M. 20. *jan.*
— al. *maurus ab.* M. 27. *jan.*
† — 2. *maj.*
maro m. R. M. 15. *apr.*
marseus M. 15. *jul.*
† *marsus pbr. conf.* A. 4. *oct.*
† *martha soror lazari* A. 19. *jan.*
— R. M. 17. *oct.*
— *translat.* R. M. 17. *dec.*
— *m.* R. M. 20. *jan.*
martia m. R. M. 21. *jun.*
— *m.* M. 2. *jul.*
— al. *marcus* R. 19. *mar.*
martialis m. M. 15. *apr.*
— *ep. conf.* M. 30. *jun.*
— *m.* M. 10. *jul.*
— M. 23. *nov.*
— *m.* R. M. 22. *aug.*
— *m.* R. M. 28. *sept.*
† — A. 13. *oct.*
— A. 9. *nov.*
martiana, al. *macra vir. m.* R.M. 9. *jan.*
— R. M. 5. *apr.*
martianus m. R. M. 4. *oct.*
— *m.* M. 4. *jun.*
— *cum soc. mrr.* R. M. 16. *oct.*
martina vir. m. R. M. 1. *jan.*
martinianus m. R. L. M. 2. *jul.*
† *martinus ab.* 8. *maj.* & 24. *oct.*
D. — *ep. vien.* M. 1. *jul.*
— *ep. trevir.* A. 19. *jul.*
† — *m.* 9. *aug.*
† — *pp.* 18. *aug.*
D. — *pp.* R. M. 10. *nov.*
— *ep. turon.* R. M. 11. *nov.*
— *translat.* M. 4. *jul.*
— *ab.* M. 7. *dec.*
† † — *conf.* 1. *nov.*
martionilla R. M. 9. *jan.*
martyres VIII. M. 2. *jan.*
— *multi* M. 9. *jan.*
— XXXVI. R. M. 26. *jan.*
— XII. L. M. 26. *jan.*
— XV. R. 1. *feb.*
— *innumerabiles* R. 4. *feb.*
— *mec.* A. 15. *feb.*
— 5000. M. 16. *feb.*
— *plures* R. M. 20. *feb.*
— LXXIX. R. M. 21. *feb.*
— XLII. al. LXII. R. M. 23. *feb.*
— CCLX. R. M. 1. *mar.*
— *plures* R. M. 2. *mar.*
— DCCCC. R. M. 4. *mar.*
— VIII. al. IX. R. M. 5. *mar.*
— XLII. R. M. 10. *mar.*
— *alii* M. 12. *mar.*
— XLVII. R. M. 14. *mar.*
— XX. R. 16. *mar.*
— VIII. al. IX. 19. *mar.*
— *plures* R. M. 10. *apr.*
— XVIII. M. 15. *apr.*
— *cæsaraug.* 16. *apr.*
— VII. M. 16. *apr.*
— *multi* M. 17. *apr.*
— C. M. 21. *apr.*
— *plures* R. M. 22. *apr.*
— XLVIII. M. 22. *apr.*
— XXXIV. M. 24. *apr.*
— XL. M. 4. *maj.*
— CCCX. R. M. 9. *maj.*
— XLII. & LXVIII. M. 10. *maj.*
— CCCCIV. A. 14. *maj.*
— *aliqui* A. 22. *maj.*
— *alii* M. 23. *maj.*
— *multi* M. 25. *maj.*
— *duo* M. 25. *maj.*
— XXII. M. 26. *maj.*
— *plures* M. 26. *maj.*
— CLIV. A. 29. *maj.*
— *aliqui* A. 5. *jun.*
— XX. R. M. 6. *jun.*
— XII. M. 9. *jun.*
— XX. R. M. 10. *jun.*
— CDIV. R. M. 16. *jun.*
— CCLXII. R. M. 17. *jun.*
— *plures* M. 22. *jun.*
— XXIII. A. 24. *jun.*
— XXII. R. 25. *jun.*
— *aliqui* R. 2. *jul.*
— XXX. R. M. 4. *jul.*
— 10203.

—— m.

	— m.	M.	10. nov.
	monachi x. mrr.	M.	22. apr.
	monegundis vir.	M.	1. jul.
†	monitor ep.	A.	10. nov.
	montanus pbr. m.	M.	26. mar.
	monulphus ep.	A.	16. jul.
	mosaeus m.	M.	18. jan.
	moyses m.	M.	14. feb.
	— propheta.	R. M.	4. sept.
	moysetes ep.	R. M.	7. feb.
	— m.	M.	18. dec.
	mulier cum geminis suis mrr.	M.	29. apr.
	mulieres VII. mrr.	M.	15. feb.
	— sanctae cum viduis XL.	A.	19. nov.
	munobaudus. V. minobaudus.		
	muritta conf.	M.	13. jul.
	musonius m.	M.	24. jan.
	mutius diac. m.	R. M.	22. apr.
†	— pbr. m.		13. maj.

N.

	Nabor m.	M.	12. jun.
	— m.	R. M.	10. jul.
	— translat.	M.	12. jul.
	narcissus m.	R. M.	2. jan.
D.	— m.	R. M. A.	17. sept.
	— ep.	R. M.	29. oct.
	narthalus m.	R. M.	17. jul.
	nason, al. jason.	R. M.	12. jul.
†	natalia m.		27. aug.
	—	R.	8. sept.
†	— m		1. dec.
	nativitas d. n. j. c.	R. M.	25. dec.
	nazarius m.	R. M.	12. jun.
†	—		28. jul.
	— commemor.	R.	19. jun.
	neapolus.	A.	19. oct.
	—	A.	21. oct.
	nemesianus ep. m.	R. M.	10. sept.
	nemesius m.	M.	27. jun.
	— diac. m.	R. M.	31. oct.
†	—		25. jul.
	— m.	R. M.	19. dec.
	neon. m.	M.	17. jan.
†	— m.		23. aug.
	neopolis.	R. M.	2. maj.
	nereus m.	R. M.	12. maj.
	nestor ep. m.	R. M.	26. feb.
	nicaas, al. nicetas ep.	M.	22. jun.
	nicander m.	M.	5. jun.
	nicanor diac. m.	R. L. M.	10. jan.
	—	R. M.	5. apr.
	nicasius ep. m.	A.	11. oct.
†	— ep. m.	A.	14. dec.
	niceta vir. m.	M.	24. jul.
	nicetius ep. lugd.	M.	2. apr.
	— ep. vien.	M.	5. maj.
	— ep. trevir.	A.	1. oct.
	— ep. trevir.	M.	5. dec.
†	nicetus m.		6. maj.
	nicodemus. inventio.	R. M.	3. aug.
	nicolaus ep.	R. M.	6. dec.
	nicomedes m.	R. M.	15. sept.
	— dedicat.	R. M.	1. jun.
	nicephorus m.	R. M.	25. feb.
	nicostratus m.	R. M.	7. jul.
	— m.	R. M.	8. nov.
	nilus ep. m.	M.	10. feb.
	— ep. m.	R. M.	19. sept.
	novatianus & soc. mrr.	A.	29. jun.
	novatus.	R. M.	20. jun.
	nymphodora m.	M.	13. mar.

O.

	Octava domini.	R. M.	1. jan.
	— ephipaniae.	A.	13. jan.
	— apostolorum.	M.	6. jul.
†	— s. germani.		22. aug.
	— s. laurentii.	A.	17. aug.
	— assumptionis b. mariae.	A.	22. aug.
	octuber m.	M.	2. jun.
†	olimpius m.		26. jul.
	olympiades m.	R. M.	15. apr.
	olympius m.	R. M.	4. dec.
	omnium ss. festivitas.	R. M.	1. nov.
	onesimus ep. m.	R. L. M.	16. feb.
	opia pbr.	A.	12. sept.
	optatus m.	M.	15. apr.
†	— ep.		31. aug.
	orientius ep.	A.	1. maj.
	orion.	A.	1. jul.
†	orontius m.	A.	22. jan.
	oseas propheta.	R. M.	4. jul.
†	osualdus m.		5. aug.
	othmarus ab.	A.	16. nov.
	otylia vir.	A.	13. dec.

P.

	Pachomius.	M.	14. maj.
	pacianus ep.	R. M.	9. mar.
	palladia vir. m.	A.	21. oct.
	palmatius & soc. mrr.	M.	10. maj.
†	palatinus.	A.	30. maj.
	pamphilus pbr. m.	R. M.	1. jun.
D.	pancratius m.	R. M.	3. apr.
	— m.	R. M.	12. maj.
	pantaenus.	R. M.	7. jul.
D.	pantagatus ep.	M.	17. apr.
	pantaleon m.	R. M.	28. jul.
D.	— translat.		17. jul.
	papias m.	R. M.	29. jan.
	— ep.	M.	22. apr.
	— m.	R. M.	25. feb.
†	— ep.		17. maj.
	papianus.	A.	30. dec.
	papinius ep. m.	R. M.	28. nov.
†	— ep. m.		1. dec.
	papyrius diac. m.	R. M.	13. apr.
	paragodas ep.	A.	1. jan.
	pardus m.	A.	5. nov.
	parmenas diac. m.	R. L. M.	23. jan.
	parmenius pbr. m.	R. M.	22. apr.
	parthenus m.	R. M.	19. maj.
	paschasius	M.	22. feb.
	— m.	R. M.	12. nov.
	passicrates m.	M.	25. maj.

† postu-

†	*postumus m.*		*6. maj.*
	potamia m.	M.	*2. jun.*
	potamiæna m.	R. M.	*28. jun.*
	potentiana, al. pudentiana vir.	R. M.	*19. maj.*
	potentianus	M.	*31. dec.*
	potianus	A.	*31. dec.*
	præjectus ep.	M.	*25. jan.*
	præpedigna m.	R. M.	*18. feb.*
	præsidius ep.	M.	*6. sept.*
	praxedes vir.	M.	*19. maj.*
	——	R. M.	*21. jul.*
	prætextatus m.	R. M.	*11. dec.*
†	*prilidianus puer m.*		*24. jan.*
	priamus.	M.	*28. maj.*
	primina.	A.	*9. oct.*
	primitivus m.	M.	*25. apr.*
	—— *m.*	M.	*27. jun.*
†	*primus m.*		*3. jan.*
	—— *m.*	A.	*29. maj.*
	—— *m.*	M.	*2. jun.*
	—— *m.*	R. M.	*9. jun.*
	—— *ep.*	A.	*1. nov.*
	prisca vir. m.	R. M.	*18. jan.*
	priscianus.	A.	*12. oct.*
	priscilla m.	R. M.	*8. jul.*
	priscillianus m.	R. M.	*4. jan.*
	priscus pbr. m.	R. M.	*4. jan.*
	—— *m.*	M.	*21. mar.*
	—— *m.*	R.	*28. mar.*
	—— *m.*	M.	*26. maj.*
	—— *m.*	R. M.	*1. sept.*
D.	—— *m.*	R. M.	*1. oct.*
	privatus ep.	M.	*21. aug.*
	—— *m.*	R.	*14. oct.*
	probus m.	R. M.	*11. oct.*
	—— *m.*	R. M.	*12. nov.*
	processus m.	R. L. M.	*2. jul.*
	prochorus diac. m.	R. L. M.	*9. apr.*
† †	*procius, al. proculus ep.*		*4. nov.*
	procopius m.	R. M.	*8. jul.*
	proculus m.	M.	*14. feb.*
	—— *m.*	M.	*14. apr.*
	—— *diac. m.*	R. M.	*19. sept.*
	——	A.	*21. oct.*
	—— *ep.*	A.	*4. nov.*
	prosper ep.	A.	*29. jul.*
	prosyria.	A.	*12. oct.*
	protasius m.	R. M.	*19. jun.*
	protolicus m.	M.	*14. feb.*
	protus m.	R. M.	*11. sept.*
	ptolomæus m.	R. M.	*19. oct.*
	—— *m.*	R. M.	*20. dec.*
	publius ep. m.	R. L. M.	*21. jan.*
	—— *m.*	M.	*15. apr.*
	pudens.	R. M.	*19. maj.*
	pudentiana. V. potentiana.		
†	*purcardus conf.*		*29. maj.*
	pusinna vir.	A.	*23. apr.*
	pusicia vir. m.	R. M.	*21. apr.*
	pusitius m.	R. M.	*21. apr.*
	pynitus, al. pinytus ep.	R. M.	*10. oct.*

Q.

	Quadratus m.	M.	*26. maj.*
†	—— *m.*		*26. maj.*
	—— *ep.*	R. L. M.	*26. maj.*
	——	A.	*25. sept.*
	quartia m.	M.	*2. jun.*
	quartilla.	R. M.	*19. mar.*
D.	*quartus.*	M.	*10. maj.*
	—— *m.*	M.	*6. aug.*
	——	A.	*7. oct.*
	——	R. M.	*3. nov.*
	—— *m.*	A.	*5. nov.*
	quatuor coronati mrr.	M.	*8. nov.*
	quinidius ep.	M.	*15. feb.*
	quintilianus m.	M.	*15. apr.*
	quintillus m.	R. M.	*19. mar.*
	quintinus m.	M.	*31. oct.*
	quintus m.	M.	*4. jan.*
	—— *m.*	R. M.	*19. mar.*
D.	—— *m.*	M.	*10. maj.*
D.	—— *m.*	M.	*5. sept.*
	quiriacus ep.	M.	*4. maj.*
†	——		*1. maj.*
	—— *m.*	R. M.	*23. aug.*
	quirinus m.	R. M.	*30. apr.*
	—— *ep. m.*	R. M.	*4. jun.*
	—— *pbr. m.*	A.	*11. oct.*
	quodvultdeus ep. m.	M.	*28. nov.*

R.

	Rabatia vir. m.	A.	*21. oct.*
†	*radegunda regina vir.*	A.	*13. aug.*
†	*ragnulfus ep.*		*27. maj.*
†	*rannobertus ep.*		*25. mar.*
†	—— *translat.*		*16. aug.*
	rasus ep.	A.	*12. mar.*
	regensledis vir.	A.	*20. nov.*
†	*regina vir. m.*	A.	*7. sept.*
	regisvinda vir.	A.	*15. jul.*
	regula.	A.	*11. sept.*
†	*regulus ep.*		*30. mar. & 24. apr.*
	relatio pueri jesu ex ægypto	R. M.	*7. jan.*
	relinda vir.	A.	*21. mar.*
D.	*remaclus ep.*	M.	*3. sept.*
	remigius ep.	R. M.	*1. oct.*
†	—— *depositio.*	A.	*13. jan.*
	reparata virg.	A.	*8. oct.*
	restitutus.	R. M.	*29. maj.*
	——	A.	*11. jun.*
	—— *m.*	M.	*23. aug.*
	resurrectio domini.	A.	*27. mar.*
†	*reverentius conf.*		*12. sept.*
	revocatus m.	M.	*7. mar.*
†	—— *m.*		*9. jan.*
†	*richarius ab.*		*26. apr.*
†	*rivianus ep. m.*		*1. jun.*
	rodonu m.	M.	*2. jun.*
	rogata m.	M.	*2. jun.*
	——	A.	*31. dec.*
	rogatianus m.	M.	*24. maj.*
	—— *pbr. m.*	R. M.	*26. oct.*
	rogatus m.	M.	*17. aug.*

roma-

	ſervulus	R. M.	23. *dec.*
	ſeverianus m.	R. M.	23. *jan.*
	—— *ep.*	M.	25. *jan.*
	—— *m.*	M.	11. *mar.*
	—— *m.*	R. M.	8. *nov.*
	ſeverinus conſ.	R. M.	8. *jan.*
†	—— *ab.*		11. *feb.*
†	—— *ep.*	A.	23. *oct.*
	—— *mon.*	R. M.	1. *nov.*
	—— *m.*	M.	19. *nov.*
†	*ſeverus ep.*		1. *jan.*
	—— *conſ.*	R. M.	11. *jan.*
	—— *pbr. conſ.*	A.	15. *feb.*
	—— *pbr. conſ.*	M.	8. *aug.*
	—— *m.*	M.	10. *aug.*
	—— *ep.*	A.	22. *oct.*
	—— *m.*	R. M.	8. *nov.*
	ſicburia vir.	A.	2. *feb.*
	ſidraeb.	A.	24. *apr.*
	ſigiſmundus rex m.	M.	1. *maj.*
	ſigon pbr.	M.	19. *ſept.*
	ſileas, al. ſilat.	L. M.	13. *jul.*
†	*ſilvanus m.*		18. *jan.*
	—— *ep. m.*	M.	2. *feb.*
	—— *ep. m.*	R. M.	4. *maj.*
	——	R. M.	24. *maj.*
	—— *m.*	M. 10. *jul.* &	23. *nov.*
	—— *puer m.*	R. M.	4. *ſept.*
	ſilverius pp.	A.	20. *jun.*
	ſilveſter ep. conſ.	M.	20. *nov.*
	—— *pp.*	R. M.	31. *dec.*
†	*ſilvinus ep.*		15. *feb.*
	ſilvius m.	M.	21. *apr.*
	—— *m.*	M.	2. *jun.*
	ſimeon mon.	R. M.	5. *jan.*
	—— *ep. m.*	R. M. 18. *feb.* & L.	2. *maj.*
	—— *ep. m.*	R. M.	21. *apr.*
	—— *mon.*	R. M.	27. *jul.*
D.	—— *juſtus*	L. M.	8. *oct.*
	ſimilianus ep.	M.	16. *jun.*
	ſimon ap.	R. L. M.	28. *oct.*
	ſimplicius pp.	A.	2. *mar.*
	—— *m.*	M.	10. *maj.*
†	—— *ep.*		24. *jun.*
	—— *m.*	R. M.	29. *jul.*
	—— *m.*	R. M.	8. *nov.*
†	—— *ep. conſ.*	A.	19. *nov.*
	ſimplides ep.	M.	11. *feb.*
†	*ſimpronius m.*		26. *jul.*
	ſindulphus ep.	A.	10. *dec.*
	ſinerus, al. ſyrenus mon. m.	R. M.	23. *feb.*
	ſiſinnius m.	M.	11. *mar.*
	—— *diac. m.*	M.	16. *mar.*
	—— *m.*	M.	29. *maj.*
	—— *conſ.*	A.	1. *ſept.*
	—— *diac. m.*	R. M.	29. *nov.*
D.	*ſixtus pp. III.*	M.	28. *mar.*
	—— *pp. I.*	R. M.	6. *apr.*
	—— *pp.*	R. M.	6. *aug.*
	—— *conſ.*	A.	1. *ſept.*
	ſmaragdus m.	M.	11. *mar.*
	—— *m.*	R. M.	16. *mar.*
	ſocrates	M.	17. *ſept.*

	ſolutor	R. M.	13. *nov.*
	ſophia vir. m.	A.	30. *apr.*
	ſoter pp.	A.	22. *apr.*
	ſoteres vir. m.	R. M.	10. *feb.*
	—— *vir.*	M.	12. *maj.*
	ſoſpater	R. M.	25. *jun.*
	ſoſius diac. m.	R. M. 19. *ſept.* &	23. *ſept.*
	ſoſthenes	R. M. 11. *jun.* & R.	28. *nov.*
	—— *m.*	R. M.	10. *ſept.*
	ſperatus m.	R. M.	17. *jul.*
†	*ſpes m.*		1. *aug.*
	ſpeuſippus m.	M.	17. *jan.*
	ſpiridion ep. conſ.	R. M.	14. *dec.*
	ſtactæus m.	M.	27. *jun.*
	——	A.	28. *ſept.*
	ſtephanus cum ſoc.	A.	11. *jul.*
	—— *pp. m.*	R. M.	2. *aug.*
	—— *ſubd. m.*	M.	6. *aug.*
	——	M.	17. *ſept.*
	—— *protom.*	R. L. M.	26. *dec.*
	—— *inventio*	R. M.	3. *aug.*
	——	A.	30. *dec.*
	——	A.	31. *dec.*
	ſtercatius m.	M.	24. *jul.*
	ſucceſſus m.	M.	15. *apr.*
	ſulpitius ep.	M.	17. *jan.*
D.	—— *translat.*	M.	15. *jan.*
	—— *m.*	R. M.	20. *apr.*
†	*ſurus conſ.*		1. *feb.*
	ſuſanna vir. m.	R. M.	11. *aug.*
	ſuſſius	A.	19. *oct.*
	ſuvitbertus ep.	A.	1. *mar.*
	ſyagrius ep.	M.	27. *aug.*
	ſycus.	A.	30. *maj.*
†	*ſylanus m.*		2. *jan.*
	ſymmetrius pbr. m.	M.	26. *maj.*
	ſymphorianus m.	M.	22. *aug.*
	——	A.	9. *nov.*
	ſymphoroſa m.	R. M.	27. *jun.*
	—— *m.*	M.	2. *jul.*
	ſymphronianus m.	R. M.	7. *jul.*
	—— *m.*	R. M.	8. *nov.*
	ſymphronius m.	R. M.	4. *dec.*
	ſyndulphus ep.	A.	10. *dec.*
	ſyntyche.	R. M.	22. *jul.*
	ſyrenus, al. ſinerus mon. m.	R. M.	23. *feb.*
	ſyrus conſ.	R. M.	12. *ſept.*

T.

	Turba cum ſoc. mrr.	M.	22. *apr.*
†	*taurinus ep.*		11. *aug.*
	teleſphorus pp. m.	R. M.	5. *jan.*
† †	*teominus ep.*		3. *nov.*
	tertius m.	R. M.	19. *oct.*
	—— *conſ.*	M.	6. *dec.*
	tertulla vir. m.	M.	29. *apr.*
	tertullinus pbr. m.	R. M.	4. *aug.*
	tharacus, ſeu tharacius m.	R. M.	11. *oct.*
	——	A.	17. *ſept.*
	tharſitius acolythus m.	R. M.	17. *aug.*
†	——		3. *aug.*
	thebæi mrr.	M.	22. *ſept.*
	thecla vir.	A.	22. *ſept.*

—— *vir.*

V.

†	—		19. jul.
	— m.	R. M.	21. jul.
	— m.	R. M.	24. jul.
†	— ep.		1. sept.
	— m.	M.	10. sept.
	— m.	R. M.	10. sept.
	— m.	M.	14. sept.
	— m.	M.	22. sept.
	— m.	M.	30. sept.
	— m.	A.	3. oct.
	— m.	M.	10. oct.
	— m.	R. M.	13. nov.
	—	A.	23. dec.
	— translat.	A.	30. sept.
D.	victoria m.	M.	17. nov.
†	—		18. nov.
	— vir. m.	R. M.	23. dec.
	victorianus m.	R. M.	23. mar.
	—	R. M.	16. maj.
	victoricus m.	M.	11. dec.
	victorinus m.	R. M.	25. feb.
	— m.	R. M.	6. mar.
	— m.	R. M.	15. apr.
	— m.	R. M.	7. jul.
	— ep. m.	R. M.	5. sept.
	— ep. m.	M.	2. nov.
	— m.	R. M.	8. nov.
	— m.	A.	11. nov.
D.	victorius m.	M.	21. maj.
	victrix.	M.	6. dec.
	victuria m.	A.	28. maj.
	vigilia jo: baptistæ.	M.	23. jun.
	— apostolorum petri & pauli.	M.	28. jun.
	— laurentii.	M.	9. aug.
	— assumptionis b. mariæ.	M.	14. aug.
† †	— matthæi ap.		20. sept.
† †	— germani ep.		30. sept.
† †	— simonis & judæ.	M.	27. oct.
† †	— omnium ss.		31. oct.
	— natalis domini.	R. M.	24. dec.
	vigilius ep. m.	R. M.	31. jan.
† †	vigor ep.	A.	1. nov.
	vinailus. V. vvenalis.		
	vincentius diac. m.	R. M.	22. jan.
	—	A.	21. jan.
	— m.	M.	19. apr.
†	—		21. apr.
	— m.	R. M.	24. maj.
	— diac. m.	M.	9. jun.
D.	— m.	R. M.	24. jul.
	— subd. m.	M.	6. aug.
	— m.	R. M.	25. aug.
	— m.	R. M.	27. oct.
	vindemialis ep.	A.	26. apr.
	virgines v.	A.	9. apr.
	— VII. mrr.	R. M.	9. apr.
	— plurimæ mrr.	M.	22. apr.
	— 11000. mrr.	A.	21. oct.
	— XL. mrr.	M.	24. dec.
	vitalica m.	R. M.	4. sept.
†	vitalis m.		9. jan.
†	— m.		22. jan.
	— m.	M.	14. feb.
	— m.	M.	21. apr.
	— m.	R. M.	28. apr.
	— m.	M.	2. jun.
	— m.	M.	10. jul. & 23. nov.
	— m.	M.	22. sept.
	— m.	R. M.	2. nov. & 27. nov.
	vitus m.	R. M.	15. jun.
	viviana, al. bibiana m.	R.M.	2. dec.
	vivianus, al. bibianus ep.	M.	28. aug.
	ulpius m.	M.	2. jun.
†	urbanus puer m.		24. jan.
	— m.	M.	15. apr.
	— pp. m.	R. M.	25. maj.
	— m.	R. M.	2. jul.
	—	A.	3. oct.
	— ep. m.	M.	28. nov.
	—	A.	23. dec.
	ursatius.	R. M.	16. aug.
	ursicinus m.	R. M.	19. jun.
	— ep.	M.	9. nov.
†	ursinus m.		23. aug.
	ursmarus ep.	M.	18. apr.
†	—		19. apr.
	ursula vir.	A.	21. oct.
†	ursus ep.	A.	30. jul.
	— m.	M.	30. sept.
	ustazades m.	R. M.	21. apr.
	vvalburga vir.	A.	1. maj.
D.	vvalericus conf.	M.	1. apr.
†	—		12. dec.
†	vvandregisilus conf.		22. jul.
†	vvenalis ab.		3. nov.
	vvenecslaus m.	A.	28. sept.
	vvilibaldus ep.	A.	7. jul.
	vvillehadus ep.	A.	8. nov.
†	vvillibrordus ep.	A.	7. nov.
	vvinocus ab.	A.	6. nov.
	vvolfgangus ep.	A.	31. oct.
	vulfrannus ep.	M.	23. apr.
	vultmarus conf.	M.	17. jun.
	vvodalricus. V. udalricus.		

X.

	Xantius m.	M.	11. mar.

Y.

	Ysitius m.	M.	11. mar.

Z.

	Zachæus ep.	R. M.	23. aug.
D.	zacharias pp.	M. A.	15. mar.
	— pbr. m.	M.	2. jun.
	— propheta.	R. M.	6. sept. & 5. nov.
	zeno m.	M.	14. feb.
	—	R. M.	9. jul.
	—	M.	15. jul.
	— ep.	A.	8. dec.
	— m.	R. M.	20. dec.
	zelas.	A.	1. jul.
	zenobius pbr. m.	M.	20. feb.

ADDENDA ET EMENDANDA.

PAg. 27. col. 2. lin. 39. *post* loquitur, *adde*. Alter Ammiani locus, ubi de *Bononia*, nono a Sirmio lapide, est lib. XXI. cap. IX. Vide de ea, si lubet, Wolfgangum Lazium Comment. Reip. Rom. lib. XII. sect. IV. cap. II. & V.

Pag. 86. col. 2. lin. 19. Tillemontium pag. 259. *lege*, Tillemontium tom. V. pag. 259.

Pag. 88. lin. 9. *Leoeadiæ*, lege. *Leocadiæ*.

Pag. 144. col. 2. lin. 33. *post verbum* facit, *adde*. Acta Latina habentur in codice Reginæ Suecorum 586. sæculi XI. pag. 1. ac ibi litteris majoribus ad initium ita legitur: *Hujus mirabilis conversionis, actuumque, & morum vitam, & pænitentiæ magnum virileque certamen venerabilis Mariæ Ægyptiacæ, qualiter in heremo expleverit tempora vitæ, de Græco transtulit in Latinum Paulus venerabilis levita sanctæ Neapolis Ecclesiæ*. Deinde sequitur: *Incipit prologus. Secretum regis* &c. usque, *nunc cum sancto & vivificante spiritu: nunc & semper* &c. Bartholomæus Chioccharellus de Episcopis Neapolitanis pag. 71. tradit, *Paulum* ex diacono Neapolitano *Episcopum Neapolitanum* c. A. D. 757. electum fuisse, prout præfert Chronicon Johannis diaconi Neapolitani.

Ibid. eadem col. Vitam Mariæ, *lege*, Vita Mariæ.

Pag. 145. col. 1. lin. 22. Baronius ad an. 307. n. XL. *lege*, Baronius ad an. 304. n. XLI.

Pag. 182. lin. 32. usus fuerat, *lege*, visus fuerat.

Pag. 185. lin. penultim. signi patibuli, *lege*, signa patibuli.

Pag. 197. lin. 31. Urbini edita, *lege*, Urbini editus.

Pag. 250. lin. 20. ad altimum, *lege*, ad ultimum.

Pag. 263. ad oram. 8. *Junii*, *lege*, 9. *Junii*.

Ibid. col. 2. lin. 25. gennino Adona, *lege*. gennino Usuardo.

Pag. 289. col. 1. lin. 23. ab baptismum, *lege*, ad baptismum.

Pag. 301. col. 1. lin. 34. *post* codices nostri, *adde*, hac die, sed agunt die XXVII. *Julii*.

Pag. 322. col. 2. lin. ult. editio Grevensis, *lege*, editio Greveni.

Pag. 352. in medio VII. *Kalendas Augusti*, lege, VIII. *Kalendas Augusti*.

Pag. 361. col. 2. lin. antep. lucubatione, *lege*, lucubratione.

Pag. 369. col. 2. lin. 8. Vatic. 3826., *lege*, Vatic. 3836.

Pag. 374. lin. 16. nostri gratiam, *lege*, nostri gratia.

Pag. 375. lin. 36. hanc die, *lege*, hac die.

Pag. 380. lin. 15. & 16. Cui Deejus, *lege*. Cui Decius.

Pag. 426. col. 2. lin. pen. Anstusti, *lege*, Augusti.

Pag. 432. lin. 14. externæ, *lege*, æternæ.

Pag. 436. col. 1. lin, 1. *Subianum* virginem & martyrem, *lege*, *Sabinum* martyrem.

Pag. 457. lin. 2. maroyres. *lege*, martyres.

Pag. 458. col. 2. lin. 18. qui tamen, *lege*, qui certe.

Pag. 491. col. 1. lin. 20. Ediscopalis, *lege*, Episcopalis.

Pag. 495. col. 2. lin. 25. post c. A. D. 287. *adde*. Utrum in *Ambianensi* Ecclesia principe, an in Ecclesia monasterii *S. Acheoli* prope *Ambianum* quiescat illius corpus, edita Dissertatione an. 1699. disceptavit Jo: Baptista Thiersius.

Pag. 558. col. 2. lin. 24. *post* tit. VII. *adde*. De Litaniis vero ad cujuscumque mensis initium vide Florentinium Admonitione VIII. pag. 26. & 38. Vide etiam Concilium Gerundense A. D. 517. can. II. & III. Lugdunense II. can. VI.

Pag. 560. col. 1. lin. 24. memorat, *lege*, memoratur.

FINIS.

